

BIB. DOM
LAVAL, S. J.



GALLIA CHRISTIANA,

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

IN QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM ET ABBATUM

REGIONUM OMNIUM QUAS VETUS GALLIA complectebatur, ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Instrumentis ad calcem appositis.

Operâ & studio Monachorum Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti.



TOMUS DECIMUS:

DE PROVINCIA REMENSI,

Ejusque suffraganeis Ambianensi, Silvanectensi & Boloniensi ecclesiis, ubi instrumenta omnium ad calcem colliguntur.





PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DCCLI.

MONITUM.

Quem in instrumentis ecclesiarum hujus metropolis observavimus ordinem, hunc eumdem in historia earumdem servare proclive erat, & forsan melius: is enim est quem post Honorium Augustum quæque repræsentant notitiæ. Sed si non auctoritati, consiliis saltem cedendum rati, priorem interturbavimus ordinem, ut quem inter se tenent provinciæ Remensis episcopi, hunc & ipsi in historia ecclesiarum teneremus. Lectori in rem est utrumque, cui hîc ordo quem tenent episcopi, illîc vero ordo quem in notitiis habent ecclesiæ, semper objicientur.

HISCE DUOBUS TOMIS CONTINENTUR.

ABBATIÆ, PRIORATUS, &c. CUM VIRORUM TUM FEMINARUM, IN PROVINCIA REMENSI, *ordine alphabetico digesta.*

D

E

F


G

H

J

L

M



INDEX VETERUM MONASTERIORUM
AD REMENSEM PROVINCIAM SPECTANTIUM.


Addenda & corrigenda, col. 1623.





FRETUM CALETI
MARE BRITANNICUM et GALLICUM
DIŒCESIS BOLONIENSIS
DIŒCESIS AMBIANENSIS
DIŒCESIS BELLOVACENSIS
PARS PROVINCIÆ
PARS PROVINCIÆ ROTOMAGENSIS
PARS PROVIN PARISIENSI
Rotomagus
Sequana Fl.
Gravelina
Mons Berg
Broburgus
Ardea
Vatta
Ambletusa
Audomaropolis
Bolonia
Aire
Samer
Bethunia
Stapula
Monasteriolum
S. Paulus
Hesdinium
Lentium
Atrebates
Camerac
S. Richarius
Dulendium
Walaricus
Abbatisvilla
Ogum
Dieppa
Corbeia
Braia
Samarobriva
Ambiani
Roya
Monte Desiderii
Britulium
Gornacum
Bratuspantium
Cæsaromagus
Bellovaci
Clarus Mons
Pons S. Maxentii
Vermeria
Gisortium
Calvus Mons
Bellus Mons
Silvanectes
Silvanec
Isara Fl.
Thera Fl.
Oise Fl.
Occid. Paris
Puisgu Sculp.
19.d
20.d
51
30
49

GALLIÆ CHRISTIANÆ
BELGICÆ SECUNDÆ
PROVINCIÆ ECCLESIASTICÆ
REMENSIS
PARS SEPTEMTRIONALIS et OCCIDENTALIS
Continens Diœceses
Ambianensem, Silvanectensem
et Boloniensem
Descripta a J. B. Nolin Geographo
1751



Notæ Sequentes designant Dignitates Ecclesiasticas

- *Sedes Archiepiscopales*
- *Sedes Episcopales*
- *Sedes olim Episcopales*
- *Abbatias Virorum*
- *Abbatias Mulierum*
- *Abbatias non amplius Stantes vel loco mutatas*
- *Prioratus*

Litteræ Sequentes designant Ordines

O. S. B.	*Ordinem S.t Benedicti*
O. Cist.	*Cisterciensem*
O. Præm.	*Præmonstratensem*
O. S. Cl.	*Clarissas vel Urbanistas*
Fl.	*designat flumen vel fluvium*



GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS
DISTRIBUTA.

ECCLESIA AMBIANENSIS,
CUJUS METROPOLIS REMI.



MBIANUM clarissima civitas, totius Picardiæ primaria, Remensis metropolis suffraganea sedes in Parlamento Parisiensi, ab Ambianis Belgicæ populo nobili, perperam mutato nominis urbis genere ac numero sortita est nomen. Ambiani autem ad oceanum inter Caletos ab occasu & Morinos ab ortu habitabant, quos intus Cæsar inter Bellovacos & Nervios constituit & inter Belgas annumerat, qui contra populum Romanum conjuraverant & decem millia armata polliciti fuerant. Multus de iis frequensque apud eumdem sermo. Ambiani inter Bellovacos & Suessiones collocantur a Strabone, a Plinio & Claudio Ptolemæo in Gallia Belgica. In notitia imperii Ambianenses in vexillationibus comitatensibus numerantur, & in vetere inscriptione apud Goltzium. Civitas Ambianensium vocatur Sulpicio Severo in vita S. Martini, ac in veteribus notitiis provinciarum & civitatum Galliæ inter duodecim Belgicæ secundæ civitates decimum occupat locum; at in recentioribus octavum. Ambianorum antiquitatem attestantur Ptolemæus lib. 2. cap. de Celtogalatia Belgica, Josephus Scaliger, Becanus in Atuaticis, Petrus Divæus & Simlerus. Ambianos in Asiam Galatiam gentem suam deduxisse Plinius asserit lib. 5. cap. 32, & Solinus cap. 43. *Galatiam primis seculis priscæ Gallorum gentes occupaverunt, inter quas Ambiani.* Fortitudo autem Ambianensium apparuit, quum pro patriæ libertate decertantes, Cæsarisque jugum detrectantes, Remenses qui ejus partibus sese addixerant, bello vicerunt.

Caput Ambianorum Samarobriva vocabatur ab incolis L. Domitio & Appio Claudio consulibus, sic dicta a Briva seu Briga, quod pons erat Celtis, & Samara amne medio ævo Somena seu Sumnia, nunc *Somme* dicto. Oppidum tam apud Cæsarem quam Ciceronem & Ammianum Marcellinum celebratum, urbs inter alia eminens, in qua Cæsar comitia Galliæ habuit, armamentarium quoque & plurima quæ ad belli apparatum spectant. Ibi erat fabrica armorum scutaria & spataria. In notitia imperii legionem XIII Romanorum juxta ipsam habitasse scribit Cæsar, qui decem millia militum Ambianensium enumerat, quibus argumentis urbem & bello exercitam fuisse constat. Ibi hodieque celebre est armamentarium in quo arma & tormenta bellica fabricantur ac servantur.

Debellata a Romanis Samarobriva, aucta est ac illustrata ab imperatore Antonino-Pio & filio Aurelio, non autem condita, ut placet Sigeberto: certum enim est ex Cæsaris libris longe antiquiorem exstitisse, & Ambiani nomen in usu fuisse ante Antoninum, quem vult Sigebertus ita hanc civitatem nominasse ab ambitu fluminum. Errorem hunc postea secuti sunt Flodoardus, Rigordus & alii hujuscemodi etymorum scrutatores.

Loco multum commodo & aëre salubri positam hanc civitatem sæpius imperatores Romani incoluere, quos refert Petrus Divæus: *Constantius,* inquit, *Ambiani quod pervetus est oppidum & Picardorum in Artesiæ finibus metropolitanum, domicilium collocat, quod minime postea sunt aspernati Constantinus, Constantius, Julianus, Valentinianus, Valens, Gratianus, Theodosius.* Quin etiam juxta Hieronymum in chronico Gratianus Valentiniani filius Ambianis fasces imperii accepit: quapropter in codice Theodosiano lib. 8. tit. 7, reperiuntur aliquæ constitutiones Valentiniani, Valentis &

Gratiani Ambiani datæ. Tradit quoque Rorico Samarobrivam electam fuisse regiam Chlodionis, Merovei & Childerici. Ex regibus stirpis Capetinorum nullus est fere qui eam non inviserit. Philippus Valesius anno 1347 urbis suburbia fossis & mœnibus cingere cœpit contra Anglorum incursiones, quod tamen opus non est absolutum, nisi regnante Ludovico XI. Carolus V, VI & VII, ac Ludovicus XI, ecclesiam cathedralem donis affecere. Hostium furore sæpe direpta est post Romanos urbs, ab Alanis & Vandalis expugnata, teste Hieronymo, a Normannis & posteris seculis ab archiduce Belgii prorege ut occupata stratagemate, sic virtute militari Henrici IV, æternæ memoriæ regis, anno 1597 recepta est; pauloque post structa in parte urbis eminentiore arx propugnaculis & vallo munitissima. Præterea hoc oppidum quod ortu suo nobilitarunt percelebres viri medici Silvius, Fernelius, Riolanus & Tagautius, docti Voiturius, Rohaltius, & celebris ille Cangius, suos quondam habuit comites & vicedominos ex genere Pinconii. Ambianos Philippus II exornavit tribunitio plebis collegio anno 1209, cui Philippus IV adjecit egregias politiæ seu curationis rerum civilium prærogativas. Sub Henrico autem quarto urbe ab Hispanorum invasione liberata, gubernatio translata est ad moderatorem urbis a rege commissum. De suprema justitiæ curia ab Isabella regina anno 1418 instituta, non est quod loquar, quippe quæ statim evanuit.

Ecclesia cathedralis beatæ Virgini sacra inter primas totius Galliæ ob insignem & elegantissimam structuram censetur. A quingentis annis ædificata, sub episcopis Evrardo, Godefrido & Arnulfo, se extendit ad longitudinem exteriorem 366 pedum: latitudo interior crucis 183, media scilicet pars longitudinis; latitudo pronai & chori 42 pedum, quarta ferme pars latitudinis; crucis altitudo 132 pedum, hæc est fere triplicata latitudo chori, quæ symmetria partium apud architectos plurimum probatur. Basilica cathedralis sita primum fuit ubi nunc abbatia sancti Acheoli, ut constat ex charta Roriconis episcopi, data anno 1085, quippe *quam B. Firminus confessor dum primitus hanc urbem a cultu dæmoniacæ servitutis erueret, in honore sanctæ & perpetuæ virginis Mariæ fundavit, postea a sanctis martyribus Acheo & Acheolo antiquitatis nostræ tempore sibi nomen aptavit.* Præterea cum in ea constet episcopos primos & plurimos sepultos fuisse, ex hoc pene evincitur fuisse cathedralem. Addit enim Rorico in prædicta charta: *Sed quia, ut præfati sumus, ecclesia hæc Dei genetrici dicata fuerat, & hujus cathedræ pontificum pulvis sacer in ea diu latuerat, canonicorum beatæ Mariæ & almi martyris Firmini, quorum prius fuerat ditioni tantum committatur.* Translata est postea seculo septimo sedes pontificia in eum fere in quo sita nunc est locum a sancto Salvio episcopo, sed incendio concremata ineunte decimo tertio seculo, Evrardus episcopus alterius fundamenta jecit, & erigere cœpit eam quæ nunc apparet, a decessoribus ad umbilicum perducta.

Pluribus episcopus gaudet prærogativis. 1° enim narrant ecclesiæ Ambianensis acta, S. Salvium episcopum die decima tertia Januarii invenisse corpus sancti Firmini martyris, tamque suavem & salutarem odorem, ex ejus sacri corporis fragrantia totam diœcesim aliasque quamvis longinquas provincias inaudito more pervasisse, ut Balgentiacum quoque Aurelianensis diœcesis oppidum perveniret, ejusque dominum lepræ morbo sanavisse. Memor, nec accepti ingratus beneficii, ecclesiæ Ambianensi partem castelli sui obnoxiam fecit, & plurima bona largitus est. His ad an. 875 promiscue potiti sunt episcopus & canonici. At dispertitis circa id tempus bonis, jura feudorum & retrofeudorum episcopo cesserunt, capitulum vero alia sortitum est dominia, quæ etiamnum possidet, ut constat tum ex charta Ingeranni episcopi, in qua hæc omnia recensentur, tum ex locatione horumce jurium Huberto facta anno 1149 a capitulo. Anno 1291 Guillelmus *de Maçon* Ambianensis episcopus Johannæ *de Chatillon* comitissæ Blesensi cessit omnia sua feuda & retrofeuda, quæ dicuntur Vindocinensia seu beati Firmini, ea lege ut ipsa & successores singulis annis ecclesiæ Ambianensi tædam ponderis centum librarum ceræ offerrent, omniaque dicta feuda ab episcopo Ambianensi tenere profiterentur & agnoscerent, quod ad hunc diem præstari moris est, quemadmodum plura Ambianensis episcopii testantur instrumenta publica. Hinc in oppido Balgentiaci parochialis ecclesia titulo sancti Firmini est, habetque abbatia beatæ Mariæ illius loci occipitia SS. Gentiani, Fusciani & Victorici martyrum Ambianensium, paulo ante a sancto Honorato Ambianensi decessore sancti Salvii inventorum, quæ ad nostra tempora asservantur thecis argenteis. Hujus quoque in memoriam miraculi Balgentiacenses tenentur quotannis Aurelianos ire die 13 Januarii, qua inventum sancti Firmini corpus, & offerre procuratori nationis Picardiæ in academia Aurelianensi nummulum auri Florentini ad offertorium missæ solennis, quam dicta natio hac die celebrat in ecclesia sancti Petri Puellaris.

Ch. LXXI. col. 341.

2° Alterum est episcopi Ambianensis privilegium, immunitas, non regaliorum, ut falso existimavit Adrianus *la Morliere*, sed procurationis regi ejusque servientibus debitæ. Cum enim Flandriæ comes Philippo Augusto cessisset Ambianensem comitatum, regi quoque qui nulli obnoxius est clientelam dimisit episcopus, quam ipsi debebat Flandriæ comes. Hanc episcopi devotionem attendens rex Philippus, ecclesiam & episcopum liberavit a procuratione omni, tam sui ipsius quam servientium, quæ quidem procuratio alia non est a gisto seu hospitio regi & suis Ambianos accedentibus dando. Vacationem quoque regaliorum a Philippo tunc concessam conjectabant antecessores nostri; sed hæc procuratio distat plurimum a regaliorum jure, inquit Renatus *Choppin* libro primo de Sacra politia tit. 6. num. 6, & tit. 7. num. 8. Verum quidem est sede Ambianensi vacante, vacantes præbendas a rege non conferri, sed futuro episcopo reservari, quod aliqualem regaliorum immunitatem importare videtur, quia a rege conferri deberent jure, quod præterea regibus Francorum

a Clemente IV confirmatum est. Sed hæc collatio aliud est privilegium a regibus dictæ ecclesiæ concessum, sicut quibusdam episcopis indulserunt militiæ vacationem, qui tamen episcopi a regaliis immunes non erant. Privilegium quoque est episcopo Ambianensi a rege concessum, ut nec currus, nec equos ad exercitum mittat, ut legitur in literis anni 1388, licet tam ipse quam clientes militare teneantur, ut ceteri episcopi regaliis obnoxii. Quod autem militare teneatur episcopus Ambianensis, probatur 1° ex regesto feudorum & servitiorum in camera computorum, ubi episcopus Ambianensis recensetur inter eos qui Chinonem vocati sunt anno 1242, die crastina octavarum Paschæ ad comitem Marchiæ aggrediendum. 2° Recensione data ab ipso episcopo cameræ computorum anno 1301 omnium artificum qui tenentur episcopo præbere necessaria ad iter & omnes belli usus. Denique regesta cameræ computorum difficultatem solvunt, in quorum altero indicato L legitur in provincia Remensi solam Cameracensem ecclesiam a regaliis vacare, ceteras vero omnes, ne quidem Ambianensi excepta, regaliis esse obnoxias, solvunt & rationes regaliorum ecclesiæ Ambianensis sede vacante a ballivis cameræ editæ, Allermi de Silliaco a die lunæ post mediam Quadragesimam ad Dominicam ante Ascensionem anno 1278, Petri *de Rapeslain* a vigilia Ascensionis 1320 ad diem festum Magdalenæ. Quin imo literis datis Parisiis ultima Augusti 1433 mandatum fuit ballivo Ambianensi, ut bona episcopi Ambianensis publice possideret propter translatum Johannem de Haricuria ex ecclesia Ambianensi ad Tornacensem. Denique Philippus rex in literis ad preces Guillelmi episcopi datis mense Augusto 1296, agnoscit nemora ad episcopum Ambianensem pertinentia, non *posse excidi a regalibus futuris Ambianensis episcopi, sed integra & impræcisa servari debere, nec licere servientibus aut ministris regiis dicta nemora præcidere aut distrahere tempore regalium eorumdem.* Unde concludit celeberrimus ille & nusquam satis laudandus Cangius, Ambianensis civitatis gemma, ecclesiam Ambianensem regaliis esse obnoxiam, licet gaudeat privilegio conferendarum vacantium sede vacante præbendarum, quod proprie ad regem solum pertinet. Hæc enim ferme omnia desumsi ex historia episcoporum Ambianensium a Cangio concinnata, quam imperfectam modo lugemus.

3° Episcopi Ambianensis est in unctione regis subdiaconi officio fungi.

4° Prima cathedræ adeptio recreatur adventitia pecunia quæ singulis diœcesis parochis irrogatur juxta formam juris & statuta in more posita.

5° In manuali placitorum Parlamenti Parisiensis habiti die Martis 6 Martii 1380, refertur causa ecclesiæ Remensis, in qua contendunt Remenses episcopum quemque hujus provinciæ teneri antequam ecclesiam suam ingrediatur, fidei sacramentum præstare ecclesiæ Remensi, & cappam debere, qua induatur in unctione regis, & quam nullus præter eum quandiu vixerit induere debet.

6° Episcopus Ambianensis urbem suam invehitur mula, deducente toparcha *de Riveri*, cui idcirco cedunt & mula & argentea supellex quæ epulo inservivit: sic observarunt omnes episcopi ab Antonio *de Crequy*.

Diœcesis Ambianensis terminata ad ortum diœcesi Noviomensi, ad occasum mari Oceano, ad Austrum diœcesibus Bellovacensi & Rotomagensi, ad Aquilonem Boloniensi & Atrebatensi, dividitur in duos archidiaconatus, Ambianensem & Pontivensem, cujus caput Abbatisvilla. Illorum hic duodecim decanatus rurales, ille quatuordecim, uterque 781 parochias & 100 annexas habet. Has præter numerantur 52 prioratus ordinis sancti Benedicti & quinque sancti Augustini. Sunt quoque præter cathedrale quatuordecim alia clericorum collegia, novem nosocomia, & sex præceptoriæ Melitenses. Capitulum cathedrale constat decem dignitatibus, decano, præposito, thesaurario, cujus fructus episcopo cedunt ab anno 1149, cancellario, archidiacono Ambianensi, archidiacono Pontivensi, præcentore, cantore, scholastico, pœnitentiario, 43 canonicis & tribus præbendis, quarum una collegio, & duæ abbatiis sancti Acheoli & sancti Martini unitæ, quæ a duobus canonicis regularibus obtinentur: aliæ duæ sunt præbendæ vicariis assignatæ, & 72 capellani. Decanus eligitur a capitulo & confirmatur ab archiepiscopo Remensi primo & proximo capituli superiore: alias dignitates confert episcopus & præbendas, vicarialibus exceptis, & mediam fere capellaniarum partem, aliam vero capitulum, quod etiam vicarios ad duas præbendas nominat.

Abbatias viginti quinque hic enumerando omisimus, de quibus solito more differemus postquam de episcopis prælocuti fuerimus, variis monumentis & auctoribus instructi, præsertim Adriano *de la Morliere*, qui librum Gallice edidit de antiquitatibus urbis Ambianensis, Sammarthanis in Gallia quadripertita, & maxime Alexandro *de Riancourt*, hujus insignis ecclesiæ decano, qui suas elucubrationes in acta episcoporum & decanorum Ambianensium, abbatumque Foresti monasterii libentissime nobiscum communicavit, quibus sæpissime usos nos ultro & grato animo profitemur.



ANNI CHRISTI

AMBIANENSES EPISCOPI.

ANNI CHRISTI

I. S. Firminus I.

Patre Firmo, matre Eugenia Pompelonis Navarræ regionis incolis natus est sanctus Firminus. Ab Honesto sancti Saturnini Tolosæ protopræsulis discipulo Christi religione initiatus, a sancto Honorato Saturnini successore ordinatus pontifex, Decii & Valeriani imperatorum ætate præclara sanctitatis opinione claruit. In Galliam gratia fidei Christi propagandæ secessit, atque Agennensibus, Arvernis, Andegavensibus, Bellovacensibus & Ambianis populis ea promulgata, decreto Valeriani Sebastiani præsidis in Ambianensi civitate extremo supplicio affectus beatorum B fastis meruit adscribi: ita acta Firmini martyris, quæ sublestæ fidei visa sunt Tillemontio. Variæ autem sunt sententiæ de tempore quo passus est sanctus Firminus. Ecclesia Pompelonensis ejus martyrium refert ad tempora apostolica, anno circiter 101. Acta apud Bosquetum ad annum 258 sub Decii & Valeriani nuncupata persecutione, licet initio de Diocletiani & Maximiani persecutione loquantur. Acta Ambianensia ad Diocletianum & Maximianum, nulla anni facta mentione. Malbrancus de Morinis eum passum anno 268 vult, Baronius anno 303, Usuardus sub præside Ricciovaro VII calendas Octobris, C Tillemontius & Bailletus anno 287, quo anno sola edicta contra christianos lata a Decio anno 250 & a Valeriano anno 257, vigere censebantur. Nam Diocletianus & Maximianus anno tantummodo 303 mense Martio, leges adversus ipsos promulgarunt. Aurelianus quidem anno 274, teste Lactantio, legem contra christianos tulerat, sed cum initio anni sequentis 275 occisus sit, ipsius decretum ad extremas imperii provincias nondum pervenerat. Unde non mirum si in actis apud Bosquetum, quæ sic incipiunt: *Temporibus Maximiani & Diocletiani imperatorum* ..... Sebastianus præses ita Firminum alloquitur: D *Sanctissimi imperatores Decius & Valerianus decreverunt, ut honor & cultura idolorum in omnibus finibus orbis, & populis, & gentibus conservetur*, quia tunc sola Decii & Valeriani edicta contra christianos vigebant, & persecutio a Maximiano in Galliis incœpta anno 286 promulgationem edictorum ab ipso & ab Diocletiano factorum longe præcesserat.

Tom. III. pag. 303.

Defunctum Firminum sepelivit Faustinianus in agro suo, quod *Abladana* dicebatur, ubi Firminus successor primam in honorem B. Mariæ construxit ecclesiam. Hujus reliquias in cathedralem ecclesiam transtulit sanctus Salvius seculo E ineunte septimo. Adhuc in cathedrali quiescebant anno 850, si ad vivum reseces chartam Angilguini. Has quoque transtulit S. Godefridus anno circiter 1107, & Theobaldus qui sedit ab anno 1170 ad 1204 in thecam auream, circa quam hos inscripsit versus:

Spicil. t. 13. p. 260.

Suscipiat martyr opus hoc utinam sibi gratum,
A *Quod proprii sit amore gregis studioque paratum,*
Hujus agente loci Theobaldo pontificatum.

Hæc ultima translatio celebratur die 16 Octobris in diœcesi Ambianensi, & dicitur repositio sancti Firmini in theca aurea.

Dissimulare non sinit cui soli adhæremus veritatis amor, ejusdem reliquias a Dagoberto I rege donatas etiamnum a Sandionysianis nostris ostendi. Quænam sint genuinæ & sinceræ nostrum non est definire. Interim videsis quid de his scripserit Novigenti abbas Guibertus pag. 336, & annotaverit Lucas Acherius operum ejusdem editor pag. 566, ubi rem ad amussim discutit.

Tom. VI. col. 368.

De Firmino vetus martyrologium: *In Gallia Ambianis civitate passio sancti Firmini episcopi & martyris.* De quo etiam Saussayus sic habet: *Ambiani translatio sancti Firmini martyris propriique illius civitatis apostoli: in qua beatissimi ejus corporis repositione multa miracula divinitus coruscarunt. Caloris enim æstus adulta jam hyeme maximus factus est: arbores autem frondescere cœperunt: quibus foliis virentibus Deo martyrem suum honorante, plerique ægri sanitatem illorum devota applicatione receperunt.*

Sanctus Firminus etiam apud Pompelonenses, quorum ecclesiam ante peragratas Gallias rexisse creditur, magno in honore habetur tanquam civitatis patronus. Hanc quidem dignitatem ei detrahere conatus est medio seculo XVI Franciscus *de Marlou* episcopus Pompelonensis, ut eam transferret ad sanctum Franciscum Xaverium, qua de re magna lis agitata est coram Innocentio papa X, inter episcopum & canonicos, qui hac occasione scripserunt ad Ambianenses IX calend. Februarii 1651. Decretorio tandem judicio antiqui honoris possessio asserta est sancto Firmino.

II. Eulogius.

Concilio Coloniæ Agrippinæ an. 346 Eulogius, sicut & synodo Sardicensi, adstitit cum 33 aliis Gallicanis episcopis anno 347: omittitur tamen in Corbeiensi episcoporum Ambianensium catalogo. At vide tomum 2. Concil. col. 679, & S. Athanasii apologeticum adversus Arianos pag. 168.

346.

347.

III. S. Firminus II.

Faustiniani Galliæ præfecti filius Firminus, a patre sic dictus ob amorem & memoriam beati Firmini martyris, a quo sacro ipse tinctus fuerat lavacro, vixit in pontificatu 40 annis, & defunctus ætatis 67, sepultus est in ecclesia beatæ Virginis, nunc sancti Acheoli, quam exstruxerat, unde seculo septimo levatum corpus S. Salvius in cathedralis ecclesiæ crypta orientali reverenter condidit, & decenter exornavit IV idus Januarii, qua die memoria hujusce translationis in antiquissimo martyrologio, necnon in posterioribus & in breviariis notatur. Hanc solenni ritu celebrant canonici ecclesiæ collegiatæ sancti Firmini confessoris, cujus reliquias ecclesiæ regali sancti

ANNI CHRISTI

Ch. LXIX. col. 343. Chart. LXXXII. col. 359.

Quintini dono dedit anno 893 Otgerus episcopus Ambianensis. Has e capsa in capsam transtulit XVII cal. Julii 1279 Simon cardinalis apostolicæ sedis legatus, & recognovit IV idus Januarii 1715 Petrus episcopus Ambianensis. In veteri martyrologio Spicileg. tom. IV. *Calendis Septembris Ambianis civitate depositio sancti Firmini episcopi, & IV idus Januarii Ambianis inventio S. Firmini episcopi & confessoris.*

Nostri non est instituti de reliquiis hujus sancti motas seculo superiori lites exsuscitare: at si quid de his sentiamus dicere nobis liceat, causa quam ante apertam capsam agitaverant adversarii, aperta anno 1715 capsa, ipsis fatentibus finita est.

IV. Leodardus.

Firminum consequitur Leodardus, qui Letardus in catalogo Corbeiensi, in quo & in aliis post sanctum Firminum Honoratus, Salvius & Berchundus adscribuntur, postpositis Leodardo, Audoëno, &c. Hoc autem creditur accidisse ex eo quod hi catalogi magna ex parte decerpti sunt e litaniis & martyrologiis ecclesiæ Ambianensis, in quibus notati essent ordine episcopi urbis qui sanctitate floruerant, omissis ceteris quorum non ita esset memoria venerabilis. Probabile ergo est primis illis temporibus aliquot episcoporum nomina excidisse. Quin & diptycha in multis manca fuisse conjicitur, maxime prioribus quinque seculis, sive injuria bellorum, & præcipue tempore Vandalorum, qui circa annum 416 Gallias depopulati sunt, ac Ambianum incendio vastarunt; sive etiam aliquando negligentia sacerdotum, qui aut ecclesiæ suæ monimenta condere, aut condita tuto conservare non curabant.

V. Audoenus.

VI. Edibius.

Edibius adfuit concilio primo Aurelianensi,
511. anno Christi 511, in quo conditi canones 27 ac decretæ litaniæ, quas Rogationes appellare consuevimus.

VII. Beatus.

549. Synodo Aurelianensi V anno 549 subsignavit Beatus, idem qui cum Egidio Remensi metropolitano subscripsisse creditur instrumento Elafii episcopi Catalaunensis, de villis quas S. Stephano dedit cum fratre suo Leudomiro diacono V idus Junii, Sigeberti regis Francorum anno quarto,
565. Christi 565.

VIII. S. Honoratus.

Non levis est difficultas in ordinanda Honorati & nonnullorum, qui aut antecedunt aut sequuntur episcoporum serie. Cointius ad annum 580, num. 18 & seqq. probare conatur S. Honoratum floruisse sub Childeberto I, ex testimonio anonymi qui sane non designat quotus sit Childebertus rex, quo regnante vixerit Honoratus. At quum Ambiani ad Neustriam pertinerent, nullusque Childebertus in Neustria regnaverit præter primum, Chlodovæi I filium, & alterum qui regnare cœpit anno 694 (ad quod tempus nemo A est qui Honorati episcopatum amandarit) necesse est ut vixerit sub Childeberto I, nisi forte quis putat anonymum attendisse ad alium Childebertum, cui nunquam paruerint Ambiani, quod a verosimili abhorret: ita Cointius.

Baill. T. 3. Maii, p. 612.

Melius forte circa annum 588 floruisse dicendus est sanctus Honoratus. Illud evincitur ex actis ejusdem sancti, ubi dicitur floruisse sub Pelagio papa, qui sedit ab anno 578 ad 590, sub Mauricio imperatore qui regnavit ab anno 582 ad 602, & Childeberto II, qui occasione inventionis corporum SS. Fusciani, Victorici & Gentiani, quæ sanctus Honoratus levavit e terra, tum Am- B bianensi ecclesiæ vicum Megium donavit. Contendunt quidem aliqui cum Cointio Childebertum ecclesiæ Ambianensis benefactorem non fuisse secundum, Austrasiæ regem, quia vicus Megium in finibus Ambianensium situs ad Neustriam, in qua nihil hic Childebertus possidebat, non ad Austrasiam pertinebat: sed respondetur ex Gregorio Turonensi lib. IX, cap. 20, Guntramnum cum Childeberto regnum Neustriæ spoliato Chlotario puero divisisse, & licet id non ita clare pateat ex loco Gregorii Turonensis, tamen aperte docet antiquissimus scriptor Childebertum II possedisse Abrincatas in Neustria. C Præterea ex eodem loco potiebatur urbe Silvanectensi & pago Rossontensi apud Bellovacos. Quidni ergo potitus fuisset Megio vico in Ambianensibus. Denique post Guntramni mortem, quæ contigit anno 593 aut 594, Childebertus heres institutus Guntramni possedit quidquid patruus in regno Neustriæ habebat. Verum etsi fateremur ne vicum quidem unum Neustriæ ad ditionem Childeberti pertinuisse, quid prohibebat quominus hic rex Megium vicum vel permutatione facta, vel soluta pecunia comparasset, ac postea Ambianensi ecclesiæ contulisset.

D Ceterum sanctus Honoratus, in vico Portuensi pagi Pontivensis natus, vir sanctimonia insignis, ad annum 600 pervenisse legitur in ejusdem actis; & certe Theoderico Francorum rege, qui regnavit ab anno 596 ad 613, mortuus est, Nicolao teste, lib. II de vita sancti Godefridi Ambianensis episcopi, § 28, qui ejus annulum a Gervino antecessore venditum redemit, ex eodem. Sepultus est in loco natali; inde ad Ambianensem ecclesiam, nono seculo, ob Normannorum metum, translatæ sunt ejus reliquiæ, ubi sepulcrum ejus adhuc visitur. Anno 1301 Guillelmus *de Maçon* Ambianensis episcopus fundavit E apud Abbatisvillam cœnobium Cartusianorum in honorem sancti Honorati, cujus sacrum eis donavit caput. Anno 1204 Parisiis ædificata est capella in honorem ejusdem, quæ in celebre canonicorum collegium excrevit.

IX. S. Salvius.

Vir inclytus Salvius monasticen amplexus in monasterio quod in honorem beatæ Mariæ construxerat, mortui abbatis in locum a fratribus suffectus est, a quibus paulo post discedens, secretioris solitudinis amore privatam inquisivit cellam, ubi reclusus maneret. Defuncto tunc

temporis Honorato, Theodericus Francorum rex A sanctum Hautcarium Noviomensem episcopum ad Ambianenses direxit, ut dignum Deo eligerent pontificem. Hi triduano peracto jejunio, Salvium renunciaverunt. Factus episcopus Salvius ecclesiam in honorem sanctorum Petri & Pauli digno opere construxit, cujus in crypta orientali inventum corpus sancti Firmini martyris, necnon corpora S. Firmini confessoris & sanctorum Achei & Acheoli martyrum, reverenter condidit & decenter exornavit. Defuncti vero v calendas Novembris Salvii corpus in ecclesia B. Mariæ conditum est, unde multorum curriculis annorum labentibus, Monstrolium est translatum. B Id docent acta sancti Salvii apud Bollandum, tom. I Januarii, pag. 704, quæ ob infinitas pene difficultates, quibus ob commemoratum ibidem regem Theodericum implicantur, varias in sententias scriptores sciderunt.

Juxta primam Salvius successit Honorato, qui sedit Childeberto rege, & obiit sub Theoderico, ut modo diximus. Theodericus itaque, quo regnante obiit sanctus Honoratus, idem est qui curavit ut ejus nomine S. Salvius crearetur episcopus, Theodericus II. Neque est quod dicant Theoderici regis Francorum hic fieri mentionem, qui tamen nusquam in Neustria, nec apud Am- C bianos, imperaverit. Nam, teste Gregorio Turonensi, lib. 3, cap. 1, & lib. 4, cap. 22, reges qui partem aliquam Franciæ occupabant, reges Francorum dicebantur. Sed neque mirum si curaret eligi episcopum Ambianensem Theodericus, ad quem tametsi non spectarent Ambiani, pertinebant tamen Remi, Cameracenses & Laudunenses vicini. Quod autem ad electionem Salvii procurandam missus sit a Theoderico sanctus Hautcarius Noviomensis episcopus, difficultatem elevat Menardus, qui diserte episcopum missum Acarium vocat, qui decessor fuit sancti Eligii, seditque sedente Theoderico. Denique D inscriptio quæ ad tumulum sancti Firmini, a sancto Salvio translati, legitur, accedit ad hæc tempora, quibus sub Theoderico filio Childeberti sanctus Salvius rexisse dicitur. Confirmatur hæc sententia tempore inventionis corporis sancti Firmini. Constat enim ex Guiberto abbate Novigenti auctore suppari, certas non esse ejusdem martyris reliquias quæ asservantur in cathedrali. Constat ex manuscripto sancti Victoris ab Acherio edito, ad monasterium sancti Dionysii translatas fuisse a Dagoberto I. Constat ex eodem Guiberto fundatas esse quas Sandionysiani ostendunt. Dagobertus autem ab anno 622 ad E 638 regnavit, ac proinde constare debet inventum sancti Firmini martyris corpus a S. Salvio fuisse ineunte seculo septimo.

Lib. II Ob. ad 11 Januarii.

Alterius sententiæ hæc momenta sunt non Acharium, sed Hautgarium episcopum Noviomensem Mummoleni post sanctum Eligium successorem, ad electionem Salvii procurandam, missum fuisse a Theoderico, qui cepit imperium anno 670; Acharium vero minime sedere cœpisse imperante Childeberti filio Theoderico, qui anno 612 obiit. Deinde in actis sancti Salvii, totum regnum Francorum Theodericus rex Salvii consilio ordinabat, quod minime dici potest de Theoderico II, qui partem tantum regni obtinuit. Præterea Salvius qui concilio Rotomagensi adstitit sub Ansberto metropolitano, non videtur distinguendus a Salvio Ambianensi episcopo. Inde concludit Cointius non sub Theoderico II floruisse Salvium, sed sub Theoderico III, qui anno 671 throno impositus, postea dejectus, in monasterio S. Dionysii privatam egit vitam ad annum 674, quo occiso Childerico ejus æmulo, iterum ad regiam dignitatem est evectus. His ductus conjecturis Cointius post Beatum locum dat sancto Honorato, quem inter & S. Salvium numerat Deodatum, Berhardum quem eumdem putat cum Berchundo, Bertefridum & Dadonem. Cointio favere videtur Mabillonius, tum in observationibus præviis ad acta translationis sanctorum martyrum Fusciani, &c. tum in annalibus ad annum 555, n. 49, ubi docet hanc translationem factam fuisse sub Childeberto Chlodovæi I filio, & paulo post fundatum a Fredegunde sancti Fusciani monasterium. Ex hac sententia sanctus Salvius successit Dadoni, non Honorato, contra præfatorum actorum fidem. Illa quidem corrupta fuisse pene constat, neque enim possunt enodari difficultates omnes quibus scatent: non inde tamen auctoritati Cointii postponenda duxerunt plures eruditi viri, nec nos ducimus, donec aliquid certius nobis constet, unde difficultates quæ torserunt quotquot de his episcopis scripsere, felicius dissolvantur.

Sec. IV Benedict. p. 2, p. 439.

Defunctus Salvius Ambiani sepultus est in ecclesia beatæ Mariæ quam construxerat. Ejus reliquiæ, post annos multos, ad vicum Monasteriolum translatæ sunt. In breviario Ambianensi, ad IV calendas Novembris, duas Ambiani construxisse ecclesias legitur, alteram nomine sanctorum apostolorum Petri & Pauli, quæ nunc sancti Firmini confessoris dicitur, in qua ejus reliquias collocasse dicitur a Cointio, quo fundamento ignoratur; alteram beatæ Mariæ, in qua posuit corpus sancti Firmini martyris, &c.

X. S. Berchundus.

Leucanaum locum secretum, & remotioris vitæ & habitatui monachorum satis aptum, in quo Berchundus pontifex Ambianensis diebus quadragesimæ contemplationi vacabat, sancto Walarico regio præcepto, cum consensu prædicti episcopi, cessit Clotharius II Chilperici I 611.
filius. Defunctus Walaricus anno exeunte 622 622.
juxta arborem in qua Berchundus sanctorum reliquias suspendebat, in vertice montis reconditus est; unde frustra Ambianum corpus ejus deferre conatus est Berchundus, qui jam mortuus anno 627, in vita sancti Walarici beatus, in 627.
pervetusto episcoporum catalogo inscribitur sanctus, & invocatur inter sanctos confessores in veteribus ecclesiæ Ambianensis litaniis.

Sec. II Bened. p. 76.

XI. Bertefridus.

Subscripsit synodo Cabilonensi anno 644, 644.
immunitati concessæ monasterio sancti Dionysii

ANNI CHRISTI a Landerico episcopo Parisiensi circa annum
652, privilegiis quæ Emmo Senonensis con-
652. cessit anno circiter 658 monasteriis sanctæ Co-
658. lumbæ & sancti Petri vivi, & donationi insulæ
Sithiu pro ædificando monasterio facta a sancto
Audomaro Morinensi episcopo 18 Maii anno
660. circiter 660. Dedicationem monasterii Cor-
beiensis celebravit adstantibus tredecim episcopis
662. anno 662, huicque privilegium immunitatis a
Prol. lib. eccles. Gall. p. 1449. jurisdictione episcopi impertitus est VIII id. Sept.
anno septimo Chlotharii regis. Hujus frequens
mentio in privilegiis a summis pontificibus &
regibus Francorum huic cœnobio concessis, col-
lectisque magna ex parte tom. VI spicileg. pag.
397 & seq. Memoratur adhuc Bertefridus in
privilegio sancti Drausii Suessionensis dato anno
666. 666 cœnobio beatæ Mariæ.

XII. Thodefridus.

Ex monacho Luxoviensi primus abbas Cor-
beiæ Theodefridus, ex abbate factus episcopus
670. anno 670, Corbeiæ rectorem, volente rege
Charta II. col. 281. Theoderico, constituit Chrodegarium, quo mor-
681. tuo anno 681, cum voluntate Theodefridi epis-
copi elegerunt monachi Erembertum abbatem.
Id patet ex diplomate Theoderici regis confir-
mantis electionem Eremberti post mortem Chro-
degarii, quorum utrumque Theodefridus epi-
scopus ordinavit: atqui a nullo debuit ordinari
præterquam ab episcopo Ambianensi ex privi-
legio Bertefridi: *Cum abbas Corbeiæ fuerit de seculo isto evocatus, quem unanimiter congregatio ipsius monasterii ex semetipsis dignum & bonum elegerint, data auctoritate a præfato principe vel ejus successoribus, a nobis vel successoribus nostris, absque ullo commodo secundum sanctos canones ordinetur.* Hinc Theodefridum Ambianensem, non Cameracensem, ut quidam autumant, episcopum fuisse rite concluditur. Toto fere Theoderici regis principatu sedit.

XIII. Deodatus.

Beatum sequitur Deodatus in indice Corbeiensi, & Bertefridum in Ambianensi.

XIV. Dado.

Uterque forte extra ordinem positus est.

XV. Ursinianus.

Ursinianus idem sane ac Ursimanus, Versi-
manus & Bertmannus, memoratur in placitis
Chlodovæi de Nocido super fluvium Iseræ anno
692. 692, & Childeberti de Nocito villa anno 697,
697. Diplomat. pag. 474 & 479.

XVI. Dominicus.

Interfuit Dominicus translationi S. Lamberti
721. apud Leodium anno 721.

XVII. Christianus.

Qui Astorico ad Lingonenses infulas, circa annum 713, assumto, Reomaensis abbas electus fuerat Christianus, ad Ambianensem cathedram assumtus, sanctam Wlfiam virginem sacro velamine amicisse dicitur a Saussayo.

XVIII. Raimbertus.

Ex abbate sancti Walarici, juxta nonnullos,
Raimbertus factus episcopus tempore Childerici
Francorum regis, memoratur inter episcopos,
tum Galliæ, tum Germaniæ, ad quos Zacharias
papa direxit anno 748 epistolam XI, hortatus 748.
eos ut collaborent evangelio Christi una cum
Bonifacio archiepiscopo sedis apostolicæ vicario.
Adstitit exsequiis sancti Venantii martyris a Gi-
sleberta apud Ariam an. 766 celebratis, auctore 766.
Malbranco, lib. V, cap. 24.

XIX. Vitulfus.

Vitulfus, qui Aitulfus, scribitur post Raimbertum in vulgatis episcoporum elenchis, & post eum,

XX. Georgius.

Georgius, dictus aliquando Gregorius, unus
e duodecim episcopis qui ecclesias sancti Salva-
toris & sancti Benedicti in monasterio Centu-
lensi dedicarunt calendis Januarii 798, & e 798.
quatuor qui tredecim altaria ecclesiæ B. Mariæ
consecrarunt in nativitate ejusdem VI idus Sep-
tembris anni ejusdem. Huic attribuuntur quæ-
dam chronica a Josepho Scaligero post Eusebii
chronicon edita.

XXI. Jesse.

Jesse, seu Jessæus, altare sancti Raphaëlis in
porta orientali ecclesiæ Centulensis consecravit
pridie nonas Septembris 799. Missus Domini- 799.
cus anno eodem cum multis præsulibus obviavit
Leoni papæ III ad Carolum-Magnum prope-
ranti, eumdemque cum duobus archiepiscopis &
tribus episcopis comitatus est Romam repeten-
tem, ubi cum aliis episcopis in papæ hostes in-
quisivit qui ducti sunt in Gallias. Inibi adfuit VIII
calendas Januarii indict. IX anno 800 inunctioni 800.
Caroli-Magni, privilegiumque hac die a summo
pontifice pro Centulensi monasterio impetravit,
ut totius monasterii ac villæ circumpositæ curam
ecclesiasticam solus haberet abbas, nec quidquam
episcopus Ambianensis de ecclesiis aut clericis
ejusdem loci posset constituere. Illud habes tom.
2 Annal. pag. 349. Anno 802 legatus mitti- 802.
tur a Carolo-Magno imperatore ad Irenem Au-
gustam Constantinopolim cum Helmengaudo
comite pro pace & conjugio cum ea contrahen-
dis, & anno sequenti remittitur cum legatis a 803.
Nicephoro, qui, missa in exilium Irene, impe-
rium invaserat. Misso Dominico data sunt ei,
anno 805, a Carolo imperatore capitula, quæ 805.
secum deferret omnibus hominibus significanda.
Anno circiter 808 a Carolo Ravennam mittitur 808.
ad Leonem III, qui de eo conquestus est epi-
stola 7. Interfuit concilio Aquisgranensi 809 809.
mense Novembri, ex quo Romam missum cum
Bernario Vormatiensi antistite & Adalardo ab-
bate, in quæstione Spiritus Sancti cum papa
collocuturum, quidam volunt, refragante optime
Cointio. Præsens fuit & subscripsit ordinationi Tom. VIII. pag. 117.

ANNI CHRISTI

testamenti Caroli-Magni anno 811. Absuisse videtur anno 812 quum catechisticam ad sacerdotes suæ diœcesis scripsit epistolam quos do-
811. cet quomodo se gerere debeant erga neophytos
812. & catechumenos; hanc enim scripsit eodem fere tempore quo suas Amalarius & Theodulfus lucubrationes exararunt. Edita est a Johanne Cordesio post Hincmari opuscula & in bibliotheca patrum. Synodo a Wlfario Remensi archiepiscopo Novioduni habitæ anno 814 adsuit, sicut
814. & synodo apud Theodonis villam anno 821
821. & Parisiensi anno 829. Insequenti cum mag-
829. natibus palatii Jesse Ludovico pio Compendium
830. accedenti obviavit, ad imperatorem e regno deturbandum; ideoque anno eodem particeps conjurationis filiorum Ludovici qui bellum patri indixerant, in conventu Noviomagensi, tanquam majestatis reus & perfidus, episcoporum judicio a dignitate ejectus fuit. Postea tamen in gradum pristinum ab Ebone Remensi archiepiscopo restitutus, in concilio Compendiensi Lu-
833. dovici exauctorationi anno 833 consensisse videtur, sin minus post concilium revocatus fuit. At anno 834 Ludovico reposito, secutus Lotharium a fratribus patris sui ultoribus in Italiam fugere compulsum, ibidem immissa initio Septembris anni 836 lue, quæ præcipuos Lotharii fautores & amicos e medio sustulit, extinctus quoque est Jesse quondam Ambianensis episcopus.

Sigehardus post Jesse reponitur in catalogo Corbeiensi, & post eum

XXII. Ragenarius.

Ragenarius, Raginerius, Raynardus, an. 833,
834. seu potius 834. subscripsit privilegio Aldrici Senonensis archiepiscopi pro abbatia sancti Remigii
835. ad Vallilias transferenda. Anno 835 interfuit concilio apud Theodonis villam, in quo Ludovicus pius restitutus est, dejectusque Ebo archiepiscopus Remensis, qui imperatoris depositio-
837. nem procurarat. Astitit anno 837 concilio apud
840. Carisiacum habito. Anno 840, post mortem Ludovici pii, quum Lotharius imperator Ebonem sedi Remensi reddidisset, ejus apologetico Ragenarius cum suffraganeis subscripsit. Circa an.
842. 842 privilegio Aldrici, de quo supra, pro monasterio sancti Remigii Senonensis, a Wenilone successore confirmato, sigillum apposuit. Con-
843. ventui Germiniacensi adsuit anno 843, & subscripsit privilegio Caroli regis pro S. Launomaro.
844. Anno 844 quum esset in exercitu Caroli Calvi, quem debellavit Pipinus in agro Encolismensi, cum multis aliis episcopis & nobilibus capitur.
845. Anno 845 adfuit concilio Bellovacensi mense Maio, in quo electus est Hincmarus Remensis in locum Fulconis mortui, qui Caroli Calvi favore sedem Remensem, deposito Ebone, occuparat. Eodem anno sedit in concilio Meldensi 17 Junii pro reformanda ecclesiæ disciplina con-
846. gregato, & 846 in synodo Parisiensi, in qua
847. subscripsit privilegio Corbeiensi. Anno 847 ibidem convenit ad aliam synodum ab Hincmaro contra Ebonem congregatam, qui videlicet ad-
848. huc sedi Remensi insidiabatur. Interfuit an. 848

A synodo Carisiacensi in qua damnatus Gothescalcus. Occurrit adhuc in diplomate Odonis Bellovacensis antistitis, quo statuitur mensam capituli Bellovacensis separandam a bonis episcopi, & quinquagenarius canonicorum numerus decernitur, Suessioni in majori ecclesia edito cal. Martii. Quid de charta sentiamus vide in Bellovacensibus. *Chart. III, col. 243.*

Raginarium sequitur Richardus in catalogo Corbeiensi & Richardum

XXIII. Hilmeradus.

Electus dicitur Hilmeradus mense Junio anno 849, procurante Carolo Calvo imperatore. De B eo hæc scribit Lupus Ferrariensis ad Hincmarum Remorum Archipræsulem epist. 79. *Hilmeradus, quem rex Ambianensium esse episcopum jussit, quadam mihi necessitudine conjunctus est, cui, supplico, prosit, quod apud vos plurimum valeo. Nam licet forsitan desit ei aliquid eruditionis, tamen poterit esse utilis quum & vestræ doctrinæ parebit. Etsi plene non potest docere instituta divina, poterit tamen facere unde & ipse & eum sequentes efficiantur salutis æternæ capaces.* Ad cujus intelligentiam textus legendus Baluzius in notis ad Lupum Ferrariensem, pag. 421. Hilmeradus interea adsuit an. 849, mense Novembri, concilio Parisiensi con- 849.
C tra Nomenoium Britanniæ ducem. Anno 850 850.
Hilmeradi fit mentio in charta Angilguini & Rimuldis ecclesiæ Ambianensi benefacientium. *Spicileg. Tom. XIII, pag. 260.*
Sedit anno 853 in conciliis Suessionensi II & Vermeriensi II. Anno eodem præsens fuit editioni capitularium a Carolo Calvo factæ apud Silvacum, ubi numeratur inter missos a rege 853.
per regnum. Interfuit anno 855 concilio apud 855.
Bonoilum, & Tullensi apud Saponarias mense Junio 859, quo anno Normanni Ambianum 859.
rapinis & incendiis vastarunt. Anno 860 venit 860.
Hilmeradus ad Tullense II concilium apud Tusiacum. Sedit anno 861 in Pistensi Suessiones 861.
D anno 862 translato, & subscripsit privilegiis 862.
sancti Martini Turonensis & sancti Dionysii. Concilio Vermeriensi adstitit anno 863, in quo 863.
abbatia S. Carilesi a Roberti regis jurisdictione absoluta est. Anno 865 concessit reliquias mo- 865.
nachis sancti Richarii. Subscripsit 866 privilegio sancti Vedasti Atrebatensis apud Vermeriam. *Spicileg. tom. IV. pag. 505.* 866.
Misit anno 868 legatos ad synodum Carisiacensem, ubi examinatur Willebertus electus Catalaunensis. Synodo Vermeriensi adsuit an. 869. 868. *Chart. III, col. 149.*
Denique per Geroldum presbyterum concilio 869.
Duziacensi primo adsuit anno 871, ubi agitata 871.
Hincmari Laudunensis causa. Inter plures quas E ad Hilmeradum scripsit epistolas Hincmarus Remensis archiepiscopus, una exstat, in qua redarguit eum quod in torpore negligentiæ requiescens, pravorum consiliis uteretur, quum & ætate & corporis infirmitate ad finem vitæ urgeri videretur. *Flodoard. l. 3. c. 23.*

XXIV. Geroldus.

Geroldus ille forte presbyter, quem nomine Hilmeradi episcopi legimus interfuisse concilio Duziacensi anno 871, episcopus Ambianensis convenit ad synodum Cabilonensem anno 875 875.
cum

ANNI CHRISTI
cum 45 episcopis, aut saltem subscripsit privi-
legio ibidem Tornutianis concesso. Concilio
Pontigonensi cum plurimis episcopis subscripsit
876. anno 876, ubi electio Caroli Calvi imperatoris
facta ab episcopis & optimatibus Italiæ apud Ti-
cinum, a Cisalpinis confirmatur, agiturque de
877. primatu Senonensi. Anno 877 sigillum appo-
suit epistolæ ordinatorum Hedenulfi Laudunensis
episcopi ad clerum & plebem Laudunensem.
Notatur ejus obitus in necrologio Corbeiensi
880. 25 Septembr. Anno 880 Ludovicus & Car-
Baluz. Miscell. tom. II. pag. 305. lomannus apud Ambianos regnum suscipiunt &
dividunt mense Martio. Anno 881 Normanni
Quercet. tom. II. pagin. 527. Ambianos & urbes finitimas vastarunt.
881.

XXV. OTGARIUS.

Otgarius, qui Otgerus, & in pancharta nigra
Turonensi Otgerius, diu fuerat canonicus quum
Ibid p. 454. factus episcopus Ambianensis sanctorum marty-
rum Victorici, Fusciani & Genciani corpora,
Ambianis olim sepulta, sollicite quæsivit &
sagaciter invenit: e quibus corpus S. Victorici
893. ecclesiæ sancti Quintini largitus est anno 893,
corpus vero sancti Genciani monasterio Cor-
beiensi. Consecrationi Herivei archiepiscopi Re-
900. mensis adfuit anno 900 pridie nonas Julii,
Ch. VIII. col. 17. unusque ex episcopis fuit qui eodem tempore
sententiam excommunicationis tulerunt Remis
adversus homines Balduini comitis Flandriæ ob
Fulconem Remensem archiepiscopum interfe-
ctum. Subscripsit anno eodem privilegio Roberti
comitis & abbatis sancti Martini. Bullam a Chri-
904. stophoro papa pro Corbeia obtinuit anno 904.
909. Adfuit anno 909 VI calend. Julii concilio Tro-
921. sleiano, & 921 alteri Trosleiano. Procurato-
923. rem vero misit an. 923 ad concilium Remensis
provinciæ, in quo indicta est pœnitentia iis qui
bello Suessionensi inter Robertum & Carolum
924. reges interfuerant. Tertium convenit an. 924
ad synodum Trosleianam pro pacificatione co-
mitis Stephani cum ecclesia Cameracensi. Anno
925. 925 Ambianorum civitas fortuito conflagravit
incendio. Centenario major Otgarius e vivis
928. exemtus est anno 928, ut refert Flodoardus in
Quercet. ibid. p. 598. chronico: *Otgarius Ambianensium præsul, vir san-
ctus & plenus dierum, obiit, cujus vita usque ad
annos centum & amplius prolata refertur.* Ejus an-
niversarium quotannis solenniter celebratur cal.
Augusti in ecclesia Corbeiensi.

XXVI. DEROLDUS.

Ex medico episcopus Ambianensis fit De-
929. roldus, al. Deraldus, anno 929. Interfuit
Ibidem. anno 941 concilio Suessionensi, eodemque ab
941. episcopis Laudunum missus est cum Artaldo Re-
Chart. IX. col. 15. mensi archiepiscopo, qui Artaldi de cessione
944. consilium sciret. Anno 944 Ludovico regi Am-
Quercet. tom. II. pagin. 608. bianum urbem, quam tenebat Odo filius Heri-
berti, recipienti favit. Vita decedit anno 946,
Ib. p. 611. seu potius anno 947, quo IV idus Aprilis,
947. indictione V, epacta XXVI, regnante Ludo-
Flodoard. Hist. eccles. Rem. l. IV. c. 35. vico rege anno XII, Geraldi Ambianensis epi-
scopi legitur nomen inter subscriptiones episco-
porum qui Lauduni clavati cum proceribus & rege
A ibidem congregatis approbarunt Transmari No-
viomensis episcopi chartam Bertæ Humolariensi
abbatissæ concessam. Geraldum enim eumdem
esse cum Deroldo facilis amanuensium error
persuadere potest.

XXVII. TETBALDUS I.

Suessionensis ecclesiæ archidiaconus Tetbaldus
ab Hugone archiepiscopo Remensi, sed pontifi-
catu pulso, annitente avunculo suo Hugone, or-
dinatur Ambianis anno 947 auctore Flodoardo: *Hist. eccles. Rem. l. IV. c. 33.*
sed communione privatus anno 948 in concilio
B Trevirensi a Marino sedis apostolicæ legato, & *Quercet. tom. II. pagin. 611.*
depositione cum Ivone Silvanectensi mulctatus,
non solum civibus acceptus non fuit, sed etiam 948.
expulsus est anno 949. Idcirco ab aliquibus
pseudoepiscopus tantum censetur, nec inter an-
tistites legitimum obtinet locum in catalogis.

XXVIII. RAGEMBALDUS.

De Ragembaldo, in catalogo Corbeiensi
Ramboldo, sic apud Flodoardum legitur ad an-
num 949: *Ambianenses Tetbaldum, quem eis* 949.
Hugo constituerat episcopum exosi, castrum Arnulfo *Ibid. p. 615.*
comiti produnt, qui advocans regem Ludovicum,
C *oppidum ipsum cepit, Tetbaldum expulit, Ragem-
baldum illuc Atrebatensem quemdam monachum,
quem iidem Ambianenses prius sibi delegerant, in-
troduxit, quique Remos a rege perductus ordinatur
episcopus ab Artoldo archiepiscopo.* Quandiu sederit
Ragembaldus ignoramus; forte non ultra annum
950, quo Hugo cum exercitu Ambianensem
petens urbem, in turri quam Ragembaldus epi- *Chronic. Flodoard.*
scopus tenebat, receptus est. Quod autem de
eo addunt Sammarthani, destituitur fundamento.

XXIX. THEOBALDUS II.

Ramboldum sequitur Theobaldus in catalogo
D Corbeiensi, idem sane ac Tetbaldus, de quo
supra, qui Ragembaldi locum occupaverit. Cum
Adalberone Remensi archiepiscopo interfuit sy-
nodo provinciali in pago Tardanensi mense Maio
972 apud montem Sanctæ-Mariæ, & cum eo- 972.
dem metropolita subscripsit anno 974 præcepto *Chart. XIII. col. 18.*
Lotharii regis pro monachis sancti Theoderici 974.
in locum clericorum substitutis. At quum ab *Chart. XIV. col. 19.*
Hugone pseudoepiscopo Remensi ordinatus fuis-
set cui semper adhærebat, sedem apostolicam *Concil. t. IX. p. 721.*
appellavit, nec adiit, synodis Remensibus adesse
recusavit; ideoque in synodo Romana an. 975 975.
qua Bonifacius damnatus est, incurabilis prius
E repertus in Remensi, VIII calendas Octobris
anni ejusdem a Stephano sedis apostolicæ legato
& Adalberone Remensi archiepiscopo damnatus
& excommunicatus est.

XXX. ALMANNUS,
seu ALVIANUS *aut* ALMARUS.

XXXI. GOTESMANNUS.

Gotesmannus, Godesmannus, Godelmannus
& Godismannus Lotharii IV Ludovici Transma-
rini filii & Carlovingiorum ultimi nepos, Bru-
nonis episcopi Lingonensis & Arnulfi Remensis

ANNI CHRISTI

archiepiscopi consanguineus, sigillum apposuit suum compositioni inter monachos Corbeienses
985. & vicecomites Ambianenses anno 985. Sub-
Chart. III. col. 283. scripsit anno 987 chartæ Hugonis regis pro im-
987. munitate monasterii Corbeiensis, & privilegio Arnulfi Remensis archiepiscopi de immunitate
989. & donatione burgi sancti Remigii anno 989
991. indict. II. Interfuit XV calendas Julii 991 synodo Remensi apud Sanctum Basolum, in quo depositus est Arnulfus metropolita, cujus facti auctores episcopos sacris interdixit Johannes summus pontifex. De eo in necrologio Corbeiensi: *VII idus Januarii Godemannus episcopus Ambianensis nostræ congregationis.*

XXXII. Fulco I.

D'AMIENS. Galterii comitis Ambianorum, Vulcassini, Pontisaræ ac Meduntæ, Franciæ vexilliferi, ex Aleide Crespeia natu minor Fulco, interfuit an.
993. 993 concilio Remensi sub Gerberto, qui circa id tempus commonitorium ad eum scripsit epi-
Querc. tom. II. pagin. 841. stolam 47, incusans eum quod annorum teneritudine & morum levitate pondus sacerdotale nondum ferre didicisset, & res ecclesiæ diripuisset. Restitutioni factæ monasterio S. Crispini
995. Suessionensis subscripsit anno 995, sicut & 996
996. chartæ Roberti regis de homine debito abbatiæ sancti Dionysii a Burchardo de Montemorenciaco. Huic & Balduino Tarvanensi scripsit Johannes XVIII summus pontifex qui sedit ab anno 1003 ad 1009, ut Ingelardo abbati Centulensis monasterii bona recuperare studenti opem
1008. ferrent. Sedit Fulco anno 1008 in synodo Calensi, & testis fuit chartæ Roberti regis urbem S. Dionysii Viviano abbati confirmantis.
1015. Concilio Remensi adsuit anno 1015. Diplo-
Chart. III. col. 361. mati Roberti regis pro ecclesia Noviomensi an.
1017. 1017 subscripsit & chartæ Willelmi abbatis Divionensis libertatem Fructuariensis cœnobii asserentis. Literis Arnulfi archiepiscopi Remensis pro Mosomensi monasterio Lauduni datis
1018. anno 1018 nomen suum apposuit, & donationi Varini Bellovacensis episcopi in gratiam ecclesiæ
1023. sancti Vedasti Atrebatensis anno 1023 & alteri
1024. 1024. Adsuit anno 1027 in festo pentecostes
1027. Remis coronationi Henrici regis filii Roberti, & subscripsit præcepto Roberti regis pro Gemeticensibus. Unus est ex episcopis quibus capitula Noviomense & Tornacense electum significarunt
1030. Hugonem circa annum 1030. Fulconi quoque scripsit Gerardus Cameracensis episcopus, rogans ut qua apud regem gratia pollebat, Drogonem Morinensem episcopum adjuvaret, qui multa patiebatur a Balduino Barbato Flandriæ comite.

XXXIII. Fulco II.

D'AMIENS. Circa id tempus, sub initium scilicet regni Henrici I, ex chartulario capituli Ambianensis substituitur patruo nepos, Fulconi Fulco, Drogonis I comitis Ambiani & Vulcassini & Godiovæ sororis Eduardi Anglorum regis filius, qui proavos e Caroli Magni cognatione prognatos habuit, teste Orderico Vitali, lib. VII Hist. pag. 655. Fulcone præcipiente facta est a Dro-

ANNI CHRISTI

A gone episcopo Morinensi anno 1036 Corbeiæ elevatio corporis sancti Adalardi abbatis. Fulco
vero subscripsit anno 1041 chartæ Gualteri 1036.
castellani Cameracensis pro Elnonensibus, & 1041.
diplomati Henrici regis pro Corbeiensibus, quorum Richardo abbati circa id tempus altare villæ Cirisiaci concessit eo pacto, ut ipse personæ a Corbeiensibus designatæ curam animarum committeret, & ab omni conditione liberam constitueret, excepto quod bis quolibet anno synodo se sisteret institutus presbyter, & denariorum summulam, quam *honorem cathedræ* canones appellant, ut reliqui persolveret. Fulconis ad preces
B Theobaldus & Stephanus Franciæ comites dederunt ecclesiæ Ambianensi B. Mariæ & sancti Firmini alodium super fluvium Isaræ nomine
Crissiacum anno 1042. Fulconem abbatem 1042.
Centulensem sacravit anno 1045. Ad preces 1045.
Balduini Noviomensis episcopi excommunicavit
anno 1046 hominem qui Verliaci colonos in- 1046.
festabat. Subscripsit anno 1047 chartis Balduini 1047.
archicapellani pro S. Quintino, & Heriberti IV comitis Veromanduensis, confirmantis monasterio Præjectino donationem Herembaldi famuli
sui, qui ibidem monachum induerat. An. 1048 1048.
concilio Silvanectensi interfuit, in quo restitu-
C tum & confirmatum monasterio sancti Medardi
castellum de Vico. Anno 1049 a Leone IX 1049.
Fulconem Ambianensem cum Senonensi & Bellovacensi episcopis excommunicatum vult Baronius, eo quod synodo Remensi non interfuisset, quæ invito rege Henrico congregata fuerat. Hariulfus tamen in chronico Centulensi asserit Spicileg. tom. IV. pagin. 615.
Fulconem a Leone non fuisse excommunicatum quia Gervinus I abbas sancti Richarii pro illo intervenerat. Eodem quoque in concilio agitata Corbeiensium causa de immunitate a Fulcone impetita, uterque vocatus est Romam. Quo enim tempore Galterius comes Corbeiæ vice-
D comitatum, eodem Fulco successoris sui tunc archidiaconi instinctu, justitiam loci & clericorum obrepsit. Misit itaque Romam Guidonem & Johannem archidiaconos contra Fulconem abbatem Corbeiensem hujus monasterii privilegia impugnaturos; sed jam reverso Fulcone abbate, ad synodum Vercellensem pars utraque invitata
est, in qua anno 1050, nec episcopo, nec le- 1050.
gatis comparentibus, abbas privilegiorum suorum confirmationem obtinuit. Anno eodem Gervi-
nus Centulensis abbas Romæ positus, a Leone
papa consecutus est fere parem cum episcopo Ibid. p. 597.
potestatem, quia pontifex compererat Ambia-
E norum præsulem tunc temporis Fulconem, non animarum saluti, sed volucrum captioni & fe-
rarum venatui studere. Anno 1057 Fulco regi 1057.
acceptus privilegium ab eo obtinuit pro decano & canonicis ecclesiæ Ambianensis datum Suessionis, in quo hæc præsertim notanda: *Quocirca,* inquit, *cernentes quædam loca sancta, perditis eorum per incuriam privilegiis, violenter impeti, maximeque ecclesiam quæ est Ambianis, jam olim Normannis insistentibus, & usque ad solum eam perdentibus, non solum privilegia, sed & terras & cetera quæ illius fuerant amisisse, operæ pretium duximus,*

ANNI CHRISTI *adhortante nos Fulcone episcopo Ambianensi & Galtero comite, ad quem Ambianicæ civitatis administratio pertinebat, concedente, sicut per redditam pacem plurima prædicta reparaverat, etiam instau-*
1058. *rare privilegia.* Anno 1058 subscripsit Fulco chartæ ejusdem Henrici I regis, abbatiæ sancti Germani Pratensis concedentis ecclesiam in castro
Annal. tom III pagin. 723. Drocensi. Anno eodem, circa festum paschæ, ab Henrico rege cum Enzelino Parisiensi missus fuit ad Guillelmum nothum tunc Normanniæ ducem ad confirmanda pacis fœdera. Denique obiit Fulco anno 1058.

DE PONTHIEU.

XXXIV. Guido.

Spicileg. tom. IV. pagin. 615. Ingelranni I comitis Pontivi filius Wido, Hugonis II etiam comitis & Fulconis abbatis Forestimonasterii frater, patruus autem Widonis comitis, Angelranni abbatis Centulensis in studio literarum discipulus fuit, cujus epitaphium scripsit. Ambianensis erat archidiaconus an. 1049 quum a Fulcone episcopo Romam missus est, abbatem Corbeiensem apud summum pontificem accusaturus. Factus est autem post Fulconem episcopus anno 1058 qui componitur cum primo ordinationis ejus anno in lamina plumbea inventa in capsa sancti Ratberti Pascasii 3 Sept. 1710, ibidem inclusa in monimentum translationis hujus Sancti factæ IV idus Julii 1058, auctore Widone præsule Ambianensium. Anno eodem subscripsit die 5 Aug. donationi factæ ab Henrico I rege abbatiæ Hasnoniensi. Remis in-
1059. terfuit x cal. Junii 1059 sacro Philippi I. Sigil-
Chart. XX. col. 23. lum apposuit an. 1060 diplomati Henrici I pro restitutione sancti Martini a Campis. Paulo post
1060. Guido, qui quum esset archidiaconus, auctor
Chart. VI. col. 286. fuerat Fulconi episcopo, ut privilegia Corbeiensis ecclesiæ impugnaret, in ejusdem locum subro-
Annal. Mabill. tom. IV. pag. 622. gatus, nihil non aggressus est, ac primo altaria ad monasterium pertinentia aliis contulit, nec dato ab abbate pretio reddidit. 2° Clericos Corbeienses Ambianos convocavit, & detrectantes excommunicavit. 3° Conventione apud Curtracum coram comite Balduino, multisque abbatibus & clericis spreta, abbatem ipsum ad synodum vocat, ire præ infirmitate non valentem excommunicat. 4° Re ad metropolitam delata, uterque ad auditorium archiepiscopi invitatur, cui monenti injuste prolatam excommunicationem non solum non adquievit Guido, sed etiam abbatem rursus excommunicavit. 5° Quinimo interdictionem ab officio durius minanti Alexandro II summo pontifici, apud quem abbas conquestus fuerat, obsecutus non videtur Guido, nec ab inquietudine mo-
Chart. VII. col. 288. nasterii destitisse, priusquam villa *Nawrz* cum appendiciis ipsi ad vitam concessa fuerit VI ca-
1064. lend. Septembris anno 1064. Insequenti Guido
1065. subscripsit factæ in conventu Corbeiensi a Philippo rege confirmationi bonorum ecclesiæ Hasnoniensis, diplomati regis ejusdem duo altaria sancto Martino confirmantis, & pro S. Memmio
Chart. IX. col. 155. Catalaunensi, & factæ a Gauzberto milite Hugoni abbati Floriacensi donationi ecclesiæ & burgi de Kadelata in pago Wastinensi. Anno 1066
1066. Chart. IX. col. 290. instituit canonicos in ecclesia sancti Martini in

A castro Pinconii. Eodem anno videns ecclesiam Corbeiensem principis apostolorum aliorum- Chart. VIII. col. 289.
que sanctorum miræ virtutis patrociniis præditam, eamque pro modulo suo augmentare cupiens, Fulconi abbati altare Cirisiaci ob indulgentiam suæ transgressionis concessit, ea lege ut presbyterorum alter bis quotannis ad synodos diœcesanas accederet. Eodem subscripsit diplomati Flandriæ comitis pro fundatione sancti Petri Insulensis, & dedicavit ecclesiam 2 Aprilis. Eodem memoratur in placito Philippi I pro cœnobio sancti Medardi adversus Albericum Cociacensem, eique subscripsit. Anno 1067 1067.
B præsens memoratur donationi factæ Majori monasterio a Roberto de Sablolio VII idus Augusti. Adfuit dedicationi ecclesiæ S. Martini a Campis, & subscripsit diplomatibus Philippi I pro eadem ecclesia & pro monachis Floriacensibus. Anno
1069 adfuit dedicationi ecclesiæ sancti Quin- 1069.
tini Bellovacensis. Eodem anno Guidonis suasu Radulfus comes Ambianensis dimisit ecclesiæ Ambianensi omnia jura quæ comes ejusque vicecomites in terris ipsius ecclesiæ a castello de Conteio dependentia habebant. Anno 1071 1071.
sigillum apposuit privilegio ecclesiæ Corboliensi a Philippo rege concesso. Anno 1073 in loco 1073.
C oratorii ædificati ad portam Ambianensem, ubi Charta X. col. 291.
sanctus Martinus chlamydis partem pauperi dedit, Guido ecclesiam construxit, ubi sacrarum virginum loco clericos instituit, quibus omnium novalium episcopalium decimas largitus est, necnon annualia præbendarum vacantium ecclesiæ Ambianensis concessit diplomate, in quo se præsulem & procuratorem reipublicæ Ambianensis nuncupat, quia post mortem Radulfi de Crespiaco comitis circa annum 1066; Simone ejus filio minorenni, procuratio seu administratio comitatus spectabat ad episcopum, in cujus clientela erat. Anno eodem Drogo Morinensis epi-
D scopus amicitia cum Guidone conjunctissimus, quicum sub disciplina Angelranni abbatis Centulensis adoleverat, ecclesiam sancti Nicolai in claustro Ambianensi construxit. Anno 1075 1075.
Guido subscripsit confirmationi bonorum ecclesiæ Compendiensis in concilio Parisiensi male revocato in Spicilegio ad annum 1091. *Eodem*, quo Gervinus abbas Centulensis, *anno obiit Wido* Spicileg. tom. IV. pagin. 610.
Ambianensis episcopus, nostri loci amator præcipuus, inquit auctor chronici hujus monasterii. Obitum habet mense Decembri in ecclesia Ambianensi notatum his verbis: *Obitus Guidonis hujus ecclesiæ præsulis, egregii moribus & doctrina, cui quum*
E *obvenisset jure hereditario comitatus Pontivi, dedit capitulo hujus ecclesiæ XII molendina quæ habebat in civitate ista super fluvium Somonæ, successoribus vero suis episcopis dedit IV molendina quæ habebat super fluvium Arnæ.* Procuravit etiam Guido ut Drogo Bovensis dimitteret ecclesiæ Ambianensi totam advocatiam & comitatum villæ Costeneii. Abbatiæ quoque Centulensi duo dedit altaria, ut Ib. p. 585.
ad ecclesiam Amb. transmitteretur amictus auro & lapide pretioso mirifice decoratus, quem Gervino abbati dederat Edith Hetguardi Angl. regis uxor.

Virum fuisse poëseos amantem Guidonis opera

ANNI CHRISTI testantur, quem Guillelmus Gemeticensis, lib. 7 A
Hist. c. 44, elucubrasse dicit de expugnatione An-
gliæ an. 1066 a Guillelmo conquæstore Norman-
niæ duce opus non contemnendum heroico me-
tro exaratum. Ordericus Vitalis, lib. 3, Hist. de
eo sic habet: *Guido metricum carmen edidit, quo
Maronem & Papinium gesta heroum pangentes imi-
tatus, Senlacium bellum descripsit, Heraldum vitupe-
rans & condemnans, Guillelmum vero collaudans &
magnificans.* Ordericus idem describens, lib. 4,
pag. 516, accessum Mathildis reginæ uxoris
Guillelmi conquæstoris in Angliam an. 1068,
ait: *In clero qui ad divina ei ministrabat, celebris
Guido Ambianorum præsul eminebat, qui jam cer-
tamen Heraldi & Guillelmi versifice descripserat.*

5 Fulco vero, qui episcopus Ambianensis ele-
Bessy. pag. 366. ctus, non consecratus, subscripsit chartæ Phi-
lippi I regis confirmantis idibus Octobris 1076
1076. fundationem monasterii novi Pictavis, ante
consecrationem desiisse, vel mortuus esse vide-
tur, quum nulla, nec in catalogo Corbeiensi,
nec inter episcopos Ambianenses, ejus mentio
habeatur, maxime in charta Guarini, qua con-
firmat bona abbatiæ sancti Martini, ubi anno
1135 suos decessores Widonem, Radulfum,
Roriconem, Gervinum, Godefridum & Ingel-
rannum commemorat.

XXXV. Radulfus.

Accepto de laïca manu episcopii dono Radul-
fus, a Laudunensi & Suessionensi episcopis con-
secratus est inscio Manasse Remensi archiepi-
scopo, ut pote Romæ tum posito, qui reversus
Concil. t. X col. 108, 362 & 367. querelas ad Gregorium VII de hac consecra-
tione detulit. His acceptis literis summus pon-
tifex rem omnem ad Hugonem Diensem legatum
1078. suum referendam censuit literis datis ad sanctum
Germanum XI calendas Septembris, indict. 1.
1079. Hugo autem in concilio Pictaviensi, mense Ja-
nuario, tam Ambianensem pervasorem, quam
ordinatores Laudunensem & Suessionensem epi-
scopos, quibus addit Silvanectensem, ad Gre-
gorium papam remisit, ut ipse de reis sententiam
ferret, a quo depositus fuisse videtur Radulfus,
ut pote qui amplius non comparet.

XXXVI. Rorico.

1080. Concilio Meldensi anno 1080 adfuit Rorico,
1081. ad quem anno sequenti & alios vicinos episco-
pos Gregorius VII epistolam 34, lib. IX scripsit
ut Robertum Frisium comitem Flandriæ ad re-
parandas ecclesiæ Morinensi illatas injurias im-
1082. pellerent. Concilio Meldensi interfuit 1082.
Chart. III. col. 190. Literis Anselmi de Ribodimonte pro erectione
monasterii cognominis, necnon & Philippi re-
1083. gis pro eodem subscripsit anno 1083. Concilio
1084. Suessionensi adstitit anno 1084, & Compen-
1085. diensi 1085, in quo instituit canonicos regula-
Chart. XII. col. 293. riter viventes, qui sub priore in ecclesia sancti
Acheoli Deo famularentur, cum capituli consensu,
quod suum senatum appellat. Mediam partem
alodii *de Granviller* quod cum matre Hugonis
Cluniacensis monachi tenebat, dedit sancto Lu-
ciano Bellovacensi, cui aliam partem postea dicta
mulier concessit.

XXXVII. Gervinus.

ANNI CHRISTI

Haimundo & Roscelina sorore Gervini ab-
batis Centulensis parentibus natus Gervinus, ex
monacho sancti Remigii Remensis ab avunculo
factus est abbas sancti Richarii anno 1071, ut
dicemus postea: sed quum pro nihilo duceret
abbatem esse, post mortem Roriconis episcopi
Ambianensem cathedram per ambitum occupare
nisus est, non sine contradictione æmulorum,
quia malis artibus, maxime bonorum sui mo-
nasterii dilapidatione, ad episcopatum aspirabat.
Sed tandem pars ejus prævaluit, tumque ad Ur-
B banum II pontificem proficisci statuit an. 1091 1091.
ut ipsius electio auctoritate apostolica confirma-
retur, favente imprimis Rainaldo Remorum ar-
chiepiscopo, qui per suos nuncios Gervinum
electum commendavit. Hinc favorabiliter accep- *Baluz. Miscell. t. VI, pag. 380.*
tus ab Urbano, apud quem duobus mensibus
commoratus est, literas impetravit XIII calendas
Januarii ad clerum & populum Ambianensem,
quibus ejus electionem ab se approbatam, &
vitia, si quæ in ea intervenissent, condonata
significat Urbanus. Attamen in concilio Remensi *Charta XI. col. 104.*
ineunte anno 1093 simoniæ accusatus est Ger-
vinus, tum in abbatia, tum in episcopatu adi- 1093.
C piscendis. Verum quum hæc accusatio idoneo
fulta non esset testimonio, Gervinus iterum ad
Urbanum profectus, tactis sacrosanctis evangeliis *Baluz. ibid. p. 38[?].*
sacramento se purgavit, novasque a pontifice
obtinuit literas XV calendas Augusti ad clerum
populumque Ambianensem, quibus eidem Ger-
vino debitam impendi obedientiam præcipiebat,
atque a clericis continentiam servari. Prævaluit
demum Gervini causa, qui abbatiam simul cum
episcopatu retinens, biennio fere postquam ca-
thedram ascendisset anno 1093, confirmavit
omnia quæ Rorico in gratiam sancti Acheoli
concesserat, quibus quædam altaria addidit. Anno
D eodem concilio Suessionensi adfuit, & subscripsit
literis Hugonis episcopi Suessionensis pro mo-
nasterio S. Theobaldi de Basilicis. Anno 1094 1094.
interfuit concilio Remensi. Concessit anno eo-
dem præsulatus sui IV monasterio Hamensi al-
tare *de Sarton*. Adfuit anno 1095 Remis con- 1095.
secrationi Philippi Catalaunensis episcopi. Eodem *Ch. XXVIII. col. 32.*
anno ecclesiam beatæ Mariæ de Prato apud Ber- *Chart. XIII.*
tolcurtim duabus sanctimonialibus concessit, ad *col. 294.*
abbatiam virginum sub regula sancti Benedicti
construendam. Eodem adhuc anno ad Claro-
montense concilium cum Lamberto Atrebatensi
& Geraldo Tarvanensi profectus, urbem ingressus
E est XV calendas Decembris in octavis S. Martini,
quas tunc dies dominica festiviores reddidit. Hoc
autem in concilio ipsum ab Urbano II dure
habitum refert chronographus Centulensis, & *Spicileg.*
coactum fuisse dimittere abbatiam S. Richarii, *tom. II. pa-*
quam tamen per annum integrum adhuc reti- *gin. 613 &*
nuit, nec cessavit postea monachis & sibi subro- *seqq.*
gato abbati Anschero molestum se præbere,
contendens abbatiam episcopis Ambianensibus
esse subjectam. Quæ autem de illo narrat lau-
datus Hariulfus, videtur confirmare Nicolaus
Suessionensis monachus scriptor vitæ S. Godefridi

ANNI CHRISTI

Ambianensis, qui refert Gervinum non admo- A
dum sanæ mentis fuisse. Consecrationi Manassæ
Remensis archiepiscopi factæ dominica passionis
1096. 1096 adstitit. A legatis ecclesiæ Romanæ ad
Charta XV. col. 295. Pictaviense concilium cum ceteris Gallicanis præ-
sulibus convocatus, a monachis Majoris mona-
sterii perhonorifice susceptus est, quibus dedit
personatum ecclesiæ sanctæ Mariæ de villa super
Alteiam sita, quæ Villeris dicitur, die dominica
octavarum sancti Martini anno 1 ordinationis
Hilgodi ex episcopo Suessionensi abbatis hujus
1100. loci anno 1100. Memoratur anno eodem in
Chart. XVI. col. 298. charta fundationis prioratus sancti Petri apud
Abbatis villam, & in chartulariis sancti Judoci B
& sancti Salvii. Biennio post, ut videtur, de-
ficiente sumtuum materia, omnibusque clericis
Spicileg. tom. IV. pagin. 15. in ejus contumeliam effusis, sedem Ambianen-
sem relinquere coactus est, sicque clam secessit
ad Majus monasterium, ubi ab Hilgodo abbate
perhumane acceptus, & ad expurganda errata
excitatus, paucis supervixit mensibus, & IV id.
Januarii ex hac vita recessit. Obitum habet
mense Februario in ecclesia Ambianensi, cui
dederat altare de Stella.

Exstant tom. 5 Miscellaneorum Baluzii duæ
Gervini ad Lambertum episcopum Atrebatensem
pag. 283. epistolæ, quarum prima eum invitat ad transfe- C
rendas sancti Fusciani reliquias in novum fere
trum a fratre quodam magnifice præparatum.
pag. 300. Altera rogat ut quatuor monachos & unum cle-
ricum vice sua ad ordines sublimet. Ad Gervi-
num quoque scripsit Anselmus Cantuariensis
episcopus epistolam 32, lib. 3, de fratre Nor-
manno ipsius ecclesiæ professo, qui in monaste-
rio sancti Salvii abbas electus fuerat, cujus ordi-
nationi ut assensum præberet Anselmus a Ger-
vino rogatus renuit, eo quod ipso inconsulto in
Gallias trajecisset.

Floruit in diœcesi Ambianensi Gervino præ-
sulante Petrus Eremita, qui ut loquitur Willel- D
mus archiepiscopus Tyrius, lib. 1, de bello sa-
cro, cap. 11, *erat statura pusillus, quantum ad
exteriorem hominem persona contemtibilis, sed major
in exiguo regnabat corpore virtus, vivacis enim erat
ingenii.* Is Jerosolymam profectus, & habito
congressu cum patriarcha Simeone de sepulcro
Domini & locis sanctis ab infidelibus Turcis
prophanatis, reversus literas ad Urbanum II
pontificem & christianos principes detulit qui-
bus periclitanti Orientali ecclesiæ auxilium con-
ferretur; & ipse quidem divino quodam spiritu
afflatus, promotor fuit celebris illius expeditio-
nis, quæ in terram sanctam indicta est an. 1095. E
Mortuus est exantlatis pro ecclesia laboribus
VIII idus Julii anno 1115.

XXXVIII. S. Godefridus.

Duo seculi duodecimi auctores contraria de
sancto Godefrido scripsere, Guibertus ejusdem
proximus in abbatia Novigenti successor, & Ni-
colaus sancti Crispini Suessionensis monachus;
ille vir gravis & maturæ ætatis, hic adolescens,
qui vix pubertatis annos excesserat quum ad
scribendam Sancti vitam se accinxit, alter coæta-
neus, suppar alter: insignis doctrina ac dignitate
primus, secundus simplex cœnobita & notus
solummodo ex vita S. Godefridi Ambianensis
episcopi, quam ex relatione quorumdam con-
texuit. Hic perpetuis Godefridum extollit laudi-
bus, paulo iniquior in sanctum antistitem aliqui-
bus visus ille, & in ejus causa nonnihil suspectus,
sancti tamen viri virtutes & recta facta dilaudat,
ob idque majoris adhuc ponderis esse debet ejus
testimonium: sed utrumque discutiamus. Am-
bianensis sedes aliquandiu, per biennium scilicet,
vacaverat, quum præmissis jejuniis ac precibus
de eligendo successore actum est. Electus est
autem, Nicolao teste, Godefridus Novigenti in
pago Laudunensi abbas, sive ut placet Guiberto,
archidiaconus quidam Ambianensis, cujus in
concilio Trecensi procuratorem egit Godefridus.
Hujus electio Philippo regi probata, ut vult
Nicolaus, confirmata est in concilio Trecis ha-
bito mense Aprili 1104. Huic certe, sive abbas 1104.
Novigenti, seu electus Ambianensis, aut archi-
diaconi procurator, adfuit Godefridus, unde visis
& auditis de electione Ambianorum legatis, fu-
gam meditans, a Richardo cardinale & episcopis
interceptus est, & ab omnibus Ambianorum
episcopus proclamatus. Remis consecratus a Ma-
nasse metropolitano, adstantibus Lamberto Atre-
batensi & Johanne Morinensi episcopis qui ejus
latus stiparunt, tum Ambianos veniens nudis
pedibus ecclesiam sancti Firmini martyris est in-
gressus. Primo episcopatus anno IV cal. Martii
1104 (1105) monachis Lehunensibus confir- 1105.
mavit donata a Roberto Juniore comite Flan- Spicileg. tom. VIII. pag. 163.
driæ, &c. & biduo post pridie calendas Martii
concessit monachis sancti Martini a campis ec- Hist. S. Mart. pagin. 349.
clesiam de Linigeio. Anno eodem ecclesiam
sancti Remigii in bosco largitus est monasterio
sancti Fusciani, cujus fundationem seu restaura-
tionem confirmavit in synodo clericorum suorum Ch. XVIII. col. 299.
Ambiani anno 1105. Insequenti prioratum 1106.
sancti Petri apud Abbatis villam confirmavit, &
donato altari de Condeto a Manasse archiepiscopo
Remigianis monachis subscripsit Remis, ubi tunc
versabatur de monachis sancti Walarici conque-
sturus, si sincera sit Walaricianæ controversiæ
narratio, quam postea expandemus, atque statim
in Italiam profectus ad summum pontificem,
inde redux ecclesiam Aroasiensem cum Johanne
Tarvanensi, rogatus a Lamberto Atrebatensi,
solenni ritu consecravit IX cal. Octobr. 1106.
Concilio Trecensi, cui ipse pontifex Paschalis II
præerat, mense Maio 1107 interfuit, ibique 1107.
confirmari curavit ecclesiam S. Remigii sancto
Fusciano a se prius donatam. Anno eodem *quum
corpus Firmini martyris*, verba sunt Guiberti, *ut* pag. 336.
*putabat, quatenus de theca in thecam efferret, nul-
lum inibi pitacium, ne unius quidem literæ testimo-
nium, quis ibidem jaceret invenit, ab Atrebatensi &
ipso Ambianensi episcopis audivi quod refero. Qua
de re urbis episcopus plumbeæ laminæ mox inscripsit,
quod illic conderetur Firminus martyr Ambianorum
episcopus. Nec mora in monasterio sancti Dionysii
idem actitatur. Parata ab abbate ornatiori capsa
dum inde extollitur, dum cum membris caput evolvitur,*

ANNI CHRISTI *membranula in martyris naribus reperitur, in qua quod* A *esset Firminus Ambianensis martyr expromitur.* Hæc quidem Guibertus, quæ optime conveniunt cum temporibus jam a nobis assignatis inventionis sancti Firmini martyris & episcopatus sancti Salvii, necnon donationis reliquiarum sancti Firmini a Dagoberto I rege monasterio sancti Dionysii factæ, quam e veteri codice ms. bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis edidit Lucas Acherius in notis ad Guibertum pag. 567. Hic obiter observandum urbem totam Ambianum pene incendio consumtam fuisse die 16 Octobr. 1107.

1108. Anno 1108 mense Maio datis apud sanctum Ch. XIX. col. 301. Quintinum de Monte, ubi versabatur Godefri- B dus, ad Baldericum Noviomensem episcopum literis eum rogat ut quemadmodum Cameracensis & Atrebatensis ecclesiarum chronica scripserat, ita etiam res in Ambianensi diœcesi gestas literis mandaret, ne perantiquæ ecclesiarum fundationes, & jam injuria hominum diruta pleraque claustra oblivioni perpetuæ traderentur. Ex quibus literis satis compertum est, inquiunt Sammarthani, dignam esse rem episcopali sollicitudine ecclesiarum origines & monumenta perquirere, & iis quasi vitam restituere quos & mortis ac temporum calamitas oblivioni damnarat. Anno eodem Godefridus accersitur a fami- C liari suo Balderico episcopo Noviomensi, quum Charta XI. col. 371. Odo Hamensis castri dominus ei concessit dominium ecclesiæ Hamensis, & de Godefridi assensu intromissi canonici regulares. Anno adhuc 1108 monasterio sancti Arnulfi Crispeiensis altaria Charta XI. col. 208. quædam contulit instrumento in ecclesia Ambianensi dato die 8 Novembris. Confirmavit anno

1109. 1109 concordiam qua capitulum Ambianense cedit monachis de Lehuno ecclesiam *de Fortincourt* pro quinque modiis frumenti annui reditus. Eodem anno ad limina sanctorum Apostolorum profectus, Papiæ in Italia in somnis cognovit sancti Hugonis abbatis Cluniacensis ex hac vita D discessum, qui Cluniaci contigit III cal. Maii, uti narrat alter Hugo sancti abbatis vitæ scriptor, Annal. Bened. tom. V. pag. 678. cujus est epistola ad Godefridum de donato a Roricone & matre sua sancto Luciano Bellovacensi alodio Grandis-villaris. Hoc autem in itinere Godefridus a Paschali II egregie exceptus, bullam ab eo pro canonicis regularibus, Chart. XX. col. 302. quos in ecclesia sancti Martini de Gemellis instituerat, obtinuit V idus Maii: sancti Nicolai sepulcrum apud Barium invisit, & annulum sancti Honorati episcopi, quem Gervinus ejus decessor vendiderat, redemit, & Ambianos revexit. Ad illud autem iter revocari nequit Wa- E lariciana causa quæ coram Manasse archiepiscopo defuncto anno 1106 prius agitata fuerat. Anno

1110. 1110 invitatus Godefridus ab Anschero Centulensi abbate, ut sancti Angilberti miraculorum testis esset, primo Ingutionem sacerdotem præ-

1111. misit, tum ipse adfuit. Anno 1111 episcopatus VIII Lehunensibus monachis confirmavit ecclesiam de Merincurte & medietatem altaris de Herboneriis. Corpus sancti Salvii apud Monstrolium e veteri in novam capsam transtulit anno eodem die 11 Junii, Ludovici regis III.

An. 1112 non solum adfuit concilio Viennensi, ANNI CHRISTI 1112. sed etiam præfuit pro Guidone archiepiscopo Viennensi sedis apostolicæ legato, qui impeditioris erat linguæ, ex Nicolao. Reperitur anno eodem in instrumento compositionis Adelæ Veromanduorum comitissæ advocatæ villæ Fiscampi cum Nicolao abbate Corbeiæ. Monachis Majoris monasterii confirmavit anno 1113, episco- 1113. patus X, cellam sancti Dionysii ab Ingutione Annal. t. V. pag. 692. sacerdote olim ædificatam & eis donatam, ea lege ut quotannis Drogonis episcopi Tarvanensis anniversarium celebrarent. In prato suburbano tunc posita hæc cella, nunc intra muros includitur patribus societatis Jesu tradita. Subscripsit anno eodem Godefridus chartæ fundationis S. Victoris Parisiensis. Anno 1114 XV cal. Maii monachis 1114. Lehunensibus in synodo confirmavit altaria de Spicileg. tom. VIII. pag. 171. Herboneriis & de Hangesto prius eis donata ab Otgero Ambianensis ecclesiæ præposito, qui ibidem monachum induerat. Eodem anno die IV nonas Julii confirmavit ea quæ a Gervino decessore facta fuerant in gratiam monachorum Majoris monasterii, qui in cella de Bodinicurte in Pontivo ejus diœcesis degebant. Concilio Remensi habito IV nonas Septembris adfuit, sicut dedicationi ecclesiæ Laudunensis peractæ VIII id. mensis ejusdem. Post duos menses declinans turbas in urbe sua ob institutam a civibus communiam motas [a] ab Ingelranno de Bova comite a Ambianensi & aliis, assumto secum quodam Novigenti monacho inconsultis omnibus episcopatum abdicavit, remissisque archiepiscopo Remensi annulo & sandaliis, Cluniacum profectus est, ubi expontifex, inquit Guibertus, altare consecravit. Inde in majorem Cartusiam perrexit, ubi extra conventum in cellula mansit a sacris feriis sancti Nicolai mense Decembri usque ad quadragesimæ initium, quo revocatus a synodis 1115. Bellovacensi & Suessionensi, jussis obtemperans Remensi se sistit, ubi a Conone legato & Radulfo archiepiscopo dure increpitus quod temere sedem reliquisset, jussus est ad suam reverti ecclesiam, in qua cinerum die adversus consuetudinem vescendi carnibus in quadragesima vehementer insurrexit & abolere studuit, & in cœna Domini intemperantes a sacra mensa die sancto paschæ removit, & ad diem sequentem distulit. Secessum pariter & reditum Godefridi paulo aliter narrat Guibertus pag. 516, qui addit Godefridum dominica palmarum e Cartusia reversum cum rege turrim seditiosorum impetiisse, qua occasione rex ipse jaculo in pectore sauciatus fit. Eodem anno Godefridus ratam habuit restitu- Diplomat. pag. 597. tionem quorumdam altarium factam ecclesiæ Compendiensi XVI calendas Julii anno 1115 episcopatus XII, & subscripsit synodicis concilii Annal. t. V. pag. 694. Catalaunensis in octavis Apostolorum literis in controversia Vedastinos inter & sancti Quintini de Monte monachos. Denique anno 1115 desinente quum Remos peteret cum Radulfo archiepiscopo de quibusdam negotiis acturus, in itinere defunctus est 8 Novembris ætatis suæ

[a] His pressus malis Ivonem Carnotensem episcopum Bellovaci convenerat, a quo epistolam 253 ad regem Ludovicum obtinuit.

ANNI CHRISTI

anno 50, atque in capitulo monasterii sancti Crispini majoris prope Suessiones sepultus est. Quædam de sancto Godefrido carmina scripsit Bernardus decanus Suessionensis, & breve ejus epitaphium composuit Joslenus ex Bituricensi archidiacono celeberrimoque Parisiensi magistro Suessionum episcopus, a quo sancti Godefridi corpus anno 1138 e capitulo in ecclesiam sancti Crispini translatum est, & ante summum altare sub testudine honorifice reconditum, sed diligenter a nostris perquisitum reperiri non potuit. Josleni versus hi sunt:

Gloria pontificum, cleri decus ac monachorum
Forma, gregis dux, exemplar morum, Godefridus
Hic jacet, astra petens octava luce Novembris.

Sancti Godefridi festum in monasterio sancti Crispini & in Ambianensi ecclesia colitur eadem die. Sanctitate inclytus in vita sancti Hugonis Cluniacensis abbatis, & in epistola Hugonis item monachi ad Pontium abbatem prædicatur, decus pontificum, doctrina præclarus, sanctitate perspicuus. Sancti Godefridi vitam duobus libris scripsit Nicolaus monachus sancti Crispini, quam Rothado Suessionensi decano dicavit. Hanc contraxit Surius pro more suo, sicque Nicolai exemplar periit, cujus nihil exstat præter compendium inventum in veteri codice Rubeævallis prope Bruxellas, in quo nonnulla desiderantur capita, quæ in priori difficultatem movent. Magnum sane apparuit ejus pietatis exemplum & venerationis qua eum populi vivum colebant, quum in natali Domini sacris operatus, oblationes eorum noluit accipere qui mulierculanum more promissos capillos gestabant; nam illi, ne pontificis gratia & benedictione privarentur, statim arreptis cultellis capillitium sibi amputarunt.

XXXIX. INGELRANNUS.

D'AMIENS.

De Ambianis cognominatur Ingelrannus in charta anni 1124 pro ecclesia sancti Johannis Ambianensis, ex qua eruitur eum fuisse e prosapia comitum vel castellanorum Ambianensium. Ex archidiacono factus episcopus exeunte anno 1115, monasterio sancti Quintini de Monte
1116. confirmavit VI idus Maii 1116, episcopatus I,
Char. XXI. col. 303. indict. IX, altare de Ciconiis *(Chuines)* a Godefrido in extremis cum aureo calice jam donatum.
1118. Bona ecclesiæ Encrensis approbavit anno 1118. Synodo Remensi adfuit anno eodem, & monasterio S. Geremari confirmavit ecclesias Domnimedardi, & alias quas ejus antecessores Gervinus & Godefridus in diœcesi contulerant, VIII cal. Aprilis. Adstitit synodo Bellovacensi VIII cal.
1120. Novembris 1120, cujus auctoritate corpus sancti Arnulfi Suessionensis e veteri sepulcro levatum a Lamberto Tornacensi. Confirmavit anno eodem possessiones sancti Petri de Gaudiaco, a Flaviacensi monasterio dependentis. Subscripsit quoque chartæ Radulfi archiepiscopi pro con-
1123. firmatione sancti Martini Iprensis, & an. 1123 ejusdem sententiæ prioratum sancti Præjecti Bethunensis monachis sancti Petri Abbatis villæ adscribentis. Confirmavit anno eodem in synodo

A possessiones sancti Judoci. Altaria de Civinniolis & *de Projast* Lehunensi monasterio donavit & asseruit anno 1124, indict. I, V cal. Novembr. 1124.
episcopatus IX, Ludovico Philippi filio regnante in Gallia, Carolo Ambianensi consule, Rogero decano. Instituit anno 1125 prioratum sancti 1125.
Martini de Passu sub regula sancti Augustini ab omni episcopi servitio & censu liberum. Radulfo abbati sancti Fusciani confirmavit anno eodem altaria sancti Petri de Monsteris, & sancti Leodegarii de Longo-prato ad ecclesiam S. Remigii pertinentia, Rogero decano. Abbati Corbeiensi concessit anno 1126 personatum quem habebat 1126.
B in altari Cirisiaci, quod de jure erat Corbeiensis ecclesiæ. Testantur tabulæ Ambianensis ecclesiæ Ingelrannum ex consensu capituli convocati fidei sacramentum a Radulfo Balgentiacensis castelli domino excepisse circa 1118. Diem postremum obiit anno 1127, & quidem 9 Novembris ex 1127.
necrologio, quo preces ei & sacrificia annua decernuntur ob datum ecclesiæ altare *de Creissy* & appendices; ibidem adhuc memoratur 11 Maii.

Exstant, tom. V Annal. Benedict. pag. 619, Ingelranni literæ ad abbatem Columbensem de nucibus adultis in corylo ecclesiæ sancti Gratiani
C martyris adhærenti.

XL. GUARINUS.

DE CHASTILLON S. PAUL.

Ex archidiacono episcopus electus 16 Octob. 1127 Guarinus, synodum habuit anno eodem, & altaria in diœcesi Ambianensi monachis sancti Martini confirmavit. Insequenti approbavit III 1128.
idus Martii, indict. VI, cessionem duarum partium altaris *de Waben* a Manasse *de Scilles* milite factam in gratiam sancti Judoci, cui monasterio jam tertiam partem ipse dederat quum esset archidiaconus. Subscripsit eodem anno 1128 di- Chart. VII.
plomati Ludovici VI regis pro substituendis col. 193.
D monachis in locum monialium sancti Johannis Laudunensis. Adstitit anno 1129 exsequiis 1129.
Roberti *de la Ferté*, & confirmavit factum ab eo sancto Richario donum. Sigillum apposuit anno 1130 chartæ fundationis Trium-Fontium. 1130.
Anno 1131 ut præsul & procurator comitatus Ch. XXIII. col. 169.
Ambianensis post mortem Thomæ *de Marles* 1131.
vacantis, confirmavit III idus Julii fundationem Ch. XXIII.
sancti Petri Selincurtis, eodemque anno Aqui- col. 304.
cinctensis ecclesiæ bona in diœcesi Ambianensi sita, possessiones sancti Martini, & calendis Julii 1135 prioratus sancti Firmini in valle, quem sub nomine sancti Johannis ad abbatiæ
E titulum sublimarat. Confirmavit anno 1132 1132.
cessionem factam a Theobaldo priore S. Martini a Campis decimarum Roberto abbati Corbeiensi. Confirmavit XVII calendas Decembris ecclesiæ Lehunensi terram *de Cais*. Adfuit anno 1133 1133.
dedicationi ecclesiæ Tarvanensis, & confirmavit donationem canonicis sancti Laurentii factam a Rainero *de Moirencurt* & filiis. Capsam sancti Judoci aperuit anno 1134, & privilegium 1134.
concessit de cella beatæ Mariæ de Bodinicurte VI calendas Julii. Sub id tempus cum Simone *Ann. t. VI.*
Noviom. episcopo a summo pontifice delegatus, *pag. 250.*

ANNI CHRISTI collegiatam Montis desiderii ecclesiam Clunia- A
censibus commisit, approbante Innocentio II
1135. an. 1136. Annus 1135 componitur cum anno
episcopatus VIII Guarini in charta abbatiæ Casalis
Benedicti, cujus abbati & monachis ecclesiam
beatæ Mariæ *de Flosicicurt* confirmavit hoc anno,
quo tentatam a sancto Godefrido decessore re-
Spicileg. t. XII. pagin. 159. staurationem sancti Martini intra muros perfecit,
institutis in ea canonicis regularibus ordinis sancti
1137. Augustini. Subscripsit anno 1137 chartæ Su-
gerii abbatis sancti Dionysii suum anniversarium
condentis. Hoc autem anno ecclesiæ Ambia-
nensis & Corbeiensis igne consumtæ sunt. Anno
1138. 1138, episcopatus XII, indict. 1, dedit abbati B
sancti Fusciani dimidium altaris & atrii in villa
Sanctis nuncupata, & aliud dimidium cum aliis
altaribus & ecclesiis confirmavit. Eodem appro-
bavit fundationem beatæ Mariæ de Gardo pri-
mumque ibi abbatem Mainardum constituit.
Eodem rogatus a Gaufrido Catalaunensi epis-
copo & Brunone Novigenti abbate, donavit
beatæ Mariæ de Novigento ecclesiam de Fon-
tanis pro amore Godefridi bonæ memoriæ sui
antecessoris, qui olim fuerat abbas Novigentinus.
Eodem monachis sancti Martini dedit ecclesiam
sancti Gervasii de Encra coram Gausleno Sue-
ssionensi & Gaufrido Catalaunensi episcopis. Eo- C
dem confirmavit bona S. Michaëlis Durlendensis.
Eodem nonnulla altaria a Bernardo de Ballolio
milite donata monachis de Domnopetro con-
firmavit, ea lege ut monachi Cluniacensi mo-
nasterio unam quotannis argenti marcham per-
solverent. Eodem approbavit transactionem inter
Eustachium abbatem sancti Fusciani & Olricum
priorem sancti Laurentii de ecclesia S. Nicolai
1139. *de Renui.* Anno 1139 confirmavit bona sancti
Johannis, olim sancti Firmini, & 1140 con-
cessa a Gervino anno 1095 & a S. Godefrido
1140. abbatiæ *de Bertaucourt.* Eodem anno 1140
solenni cum rege & episcopis interfuit supplica- D
tioni, quum ecclesiæ sancti Dionysii capitii jacta
sunt fundamenta. Milonis Tarvanensis episcopi
1141. ad preces donavit anno 1141 monasterio sancti
Salvii partem altaris *de Darnestal.* Eodem anno
usurpatum a Radulfo milite & Rogero altare *de
Dolaincourt* sancto Cornelio Compendiensi resti-
tuit. Datam ab Henrico Bellovacensi archidia-
cono canonicis sancti Quintini ecclesiam Con-
teiensem eodem confirmavit anno. Subscripsit
1142. anno 1142 literis Sansonis archiepiscopi Re-
Ch. XLI. col. 44. mensis cartusiæ Montis Dei fundationem confir-
mantis. Confirmavit ipse eodem anno transa-
ctionem inter monachos sancti Dionysii & Wal- E
terum abbatem Selincurtis. Reperitur adhuc in
chartulario Corbeiensi hoc anno, quo forte con-
firmat compositionem inter monachos sancti
Fusciani & clericos Corbeienses super tertia parte
altaris de Alleio III idus Augusti. Precibus Gui-
donis comitis Pontivi sancti Wlfranni collegiatam
Abbatis villæ ecclesiam Cluniacensibus dedit ut
in ea monachi canonicorum loco substituerentur.
1143. Hoc autem, probante licet Innocentio II XIV
calendas Junii pontificatus anno XIII, effectu
caruisse videtur. Guarinus anno eodem a mo-
nachis S. Judoci monachis Bonantiæ datam deci- ANNI CHRISTI
mam confirmavit. Superstes adhuc anno 1144, 1144.
ut constat ex tabulis sancti Johannis Ambianen-
sis, numeratur inter benefactores Cluniacenses
non minimus, ad quem scripsit epistolam 14
lib. 4, Petrus venerabilis Cluniacensis abbas,
ejus præcordialis amicus, ut ait, qua de sin-
gulari aliquo beneficio accepto summas agit
gratias. Et certe *anno 1144 Guarinus* de Chas-
tillon S. Pol *episcopus Ambianensis, relicto episco-
patu Cluniacum secedens, suasione Petri venerabilis
abbatis monachus Cluniacensis factus, ibidem pie
moritur, & sepelitur ante capellam sancti Nicolai
prope Widonem* de Vermandois *episcopum Bellova-
censem.* Verba sunt Guillelmi *Buirin* archiclavi
Cluniacensis in historia ms. majorum Cluniaci
priorum. Idem notat noster D. Edmundus
Martene post lustratas omnes Cluniaci antiqui-
tates. In necrologio sancti Justi Bellovacensis
sic legitur: *23 Martii Garini Ambianensis epi-
scopi, qui ecclesiam sancti Johannis contulit, eam
adhuc nascentem suscepit, fovit & promovit.* Bonæ
memoriæ dicitur a Theoderico successore XV cal.
Januarii 1154. Notatur in necrologio Cor-
beiensi III idus Novembris.

XLI. THEODERICUS.

Ex monacho S. Nicolai Theodericus abbas
sancti Eligii Noviomensis, ex abbate episcopus
Ambianensis electus anno 1144, consecratur a
Sansone Remensi arch. An. 1145 S. Acheolum 1145.
& S. Martinum ad Gemellos in abbatias ere- *Ch. XXIX. col. 308.*
xit, & conventionem inter Theobaldum abba-
tem sancti Judoci & Rogerium Balantiarum
sigillo suo munivit. Anno 1146, episcopatus II, 1146.
quædam prædia Alnetensi monasterio, sicut &
bona sancti Johannis confirmavit. Eodem se *Quercet. tom. IV pagin. 500 & 503.*
excusat apud Sugerium abbatem sancti Dionysii
tunc regni administrum & proregem ab expe-
ditione transmarina ob facultatum tenuitatem &
corporis infirmitatem in obsequio papæ & regis
contractam. Ab eodem est increpitus quod Ro-
bertum de Bova hominem pessimum ad sacra
recepisset. Iram quoque Eugenii III expertus
est quod adfuisset Sansoni Ludovicum VII re-
gem consecranti in ecclesia Bituricensi tunc in-
terdicto subjecta. Itaque jubetur anno 1146 ut
apostolico se sistat conspectui satisfacturus. Eo-
dem anno interfuit dedicationi sancti Quintini
in Insula factæ a Simone episcopo Noviomensi,
& excepit satisfactionem Alelmi de Ambianis,
& confirmavit bona Montis Desiderii. Anno *Ch. XXX. col. 309.*
1147 adstitit Theobaldo Cantuariensi Gilleber- 1147.
tum Herefordensis ecclesiæ electum nonis Sep- *Ch. XXXI.*
tembris sacranti apud S. Audomarum. Eodem *col. 310.*
confirmavit bona sancti Acheoli. Eodem sub- *Script. Anglic. tom. I.*
scripsit duabus chartis Simonis Noviomensis epi- *pag. 1364.*
scopi pro monachis *de Capy.* Eodem ecclesiam *Ch. XXXII.*
sancti Martini de Durlendo de manu laïca *col. 312.*
liberatam monachis Aquicinctensibus concessit. *Ch. XXXIII.*
Eodem possessiones sancti Martini de Gemellis *col. 312.*
confirmavit, cui donavit, de consensu capituli,
ad preces sancti Bernardi abbatis Clarevallensis,
præbendam in ecclesia beatæ Mariæ. Eodem
confirmavit

ANNI CHRISTI

confirmavit concessa Carocampo tum ab Hugo- A
ne *Camp d'Avesne*, tum a Milone episcopo Mo-
rinensi, charta quæ male ad annum 1137, quo
nondum sedebat Theodericus, revocatur tom. XI
Spicileg. pag. 328. Concilio Remensi contra
1148. Gilbertum Porretanum habito anno 1148 ad-
fuit, & circa id tempus Sugerio abbati de suf-
ficiendo Centulæ abbate scripsit. Confirmavit
anno eodem donatam a Guarino thesaurario
Ambianensi præbendam in ecclesia S. Firmini
1149. confessoris. An. 1149 thesaurariam unit mensæ
episcopali, quod postea Adrianus IV bulla sua
munivit. Donatam a Nicolao præbendam suam
abbatiæ sancti Acheoli eodem confirmavit anno, B
1150. 1150 omnia ecclesiæ Ambian. bona, & 1151
1151. omnes Aquicinctini monasterii possessiones in
1152. diœcesi Ambianensi sitas. Anno 1152 trans-
tulit corpus sancti Florentii in aliam capsam
in ecclesia Royensi assistente Balduino Novio-
mensi episcopo IV calend. Octobris. Balduinum
de Durz & Beatricem ejus uxorem absolvit
1153. anno 1153 ab excommunicatione quam ob
damna ecclesiæ Ambianensi illata incurrerant.
Concordiam sanxit inter Gualterum abbatem
Selincurtensem & Gerardum Pinconiensem anno
1154. 1154, & ecclesiam sancti Gervasii de Encra a
Garino episcopo monachis S. Martini a Campis C
1155. donatam confirmavit XV calend. Januarii. Bona
prioratus de Chaico a Flaviacensi monasterio de-
pendentis confirmavit anno 1155. Adrianus IV
IV cal. Jan. Theoderico & successoribus thesaura-
riam ecclesiæ concessit ad instaurationem sacri
tecti ecclesiæ. Pactum inter Adam abbatissam
sancti Michaëlis de Durlando & priorem sancti
1156. Sulpicii initum 1156 laudavit. Querelam ha-
buit cum abbate Corbeiensi circa parochiam S.
1157. Thomæ, quæ monachis adjudicata est an. 1157
a Milone Morinensi & Godescalco Atreba-
tensi judicibus a sede apostolica delegatis. Adfuit
anno eodem elevationi & ostensioni corporis D
Ch. XXVI. col. 383. sancti Eligii Noviomensis. Abbates S. Martini
de Gemellis & Selincurtensem conciliavit anno
1158. 1158. Insequenti Sanson archiepiscopus Re-
1159. mensis a Theoderico invitatus dedicat ecclesiam
Ambianensem. Confirmavit Theodericus anno
1160. 1160 fundatum a Johanne comite Pontivi hos-
pitale apud Abbatis-villam, & transactionem
initam inter Fulbertum sancti Geremari abbatem
& fratres dicti hospitalis, aliamque inter An-
bertum canonicum & Effridum *de Sarton* anno
1161. 1161. Testis legitur anno 1162 in charta
1162. Walteri Tirelli pro abbatia de Balanciis. Eccle-
Chart. XXXVIII. col. 316. siam sancti Andreæ in nemore in abbatiam E
erexit anno 1163. Radulfo Brituliensi abbati
1163. confirmavit omnes possessiones in diœcesi sua
Chart. XXXIII. col. 262. sitas anno 1164. Obiit mense Novembri, quo
habet obitum. Alexander III ei scripsit capita
1164. *Sane de canonico* de Regul. & transeuntibus ad
relig. *Quod sedem* de frigidis, &c. *Significasti*
de divortiis, *Porro quamvis* de privil. & excess.
Porro de comite Pontivi de divortiis, *Ex literis* de
divortiis. Tres alias eidem Theoderico scripsit
epistolas Alexander papa, quæ inter epistolas
Petri Cellensis habentur.

XLII. ROBERTUS I.

Theoderico defuncto, Gerardus qua vicedo-
minus Ambianensis domum & reditus episco-
pales asservavit, ut significavit R. episcopus Phi-
lippo Augusto, cujus nomine ut idem præstaret
serviens regis accedens recessit. Robertus autem
in chartulario Corbeiensi memoratus an. 1165, 1165.
eodem adstitit revelationi corporis sancti Maximi
Regensis episcopi. Interfuit anno 1166 com- 1166.
positioni inter abbatem sancti Johannis & com-
muniam Ambianensem, quam chirographo suo
muniit, ex quo colligunt Sammarthani in more
positum fuisse, ut fere omnes pactiones publicæ,
quæ aliquatenus ad ecclesias pertinebant, coram
episcopis fierent, aut saltem ab eis confirma-
rentur. Adstitit anno 1167 concordiæ inter 1167.
Johannem Corbeiæ abbatem & dominum *de
Maiserolles* ratione decimæ hujus loci, quam
Guarinus vicecomes *de Maiserolles* ecclesiæ Cor-
beiensi jampridem concesserat. Anno 1168 1168.
confirmavit H. priori sancti Laurentii eleemo-
synas ejus ecclesiæ factas. An. 1169 composuit 1169.
cum Philippo de Alsatia comite Flandriæ &
Ambianorum de juribus quæ ad Gerardum vi-
cedominum & Alesmum de Ambianis pertine-
bant tamquam urbis condominos. Hinc Alesmus
in charta S. Johannis Ambianensis anno 1151,
vocatur civitatis Ambianensis quartus princeps.
Præsens fuit anno eodem Robertus pactis con-
ventis inter Johannem Pontivi comitem & ab-
batem Domnimartini. Obitum habet mense
Aprili.

Roberto sedente, Alexander III bulla, quam
Honorius III ratam habuit, consuetudinem ha-
ctenus in ecclesia Ambianensi servatam, ut nullus
in eadem, nisi sit de legitimo matrimonio natus,
in canonicum admittatur, præcepit stricte obser-
vari.

XLIII. THEOBALDUS III. D'HEILLY.

Radulfi archidiaconi Pontivensis germanus
Theobaldus, alteriusque Radulfi decani ex fratre
nepos, illustri familia editus, quæ cognationis
vinculo jungebatur Guillelmo de Campania car-
dinali archiepiscopo Remensi, avunculo regis
Philippi Augusti, ex archidiacono Ambianensi
episcopus occurrit 1169 in chartis Bellibecci,
& 1170 sancti Johannis & Fulcardi montis.
A summo pontifice delegatus statuit anno 1170 1170.
de juribus ecclesiæ S. Cornelii Compendiensis
super ecclesiam sancti Germani. Anno 1171 1171.
confirmavit initam inter abbatiam *de Bertau-
court* & canonicos sancti Nicolai concordiam
ratione decimarum *de Monstrelet* & *d'Hallois*,
quæ ceduntur dictæ abbatiæ pro 30 solidis an-
nuis Ambianensis monetæ. Approbavit anno
1172 donum factum prioratui de Arenis. 1172.
Bona ecclesiæ S. Johannis confirmavit an. 1173. 1173.
Composuit litem motam inter Laivulfum &
fratres ecclesiæ sancti Nicolai *de Renni* de terra
& nemore de Longoprato anno 1174, & inter 1174.
ecclesiam S. Auberti Cameracensis & Adamum
de Walencourt, de mandato summi pontificis,

ANNI CHRISTI

Confirmavit anno eodem conventionem inter
ecclesiam S. Laurentii & Balduinum *de Durz*
tempore Theoderici episcopi ad obtinendam
1175. absolutionem factam. Approbavit anno 1175
Chart. XLI. col. 319. fraternitatem sancti Nicolai, & confirmavit Al-
netensi monasterio donum R. comitis Clarimon-
tensis. A summo pontifice delegatus diremit
1176. anno 1176 litem inter canonicos sancti Quintini
& fratres Montis sancti Martini, necnon inter
Laurentium abbatem sancti Richarii & Johannem
1177. comitem Pontivi anno 1177, & inter Hugonem
abbatem Balanciarum & Willelmum de Munste-
rolo super piscatione aquæ *de Rodebais*. Eodem
anno instituit duas capellanias in ecclesia Ambia-
Ch. XLIII. col. 320. nensi. Fundatæ anno 1177 mense Februario
abbatiæ de Hispania assensum præbuit. Subscripsit
1178. anno 1178 pactis matrimonialibus inter Ede-
Hist. Abbat. pag. 47. lam filiam comitis Pontivi & Renaldum filium
Bernardi de S. Walarico, & confirmavit recog-
nitionem Wermundi *Calderuns* factam Corbeiæ.
1179. Adfuit anno 1179 concilio Lateranensi. Anno
1180. 1180 abbatiæ sancti Martini concedit annualia
præbendarum quolibet modo vacantium, quod
confirmavit Willelmus Remorum archiepiscopus.
Miloni priori sancti Laurentii confirmavit fun-
dationem prioratus sancti Nicolai *de Regny*, &
donationes factas monasterio Alnetensi ab En-
gelranno *de Gentiles*, Balduino *de Coqueret* &
Galterio fratre ejus approbavit. Eodem anno
Hist. S. Mart pagin. 392. confirmavit pridie cal. Februarii bona prioratus
beatæ Mariæ de Arenis, & anno 1184 dona-
1184. tionem feodi *de Regnouval* factam nosocomio
1185. Ambianensi. Anno 1185 Philippus Augustus,
Spicileg. Tom. VIII. pag 486. Amplis. coll. t. 1. c. 965. qui biennio ante Ambianum a comite Flandriæ
cum toto comitatu bello receperat, dimittit ec-
clesiæ Ambianensi jus procurationis ob remissum
ab hac ecclesia hominium, quod ipsi propter
Ch. XLV. col. 321. feodum comitatus Ambianensis rex debebat.
Ch. XLVII. col. 323. Dedit Theobaldus chartam pro abbatia Seriaci
v calendas Aprilis anni ejusdem. Insequenti
1186. Urbanus III ei dirigit bullam pro confirmatione
duarum capellaniarum in ecclesia Ambianensi
1187. fundatarum a Radulfo *d'Heilly* decano, & 1187
ei mandat ut ecclesiam canonicorum sancti Sal-
vatoris in castello sancti Pauli situm visitet, &
quæcumque depravata sunt ordinet. Secum au-
tem sollicitudinis hujus participem advocavit
Desiderium Tarvanensem episcopum. Anno
1189. 1189 excepit ab Hugone *de Pernes* altare *de*
Bacunviller quod disputabat præposito ecclesiæ
Ambianensis. Ut ecclesiæ suæ bonum promo-
veret Theobaldus, quia tunc pauci erant canonici,
1190. ex una præbenda sacerdotali duas fecit an. 1190,
quas sua liberalitate auxit. Confirmavit anno
eodem monasterio sancti Fusciani factas dona-
tiones, & constructam ab Alelmo de Fontanis
Charta L. col. 325. & uxore Loretta ecclesiam Longiprati scripto
suo munivit. Fundationem Locidei testis lau-
1191. davit anno 1191, & biennio post pro eadem
Chart. LII. col. 330. abbatia chartam dedit. Anno 1192 VIII cal.
1192. Octobris suis approbavit literis fundationem col-
Chart. LIV. col. 331. legii & capituli sancti Firmini de Monsterolo
sub obligatione pactionis sex librarum persolven-
darum abbati & conventui sancti Judoci supra

A mare, cujus loci abbas unam haberet præben-
dam. Anno eodem Theobaldus moniales e dioe- Chart. LIII. col. 330.
cesi Rotomagensi venientes ad Hispaniam ab
archiepiscopi subjectione liberas voluit, suscepit,
& donationes eis factas concessit. Donatam
hospitali Ambianensi terram *d'Oissonville* a Vin-
centio *de Villers*, &c. confirmavit anno 1193. 1193.
Eodem Ambiani in pervigilio assumtionis beatæ
Mariæ desponsatur Ingelburgis Daniæ regis filia
cum Philippo Augusto, & postridie ungitur a
Guillelmo Remensi archiepiscopo, assistentibus
Theobaldo nostro, Petro Atrebatensi, Johanne
Cameracensi, Lamberto Tarvanensi, & Stephano
B Tornacensi. Sed elapsis 82 diebus a rege repu-
dium passa Ingelburgis, ad capitulum Ambia- Chart. LVI. col. 333.
nense dedit literas ut ejus se commendaret pre-
cibus, & casulam dono dedit qua in solennita-
tibus B. Mariæ missarum solemnia celebrarentur.
Latam an. 1200 a summo pontifice ob dimissam
Ingelburgim in regem & regnum interdicti
sententiam a Theobaldo exactissime observatam
fuisse docet nos auctor coævus Andrensis chro- *Spicileg.*
nici. Anno 1195 idibus Octobris auctoribus *Tom. IX. pa-*
Willelmo Pontivi & Renaldo Boloniæ comitibus *gin. 529.*
sancti Judoci reliquias intra elegantiorem inclusit 1195.
capsam. Cum Stephano Tornacensi episcopo
C sententiam tulit anno 1196 adversus Calensem 1196.
abbatissam, quæ exemtam se a Parisiensis epi-
scopi jurisdictione volebat. Donum factum ec-
clesiæ sancti Johannis ab Ingelranno vicedomino
Pinconii confirmavit 1197. Bona Montis desi- 1197.
derii confirmavit anno 1198. Eodem Dodoni 1198.
abbati sancti Fusciani tradidit reditus quos In-
gerrannus de Bova concessit ad dotationem B.
Mariæ in Campis. Odoni abbati sancti Johannis
indulsit anno eodem ut parochia sancti Germani
a regularibus administraretur. Eodem disceptan-
tes abbates sancti Salvii & sancti Judoci de vi-
cecomitatu Longiprati utcumque conciliavit cal.
D Februarii. Domum in parochia sancti Jacobi
Beguinis dedit anno 1199 ad ædificandum ora- 1199.
torium. In ecclesia *de Pernois*, suis sumtibus re-
stituta, quatuor instituit canonicos ex canonicis
sancti Laurentii in Nemore, approbante Inno-
centio III, epist. 279, lib. 2, quod impletum est
anno 1200. Confirmavit anno 1201 fundatio- 1200.
nem abbatiæ de Villencuria. Eodem anno ratam 1201.
habuit donationem Rad. *de Boillencourt* nepotis Chart. LX. col. 335.
sui filii Balduini *de Boillencourt*, pro luminari
ecclesiæ Alnetensis, & confirmavit monasterio
sancti Fusciani decimas *de Harbonieres*, & anno
1202 donationem a Roberto de Bova eidem 1202.
E factam monasterio. Anno 1203 a summo pon- 1203.
tifice delegatus parochiam S. Firmini confessoris
canonicis ejusdem adjudicavit contra canonicos
sancti Acheoli. Anno eodem indulsit canonicis
sancti Laurentii & sancti Nicolai *de Renni*, quo-
rum ecclesiæ ad incitas erant redactæ, ut ad
monasterium Lehunense transire possent. Rata
habuit anno 1204 data a R. de Pratellis mo- 1204.
nasterio Alnetensi. Theobaldo sedente, corpus
sancti Firmini martyris theca aurea fuit donatum,
ut fidem faciant versus inscripti quos supra in
sancto Firmino retulimus. Denique quum per

ANNI CHRISTI triginta quatuor & amplius annos sedem tenuisset Theobaldus, obiit ineunte anno 1204 ultima Aprilis, pro quo fit anniversarium ob multas donationes ab eo capitulo factas. Honorifice sepultus est ad sanctum Martinum de Gemellis in choro a dextris. Tumulo superposita tabula ex ære Corinthio ponderis 1350 librarum cum ejus effigie pontificiis vestibus affabre induta, quatuor leunculis subnixa, quæ sublata est & vendita anno 1658. Theobaldo Alexander III scribit c. *Porro* de privilegiis & excessibus, c. *Sane* de regularibus, &c. *Ad hæc* de decimis; Cœlestinus III caput unicum *Conquerentes* de clericis peregrinantibus.

XLIV. Richardus.

DE GERBEROT Ex antiqua vicedominorum de Gerboredo familia, Eustachio milite & Ermentrude parentibus natus Richardus, germanos habuit Gervasium & Guillelmum milites, Adelam autem aviam, de quibus in necrologio Ambianensi, in quo Richardus multis virtutibus ornatus memoratur. In ecclesia Ambianensi a juventute enutritus, ex canonico fit decanus. Ex decano autem electus episcopus oratorium de Mota in ecclesiam parochialem erigit anno 1204, nunc 1205, mense Februario, ex charta sancti Johannis.
1205. Nondum consecratus univit anno 1205 prioratui *de Lihons* ecclesias sancti Laurentii de Nemore & sancti Nicolai *de Renni*, ut in eis esset perpetuus monachorum conventus, retenta in manu sua & successorum suorum domo *de Pernois;* sed hi duo prioratus anno 1206 decreto Innocentii III abbatiæ Corbeiensi cessere, quod in ejus essent ditione. Ratam habuit factam domui Leprosorum *de Tausol* eleemosynam ab Ingeranno de Pinconio mense Januario 1205. Eodem anno 1205, nunc 1206, mense Januar. cedit capitulo Royensi omnimodam jurisdictionem in villam Royensem, & ratam habuit compositionem factam inter monachos sancti Judoci ad Mare & monachos de Balanciis pro decima *de Waben.* Eodem corpus sancti Wlfranni Senonensis archiepiscopi in capsa reposuit apud Abbatis-villam. Querelam habuit cum canonicis S. Firmini confessoris super patronatu parochiarum
1206. hujus ecclesiæ, qui canonicis ab arbitris an. 1206 adjudicatus est. Eodem anno die 15 Aprilis confirmavit fundationem Roberti de Tornella pro tribus clericis in ecclesia beatæ Magdalenæ *de Roolots.* Hoc ipso anno dat capitulo domum in qua decanus commorabatur, & recipit 4 Au-
Ch. L. col. 327. gusti reliquias Constantinopoli ad ecclesiam beatæ Mariæ de Longoprato allatas a Walberto sacerdote, & 17 Dec. faciem capitis beati Johannis Baptistæ ad ecclesiam Ambianensem a Galone clerico in patriam remeanti, in cujus rei memoriam dedit capitulo anno 1210 centum solidos annuos in decollatione sancti Johannis. Presby-
1207. terorum numerum apud Ruam auxit anno 1207 mense Maio. Confessus est anno eodem penes se non esse excommunicare decanum ecclesiæ Ambianensis, nisi prius citatum & confitentem
1208. vel convictum. Occurrit anno 1208 in chartis Longiprati & Bellibecci. Anno 1209 mense Martio subjecit se regis & aliorum judicio pro querela inter eum, regem & cives Ambianenses super infractionibus solennium dierum in urbe 1209.
Ambianensi, ex thesauro chartarum. Ecclesiæ Ambianensi dedit mense Maio 1210 pratum & 1210.
terram quam ipse decanus emerat in villa *de Ruel.* Paulo autem post moritur; nam sedes vacabat jam anno 1210, ex chartis Gardi, & mense Aprili 1211, ut patet ex ordinatione distributionum quotidianarum facta ab Alberico *de Humbert* archiepiscopo Remensi. Jacet Richardus ad sanctum Martinum, ubi hæc epigraphe inserta muro fuit a læva portæ chori. 1211.

Ch. LXII. col. 338. (ad an. 1205)

Hic situs est præsul Richardus, præsule dignus,
Cujus lex vitæ, lectio vita fuit.
Justitiæ speculum, contemtor muneris, ore
Parcus, mente pius, largus, honoris apex.

Habet obitum 14 Maii, quo etiam fundavit obitum aviæ suæ nomine Adelæ, Ermentrudis matris, Gervasii & Guillelmi fratrum ejus. De eo in necrologio legitur: *Pridie idus Maii obitus Richardi bonæ memoriæ, hujus ecclesiæ episcopi, viri literati, liberalis & constantissimi.*

Richardo scripsit Innocentius III cap. *Tua fraternitas* de Adulteriis. In biblionomia ms. M. Richardi de Furnivalle cancellarii Ambianensis huic episcopo tribuuntur liber de abbreviata historia Romanorum, quæ dicitur *tripartita*, liber de quatuor virtutibus & *de Ave Maria* in uno volumine.

XLV. Evrardus.

Guillelmi *de Joinville* archiepiscopi Remensis & Simonis Campaniæ senescalli cognatus Evrardus, frater autem Nicolai archidiaconi, florebat anno 1212, ex documentis capituli. Occurrit 1212.
anno 1213 in tabulis Majoris monasterii. Delegatus est anno 1214 ab Innocentio III ad 1213. 1214.
corrigenda suæ diœcesis monasteria. Collationem capellaniarum de Encra partitus est anno 1215 1215.
cum Galchero *de Chastillon.* Confirmavit eodem anno omnia quæ Aquicinctenses monachi ratione prioratus sancti Sulpitii prope Dullendum possidebant. Interfuit anno eodem concilio Lateranensi IV, ut patet ex chartulario sancti Martini, in quo hoc anno absens dicitur mense Septembri propter concilium generale. Anno 1216 lis mota 1216.
inter ipsum & capitulum quod nolebat frui jure excommunicationis, per Stephanum Cantuariensem archiepiscopum a summo pontifice finita est. Ad preces Simonis *de Fouilloy* unam præbendam instituit anno eodem ex decimis *de l'Espinoy* in ecclesia *de Fouilloy.* Confirmavit mense Dec. fundationem canonicorum *de Vinacourt.* Anno 1217 fundationem decanatus & 12 præbenda- 1217.
rum in ecclesia de Nigella supra Mare confirmavit mense Junio, & institutum apud Abbatis-villam hospitale sancti Juliani, quod postea cessit monialibus Dominicanis, quæ huc destructa Tarvanna secesserunt. Anno 1218 al. 1219 insti- *Hist. ecclef. Ab. p. 426.* 1218.
tuit Præcentoriam, Magisterium scholarum, & Pœnitentiariam, quas vocat tres personatus, in *Spicileg. tom. XII. pag. 165.*

ANNI CHRISTI
ecclesia sua in vigilia Paschæ, forsan obtempe-
rando decreto Innocentii III in concilio Latera-
nensi de instituendis Pœnitentiariis in ecclesiis
cathedralibus, cap. *Inter cetera* de officio judicis
ordinarii. Eodem anno 1218 mense Maio recipit
hominium Ingerranni vicedomini Pinconien-
sis, & in vigilia Natalis Domini, rogatus a Si-
mone Aquicinctensi abbate, consecravit novam
1219. ejus ecclesiam. Anno 1219 de mandato Hono-
rii III edit ordinationem de distributione quoti-
diana & *Maranchiis* in ecclesia Ambian. Eodem
anno mense Maio tradidit ecclesiæ sancti Judoci
supra Mare personatum ecclesiæ *de Verton* per
cessionem eis factam ab Arnulfo de Atrio. Eo-
Char. LXV. col. 339. dem mense Jun. confirmavit fundationem abba-
tiæ Paracliti. An. 1220 de assensu abbatis Cor-
1220. beiensis duos presbyteros ecclesiis de Cerisiaco
& de Maurocurte assignavit, & confirmavit
donationem factam ecclesiæ sancti Sepulcri de
Dulenco. Eodem anno consumta igne est ecclesia
Ambianensis, quam admodum pius & divitiis
pollens Evrardus, ex integro relevandam aggres-
sus est ea forma quæ nunc spectatur, sed quæ
deinde magis ornata fuerit; quum enim funda-
mentis totius operis absolutis muros etiam erigere
cœpisset, morte præventus est. Memoratur inte-
1221. rim annis 1218 & 1221 in chartis Fulcardi
1222. montis. Anno 1222 mense Septembri attendens
devotionem & religionis observantiam, hospita-
litatis etiam largitatem, quæ in monasterio Aqui-
cinctensi & ejus membris observabantur, fratribus
de Dulenco donavit altare de Luceolo assensu J.
decani & capituli Ambianensis. Defunctus anno
eodem sepultus est in medio navis sub lamina
cuprea, quæ ejus effigiem repræsentans sex leun-
culis fulcitur, circa quam leguntur hi versus:

Qui populum pavit, qui fundamenta locavit
Hujus structuræ, cujus fuit urbs data curæ,
Hic redolens nardus fama requiescit Evrardus,
Vir pius afflictis, viduæ tutela, relictis
Custos, quos poterat, recreabat munere, verbis.
Mitibus agnus erat, timidis leo, lima superbis.

Notatur ejus obitus in necrologio mense No-
vembri, ubi eadem quæ in epitaphio leguntur
de fundamentis ecclesiæ positis. Ad Evrardum
direxit Honorius III caput *Ex literis* de vita &
honestate clericorum.

D'Eu.

XLVI. GAUFRIDUS II.

A patria dictus de Augo Gaufridus, fratrem
habuit Walterum *le Wallech* de Augo memo-
ratum 26 Martii in necrologio. Doctor in me-
dicina & lege divina, quo nomine intelligi po-
test jus canonicum aut theologia, sedere cœpit
mense Februario anno 1222, ex chartis sancti
1223. Martini. Anno 1223 mense Julio interfuit ex-
equiis Philippi Augusti in ecclesia S. Dionysii
cum multis episcopis Parisiis Honorii papæ man-
dato pro negotio Albigensium congregatis. Char-
tam scripsit mense Augusto qua testatur in sua
præsentia Anselmum dominum Saltonii recog-
novisse se dedisse & permutasse ad perpetuam
hereditatem 16 *jornalia* terræ arabilis cum ecclesia

A Majoris monasterii. Statuta edidit anno eodem
pro sex capellanis sancti Johannis de Pratis apud
Abbatis-villam, & pro ecclesia sancti Wlfranni
anno incerto. Richardus abbas sancti Walarici
promisit Gaufrido ejusque successoribus solvere
annuatim solidos 40 mense Februar. an. 1223,
nunc 1224, quo Gaufridus confirmavit dona- 1224.
tionem Guillelmi *de Perosel* & Beatricis uxoris
factam ecclesiæ Corbeiensi. Anno eodem quum
Ingerannus vicedominus Ambianensis tradidisset
illi milites quos secum duxerat in exercitu regis,
literis mense Augusto 1224 testatus est vicedo-
minos ad id non teneri. Cum Hugone abbate
B sancti Richarii querelam habuit mense Novembri
pro administratione extremæ unctionis, dedica-
tione & procurationibus ecclesiarum in patronatu
dictæ ecclesiæ existentium, cujus quidem con-
troversiæ electi arbitri episcopus Silvanectensis &
abbas Carolicensis procurationes episcopo adju-
dicarunt, cetera vero litis capita summo pontifici
definienda dimisere, qui secundum monachos
pronunciavit. Cum majore & scabinis convenit
mense Novembri 1226 de tribus denariis *de* 1226.
respectu sibi debitis. Anno eodem ratam habuit
donationem factam capitulo a Girardo vicedo-
mino Ambianensi. Anno 1227 statuit Gaufri- 1227.
C dus circa residentiam canonicorum sancti Nicolai,
& 1228 sancti Firmini. Hoc ultimo anno cessit 1228.
regi & scabinis vicum *de Canteraine*, & confir-
mavit donationem Roberti de Bova militis fa-
ctam sancto Fusciano, & portionem in decimis
parochiæ *de Thois* controversam canonicis de
Gerboredo cessit. Curavit anno 1233 nosoco- 1233.
mium Ambianense optimis legibus ordinari, in- *Spicileg. tom. XII. pagin. 54.*
stitutis octo sororibus sub regula sancti Augustini
viventibus ad subsidium ægrotorum, idque pro-
bavit Innocentius IV in concilio Lugdunensi
anno 1244. Eodem anno 1233 statuta edidit
pro capitulo Folliacensi, numerumque 15 cano-
D nicorum præscripsit. Pro 100 libris Parisiensibus
absolutus est ab exercitu regis contra ducem Bri-
tanniæ, de quo Johanni de Curia canonico Paris.
gratias egit M. præcentor Ambianensis anno
1234, simul rogans ut veniente ad pedes regis 1234.
comite Britanniæ, si ceteri episcopi absolvantur
ab exercitu & a summa, absolvatur quoque Am-
bianensis episcopus. Anno 1235 interfuit per 1235.
procuratores variis conciliis Remensis provinciæ
ab archiepiscopo Henrico de Brana apud sanctum
Quintinum, Compendium & Silvanectum ce-
lebratis. Monachis Flaviacensibus duos modios
frumenti in parochia *de Lancheres* percipiendos
E contulit anno eodem, & monachi anniversarium
ei post obitum spoponderunt. Querelam habuit
cum vicedomino, cujus arbitros elegerunt mense
Augusto 1235. Inchoatum basilicæ majoris
ædificium ampliavit. Anno 1236 translata ec- 1236.
clesia sancti Firmini confessoris ad hospitale & Ch. LXVIII. col. 343.
hospitale ad magnum pontem. Eodem anno
Gaufridus defunctus 25 Nov. juxta decessorem
tumulo mandatur iisdem ferme ornamentis sub
hoc epitaphio:

Ecce premunt humile Gaufridi membra cubile.
Seu minus, aut simile nobis parat omnibus ille,

ANNI CHRISTI

Quem laurus gemina decoraverat in medicina,
Legeque divina, decuerunt cornua bina;
Clare vir Augensis, quo sedes Ambianensis
Crevit in immensis, in cælis auctus, amen, sis.

Obitum habet Gaufridus in ecclesia Rotomagensi IV calendas Decembris & in Ambianensi, pro cujus augmento Petrus de Augo ejus nepos dedit 100 solidos VI calendas Maii.

XLVII. ARNULFUS.

Patria Ambianus Arnulfus, filius Elisabethæ de Pertica, Rogeri de Furnivalle Ludovici VIII & sancti Ludovici regum medici privignus, Theobaldi Rotomagensis archiepiscopi consobrinus, Richardi de Furnivalle cancellarii ecclesiæ Ambianensis ex matre frater, doctor erat theologus, quum anno 1227 interfuit conventui Parisiis apud Franciscanos habito, in quo theologi Parisienses post longam disputationem definierunt neminem sine peccato mortali posse habere duo beneficia, quorum alterum ad sustentationem est sufficiens. Huic tamen opinioni contrarius fuit Arnulfus, ut volunt Dionysius Cartusianus, art. VII de pluralitate beneficiorum, & Cantipratanus, lib. I, c. 14, qui eum Arnaldum vocat. Sane tunc temporis corruptissimos cleri mores arguunt concilia Oxoniense in Anglia pro reformatione ecclesiæ anno 1222, Germanicum contra concubinarios 1225, & Londinense 1237. Anno superiori 1236 Arnulfus episcop. confirmavit acquisitionem factam a Matthæo *de Merincourt* per monachos sancti
1237. Fusciani. Anno 1237 in vigilia S. Trinitatis investivit Gaufridum de Milliaco ballivum regis dotalitio Paviæ uxoris Bernardi de Morolio. Memoratur anno eodem in literis Roberti de Bova in gratiam sancti Fusciani. Eodem a Gregorio IX delegatus decrevit observanda sui antecessoris statuta pro ecclesia S. Wlfranni. Anno
1238. 1238 decimas villæ de Sanctis monasterio sancti Fusciani asseruit. Eodem antiquam nosocomii domum ob ædificium majoris ecclesiæ destruxit, & in locum ubi nunc est transtulit. Transtulit
1239. quoque anno 1239 conventum fratrum Minorum apud Abbatis-villam in locum ubi nunc
1240. sunt. Composuit anno 1240 cum Gerardo de Conchis decano, postea ejus successore, pro lu-
1241. minari exequiarum. Cessit anno 1241 presbytero sancti Firmini, cujus pro fabrica cathedralis ademta fuerat ecclesia, duas domos & terram sub annuo censu, quia domus hospitalis populo
1242. S. Firmini non sufficiebat. An. 1242 concessit capitulo collationem capellaniarum in quibus habebat jus patronatus. Quum Franciscanorum & Dominicanorum ordines ubique propagarentur,
1243. Prædicatores Ambiani admittuntur anno 1243,
1244. & Franciscani 1244. Eodem anno quum episcopalis jurisdictio magnum pondus & auctoritatem haberet, Arnulfus Gaufridum de Milliaco Ambianensem ballivum gravissima multavit sententia, eo quod clericos quinque capitali judicio damnasset incompetenter & non servatis regulis juris. Hanc fusius habes litem apud Morlierium in vita Arnulfi, qui adstitit translationi corporis

A sancti Edmundi Cantuariensis archiepiscopi apud Pontiniacum factæ VII idus Junii 1246. Deni- ANNI CHRISTI 1246.
que quum coronidem fere imposuisset operi ædificii basilicæ majoris cui sedulo incubuerat, obiit ante mensem Junium 1247, quo data exstat apud Gardum charta R. archidiaconi Ambianensis sede episcopali vacante. Sepultus creditur pone chorum & altare majus sub tumulo & effigie ex marmore nigro. Memoratur XVII cal. Aug. in obituario ecclesiæ Rotomagensis.

XLVIII. GERARDUS. DE CONCHY.

Ex pœnitentiario decanus Gerardus, ex de-
B cano episcopus, concedit an. 1247 monasterio 1247.
sancti Martini ad Gemellos 100 solidos Parisienses annui reditus ob indemnitatem translationis sancti Johannis e loco ubi nunc est ecclesia sancti Firmini confessoris in parochiam sancti
Lupi. Anno 1249 mense Junio dedit faculta- 1249.
tem vicedominæ Pinconii & heredibus ejus conferendi capellam quam apud *Oissy* fundaverat pro anima Evrardi conjugis ejus. Jam se commiserat itineri cum sancto Ludovico contra infideles bellum inferenti, sabbato post nativitatem beati Johannis Baptistæ, & Damietæ morabatur cum regina 20 Novembris, sancto Ludovico ad-
C versus Saracenos castra movente. Reversus anno
1250 composuit cum vidua Evrardi pro terra 1250.
de Piquini & feodo vicedomini. Anno eodem Franciscani Royæ admittuntur. Gerardi frequens
est mentio in actis ab anno 1252, quo occurrit 1252.
in chartis castri Albæmarlæ, ad annum 1257,
ex quibus præcipua notabimus. Anno 1253 1253.
mense Septembri acquisivit a capitulo domum Ambiani extra portam sancti Michaëlis, quam Ada soror sancti Godefridi pro anniversario legaverat, ad excipiendos presbyteros senes debiles
emeritos suæ diœcesis. Anno 1255 hortante 1255.
Wermundo Noviomensi episcopo cum Radulfo
D Morinensi, capsam aperuit sancti Eligii, ut ab ea chartas excerperet: ab Alexandro enim IV pontifice judex delectus fuerat controversiæ quæ inerat inter episcopum Noviomensem & monachos sancti Eligii, cum Odone Rotomagensi &
Nivelone Suessionensi episcopis. Anno 1256 1256.
cum aliis episcopis dedit literas ultima Julii legatis universitatis Parif. ad summum pontificem
adversus Dominicanos. Anno 1257 interfuit 1257.
translationi corporum SS. Quintini, Victorici, & Cassiani confessoris e veteri theca in novam, & dedicationi illius ecclesiæ coram S. Ludovico, præsentibus Thoma Remensi archiepiscopo, Ithe-
E rio Laudunensi, Petro Catalaunensi, Wermundo Noviomensi, Willelmo Bellovacensi, Jacobo Atrebatensi, Galthero Tornacensi & Radulfo Morinensi. Fundavit Gerardus in ecclesia Ambianensi festum sanctorum Justi & Artemii, qui prope Conchiacum, unde familiæ ejus nomen, ad Conchiam passi sunt. Duos obitus habet in hac ecclesia, unum ex propria fundatione mense Septembri, alterum Octobri fundatum ab Ansello præposito. Dicitur sepultus prope minus ostium domus episcopalis & capellam sancti Petri.

ANNI CHRISTI

XLIX Alelmus.

DE NEUILLY.

Ex canonico & officiali ab anno 1238 ex
1258. chartis capituli passim, anno desinente 1258
electus videtur episcopus Alelmus. Anselmus
enim de Lehievria archidiaconus Ambianensis
hoc anno mense Novembri, sede Ambianensi
vacante, sententiam tulit pro decano contra decanum *de Fouilloy*. At Alelmus episcopus eo
quoque anno concessit collegiatæ ecclesiæ *de Fouilloy* nominationem capellæ fundatæ ab Engueranno *de Heilly* canonico Ambianensi. Obie-
1259. rat vero anno 1259 fer. 2 post Ascensionem,
quo die data habetur in ecclesia de Valloriis præcharta Honorati *Cloquette* archidiaconi Pontivensis, sede vacante. Testamento suo legavit Alelmus capitulo 60 solidos Parisienses annui reditus
percipiendos in terra quæ vocatur Longahaia in
territorio *de Noëy* pro anniversario patris & matris suæ, ex literis officialis Ambianensis anno
1267 fer. 3 post octavas beati Martini æstivalis.
Obitus habet mensibus Februario & Maio.

L. Bernardus I.

D'ABBEVILLE.

Nobili prosapia domus Abbatis-villæ editus
Bernardus, consanguineus Johannis de Abbatisvilla decani, ex canonico Rotomagensi factus
Ambianensis episcopus, subscripsit literis episcoporum S. Ludovico concedentium anno 1259,
ut quæ ignotis restituere non poterat pia in opera
1260. impenderet. Adfuit anno 1260 cerimoniis depositionis reliquiarum Guillelmo Aquicinctino
1261. abbati collatarum. Anno 1261 cum Guillelmo
Bellovacensi & Roberto Silvanectensi episcopis
transtulit ossa sancti Luciani & sociorum, quibus
ornatiores capsulas aptaverat Johannes abbas
sancti Luciani, præsentibus Ludovico Galliæ,
Theobaldo Navarræ regibus, & aliis principibus. Eodem anno litem habuit cum civibus
Ambianensibus de justitia corporum sodomiticorum, & causa cecidit senatus consulto hujus
1262. anni. Anno 1262 duo millia librarum Parisiensium ab urbe accepit pro instituendis quatuor
capellaniis, quibus multatus fuerat ab Arnulfo
episcopo Gaufridus de Milliaco ob injustam
clericorum damnationem. Rotomagi erat VIII
1266. calendas Septembris 1266. Magnificum basilicæ
Ambianensis opus Bernardus tandem absolvit &
1269. perfecit annis 1269 & 1270, ut patet ex hac
1270. inscriptione in majori fenestra super altare: *Ber-*
1275. *nardus episc. me dedit MCCLXIX.* Anno 1275
subscripsit cum Petro archiepiscopo Remensi &
comprovincialibus episcopis epistolæ ad Gregorium X datæ pro referendo in Sanctorum cata-
1277. logum Ludovico IX. Anno 1277 concilio
Compendiensi adstitit, & confirmavit ecclesiæ
Ambianensi decem libras pro fabrica legatas
testamento Johannæ comitissæ Pontivi. Recensetur anno eodem recognitio census sancti Pauli
1278. facta a Bernardo episcopo, qui obiit an. 1278.
Compotus enim de regalibus ab Alermo de
Silliaco incepit hoc anno a die lunæ post mediam Quadragesimam ad dominicam ante Ascensionem. Obitus habet in ecclesiis Rotoma-
A gensi IV, Augensi & Claraevallis IX, & Ambianensi XI calendas Aprilis.

ANNI CHRISTI

LI. Guillelmus.

DE MACON.

Obtenta, quam an. 1278 petierunt, eligendi
facultate, canonici Ambianenses episcopum elegerunt Guillelmum ortu Matisconensem, archidiaconi cognominis nepotem, S. Ludovici clericum
ab eleemosynis, cum Gregorio X amicitia conjunctum, doctoris laurea insignem, canonicum Parisiensem & Bellovacensem, ac decanum Laudunensem. Hunc a se confirmatum regi significavit
anno eodem P. archiepiscopus Remensis. Guil-
B lelmus itaque factus episcopus juramentum præstitit in adventu suo dominica post octavas apostolorum Petri & Pauli anno 1278, quo motam
a B. decessore de ecclesia sancti Nicolai & exemtione clausuræ ab episcopi jurisdictione querelam
finivit, facta cum abbate & monachis sancti
Richarii compositione sabbato post Nativitatem
beatæ Mariæ. Mense eodem sententiam dixit
inter capitula ecclesiarum Ambianensis, sancti
Martini & sancti Acheoli, ac vicedominum Ambianensem. Arbiter electus est mense Octobri
1278 inter capitulum & vicedominum Ambianensem. Anno eodem cum Guillelmo decano
C Abrincensi ad Nicolaum III a rege missus est
pro subsidio ad iter Jerosolymitanum impetrando,
quod negavit papa anno pontificatus I. Anno
1279 Simon cardinalis, Nicolai papæ III legatus, reponit corpus sancti Firmini confessoris 1279.
XVI calendas Junii in capsa in qua nunc est, assistentibus Willelmo archiepiscopo Rotomagensi,
Philippo episcopo Ebroicensi, Reginaldo Bellovacensi, Guidone Lingonensi, Roberto Bathoniensi & Guillelmo Ambianensi, præsentibus
Philippo Franciæ & Eduardo Siciliæ regibus, Ch. LXIX. col. 343.
Carolo principe Salernæ regis Siciliæ filio aliisque proceribus, ex authentico instrumento in-
D vento in capsa annis 1500 & 1715. Eodem
anno 1279 Eduardus I Angliæ rex Franciæ regi
dedit literas die 9 Junii, anno regni VII, de
potestate data procuratori suo ad prosequendum
in curia Franciæ contra episcopum Ambianensem. Eodem anno Guillelmus tulit sententiam
in causa Laudunensium. Eodem auctoritate Nicolai III ex quatuor canonicatibus octo instituit
semipræbendas. Eodem Drogo Ambianensis dominus *de Vinacourt* ei cessionem fecit sex præbendarum hujus loci. Eodem die mercurii post
Epiphaniam interfuit judicio lato inter Petrum
Barbet archiepiscopum Remensem & scabinos 1280.
E Remenses in Parlamento, ratione jurium communiæ Remensis. Anno 1280 mense Julio
recepit hominium Radulfi domini *de Baugenci*,
adversus quem senatusconsultum obtinuerat. Eodem Petrus Atrebatensis episcopus cessit in manibus Guillelmi, qui anno eodem cum Petro
Remensi metropolita sigillo suo munivit pactum
inter Reginaldum de Nantolio episcopum &
capitulum Bellovacense de electione decani a
canonicis facienda. Eodem obtinuit a magistratibus Ambianensibus ut pauperes Ambianenses
sustentandæ familiæ gratia libere piscarentur

ANNI CHRISTI 1281. Chart LXX. col. 343. ubique per Somonam, quod Carolus VI rex postea confirmavit an. 1391. Statuta edidit Guillelmus anno 1281 pro capitulo sancti Firmini *de Vinacourt*. Decano & capitulo ecclesiæ Folliacensis concessit anno eodem jurisdictionem in canonicos, vicarios, &c. Eodem cum aliis arbiter inter regem & episcopum Carnotensem collationum in præpositura Masengeii & archidiaconatu Pisciacensi judicio adesse nequivit; Romam enim anno 1281 cum Simone Carnotensi episcopo nomine cleri Gallicani missus est ad obtinendam a Martino IV canonizationem Ludovici IX Francorum regis, ut patet ex bulla ejusdem pontificis data X calend. Januarii, pontificatus an. 1. Dum autem Romæ consisteret Guillelmus, fratres Minores impetrarunt a summo pontifice ut possent audire confessiones & absolvere prælatis minime requisitis, propter quod orta fuit magna contentio inter prælatos regni Franciæ & fratres prædictos. Occasione hujus controversiæ una cum Guillelmo archiepiscopo Rotomagensi scripsit Guillelmus die mercurii post festum apostolorum
1282. Petri & Pauli 1282 ad archiepiscopos Remensem, Senonensem & Turonensem ut eos hortaretur ad concilium celebrandum adversus fratrum Minorum molitiones. Recepit anno eodem hominium Elisabethæ *de Rumigni* dominæ de Bova uxoris Theobaldi Lotharingiæ ducis. De pluribus convenit cum scabinis urbis mense Febr. 1282.
1283. Anno 1283 interfuit Parlamento *Omnium Sanctorum*, in quo comitatus Pictaviensis & Arverniæ dominia regi Philippo III adscribuntur contra Carolum regem Siciliæ ejus patruum. Theobaldum Dolensem episcopum & Matthæum abbatem sancti Dionysii aliosque regni administros rogavit anno eodem ut abbatissæ S. Austrebertæ Monstroliensis ab ipso confirmatæ regaliorum
1284. copiam facerent. Anno eodem interfuit Parisiis synodo multarum Galliæ provinciarum, & acerrime pugnavit pro decreto Innocentii III, *omnis utriusque sexus*, adversus nova mendicantium privilegia. Quod ad confirmandum Baluzius in notis ad vitas paparum Avenionensium, col 578, laudat codicem bibliothecæ Colbertinæ 3266, aitque ea de causa Guillelmum a Mathia Flacio Illyrico testibus veritatis fuisse annumeratum.
1287. Anno 1287 rursus bellum recruduit adversus Mendicantes in concilio Remensi, ad quod con-
1291. venit etiam Guillelmus. Anno 1291 feoda &
Ch. LXXI. col. 344. retrofeoda quæ possidebat episcopus Ambianensis apud Balgentiacum, cessit Johannæ Castilloneæ comitissæ Blesensi & Alençonii, ea lege ut ipsa & successores ejus episcopis Ambianensibus fidem clientelarem præstarent, & quotannis die 25 Septembris cereum 100 librarum in missa solenni ecclesiæ Ambianensi offerrent, quod ratum habuit anno sequenti Hugo *de Chasstillon* Johannæ heres. Fundatum a Johanne vicedomino decanatum Pinconiensem confirmavit mense
1292. Aprili 1291. Anno 1292 sigillum suum posuit Guillelmus literis Margaritæ reginæ Jerusalem donationem facientis Roberto duci Burgundiæ mense Julio. Rogavit regem anno eodem ut abbati sancti Vedasti de Morolio ab ipso con-

A firmato regalia concederet. Anno 1293 die jovis post festum sancti Andreæ univit mensæ episcopali possessiones Canonicorum regularium apud Petronolum, in quorum loco subrogavit duos capellanos. Anno 1296 in sanctius consilium adlectus, adfuit cœtui apud Luparam congregato a Philippo pulchro in negotio Guidonis comitis Flandriæ qui a pace abhorrebat. Cum Egidio Narbonensi archiepiscopo & P. Autissiodorensi præsule missus est a rege die martis ante Purificationem beatæ Mariæ 1297, acturus de pace inter Franciæ & Angliæ reges. Deputatus quoque est a rege ad reformandam pacem inter comites Flandriæ & Hannoniæ, & apud Cameracum pro electione Girardi *de Relengues*, & adhuc ad Guidonem comitem Flandriæ & filios suos ad sciendum quid de bello decrevissent, pro quibus 74 dierum itineribus satisfactum ei est 30 Januarii 1298. Statuta a Gaufrido decessore pro ecclesia S. Johannis de Pratis apud Abbatisvillam condita explicavit anno 1300, capellanisque permisit aliud beneficium ecclesiasticum simul retinere. Fuit exsecutor testamenti Fr. Remundi Gaufridi ordinis Minorum, mense Feb. 1300. Anno 1301 Cartusianorum cœnobium apud Abbatis-villam condidit feria sexta in Parasceve in honorem sancti Honorati, quod emto ab equitibus Templariis agro, annuo censu sacroque S. Honorati capite dotavit. Composuit anno eodem cum capitulo pro jure confirmandi abbates sancti Acheoli & sancti Martini. A summo pontifice Bonifacio VIII cum episcopo Autissiodorensi delegatus Carolo Valesio fratri Philippi pulchri licentiam fecit mense Januar. 1301 uxorem duxendi Catharinam imperatricem Constantinopoleos ipsius in tertio consanguinitatis & secundo affinitatis gradu cognatam. Mense Feb. anni ejusdem acquisivit ab Egidio *de Canapes* milite, domino dicti loci, justitiam, dominium, terras & omnia quæ habebat apud *Halloy*, confirmante Johanne comite Drocensi, de quo ille tenebat. Cum Johanne vicedomino de ipsius juribus convenit, qui vicedominus recensionem bonorum suorum fecit episcopo mense Januario 1302. Anno 1303 pro defensione Philippi IV regis adversus Bonifacium VIII subscripsit die 15 Januarii provocationi ad futurum concilium. Episcopus & capitulum petunt a rege Philippo pulchro immunitatem decimarum anno 1303, ut immunes erant ecclesiæ Galliarum, ac præsertim provinciæ Remensis. Adfuit anno 1304 concilio provinciæ Remensis. De ejus consilio anno eodem, necnon Egidii Bituricensis archiep. & Bertrandi de S. Dionysio episcopi Aurelianensis Guillelmus Parisiensis damnavit sententiam Fr. Johannis de Parisius doctoris theologi ordinis Prædicatorum, qui asserebat Christum esse in Eucharistia per assumtionem substantiæ panis. Anno 1306 adfuit translationi capitis S. Ludovici ex abbatia sancti Dionysii ad sacram capellam palatii Parisiensis. Augustiniani Eremitæ apud Ambianum admittuntur anno 1307. Tandem multorum annorum senex Guillelmus vitam morte commutavit anno 1308 die 19 Maii, &

ANNI CHRISTI 1293. 1296. 1297. 1298. 1300. 1301. 1303. 1304. 1306. 1307. 1308.

ANNI CHRISTI

die dominica ante Ascensionem occepta sunt regalia. Funeratus est in sacello sanctæ Margaretæ totius basilicæ Ambianensis tunc ornatissimo, cenotaphio ex cupro elaborato, & juxta ipsum in plano tumulatur sub marmore nigro ejus nepos. Guillelmi autem hoc est epitaphium :

Matisconensis ortu, post Ambianensis
Factus prælatus, jacet hic Guillelmus humatus,
Qui prius artista, doctor fuit & canonista
Summe famosus, facundus & ingeniosus;
Clericus Angelici fuit hic regis Ludovici.
Gregorio deno conjunctus corde sereno.
Post cursum talem, concedit pontificalem
Sedem, cui cura fuit ecclesiastica jura
Integra servare, servataque multiplicare.
Flos prælatorum, rector pius inferiorum,
Præsul ter denis fuit annis, clarus arenis.
M. C. ter & tetra bis Christi vivat in æthra.

Obitum habet Guillelmus in ecclesia Ambianensi mense Maio, ex necrologio, ubi vir magni consilii & magnæ scientiæ, & pater prælatorum honorifice dicitur, cujus fama toto regno Franciæ fuit mirabiliter dilatata, laudaturque ob collata ecclesiæ pretiosa ornamenta & jocalia. Ex necrologio Parisiensi cessit illi capitulo centum libras pro fundatione obitus. Fundavit quoque obitus in ecclesiis Bellovacensi XI cal. Jun. & S. Genovefæ, & capellaniam in ecclesia S. Petri Matisconensis.

DE FOUILLOY.

LII. Robertus II.

Antiqua & nobili prope Ambianum satus familia Robertus, avunculus Roberti *de Croy* decani, cognatus autem Johannis *d'Aubigni* episcopi Trecensis, ex canonico Noviomensi Ambianensis electus episcopus, regalia excepit die 12 Septembris 1308. Insequenti quum mandasset rectoribus parochiarum sancti Richarii ut candelas, cineres & ramos palmarum secluso abbate Centulensi ipsi benedicerent, auctoritate aposto-
1309. lica compressus est idibus Novembris 1309.
1310. Confirmavit anno 1310 venditionem factam ecclesiæ sancti Martini de Gemellis a Roberto *d'Aubigny* consanguineo. Asseruit anno eodem fundationem duarum capellaniarum in ecclesia sancti Firmini confessoris mense Nov. Ineunte
1311. an. 1311 missus est cum nonnullis magnatibus a Philippo pulchro in Aquitaniam, qui cognoscerent de delictis de quibus accusabantur ministri regis Angliæ adversus subditos regis. Renaldum vicedominum Ambianensem ac toparcham de Pinconio & Balduinum *de Rubempré* de multis diffidentes
1313. conciliavit mense Nov. 1313. Subscripsit literis Philippi IV regis confirmantis pacta & confœderationes inter Balduinum imperatorem Constantinopolitanum & Carolum II regem Siciliæ Parisiis mense Decembri. Cum B. *de Courteheuse* consiliario regis a rege deputatus est in causa controversiæ inter Carolum comitem Valesii, ex parte una, & abbatem ac conventum Longipontis, ex altera, ad quam finiendam dies indicta est postera Assumtionis beatæ Mariæ, uti testantur
1314. literæ die lunæ ante nativitatem beati Johannis
1315. Baptistæ anno 1314. Anno 1315 interfuit

A parlamento *Omnium Sanctorum* & judicio lato pro exsecutoribus testamenti Agnetis comitissæ Bigorrensis contra Carolum comitem Marchiæ Ludovici Hutini regis fratrem. Missus est anno 1316 a rege cum Sansone de Calvomonte 1316. archidiacono Avalonensi & Guillelmo de Viriaco milite, tamquam inquisitor *ad partes senescalliæ Petragoricensis & Cadurcensis pro reformatione patriæ . . . . . ut forefacturas quarumlibet personarum applicaret thesauro regis*, ac invitaret abbates & priores locupletes ad subsidium regi præstandum pro regni defensione adversus Flamingos. Priores regis literæ quibus Robertus B instituitur inquisitor, datæ erant 10 Ap. 1314. Hæc nos docent literæ dicti episcopi datæ die sabbati in vigilia Pentecostes anno 1316, quibus notam facit potestatem sibi delegatam : iis appendet sigillum Roberti ex cera, cui tres leones impressi. Eustachio de Fontanis domino de Longo-prato ecclesiæ Ambianensis præcentori, & Guillelmo de Villaribus canonico Folliacensi dedit facultatem 10 Septembris 1316 statuta & constitutiones edendi pro ecclesia beatæ Mariæ de Longo-prato. Anno eodem a Carolo Valesio deputatus pro negotiis regni, per Corbeiam transiit, & monachis significavit nullum inde ipsis Ch. LXXIV. col. 345. C damnum inferendum. Sæpius adfuit parlamento, scilicet 1316 mense Decembri apud Vincennas initio regni Philippi V, 1317 quando comitatus 1317. Artesiæ Mathildi *d'Artois* assertus est contra Robertum ejus nepotem, & 1318 parlamento S. 1318. Martini. Adfuit anno 1317 per procuratorem synodo Silvanecti celebratæ a Roberto metropolitano Remensi. Festa SS. Firmini, Fusciani, Gentiani & Victorici solenniora instituit anno 1318. Delegatus fuit anno eodem a Johanne XXII ad terminandam causam Petri episcopi Catalaunensis. Transegit cum capitulo 11 Dec. 1320. Sublatus e medio an. 1321 20 Martii 1320. D quo occeperunt regalia, in sacello Primæ sepe- 1321. litur a dextris januæ, adscriptis tumulo his versibus :

Hic jacet egregius Robertus Folliacensis
. . . .
M. C. ter hic anno vigeno menseque Marci
In terna sena feria terrena reliquit.

Notatur tamen ejus obitus die 24 in computo regaliorum, & 18 in necrologio.

LIII. Simon.

DE GOUCANS.

Post aliquot mensium interstitium, patria Bisuntinus Simon, ex monacho Corbeiæ, ut volunt E ejus monasterii tabulæ, quod nonnulli melius negant, creatus episcopus per obitum Roberti, confirmatur regique commendatur a Johanne XXII anno pontificatus V. Cameræ apostolicæ promisit 10 Julii 1321, occlusaque sunt 22 mensis ejusdem in festo B. Magdalenæ regalia, quæ occeperant die festo Annunciationis. Eadem die electus & confirmatus interfuit pactis inter Johannam reginam Franciæ & Navarræ ac Henricum a Burgundia. Episcopus vero excusavit se die 10 Octobris quod nondum venisset ad matrem ecclesiam ob diversa regis negotia & reginæ Navarræ,

ANNI CHRISTI

Navarræ. Venit tandem & exceptus est 29 Nov. A
1321; ac proinde ipse est a quo rex anno 1322
1322. terram de Gravia accepit & dominio univit: unde concluditur monachum non fuisse Simonem, qui hoc anno archiepiscopo Remensi fidem præstitit in vigilia sancti Marci. Primus ex Ambianensibus episcopis episcopum se Dei & apostolicæ sedis gratia nominavit, ut liquet ex sententia quam tulit anno eodem contra Johannem
1323. *de Piquigny*. Composuit anno 1323 cum majore & scabinis pro custodia portæ Arcuum in
1324. jurisdictione episcopatus. Anno 1324 edidit statuta pro octo pueris symphoniastis. Ratum habuit die veneris post Assumtionem 1324, latum a Guillelmo decano & Johanne de Nosoreto officiali Ambianensi ipsius vicariis sabbato ante dominicam *Lætare Jerusalem* 1322, dum ipse in remotis ageret, judicium inter ipsum & monachos Lehunenses super jure præsentandi ad capellaniam sancti Medardi de Magnomanagio, quod alternum definierunt. Ultimum clausit diem 3 Dec.
1325. 1325, quo obitum habet, humatusque est in eodem sacello Primæ quo decessor, a læva altaris. In muro verba epitaphii hæc tantum supersunt: *Simon decessit præsul.*

LIV. JOHANNES I.

CHERCHEMONT.

Nobilis Pictaviensis Johannes parentes habuit Guillelmum in legibus doctorem & Mariam, patruum vero Johannem dominum *de Venours* decanum Pictaviensem & post Franciæ cancellarium. Ipse vero ex canonico sanctæ Radegundis Pictaviensis & sancti Quintini, quinimo ex decano sancti Germani Autissiodorensis apud Parisios, & etiam ex episcopo Trecensi, ut in Trecensibus expendemus, fit episcopus Ambianensis anno 1325 ex libro juramenti pontificum in solenni ingressu. Jactis ab archiepiscopo Auscienci fundamentis ecclesiæ sancti Sepulcri Pari-
1326. siensis præsens interfuit 18 Maii 1326. Cameræ D apostolicæ promiserat 13 Martii, ubi adhuc memoratur 23 Martii & 12 Augusti 1329.
1327. Ecclesiam suam ingressus est 16 Aug. 1327, & ecclesiæ suæ sacramentum præstitit sabbato post
1328. festum sancti Lucæ. Anno sequenti ineunte senatus Parisiensis declaravit vacantium beneficiorum in diœcesi, sede vacante, collationem ad futurum episcopum, non ad regem ratione juris

Spicileg. tom. XII. pag. 192.

1329. regalium pertinere. Anno 1329 synodo Silvanectensi per deputatum adstitit. Eodem Eduardus Angliæ rex Philippo Valesio Franciæ regi hominium fecit die 16 Maii in ecclesia Ambianensi de ducatu Aquitaniæ & comitatu Pontivi. Jo- E
1330. hannes autem adfuit die 12 Februarii 1330 dedicationi ecclesiæ sancti Ludovici Pisciacensis. Pactum iniit cum capitulo de omnibus contro-
1332. versiis 1332. Ordinavit anno 1334 solennem
1334. SS. Sacramenti supplicationem in urbe sancti Richarii, ea lege ut si præsens adesset, corpus Christi ipse deferret. De pluribus convenit cum majore & scabinis 13 Martii 1342. In remotis
1343. agebat anno 1343, quum vicarii ejus generales die 28 Septembris hospitale ab Egidio de Riveriis milite & Isabella de Seullis uxore institutum in loco de Riveriis approbarunt. Interfuit synodo provinciali in urbe Noviomensi anno 1344. 1344.
Ad monasterium Corbeiense accessit devotionis gratia 2 Maii 1346, cujus jurisdictionem agnovit. Transactionem fecit cum capitulo Royensi, 1346.
quam senatus Parisiensis confirmavit 19 Febr.
1347. Fr. *d'Ailly* vicedomini Ambianensis & 1347.
toparchæ de Pinconio clientelam excepit 24 Septembris 1348. Franciæ regem Johannem 1348.
ad bellum contra Angliæ regem proficiscentem fidelium suæ diœcesis precibus commendavit anno 1355. Præsulis hujus temporibus anno 1355.
1358 Johannes *de Piquigny* suburbia, duasque 1358.
B civitatis Ambianensis partes igne succendit. Querelam habuit cum majore & scabinis de judicio adulterorum, quorum causam officiariis suis judicandam rex commisit 10 Julii 1366. Hæc au- 1366.
tem querela quum recruduisset per archidiaconos Pontivensem & Ambianensem, sede episcopali vacante, rex Carolus mandavit ut desisterent senatus consulto dato 5 Mart. 1388, regni VIII. Johannes vero translationem parochiæ sancti Georgii apud Abbatis-villam permisit an. 1367. 1367.
Convenit anno 1369 ut cives Ambianenses 1369.
absque confessione atque testamento decedentes, modo non forent excommunicati nec hæretici, C cum fidelibus sepelirentur. Post sedem annorum 47 obiit 26 Januarii 1372, nunc 1373, cujus 1373.
tumulus in sacello cathedralis sancti Sebastiani hoc condecoratur epitaphio:

Prob. Libert. eccl. Gallic. pag. 171.

Moribus excellens jacet hic, immunda repellens,
Vir bene famosus, mitis, castus, generosus,
Sobrius & lenis, largifluus, atque quietus.
Ille Johannes erat vocitatus, dignus honore,
Cognomen fuerat Cherchemont *patris amore.*
Hic Pictavensis præsul fuit Ambianensis,
Annis quaternis decies, septemque paternis:
Anno milleno trecenteno duodeno,
Et sexageno, cessit mundo nece pleno;
Vigesima sexta feria jam quoque plena
Lethi præcessit, circa nonamque recessit.
Gaudeat in cælis, exoret quisque fidelis.

Circa ejus imaginem hi versus leguntur:

Qui me calce premis, exemplar sum tibi magnum,
Cur non corde fremis? mundo nihil est nisi stagnum.
Ad mortem properans, ignoras tempus & horam.
Hæc miser accelerans cognoscere, quod male noram,
Ad Christum pro me devota precamina prome,
Ut me suscipiat post mortem, dicito, fiat.

Obitum habet mense Januario.

Episcopi hujus tempore Guillelmus Barberii pœnitentiarius ecclesiæ Ambian. ædificavit anno 1364 domum S. Nicolai pro pauperibus clericis.

LV. JOHANNES II.

DE LA GRANGE.

Ex abbate Fiscannensi Johannes factus episcopus Ambianensis ineunte anno 1373 a Gregorio XI, qui nominationem reservarat, cameræ apostolicæ promisit 23 Martii, & possessionem iniit 12 Aprilis per procuratores Petrum Aurifabri decanum Silvanectensem & Andreamde

ANNI CHRISTI

Ollencuria priorem de Monte Amberti ordinis Cluniacensis. Hoc eodem anno Johanni petenti rex Carolus V concessit regalia a morte decessoris. Synodum habuit anno eodem die 15 Dec.
1374. Insequenti Brugis interfuit, ubi unius anni induciæ factæ sunt cum duce Lancastriæ regis Angliæ filio. Eodem anno mense Octobri nominatur a Carolo V rege testamenti sui inter alios executor, & edicti de *majoritate* regum Franciæ, necnon in partem administrationis regni accitus est eo casu quo post obitum regis regina in alteras convolaret nuptias. De pluribus cum majore & scabinis convenit 3 Jan. 1374. Ab Eduardo III Angliæ rege in Flandriam commeandi potestatem obtinuit datis 3 Martii & 23 Septembris
1375. anno 1375 literis. Itaque reversus Brugas anno 1375 Johannes inducias de quibus supra, cum aliis ad annum sequentem prorogavit. Eodem vero a Gregorio XI, die jovis 20 Decembris, Avenioni creatur presbyter cardinalis, cujus promotio die 28 ejusdem mensis significata capitulo Ambianensi; quod vacantis sedis administrationem iniit 9 Jan. 1376 more nostro. Johannes autem a Gregorio pontifice vocatus, senatum Parisiensem ante discessum eleganti oratione latine salutavit die veneris 27 Junii, & Avenionem profectus, curiam intravit die 26 Julii, tum vero ei datus est titulus sancti Marcelli. Anno eodem in Italiam cum Gregorio XI profectus, in mari multa passus est. Circa id tempus præbenda Parisiensi donatus, cum canonicis sancti Victoris pro annuo reditu causam habuit, qua cecidit die 20 Septembris. Domos quoque suas de Silvanecto foris muros & de Credolio regi dedit hoc anno mense Septembri al. Novembri. Lucam a Gregorio XI missus est anno 1378 pro revocanda pace inter eum & Florentinos. Deinde profectus est Pisas, ubi erat quando Bartholomæus archiepiscopus Barensis electus est papa. Ab Urbano VI Romam evocatus, ingressus est die 24 Aprilis, & sequenti ab eo honorifice exceptus, at postea male habitus & avaritiæ crimine insimulatus, cum aliis cardinalibus Gallis Roma egressus, Anagniam primum, tum Fundos se recepit, ac Clementem VII pontificem eligendum curavit 1378 20 Septemb. a quo humaniter tractatus est & episcopus Tusculanus creatus anno 1379 in locum defuncti Egidii cardinalis, licet ab Urbano exauctoratus fuisset & purpura privatus VIII idus Novembris anni superioris. Secutus Clementem, cum eo fuit Avenioni an. 1379. Paulo post Luteciam petiit: quippe anno sequenti regi Carolo V morienti adstitit, quo defuncto, quum ad eum pervenissent verba quædam dura & aspera Caroli VI de ipso ad Savoisium ærarii præfectum, statim equum ascendit & celeriter abiit ad quemdam locum vocatum *Doué* Johannis de Maresiis advocati regii, qui filiam Stephani præsidis in senatu Parisiensi ipsius fratris uxorem duxerat. Hinc Avenionem remeans, ibi per aliquot annos commoratus est. Post excessum Clementis VII Benedicto XIII adhæsit, cujus electioni adfuit Avenioni 1394. Ad sopiendum tamen schisma censuit Benedictum cum æmulo suo cedere debere, quod quum renuisset Benedictus, ab ipso secessit Johannes cardinalis, qui Avenioni tandem decumbens testamentum condidit die 12 Aprilis 1402. Illud habes in observationibus Dionysii Godefridi ad historiam Caroli VI auctore Johanne-Juvenali *des Ursins*, p. 754. Hisce codicillis Johannes plurima abbatiis, ecclesiis & conventibus religiosorum, tam pro se quam pro anima Caroli V regis quem impense dilexerat, legat, & missarum anniversaria solennia, precesque aliquas quolibet anno statuit, vult patrem, matrem, fratres & sorores sepultos in capella B. Mariæ prioratus de Amberta diœcesis Lugdunensis transferri in capellam sancti Egidii, quam in eadem ecclesia ædificaverat. Testamenti curatores nominat Petrum cardinalem de Tureio, Johannem Vivariensem, Petrum Aniciensem, Guillelmum de Vergeio cardinales, Franciscum archiepiscopum Narbonensem, Johannem de Boissiaco Ambianensem & Johannem Filheti Aptensem nepotes suos, Johannem de Monteacuto Carnotensem & Petrum *Beaublé* Uticensem episcopos, aliosque in apographo recensitos. Denique eligit sepulturam in eccles. Ambianensi, ubi sancti Johannis Baptistæ & sancti Johannis evangelistæ sacella condiderat a parte sinistra majoris altaris, in tumulo quem ipse sibi vivens construxerat; sin vero decederet Avenioni, carnem & viscera in æde sancti Martialis Avenionensis, ubi præclara pietatis monumenta reliquerat, cœnotaphio ibidem a se erecto miræ structuræ & artis sepelienda, ossa vero Ambianum deportanda præcipit, quod & factum est. Defunctus enim Avenioni 24 Aprilis 1402, in æde sancti Martialis humatus est, inde Ambianos translatum cadaver in ecclesia cathedrali tumulatur ad portam chori sinistram cum hoc epitaphio: *Hic jacet reverendissimus in Christo pater dominus dominus Johannes de Grangia abbas Fiscannensis, deinde episcopus Ambianensis, postremo vero S. R. E. cardinalis Tusculanus, qui obiit anno Domini MCCCCII die XXIV mensis Aprilis. Orate Deum pro eo, ut requiescat in pace in paradiso.*

LVI. Johannes III.

ROLLAND.

Johanne ad purpuram assumto, ad infulas Ambianenses assumitur alter Johannes in Claromontensi diœcesi in Arvernis natus, ubi fuerat comes vel potius rector studiorum Hugonis delfini fratris Beraldi comitis & delfini Arverniæ, ut legitur in arresto Parlamenti an. 1395 edito a Baluzio hist. dom. Arverniæ, tom. 2, pag. 341. Doctor autem legum famosissimus & archidiaconus erat Biterrensis, quum a Gregorio XI electus Ambianensis episcopus, cameræ apostolicæ promisit & recognovit pro Johanne decessore
14 Jan. 1376. Possessionem iniit 2 Februarii 1376.
sequentis per procuratorem Bernardum Genesta 1377.
decanum Meldensem & Johannem de Rupe Rotomagensis & Atrebatensis ecclesiarum canonicum. Dum Romæ versaretur anno 1378, Urbano VI electo summo pontifice, fugere extra 1378.
urbem coactus est. Inde reversus, ecclesiam suam

ANNI CHRISTI

solenni pompa ingressus est 1 Augusti 1379, A qua die splendido convivio cives multosque proceres ac nobiles excepit. Castellæ & Legionis
1381. regi allegavit anno 1381 rationes suas pro Clemente VII in facto schismatis. Ab eodem Clemente pro eadam causa destinatus est in Flan-
1383. driam die 26 Februarii 1383 cum episcopo Carnotensi. Anno eodem 17 Januarii senatus Parisiensis decreto abolita est consuetudo numerandæ pecuniæ episcopo Ambianensi ad impetrandam licentiam accedendi ad uxorem noviter ductam ante tres noctes a contractis nuptiis: olim enim tribus illis prioribus noctibus, nisi accederet episcopi dispensatio, a concubitu abstinebant conjuges. Factus est autem Johannes
1385. cardinalis 12 Julii 1385 a Clemente VII, ex libro obligationum, quem secuti sunt Onufrius Panvinius & Contelorius: at quum nulla ejus cardinalatus mentio reperiatur, nec in ejus epitaphio, nec in necrologio ecclesiæ Ambianensis, & Egidius Bellamera, qui anno 1386 commentarios suos in decretales scribebat, in capite *Examinata* de judiciis, vocet eum simpliciter modernum episcopum Ambianensem, inde colligit Baluzius oblatam purpuram præ modestia Johannem respuisse: sed quia hujus rei nulla in epitaphio occurrit mentio, quæ sine dubio omissa non fuisset, sunt quibus minus arridet Baluzii conjectura. Matrimonio junxit in ecclesia cathedrali Carolum VI regem cum Elizabetha Bavarra 17 Julii 1385, præsentibus regiæ stirpis, necnon plurimis Germaniæ principibus. Eodem anno instituit 3 Novembris Guillelmum de Gravia legum doctorem, ut sui vice perciperet a rege mille auri libras, quas regi episcopus commodaverat. De pluribus cum majore & scabinis
1387. convenit anno 1387. Defunctus 17 Decem-
1388. bris 1388, sepelitur in cathedralis sacello sancti Johannis-Baptistæ pone chorum, in quo missam quotidianam fundavit. In tumulo e nigro marmore ornato ære, figuris & stemmatibus familiæ distincto, hoc legentibus prostat epitaphium:

HIC JACET

Recolendæ memoriæ dominus Johannes Rollandi quondam Ambianensis episcopus, doctor legum famosissimus, præsulum decus eximium, pater celsi ingenii, verecundus, sobrius, castus, mansuetus, cultor pietatis, & totius virtutis thalamus, ac christicolarum pauperum suæ diœcesis adjutor largifluus, quos suorum bonorum heredes instituit, & obiit anno Domini 1388, suique regiminis hujus ecclesiæ decimo tertio, mensis Decembris decimo septimo. Orate pro eo.

In libro obituum ecclesiæ Ambianensis legitur: *VII calend. Januarii obitus D. Johannis Rollandi Claromontensis diœcesis, quondam hujus ecclesiæ episcopi, quam ecclesiam pluribus ornamentis pretiosis multipliciter adornavit.*

DE BOISSY.

LVII. JOHANNES IV.

E diœcesi Lugdunensi oriundus Johannes, cardinalis de Grangia nepos, ac frater Imberti de Boissiaco præsidis in Parlamento Parisiensi, viri nobilis ac prudentis regis consiliarii, ut memoratur in obituario, Ambianensis erat canonicus anno 1374: deinde Matisconensis præsul 1380, ut diximus tom. IV, col. 1088; inde transiit ad infulas Ambianenses 27 Feb. 1389, 1389.
& ecclesiam suam ingressus est mense Januario sequenti. Composuit anno 1390 cum capitulo 1390.
pro perceptione fructuum sedis vacantis, & de multis aliis ad jurisdictionem spectantibus. Anno 1391 cum majore & scabinis pactum iniit, di- 1391.
misitque civibus jus percipiendi duas *canas*, ut vocant, vini pro singulis nubentibus & morientibus pro quindecim libris annuis, quod pactum senatus consulto fuit confirmatum die 9 Junii. B Cameræ apostolicæ solvit 27 Octobris 1391 & 11 Martii 1392 pro ecclesia Matisconensi, cui 1392.
præfuerat, ex regestis Vaticani. Eodem anno Cœlestini Ambiani admittuntur. Johannes litem gessit cum monachis Corbeiæ anno 1393, rela- 1393.
tam a Johanne Gallo, qu. 306 super ordinibus faciendis de monachis per episcopum præfatum, & de non præstando loco foraneo episcopo, deque aliis capitibus allegatis. Hæc autem lis in gratiam monachorum finita fuit senatus consulto dato 20 Augusti 1400. Johannes vero interfuit anno 1394 Parisiis cœtui episcoporum in regio 1394.
palatio congregatorum pro tollendo schismate. C Cum majore & scabinis convenit 2 Maii 1395 1395.
de quodam jure dicto *cayage*. Quum excommunicatos denunciasset eos qui jurisdictionem ecclesiæ impediebant, senatus consulto 29 Martii 1396 cohibitus est. An. 1397 coegit Colardum 1396.
dominum *de Mailly* ad satisfaciendum ob inju- 1397.
rias sibi illatas multa 300 librarum in operibus piis expendendarum. Adfuit 5 Maii 1398 pa- 1398.
ctis nuptialibus Johannis *de Roucy* & Elizabethæ *de Montagu*. Dominus de Petraficta Johannes apud Annam Arvernam comitissam Foresii clientelam professus est 8 Dec. 1401. Ecclesiam de 1401.
Noeriis in Calceia sanguinis effusione pollutam D quum vellet reconciliare, abbati sancti Richarii dato 7 Novembris 1405 scripto ejus exemtio- 1405.
nem agnovit. Inquisivit an. 1406 de miraculis 1406.
S. Coletæ monialis Corbeiensis. Cum majore & scabinis de justitia convenit 16 Julii. An. 1407 1407.
interfuit synodo Remis convocatæ 23 Julii, quæ ob episcoporum paucitatem ad annum sequentem dilata est, quo ei adstitit Johannes. Anno eodem contulit penultima Januarii tonsuram clericalem in monasterio sancti Judoci, cum licentia abbatis. Misit anno 1409 procuratorem ad sy- 1409.
nodum Pisanam pro tollendo schismate. Fundavit quatuor capellanos in capellis sancti Johannis- E Baptistæ & sancti Johannis evangelistæ ab avunculo suo cardinali Ambianensi nuper constructis. Senatus consulto 19 Martii 1409 dictum est Ambianensibus licere prima nocte cognoscere uxores suas absque danda episcopo pecunia, licere sepelire mortuos intestatos absque licentia episcopi ejusque officialium, licere denique cujusvis testamenti executoribus testamentum laïcali seu ecclesiasticæ justitiæ submittere per annum. Defunctus Johannes 4 Septembris 1410, juxta 1410.
avunculum jacet in monumento quod condiderat ex lapide. Circa ejus imaginem legitur: *Hic*

ANNI CHRISTI

jacet reverendus in Christo pater & dominus dominus Johannes de Boissiaco legum professor eximius, Lugdunensis diœcesis, miseratione divina, primo Matisconensis, & post Ambianensis episcopus, nepos domini Ambianensis cardinalis hic supra jacentis, qui A
* L. 21. *præfuit ecclesiæ Ambianensi 22 * annis, mensibus sex & diebus septem, & obiit anno Domini 1410 die 4 mensis septembris. Orate Deum pro eo, amen.* Obitum habet mense Octobri.

DE CHENENON.

LVIII. BERNARDUS II.

De Bernardo bis jam locuti tomo secundo, coll. 927 & 1078, toties eum ignoravimus. Ex Vaurensi enim translatus ad Aginnensem 28 B Martii 1397, ex Aginnensi ad Santonensem 23 Julii 1398, ubi perperam ex uno duos effecimus, ex Santonensi transiit ad Ambianensem per obitum Johannis, traductus a Johanne XXIII
1411. die 20 Martii, pontificatus an. I, Christi 1411. Cum capitulo convenit de modo indicandi supplicationes generales anno eodem, quo Carolus VI consiliarium suum eum appellat in charta qua eximit canonicos sancti Quintini a solutione cu-
1412. jusdam tributi; & certe anno sequenti nunc 1412 sacro regis consistorio interfuit die jovis 18 Feb. cum regni proceribus, in quo senatus Parisiensis deputati expostularunt de literis cardinalis Pisani tunc pontificii legati, in quibus multa contra regis C & senatus honorem continebantur. Adstitit quoque magno regis consilio 5 Martii anni ejusdem. Translatus est adhuc Bernardus ad ecclesiam Bellovacensem a Johanne XXIII IV calend. Aprilis, pontificatus anno III, ubi vide.

DE SAULX.

LIX. FILIBERTUS.

De Filiberto jam diximus tom. IV, col. 928. Regi a consiliis sanctioribus, aut, ut ait *Blanchart*, magister libellorum supplicum, e Cabilonensi ad Ambianensem translatus ecclesiam a
1413. Johanne XXIII XVIII calend. Maii 1413, iniit D possessionem 16 Decembris, ex regestis urbis, ubi legitur: *Il a été conclu ...... que pour le bien & honneur de la ville, & pour révérence de la personne de Monsieur l'évesque d'Amiens, qui est du grand Conseil du Roy notre Sire, & qu'il a fait & peut faire souvent plusieurs profits, &c. à la ville, sera donné ..... audit Monsieur l'évesque, à sa premiere venue, un poinchon de vin, six grosses carpes, six gros brochets & six anguilles.* Duci Bur-
1414. gundiæ donavit an. 1414 sex calices argenteos & unam pateram argenti deaurati. Canonicus
1416. erat sancti Gaugerici Cameracensis anno 1416, quo nominatur in libro compositionum capituli E Ambianensis. Testamenti executorem instituit Johannem *de Monheu*. Bonus dictus episcopus Filibertus ex communi populi voce; ab eo ne
1418. mortuus quidem anno 1418 voluit separari, sed in medio cœmeterii sancti Dionysii sine monumento terræ mandari, cujus tumulus quum effoderetur circa annum 1500, repertum est ejus corpus integris adhuc vestibus pontificalibus cum suæ gentis insigniis, ex quo factum ut in erecto tumulo hoc loco episcopi imago cum vestibus insculpta sit.

ANNI CHRISTI

LX. JOHANNES V.

DE HARCOURT.

Johannem jam attigimus tom. III, col. 231, & VI, col. 101. Ex canonico Ambianensi electus a capitulo episcopus, æmulum expertus est Filibertum de Montejoco canonicum quoque & archidiaconum Pontivensem, qui electus a Martino V VIII idus Septembris 1418, adhuc memoratus 7 Januarii 1419 in regesto Benedicti XIII, a Martino V ad ecclesiam Constantiensem translatus est VI id. Maii 1424. Interim qui regis 12 Februarii & summi pontificis 8 Martii 1419 munitus literis, aliquantam in 1419. possessionem venisse visus est, hoc eodem anno 1419 divina celebravit in justis quæ solvebat Burgundiæ duci Johanni patri suo Philippus bonus apud Atrebates in æde sancti Vedasti coram episcopis Cameracensi, Tornacensi, Morinensi & Atrebatensi, ac 29 abbatibus, ex Monstreleto. Vere factus episcopus Ambianensis a Martino V VI id. Maii 1424, qua die Filibertus ad Con- 1424. stantiensem in Neustria ecclesiam translatus est, ex regestis Vaticani, reliquias sanctorum Kiliani, Corentini, Conocani & Ethvini confessorum 13 Junii anni ejusdem e veteri in novam capsam transtulit. At Roberti *le Jeune* ballivi Ambianensis injuriis lacessitus, urbem deserere coactus est, & ad Eugenium IV confugere anno 1430, a quo ad ecclesiam Tornacensem tran- 1430. slatus est 13 Junii 1433, & post ad metropolim 1433. Narbonensem. Cum canonicis Longi-prati statu- *Tom. III. Instr. col. 54.* tum edidit 1431 de modo deportandi feretrum in festo SS. reliquiarum. Defunctus 1452 obitum habet in Ambianensi ecclesia mense Junio.

LXI. JOHANNES VI.

LE JEUNE.

Filius erat Johannes Roberti *le Jeune*, al. *le Josne*, Atrebatensis ex humili loco nati, qui Ambianum venit anno 1390, ubi Jacobi Parvi canonici famulus fuit. Hujus patrocinio jurisprudentiæ Parisiis studuit, urbisque Ambianensis consiliarius & advocatus nominatus est an. 1410, a Johanne *d'Harcourt* episcopo ballivus episcopatus effectus an. 1418, a rege Angliæ & duce Burgundiæ, cujus partes sectabatur, ballivatu Ambianensi donatus est anno 1420, & anno 1425 factus castellanus *de Beauquesne*, cui successit Guillelmus filius 1438. Post annum vero 1423, acceptorum beneficiorum immemor, eidem Johanni episcopo vehementer infensum se præbuit etiam cum vitæ periculo, quia hic præsul delfino adhærebat. Itaque Anglo & Burgundo odiosus Johannes urbem suam anno 1430 deserere cogitur, cujus in locum Johannes Roberti filius, tunc canonicus tantum, vigesimo ætatis suæ anno, patris auctoritate Ambianensem cathedram occupare tentat: neque tamen censetur legitimus pontifex ante annum 1433, quo Johannes *d'Harcourt* ad sedem Tornacensem est assumtus. Johannes *le Jeune* interea decanus Nannetensis, fit episcopus Matisconensis IV idus *Tom. III. Instr. col. 54.* Januarii 1431, ex regestis Vaticani, quorum tunc temporis copiam non habebamus: quo tempore Eugenii IV referendarius, ab eodem

ANNI CHRISTI

missus est ut ecclesiæ Trajectensis statum inspiceret. Inde translato Johanne *d'Harcourt* ad Tornacensem, translatus est Johannes *le Jeune* A
1433. ad Ambianensem 13 Jul. 1433. Moras obtinuit 3 Septembris ad præstandam regi fidem usque ad Nativitatem Domini. Insequenti ab Eugenio IV missus est ad Philippum Burgundiæ ducem, ut de ipsius statu eum faceret certiorem. Johanne episcopo Rosetensi vicario generali utebatur, qui
1435. die 20 Aprilis 1435 ad preces monachorum S. Salvii transtulit corpora sanctorum Salvii, &c.
1436. In concilio Basileensi anno 1436 ab abbate & incolis Corbeiæ impetitus est. Anno eodem ab Eugenio ad Morinensem ecclesiam translatus est B
IX calendas Novembris, ubi cetera quæ ad ipsum spectant videsis. Obitum habet in ecclesia Ambianensi mense Septembri. Robertus ejus pater Atrebati gubernator, dominus *de Contay* & *de Forest*, filio superstes, obiit anno 1463, divitiis & odio populorum æque spectabilis.

CONDELMERIO.

LXII. FRANCISCUS I.

Vacantis per translationem Johannis ecclesiæ Ambianensis administratio, quam Francisco Condelmerio nepoti suo cardinali tituli S. Clementis, dicto cardinali Venetiarum, commendarat Eugenius IV nonis Novembris 1436, ab ipso revo- C
1437. cata est VI calendas Aprilis 1437, Francisco ad metropolim Bisuntinensem hac die translato.

Charta LXXVII. col. 351.

AVANTAGE.

LXIII. JOHANNES VII.

Ad Stapulas maritimum Picardiæ oppidum natus Johannes, Philippi Burgundiæ ducis archiater, ex præposito sancti Petri Insulensis, favore ducis ac meritorum præstantia Ambianensium creatur episcopus regique commendatur ab Eugenio IV VI cal. Aprilis 1437. Eodem anno moram obtinuit 18 Aug. ad præstandum regi sacramentum, quod præstitit Lauduni 12

Ibid.

1441. Aprilis 1440 ante Pascha. Clarissas moniales D
1443. in urbem admisit 1443. Visitavit anno 1451
1451. monasterium sancti Salvii, & indulgentias concessit idem visitantibus in die translationis SS. Salvii & Ingaudi. Permisit uniri personatum de
1454. Pendeto ecclesiæ sancti Walarici anno 1454.
1455. Concilio Suessionensi adstitit 11 Julii 1455. Statuta ipse synodalia edidit, quæ habes amplis. collect. tom. VII, col. 1225. Johannis *d'Ailly* baronis Pinconii & vicedomini Ambianensis clientelam excepit 7 Decemb. 1455. Mortuus
1456. 26 Novembris 1456, sepultus est in sacello capellanorum, quorum in commodum plura sub finem vitæ fundaverat. Ejus tumulus ex laminis E
æreis, cui sculpta imago, laudes sic pangit:

Dictus Avantagii jacet hac tellure Johannes,
Et cinis in cinerem solvitur ipse suum.
Quem Stapuli genitum septenis artibus actis,
Monspessulanus, Parrisiusque regunt.
Illic imbutum tamquam scia mater alumnum
In gremio fovit hunc medicina suo.
Hac illustris eum merita pro laude Philippus
Dux Burgundorum suscipit in medicum,
Sed prius hic Martha sublimi dum volat ala
Ambianis meruit pontificale decus.
Hoc ibi viginti rexit paulo minus annis,
Moribus & meritis se perhibendo patrem.
M. semel & quater C quinquageno quoque sexto
Vicena sexta luce Novembris obit.
Te rogo qui transis, cui fata simillima restant,
Dicito, defuncti spiritus alma petat.

Obitus ejus fit mense Novembri, præter missam perpetuam, quam fundavit in capella in qua jacet.

DE BEAUVOIR.

LXIV. FERRICUS.

Johannis toparchæ *de Beauvoir* ex Ludovica *de Mailly* filius Ferricus, canonicus Ambianensis ab anno 1437, Morinensis quoque & Cameracensis, a Philippo Burgundiæ duce, cui tunc Ambianum parebat, commendatus, eligitur suffragiis capituli 14 Januarii 1456, nunc 1457. 1457.
Regi juravit fidem ultima Martii, moram obtinuit ad recensionem bonorum faciendam 1 Aprilis, & solenni pompa urbem ingressus est 28 Maii anni ejusdem, ex tabulis publicis. Ab Henrico VI Angliæ rege potestatem obtinuit 26 Junii 1458, ut nuncius ducis Burgundi, 1458.
commeandi Calesium pro dieta celebranda cum commissariis regiis. Anno 1461 die 15 Augusti 1461.
Remis interfuit sacro Ludovici XI. Hoc eodem anno orationem habuit in ecclesia sancti Bertini Audomarensis, quum Philippus dux velleris aurei equites ultima vice crearet. Insequenti anno, 1462.
Ambiani peste grassante, pia societas sancti Sebastiani instituta est, ut cives ab hoc flagello protegerentur. Haud multo post quum inter Galliæ regem & Burgundiæ ducem grave bellum exarsisset, hujus partibus sese addixit Ferricus a quo episcopatus beneficium acceperat: unde quum Ludovicus XI Burgundo Ambianum eripuisset anno 1470, cuncta episcopi bona fisco deputata 1470.
sunt, & episcopus Monstrolium, quod in ducis ditione positum erat, se recipere cogitur. Anno 1471 ecclesiam monialium sancti Francisci apud 1471.
Abbatis-villam benedixit. Monstrolli ultimum diem explevit 28 Februarii anno 1472, nunc 1473.
1473, ubi primum sepultus in ecclesia collegiata sancti Firmini martyris, postea Ambianum delatus, tumulatus est intra duas chori pilas die lunæ post dominicam *Reminiscere* precibus & expensis Adriani *de Henencourt* præpositi & canonici Ambianensis, annuente capitulo, ut testantur hæc carmina:

Hic pastor rexi Ferricus, bis datus urnæ,
Monsteroli primum, rursus & Ambianis,
Quo me præpositus idemque nepos Adrianus
Vexit, & ornavit martyris historia;
Exorate, meus quondam grex Ambianensis
Prosit ut hoc celebri me jacuisse loco.

Obiit anno Domini 1472 ultima Februarii, huc translatus 1489 octava Martii.

DE GAUCOURT.

LXV. JOHANNES VIII.

Caroli domini de *Gaucourt* Luteciæ & insulæ

ANNI CHRISTI

Franciæ proregis, & Agnetis dictæ Colettæ *de* A *Vaux* filius Johannes, quum optimis literis a Petro Burro una cum fratre Ludovico institutus esset, patremque ac patruum Radulfum regi haberet acceptos, ex canonico Ambianensi, protonotario apostolico & libellorum supplicum in regis curia magistro, canonica electione prohibita, in vigesimo secundo ætatis suæ anno constitutus, renunciatur administrator & commendatarius epi-
1473. scopatus Ambian. an. 1473, literis Ludovici XI capitulo per Andream *de Laval* dominum *de Loheac* polemarchum præsentatis 26 Aprilis, & vi litterarum apostolicarum 26 Februarii, ex regestis deliberationum capituli. Et certe in re- B gesto Sixti IV electus dicitur Johannes mense Julio 1473, & in libro solutionum occurrit 20 Julii anni ejusdem. Regi fidem juravit die 10
1474. Februarii 1473 (1474). Gratias egit urbi de adepta possessione die 5 Mart. Interea Carolus dux Burgundiæ Sixto IV pontifici scripsit ad obtinendum episcopatum pro Philippo *de Brimeu* consiliario suo & libellorum supplicum magistro, fratre comitis *de Meghem*, eo quod major pars diœceseos in sua esset ditione, sed irrito conatu: nam habentur instrumenta in titulis societatis S. Sebastiani, quibus apparet Johannem sedisse anno 1474. Querelam habuit cum ca- C pitulo pro summa duodecim scutorum aureorum, quam Ludovicus XI reliquiæ sancti Johannis Baptistæ obtulit 12 Januarii 1474, nunc 1475, & repetebat episcopus ut thesaurarius. Memo-
1475. ratur anno eodem 1475 in pactis initis 30 Augusti inter Ludovicum XI & Eduardum Angliæ regem. Insequenti Michaël Margarensis episcopus suffraganeus Johannis *de Gaucourt* commendatarii & administratoris ecclesiæ & episcopatus Ambianensis, confirmationem & tonsuram
1476. contulit die 5 Januarii 1475 (1476) in ecclesia S. Judoci cum licentia abbatis. Ex his tollitur ambigendi locus utrum Johannes Ludovicum D fratrem in sede Ambianensi præcesserit. Et quidem præcessisse Ludovicum probare videtur præfatio quam Jodocus Badius Ascensius præfixit operibus Petri Burri vulgatis 1505, quo mortuus est Burrus. Sic ait: *A domino* de Gaucourt *eo tempore magistro militum apud Parisios assumitur ad liberos illius ingenue erudiendos, quorum duo Ludovicus & Johannes fuerunt alter post alterum sine intermediatore episcopi Ambianenses, quippe quos ipse Burrus noster ita instituerat & erudierat, ut primaria Franciæ luminaria a cunctis censerentur; sed ut solent ingentia ingenia, cito extincti sunt: unde ille dolenter, ut erat acri ingenio, nomina rebus aptare volens, eos merito* de Gaucourt, *id est de gaudio* E *curto & brevi interpretatus est, nihilominus post obitum Johannis qui minor natu fratri Ludovico successor erat, ab eodem canonicatu Ambianensi donatus.* Tamen acta publica prolata a nobis præponderare debent. Obiit Parisiis Johannes anno 1476, de quo legitur in necrologio ecclesiæ Ambianensis: *IV non. Maii obitus nobilis viri D. Johannis* de Gaucourt *quondam Dei & sedis apostolicæ gratia commendatarii & administratoris ecclesiæ & episcopatus Ambianensis.*

LXVI. Ludovicus.

ANNI CHRISTI DE GAUCOURT.

Johannis natu major, an minor, quis scit? frater Ludovicus, Ludovico XI regi a consiliis, administrator episcopatus Ambianensis fit ejusdem auctoritate, qui literis 17 Maii anni 1476 datis Lugduni post obitum Johannis, capitulo interdixerat electionem. In regesto Sixti IV de eo sic legitur: *Ludovicus clericus de genere baronum & vicecomitum ortus, eligitur administrator ecclesiæ Ambianensis per obitum Johannis etiam administratoris dictæ ecclesiæ V id. Septembris 1476.* Memoratur 30 Novembris anni ejusdem in libro solutionum. Johannes Bethleemitanus episcopus Ludovici vicarius generalis in spiritualibus ritu sacro inauguravit apud Abbatis-villam ecclesias sancti Andreæ 27 Maii, & sancti Georgii 29 ejusdem mensis anni 1478. Ludovicus autem 1478.
superstes videtur ad annum 1482.

LXVII. Petrus I.

VERSI.

Natione Burgundus Petrus, Poliniacensis * nempe, canonicus Bajocensis & abbas sancti Petri Cabilonensis, gratia Petri *Coctier* avunculi sui archiatri Ludovici XI, ad episcopatum gradum sibi fecit, teste Comminio. Electus Ambianensis per obitum Ludovici memoratur 16 Aug. 1482 1482.
in libro obligationum prælatorum. Regi fidem juravit 24 Novembris 1482. Urbem solenniter ingressus est die 8 Maii 1483, & majus altare 1483.
ecclesiæ Ambianensis consecravit die 10 Junii. Anno sequenti ecclesiæ Remensi obsequium 1484.
præstitit die 21 Maii, ibidemque interfuit die 30 unctioni & inaugurationi Caroli VIII, ubi episcopi Bellovacensis locum ultimus ordine supplevit, præterquam in mensa regia, cui accumbere cum aliis episcopis Franciæ paribus non est admissus. Ad preces Guillelmi abbatis S. Salvii anno 1495 reliquias sancti Guingaloei transtulit 1495.
e veteri in novam capsam, præsentibus Adriano sancti Judoci & Johanne Longivillaris abbatibus, & Jaquelina *de Pardieu* abbatissa S. Austrebertæ. Obtinuit 10 Julii 1495 judicium requestarum Palatii adversus Agnetem de Sabaudia matrem & curatricem filiorum comitis Dunensis domini de Balgentiaco, quo tenetur Agnes quotannis ecclesiæ Ambianensi offerre cereum 100 librarum. Caroli *d'Ailly* baronis Pinconiensis & vicedomini Ambianensis clientelam excepit 17 Octobris 1497. Inventum in silvula sancti Acheoli 1497.
caput sancti Matthæi de Folliaco restituit anno 1498 canonicis de Folliaco ad preces abbatis 1498.
Corbeiensis. Anno eodem capitulo suo dedit novem librarum millia pro fundatione horarum beatæ Mariæ, quæ antea in choro non recitabantur. Minimi apud Ambianum fundantur hoc anno a Ludovico *de Sandricourt*. Plurima Petrus variis ecclesiis contulit ad pias fundationes. Residua vero ecclesiæ suæ cuncta legavit, & Contii feodum capitulo, cujus tamen dominium ad toparchiam episcopalem pertinet. Morte correptus Petrus die 10 Februarii 1500 humatus 1500.
est a dextris, qua chorus clauditur, cum his versibus:

* *de Poligny.*

Charta LXXVIII. col. 351.

ANNI CHRISTI

Petrus hic est Versé, Burgundia quem sibi natum
Ex Poligniaco vexit ad Ambianos.
Hic præsul statuit cantari virginis horas,
Multaque largifluus contulit ecclesiæ.

Obiit anno Domini 1500 Februarii die 10.

Obitum tamen habet mense Junio.

DE CLEVES. LXVIII. PHILIPPUS

Tom. IV. col. 423. Quem jam leviter attigimus in Augustodunensibus, Philippus protonotarius apostolicus electus est episcopus Nivernensis per obitum Ferrandi 24 Januarii 1500, ex regestis Vaticani. Eodem anno qua episcopus Ambianensis regi fidem dixit Lugduni 12 Augusti 1500, ex regestis thesauri. Attamen insequenti postu-
1501. latus est a capitulo Ambianensi 2 Aprilis 1501, agente Ludovico XII, qui hac de re pluries scripsit ad capitulum, & Ambianum misit pro hoc negotio Robertum *Thibouft* & Guillelmum *l'Arbalesle* in senatu Parisiensi præsides, ex regestis deliberationum capituli Ambianensis. Postulatis capituli annuit Alexander VI, qui Philippum episcopum Nivernensem cum ecclesia sua & monasterio sancti Martini Nivernensis transtulit per obitum Petri ad ecclesiam Ambianensem die 14 Junii 1501. Possessionem per procuratorem iniit eodem anno 19 Octobris.
1503. Anno 1503 vicarius ejus generalis beneficia contulit. Eodem anno ad Æduensem translatum diximus ecclesiam Philippum 9 Augusti, qui 23 Septembris sequentis Ambianensi dedit pannum aureum pro primo adventu debitum. Certiora in Nivernensi daturos nos speramus, quam ad Ambianensem translatus dimisisse non videtur ecclesiam, quippe e qua ad Æduensem translatus legitur in regestis Vaticani.

DE HALWIN. LXIX. FRANCISCUS II.

Ludovici equitis torquati toparchæ *de Piennes*, Picardiæ proregis & Johannæ *de Ghistelle* dominæ *d'Esclebecq* filius Franciscus, clericus Ambianensis, notarius apostolicus, abbasque de Gardo, anno ætatis vigesimo electus est Ambianensis episcopus ab Alexandro VI per cessionem Philippi Nivernensis episcopi die 9 Aug. 1503, eodemque anno 29 Septembr. Andreas dominus *de Rambures*, cui Francisci soror nupserat, pro ipso possessionem adipiscitur, ex Sammarthanis, forte ad id opus usus Johanne *de Wisque*, qui pro Francisco possessionem adeptus legitur, quemque longe postea, die scilicet 20 Octobris 1504, præbenda Ambianensi donavit Franciscus. Suffraganeos interea habuit Nicolaum *de la Consture* & Nicolaum *Lagrené* Ebronenses episcopos, quorum alter ecclesiam & domum fratrum Minorum apud Abbatis-villam benedixit mense
1504. Maio 1504, approbante Francisco literis datis
1507. 1 Augusti. Anno 1507 urbem solenniter ingressus 12 Septembris, concessit Minimis Ambianensis conventus ut publicarent indulgentias ipsis a Julio II concessas. Hac autem in concessione cur se dicat Franciscus abbatem Corbeiensem, vide infra. Consecravit anno 1509 ecclesiam 1509.
Franciscanarum Montis-desiderii. Anno 1511 1511.
interfuit concilio Pisano Maximiliani cæsaris & Ludovici XII regis auctoritate congregato 1 Novembris contra Julium II. Anno 1512 1512.
Ludovici al. Johannis *de Bruges* Picardiæ proregis funus prosecutus est die 16 Augusti in abbatia sancti Richarii, dato chirographo quo hujus cœnobii privilegiis cavebatur. Anno 1514 1514.
cum pluribus aliis præsulibus ad concilium Lateranense V missus est, Leonis X gratiam pro se & pro aliis prælatis qui Pisano adfuerant, rogaturus. Anno eodem die 9 Octob. interfuit apud Abbatis-villam matrimonio Ludovici XII cum Maria Angliæ principissa. Anno 1516 21 Oct. 1516.
ad preces Francisci I cum Fucaldo *de Bonneval* Suessionensi episcopo aperuit capsulam auream Compendii, quæ sacrum D. Jesu sudarium recondebat. Ecclesiam Franciscanarum Montis-desiderii dedicavit 15 Martii 1517, cujus altaria 1517.
jam die 12 Julii 1512 sacraverat. Adstitit Parisiis consecrationi Johannis *Rouhaut* episcopi Rononensis dominica Quinquagesimæ 1521. 1521.
De consensu cleri concessit regi 10 Aug. 1523 1523.
10364 libras Turonenses in subsidium belli ad hostes e regno expellendos. Literas dedit anno eodem die 24 Octobris pro institutione collegii canonicorum in ecclesia S. Richarii *de Douriers*, cujus præsentatio pertinebat ad abbatem sancti Judoci supra mare, supplicante nobili viro Carolo *de Crequi* domino temporali dicti loci. Nicolaus Ebronensis episcopus Francisci auctoritate dedicavit 9 Julii 1526 altare sancti Germani, 1526.
Franciscus autem campanile majoris ecclesiæ, quod fulgure conflagraverat anno 1527, reædificatum benedixit anno 1533. Occurrit die 1527. 1533.
15 Junii 1538 in chartulario sancti Martini. 1538.
Venationi supra modum deditus, ab apro graviter vulneratur, & die 18 Junii anni ejusdem obiit in abbatia de Gardo, cujus erat commendatarius. Ibi tumulo conditus est, licet splendidum Ambiani mausolæum in æde B. Virginis sibi parasset.

Ch LXXX. col. 354.

HEMARD DE DENONVILLE. LXX. CAROLUS.

De Carolo jam diximus tom. IV, col. 1094, ubi matrem ejus male post Sammarthanos *Fremicre* cognominavimus, quæ melius *de Fresnieres* cognominabatur. Cardinalis Matisconensis dictus, ad sedem Ambianensem, retenta Matisconensi, traducitur anno 1538, solenniterque in cathedrali excipitur 9 Decembris anni ejusdem. Confestim lites plurimas, quæ inter episcopos & capitulum exortæ fuerant, composuit. Hujus in concordiæ argumentum dedit capitulo pacis offerendæ instrumentum ex argento deaurato lapillis pretiosis ornatum, & vicissim capitulum episcopo obtulit cor aureum. Defunctus Ambiani Carolus 23 Augusti 1540, ab Antonio 1540.
Lollio funebri oratione laudatus est. Obitum habet mense Septembri in ecclesia cathedrali, cujus in navi quiescit sub campanili ad ostium chori cum hac inscriptione.

ANNI CHRISTI

DEO OPT. MAX.

ET MEMORIÆ CAROLI HEMARDI, Cardinalis Matisconensis & Ambianensis episcopi.

Quem nunc jacentem Carolum Hemardum vides,
Non stemma opesve, at bona virtus & labor
Pedetentim ad usque summa vexit munia.
A consiliis primum ille regiis, paululum
Post Romam ad ipsum summum pontificem, sui
Negotia ut regis fideliter gerat
Legatus, adeo se utrique fideliter præstitit,
Ut in cardinalium numerum atque ordinem
Adsciret iste, ille Ambianæ ecclesiæ
Præficeret, in qua consepultis litibus,
Ut pacis arrham perpetuam, corpus suum,
Animam Deo linquens, sepeliendum dedit.

Obiit 23 Augusti 1540, suæ vero ætatis 47, Anima quiescat in pace. Amen.

DE LONGUY.

LXXI. CLAUDIUS.

De Claudio pluries quoque jam egimus: cardinalis enim *de Givry* dictus, fuit episcopus Matisconensis, Lingonensis, Petracoricensis & Pictaviensis, abbas sancti Benigni & sancti Stephani Divionensis, necnon & Pulteriarum, denique administrator Ambianensis, hujus ecclesiæ possessionem iniit 13 Octob. 1540, & 1 Februarii
1545. solvit centum scuta aurea pro cappa. An. 1545 ineunte, mense Februario, Carolum a Lotharingia archiepiscopum Remensem consecravit in castro *de Joinville.* Cessit anno eodem episcopatum Ambianensem, quem per suffraganeum Johannem *le Doulx* ex monacho sancti Fusciani episcopum Ebronensem administraverat. Obiit Mussiaci apud Lingonas v idus Augusti 1561.

DE PISSELEU.

LXXII. FRANCISCUS III.

Guillelmi domini *de Heilly* in Picardia filius Franciscus ex Anna *Sanguin* altera conjuge, frater Caroli Mimatensis primum, tum Condomiensis episcopi, clericus Ambianensis, & prior sancti Orientii Ausciensis ab anno 1541, favore Annæ *de Pisseleu* ducissæ Stampensis, quæ apud Franciscum I regem plurima gratia valebat, Ambianensem episcopatum est adeptus per cessionem
1546. Claudii cardinalis *de Givry* 12 Februarii 1546,
Reg. episcop. ex regestis Vaticani. Adrianum *de Lameth* decanum Ambianensem & Gobertum *de Thory* canonicum Bellovacensem suos instituit vicarios generales 12 Aprilis, possessionem per procura-
Reg. capitul. torem iniit die 24 Maii, & regi fidem juravit 6 Junii. In sua cathedrali exceptus, statuta synodalia edidit anno eodem. Occurrit die 3 Maii
1547. 1547 in chartis authenticis D. *de Gaignieres.* Jacobus Ebronensis episcopus Francisci electi Ambianensis suffraganeus confirmationem &
1548. tonsuram contulit 26 Maii 1548. Insequenti in ecclesia Ambianensi sancita est pax inter Henricum II Galliæ & Eduardum VI Angliæ
1549. reges die 8 Maii 1549. Francisci *d'Ailly* vicedomini Ambianensis clientelam excepit 3 Martii
1550. 1550 Franciscus, qui episcopatum dimisit
1552. 1552, factus abbas S. Cornelii Compendiensis.

LXXIII. NICOLAUS.

DE PELLEVE.

A Carolo dicto *Malherbe* domino *de Jouy* & Helena *de Fay* parentibus natus Nicolaus xv cal. Novembris 1518, ad studia literarum a puero se addixit. Processit inde ad jurisprudentiam, quam in universitate Bituricensi exposuit, juris utriusque doctor; mox senator Parisiensis, libellorum supplicum magister & secretiori consilio adscriptus, abbas sancti Cornelii Compendiensis, facta cum Francisco permutatione, Henrici II regis favore Ambianensis episcopus creatur, qua in urbe jucundum ingressum celebravit die 15
B Augusti festo Assumtæ B. Virginis anno 1553, 1553.
& ecclesiæ Remensi obsequium præstitit die 5 Octobris. Interfuit comitiis generalibus in aula S. Ludovici celebratis die 9 Januarii sequentis.
Prior erat sancti Saturnini de Portu anno 1554. 1554.
Dimisit anno 1556 pecuniam quam parochi 1556.
episcopo solvebant quum non residerent, quæ
sexta pars erat fructuum sacerdotii. Anno 1557 1557.
comitiis trium regni ordinum interfuit Parisiis 5 Januarii. Cum cardinali *d'Estouteville* & nuncio apostolico deputatus est mense Martio 1557 ad recognoscendum consanguinitatis gradum inter Franciscum delfinum & Mariam reginam
C Scotiæ. E suo contulit anno 1558 ad relevan- 1558.
dum parthenonem Franciscanarum Montis-desi-
derii. In Scotiam missus anno 1559, nuncii 1559.
apostolici munere functus est, quod ei commisit Paulus IV pontifex ad exstirpanda hæresis semina & fidem catholicam in iis locis conservandam, qua ex legatione apud reginam Scotiæ magnam laudem reportavit. Comitiis regni generalibus
Aureliani habitis adfuit 1560, & colloquio 1560.
cum Heterodoxis apud Pissiacum anno 1561. 1561.
Eodem, die 9 Decembris, piavit majorem ecclesiam sanguine pollutam ab hæreticis effuso, qui hanc, post multos excessus, ut expilarent,
D intraverunt die festo Conceptionis beatæ Mariæ. Eodem episcopatum Ambianensem abdicavit, permutatione facta cum Antonio *de Crequi* pro abbatia sancti Juliani Turonensis, & translatus
est ad Senonensem metropolim 16 Dec. 1562, 1562.
ex regestis Vaticani. Attamen pro episcopo Ambianensi semper habitus est usque ad annum 1564, quo 18 Maii declaravit capitulum Ambianense vacare sedem episcopalem per translationem Nicolai *de Pellevé* ad Senonensem ecclesiam: & certe Nicolaus Ambianensis episcopus cum cardinali Guisio ad concilium Tridentinum profectus est anno 1562. Quæ ad Nicolaum
E spectant disce in ecclesia Remensi, ad quam e Senonensi est translatus.

LXXIV. ANTONIUS.

DE CREQUI.

Johannem dominum *de Crequi* & *de Canaples* principem *de Poix* & Mariam *d'Acigné* e primaria in Aremoricis stirpe editam, parentes habuit Antonius, abbas S. Juliani Turonensis, de Selincurte & de Valloriis, & cancellarius militiæ sancti Michaëlis. Antonio patruo Nannetensi sede relicta 10 Octobris 1561, & data Nicolao decessori abbatia S. Juliani Turonensis, sedem

ANNI CHRISTI sedem Ambianensem permutatione consecutus A est anno eodem; sed bullas obtinere non potuit ante annum 1564, forte ob intercessionem Ludovici *d'Ailly* vicedomini Ambianensis, in cujus instrumento multa exprobrantur Antonio bonis moribus adversantia. Possessionem per
1564. procuratorem iniit 29 Septembris 1564, quo anno Carolus IX postulavit a capitulo, literis Massiliæ 12 Novembris datis, ut liceret huic episcopo prolixam barbam in ecclesia deferre. Anno eodem adfuit concilio provinciæ Remensis. In urbem suam invectus est ineunte anno 1564,
1565. inquiunt Sammarthani, forte 1565, die Circumcisionis Domini, summa festivitatis pompa B exceptus. Carolo IX a consiliis & percarus, ipsius quoque ad preces a Pio IV pontifice anno 1565, die 11 Martii, in cardinalium collegium assumtus est. Clientelam recusavit toparchæ de Pinconio, qui regi sacramentum dixit 14 Martii 1592. Episcopatui abbatiam sancti Martini de Gemellis univit, utque amplissimam clarissimæ domus suæ consecutus erat hereditatem, extinctis fratribus, pias in basilica sua fundationes
1574. ordinavit testamento condito 15 Junii 1574,
Ch. LXXXI. col. 355. in quo præsertim trecentas legavit libras annui reditus pro concionibus Quadragesimalibus. Ambiani decessit 20 eorumdem mensis & anni, C natus annos 43, & sepultus est in choro abbatiæ suæ de Morolio in gentilitio sepulcro. Cor tamen ejus in ecclesia cathedrali prope altare majus depositum est, quem Jacobus *Seguier* doctor theologus, canonicusque & cancellarius Ambianensis funebri laudavit oratione in ecclesia sancti Vedasti Moroliensis. Typis edita est Parisiis anno 1575 apud Thomam *Belot*.

LXXV. Gofridus III.

DE LA MARTHONIE.

Gofridi & Margaritæ *de Mareuil* filius Gofridus, avum habuit Mondotum *de la Marthonie* ex primo præside Parlamenti Burdegalensis, Pa- D risiensis principem, qui in utroque jure licentiatus unus fuit e judicibus qui conjugium Ludovici XII & Johannæ reginæ irritum declaravere 7 Dec. 1498, propatruos Johannem & Gastonem successive episcopos Aquenses, fratrem Henricum & nepotem Raimundum vicissim Lemovicenses episcopos. Ipse vero in foro Burdegalensi senator, archidiaconus & canonicus ædis metropolitanæ sancti Andreæ, inauguratus est episcopus Am-
1577. bianensis 25 Martii ineuntis anni 1577, post trium fere annorum sedis vacationem: vacabat enim adhuc mense Septembri 1576. Interfuit 22 Febr. comitiis regni apud Blesas. Ambiani E excipitur die festo Annunciationis beatæ Mariæ anno eodem. Supplicationem generalem celebravit die festo SS. Trinitatis in actionem gratiarum ob feminam cæcam sanatam meritis beati Johannis Baptistæ. Ecclesiæ Remensi solitum
1579. præstitit sacramentum anno 1579. Adfuit anno
1580. 1580 consecrationi Ludovici Guisii archiepiscopi Remensis factæ in sacello sancti Clementis monasterii sancti Dionysii. Jacobum *Vaynet* abbatem sancti Andreæ in nemore benedixit anno
1581. 1581. Ecclesiam sancti Georgii apud Abbatis-villam dicavit anno 1583. Concilio Remensi 1583.
interfuit anno 1585, & 1588 comitiis Blesensibus, mense Decembri, ubi occisi dux Guisiæ 1588.
ejusque frater Ludovicus cardinalis Remensis archiepiscopus. Quod quum relatum esset Ambiani, & Gofridum episcopum cum Jacobo *Seguier* ecclesiæ Ambianensis cancellario, Vincentium *le Roy* ballivum multosque alios incarceratos fuisse, cives Mariam *de Bourbon* ducissam *d'Estouteville* duasque ejus filias, nurum ac comitem a sancto Paulo Ambiani tunc degentes custodiæ manciparunt. Sexennio post Gofridus, qui mandatum seditiosum & rebelle adversus regem dederat, carceri damnatur, bona ejus fisco addicta, diœcesanisque inhibetur ne cum illo colloquantur, seu mandatis ejus obsequantur, senatusconsulto 9 Julii 1594. Adstitit Gofridus 1594.
consecrationi Renati *Potier* Bellovacensis Parisiis die lunæ 24 Februarii 1597, & 28 Decembris 1597.
Caroli *de Bourbon* Rotomagensis archiepiscopi. Hispanorum fraude interceptum Ambianum die 11 Martii anni ejusdem, post urgentem & acrem sex mensium obsidionem recepit Henricus IV. Personalem residentiam intra tres menses omnibus suæ diœcesis parochis injunxit anno 1600 1600.
Gofridus, quo sedente Ambiani recipiuntur Capucini 1598, Carmelitanæ virgines 1606, 1606.
& patres Societatis Jesu 1607. Gofridus ec- 1607.
clesias sancti Andreæ & monialium ordinis sancti Dominici apud Abbatis-villam dedicavit anno 1608. Erat ei quæ ad vigilantissimum spectat 1608.
pastorem sollicitudo diœcesana: edidit statuta synodalia, regulas pro Eremitis in diœcesi degentibus, breviarium reformatum, missale & manuale parochorum. Ante obitum coadjutorem acceperat Franciscum sequentem, retenta 1800 librarum pensione pro Raimundo *de la Marthonie* nepote suo præposito & canonico Ambianensi. Mortalitatem exuit 17 Decembris 1617, regi- 1617.
minis anno 40, & sepultus est in cathedralis capella sancti Petri juxta fratrem dominum *de Puy-gilhen*.

LXXVI. Franciscus IV.

LE FEVRE DE CAUMARTIN.

Ludovico sacri sigilli custode & Maria *Miron* sorore Caroli archiepiscopi Lugdunensis parentibus natus Franciscus, abbas sancti Quintini de Insula & decanus S. Quintini Veromanduensis, Ludovico XIII regi a sanctioribus consiliis, ab eodem Ambianensis antistes, superstite adhuc Gofrido superiore, designatus, Romam anno 1617 profectus est, ubi a Paulo V humanissime exceptus, & episcopus Hierapoleos creatus est. Non multo post, Gofrido fatis functo, a pontifice bullas obtinuit, & Luteciam reversus, apud Dominicanos consecratur a cardinale Bentivoglio tunc apud regem Christianissimum nuncio apostolico, assistentibus Alfonso *de la Croix* Gratianopolitano & Johanne cardinali Bonzio Biterrensi episcopis. Ab universis urbis suæ ordinibus solenni pompa excipitur dominica 1 Julii 1618. 1618.
Adstitit consecrationi Guidonis *Champion* Trecorensis Parisiis 1620. Ad comitia cleri ge- 1620.
neralia Parisiis delegatur mense Maio 1625. 1625.

ANNI CHRISTI

Decennio post iterum legatus, apud sacros patres querelam exposuit quod ipso diœcesim visitante, Monstrolii cives spretis quæ pontificibus debentur reverentia & honore, populum furentem in ipsum concitassent, in discrimen vitam ipsius adduxissent, & comitantibus sacerdotibus & clericis violentas manus injecissent, quum ut civium oppidi de Rua precibus obsequeretur, partem reliquiarum corporis sancti Wlflagii confessoris urbis patroni, quod in monasterio sancti Salvii depositum erat, ipsis tradere statuisset. Attamen Interdictum quo ob tantum probrum tum suæ tum cleri personis illatum urbem multaverat, misericordia erga populum commotus ipse suspendit, donec res tota Urbano VIII pontifici maximo innotesceret. Rex quoque facinoris indigni per cleri publicam delegationem certior factus, præcipua hujus capita per judices ad id commissos plecti jubet, sed piissimus antistes injuriarum immemor, patronum sese potius exhibere voluit quam vindicem. At ne pontificia dignitas quidquam ex hoc detrimenti perciperet, mortem pecuniaria multa commutari rex voluit, & tabula marmorea episcopi clementiam adversus rebelles perpetuæ tradi memoriæ. Interim Victor *Bouthillier* Turonensis coadjutor commissus est ut publicam a Monstrolii incolis satisfactionem exciperet, quibus interdicto liberatis, reliquias sancti confessoris transtulit in ecclesias tum Ambianensem tum de Rua. Festum sanctorum Lugli & Lugliani instituit in ecclesia Montis-desiderii 19
1628. Maii 1628. Ecclesiæ Remensi sacramentum
1635. juravit Franciscus 16 Aprilis 1635. Reliquias
sanctorum Wlflagii & Wlfranni regi Ludovico
1639. XIII donavit anno 1639. Statuta synodalia
1641. edidit 1641. Sacro Dionysii *de la Barde* Brio-
1642. censis episcopi adstitit anno 1642. Unus fuit e
judicibus ab Innocentio X die 23 Decembris
1645. 1645 delegatis, qui Renatum *de Rieux* episco-
1646. pum Leonensem restituerunt 6 Septemb. 1646.
Francisco sedente plures in diœcesi Ambianensi religiosæ familiæ propagantur, 19 Junii 1618 sanctæ Ursulæ moniales, & Fulienses 1620 Ambiani admittuntur, 22 Octobris 1621 Capucini Monstrolii, Ursulinæ apud Montem-desiderii 9 Augusti 1623, ibidemque Capucini 1624, Oratorii sacerdotes Ambiani anno eodem, Brigittinæ apud Alchiacum castrum 19 Martii 1627, moniales Carmelitæ Abbatis-villæ 1631. Fontebraldensis ordinis religiosæ, quæ Moriaucurti degebant, Ambianum transferuntur 5 Novembris 1636. Visitationis parthenon ibidem fundatur anno 1639, patres Carmelitæ Abbatis-villæ 1640, Benedictinæ Bertaldi-curiæ ex abbatia in urbem Abbatis-villæ commigrant die 4 Septembris 1641, & 19 Julii Franciscanæ ex pago de Braio aggregantur familiæ & domui Annunciatarum urbis de Roya, ut iisdem quibus ipsæ bonis & privilegiis gauderent. Anno 1648 Ambiani patres Carmelitæ, ultimo Julii anno 1649 Abbatis-villæ Visitationis congregatio, 3 Mart. 1650 ptochotrophium Dullendii, & Dominicani Abbatis-villæ anno 1651 stabiliuntur. Francisci quoque temporibus multas in diœcesi

A turbas excitavit Johannes *Labadie* e Societ. Jesu emissus, cui statim faverat optimus episcopus & concionandi copiam dederat, ejusque socio Andreæ *Dabillon* etiam exjesuitæ, sed ob errores in concionando disseminatos, uterque etiam accedente regia auctoritate e diœcesi ejicitur. Mortuo paulo post Andrea, Joannes *Labadie* iterum pulsus ob errores ex Vasatensi & Tolosana diœcesibus, catholicam tandem fidem ejuravit Montalbani. Testamento condito die 30 Aprilis
1648 Franciscus nosocomio Ambianensi dedit 1648.
18000 libras, ea lege ut quotannis sexcentas libras presbyteris Oratorii persolverent ad mis-
B siones tribus mensibus explendas. Societati capellanorum legavit 3600 lib. pro missa quotidiana celebranda, & totidem monialibus Carmelitis Abbatis-villæ, quibus insuper donavit 7200 libras pro dote constituenda unius puellæ successive recipiendæ. Biennio post ad reparanda atrocia a militibus in ecclesiis suæ diœcesis commissa sacrilegia, trium dierum jejunium & supplica-
tiones generales indixit die 1 Junii 1650. 1650.
Tandem quum vigili cura ecclesiæ Ambianensi per 36 annos præfuisset & ecclesiasticæ disciplinæ sedulo incubuisset, variisque pro clero Gallicano negotiis egregie perfunctus esset, ultimum diem
C apoplexia clausit 27 Novembris 1652, & in 1652.
ecclesia cathedrali, cui multa pretiosa reliquerat ornamenta aliaque legaverat, tumulo mandatus est, cor vero delatum ad moniales Carmelitanas apud Abbatis-villam.

LXXVII FRANCISCUS V. FAURE.

Johannis *Faure* Mirabellæ in Pictonibus gubernatoris filius Franciscus, patria Encolismensis, episcopus Glandavensis, ecclesiam suam nondum inviserat quum a rege ad Ambianensem subli-
matur anno 1653. Insequenti Carolum *le Mus-* 1653.
nier abbatem Henniacensis apud Atrebates mo-
D nasterii benedixit 14 Maii Parisiis in sacello B.
Mariæ Sangermanensis. Eodem anno 1654 1654.
ecclesiæ suæ possessionem per procuratorem iniit die 3 Junii, & ecclesiæ Remensi præstitit sacramentum die 4. Iisdem anno & mense die 7 interfuit sacræ unctioni Ludovici XIV Remis, ubi Simone *le Gras* episcopo Suessionensi sacris operante, ipse diaconi vice functus est. Inde reversus Ambianum solenniter ingreditur die 28
mensis ejusdem Junii. Anno 1655 primam 1655.
celebravit synodum, in qua statuta edidit. Anno
1656 8 Februarii senatus consultum obtinuit 1656.
pro asserenda jurisdictione episcopali in parochos
E ordinis Præmonstratensis. Anno 1657 creatur 1657.
magister oratorii regis per cessionem Jacobi *Danès* episcopi Tolonensis. Anno eodem ecclesiam Augustinianorum discalceatorum Argentolii prope Luteciam consecravit, seminariumque suum instituit. Inunctioni Johannis episcopi Lascu-
riensis inservivit anno 1658. Causa quam cum 1658.
Præmonstratensibus Selincurtensibus pro jurisdictione in eorum septis habebat, cecidit sententia
Requestarum anno 1659. Regem comitatus est 1659.
anno 1660 in itinere causa ineundi matrimonii 1660.
suscepto. Alteram habuit synodum anno 1662, 1662.

ANNI CHRISTI in qua nova conduntur statuta. Capsam argenteam in qua reconditum S. Vulfranni Senonum archiepiscopi corpus, aperuit eodem anno 21
1664. Maii & visitavit. Senatus consulto 5 Feb. 1664 ei vindicatur jurisdictio in clerum & populum oppidi S. Walarici. Monialibus Paracliti permisit
1665. 16 Martii & 4 Maii 1665 ut ampliorem ec-
1666. clesiam ædificarent. Anno 1666 12 Januarii orationem habuit ad regem nomine cleri Gallicani ad propugnandam ecclesiasticam jurisdictionem adversus judicum secularium conatus. Anno
1668. 1668 breviarium reformatum edidit. Unus fuit ex 19 episcopis qui pro causa quatuor episcoporum ratione subscriptionis formularii quo quinque famosæ propositiones condemnantur, ad Clementem IX scripserunt. Decanum & capitulum Royense senatus consultis 7 Septembris 1668
1669. & 30 Decembris 1669 jurisdictioni suæ sub-
1677. jecit. Querelam habuit anno 1677 cum gubernatore urbis & arcis Ambianensis pro honoribus ecclesiasticis, quæ quomodo a rege terminata sit ignoramus. Comitiis cleri Gallicani adfuit anno
1685. 1685. Paulo ante obitum non mediocriter ecclesiam ejus turbavit controversia inter parochos & Jesuitas circa confessionem annuam & paschalem. Quumque Franciscus decretum tulis-
1686. set 31 Maii 1686, quo Jesuitis favebat, archiepiscopus, ad quem parochiarum rectores provocarunt, Francisci decretum irritavit, qui sedem apostolicam & Innocentium XI appellavit. Dum lis est sub judice Franciscus obiit subita morte
1687. correptus Parisiis dominica 11 Maii 1687, unde corpus ejus Ambianos delatum, sepulturæ mandatum est in sacello sancti Petri, multorum aliorum episcoporum conditorio, cum hac inscriptione:

D. O. M.

Nunquam perituræ apud nos memoriæ pastoris optimi Francisci Faure *theologi Parisiensis, qui post exactam juventutem in sacra Minorum familia, & per annos plures exercitatum christiani oratoris munus summa cum pietatis & eloquentiæ laude, ab Anna Austriaca postulatus ad infulas anno* M DCLI, *universam Galliam fama sui complevit. Ad hanc sedem regis existimatione translatus & regii oratorii magister, per triginta duos annos saluti animarum incumbens, concionibus, sacramentorum administratione, privatis colloquiis omnes parentis optimi vices agens, eadem sæpe die sacrum solenne, supplicationem publicam, allocutionem ad frequentem populum & vespertinam orationem habuit. Per Adventum, Quadragesimam, & Eucharistiæ festum octiduum verbo Dei præco assiduus. Suis Ambianensibus semper acceptissimus, a quibus nec ipsa lue grassante divelli potuit. Novatores perpetuo insectatus, post iteratos sæpius cleri Gallicani conventus & aulica ministeria, in quibus vix parem habuit, suo semper intentus gregi, instituto seminario, moribus emendatis, ampliatis ædibus, 76 annos natus, dum ad aras sistendum se mane comparat, plenus dierum, exhaustis viribus, subito defecit Luteciæ Parisiorum 11 Maii 1687, relicto apud omnes sui desiderio. Optimo præsuli bene precare, quicumque hæc legis, & si ecclesiam amas, pastores similes apprecare.* Johannes Eschassereau *canonicus ecclesiæ Ambianensis hunc tumulum memoris animi monumentum mærens posuit.*

LXXVIII. HENRICUS.

FEYDEAU DE BROU.

Henrico *Feideau* domino *de Brou* senatore Parisiensi & Maria *Rouillé* parentibus natus Henricus 13 Junii 1653, theologiæ doctor Parisiensis, regi ab eleemosynis & concionibus, ab eo designatur episcopus Ambianensis 18 Maii in solennitate Pentecostes anno 1687. At quum ob nonnullas controversias cum Innocentio XI bullas impetrare non potuisset, per quinquennium diœcesim rexit vicarius generalis capituli cum aliis collegis. Anno 1689 die 6 Januarii excepit Ambiani Jacobum II magnæ Britanniæ regem profugum, postquam die 1 hujus mensis salutasset Mariam *d'Est* ejusdem uxorem Abbatis-villæ. Eodem anno in ecclesia Parisiensi funebrem laudem Ludovicæ Aurelianensis Hispaniarum reginæ magno cum adstantium plausu de suggestu pronunciavit. Anno 1692 rebus cum Innocentio XII summo pontifice compositis, Henricus Parisiis consecratur episcopus die 31 Augusti in æde sacra Fuliensium a Carolo-Mauricio *le Tellier* archiepiscopo Remensi, assistentibus Johanne *d'Estrées* Laudunensi & Fabio *Brulart de Sillery* Suessionensi episcopis. Possessionem iniit anno eodem 24 Octob. Diœcesim suam lustrare cœpit anno 1693, quod singulis fere præstitit annis. Anno 1696 die 3 Octobris synodum habuit ad ecclesiasticæ disciplinæ restaurationem. Ecclesiæ Remensi sacramentum præstitit die 23 Octobris anni ejusdem. Subscripsit literis Mauricii *le Tellier* archiepiscopi Remensis datis ad Innocentium XII VIII calendas Martii 1697 adversus librum cardinalis Sfondrati, *Nodus Prædestinationis dissolutus*. Eodem anno altare majus ecclesiæ sancti Acheoli consecravit V idus Aprilis, & damnavit 20 Julii libellum de antiquis tumulis nuper inventis sub altari majori ecclesiæ quondam cathedralis Ambianensis. Reliquias sancti Salvii transtulit 28 Maii 1702. Comitiis generalibus cleri Gallicani cum episcopo Silvanectensi pro Remensi provincia interfuit anno 1705. Insequenti dum diœcesim suam visitaret, lethali morbo correptus, obiit Ambiani 14 Junii, anno ætatis 53, immatura morte, quum major affulgeret spes magis ac magis promovendæ in grege suo veræ pietatis. Sed ne aliqua neglexisse videretur & intacta reliquisse, pontificias ædes auxit & ornavit. Sepultus est in choro ante altare ecclesiæ, ubi hæc leguntur: 1689. 1692. 1693. 1696. 1697. 1702. 1705. 1706.

D. O. M.

HIC JACET

Henricus Feideau de Brou,

episcopus Ambianensis,

cui

non ob generis nobilitatem,

aliaque familiæ decora,

quibus pontifex ex hominibus assumtus

non gloriabatur,
sed ob excellentiam ingenii,
altitudinem sapientiæ,
vim eloquentiæ,
profusam in pauperes benignitatem,
integritatem vitæ, suavitatem morum,
quibus Deo & hominibus placuerat,
decani & totius capituli decreto,
datus est hic præter morem locus,
ut semper esset clero præsens
mortui memoria,
qui vivus forma cleri factus fuerat.
Obiit 14 Jun. 1706, episc. 14, ætat. 53.
Viator, quisquis es,
communi omnium ordinum parenti
bene precare, & vale.

Obitum habet mense Junio sub his verbis in necrologio: *Obitus illustrissimi ac reverendissimi domini Henrici* Feideau de Brou *episcopi Ambianensis, pastoris optimi, quem in gregem amor & indefessa vigilantia, effusa in pauperes liberalitas, constans ac firma in capitulum propensio, in omnes humanitas & beneficentia mirifice commendarunt. Qui huic ecclesiæ quingentas supra mille libras pro præsenti obitu more solenni celebrando, duo millia librarum ad umbellam conficiendam in annua SS. Sacramenti supplicatione deferendam, necnon pelvim argenteam ad usum majoris altaris testamento legavit.*

Henrico Bernardinus a Pinconio Minorita Capucinus nuncupavit epistolarum sancti Pauli triplicem expositionem excusam Parisiis apud Joannem *Anisson*, & D. Claudius *de Vert* thesaurarius Cluniacensis tractatum de ritibus ecclesiasticis anno 1706.

DE SABATIER.

LXXIX. PETRUS II.

Valreasii in comitatu Vindascino natus Petrus 14 Novembris 1654 nobilibus parentibus Petro *de Sabatier* & Johanna *de Guyon*, disciplinæ lac suxit in Avenionensi Jesuitarum collegio. Parisios a patre missus, presbyteris sancti Sulpicii erudiendus traditur. Sacrum presbyteratus ordinem excepit anno 1685, eodemque 27 Septembris doctoris lauream in facultate Parisiensi reportavit. Ludovici *d'Urfé* Lemovicensis episcopi anno eodem vicarius generalis, hoc defuncto archiepiscopum Cameracensem convenit, annoque elapso episcopum Augustodunensem, a quo seminarii superior & vicarius generalis creatus est, quibus in muniis quum decennium explevisset, Ludovicus XIV æquus rerum & personarum æstimator ad Ambianensem ecclesiam eum evexit annos natum 55, die 15 Augusti 1706.
1707. Parisiis consecratur die 15 Maii 1707 in seminario sancti Sulpicii a Carolo-Mauricio *le Tellier* archiepiscopo Remensi, adstantibus Jacobo *de Matignon* quondam Condomiensi & Francisco *de Poudenx* Tarbensi episcopis. Possessionem, quam per procuratorem die 11 ejusdem mensis inierat, repetiit ipse 9 Junii sequentis, statimque exultavit ut gigas ad currendam Apostolorum viam: verbo enim potens & exemplo pastoris

A optimi munia omnia implevit; in diœcesi assiduus, hanc frequentissime visitavit; synodosque annuas habuit, in quibus salutaria edidit statuta. Adstitit unctioni archiepiscopi Arelatensis Bellovaci IV nonas Augusti 1711, & episcopi Iprensis 1711.
Cameraci 6 Maii 1713. Capsam S. Willibrordi primi Ultrajectensis episcopi aperuit 7 Aprilis 1712 in ecclesia collegiata Abbatis-villæ. Ecclesias Salii-sicci 15 Julii 1714, nosocomii sancti 1712.
Richarii 11 Augusti 1720, Carmelitarum discalceatarum Ambiani 9 Februarii 1721, & Cælestinorum Ambianensium 28 Martii 1732 consecravit. Aperuit & visitavit 10 Januarii
B 1715 capsam sancti Firmini confessoris, cujus reliquias toti ostendit populo, ut obstrueretur os loquentium vacuam capsam, indulgentias concessit per 25 annos has visitantibus 10 Januarii, officium in honorem Sancti composuit, ordinavitque 2 Aprilis ut clauderetur tumulus in quo sanctus Firminus sepultus fuerat. Appellavit quidem abbas sancti Acheoli, sed evictus est senatus consulto 4 Februarii 1716. Ludos insolentes & periculosos venatumque clericis interdixit 2 Octobris 1715. Ordinem visitationum archipresbyterorum & decanorum christianitatis instituit 2 Februarii 1716, & unicuique clerico 1715. Chart. LXXXII. col. 359.
C locum suum assignavit 14 Novembris. Ordines solenni & antiquo ritu semel in cathedrali ecclesia celebravit mense Junio 1718. Ludovici XV 1716.
sacro adfuit 25 Octobris 1722, suoque ibi 1718.
Ambianensis episcopi munere functus est. Parochis vestem longam in residentiæ loco præscrip- 1722.
sit 4 Octobris 1724. Gofridi decessoris ad exemplum carnium abstinentiæ in Quadragesima 1724.
pro virili cavit annis 1715 & 1728. Devotas 1728.
& pias societates instituit, in honorem cordis Jesu in abbatia sancti Andreæ de nemore 2 Maii 1732, SS. Sacramenti Abbatis-villæ ab anno 1718, beatæ Virginis in parochia Alberti
D 1 Novembris 1732, in quam transtulit ejus 1732.
imaginem e capella in campis sita. Statuta a decessore pro clericis diœcesis Luteciæ studentibus renovavit 4 Novembris 1732. His sanctis & bono pastore dignis operibus immorans, bis tantum aut ter e diœcesi exivit, tum ut propinquis, quibus omnia sua reliquerat, supremum vale diceret, tum ut ecclesiæ suæ consuleret: totus enim ovibus suis, totum se eis consecravit. Denique laboribus exantlatis, viribus exhaustis, cursu consummato, animam Deo reddidit die 20 Januarii 1733, annum agens 1733.
79, & solenniter die 22 sepultus est e regione
E sacelli sancti Johannis Baptistæ quod decorari procuraverat, huicque appositum est hoc epitaphium:

In pace in idipsum dormiam & requiescam.
Hic tantum nobilis instar tumuli,
suppresso sui nomine,
condigno plane christianæ humilitatis exemplo,
pontificiam ipsam dignitatem, quam vivens ornabat,
etiam post mortem illustraturus,
bonorum operum ac virtutum meritis clarus,
de Dei ecclesia optime meritus,

ANNI CHRISTI

e vita decedens, suo incidi sepulcro mandavit:

Petrus de Sabatier episcopus Ambianensis
vixit annos 78, menses 2, dies 6.
Omnibus unus amor erat pastor & pater optimus.
Sedit in pontificatu annos 26.
Obdormivit in Domino 20 Januarii 1733.
Anima ejus in bonis demorabitur.
Caro ejus requiescat in pace.

D'ORLEANS-LAMOTTE.

LXXX. LUDOVICUS-FRANCISCUS-GABRIEL.

Carpentorati in lucem editus Ludovicus-Franciscus-Gabriel 13 Januarii 1683, parentes habuit Josephum *de la Motte* equitem & Martham-Ursulam *de Blegiers d'Antelon.* Laurea doctoris insignitus, a Clemente XI factus est theologus ecclesiæ Carpentoratensis anno 1708, cujus a A capitulo ad concilium provinciæ Avenionensis deputatus est anno 1725. Dein ab archiepiscopo Arelatensi accitus, qui vicarii generalis & officialis metropolitani partes ageret, ab eodem ad concilium Ebredunense missus est. Tum ab archiepiscopo Ebredunensi vicarius generalis Senecensis delegatus, a capitulo exceptus est 27 Jun. 1729. Sigillarium Trecensium commenda a rege donatus mense Decembri 1731, ab eodem Ambianensis episcopus renunciatur ineunte Septembri 1733. Romæ proclamatus 20 Januarii & præpositus 24 Martii 1734, inunctus est 4 Julii ab episcopo Vivariensi, adstantibus B Aptensi & Vasionensi episcopis, regique sacramentum dixit die 25 eorumdem mensis & anni in capella Versaliensi. Decessorum suorum æmulus, sedulo vestigia premit. 1734.

DECANI ECCLESIÆ AMBIANENSIS.

I. ROBERTUS I subscripsit chartæ Fulconis episcopi altare villæ Cirisiaci monachis Corbeiensibus donantis circa annum 1041.

II. Hardricus reperitur in charta fundationis præbendarum ecclesiæ S. Martini de Pinconio anno 1066.

Charta IX. col. 291.

III. Guido, forte ex cantore decanus, subscripsit chartæ Guidonis episcopi pro Corbeiensibus anno 1066. Nominatur in concessione facta capitulo Ambianensi vicecomitatus ad Conteiense castellum a Radulfo comite anno 1069. Testis legitur anno 1088 in charta fundationis cellæ Gravensis factæ a Stephano abbate sancti Rigaldi Matisconensis. Eodem anno Angeriacensi monasterio datam ab Osberto Ambianensi canonico ecclesiam sancti Laurentii prope Helliacum in Corbeiensi territorio sitam, confirmavit cum capitulo.

Ch. VIII. col. 289.

IV. Theobaldus subscripsit chartæ Gervini episcopi pro monasterio Hamensi anno 1094.

Ch. XIII. col. 295.

V. Rogerus I sigillum apposuit suum fundationi parthenonis Bertaldi-curtis anno 1095, satisfactioni factæ ab Adelelmo Ambianensi anno 1101 ob damna illata ecclesiæ Compendiensi, literis S. Godefridi Ambianensis pro monachis sancti Martini a campis & sancti Fusciani anno 1105, pro Brituliensibus 1106, pro Lehunensibus 1111 & 1114, & ejusdem chartæ restitutionem quorumdam altarium factam ecclesiæ Compendiensi approbantis anno 1115. Subscripsit anno 1116 chartæ Ingelranni episcopi pro monachis S. Quintini. Concilio Remensi affuit anno 1118. Occurrit in variis instrumentis Ingelranni episcopi anno 1118 pro prioratu de Domno Medardo, 1120 pro prioratu sancti Petri *de Gouy*, anno 1123 de personatibus abbatiæ sancti Judoci ad mare in diœcesi positis. Reperitur adhuc annis 1124, 1125, 1126 & 1127. Adstitit Ingelranno episcopo quum Radulfus de Balgentiaco fecit hominium Ambianensi ecclesiæ. Obitum habet mense Julio.

Ch. XVIII. col. 301.

Ch. XXI. col. 303.

VI. Hugo I subscripsit chartæ Guarini episcopi ratam habentis cessionem duarum partium altaris *de Waben* in gratiam sancti Judoci supra mare anno 1129, ex chartulario ejusdem monasterii.

C VII. Rogerus II memoratur anno 1131 in confirmatione Selincuriæ, & 1135 in charta Warini episcopi canonicos ordinis S. Augustini instituentis in ecclesia urbana sancti Martini, Spicileg. tom. XII, pag. 161.

Ch. XXVI. col. 305.

VIII. Andreas occurrit an. 1135 in charta Guarini episcopi pro Casali Benedicto, in donatione canonicorum sancti Firmini, qua locum dictum fractum molendinum cum oratorio cedunt ecclesiæ sancti Laurentii in nemore anno 1136, in conventione facta coram Guarino episcopo inter Eustachium abbatem S. Fusciani & Olricum priorem sancti Laurentii, in charta D de ecclesia & villa *de Sains* anno 1138, eodemque in confirmatione bonorum S. Michaëlis Dullendini facta a Guarino episcopo, ejusdemque in charta pro sancto Johanne anno 1139.

Ch. XXVII. col. 307.

IX. Radulfus de Helliaco, de cujus genere dictum est in Theobaldo episcopo, cujus erat patruus, subscripsit concessis ecclesiæ Conteiensi abbati S. Quintini Bellovacensis, & parti altaris beatæ Mariæ *de Darnetal* a Guarino episcopo abbatiæ sancti Salvii Monstroliensis anno 1141, chartæ Simonis Noviomensis episcopi pro Cuissiaco anno 1142, chartis Theoderici episcopi abbatiam sancti Martini de Gemellis erigentis E 1145, pro monachis Aquicinctensibus & pro S. Martino de Gemellis 1147, pro monachis S. Martini a campis 1154. Reperitur adhuc anno 1155 in chartulario sancti Martini de Gemellis, & annis 1156, 1157 & 1179 in chartis Bellibecci. Nomen ejus subscriptum legitur in instrumentis Theoderici 1158 & 1164, & Theobaldi episcoporum 1178. Cessit ante mortem: moriens enim capitulo fecit donationem, præsente Ingelranno decano, quam confirmavit Theobaldus episcopus anno 1189. Obitum habet in ecclesiis Ambianensi XVIII cal.

Ch. XXIX. col. 308. Ch. XXX. col. 310. Ch. XXXI. col. 311. Ch. XXXII. col. 312. Ch. XXXIII. col. 363 Ch. XXXIII. col. 313.

Julii, & sancti Nicolai, cujus abbas erat.

X. Ingelrannus I de Helliaco, filius Gualteri de Helliaco, jam decanus erat an. 1178. Compositio inter Corbeienses & dominum *de Maiseroles*, pro decimis hujus loci facta anno 1179 v calendas Maii, ab ipsius nomine sic incipit: *Ego Ingerannus Ambianensis ecclesiæ decanus*, &c. Appendet chartæ sigillum in quo ipsius visitur effigies gestantis manu dextra quasi sceptrum lilii flore ornatum, & sinistra librum clausum. Memoratur in chartis beatæ Mariæ de Arenis anno 1180 pridie calend. Febr. sancti Martini a campis & sancti Laurentii anno 1182. Eodem testatur a Theobaldo episcopo data fuisse canonicis sancti Martini de Gemellis annualia præbendarum ecclesiæ cathedralis quocumque modo vacarent. Altare *de Hangest*, de quo cum Lehunensibus certabat, iisdem dimisit an. 1183. Testis legitur anno 1185 in charta Theobaldi episcopi pro Seriaco. Dedit anno 1187 ecclesiæ sancti Nicolai *de Renni*, sub annuo censu sex modiorum avenæ, quidquid ipse & capitulum habebant in territorio de Hamello. Obitus ejus celebratur, tum in ecclesia Ambianensi mense Novembri, tum in ecclesia sancti Nicolai mense Octobri. Præfuit capitulo ad annum 1189, quo occurrit in chartis sancti Johannis.

Ch. XXVI. col. 384.

Ch. XLVII. col. 323.

XI. Rogerus III decanus occurrit cum Theobaldo episcopo anno 1189.

XII. Richardus *de Gerberoy*, ex antiqua vicedominorum hujus nominis familia ortus, filius Eustachii militis & Ermentrudis ex necrologio Ambianensi, canonicus Ambianensis ex chartis annorum 1176 & 1190, decanus ab anno 1191, testis legitur annis 1193, 1194 & 1195 in instrumentis Theobaldi episcopi. Ejus temporibus Ingeburgis regina, quæ in ecclesia Ambianensi unctionem & coronam acceperat, a Philippo Augusto dimissa, capitulo Ambianensi capsulam misit cum literis quibus ejus se commendabat precibus. Huic capitulum rescripsit gratias agens per Richardum decanum. Occurrit mense Julio 1201 in archivis Fulcardi-montis. Arbiter cum aliis composuit anno 1203 litem inter ecclesias Longivillaris & sancti Andreæ de nemore. Consensit anno 1204 pignorationi decimæ Fulconis *de Kerrieu* factæ a Theobaldo episcopo. R. decanus Ambianensis 1204 mense Novembri legitur in chartis Frigidi-montis. Hoc autem anno factum Ambianensem episcopum Richardum diximus supra.

Char. LVI & LVII. col. 333.

XIII. Simon in chartulario nominatur ab anno 1205 ad 1211. Præfuit saltem ad 1216, quo una cum capitulo scripsit ad capitulum Laudunense & archiepiscop. Remensem pro Adamo *de Courlandon* decano Laudunensi ab Ingelranno *de Coucy* detento. Obitum habet mense Octob.

XIV. Johannes I de Abbatis-villa, a patria sic dictus, vir honestis moribus præditus, & ad prædicandum optimus theologus, ex Alberico in chronico, ex canonico S. Wlfranni decanus, occurrit in chartulario ab anno 1218 ad 1225. Ejus tempore psalterium, quod singulis diebus integrum recitabatur in ecclesia Ambianensi, divisum fuit in 41 portiones singulis præbendis assignatas, ex veteri martyrologio. Unus fuit e tribus judicibus quos elegit Honorius III ut inquirerent de electione Theobaldi archiepiscopi Rotomagensis. Consecratus ipse est archiepiscopus Bisuntinensis anno 1225. Scripsit valde utiles & insignes sermones de tempore & sermones de sanctis, inquit Trithemius de scriptoribus ecclesiasticis fol. 97, ubi vocat eum sacrarum scripturarum famosissimum interpretem, quas Parisiis multis annis docuerat. Scripsit etiam in *Cantica Canticorum* expositionem, quæ in ecclesia Ambianensi asservatur, & commentaria in epistolas evangeliaque totius anni, quæ exstant penes Cœlestinos Ambianenses. In necrologio, ubi obitus ejus signatur mense Septembri, luminare majus obituum, pulsatio campanarum, &c. ei conceduntur, quod ecclesiam multipliciter honoraverit in Sanctorum reliquiis, & in ornamentis multis, & in sui regimine decanatus.

Simon de Arceia memoratus a Sammarthanis anno 1232 post Louvetum, Hemeræum & Labbeum, canonicus fuit Ambianensis, non decanus, uti legitur in necrologio. Præterea

XV. Ingelrannus II *d'Heilly*, filius Gualterii II & Elizabethæ *d'Encre*, priorisque Ingelranni nepos, Johannem excepit decanus anno 1225, quo nomine subscripsit chartæ mense Decembri 1230. Obitum habet mense Nov.

XVI. Jacobus de Abbatis-villa, Matthæi de Abbatis-villa canonici & Johannis cardinalis frater, jam præerat capitulo anno 1231, ut patet ex charta decimæ *de Villers aux Erables*, cui præfigitur hic titulus: *Hæc sunt quæ acquisivit ecclesia Ambianensis tempore Jacobi decani anno 1231*. In chartulario S. Firmini confessoris legitur hæc charta: *Geofridus divina permissione Ambianensis ecclesiæ minister humilis, J. decanus totumque ejusdem ecclesiæ capitulum*, &c. data est secunda feria Paschatis anno 1236. Jacobus etiam dicitur archidiaconus Rotomagensis, ubi obitum habet x calendas Junii.

XVII. Gerardus *de Conchy* pœnitentiarius erat anno 1236, ut liquet ex charta de pace Petri majoris de Fontanis; decanus vero memoratur in chartulario ab anno 1238 ad 1244. Composuit cum abbate Aquicinctensi pro decima de Bellaquercu anno 1239. Rogavit 1240 abbatem Corbeiensem ut delegatis ecclesiæ Ambianensis corpus S. Honorati pro fabrica ecclesiæ Ambianensis circumferentibus literas daret, quibus per villas Corbeiæ honorifice reciperentur. Quod autem fuerit decanus Gerardus testatus ipse est in charta quam dedit factus episcopus.

XVIII. Adam de Grandiponte occurrit anno 1247 in approbatione data a capitulo translationis domus hospitalariæ Ambianensis, & indemnitatis concessæ sancto Martino ad Gemellos a Gerardo episcopo. Obitum habet mense Februario.

XIX. Bernardus de Maneriis ab anno 1253 ad 1259, ex chartulario. Obitus ejus celebrandus nonis Augusti. Anno 1258 conquesti sunt decanus & capitulum coram senatu Parisiensi, quod ea nocte qua ecclesia sua fuit combusta, quædam

arca posita infra murum ipsius ecclesiæ, in qua erant sigillum & privilegia eorumdem, fuerit de eodem loco amota & furto subtracta.

XX. Henricus I *de Fluy*, filius Guarini *de Fluy* militis, qui duas præbendas in ecclesia sancti Martini de Pinconio fundavit, de quibus bulla Urbani IV, subscribit ordinationi capellanorum mense Martio 1261, & venditioni domus Furni claustri 5 Januarii anno 1270. Obitum habet VIII calendas Octobris.

XXI. Johannes II *de Friscans* anno 1271, cujus obitus fundatio habetur in emtione terrarum apud *Revelles* anno 1283. Die 22 Maii habet obitum.

XXII. Arnulfus de Furnivalle in charta juramenti præstiti a Guillelmo *de Macon* episcopo in primo adventu dominica post octavam SS. apostolorum Petri & Pauli anno 1278, & in aliis instrumentis ad 1281.

XXIII. Hugo II de Feuqueriis innotescit ex statuto quo prohibetur ne duo canonici maneant in una domo ultra mensem, anno 1287. Obiit anno 1293, ex emtione decimæ *de Gratepanche*, & obitum habet mense Februario.

XXIV. Johannes III *de Bours*, prius pœnitentiarius & provisor hospitalis sancti Johannis, ex instrumentis Domus-Dei, legitur decanus in emtione feodi Reginaldi *de Mez* armigeri apud *Valles* anno 1293 mense Maio, & in alio documento 16 Augusti anno 1294. Obitus ejus mensibus Januario, & Decembri & Junio.

XXV. Eustachius de Longo, ex præcentore decanus, notus est ex plurimis chartis ab anno 1296 20 Augusti usque ad 1302. Post ejus obitum 23 Julii hujus anni, statutumque est a capitulo, decanatu vacante, quod decanus deinceps juraret residentiam per decem menses antequam ab episcopo confirmaretur. Obitum habet mense Januario.

XXVI. Petrus I de Housseio, ex pœnitentiario decanus, auget mense Maio 1304 quarumdam capellaniarum censum, quarum fundationi pœnitentiarius ipse subscripserat an. 1301. Adfuit translationi S. Eligii anno 1306. Obitum habet mense Septembri.

XXVII. Illius decani ignoratur nomen, cui mandavit Clemens V literis datis Pictavis secundo calendas Augusti pontificatus anno III 1308, ut fratribus de Monte-carmeli in villa Monsteroli, in qua jam per triginta annos habitabant, licentiam concederet morandi in loco quem acquisierant, & divina celebrandi, cum cœmeterio & campana, quod mandatum decanus duodecimo ætatis suæ anno nondum exacto exsequi nequivit, ut constat ex aliis ejusdem pontificis literis datis Avenioni calendis Junii pontificatus anno IV. Utrasque habes literas in appendice bullarii Carmelitarum, pag. 535 & 537. Attamen decanatu vacante anno 1309, mense Maio, statutum est de expensis confirmationis decani ab archiepiscopo Remensi obtinendæ.

XXVIII. Guillelmus I de Planca, filius Guillelmi militis domini *de Henchin* & Ælidis, jam decanus anno 1320, recepit 29 Novembris

A 1321 juramentum Simonis *de Goucans* episcopi in primo adventu. Vicarius ejus generalis cum officiali alternum declaravit jus præsentandi ad capellaniam sancti Medardi de Magno-managio inter episcopum absentem & monachos Lehunenses sabbato ante dominicam *Lætare Jerusalem* 1322. Ipse vero capitulo dedit mense Junio 1325 transversum de Longa-aqua. In necrologio, ubi notatur obitus ejus mense Decembri, legitur eum per longum tempus fuisse decanum, & laudatur propter nobilitatem, eximiam maturitatem, discretionem, literas & dona ecclesiis facta.

B XXIX. Guillelmus II *de Molains*, utriusque juris professor, jam memoratus anno 1325 in chartulario Corbeiensi, Johannis *de Cherchemont* episcopi Ambianensis juramentum excepit 16 Augusti 1327. Cum eodem componit pro oblationibus & candelis missæ *Auroræ* 25 Januarii 1334. Obiit anno 1335, sepultus in ecclesia S. Honorati ante altare. Obitum habet mense Julio.

XXX. Reginaldus *de Ficffes* clericus regis, canonicus Tornacensis & decanus Ambianensis, subscripsit instrumento pro jurisdictione mense Augusto 1336. Permutavit canonicatum Tor-

C nacensem pro canonicatibus Atrebatensi & Pontisarensi cum Andrea de Florentia nepote A. Tornacensis episcopi, qui receptus est 29 Maii 1337. Reginaldus autem comparet in compositione cardinalis Bertrandi 17 Octobris anni ejusdem, & in aliis multis instrumentis annorum 1343 & 1347. Obiit decanus ex compoto Maranchiarum ad annum 1361.

XXXI. Robertus II *de Croy* Roberti *de Fouilloy* episcopi Ambianensis nepos, canonicus erat anno 1341 quum Johannes *d'Aubigny* episcopus Trecensis, ejus consanguineus, eum instituit testamenti sui exsecutorem die martis

D post festum omnium Sanctorum. Memoratur decanus in statuto de thesauro non alienando 24 Januarii 1368, in instrumento juramenti præstiti ab Evrardo abbate Domni-martini 11 Maii an. 1371, in alio documento vacante episcopatu post mortem Johannis *de Cherchemont* episcopi 26 Januarii 1372, & in compositione inter Johannem *de la Grange* episcopum & capitulum 13 Januarii 1375. Obitum habet mense Maio.

XXXII. Guillelmus III *de Longueval*, canonicus anno 1347, pœnitentiarius anno 1368, decanus erat anno 1376, ex compoto Maran-

E chiarum & ex aliis instrumentis. Obiit 1 Septembris 1381, ex lamina cuprea in navi ecclesiæ ante majus ostium chori versus capellam sancti Jacobi olim affixa, sed ob vetustatem anno 1679 sublata, in qua visebantur gentis Longevallensis insignia. Obitum habet mense Septembri.

XXXIII. Stephanus de Mereyo receptus fuit vi literarum apostolicarum ad decanatum & semipræbendam Guillelmi *de Longueval* 1381. Prima ejus memoria occurrit in synodo capituli habita ipso in remotis agente 8 Novembris 1387. *

XXXIV. Egidius Archiepiscopi possessionem

adeptus est 3 Novembris 1388, canonicus non A præbendatus sub exspectatione præbendæ.

XXXV. Guillelmus IV *d'Auvel*, (de Alveolo) cujus prima occurrit mentio 26 Julii anno 1389 in regesto deliberationum, ut decanus semipræbendatus recensetur in solutione decimæ ab Urbano V regi concessæ anno 1390. Insequenti componit cum Johanne *de Boissy* episcopo pro luminari exequiarum, &c. parochianorum *de Camons* 21 Aprilis, quo in instrumento legitur regi consiliarius & requestarum ejus hospitii magister. Obitum habet mense Junio.

XXXVI. Laurentius *de Lobel*, (de Albello) fit præpositus anno 1383, & decanus 1395. B Erat etiam pœnitentiarius Parisiensis, ut patet ex censione terrarum & censuum apud *Essertaux* 8 Aprilis 1418. Multa contulit variis ecclesiis ad pias fundationes annis 1415, 1418, 1419 & 1420, quo obiit. Obitum habet mense Aug. In regestis Vaticani factus episcopus Aptensis legitur per obitum Johannis Filleti 10 Decembris 1410, ejusdemque per obitum Fr. Petrus de Pricando, al. *Perrigant*, Dominicanus 27 Februarii 1411.

XXXVII. Clemens *de Faucambergue* nobili genere natus, canonicus Cameracensis, Parisiensis & Carnotensis pro temporum horumce more, C Ambianensis quoque receptus est 11 Februarii 1414; eligitur autem decanus 16 Octobris 1420, confirmaturque a vicariis generalibus Remensibus 16 Maii 1421. Hujus tempore clerus Ambianensis præstitit fidelitatis sacramentum duci Burgundiæ 28 Octobris 1435. Insequenti 23 Martii & 1 Octobris obligavit se in capitulo statutis editis in concilio Basileensi. Obiit Parisiis 19 Junii 1438. Jacet in ecclesia Parisiensi, cujus etiam canonicus erat, uti senator in curia Parisiensi. Vide ejus epitaphium in decanis Cameracensibus, tom. III, col. 71, ubi videtur dici decanus etiam Parisiensis, Cameracensis & D Carnotensis. Sed quum simul dicatur decanus & canonicus, fortasse potest intelligi eum tantum fuisse canonicum Parisiensem, Cameracensem & Carnotensem. Certe in serie decanorum illarum ecclesiarum vix ipsi relinquitur locus; aut ita fuit decanus, ut longe ante mortem, & anno 1436 has dignitates deposuisset.

XXXVIII. Robertus III *de Fontaine* Ambianus, in jure canonico licentiatus, libellorum supplicum magister & canonicus Parisiensis, Johannis Avantagii episcopi vicarius generalis & officialis 10 Martii 1437, vi electionis nominatur decanus 23 Septembris 1438, sed possessio- E nem iniit vi literarum apostolicarum 6 Octobris ejusdem anni. Anno 1442 quum nuper fuisset officiarius caveæ & anniversariorum ecclesiæ Parisiensis, & commissus ad recipiendos reditus defuncti domini J. *de Courtecuisse* quondam dum viveret episcopi Gebennensis, & etiam reditus cujusdam censivæ eidem ecclesiæ legatos per M. Jacobum *Braulart* canonicum Parisiensem bonum & fidelem, rationem reddidit capitulo Parisiensi. Hujus decani tempore capitulum synodum celebravit 26 Octobris 1464, & statuta edidit quæ habes tom. VII collect. amplis. Martenii, col. 1269. Obiit Robertus die 4 Februarii 1467. Jacet juxta clausuram capellæ sanctæ Mariæ Anglicæ versus chorum, ubi in veste purpurea visitur ejus effigies cum epitaphio Gallico, in quo quæ jam de ipso dicta sunt tantum leguntur. Obitum habet mense Julio. Legavit capitulo 2000 scuta auri pro fundatione missæ quotidianæ in sacello beatæ Mariæ Anglicæ.

XXXIX. Johannes IV *de Cambrin* filius Johannis locum tenentis ballivi Ambianensis ex Johanna *de Rubempré*, baccalaureus theologus, anno 1467 ex diacono canonico decanus electus est, possessionem tamen adiit tantum 23 Martii 1469 ob æmulos Nicolaum *de Conti* tunc canonicum & postea præcentorem, & Ferricum *de Clugny* etiam canonicum Ambianensem, sedis apostolicæ protonotarium, duci Burgundiæ a consiliis & supplicibus libellis. Hic autem stetit se capitulo 3 Januarii anno 1468, ut jus habens ad decanatum literis apostolicis, sed vicit Johannes *de Cambrin*, qui anno 1484 adfuit comitiis regni Turonensibus pro ballivatu Ambianensi cum Arturo *de Longueval* equite ballivo. Johannis *de Gaucourt* & Petri *Versé* episcoporum fuit vicarius generalis, quo nomine Selincurtensibus dedit literas ut reliquias suas per diœcesim circumferrent obtinendarum ergo eleemosynarum ad reficiendam ecclesiæ suæ navim. Obiit 10 Januarii 1495. Jacet in cœmeterio ecclesiæ, ubi legitur: *Chy devant gist ..... Monseigneur M.re Jean de Cambrin*, &c. ubi tantum habentur quæ de ipso diximus, hoc excepto quod inde discimus ipsum simul fuisse canonicum S. Martini de Pinconio. Juxta legitur epitaphium Gallicum ejus parentum, ubi pater ejus dicitur eques. Obitum habet mense Januario.

XL. Adrianus I *de Henencourt* filius Johannis *de Henencourt* & Claræ *de Beauvoir* Ferrici *de Beauvoir* Ambianensis episcopi sororis, decretorum doctor, in legibus licentiatus, archidiaconus Noviomensis, fit præpositus anno 1465; decanus vero eligitur anno 1495. Corpus avunculi sui Ferrici episcopi Ambianensis Monstrolio Ambianum transtulit, ejusque tumulum epitaphio supra relato ornavit. Fuit vicarius generalis episcoporum Philippi *de Cleves* anno 1503, & Francisci *Halwin* anno 1504. Multa reliquit pietatis suæ monimenta maxime suo testamento condito 18 Julii anno 1527. Obiit 1530 die 5 Januarii. Jacet prope Ferricum avunculum, cum hac inscriptione:

Flete senes, plorate viri, lugete puellæ,
Vester Henencurius nunc Adrianus abest.
Ille decanus erat, populi pater, urbis amator,
Huic templo cultum religione dedit.
Vixerat ut tandem moreretur, mortuus hic est
Ut vivat, virtus sic modo morte viret.

XLI. Adrianus II *de Lameth* Adriani *de Henencourt* pronepos, Jacobi *de Lameth* Corbeiæ gubernatoris & Margaritæ *de Flandres* natus, doctor sorbonicus, regi ab eleemosynis, abbas B. Mariæ de Camerofonte, archidiac. & canonicus Noviomensis,

Noviomensis, avunculi resignatione fit decanus 17 Decembris 1529, ac Francisci *de Pisseleu* episcopi vicarius generalis 1546. In ecclesia Boloniensi solennem missam celebravit 8 Maii 1549, in qua pax sancita & jurata fuit a regibus Franciæ & Angliæ. Ejus meminit Sixtus Senensis biblioth. lib. IV, pag. 242, ad annum 1550 ob commentarium in 26 priores psalmos. Obiit 1553 20 Augusti, quo obitum habet. Memoratur in necrologio Camerifontis 26 Novemb.

XLII. Nicolaus I *Griveau* presbyter Parisiensis, in juribus licentiatus, Catharinæ de Medicis ab eleemosynis ordinarius, canonicus Bellovacensis, decanus de Gerboredo, anno 1553 Ambianensis eligitur ab una parte capituli, cui ea de re Carolus cardinalis a Lotharingia & Nicolaus *de Pellevé* literas commendatitias dederant. Ab altera vero parte electus Nicolaus *Dey* cancellarius juri suo renunciavit 16 Octobris. Fuit Nicolaus vicarius generalis Nicolai *de Pellevé* & Antonii *de Crequi* episcoporum Ambianensium, procurator Guillelmi *Viole* episcopi Parisiensis & abbas commendatarius beatæ Mariæ Hamensis 16 Novembris 1561, quo anno interfuit colloquio Pissiacensi, & 1564 concilio Remensi. Agens generalis cleri Gallicani creatus est, tandem decanatum permutavit cum sequenti.

XLIII. Antonius *de Saveuses* Imberti libellorum supplicum magistri & ballivi Ambianensis filius, in juribus licentiatus, senator & canonicus Parisiensis, Ambianensis admittitur decanus 25 Augusti anno 1568, vi senatus consulti adversus capitulum, quod ad eligendum decanum post abdicationem Nicolai sibi jus patere credebat. Obiit Parisiis, sepultus in ecclesia Parisiensi anno 1590 cum epitaphio, in quo de ejus decanatu siletur.

XLIV. Henricus *de la Marthonie* Petracoricensis, frater Gofridi episcopi Ambianensis, jurium doctor, abbas sancti Vedasti de Morolio, ex archidiacono Pontivensi recipitur decanus per resignationem Antonii *de Saveuses;* adhuc subdiaconus 15 Januarii anno 1586, fit episcopus Lemovicensis per cessionem Johannis *de l'Aubespine* anno 1587, ut diximus tom. II, col. 540.

XLV. Franciscus I *Rose* Parisinus, in juribus licentiatus, canonicus & officialis Ambianensis, regi ab eleemosynis ordinarius, recipitur decanus 20 Junii 1588 per resignationem Henrici. Officialis sententiam tulit 7 Januarii 1595 qua irritum declaravit matrimonium Nicolai *d'Amerval* domini *de Liancourt* cum Gabriele *d'Estrées,* postea ducissa *de Beaufort,* tum ob impotentiam, tum ob affinitatem in tertio gradu. Obiit decanus 17 Septembris 1597.

XLVI. Johannes V *Guigestre* Auxitanus, e societate Navarrica doctor theologus, regi Henrico IV a concionibus, ejusdem favore eligitur decanus 26 Septembris 1597. Anno sequenti per Quadragesimam in ecclesia Ambianensi concionatus est. Decanatum resignat & moritur 25 Maii 1599.

XLVII. Claudius *de Saisseval* Ambianus, in jure canonico baccalaureus, fit decanus, tum vir- A tute electionis, tum per resignationem Johannis *Guigestre* 9 Julii & 2 Augusti 1599. Electio vero confirmata est a Philippo *du Bec* archiepiscopo Remensi 19 Julii. Obiit 9 Octobris 1627.

XLVIII. Petrus II *de Louvencourt* baccalaureus in jure canonico, ex archidiacono Ambianensi decanus eligitur 15 Octobris 1627, confirmatur a Gabriele a Sancta-Maria archiepiscopo Remensi 20 eorumdem mensis & anni. Fuit in pauperes & ægrotos effusissimæ liberalitatis, quibus una die erogavit ad septemdecim librarum millia. Obiit 14 Septembris 1652, quo mense B obitum habet, ad quem fundandum aliquod prædium legavit. Sepultus est in sacello sancti Ludovici.

XLIX. Johannes VI *Pioger* in utroque jure doctor, eligitur decanus 22 Septembris 1652, nondum sacris initiatus, & confirmatus fuit a vicariis generalibus ecclesiæ Remensis, sede vacante. Obiit 1670.

L. Leonorius *Pioger* Johannis frater, per ejus resignationem recipitur 2 Junii anno 1670. Abdicat anno sequenti nondum in sacris constitutus, permutatione facta pro capellaniis sanctæ Agnetis in ecclesia sancti Christophori *de Blere* C Turonensis diœcesis, sancti Nicolai *de Revelle,* & sanctæ Magdalenæ *de Lihons.* Obiit mense Maio 1710, ætatis 94, nondum ad sacros ordines promotus.

LI. Franciscus II *de Hodencq* e regia societate Navarræ doctor theologus, prior *de Domard,* permutatione cum superiori decanus recipitur 21 Julii 1671, canonicus tantummodo ad effectum creatus, qua de causa pro juribus decanatus ejusque functionibus diu cum canonicis litigavit. Tandem senatus consultis statutum est ut omnia munia decanorum præcedentium exerceret, juribusque gauderet, nisi quod capitulo non interD foret quum de rebus temporalibus & reditibus præbendarum ageretur. Defuncto Francisco *Faure* episcopo, fuit unus e vicariis generalibus capituli, sede vacante. Obiit 30 Junii 1691, ætatis 69. Jacet in capella prima.

LII. Alexander *le Scellier de Riancourt* canonicus Ambianensis, ex commissario jurisdictionis spiritalis capituli, ejusque vicario generali, sede vacante, decanus eligitur die 11 Julii 1691. Ab archiepiscopo Remensi confirmatus, possessionem adipiscitur 27 ejusdem mensis. Anno 1695 die 8 Septembris a rege nominatus est abbas B. Mariæ Foresti-monasterii. Fuit autem vicarius E generalis Henrici *Feideau de Brou* 1 Septembris 1692, & Petri *de Sabatier* episcoporum. Adstitit reseratæ capsæ S. Firmini confess. 10 Jan. 1715. Insequenti defunctus apoplexia die 6 Decembris fidelium precibus commendatus est a Petro *de Sabatier,* qui hac de morte literas ad decanos scripsit. Vir erat magnæ eruditionis, cui debemus hoc compendium historiæ tum episcoporum, tum decanorum Ambianensium.

LIII. Franciscus III *Moreau,* ex scholastico decanus receptus est 4 Januarii 1717.

LIV. Nicolaus II *de Lestocq* doctor & socius

sorbonicus, theologus adstitit mense Januario A 1715 reserationi capsæ sancti Firmini confessoris, ex theologo decanus, possessionem iniit 21 Februarii 1715, simul abbas sancti Acheoli.

Præter decanos prædictos reperiuntur & hi duo sine æra incarnationis inscripti martyrologio cathedralis, ubi notatur tantum dies quo uterque e vita migravit.

Ansboldus, de quo sic legitur ad v id. Febr.

Abstulit Ansboldum fera mors hac luce decanum,
Cujus ab abscessu decidit iste locus.

Richerus calendis Junii:

Ista, decane, dies revehit, Richere, calendas,
Qua caput elapsi confossus verbere ligni,
Terrea destituens, cælestia regna petisti.

DE VETERIBUS MONASTERIIS DIŒCESIS AMBIANENSIS.

FUere olim ut in aliis ecclesiis, ita in Ambianensi perantiquæ ecclesiasticæ fundationes & B vetera monasteria quæ injuria temporum, bellis Normannorum, & incuria hominum postea diruta sunt. Hinc tot monasteria & cellas reperire in chartis proclive est, quæ ut ad alium sensum detorqueant, laborant scriptores. Horum aliquot relevavit vere pius rex Robertus, aliquot, servatis monasterii & abbatiæ nominibus, clericis attribuit quæ pluribus clericorum collegiis originem dedere, alia in prioratus & parochias desiere, alia denique funditus diruta sunt. De his loquitur S. Godefridus Ambianensis episcopus scribens ad Baldericum Noviomensem episcopum, quem obnixe precatur ut historiam ecclesiæ Ambianensis exscribere dignetur, quemadmodum Cameracensem & Morinensem scripserat, ne pleraque claustra hujus diœcesis diruta oblivioni perpetuæ tradantur. Quænam autem illa sint prorsus silet, nec nos uspiam expiscari potuimus, nisi abbatiam sancti Mauricii prope urbem Ambianorum & flumen Somonæ sitam, quam ab omni exactione, tum ecclesiastica, tum seculari, exemit Guido Ambianensis episcopus seculo XI medio, ex tabulario ecclesiæ Ambianensis, fol. 81. Duæ aliæ ad nostram notitiam pervenere, quæ patribus Cœlestinis dono Ludovici XIII cessere. Hæc autem sunt.

Ch. XIX. col. 301.

S. MARTIN aux Jumeaux.

1. *In porta Ambianensi in qua sanctus Martinus pauperem algentem adhuc cathecumenus chlamyde decisa contexit, oratorium a fidelibus est ædificatum, in quo puellæ religiosæ deserviebant tempore* Gregorii Turonensis. Parthenon autem ille abbatia dicebatur, destructusque erat anno 1073 quum Guido episcopus Ambianensis ecclesiam reædificavit, quam clericis commisit administrandam. His inter alia donavit ecclesiam sancti Petri ultra pontem, canonici defuncti annuum præbendæ reditum, &c. quibus addiderunt decanus & capitulum ecclesias sancti Lupi, sancti Walarici, sancti Desiderii, terras arabiles, hospites, omniaque bona quæ dicebantur de abbatia sancti Martini, &c. Quorum quia beneficiis construebatur fraternitas, vult episcopus ut tota hæc dicatur & sit in eorum ditione abbatia, præbendasque vendant & venditarum pretii duas partes in suos usus retorqueant, tertiam vero ad ecclesiam ædificandam attribuant. Clerici autem illi seculares regulam sancti Augustini anno 1109 amplexati sunt, juxta dispositionem Godefridi episcopi, inquit Paschalis II in bulla, qua tam regulam, quam bona confirmat, hoc anno Ar-

Greg. Tur. lib. I de Mirac. S. Martini, c. 17.

Charta X. col. 291.

Chart. XX. col. 302.

nulfo præposito data. Viden initia & progressus Canonicorum regularium. Anno 1135 quod inceperat Godefridus perfecit Guarinus successor, approbatis restauratione sancti Martini, novo clericorum instituto, juribus in eos capituli, bonisque & præbenda in majori ecclesia eis data, præbenda etiam fratrum sancti Acheoli juxta constitutum Gervini anno 1093. Theodericus præsul anno 1145 hanc ecclesiam quæ abbatia esse desierat, in abbatiam iterum restauravit ad preces capituli, cui erat subjecta, voluitque ut quæ a prioribus hactenus fuerat gubernata, sub titulo abbatis poneretur, qui benedictionem tantum ab episcopo reciperet. In charta Theoderici, C quam in spicilegio jam editam recudimus, ecclesia primum dicitur sancti Martini in Gemellis, sive ut volunt, propter utriusque ecclesiæ sancti Martini, & sancti Nicolai a Drogone Morinensi episcopo constructæ anno 1073, viciniam & symmetriam, sive propter fraternam utriusque præsulis amicitiam. Anno 1147 Theodericus episcopus, inter alia & præter jam concessa, dedit ecclesiæ S. Martini præbendam integram in ecclesia beatæ Mariæ perpetuo possidendam, quam anno sequenti confirmavit Eugenius papa. Data quoque ab eodem præsule ecclesiam de Spissocampo & altaria de Bernardi-villa ac *de* D *Canaples* rata habuit Alexander III circa annum 1164. Insequentibus canonici S. Martini querelam habuere cum canonicis S. Acheoli pro annuali præbendæ quam canonici S. Acheoli habent in ecclesia majore, quod canonicis S. Martini cedere coacti sunt sententiis decani & capituli an. 1182 & 1223. Res in eo statu permanserunt ad annum 1565, quo Antonius cardinalis *de Crequy* episcopus Ambianensis mensæ abbatialis reditus mensæ episcopi adjunxit. Deficiente postea abbate, defecere & canonici, qui duo tantum supererant quum destructo prope arcem Cœlestinorum monasterio, ecclesiam sancti Martini E concessit eis Ludovicus XIII 26 Maii anno 1634, quam postea summa cura maximisque impensis instaurarunt eodem loco in quo primum pauperi chlamydem diviserat sanctus Martinus. Canonicis vero regularibus servata bona, & assignata domus 12 Parium Franciæ, ubi missarum solennia celebrarunt 11 Novembris 1635. Anno sequenti 13 Martii 1636 canonici cathedralis ibidem reportarunt chlamydem S. Martini.

Spicileg. tom. XII, pag. 159.

Ch. XXIX. col. 308.

Ch. XXXIII. col. 312.

En abbates sancti Martini qui ad unionem usque præfuerunt, quos præcesserunt duo præpositi, scilicet,

Arnulfus primus prior, præpositus seu magister erat quum clerici regulam sancti Augustini amplexati sunt. Bullam protectionis seu confir- Chart. xx. col. 302. mationis obtinuit a Paschali II anno 1109. Præfuit annis 13, & obiit X calendas Januarii.

Frumaldus, seu Fromoldus, prior S. Martini, subscripsit chartæ Guarini episcopi pro sancto Fusciano anno 1138. Dedit anno 1131 Selincurtensibus decimas animalium & hortorum Selincurtis. Sedit annis 18, defunctus 27 Jan.

I. Theobaldus post annos quatuor magisterii Ch. xxix. col. 308. primus electus abbas anno 1145, bullam prote- Ch. xxxi. col. 312. ctionis obtinuit ab Eugenio III anno 1147, in qua præbenda in ecclesia majore a Theoderico ad Ch. xxxii. col. 313. preces S. Bernardi data recensetur. Cum Galterio Ch. xxxiv. col. 314. abbate sancti Acheoli & Guncelino Balgentiaci subscripsit anno 1149 instrumento capituli elocantis jura quæ apud Balgentiacum acquisierat quum S. Firmini inventum est corpus. Transegit cum Gualterio abbate Selincurtis anno 1158. Huic dedit Goswinus abbas Aquicinctensis anno 1160 decimam de Leitbulvilla. Ab Henrico Remensi archiepiscopo Theobaldus electus fuit arbiter anno 1163 inter capitulum Ambianense & monachos Aquicinctinos. Triennio post obiit quum annis 21 rexisset.

II. Odo, ex canonico sancti Martini abbas, testis est anno 1167 in charta Roberti episcopi pro Ursicampo, & 1170 in charta S. Johannis. Bullam obtinuit ab Alexandro III 1171, & chartas a Guillelmo archiepisc. Remensi 1178, & a Theobaldo Ambianensi episcopo 1180 de annualibus præbendarum quoquo modo vacantium. Testis annis 1182 & 1185 in chartis Ch. xlvii. col. 323. Theobaldi episcopi pro sancto Quintino Bellovacensi & Seriaco. Præfuit quoque 21 annis, & defunctus XVI calendas Novembris 1187, sepultus est in capella conventus.

III. Willardus duobus annis præfuit, & obiit 1189.

IV. Johannes I canonicus sancti Martini, abbas electus fuit arbiter cum Alveredo abbate Britulii & Galtero sancti Acheoli inter capitulum Ambianense & comitem Clarimontis anno 1190. Insequenti occurrit in literis Theobaldi episcopi de dono decimarum *de Renneville* a Petro *de Thalamars*, 1193 pro Loco-Dei, & 1203 pro Morolio. Excessit 19 Octobris post 15 regiminis annos.

V. Hubertus rexit tantum per annum.

VI. Radulfus I *de Beauvais* rexit quinque annis. Abbatem sancti Fusciani & priorem de Bova conciliavit anno 1208. Mortuus est XVII calendas Augusti.

VII. Petrus I, jam abbas an. 1209, ex chartis domesticis, cum Johanne S. Acheoli abbate arbiter fuit an. 1211 inter Johannem abbatem Corbeiensem & W. advocatum de Bet.... Anno 1222 latam auctoritate Honorii papæ a Poncio episcopo Atrebatensi in scabinos Atrebati excommunicationis sententiam confirmavit. Occurrit anno eodem in bulla Honorii pro monasterio sancti Vedasti, & 1227. Per annos 40 pedum tenuit. Capellas chori ædificavit defunctusque

A 8 Julii, jacet in capella B. Mariæ retro majus altare.

VIII. Radulfus II de Molano cum Cisterciensibus societatem iniit anno 1249. Sedit annis 5, fato functus XVIII calendas Januarii.

IX. Artaldus, seu Bertaldus, ad Canes *(a Chyene)* testatur anno 1263 se legisse literas Urbani papæ quibus decano Noviomensi mandabat ut Ambianos transiret diligenter inquisiturus de chartis capituli, quæ igne consumtæ fuerant cum ecclesia. Rexit annis 26. Defunctus 14 Dec. jacet in capella conventus.

X. Jacobus I *Bruhart*, al. *de Boubars* vel B *Bouberk*, transegit anno 1280 cum Ingelranno *de Lulli*, & 1285 cum monachis sancti Fusciani. Statuta edidit anno 1300 de divino officio in capella super portam sancti Martini celebrando. Administravit annis 27 & duobus mensibus. Animam Deo reddidit X calendas Novembris. Sepulturæ traditus in capella sanctæ Mariæ retro majorem aram.

XI. Johannes II *d'Aubigni* abbatiam annis 18 gubernavit, inde episcopus Trecensis, anno 1325 Cartusianam ecclesiam Parisiis dedicavit.

XII. Matthæus *de la Vacquerie* Burgundus, pepigit anno 1337 cum Johanne episcopo de C pannis funebribus, quos episcopus ut thesaurarius sibi vindicabat. Regimen tenuit 16 annis. Obiit pridie idus Junii, sepulturæ illatus in introitu chori.

XIII. Johannes III *de Moy* 13 Maii 1344, rexit annis 9. Obiit 30 Septembris, tumulatus in capella Evangelistarum.

XIV. Radulfus III *de S. Quentin* pepigit 26 Septembris 1350 cum scabinis super muro abbatiæ, & 1363 cum Blanca *Kiriet* abbatissa Bertoldicuriæ. Sedit annis 15, & decessit 15 Jan. Jacet in capitulo ante sedem abbatis.

XV. Gerardus *Hardy* quinque annis abbas D exstitit. Mortuus XVIII calendas Decembris, jacet in cornu claustri circa ecclesiam.

XVI. Jacobus II *Marbot* 12 Januarii 1374 & 1394. Defecit 17 Decembris. Jacet in capella sancti Eligii.

XVII. Firminus *Grimault* interfuit pactioni inter parochum sancti Petri & Cœlestinos de funeribus, annis 1400 & 1401. Societatem precum iniit cum iisdem. Interiit 13 Septembr. regiminis anno 14, humatus in capella sancti Firmini.

XVIII. Johannes IV *Chastellain* 1412. Moritur 23 Augusti anno septimo regiminis, E in inferiore ecclesia ante ostium chori tumulatus.

XIX. Guillelmus *Mareschal*, al. *Forestier*, anno uno. Quiescit in capella Apostolorum, fato functus 29 Septembris.

XX. Radulfus IV *de Soubbite* 30 annis administravit. Nonnullas reliquias monachis Cartusiensibus donavit die 2 Martii 1431, sicut duo ejus decessores prius dederant. Mortuus XVII calendas Aprilis, jacet in medio chori.

XXI. Andreas *le Clerc*, alias *Murgale*, occurrit 1450 & 1455. Per 19 annos munus explevit. Die 30 Augusti spiritum reddidit.

Jacet juxta tumbam Theobaldi episcopi. A

XXII. Petrus II de Bosco anno uno, sepultura donatus inter capellas B. Virginis & sancti Firmini martyris.

XXIII. Jacobus III *de Mouchy* Ambianensis, rexit annis 7. Interiit XVIII calend. Decembris, tumulatus in sacello beatæ Mariæ *de Lestoc* ante capellam sancti Johannis-Baptistæ.

XXIV. Johannes V *Haste* sedit 29 annis. Obiit 1506, sepultus juxta Andream *le Clerc*.

XXV. Jacobus IV *Hoste* abbatiam suam 14 vel 15 annis gubernavit. Basilicam plurimis ornamentis & organis adornavit. Sublatus e vivis 14 Septembris 1520, terræ mandatur in sacello B beatæ Virginis a se constructo.

XXVI. Natalis *l'Hoste* præfuit annis 38. Emigravit III idus Martii 1558, juxta decessorem humi traditus.

XXVII. Antonius *Picquet* sedit annis circiter 7. Obdormivit 4 Februarii 1564. Quiescit in capella B. Mariæ, quæ sacellum abbatum nuncupatur.

Post Antonii obitum electus quidem est Adrianus *Pinquerel*, sed incassum: reditus enim abbatis statim occupavit episcopus Ambianensis, quos mensæ episcopali adjungi curavit.

VISIGNEUL. 2. Cœlestinis quoque Ambianensibus cessere C bona abbatiæ de Viseignolio. Hæc ordinis sancti Augustini sita erat prope Britulium in decanatu de Morolio, in loco ubi nunc superest prædium ejusdem nominis, cum capella. Extabat seculo XII sub titulo beatæ Mariæ, cujus duo abbates recensentur in chartulario sancti Laurentii.

Rorico 1178.

Robertus 1190.

Johannes adstitit anno 1261 translationi corporum sancti Luciani & sociorum ejus factæ in basilica sancti Luciani.

Abbatiæ superstites.

Sunt illæ numero 25, quibus pro dignitate D sua adjungemus prioratus S. Petri apud Abbatisvillam, & B. Mariæ Montis-desiderii.

Ordinis S. Benedicti.

Virorum.

S. Walaricus.
S. Richarius.
Corbeia.
S. Judocus.
S. Salvius.
S. Fuscianus.
Foresti-monasterium.
S. Vedastus de Morolio.
Prioratus { S. Petrus Abbavillæus. / B. Maria de Monte-desiderii.

Feminarum.

S. Austreberta.
Bertolcurtis.
S. Michaël apud Duleneum.

Ordinis S. Augustini.

Virorum.

S. Acheolus.
Clarum-Fagetum.

Ordinis Cisterciensis.

Virorum.

Gardum.
Valloriæ.
Carus-campus.
Locus-Dei.

Feminarum.

Hispania.
Paracletus.
Villencuria.

Ordinis Præmonstratensis.

Domnus-Martinus.
S. Johannes.
Seriacum.
Selincurtis.
S. Andreas in nemore.

S. WALARICUS. S. VALERY.

S. WALARICI monasterium hoc nomine appellatum est seculo X. Ponitur in diœcesis Ambianensis Winemacensi * pago, in loco qui *Leuconaus* antiquo vocabulo dicebatur, ad Somonæ fluminis ostia in oceanum. Hunc Walarico S. Columbani discipulo largitus est rex Chlotarius sub annum 611, qui accepta disseminandi verbi Dei licentia Neustrici regni partes in occiduas se cum Waldoleno monacho receperat. Cellulam ibi primum erexit Walaricus, fratres vero monasterium construxere, quod paulo post ejus decessum fugati monachi ad tempus deserere visi sunt, sed Blitmundus ejus discipulus, qui Bobium ad Attalam secesserat, reversus, monasterium concedente eodem Chlotario rege, meliorem in statum renovavit circa annum 628, quod urbi contiguæ postea, quæ circum ejus pomeria deinceps accrevit, nomen dedit & originem. Quid non interea passum est monasterium, a Normannis annis 859 & 881, & ab abbatibus quibusdam secularibus seculo X qui clericos monachorum loco substituerunt? Hi ab Hugone restituti, ab Anglis desolati sunt annis 1088, 1360 & 1422, a Burgundionibus 1433. Pessimi omnium Calvinistæ annis 1568 & 1591 monasterium susdeque verterunt, quibus pro coronide successere commendæ: sed nec prætereundi advocati, quorum celebre nomen S. Walarici militum titulo pridem evasit, qui ab abbatibus post instauratum ab Hugone monasterium vindicandis rebus juribusque tutandis e vicinis mili- E tibus delecti, acerrimos se monasterii non defensores, sed hostes, bonorumque invasores & rerum dominos gesserunt. Post tot clades proculdubio actum erat de perantiquo monasterio, ni conceptum anno 1629 de introducendis huc sancti Mauri monachis, ad effectum anno 1644 perductum fuisset consilium. Hi enim in dies pro virili res restituere conantur.

* Le Vimeu.

Inter alia quibus a principio monasterium S. Walarici decoratum fuit, tum a principibus, tum a pontificibus, privilegia, libertatem & a quocumque episcopo immunitatem prætermittere

integrum nobis non est: hanc sat scio in urbem Ambianensibus episcopis an. 1664 attribuit senatus Parisiensis, quam in cœnobio tantummodo monachis reliquit, sed provisorio decreto, non peremptorio judicio. Nihil ergo impedit quin causam æqua lance recognoscamus. Hujus libertatis fateor nullam ad seculi x finem haberi notitiam, sive quod propter frequentes monasterii immutationes nondum ad monasterium urbs assurrexerat, parochiæque nondum erectæ, sive quod utrimque perierunt documenta. Primus, quod sciam, Romanus pontifex Benedictus VII anno 981 Hugonis gloriosissimi comitis (Capetus hic est, paulo post in regem ordinatus) precibus adductus, monasterium uni apostolicæ sedi subditum a cujuslibet alterius episcopi jugo eximit. Benedicto suffragatus est anno 1106 Paschalis II, asserens *monasterium juxta prædecessorum nostrorum statuta semper sub jurisdictione S. Romanæ ecclesiæ conservandum.* Quæ quidem verba non unius Benedicti literis conveniunt. Haud dubium quin Ambianenses episcopos moverit iterata privilegiorum concessio: nam paulo post quum Godefridus monasterio proximus intra jurisdictionis illius limites pontificalia munia vellet obire, a Lamberto abbate summonitus rem distulit. At (si qua Nicolao Suessionensi fides, quem postea discutiemus) eum mox ad suam tum ad metropolitani Remensem synodum vocat. Falsi convictum abbatem & extemporanei quod needum exsiccatum erat privilegii conditorem a Godefrido probatum narrat auctor Nicolai Suessionensis monachi nomine vulgatus in Godefridi vita. Impactam ab adversariis falso, ridicule & imprudenter ejusmodi calumniam Nicolaus levissime admisit, addens etiam Lambertum, qui ad pontificem Romanum provocarat, causa cecidisse, moxque Godefridum a Paschali literas accepisse, quibus inter alia continebatur abbatem sancti Walarici cum monachis suis Ambianensi episcopo perinde atque patri & pastori in omnibus parere debere. Priorem imposturam (sic eam post illustrissimum Parisiensis senatus advocatum generalem dicere liceat) hæc posterior omnino labefactavit: Paschalem enim secundum abbatem sententiam dixisse probant sequentia posteriorum pontificum decreta, quibus illi Paschalis exemplo monasterii libertatem firmare se profitentur. Sic Alexander III anno 1165, *ad exemplar*, inquit, *prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Benedicti & Paschalis Romanorum pontificum, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus*, &c. Rem ipsam ante triennium solenni decreto jam definierat pontifex: quum enim Asselinus abbas jurium suorum intrepidus assertor, parochialium sancti Nicolai sanctique Martini ecclesiarum sacerdotes pleno jure institueret, obsistente Ambianensi episcopo, lis ad pontificem delata est. Demandata cognoscendæ rei Balduino Noviomensi episcopo provincia, Remensisque archipræsulis excepto suffragio, postquam magister Gislebertus episcopi responsalis, & Arnulfus atque Fulbertus monasterii actores sæpius &

A diligentius rationes & allegationes *coram nobis & fratribus nostris recitassent, tandem*, inquit Alexander, *vos tam super positione abbatis in cathedram, quam de cura animarum & omni alio jure parochiali in prædicto castro a memorati episcopi & ecclesiæ suæ impetitione absolvimus, & eisdem perpetuum super hoc silentium auctoritate apostolica imposuimus*, &c. Idem libertatis privilegium pontifex anno 1168 iterum atque iterum roboravit, quod etiam firmarunt Innocentius III an. 1223, Gregorius IX anno 1229, Innocentius IV anno 1254 & sequentibus, Bonifacius VIII anno 1297, & ceteri. Jurisdictioni exercendæ creati B ab abbatibus officiales seu judices, quorum elenchum a trecentis annis proferre licet. Post Alexandri pontificis decretoriam sententiam nihil aperte molitos Ambianenses episcopos legimus ad annum 1468, quo ob delatas in officialem monasterii querelas, quod urbem interdicto sæpius multaret, episcopus abbatem in jus vocavit: sed nihil tum hac de re decretum est a senatu. Quin etiam anno 1301 Remensis archiepiscopus in monasterii jura consensisse visus est. At demum anno 1370 quum Jacobus *de Cambrone* miles quatuor sacella, nempe tria Cambronii, quartum in Walaricensi castro erexisset, priora tria episco- C pus Ambianensis auctoritate sua firmavit, a postremi confirmatione censuit abstinendum, cujus erectioni mox abbas Andreas datis literis consensit. Sed tandem vertente rerum fato, senatus Parisiensis anno 1664 Ambianensis episcopi qui in urbis parochias jurisdictionem tentarat, factum approbavit, immunitate monachis ac cœnobio relicta.

Dixi supra sublestam Nicolai Suessionensis monachi fidem: ecquis enim sanæ mentis sibi persuadeat abbatem nulla declinatione facta stetisse se coram episcopo, cujus ditioni obnoxium se esse pernegabat; tantum auri & argenti sup- D petere potuisse abbati monasterii non admodum locupletis, ut tot hominum cupiditati satisfacere potuerit, omnes omnino clericos Ambiani aut Romæ ita tunc temporis venales fuisse, ut immunitatem quam monachi non habuerint absque ullo negotio erogata pecunia sibi dari aut confirmari obtinerent. Deinde quæ monachorum, non dico, impudentia, sed animi hebetudo fuerit, ut privilegium sibi fabricaverint ac pro antiquo autographo recens scriptum protulerint, ut episcopus ejus scriptura suo vestimento abstersa fraudem facile coram synodo detexerit. Vix etiam inveniri potest tempus synodi hujus Remensis & E itineris Romani, quod Walaricenses monachi & beatus antistes susceperint, antequam pontifex in Gallias labente anno 1106 adveniret. Præterea an adeo levis censendus est Paschalis pontifex, ut monachis illis privilegium numerata pecunia statim indulserit, ac paulo post cognita Godefridi sanctitate, idipsum extemplo absque ullo examine data alia bulla revocaverit? Quin & si hac bulla rescissæ fuissent Walaricensium immunitates, quo pacto iis deinceps gavisi sunt Walaricenses, etiam a sequentibus pontificibus approbatæ & confirmatæ variis diplomatibus quæ etiamnum supersunt?

Quum e contrario episcopi Ambianenses, etiam quum Walaricensis monasterii privilegia oppugnare aggressi fuerunt, nunquam hanc Paschalis bullam a B. Godefrido impetratam protulere. Adhæc nulla ejus historiolæ mentio, neque apud Ivonem episcopum, qui monachis non parsurus esset, si hujus fraudis rei fuissent, neque in alia vita quam ex veteri codice Rubeæ-vallis prope Bruxellas habemus. Hæc tanti visa sunt senatui Parisiensi, ut in nuperis controversiis non ademta omnino monachis sit illa immunitas, sed ad monasterii ambitum restricta, & id quidem non decretorio judicio, sed in rem tantum præsentem constituto, quo tempore Robertus Quatremarius noster eruditam ad causæ illius examen dissertationem edidit, in qua tum falsum esse concilium illud Remense, tum nullius fidei hac in causa Nicolaum contendit.

Ordo Abbatum.

I. S. Walaricus Arvernus, ex mediocri genere ortus, quum in custodiendis patris gregibus occuparetur, nemine docente literas didicit & integrum psalterium. Mox avunculum secutus, puerulus ingressus est monasterium Autumo dictum; sed patriam parentesque deserens, ad monasterium B. quondam antistitis Autissiodorensis Unacharii, nunc sancti Germani dictum, accessit, ubi in arctissimis jejuniis, orationibus & vigiliis cœlestem vitam duxit. Postea cum Bobone nobilissimo viro, quem ad fugiendum seculum accenderat, Luxovium petiit, ubi statim miraculis claruit. Expulso sancto Columbano, adhæsit sancto Eustasio ejus in abbatia Luxoviensi successori, donec Waldolenus ad prædicandum missus a sancto Columbano eum accepit comitem. Fama ejus ob insignia miracula crebrescente, rex Chlotarius, cum consensu Ambianensis episcopi, ei concessit locum Leuconaum dictum solitariæ vitæ commodum. In suis novis ædibus pluribus adhuc miraculis & virtutibus refulsit. Hinc non mirum quod idololatriæ reliquias in vicinis locis destruxerit. Eum magna pietate usum erga delinquentes observat vitæ ejus scriptor, qui eum talibus lineamentis pingit: vultu hilaris, sermone compositus, statura optima, longa & exili, palmæ tenues & extentæ, gracilissimis digitis & prolixis, oculis pulcherrimis, aspectuque delectabili, facies vero ejus valde pallida & macie erat confecta. Obiit dominico die pridie idus Decembris, ex Usuardo & Adone in martyrologiis, vivente adhuc Chlotario rege anno 622, ut liquet ex ejus vita, c. 29, n. 41. Anno 951 Arnulfus comes Flandrensis corpus S. Walarici e proprio monasterio a Danis destructo, ad Sithiense transtulit IX calendas Septembris, quod trigesimo post anno huc retulit Hugo comes. Miracula sancti Walarici post obitum patrata descripsit Raimbertus abbas unus ex ejus successoribus, quem etiam ejusdem acta retulisse in literas arbitramur labente seculo VII. Qui ex ejus maxime commentariis sancti abbatis vitam edidit, vivebat seculo VIII. Habetur seculo II Benedictino, & relatio seculo V.

II. S. Blitmundus, alio nomine Gogus, *erga Isseræ alveum oriundus* adhuc puer vel adolescens Walarici disciplinæ, quem vitæ sospitatorem expertus erat addictus, sanctissime se gessit. Eo mortuo profectus in Italiam ad Attalam Bobii piissimum abbatem, omnes virtutum gradus adipiscitur. Post aliquot annos Leuconaum revocatus, novam loco faciem indidit, cujus vel ab ethnicis & nefariis violati, vel a recedentibus sancti Walarici discipulis plerisque in solitudinem redacti ædificia restituit, auxit proventus, & monachorum cœtum amplissimum coëgit ut non immerito cœnobii parens alter dicatur. Rebus optime gestis, vitam finivit post annum 649. Ratherii villam a Dagoberto rege consecutus fertur in literis anno 636 datis, quæ ad nos integræ non pervenerunt. Nomen dedit proximo sancti Blitmundi vico. Reliquiæ cum ceteris in monasterio servantur. Festivitas in III nonas Januarias incidit.

III. Raimbertus, qui Blitmundum sequitur, ex sancti Walarici alumnis censendus est, nam scriptor vitæ sancti abbatis de eo loquens, maxime ait se quæ de Walarico narravit a veridicis & bene compertis viris quos edocuerat & enutrierat audiisse, & maxime a Raimberto abbate didicisse. Quippe Raimbertus primus scripsit de miraculis & gestis sancti Walarici, ut jam monuimus supra. Quo tempore, quantove sederit incertum. Sunt qui volunt ipsum postea factum episcopum Ambianens. sed ex mera conjectura.

IV. Theodinus I abbas Leuconaensis inde notus, quod anonymus quidam ipsi & sanctæ ejus congregationi nuncupavit scriptionem suam de vita sancti Walarici, quam ante aliquot annos venerandus vir Raimbertus abbas elucubrarat. Præfuit autem Theodinus non post multos annos a publicata vita sancti Walarici per Raimbertum abbatem. Hugonis enim archiepiscopi jussu susceptum hoc a se opus quod dedicat Theodino profitetur hic anonymus scriptor. Hugo vero alius non videtur ab archiepiscopo Rotomagensi, qui sedit ab anno 722 ad 730, simul abbas Fontanellensis & Gemeticensis. Verisimile est anonymum scripsisse in diœcesi Rotomagensi, quæ Ambianensem attingit, unde facile fuit ut in monasterio S. Walarici hospitio sit exceptus, quod ipse narrat. Inde ad seculum X vix ulla monasterii sancti Walarici, certe abbatum nulla mentio ad Hungerum comitem, Erchemboldum clericum, denique Restoldum, qui favente Hugone-Capeto locum instauravit. Ludovico tamen Augusto stabat incolumis, quandoquidem ei Ansegisus Fontanellensis abbas sexto loco libram unam precum intuitu dimittit.

V. Hungerus comes, fugatis in Normannorum procella anno 859 aut trucidatis Leuconaensibus plerisque monachis, locum sibi vindicavit. Qui dum rebus opimis potiretur, ne omnia simul deglubere videretur, clericulos paucos sacra facturos huc induxit, eoque nomine locum habet in tabulis ad annum 921, quo quædam Alberto ejusque conjugi monasterii prædia distribuit.

VI. Archimboldus, seu Erembolidus, flagitiosæ vitæ clericus Hungero successit, qui prædandi licentia tam impotenter usus est ut profligatis ac consumtis prope omnibus villis etiam lipsanothecas diriperet, ipsumque sancti Walarici corpus Normannorum furori subductum accepta pecunia Arnulfo Flandrorum comiti divenderet anno 951. Quid de sacrilego prædone factum sit nos latet.

VII. Restoldus primus occurrit abbas post renovatum ab Hugone Magno Leuconaense monasterium, quod tunc nomen accepit S. Walarici ob revectum huc corpus ejus ex Sithiensi monasterio ab eodem Hugone 2 Junii 981. Quod ad Restoldum spectat, e Bellovacensi S. Luciani asceterio assumtus legitur. Ad eum exstat diploma Benedicti papæ VII, inscriptum, scilicet, *Dilectissimo filio Restoldo religioso abbati vel omni congregationi in monasterio sancti Walarici, quam Hugo gloriosissimus comes in regula beati Benedicti noviter congregavit*, &c. Diplomate confirmantur possessiones tam datæ jam quam dandæ, & conceditur immunitas a jurisdictione episcopi. *Dat. cal. Aprilis ..... anno pontificatus D. Benedicti VII papæ ..... imperante D. Ottone a Deo coronato magno imperatore anno XIII, in mense & indict. IX supra scriptis.* Quæ notæ chronicæ annum 981 indicant. Exstat integrum in appendice ad t. IV Annal. Benedict. pag. 685. Restoldi mortui meminit chronicon Flandrense anno 987, & necrologium sancti Luciani Bellovacensis XVIII cal. Febr.

VIII. Fulcradus Restoldo subrogatus legitur. Ejus diebus factas putamus amplissimas donationes quæ leguntur in charta Burchardi Parisiensis comitis. Data est v id. Junii die natali sanctorum Primi & Feliciani, anno II regni Roberti. Hæc nota chronologica convenit anno 998. Vide chartam hanc ex authentico descriptam in appendice ad tom. IV Annal. Bened. pag. 693.

IX. Adhelelmus sancti Vedasti monachus successit Fulcrado mortuo, ex historia translationis sancti Walarici, quam habes Act. SS. ordinis S. Benedicti secul. V.

X. Theodinus II monachus sancti Dionysii Adhelelmo subrogatus est, cujus tempore templum subversum est, & scripta videtur prosa oratione sancti Walarici translationis historia de qua supra.

XI. Bernardus in Theodini locum suffectus legitur in historia translationis sancti Walarici metrice ipso sedente scripta, & plurimum laudatur ob templum a fundamentis structum & ornatum, & certe novam sancto Walarico confici capsam curavit, quam auro gemmisque decoravit.

Bolland. 1 Ap. p. 28.

XII. Wato, Guato & Walo, elevationi corporis S. Bertini præsens adfuit anno 1052 & inaugurationi Philippi regis Remis factæ anno 1059.

Chart. XX. col. 23.

XIII. Lambertus anno 1106 immunitatis literas a Paschali II consequitur, quas habes in appendice ad tom. V Annal. Bened. pag. 679.

XIV. Geldeguinus cum canonicis B. Mariæ
A *de Sery* pepigit anno 1140, concessis eorum ecclesiæ sub annua census pensitatione nonnullis alodibus juxta illos positis. Factus est anno 1143 abbas Centulensis. Post eum in quibusdam catalogis reperitur Raimundus 1151, idem forte ac

XV. Reverinus, qui innotescit ex concordia cum Rogero abbate & conventu Augensi sancita anno 1154.

XVI. Asselinus anno 1165 ab Alexandro III immunitatis & in subjectæ urbis parochias jurisdictionis confirmationem obtinuit, quod Ambianensi episcopo movendæ litis ansam præbuit. Re ad summum pontificem delata, Balduinique
B Noviomensium antistitis, necnon Remensis archiepiscopi & aliorum excepto suffragio, in monasterii gratiam lata est anno 1168 decretoria sententia, quæ etiam crastina die ab eo pontifice novum robur accepit altera bulla, in qua monasterii bona quædam recensentur & firmantur. Asselinum sequitur Gervinus anno 1181 in nonnullis catalogis.

Ch. XXXIX. col. 317.

XVII. Johannes I anno 1184 a Lucio pontifice literas accepit, quibus episcopi Tusculani recens defuncti legationem 20 marcharum argenti statuendo anniversario factam significat. Anno 1197 referentibus Matthæo Parisio & Matthæo
C Westmonasteriensi Walaricensibus grave damnum intulit Richardus Anglorum rex, qui comperto *quod naves ex Anglia convenire consueverant ad S. Walaricum, deferentes inimicis victualia, in ejus injuriæ ultionem villam combussit, monachos dispersit, feretrumque sancti Walarici cum reliquiis in Normanniam transvexit.* Anno 1204 Reynaldus Gelriæ comes in gratiam Johannis exactiones & precarias omnes intra ditionum suarum limites remittit.

XVIII. Galterius eo loci recensetur in catalogis, ubi sedisse dicitur anno 1209.

XIX. Richarius erat abbas 1219 mense Junio,
D ex chartulario Campaniæ, quibus anno & mense associavit Blancham comitissam Campaniæ & Th. comitem filium ejus in omnibus quæ monachi habebant in diœcesi Catalaunensi, de quibus nonnulli tam clerici quam laïci multiplices injurias ipsis irrogabant. Circa id tempus scripsit cum aliis abbatibus ad cardinales de ablata canonicis sancti Johannis Ambianensis parochia sancti Germani. Anno 1228 promisit Godefrido Ambianensi episcopo & ejus successoribus, & archidiacono Pontivensi, soluturum se solidos 40. Reperitur adhuc Richarius annis 1234, 1235 & 1240, quibus duobus ultimis Simonis comitis Pontivi
E & Monsterolii itemque Willelmi eorumdem locorum comitis nova molimina sive infestationes calculo suo probare compulsus est. Vapulat ergo chronicon Centulense ms. quod Guillelmum abbatem de sancto Walarico arbitrum inducit anno 1231.

XX. Christophorus occurrit anno 1243 in tabulis sancti Albini de nemoribus diœcesis Briocensis, & 1252 in charta Droconis *du Kaisne* Aleriaci feudum sancto Walarico divendentis.

XXI. Egidius ab Innocentio IV pontificalium decus & ornamentum accepit anno ineunte

1253, & ab Alexandro IV 1256 jus omnes S. Walarici urbis subditos clericali tonsura coronandi. Cellam suam prope *Matignon*, quam administrabat Guillelmus *Leeffant*, abbati & monachis sancti Albini de nemore tradidit pro 20 solidis perpetui reditus anno 1259. Defunctum volunt sub annum 1273. Memoratur 31 Julii in necrologio Augensi.

XXII. Nicolaus I anno 1274, inquiunt, pedum capessivit. Societatem iniit cum Richardo abbate Fiscannensi anno 1280. Philippi regis immunitate donatus anno 1284, cessit in manibus legati apostolici anno 1287, quo monachi eligendi facultatem a rege petunt.

XXIII. Johannes II cum Corbeiensibus societatem iniit anno 1289.

XXIV. Andreas I quam egregie suos ad sanctioris vitæ duxerit apicem anonymus ejus vitæ scriptor notat his verbis: *Multitudo monachorum sub venerabili patre Andrea arduam regularis militiæ vitam agebat.* Commendatur in primis ardens ejus caritas in debiles & infirmos, quibus omnia subsidia propriis ipse manibus sæpe ministrabat. Johannem Drocarum comitem infensum passus, sic mitigare studuit, ut is advocatum, non supremum dominum vel invasorem ageret. Multa hanc in rem anno 1292 definita. Bonifacius VII literas ipsi dedit quibus monasterii prædiorum ac jurium invasores diris intentatis ad resarcienda damna cogebantur an. 1297. Johannes Augi comes de Pontium molendinis & alode pactum iniit cum Andrea, qui anno 1301 cum archiepiscopo Remensi ob denegata in urbe S. Walarici metropolitica jura subirato Parisiis anonymi cardinalis interventu in amicitiam rediit. Sequenti vel initio anni 1303 desideratur.

Ch. LXXV. col. 346. XXV. Johannes III *de Cressy* precum & suffragiorum commercia cum Centulensibus denuo firmavit anno 1303. Ne quid noceret quod cum aliis exemtis Remensis provinciæ abbatibus Silvanectensi synodo præsens fuisset, datis communem in cautelam literis subscripsit anno 1318. Insequenti capellaniam instituit in ecclesia sancti Walarici pro Roberto de Audo & uxore, cui clericus secularis deserviret. Anno eodem pepigit cum hospitalariis Jerosolymitanis. Anno 1321 cum Roberto Drocarum comite & Maria *d'Enguien* convenit. Obitum ejus in IV calendas Januarias 1340 rejiciunt.

XXVI. Andreas II transegit anno 1346 cum monachis sancti Richarii. Anno 1359 monasterium funditus est concrematum.

XXVII. Firminus memoratus mense Augusto 1369, pactum iniit anno 1373 cum Carocotinensibus.

XXVIII. Edmundus *de Bouberch* ab anno 1380 reperitur. Bona apud Angliam sita divendidit anno 1391, & quædam statuit an. 1401.

XXIX. Petrus ex præposito *de Favieres* electus abbas anno 1402, quippe Caroli VI anno 23, acceptam ab episcopo Ventano pecuniam emendis apud Marelesartum a Witassio loci domino prædiis impendit an. 1407. Anno 1422 & sequentibus ad 1440 urbs & monasterium A sancti Walarici venerunt in Anglorum, duce Warvicensi comite, potestatem. Ipsummet anno 1433, Meyero teste, Burgundionibus Ludovico *de Vaucourt* & Reginaldo de Versellis cessit. Illud cum urbe post biennium Franci subegerunt, mox resumserunt Angli.

XXX. Girardus *de Biencourt* a Sammarthanis suffectus, tametsi domesticis in schedis nusquam comparet, ad annum saltem 1448 præfuisse videtur. Intrusum forsan a Burgundionibus vel Anglis abbatem agnoscere noluerunt monachi.

XXXI. Balduinus *Kierct* nobilissimis parentibus & in monasterium bene B affectis ortus est, ex quibus Henricus, Gerardus, Thomas, Hugo, Johannes locum habent in necrologio Dommartini. *Reclusus* vocatur forte quod inter bellicas tempestates carceri dudum mancipatus fuit. Id alii detorquent ad sanctius rerum cœlestium contemplationis studium, quod vereor ne publicis illis calamitatibus & remissioni seculo XV satis conveniat. Eo vel Girardo præsidente anno 1439 Abbavillenses ædiles in monasterii domos frustra jus obtenderunt. Anno 1444 cum Longiprati canonicis inita conventio est. Quæ a Balduino anno 1451 pro Pandetensis personatus ad mo- C nasterium accessione gesta sunt, omnia bellicis cladibus attrita, monachos palantes & egestate consumtos sic probant ut mirum sit qui locus tantis cladibus superstes fuerit. His fluctibus jactatus, an solitudinis amore, Balduinus, qui regi juraverat fidem anno 1464 die 16 Aprilis post Pascha, anno 1466 a pontifice missionem obtinuit.

XXXII. Robertus *de Pictot* genere clarissimus, Pauli II literis in abbatem coaptatus est III idus Octobris 1466. Accessit Ludovici regis auctoritas, cui præclaræ Roberti dotes & doctrinæ studium placebant. Instaurandis rebus D continuo Robertus animum dedit, ædificiis qua licuit meliorem formam, observantiæ regulari prope integram reddidit, at cœptis ejus Caroli Burgundionum ducis obstitit infestatio. Quippe expugnata urbe, monasterium etiam ad incitas redegit. Hoc gravissimo luctu consumtus Robertus videtur. Mors ejus anno 1476 notatur.

XXXIII. Valerannus *de Lannoy* Georgii nobilissimi toparchæ filius, ex Flaviacensi sancti Geremari monacho a Sixto IV anno 1477 XVIII calendas Decembris promotus, sequenti gravem tulit procellam a comitis & episcopi ministris, qui quod monasterii officialis quos- E dam interdicto subjecisset, acerbam litem intentavit. Vixit Waleramnus ad diem 3 Octobris 1481.

XXXIV. Jacobus I *de Haudrechies* nobilis Abbavillensis, licentiatus in decretis, monachus Centulensis, ejusdemque loci prior ac præpositus, regio favore Walaricensium communibus suffragiis abbas eligitur 15 Octobris 1481, & a summo pontifice ad monachorum vota confirmatur XIV calendas Januarii. Insequenti fidem juravit regi 25 Februar. Adepta dignitate per annum duntaxat & dimidium potitus, a seditiosis in claustro nefande perimitur.

XXXV.

XXXV. Nicolaus II *Dellecourt* ex monacho A & officiali a monachis factus abbas, confirmatur a Sixto IV mense Septembri 1484, & post ab Innocentio VIII, & sedi apostolicæ sacramentum dicit. Afflictis rebus ut succurreret divino munere venit Nicolaus, cujus solertiam, pietatem vigilantiamque singularem omnes suspexere. Suis ad studia meliora convertendis animum admovit, intermissa regulæ statuta ritusque sacros revocavit, novas ipse sanctiones tempori opportunas ac necessarias adjecit, ædificiis prope omnibus, claustro, dormitorio, cellis hospitum & infirmorum, sacristiæ, thesauro novam & elegantem formam indidit, villas etiam meliorem B in statum restitutas pluribus auxit proventibus, obtenta anno 1515 a Leone papa contra detentores monasterii bulla. Denique rebus optime constitutis & sacrorum cultu renovato, plenus dierum excessit anno 1517 regularium postremus. Nam quominus Jacobus *Grealme* Nicolai sororis filius, monachorum canonica electione suffectus, dignitate potiretur, vetuit

XXXVI. Ludovicus I cardinalis Borbonius, qui regiis munitus literis & numeroso satellitio stipatus, monasterium irrupit anno 1518. Principis accessu perculsi omnes, animum despondherunt, fugit ipse Jacobus *Grealme;* mox C itum in sententiam cardinalis qui comperto Jacobum minime contumacem flecti posse, pavitantem adhuc revocat in monasterium, eumque vicarium generalem, tum Ovrasellensis cellæ præpositum creat. Sic rerum dominus potitur Ludovicus ad diem 11 Martii 1556 vitæ postremum. Monialibus *d'Estaples* ordinis S. Dominici licentiam fecit 18 Julii 1518 monasterium erigendi ad serviendum ægris oppidi S. Walarici. Regi præstitit fidei sacramentum 21 Aug. 1519.

XXXVII. Carolus *de Lorraine* cardinalis *de Guise* Ludovico succedit ab anno 1557 ad 26 Decembris 1574.

XXXVIII. Ludovicus II *de Lorraine* cardi- D nalis *de Guise* ad 23 Decembris 1578.

XXXIX. Ludovicus III cardinalis Estensis ab anno 1579 ad 4 Novembris 1586.

XL. Alexander-Perrettus *de Montalte* Sixti V summi pontificis ex sororis Camillæ filia pronepos, S. Laurentii in Damaso diaconus cardinalis, S. R. E. vicecancellarius & Bononiæ legatus, commendam tenuit ab anno 1589. Senatus consultum obtinuit 25 Septembris 1604 pro visitando & reformando monasterio S. Walarici. Anno 1622 cessit in manibus Gregorii XV in gratiam sequentis. Inter vivos esse desiit die E 2 Junii 1623, tumulatus in Exquillino Sixti sacello.

XLI. Guido *de Bentivoglio* nobilis Ferrariensis, archiepiscopus Rhodiensis, nuncius apostolicus Urbani VIII ad Ludovicum XIII, episcopus etiam Reiensis & cardinalis presbyter S. Johannis ante Portam Latinam, possessionem per procuratorem iniit 26 Februarii 1623, & nepoti titulum cessit anno 1627. Obiit Romæ, sede vacante, 7 Septembris 1644. Quiescit apud sanctum Silvestrum in monte Quirinali.

XLII. Johannes IV *de Bentivoglio* præcedentis ex fratre nepos, commendæ anno 1627 obtentæ possessionem adeptus anno 1629, congregationem S. Mauri admisit 1 Octobr. 1644.

Post Johannem nominatus a rege 24 Dec. 1694 Franciscus *de Salignac de la Mothe-Fenelon* studiorum regiorum liberorum moderator, pauloque post ad metropolim Cameracensem ab eodem assumtus, Walariciana cessit commenda 4 Februarii 1695.

XLIII. Ludovicus-Annetus *de Clermont de Chaste de Roussillon* a rege designatus episcopus Laudunensis, ab eodem commenda S. Walarici donatus est mense Februar. 1695. Possessionem per procuratorem iniit 26 Junii 1696, & cessit anno 1701, quo commenda sancti Martini Laudunensis muneratus est.

XLIV. Jacobus II *de Forbin de Janson* filius quintogenitus Laurentii *de Forbin* marchionis *de Janson* & Genovefæ *de Briançon de la Saludie*, canonicus Bellovacensis, nepósque & vicarius generalis patrui cardinalis *de Janson* episcopi Bellovacensis, commendam sancti Walarici a rege obtinuit die S. Paschæ 26 Martii 1701, cujus possessionem 26 Jun. anni ejusdem adeptus est. Laurea doctoris Parisiensis coronatus 15 Martii 1709, archiepiscopus Arelatensis factus 5 Aprilis 1711, hoc & 1725 generalibus cleri Gallicani comitiis adstitit. Obiit in sua metropoli 13 Januarii 1741, annos natus 69.

XLV. *de Ghistelle* canonicus Leodiensis, commendam obtinuit a rege nominatus 24 Aprilis 1745.

S. RICHARIUS.

S. RIQUIER.

S. Richarii monasterium a loco ubi positum est Centulense primitus dictum, quatuor aut quinque millibus ab Abbatis-villa Boream versus ad Scarduonem fluviolum, tutelaris ac conditoris a morte miraculis clarissimi nomen induit, indiditque oppido, cui successu temporis accessio facta est. Auctor ejus fuit Richarius, qui monasterium in paterno solo construxit sub annum 625, regulamque S. Benedicti instituit, quæ hoc loco nusquam intermissa est. Ecclesiam in honorem Deiparæ Virginis construxit, in qua sepultus fertur. Quo loco a parte capitis ejus sancti Petri altare fuit erectum. Perstitit hæc ædes ad Angilberti tempora, qui super Richarii membra Salvatori & B. Richario novam struxit basilicam, alteram beatæ Virgini citra fluviolum Scarduonem, & tertiam sancto Benedicto super ejusdem fluvioli ripam collocavit, quæ tres basilicæ a duodecim episcopis dedicatæ sunt, & ab Angilberto conquisitis ex omni parte orbis christiani Sanctorum pignoribus ornatæ. Centulense monasterium ornare privilegiis studuerunt, tam Romani aliique pontifices, quam Franciæ reges. Illud ab omni episcoporum jurisdictione exemit Leo III, quem secuti Alexander III, Innocentius III, Honorius III, Innocentius IV, Clemens IV, Nicolaus III, Martinus IV, Bonifacius VIII, Basileense concilium, episcopi Tornacenses, Bellovacenses & ipsi Ambianenses.

Carolus Magnus in tantum locum sancti Richarii honoravit, ut regalem curiam inibi tenuisse die Natalis Domini seu die Paschæ aliquoties inveniatur. Comitis nomen olim gessere abbates, qui omnimodam in oppido Centulensi & locis subditis exercent jurisdictionem per judicem, quem vocant vicecomitem per triduum festi S. Richarii. Varios ut ceteræ passa quoque est eventus abbatia Centulensis. Post medium seculum IX a Normannis igne succensa est. Basilica tota ruit anno 1075. Hugo comes sancti Pauli aliique toparchæ hostes suos debellaturi monasterium & oppidum Græcano igne succenderunt anno 1131. A Philippo Burgundiæ duce urbs & monasterium devastata an. 1421 & a Francis anno 1475. Voracibus flammis utrumque est absumtum anno 1487. Hispani anno 1554 reparatam S. Richarii ecclesiam, loca regularia & ædes abbatiales subditis facibus deformarunt & monachos deprædata supellectile expulerunt, qui apud Abbatis-villam recepti, in diversa Galliæ asceteria secedere coguntur. Inter tot rerum vicissitudines nutaverit, imo ceciderit disciplina regularis, quid mirum! Sancita itaque anno 1537 per senatum Parisiensem monasterii reformatio, sed crescente in dies discordia, dissentientibusque hinc inde abbate & monachis, nullos effectus sortitur. Mutata tandem facie soli, coeuntibusque in unum abbatis & monachorum votis, permissa anno 1659 monachis S. Mauri Centula. Hi succollante Carolo *d'Aligre* abbate primum loco vel cellæ proximum reddunt honorem. Caroli autem hi sunt decessores.

Abbatum Elenchus.

I. S. Richarius I Centulensis patria, ex sanguine comitum Pontivi ortus creditur. Certe ab Alcuino dicitur *stemmate præcelso* in versibus qui ejus sepulcrum ornant, ibidemque de eo canit:

Posthabito mundi quo grandi fulsit honore,
Amplas divitias sprevit amore Dei.

Adhuc adolescens hospitio excepit duos presbyteros ex Hibernia profectos, quorum piis adhortationibus ad perfectam vitam amplectendam accensus, eisdem hospitibus Centulense construxit cœnobium in paterno solo, in quo ipse est ad vitam monasticam institutus a Caidoco & Frichorio (piorum hospitum sunt nomina) qui ibidem reliquum vitæ egerunt & sepulturam habuerunt, ubi etiam publico cultu honorantur. Richarius postea presbyter ordinatus, finitimis populis ac etiam Britannis verbum Dei prædicavit. Redux in patriam monasterio a se condito præfuit abbas. Ante mortem tamen abdicato regimine, quod Ocioaldo cessit, eremum petiit in silva Crisciacensi, ubi cellulam ædificavit postea dictam Forestem cellam, seu Forestense monasterium. Hic laboribus, vigiliis, jejuniis attritus sanctus vir, plurimorum ægrotorum sanatione jam ante mortem celebris, efflavit animam anno 645, ut putat Mabillonius, VI cal. Maii. Sed VII calendas Octobris insequentis Ocioaldus inde sacrum corpus extulit ad basilicam

A Centulensem, ubi, non semel tumulo elatum, hactenus argentea theca decoratum magna religione colitur. De ejus vita libellum scripsit Alcuinus rogatu Angilberti abbatis, quem Carolo Magno nuncupavit, postea fœde interpolatum. De eodem Ingelrannus abbas Centulensis seculo XI versibus edidit libros quatuor.

II. Ocioaldus Richarii discipulus, perfectæ ac probatæ sanctitatis, ab eodem Centulensi cœnobio præfectus abbas, dilecti patris corpus venerandum levavit ab omni tabo corruptionis liberum, & Centulam detulit. Ipse vero consummato sanctæ vitæ cursu, bravium gloriæ immortalis B remunerante Christo accepit.

III. Coschinus, al. Clotinus errore librarii dictus, vir vitæ venerabilis, quem ferunt ex discipulis sancti Filiberti fuisse, & ob morum probitatem scientiæque ubertatem Gemeticensi monasterio post Aicadrum præfuisse, quo tempore S. Filiberti vitam scripsit aut edi curavit. Dum illic monachos verbis & rectorum operum exemplis opimat, Centulenses eum monachi sibi abbatem præfecerunt, quos ad virtutum culmen evehere fategit. Inde firmata cum Gemeticensibus amicitia singularis. Cave autem, lector, ne cum Carolo Cointio, quem Chiffletius in erro-C rem induxit, Coschinum Gemetici Centulensemque abbatem differas ad Ludovici Augusti principatum. Quæ enim ad Hilduinum præfatio utrique errandi præbuit occasionem, Filiberti vitæ postmodum adjecta est, ut inprimis constat ex optimo codice ms. nunc ecclesiæ Parisiensis, in quo desiderata hujusmodi præfatione, hæc vita Romanis majusculis literis ante annos 1000 descripta est.

IV. Guitmarus, aliis, & quidem optime Witmarus, Angilranni abbatis opera venit in Hariulfi chronici Centulensis auctoris notitiam, a quo & sanctissimi viri titulo donatus est. *Hic,* D inquit Hariulfus Spicileg. tom. IV, pag. 452, *in Neustriæ solo humatus quiescit, & in suo nomine dicata ecclesia existit. Qui quantæ sanctitatis & justitiæ fuerit, nos quidem non occurrimus dicere, sed his qui ejus corpori sancto deserviunt canonicis prædicandum committimus.* Gornacenses ad Eptam fluvium intelligit Mabillonius, quibus, nedum Witmarum pro primario suo patrono habeant, nomen ejus prorsus ignotum est præ sancto Hildeverto Meldensi episcopo, quem perperam cum Guitmaro confundunt, quum eum ex monacho Luxoviensi & abbate Centulensi Meldensem episcopum creatum fuisse aiunt. Fuit tamen E Guitmarus rebus gestis clarissimus, quippe qui anno 765 inter abbates qui Attiniacensi placito subscripserunt non infimum locum obtineat.

V. Aldricus, cujus *nomen ignorassemus,* inquit Hariulfus ibidem, *nisi hoc venerandi abbatis industria Angelranni revelasset.*

VI. Symphorianus ab Hariulfo dictus vir bonus, Deum timens, segregans se a peccatoribus, & excelsior cœlo mentis puritate effectus, Angilbertum Centulæ monachum excepit anno 791, & biennio post obiit.

VII. Sanctus Angilbertus claro apud Francos

Palatinorum genere ortus, palatii junioris Pipini Italiæ regis primicerius, regum ac procerum alumnus, Carolo Magno sic fuit acceptus, ut Bertam ejus filiam acceperit uxorem, ex qua Harnidum & Nithardum filios procreavit. Quum totius maritimæ terræ accepto ducatu Pontivum inviseret, audita virtutum signa & prodigia quæ Christus ad beati Richarii sepulcrum jugiter operabatur, in corde ejus magnum huic loco amorem conciliaverunt. Unde impetrata complendi voti licentia, intimatoque cordis sui desiderio, quo S. Richarii ecclesiam reficere ambiebat, accepit ab eodem rege benignam responsionem, solamen & adjutorium suum illi nunquam defuturum spondentem. Ita Centulam regreditur, ibique monachi indumentum suscipit anno 791. Non multo post adhuc monachus Felicem Urgellitanum episcopum ad Adrianum papam perduxit. Defuncto vero abbate loci, tam fratrum precatu, quam regis jussu, Angilbertus continentia & humilitate revera monachus ad hoc officium provehitur. Illud autem accidit circa annum 793; nam ad Adrianum papam iterum missus est anno 794 abbas Centulensis & minister capellæ, biennioque post ad Leonem III recens electum pontificem a Carolo rege. Roma reversus, e curia secessit, Centulamque profectus, opus mirificum inchoavit: nam tres ecclesias in honorem S. Richarii, B. Mariæ & S. Benedicti, quarum prima omnibus illius temporis ecclesiis præstantissima, exstruxit, monasterium eximio decore reædificavit, ita ut omnis ars, omneque opus necessarium intra loci ambitum exerceretur, laudem perennem instituit, familiam sibi commissam trecentorum monachorum cum pueris centum egregie sub eodem habitu & victu rexit, sanctorum reliquias & omnis generis ornamenta loco intulit, cellam Forestensem, nescio quo casu abstractam, restitui a Carolo obtinuit an. 798. Regem Romam comitatus est anno 800, ipsoque ejus coronationis die a Leone pontifice privilegium obtinuit, annuente, imo etiam petente Jesse Ambianensi episcopo, ut totius monasterii ac villæ circumpositæ curam ecclesiasticam solus haberet abbas, nec quidquam episcopus Ambianensis de ecclesiis aut clericis ejusdem loci posset constituere. Privilegium habes tom II Annal. Benedict. pag. 349. Denique postquam testamento Caroli Magni interfuisset anno 811, quum videretur ipse jam humanis exui, summæ vir modestiæ ante fores basilicæ ab se constructæ sepeliri voluit, ut nemo basilicam intrare posset, qui non sanctam ejus corporis tumbam calcaret. Celebratis igitur circa se ecclesiasticis mysteriis, gloriosa anima bonorum operum exercitiis & pietatibus cumulata supernis civibus associatur XII calendas Martias 814, vigesima secunda post obitum Caroli die. Corpus venerabile ante portam ecclesiæ honorifice sepelitur cum quatuor versibus laminæ æneæ insculptis. Illud integrum & corruptionis expers Ribbodo abbas anno ab obitu ejus 28 in ecclesiam transtulit nonis Novembris, sequensque apposuit epitaphium:

Hoc recubat busto semper memorabilis abba
Angilbertus, ovans spiritus astra colit.
Mensis Martis obit bissenis ipse calendis.
Construxit templum quod retinet tumulum,
Et cluit Augusti Caroli sub tempore Magni.
Dogmatibus clarus, principibus socius,
Ante fores templi jussit qui se tumulari.
Ribbodo huc abba transtulit ac posuit,
Post annos obitus bis denos ejus & octo,
Corpore cum nactus integer in solito est.

Non tamen sacer ei cultus exhibitus est usque ad tempus Anscheri abbatis, qui illud ex secundo hoc tumulo extulit anno 1128, populo ostendit ac denuo clausit. Corpus tandem inventum die 9 Septembris 1685 levavit D. Franciscus *d'Aligre* frater abbatis S. Richarii, & in capsa magnifica recondidit. Angilberti elogium inseruit Mabillonius sec. IV Benedict. part. I, p. 91 & seq. ubi discutiuntur omnia dubia proposita de conjugio Angilberti cum Berta filia Caroli Magni.

VIII. Hericus, volente Ludovico Pio, non multo post Angilberti decessum factus abbas, eodem anno 814 Noviomensi concilio interfuit. Heutoni cuidam vassallo in beneficium concessit villam Sidrudem, quæ a Sigetrude matrona S. Richario quondam tradita, ad vestimenta & calceamenta fratrum postea deputata fuerat. Hanc ne Heutonis posteri vel alii seculares in beneficium obtinerent, anno 830 Centulenses a Ludovico, tunc apud illos agente, impetrarunt. Aliquantis in regimine expletis annis, Hericus diem clausit extremum.

IX. Helisachar primus Ludovici imperatoris cancellarius, jam ab anno 815 ex ordine canonicorum abbas S. Maximini Trevirensis, Benedicti abbatis Anianensis amicus fidelissimus, eidem morienti adhæsit anno 821. Factus abbas Centulensis circa annum 822, limina monasterii feminis interdicta voluit. Conventui quem ad calend. Novembres anni 823 Ludovicus indixit, cum Adalardo abbate Corbeiensi interfuit. Anno 827, teste Eginhardo, missus est a Ludovico Augusto, cum aliis, ad comprimendos Marcæ Hispanicæ motus. Imperatoris in filiorum defectione offensam incurrit, & in exilium ab eodem relegatus est, quo tempore, jussu Ludovici Augusti, facta est recensio omnium monasterii possessionum anno 831, & datæ sunt eidem ab Ansegiso abbate Fontanellensi libræ duæ & semis. Cum Ludovico in gratiam redierat anno 835, quo cum Widone comite missus est ut inquirerent de rebus quas Aldricus Cenomannensis episcopus a Ludovico vassallis ipsius in beneficium concessas repetebat. Obiit circa an. 837, Gemeticensis quoque abbas ab Hariulfo dictus. Pro sancto a nonnullis habetur. Summis laudibus ab Agobardo, Amalario & Freculfo celebratur.

X. Richboto, qui Ribbodo, nepos Caroli Magni ex quadam ejus filia, subscripsit judicio lato in conventu Aquisgranensi anno 837 pridie calendas Maias secundum Aldricum Cenomannensem episcopum de subjectione monasterii Aninsulæ. Corpus S. Angilberti prætereuntium

pedibus calcari indignum reputans, illud e tu- A mulo levavit, & in sancti Richarii basilicam transtulit nonis Novembris anni 841, die scilicet 28 ab obitu Angilberti. Adstitit conventui Germiniacensi, & subscripsit privilegio Corbioni concesso anno 843. Cæsus est anno 844 in prælio commisso inter copias Caroli Calvi Tolosam obsidentis & Pipini filii alterius Pipini fratris ipsius Caroli, qui regnabat in Aquitania.

XI. Ludovicus Caroli regis patruus, jam abbas Sandionysianus, paulo post occisum Ribbodonem factus Centulensis, præceptum obtinuit a Carolo rege v calendas Octobris anni 844, quo præter possessiones ibi assignatas, confirmatur B data a Ludovico monachis Forestis cella cum villis ad eam pertinentibus, eo pacto ut duodecim canonicos in eadem cella monachi sub sua cura & ordinatione haberent. Paucis post annis cessit.

XII. Nithardus Angilberto Bertaque Caroli Magni altera filia genitus, post Ludovicum Centulensibus præfectus dicitur in notatiuncula margini codicis Hariulfi ab antiquo descripta, ubi additur, quoniam tunc persecutio gravis insistebat paganorum, etiam maritimæ Franciæ comitatum suscepisse. In bello Normannorum anni 853 peremtum fuisse conjicit Petavius in syn- C tagmate Nithardi, & certe Hariulfus tradit Gervinum I abbatem quum Angilberti corpus ad fores basilicæ Richarianæ primitus sepultum quæreret, invenisse in eodem quo quondam jacuerat sarcophago lecticam ligneam coriatam D. Nithardi filii ejus abbatis & comitis corpus continentem sale perfusum, in cujus capite videbatur illa percussura qua eventu prælii fuit occisus. Paucos autem in regimine explevit dies. Quatuor libris scripsit historiam sui temporis, quam in publicum edidit Chesnius tom. 2 Hist. Francorum Scriptorum.

Chesnius, t. II, p. 351.

XIII. Hrodulfus avunculus regis Caroli, D quippe qui Judithæ augustæ germanus, a fratribus Centulensibus, quorum sodalis in proposito erat, abbas electus, munus rege deprecante non abnuit, a quo, tam divina philosophia, quam seculari prudentia ornatissimus vir, comitatum maritimæ provinciæ suscepit. Supplementi Centulensibus a se concessi confirmationem a Carolo rege obtinuit pridie calendas Martii anno regni XVI. Normannis totam late regionem devastantibus anno 859 corpus sancti Richarii e proprio loco motum, ibidem restitutum est, ubi serenior rerum facies apparuit. Hruodulfus autem quum per aliquot annos cœnobium cum maritimis E provinciis gubernasset, viam universæ carnis ingressus est VIII idus Januarii, quo mortuo, Centulenses librum rotularem, qui ejus obitum nunciaret, per ecclesias & loca Sanctorum quibuscum suffragiorum societatem contraxerant, miserunt.

XIV. Heligaudus antequam abbas loci comitatum uxoratus tenebat, quem post mortem Herluino ipsius filio reliquit. Factus autem abbas Rollenicurtem & alia quæ nuper ab Hugone duce acceperant Centulenses in beneficium dedit militari viro anno Caroli regis 20, Christi 859. Leges in secularibus proposuit, quæ adhuc a provincialibus Hariulfi tempore observabantur. Obiit III nonas Novembris.

XV. Guelfo, seu Welfo, filius Adelaïdis filiæ Ludovici Pii, Conrado comiti seniori desponsatæ, frater vero Hugonis abbatis nominatissimi, jam abbas sanctæ Columbæ Senonensis, Centulensis Heligaudo subrogatus, caput sancti Richarii e capsa lignea in argenteam auro gemmisque redimitam transponi curavit VI cal. Nov. 864. Triennio post Centulensibus suis obtinuit reliquias S. Columbæ virginis & martyris apud Senonas, utriusque loci abbas. Tria anno eodem 867 obtinuit a Carolo rege diplomata, quorum primo VI calend. Aprilis largitus est Carolus prædia in villa Valle pagi Bellovacensis; altero IV cal. Junii villam Bersiaccas ad luminaria ecclesiæ subministranda; tertio VII idus decembris datam a Guelfone villam *Hastoas* in usus & stipendia fratrum & ad eorum refugium confirmat. Aliquanto post ablata Guelfoni abbatia, quam iterum assumtam ad mortem administravit.

XVI. Carolomannus Caroli Calvi filius, impetravit XVIII calendas Februarii 870 ut ad pedes S. Richarii tria ex dono patris luminaria arderent. Hujus postea gratiam in tantum offendit, ut postmodum ab eo sit cæcatus.

XVII. Guelfo secundùm a Carolo Calvo designatus est inter alios, anno 877 cal. Julii, qui in absentia ejus filio assidue adesset. Insequenti, juxta Mabillonium, obtinuit a Ludovico, anno quippe a morte parentis secundo, ut auctoritatis suæ præcepto transitus peditum equitumve per pagi Bellovacensis villam Civinicurtem prohiberet. Obiit XVIII calendas Decembris anno 881, ex necrologio sanctæ Columbæ, quo se receperat, & ubi sepultus est.

XVIII. Herebertus.

XIX. Hedenolfus.

XX Hugo I.

XXI. Girardus.

De quatuor istis abbatibus nihil ad nos transmisit antiquitas, nisi quod priores duos Hariulfus egregios æque viros, sed & posteriores magnæ sanctitatis viros appellet. Neque mirum quum Centulensis basilica a Paganis cremata, monasteriumque, monachis hac illac dissipatis, fere in solitudinem redactum fuerit.

XXII. Gerbertus clericus clericorum gregi, qui cum aliquibus monachis Deo & Sanctis quotidie in ecclesia Centulensi iterum aliquatenus aptata, & tectis, non plumbo, ut prius, sed ligneis tabulatis qualiter poterant obductis vota laudum ferebant, inquit Hariulfus, jure abbatis præsedit, multasque villas ac prædia seu vendidit, seu donavit, seu occupari permisit. Prævaluit nihilominus sensim monachorum numerus & religio, ac demum obtinuit ut eis disponendi & ordinandi loci facultas reluctantibus licet clericis tribueretur. Quin etiam Gerbertum ad hoc compellere nisi sunt, ut relicta seculi vanitate, monasticum vivendi genus & habitum susciperet. Illi vero præfecturæ honorem potius relinquere,

quam seculi illecebras abdicare eligenti, monachi A multa erga eum usi indulgentia, Buxidem villam concesserunt, in qua privatam vitam agens mortuus est.

XXIII. Fulchericus monachus monachorum & clericorum Centulensium primatum excepit. Ablatum ab Arnulfo Flandrensi comite sancti Richarii corpus impetravit, quod non ita multo post anno 952 iterum ab eodem comite surripitur, & IV calendas Septembris in beati Bertini cœnobio infertur. Obiit VIII idus Novembris Fulchericus, cujus suggestu & hortatu nonnulli clericorum monasticam professionem subiere.

XXIV. Ingelardus ordine subdiaconus, juve- B nis vixdum e scholis emissus, e monasterio Corbeiensi accersitur abbas Centulensis ab Hugone duce ac Parisiorum comite consultu patrum & sacratur. Hujus temporibus ab ipso Hugone succollante relatæ sunt die 3 Junii 981 Centulam reliquiæ S. Richarii, translata vero corpora S. Vigoris episcopi ex propria urbe Bajocensi, & S. Madelgisili confessoris e Monasteriolo vico Pontivensi. Ingelardus interim cuncta pro posse meliorat, claustra reparat, monachos augmentat: amissas autem possessiones recuperare quum tentat, raptorum corda frangere & emollire nequit. Itaque Romam profectus Johannis auxilium im- C plorat, qui Arnulfo comiti, Balduino comiti ac matri ejus, Gosberto vicecomiti atque Ildiardæ bonorum raptoribus commonitorias dedit literas. Alias insuper dedit ad Fulconem Ambianensem & Balduinum Tervanensem episcopos, ut Ingelardo abbati succurrerent, & raptores bonorum monasterii excommunicarent. Ingelardus autem adstitit concilio apud S. Basolum XV calendas Julii 991 in depositione Arnulfi. Ipse quoque culpatur ab Hariulfo quod villas oppigneraverit, v. g. Notkero Leodicensi episcopo, alias vendiderit, ut Huberto cuidam militi Matremmortuam in regno Lotharii sitam IV idus Martii D anno Roberti regis XI. Longo enim tempore præfuit Ingelardus, qui restaurato monasterio, stabilitaque monachorum congregatione, defunctus nonis Junii, sepultus est in ecclesia sancti Richarii cum hoc epitaphio:

Materiale tuum repetens hic abba quiescis
Ingelarde, tuba revocet dum cœlica functos:
Quem mundo genuit heroum clara propago,
Baptismus Christo per verbum fontis & undam.
Qui monachus primo, monachorum rector abinde,
Richarii sacram sancti, quam barbarus hostis
Vepribus impleret, reparasti funditus ædem
Fervidus. At quintum volvebat Junius orbem,
Dum tibi communem mors intulit aspera sortem.

Ingelardo sedente, Francorum reges quædam prædia Centulensibus abstulerunt, quæ castella effecerunt, nempe Abbatis-villam, Incram & Domnum-Medardum.

XXV. Angelrannus, sapiens cognominatus, Centulæ honestis parentibus natus est. Adolescens S. Richarii claustra subiit, cujus ab abbate Ingelardo longe posita scrutaturus scholarum magisteria missus, Fulbertum Carnotensem episcopum præceptorem adeptus est & didascalum. Interim Robertum regem Romam euntem comitatus, sacerdotio initiatus Centulam rediit, ubi Ingelardo defuncto a fratribus una voce electus est. Sed quæ erat viri modestia, furtim se proripit e monasterio, & in silvæ Olnodioli latibula se abdit. Mox regis jussu perquisitus ac demum inventus, onus impositum invitus subire cogitur. Rex itaque gaudens ecclesiæ basilicam intrat, omnique spectante nobilium & ignobilium caterva per funes ad signa pendentes ipsi totius loci dominationem delegat, jubetque ut quantocius ejus benedictio acceleretur. Statim operi manum admovet Angelrannus, mœnia struit, aras auro & argento vestit, vasa sancta ampliat, conventionem prius cum Notkero Leodicensi episcopo factam renovat cum Durando anno 1022, Scabellivillam a Richardo Normannorum duce adquirit, Comitis-villam a comite Pontivi Angelranno, Noguerias recuperavit anno 1035, & molendinum de Montiniaco anno 1044. Hortante Fulberto Carnotensi episcopo, vitam sancti Richarii versu heroïco composuit, ejusdem miracula & relationem in monasterium Centulense, sicut & passionem sancti Vincentii martyris & vitam S. Austrebertæ virginis, honori quoque sanctorum Wlfranni archiepiscopi & Walarici abbatis proprios aptavit cantus. Tanta ejus nominis fama ubique pervulgata est, ut multi nobiles ei se literis erudiendos tradiderint. Duo præcipui fuere, Guido Ambianensis & Drogo Tarvanensis postea episcopi. Sub finem vitæ paralysi sic affectus est, ut Fulco ejus loci monachus, interventu patris sui Angelranni comitis, ab Henrico rege, qui tunc forte in Pontivum venerat, abbatiam obtinuerit. Quod quum rescisset Angelrannus, quosdam militares a Fulcone ad festivum hac de re epulum convocatos diris addixit, Fulconemque se vivente ne quidem alterius loci fore abbatem contestatus est; & ut ejus ambitionem validius retunderet Angelrannus, regem curru convenit, graviter increpavit, & ad facti pœnitentiam adduxit. Alio paulo post a rege dato successori redditur cura pastoralis. Non diu superstes fuit Angelrannus, qui diutina paralysi probatus, demum ad extrema pervenit, & ad cœlestem patriam migravit V idus Dec. 1045. Corpus ejus in basilica sancti Richarii ad aram sancti Laurentii sepultum est, ad cujus tumulum mulier paralytica sanata dicitur. Nullo tamen publico cultu hactenus honoratus, nec Sanctorum albo adscriptus est. Hoc ejus tumbam epi- E taphio decoravit Guido Ambianensis episcopus.

Quem tegit hic tumulus lectissimus Angelirannus,
Hujus cœnobii pastor & abba fuit,
Dux gregis ecclesiæ, monachûm spes inclyta vitæ,
Vixit & in mundo, mundus & in Domino.

XXVI. Gervinus I, ortus e territorio Laudunensi, si non Remensi, patre Guillenco, matre Romilde natus est. A puero literarum studiis in ecclesia sanctæ Mariæ eruditus, parum absuit quin tum poetarum lectione, tum sodalium instinctu, corporis integritatem violaverit. Remensis ecclesiæ

jam canonicus, seculum relinquere decrevit. E duabus ergo sororibus quarum custodia ipsi competebat, Rotselina Baymoni viro data, altera in monasterio virginum collocata, ad Richardum Remensem olim canonicum, tunc sancti Vitoni Virdunensis abbatem se confert, a quo post probationem annuam admissus, factus est primo puerorum custos, tum abbatis capellanus, quem ad loca sacra proficiscentem comitatus est anno 1027. Urgente quadam necessitate quum Richardum abbatem in aulam Henrici regis secutus esset anno 1045, ab eo Angelranno successor designatus est. Sed Gervinus obstitit ni Centulensium accederet electio. Quod quum comperisset Angelrannus, fratres in concionem vocat, & designatum sibi successorem ab omnibus approbari curat. Scripto electionis consensui Gervinus, qui interim Ambianis substiterat, demum assensit, ipsaque die Annunciationis B. Mariæ a Fulcone episcopo sacratur. Sacratus Centulam adit, & honorifice exceptus Guarinum præpositum & Regneguardum decanum instituit. Ab inito statim regimine disciplinam regularem firmare, vetera renovare ædificia, nova exstruere, dissipata recolligere cœpit. Inde cryptam insignem in honorem beatæ Mariæ cum quatuor altaribus condidit, quam XIV calendas Novembris dedicavit. Ad hæc monasterii possessiones a quibusdam subtractas vindicare institit. Rebellem montem & terram de Valeriis Agenardo, uxori & filiis ad vitam concessit VIII id. Decemb. 1046. Querelam habuit pro ecclesia Scabellivillæ in Neustria cum abbatissa Villaris monasterii, quæ ecclesiam suum in jus convertere moliebatur. Gervinus itaque ad Willelmum comitem pergit, & occupatæ ecclesiæ restitutionem obtinuit III calendas Novembris 1048, non tamen gratuito; os enim brachii dextri S. Vigoris exegit comes, cujus reliquias paulo post Gervinus e veteri capsa in qua ab Ingelardo decessore repositæ fuerant, coram multis episcopis & abbatibus transferri curavit XII calendas Aprilis. Anno 1049 Gervinus inter alios corpus S. Remigii in ecclesiam B. Mariæ Remensis deportavit calendis Octobris, & V nonas mensis ejusdem synodo adstitit, ubi apud Leonem IX intervenit ne Fulco Ambianensis episcopus, qui aberat, excommunicaretur. Insequenti Leonem Romam revertentem secutus, synodo Romanæ adstitit XVII cal. Maii 1050; quo tempore a clericis diœcesis Ambianensis culpatus est quod absque apostolici licentia homo non episcopus prædicare auderet, & peccatorum confessiones seu conversiones, præsumtor non sui officii inquireret, quo in munere Gervinus sæpe dies integros jejunus impendebat in cellula huic officio deputata, quam fratres confessionem vocabant. Reddita facti ratione, pontifex eidem verbi Dei prædicandi, recipiendi scelestorum confessiones, ac tradendæ pœnitentiæ potestatem concessit, ea maxime de causa quod Fulconem Ambianorum præsulem, non animarum saluti, sed volucrum captioni & ferarum venatui studere comperisset. Quamobrem Gervino pontifex sandaliorum usum obtulit, ut his prædicatoris in-

A signibus ornaretur, quod vir modestissimus recusavit. Villam *Noguerias* a Waltero cognomine Tirello injuste occupatam recuperavit an. 1053. Forte sub id tempus Edith reginæ Angliæ osculum salutationis & pacis respuit, unde irata regina donum ei factum revocavit, quod regis sermone placatior facta ei reddidit, pretiosum nempe amictum auro & lapillis decoratum, cujus elegantia ita captus est postea Guido Ambianensis episcopus, ut eum a Gervino tandem extorserit, concessis ei duobus altaribus villarum Argubii & Montis-Elisii. Sacro Philippi regis adstitit Gervinus anno 1059. Villam Filcarias Chart. XX, col. 23.
B recuperavit anno 1063, & quartam partem villæ *Ultrabaiz* anno 1067. Angliam profectus anno 1068, confirmationem bonorum quæ tunc Centulensis ecclesia illic possidebat, ab Anglorum rege Guillelmo obtinuit. Sancti Caydoci & socii ejus corpora e terra levavit, & decentius collocans, fidelibus honoranda censuit. Sancti quoque Angilberti corpus incerto ad id tempus loco a Ribbodone abbate, ob metum Paganorum, occultatum invenit, ejusque obitus diem didicit, ex codice apud Gorziam reperto, in quo quædam Centulensium abbatum gesta continebantur. Centulensem bibliothecam 36 volu-
C minibus auxit, quæ subtrahi sub anathemate vetuit. Denique post vitam piissime exactam, lepra percussus, solita pietatis exercitia non intermisit; sed in eo statu videns se ad monasterii sui regimen sufficere non posse, illud nepoti suo cognomini, committi a Philippo rege, fortuito adveniente, postulavit obtinuitque anno 1071. Quarto ægritudinis anno obiit V nonas Martii, feria 3 secundæ hebdomadæ Quadragesimalis 1075, sepultusque est ante altare beatæ Mariæ in crypta orientali. Pro sancto statim apud Centulenses habitus, qui dum in vivis ageret, a populo sanctus abbas vocabatur, ut probat index
D solennitatum ad Centulam proprie pertinentium, scriptus tempore Hariulfi, qui hoc ei scripsit epitaphium :

Inclytus iste pater, dæmon per quem ruit ater,
Hos pius in populos, dormit in hoc tumulo;
Ardua rectarum scandens qui rite viarum,
Corporis assiduus martyrisator erat.
Regula virtutum, rectorum lux monachorum,
Extitit a puero corpore virgineo.
Tunc sic florentem, studiose justa docentem,
Mars, tua tertia lux abstulit, itque redux.

XXVII. Gervinus II, Gervini I ex sorore
E nepos, S. Remigii Remensis sub Herimaro abbate monachus, ab avunculo successor Philippo regi postulatus, ordinatus est X calendas Novembris 1071, & defuncto ad regimen successit 3 Martii 1075. Facundus quidem lingua sed moribus avunculo longe dissimilis, vanitati & oblectamentis totus addictus erat, nisi monasterii seniorum monitis & hortamentis tantisper repressus fuisset. Id unum laudabile fecisse dicitur, quod basilicam Salvatoris, quæ ex lapsu turris subruta fuerat, instaurare cœpit, Centulensibus expensas certatim conferentibus ne corpus sancti Richarii

de more ad subsidia conquærenda longius efferretur. Erant tum Centulæ multi monachi pietate insignes, quos degeneres abbatis mores redarguere non verentes, e monasterio expulit. Concilio Compendiensi adfuit anno 1085. Verum pro nihilo reputans abbatem esse, nisi foret & episcopus, cathedram Ambianensem per ambitum adeptus est anno 1091, neque propterea abbatiam dimisit, quam destruere & dilapidare non cessavit, qua tandem, quum vanas spes emendationis Reinaldo archiepiscopo Remensi, aliisque nobilibus viris, datas sæpius fefellisset, ab Urbano II in concilio Claromontensi spoliatus est, prolata in hunc modum sententia: *Tu abbatiam sancti Richarii, quæ nobilis & dives fuerat, tam pessime tractasti, ut suis ecclesiam ornamentis spoliaveris, & monachos multos tuis vitiis resistentes exsules feceris; unde dignus eras ut omnem gratiam ecclesiasticæ dignitatis ex toto perderes, veluti ovium Christi mactator, & sanctæ ecclesiæ dissipator: sed ne bina te ultione ferire videamur, esto contentus Ambianensi episcopatu, quem tam dure acquisisti; monachis autem sancti Richarii sit copia eligendi abbatis, cui tu contraire nulla ratione præsumas, quod in virtute Spiritus Sancti te observare jubemus.* Non tamen statim abbatiam abdicavit Gervinus, imo e concilio reversus, efficere conatus est ut pontificis de ipso sententia Centulenses lateret, & quidem per annum integrum abbatiæ rebus potitus est. Ubi vero Remensis ecclesiæ clericis divulgantibus, pontificis decretum Centulensibus innotuit, eum in capitulum valde renitentem convocaverunt, ejusque auctoritatem & subjectionem aperte refutaverunt, professi se ad papam denuo reclamaturos, nisi loco prorsus cederet. Tum ille baculum deposuit, humi prostratus veniam petiit, sibique errata indulgeri obsecravit. Verum monachi præteritorum ac præsentium malorum excessibus irritati, nullam ejus pœnitentiæ fidem habuerunt, imo conviciis eum insectati sunt, donec loco egressus Abbatis-villam cederet. Hæcque Dei miseratio Centulæ indulta est anno dominicæ Incarnationis 1096, indict. IV. Non cessavit tamen Gervinus monachos & monasterium inquietare, voluitque abbatiam, quam 24 annis liberam tenuerat liberamque ab origine fuisse sciebat, sibi & successoribus episcopis subjicere; quumque repulsus prius fuisset, cui regimen transmittere meditabatur, quidam ipsius nepos Cæsarius S. Remigii monachus, sequentis promotionem impedire modis omnibus tentavit, qualiterque electo resisteret novis insidiis appetiit, donec Ambianensem sedem relinquere quoque compulsus est, ut diximus. In eoque desinit Centulense chronicon a Saxowalo ante multos annos inchoatum, quod absolvit Hariulfus ejusdem loci monachus, dein Aldenburgensis in Belgio abbas.

XXVIII. Anscherus nobili genere ortus est patre scilicet Waltero cognomento seniorato seu seniatore, vicini prædii domino, quod postea ob castellum ibi constructum firmitatis seu feritatis vocabulum accepit, & Liedselina matre. Puer ad monachorum preces a Gervino gemebundo in monasterium cooptatus est, quem ne aliquando suæ contrairet vesaniæ, remisse ac negligenter erudire fecit Gervinus; at puer egregius dulcissimis moribus omnium sibi amorem ita conciliavit, ut per Urbanum exauctorato Gervino, ejus quantumvis impedientis in locum suffectus sit abbas. Primo regiminis anno 1098 omnes monasterii sui chartas quæ post varias loci clades superfuerant recensuit. Subscripsit anno 1100 donationi factæ Majori monasterio a Gervino episcopo Ambianensi, quem ad concilium Pictaviense comitatus est Anscherus. Huic Wido comes Pontivorum monasterii advocatus in extremis positus ablata restituit. Anscherus autem singulari prudentia præditus, ad concilium Hugonis Magni fratris Philippi regis, Roberti Flandriæ comitis & ceterorum procerum evocatus est anno 1100, quo de liberanda Jerosolyma initum est consilium. Ecclesias sanctæ Mariæ, sancti Benedicti & sancti Nicolai, urbisque mœnia, vel construi, vel instaurari curavit ab anno 1110. Regiminis anno 13, visis miraculis quæ ad Angilberti tumulum fiebant, Godefridum Ambianorum episcopum ut eorum testis esset invitavit, librumque de Angilberti vita Paschali papæ, tum librum de miraculis a se compositum Radulfo metropolitano obtulit, ut ejus Sancti corpus e tumulo levaretur; sicque factum est ut Angilbertus in Sanctorum numerum relatus sit. Anno 1113 Anscherus omnes sacrarum reliquiarum capsas, tam vetustate, quam frequenti de loco in locum delatione, fractas, visitavit, restituit & renovavit. A rege impetravit anno 1126 ut ad S. Richarium veniret, oppidanos communia quam inter eos statuerat, ad detrimentum monasterii abutentes, ad officium revocaturus. Sancti Angilberti sepulcrum aperuit anno 1128, populo ostendit & denuo clausit. Interfuit anno 1129 sepulturæ fratris sui Roberti *de la Ferté*, cujus in extremis positi donum excepit. Anno 1131 totum monasterium cum ecclesia V calendas Septembris combustum est ab Hugone comite S. Pauli ejusque asseclis, qui quum oppidum munitissimum, in quo eorum adversarii Caletenses dicti sese receperant, comprehendere non possent, injecto Græco igne concremarunt. Hoc incendio chartæ, diplomata, veteres codices & omnia ecclesiæ ornamenta consumta periere. Re ad Innocentium papam delata, decretum est ut Hugo ejusque asseclæ monasterium suis impensis instaurarent. Verum Anscherus ex solis ecclesiæ sumtibus novam fabricam strenue aggressus est, quem Hugo Senioratus dominus de Feritate, nonnullis ad reædificationem ecclesiæ collatis anno 1134 adjuvit. Mutuam cum sancto Bernardo concordiam & epistolarum societatem habuit. Multa alia ab eodem abbate facta in carmine referuntur descripto a Mabillonio tom. V Annal. p. 664. Denique Anscherus senio confectus, bonorumque operum plenus, diem clausit extremum VIII calendas Augusti anno 1136.

Charta XV. col. 296.

Chart XVII. col. 299.

XXIX. Johannes I Ludovici Junioris Francorum regis affinis, ex monacho Corbeiensi a

Centulensibus abbas creatus, monasterii ædificia ab Anschero inchoata perfecit, & ecclesiam pro virili instauravit, vir vitæ laudabilis & honestissimæ conversationis.

XXX. Gelduinus, seu Geldeguinus, ex abbate S. Walarici postulatus Centulensis circa annum 1143, de Adamo abbate Domnimartini & de Hugone abbate de Valloriis bene meritus est, data Hugoni terra de Valloriis. Benefecit etiam Rogero ejus successori anno 1147. Jerosolymam profectus est cum Ludovico rege, & in reditu factus est episcopus *de Bellivaux*, qui locus adhuc est incognitus.

Quocumque post Gelduinum modo vacaverit abbatia, monachi diffugia quærebant & protelationes, quos ordinem nunquam didicisse Sugerio regni administro repræsentat Theodericus Ambianensis episcopus, viroque cordato indigere & religioso, quales tunc temporis Bernardus de Aquicincto aut Droco de Lehuno priores, ne personam ad voluntatem suam pravam eligerent, neuter tamen ex his electus est, sed

XXXI. Petrus I Bituricensis, S. Dionysii monachus, post diuturnam vacationem a Centulensibus, consilio & assensu religiosarum suæ provinciæ personarum, militum, procerum, clericorum ac burgensium, canonice electus est abbas, cujus electionem a Sugerio ratam haberi tam monachi quam vavassores & communia sancti Richarii literis postulaverunt anno 1148. Biennio post nondum exacto Petrus abbas Romam profecturus, mutuam pecuniam sub impignoratione quorumdam prædiorum, a Rogerio Valloriarum abbate accepit anno 1150. Reperitur adhuc testis in charta Theobaldi Ambianensis episcopi pro sancto Martino de Gemellis anno 1151, & 1160 in donatione facta S. Johanni Ambianensi a Johanne Pontivi comite.

Ch. xxxv. col. 314.

XXXII. Wifridus, Guefridus & Gaufridus, ille videtur abbas, quem agente Henrico Remorum archiepiscopo, post obitum Petri promovit Alexander III post annum 1162. Occurrit anno 1166. Huic Galterus Senioratus dimisit jura vicecomitatus apud *Buigny* anno 1167. Nemus de *Tormont* acquisivit.

XXXIII. Richarius II doctrina & morum integritate conspicuus, defuncto Gaufrido, ab Ambianensi episcopo, auctoritate propria, institutus, obedientiam ipsi præstare coactus est, de quo Henrico Remensi archiepiscopo conquestus Alexander III, ei mandat literis Tusculani pridie calendas Novembris 1170, ut episcopum moneat ut abbatem ab obedientia sua absolvat, sin minus eum ipse absolvat, quippe cujus ecclesia ad jus B. Petri specialiter spectat. Transsumpta privilegiorum atque immunitatum monasterii, quorum exemplaria prototypa in prima Normannorum devastatione exciderant, Romam misit ad Alexandrum III, a quo cuncta bona, possessiones & exemtio fuere confirmata IV calendas Augusti anno 1172. Multa bona huic monasterio comparavit pluraque construxit ædificia. Albiniacum in feodum erexit. Creatus cardinalis episcopus sanctæ Sabinæ dicitur in chartulario, qui nullibi apud auctores qui de cardinalibus egere reperitur.

Amplis. collect. t. II, col. 856.

XXXIV. Laurentius, ex monacho Cluniacensi abbas B. Mariæ de Britolio, tum S. Richarii, obtinuit ab Alexandro III confirmationem ecclesiæ sancti Luciani de Lulliaco circa annum 1176. Motam Laurentium inter & Johannem comitem Pontivi de dominio villæ & castelli *du Crotoy* quæstionem permisit Theobaldi Ambianensis episcopi arbitrio, a quo universorum redituum, tam in censu hospitum, quam in furnis, &c. medietas ex integro in perpetuum abbati & monasterio adjudicata est anno 1177. Querelam quoque habuit cum ecclesia Balanciarum, quæ ab Henrico Silvanectensi episcopo terminata est anno 1177. Eodem Laurentius monachis *de Thosan* cessionem fecit die 2 Augusti. Composuit anno 1180 cum priore sancti Amandi. Concedit anno 1181 Hugoni abbati S. Judoci de Nemore quidquid habebat apud Montigniacum. Dicitur quondam abbas anno 1186.

Chart. XLV. col. 319.

XXXV. Ursio, seu Urso, occurrit annis 1184, 1185, 1186.

XXXVI. Richarius III, abbas memoratus anno 1191 in chartis sancti Johannis, & 1193 in charta Theobaldi Ambianensis episcopi pro monasterio Centulensi, societatem iniit cum capitulo Atrebatensi anno 1196 & cum monachis sanctæ Rictrudis Marcianensis. Composuit anno sequenti ineunte cum Stephano episcopo Tornacensi de præsentatione ad ecclesiam *de Bredeney* arbitrio Petri episcopi Atrebatensis. Concessit anno 1201 capellam in xenodochio Centulensi posse construi, ea lege ut capellano nullum jus parochiale exercere liceret. Adfuit anno 1206 translationi capitis S. Johannis-Baptistæ Ambiani XVI calendas Januarii.

XXXVII. Giroldus confirmationem omnium privilegiorum ab Innocentio III consequitur III calendas Febr. 1207. Ad ejus preces Guillelmus comes Monstrolii & Pontivi concessam a patre chartam *du Crotoy* corroboravit mense Julio 1208.

XXXVIII. Matthæus, si fides abbreviato hujus monasterii chronico, ex monacho sancti Cornelii Compendiensis, Centulensis abbas anno 1210 mense Maio, cavit ne quis in xenodochii capella sepeliretur, & quominus a suffraganeo episcopi Ambianensis dedicaretur obstitit adversus Ambianensem episcopum.

XXXIX. Hugo II *de Chevincourt*, nobili genere ortus, ecclesiæ jura acerrime tutatus est, nova impetravit privilegia, monasteriique utilitatem non segniter promovit. Præsens fuit divisioni factæ feodi *de Houdencourt* anno 1210 inter capitulum & Guidonem *de Candas*. Querelam habuit cum episcopo Ambianensi super exemtione, quam quia possessionem allegabat episcopus, ad biennium terminandam pro probatione remisit Innocentius III anno 1216 V calendas Aprilis, qui VII calendas Junii concessit ut prædia in feodum secularibus tradita impignorationis nomine tenere possent monachi. Circa annum 1217 cum aliis abbatibus scripsit ad cardinales de ablata canonicis sancti Johannis Ambianensis

Ambianensis parochia sancti Germani. Concessit A anno 1218 monialibus *de Willencourt* managium in insula Senardi. Arbiter fuit anno 1220 mense Augusto inter toparcham de Gavera & ecclesiam Corbeiensem. An. 1224 Honorius III Hugoni concessit VIII idus Februarii decimas novalium parochiarum in quibus habebant veteres, & declaravit IV idus Maii, contra impetitiones episcoporum Ambianensium, monasterium S. Richarii liberum, ad solum Romanum pontificem pertinere. Hugo convenit anno eodem cum episcopo pro procurationibus ipsi debitis in sua diœcesi. Quoad cetera judice Honorio III anno 1226 victor exstitit abbas. Arbiter diremit litem anno B eodem inter abbatem sancti Judoci & Hugonem *de Brimeu*. A sancto Ludovico legatus Andegavum & Tolosam, legatione egregie functus est Hugo. A judicibus arbitris a præstatione in parochia *de Chevincourt* adversus Milonem episcopum Bellovacensem absolutus est anno 1228 mense Septembri. Mariæ de Firmitate in extremis agenti adstitit mense Januario 1229, & anniversarium assignavit. Præsens fuit anno 1233 consilio regis transmarinam voventis expeditionem. Circa id tempus visitavit capsam in qua recondebantur reliquiæ plurimorum sanctorum.

Ch. LXIV. col. 339.

XL. Galterus I occurrit anno 1237 mensi- C bus Martio & Aprili. Fundationi capellæ Leprosorum assensit anno 1238. Innocentius IV permisit ei anno 1244 ut quoties contingeret eum incurrere censuram, ab abbate Forestensi posset absolvi.

XLI. Herveus emit feodum *de Beauflos* mense Januario 1245. Insequenti ecclesiam S. Nicolai extra monasterium transferendi facultatem, & 1247 omnium privilegiorum & immunitatum confirmationem ab Innocentio IV obtinuit.

XLII. Galterus II *de Gueffart* excepit anno 1248 hominium Johannis de Ambianis, cui D pro more solvit annulum aureum. Societatem iniit cum monachis sancti Launomari Blesensis anno eodem. Innocentius IV anno 1250 concessit ei novalium decimas, & 1252 facultatem construendi oratoria in diœcesibus Ambianensi & Bellovacensi in maneriis in quibus non habebant Centulenses, eodem anno 40 de pœnitentia dies iis qui ecclesiam sancti Richarii visitarent in die festo & per octavam, & 1253 usum mitræ, annuli, tunicæ, dalmaticæ ac sandaliorum, necnon potestatem benedicendi pallas altaris, calices & indumenta sacerdotalia. Anno eodem providit immunitati monasterii idem pontifex, E qui alias Galtero concessit bullas, sicut successor Alexander IV. Controversias quoque habuit Galterus cum communia, quas diremit rex edicto 1256 mense Novembri. Obiit in vigilia Assumtionis 1257.

XLIII. Egidius *de Machemont* oriundus e pago *de Chevincourt* prope Compendium, electus abbas anno 1257, ab episcopo Ambianensi excommunicatus est, eo quod fer. 2 post Pentecosten anni 1265 in pontificalibus solenniter per villam S. Richarii processisset: quapropter abbates sancti Dionysii & sancti Germani conservatores apostolici privilegiorum S. Richarii, monent episcopum dominica post festum beatæ Magdalenæ, ut ab inceptis desistat, & post monitiones canonicas excommunicationem in eum vibrant, quam confirmavit Clemens IV IV nonas Junii, pontificatus II, qui eodem anno omnes Centulensium immunitates & privilegia confirmavit. Capellam sancti Andreæ ab episcopo Atrebatensi dedicari curavit Egidius anno 1274. Reperitur E. abbas sancti Richarii in chartis Fiscanni in festo Purificationis anno 1277, nunc 1278, quo Nicolaus III X calendas Maii monachis Centulensibus concessit ut bona mobilia & immobilia, feudalibus exceptis, quæ ad eos pertinerent, ac si in seculo remansissent, petere, recipere ac libere retinere possent. Egidius memor longi temporis quo fuerat abbas, dedit omne quod habebat in molendino *de Tanvoye* die mercurii post Natale Domini 1290. Nova construxit ædificia, imprimis castrum de Drugiaco, plurima acquisivit. Denique post laudabilem 35 annorum administrationem obiit capellanus papæ nonis Augusti 1291, sepultusque est in capella sancti Laurentii.

XLIV. Odo. Monachi Centulenses petita a rege eligendi licentia anno 1291, abbatem elegere, quem quum respuisset Nicolaus IV, Odonem regi commendavit, pontificatus anno IV, hic est 1292.

XLV. Eustachius I a Bonifacio VIII confirmatus & regi commendatus pontificatus anno III, Christi 1297, omnium monasterii privilegiorum & libertatum confirmationem ab eo obtinuit anno 1298. Camerario Romanæ ecclesiæ chirographum dedit de solvenda 4000 florenorum aureorum summa pro papa & collegio cardinalium, & de 236 florenis auri pro duobus servitiis consuetis familiarum eorumdem. Præfuit ad annum 1302.

XLVI. Johannes II *de Foucaucourt*, ex priore de Lulliaco abbas anno 1303, de mutua precum societate fœdus iniit cum monachis sancti Walarici. Debitos a decessore florenos solvere incœpit 18 Martii 1304, nunc 1305. Jus benedicendi cineres, candelas & ramos palmarum, auctoritate apostolica, adversus Ambianensem episcopum monasterio asseruit idibus Novembris 1309, sicut & jura funeralia. Pepigit cum Caricampo anno 1312 ineunte, sedesque vacabat sabbato post dominicam *Quasimodo*. Primus sacrum Christi corpus solenni ritu per oppidum cum processione Johannes detulit.

XLVII. Balduinus *de Gaiffart*, nobili genere ortus, confirmatur abbas & regi commendatur a Clemente V anno pontificatus VII. Hominium recipit pro feodo *de Vausselles* mense Octobri 1312. Cameræ apostolicæ solvit anno eodem 31 Decembris 2000 florenos auri, & 1500 die 30 Maii 1313. Adstitit concilio Silvanectensi cum debitis denunciationibus anno 1318. Erigendæ in castro de Feritate capellæ assensit anno 1316, & capellæ *d'Yencourt* anno 1319. Multa monasterio prædia comparavit, ejusque

Ch. LXXVI. col. 346.

jura acriter tutatus, obiit anno 1343.

XLVIII. Petrus II de Aloengiis, sacræ theologiæ doctor, ex monacho sancti Bertini abbas sancti Bavonis Gandavensis, transit ad regimen Centulensis monasterii anno 1343, quod per 17 annos summa cum laude moderatus est. Solvit anno 1346 cameræ apostolicæ 194 florenos aureos. Compromisit anno 1353 cum Alelmo abbate S. Bertini de mutua celebratione festorum sancti Richarii & sancti Bertini. Cameram abbatis construxit. Obiit Parisiis in collegio cardinalitio 1360, ibique in sacello sancti Firmini sepelitur.

XLIX. Philippus *du Fossé*, e nobili apud Burgundos editus familia, reperitur abbas Centulensis annis 1365 & 1368. Quadriennio post factus est Fiscannensis anno 1372.

L. Hugo II *de Roigni* nobilis Burgundus, Philippi cognatus, Centulensis abbas primo comparet in actis anno 1379, licet sedere potuerit ante hunc annum. Hunc ex abbate S. Sequani factum volunt aliqui Centulensem, quo tempore abbas S. Sequani reperitur Odo *de Roigni* annis 1379 & 1389. Hugo noster obiit 4 Februarii 1393.

LI. Guischardus de Salis, e Borbonio natus, ex infirmario Cluniacensi abbas S. Petri supra Divam, ad abbatiam sancti Richarii assumtus anno 1394, tempus obtinuit ad solvendum cameræ apostolicæ die 20 Junii. Biennio post reditus prioratus de Pagrano in Anglia a rege intercepti sunt. In Hungariam adversus infideles profectus est an. 1397. Insequenti cameræ apost. solvit 8 florenos auri. A sodalibus S. Nicolai, qui eo inconsulto solennem ordinaverant supplicationem, satisfactionem accepit anno 1399. Missam defunctorum qualibet fer. 2 instituit, & obiit 10 Aprilis 1410, cui defuncto unanimi fratres consensu suffecerunt 14 Aprilis Thomam *Darech* eleemosynarium sancti Richarii, sed qui confirmatus non fuit, vacabat enim sedes 22 Augusti.

LII. Johannes III *de Bouquetot*, nobilis Normannus, doctor in decretis, & prior de Prato, nunc beatæ Mariæ de Bono-nuncio in suburbio Rotomagensi, abbas factus est 30 Aug. 1410. At Romam profectus, a Johanne XXIII ad sanctum Wandregisilum translatus est III idus Aprilis 1411.

LIII. Hugo IV *Cuillerel*, oriundus e Polichnio in comitatu Burgundiæ, nepos erat Jacobi *de Sosac* administratoris domus Burgundiæ, qui fundavit ecclesiam collegiatam sancti Hippolyti apud Polichnium. Votis apud Cluniacum emissis, factus est prior *de Mimars*, tum de Lorriaco in Wastinensi tractu, dein sancti Dionysii in carcere Parisiensis, eratque sancti Vigoris Bajocensis, & baccalaureus in decretis, quum ad abbatiam Centulensem a Johanne XXIII evectus est III idus Aprilis 1411 per translationem Johannis. Procuratores ad ineundam possessionem nominavit Parisiis 1 Septembris 1412. Recepit 12 Febr. 1413 a quæstore regio apud Ambianum 40 solidos Parisienses debitos in festo Omnium

A Sanctorum pro anniversario fundato a Guillelmo comite Pontivi. Pasquerium de Vallibus baccalaureum in decretis procuratorem misit ad concilium Constantiense anno 1416. Domum emit apud Abbatis-villam anno 1423 20 Julii propter Anglorum bella. Unam unciam auri solvit 17 Octobris 1434 pro monasterii exemtione, quam & alia ejus privilegia confirmavit synodus Basileensis VI calendas Maii 1435. Tutelare diploma obtinuit a Carolo VII 28 Julii 1436. Reperitur in regesto Parisiensi anno 1445. Senio fatiscens Hugo, quippe septuagesimum ætatis attigerat annum, cessit in gratiam sequentis, servata 600
B nummorum auri pensione, quam confirmavit Alanus cardinalis S. Praxedis 1 Octobris 1457. Defunctus in castello de Drugiaco anno 1462, juxta majus altare in medio ecclesiæ a successore sepultus est.

LIV. Petrus III *le Prêtre*, ex Vaccaria Hircina super Alteiam prope Fortellium in comitatu Atrebatensi nobilibus ortus parentibus, patre mortuo, Hugoni abbati a dynastia Auxiacensi puer erudiendus traditur anno 1438. Votis Deo nuncupatis, presbyter anno 1442 monasterii reditibus exigendis procurator institutus est. Parisios missus studiis operam navaturus ad preces ducis Bur-
C gundiæ & toparchæ de Auxiaco, baccalaurei gradum adeptus est anno 1451. Insequenti defuncti prioris in locum suffectus, quadriennio post totius cœnobii administrationem vicarius generalis suscepit. Denique a duce Burgundiæ commendatus data 7 Aprilis 1457 epistola, ab Hugone designatus est successor. Bullis ab Alano cardinali obtentis, in ecclesia B. Mariæ, absque præjudicio jurisdictionis, a Ferrico Ambianensi episcopo benedictus est die 7 Novembris 1457. Statim Petrus ecclesiæ & monasterii reparationibus, necnon rerum temporalium regimini, se totum applicuit. Ecclesiam pavimentis ex Hol-
D landia delatis sterni, ejusque tigna plumbo & tegulis tegi curavit. Instauravit castellum de Drugiaco, sepulcrum in sacello beatæ Mariæ 1460, multaque alia construxit. Regi juravit fidem Abbatis-villæ 21 Novembris 1463. S. R. ecclesiæ unciam auri pro exemtione solvit 18 Decembris 1464 & 1476. Anno 1472 gravi correptus morbo Petrus anniversarium suum instituit apud sanctum Richarium, Cartusianos Abbavillæos & Fratres Minores. Insequenti ædificia nova construxit, ædesque abbatiales inchoavit, quas bellis ingruentibus perficere nequivit, sed domum emit anno 1475 apud sanctum
E Audomarum contra tempestates asylum. Tempestatum ac præcipue belli Burgundici sorte destructa ædificia meliorem in modum incredibili abbatis zelo renovata absoluta fuissent, ni bellorum tumultibus a cœptis fuisset præpeditus. Anno 1477 Petro apud sanctum Audomarum ægrotante, rex cardinali Viennensi abbatiæ reditus donavit, qui insignibus pontificalibus exportatis, proventus quoque abbatiæ surripuit. Eodem anno Petrus cameram, cum licentia abbatis, in abbatia sancti Bertini construxit. Denique varias sedes, ingravescente belli tumultu,

coactus quærere, & de loco in locum transire, ærumnis confectus, Eustachium *le Quieux* cognatum, & S. Richarii eleemosynarium, vicarium suum generalem instituit die 4 Februarii 1478, paucisque elapsis mensibus dignitatem eidem cessit, servata pensione, quam creavit Sixtus IV IX calendas Martii 1479. Qua electione iratus rex, monasterii bona tam Petro quam Eustachio ablata, administranda commisit 18 Nov. 1479 Jacobo *de Haudrechies* sancti Richarii præposito, quem ad instantiam abbatis ad administrationem designaverant monachi. Hic autem regio fultus diplomate in possessionem immissus est 20 Decembris anni ejusdem. Paulo post Petrus morbis ingravescentibus obiit in monasterio S. Bertini feria IV cinerum, ibique in sacello beatæ Mariæ sepultus jacet cum hoc epitaphio: *Sub hoc marmore conspicuo quiescit venerandus abbas dominus Petrus Presbyteri quondam abbas insignis cœnobii sancti Richarii in Pontivo, oriundus de Vaccaria secus* Bouberc *super fluvium Canchiam. Primo a Philippo Burgundionum duce Parisios studiorum causa mittitur. Inde reversus, mox præpositus efficitur. Deinde ad abbatis dignitatem non immeritus provehitur. Hic Petrus petram ecclesiæ multis fundamentis solidavit, plurimis ornamentis decoravit, veteranas arces restauravit, talentum Domini fideliter dispensavit. Cessit e vita anno salutis nostræ millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo.* Lege *nono* more Gallicano.

LV. Eustachius II *le Quieux*, Petri cognatus, nobili prosapia e vico de Fortellis prope Vaccariam Hircinam oriundus, puer religionem ingressus, factus monachus Parisios ad studia mittitur. Reversus eleemosynis præficitur, & post spiritualibus & temporalibus monasterii rebus; denique Petro cedente, per apostolicas Sixti IV literas fit abbas IX calendas Martii anno 1479, obsistente licet æmulo Jacobo *de Haudrechies* ab ipso Petro personis rebusque monasterii per 23 annos præposito, communique monachorum voto in abbatem postulato, ac tandem a marescallo *des Querdes* cum omnimoda auctoritate præfecto. Eustachius nihilominus decem post acceptas bullas mensibus benedictionis munus adeptus est in ecclesia collegiata sancti Jacobi de hospitali Parisiensis a Libertinensi episcopo, regique sacramentum præstitit 10 Decembris 1480, & papæ 17 eorumdem mensis & anni. In possessionem inductus est die 21 Decembris, receptusque renitentibus licet Jacobo supradicto & aliis nonnullis. Hos tamen sibi conciliare nisus est Eustachius, & cum Jacobo, cui tunc a rege ademta rerum administratio, composuit 20 Feb. 1481. Pacificam sic administrationem adeptus abalienatos monachorum animos revocat ad concordiam, reparat ædificia voracibus flammis recens destructa 1487. Amplum omnium possessionum indicem describi, & sanctorum abbatum gesta scriptis mandari curavit anno 1492. Sedilia chori confici, capitulum in cameras decussatas digestum aulamque vicinam construi, dormitorium, gazophylacium, odeum, sacrarium, sacellum beatæ Mariæ ædificari, ecclesiam fornicibus ornari fecit, quod opus dum urget, illiso ad caput lapide interiit anno 1517, & in media navi sepultus est.

LVI. Theobaldus *de Bayencourt* unanimi fratrum suffragio in abbatem cooptatus 25 Aprilis 1511, a Julio papa II confirmatus est III idus Junii sequentis, qui eum die eodem regi commendavit. Statim Theobaldus monasterium censu, ædificiis, supellectile tum sacra tum profana, ecclesiam turri campanaria, ac mira arte elaborato propylæo sacrisque imaginibus auro illitis auxit, multa redemit prædia, quibus ordinandis dum plus æquo admovet animum, parvi pendit aut dissimulat salutem animarum sibi commissarum. Unde quum in ipsis imperiis suis non esset satis providus, monachorum jam a regula deviorum, qui senatui Parisiensi, tam bonorum monasterii partitionem, quam ejusdem reformationem postularunt & obtinuerunt anno 1537, quæ tamen effectum statim non sunt sortitæ, monachorum, inquam, occurrit offensam, quoque acceptas ulcisceretur injurias, abdicata dignitate in favorem sequentis, commendatariis viam aperuit. Ipse vero Chevinicurtem in pago Compendiensi, quam sibi ad vitam inter alia servaverat, secedit, ubi transacto triennio defunctus est anno ætatis octogesimo, die 2 Julii 1539. Ne vero in eum quem sibi eleganti opere in ecclesiæ navi paraverat tumulum deferretur, in gentilitio apud vicum *de Bayencourt* sepulcro corpus voluit post mortem inhumari.

LVII. Claudius *Dodieu* Lugdunensis, dynasta *de Velly*, supplicum libellorum magister, episcopus Redonensis, major Franciæ eleemosynarius, & Francisci I a confessionibus, ejusdemque orator ad Paulum III summum pontificem & Carolum V imperatorem, ultorem se illatæ Theobaldo injuriæ spondens, ab eo abbatiam emungit, qua potitus, regi fidem juravit 17 Maii 1538. Opimos statim ejus reditus, imo & eleemosynariæ aliorumque officiorum proventus sibi vindicat, multam eamque sacram supellectilem, sed & ecclesiæ ornamenta, atque argenteam altaris tabulam, & quid non? abripit; excidit arbores, pluraque alia damna monasterio intulit. Interim die 11 Junii 1543 consilii regis secretioris decreto sancitum est ut reformarentur monachi, quibus prædia & mensa separarentur. An. 1554 die 15 Septembris a Burgundis, quia Franci Montis sancti Eligii monasterium combusserant, post prælium S. Quintini Centulensi concremato monasterio, monachi in hospitium Abbatis-villæ secedere coacti sunt. Reparationes ad 102000 libras æstimatas a commissariis parum curavit Claudius, qui defunctus 14 Septembris 1558, sepultus est Parisiis in ecclesia patrum Cœlestinorum.

LVIII. Carolus I *d'Humieres* episcopus Bajocensis, majorque Franciæ eleemosynarius, anno 1559 amplum atque elegans ædificium quod sub decessore deflagraverat restaurandum curat, ut monachorum usibus inserviret. Statuta quædam salutaria edidit observanda anno 1560, & obiit 5 Decembris 1571. Vacabat adhuc abbatia anno 1577.

LIX. Benedictus *Rimbault* titulum gessit abbatis cedentibus monasterii reditibus in rem Caroli *de la Chastre* comitis *de Nançay* & majoris Franciæ cancellarii, cui defuncto an. 1588 successit in perceptione fructuum abbatiæ Henricus *de la Chastre* filius & heres, ipse quoque uxoratus, sub nomine ejusdem Benedicti, qui obiit 14 Septembris 1607.

LX. Gaspardus *de Fontaine* in locum Benedicti suffectus anno 1611, a Ludovico XIII ob fiduciam & imperitiam dignitatis umbra privatur, locique præposito abbatia committitur anno 1627 paranda regni administro, fuit is.

LXI. Armandus-Johannes *du Plessis* cardinalis *de Richelieu*, regni administer, commendatarius a rege nominatus & a summo pontifice confirmatus, possessionem per procuratorem obtinuit 24 Martii 1628. Vicario generali usus est Adriano *Pecoul* doctore sorbonico, canonico Ambianensi. Obiit Parisiis 4 Decembris 1642, ætatis 58, & sepultus est in ecclesia collegii Sorbonici, quod a fundamentis erexerat.

LXII. Carolus II *d'Aligre* nepos & filius cancellariorum Franciæ, commendam a rege obtinuit, & bullas a summo pontifice annum agens 13, & possessionem iniit 14 Septembris 1644. Omnia monasterii bona cum monachis partitus est anno 1657. Reformationi monasterii de quo antiquiores monachi cum monachis S. Mauri convenerant anno 1659, subscripsit anno 1661, & ad reparanda sarta tecta & ad alia quædam onera assignavit prædium de Drugiaco. Quam bene de abbatia sua meritus sit optimus abbas, melius docebit tabula ænea in ejus honorem affixa ad sacellum B. Mariæ, ubi sic legitur:

D. O. M.

ET

Illustrissimo abbati
Carolo d'Aligre,
Stephani cancellarii filio,
regi a sanctioribus consiliis,
Angilberto alteri.
Quod Benedictinæ disciplinæ renovandæ curam adhibuit,
violatam hostili furore basilicam restituit,
argenteis æneisque vasis ac libris ornavit,
altare marmore, argenteis tabulis, sacella picturis ditavit,
chori sedilia, pulpitum pavimentumque construxit,
capsam, cancellos, valvas magnifice erexit,
monasterii muros septumque ampliavit,
horrea, & abbatis hortum, domumque ædificavit,
perficiendis denique monachorum ædibus largam opem contulit;
Tot acceptorum beneficiorum memores
prior & monachi Centulenses
privatum singulis hebdomadis sacrum
cum annua post exitum solenni memoria
XIII cal. Decembres anni M DCLXXXVIII
statuere.

A Mortuus est munificentissimus abbas, comes consistorianus ab anno 1672, die 20 Maii anno 1695 Parisiis, ubi sepultus est.

LXIII. Daniel *de Cosnac*, archiepiscopus Aquensis, designatus commendatarius 8 Septembris 1695, obiit 18 Januarii 1708.

LXIV. Leo *Molé* Ludovici præsulis infulati in Parlamento Parisiensi & Mariæ-Ludovicæ *Betault de Chemault* filius, clericus Parisiensis, annos natus 22, Danieli successit, a rege nominatus in die sancto Paschæ 1708. Bullis nondum obtentis, vi regii diplomatis, & magni consilii decreti, possessionem iniit 16 Novembris anni B ejusdem. Obiit 24 Julii 1716, & sepultus est Parisiis in ecclesia monialium dictarum *de l'Ave Maria.*

LXV. Carolus-Franciscus *de Chateauneuf de Rochebonne* episcopus Noviomensis, a rege nominatus mense Novembri 1717, obiit archiepiscopus Lugdunensis anno 1740.

LXVI. *de Sanzay* vicarius generalis episcopi Carnotensis, commendam obtinuit a rege nominatus 24 Aprilis 1745.

CORBEIA.

Corbie.

C NOmen accepit Corbeia a Corbeia, seu Corbeo fluviolo qui eo in loco in Somenam influit, nomenque ibidem amittens, adjuncto monasterio & oppido illud communicat. Sita est ad ripam dextram Somenæ leucis quatuor ab Ambiano. Guntlando viro illustri hanc olim villam dederat rex, ea lege ut post ejus mortem in fiscum rediret. Defuncti Guntlandi occasionem nacta regina Balthildis Chlodovæi II relicta, annuente Chlotario filio, cujus adolescentuli regis sceptra moderabatur, hunc condendo cœnobio locum elegit anno 657, quod multis villis ac prædiis dotavit, partim ex ipso Guntlando, partim ex Frodino quodam & ex fisco acceptis. Completa anno D 662 monasterii fabrica, monachos e Luxovio accersivit. Tres ab initio pro temporum illorum more in asceterio Corbeiensi erectæ sunt basilicæ. Præcipua SS. Petro & Paulo dedicata V calendas Augusti anno Chlotarii regis VII, jam, quod & alibi passim, solo fere sancti Petri nomine censetur: aliæ duæ sancto Johanni evangelistæ III calendas Februarii, & sancto Stephano protomartyri XIII calendas Augusti nuncupatæ sunt.

Charta I. col. 281.

Monasterium sic institutum bonis & privilegiis cumulare certarunt pontifices, principes & nobiles. Bertefridus Ambianorum præsul, in cujus diœcesi situm est Corbeiense monasterium, E eidem immunitatis ac libertatis privilegium indulsit anno Chlotarii regis VII, quod multi Gallicanæ ecclesiæ præsules proprii nominis ac syngraphi auctoritate munierunt. Idipsum patres concilii Parisiensis anno 846 confirmarunt. Accessit Romanorum pontificum auctoritas, Benedicti III an. 856, Nicolai I 860, Christophori sexennio post, Leonis IX 1050, Alexandri II 1065, Urbani II 1096, Paschalis II 1106, Innocentii II 1135, Eugenii III 1147, Adriani IV 1157, omnium maxime Alexandri III anno 1160 & sequentibus: ceteros omitto. Sed ne

quid ad monasterii splendorem desideraretur, abbatibus ornamenta pontificalia concesserunt Leo IX, Innocentius III & Gregorius IX; tonsuram & minores ordines subditis suis conferendi licentiam idem Gregorius, Innocentius III & Honorius III; excommunicationis & interdicti sententiam in eosdem ferendi facultatem Alexander III, qui jus idem in Corbeienses episcopis ademit anno 1172. Hanc utramque Alexandri papæ sanctionem confirmaverunt Clemens III anno 1188, Cœlestinus III anno 1194, Innocentius III anno 1216, & alii. Denique Alexander III anno 1170 controversiam de Corbeiensium parochianorum ad Henricum Remensem archiepiscopum provocatione, aliasque ad apostolicam sedem remittendas definivit. Inde est quod ad Corbeiensem officialem causæ omnes & judicia in ecclesiasticos viros, non solum infra urbis pomœrium, sed in aliis quoque locis ad monasterium spectantibus deferuntur.

Non minor fuit regum in Corbeienses monachos liberalitas. Nam præter ea quæ in Chlotarii III diplomate recensentur, ab eo seu Balthilde parente concessa, idem Chlotarius ejusque successores non modo liberum in omnes Francici regni provincias commeatum missis Corbeiensibus permiserunt, verum etiam nonnulla a fisco munera prædiaque cum maximis honorum titulis adjecere, in primis vero comitatus dignitatem, obsequia nobilium clientum, feudatarios vocant, jus percutiendæ monetæ, monasterii urbisque officialium ac judicum institutionem, denique omnia jurisdictionis in subditos insignia.

Proceres quoque beneficos se erga illud insigne asceterium præbuerunt. Inter cetera notatu digna, Corbeiæ visuntur adhuc sacculi plures elegantissimi, variisque symbolis seu gentilitiis scutis muniti, quos seculo XI & insequenti nobiles Franci loca sancta adeuntes, peregrinationis veluti tesseram gestabant, in quibus etiam Sanctorum reliquias a Palæstinis Græcisve ingenti sæpe pretio comparatas solebant recondere, quæ omnia reversi in patriam, ut ne debito cultu fraudarentur, in sacrario Corbeiensi deposuere.

Tot tantisque adminiculis toto orbe celeberrima Corbeiæ evasit schola, quæ non domesticis tantum, sed etiam externis ac longe dissitis viros undequaque doctissimos aluit. Neque solum in scribendis duntaxat libris viguere monachorum studia, in describendis etiam enituere, uti fidem faciunt innumeri præstantissimæ notæ codices manu exarati, qui a conditi cœnobii primordiis complures ascetas utilissime exercuerunt. His constabat amplissima ditissimaque bibliotheca, cujus lacinias sane perinsignes præter alios tenent Parisienses sancti Germani ascetæ, a quibus sæpe uberes fructus in reipublicæ commoda derivantur.

Sed quum nihil sit hic in terris ab omni parte beatum, sua quoque inter tot secula passum est infortunia celebre monasterium. Illud anno 859 variis cladibus attrivere Normanni. Ludovico III & Karlomanno una regnantibus, sub annum 880, Corbeiam ter invaserunt Isambardus & Wermondus Germonis Danorum ducis socii, monasterium compilarunt ædesque flammis addixere. Ineunte seculo X Paganorum ferro, prædæ atque incendiis iterum patuit Corbeiensis ager. Cedentibus aliis venerunt Lotharii regni prædones Eminon & Godardus, qui fugatis monachis, villas omnes & monasterii prædia invaserunt, & arrogato sibi Corbeiensium comitum titulo, nihil intactum reliquere. Anno 1137 flamma totam urbem & monasterii ædes præcipuas in cineres redegit. Quinquennio vixdum elapso, combusta adhuc fuit abbatia Corbeiensis cum urbis parte longe maxima. Anno 1182 Corbeiæ burgenses, de consensu & liberalitate abbatis, communiam erigi a Philippo rege obtinuerunt, qua semel muniti mirum est quam rebelles in abbatem, quamque impetiginosi ac effrænes evaserint. Anno 1475 mense Maio Ludovici XI regis præsidiarii milites, quos abbas & monachi Corbeienses insignis erga regem & patriam fidei amorisque exemplo, devocaverant in urbem ut Burgundionum ducum, quibus parere jussi fuerant vel inviti, jugum excuterent, faces variis in locis subjecerunt, quæ præcipuam urbis partem cremavere. Anno 1636 Corbeia cessit in Hispanorum potestatem, sed paulo post a Christianissimo rege recuperata. In his expugnationibus plurima monasterio accesserunt incommoda, quæ recensere longum esset. Tandem anno 1670 & sequentibus Corbeiensis urbis aggeres, valla, præsidia, munitiones propugnaculaque dissipata sunt & complanata, disjectæ portæ, muri a fundamentis evulsi, excisi pontes, fossæ completæ, omnia demum interjectis spatiis solo æquata. Tot tantisque calamitatibus allatum subinde qua licuit remedium est a præstantissimis abbatibus, & monachis, qui in resarciendis hisce damnis studia omnia impigre contulere. Postremi omnium res omnes restituere aggressi sunt reformati congregationis S. Mauri, qui anno 1618 Corbeiam subierunt observantiæ regularis vigorem postliminio revocaturi.

ABBATES.

I. THEODEFRIDUS a Balthilde regina e Luxovio accitus, novello monachorum gregi præfectus est anno 657. Duo a Chlotario III rege diplomata obtinuit, quorum altero villas Corbeiam aliasque pagorum, tum Ambianensis, tum Atrebatensis, altero immunitates ab omnibus teloneis rex concessit 23 Decembris anno V Chlotarii. Immunitatis quoque privilegium a Bertefrido Ambianensi episcopo impetravit anno 663. Fit ipse postea episcopus Ambianensis, ut diximus, regnante Theoderico. In veterrimo calendario Sanctorum, in codice Corbeiensi, notatur: *VII idus Octobris Corbeia monasterio depositio Theodefridi abbatis.* Charta I. col. 281.

II. Chrodegarius a Theodefrido facto episcopo, volente Theoderico rege, ad regendos Corbeienses constitutus circa annum 670, subscripsisse creditur hoc anno chartæ Chrotildis matronæ de conditione monasterii beatæ Mariæ apud Brogarias. Obiit circa annum 687. Charta II. col. 281.

III. Erembertus a monachis, qui facultatem

a rege acceperant, cum voluntate Theodefridi episcopi, electus abbas, a rege confirmatus est. Huic antiquiora tribuuntur statuta.

Ibidem.

IV. Sebastianus I a Chilperico rege obtinuit confirmationem donationis a Chlodechario rege patruo suo & Baldechilde regina factæ III cal. Maii anno Chilperici I, Christi 716. Obiisse legitur anno 723 in veteri chronico.

V. Grimo cum Sigoberto sancti Dionysii Parisiensis monacho, a Carolo Francorum principe, cujus fuisse creditur archicapellanus, ad Gregorium III missus est anno 741.

VI. Leutcharius, seu Leodegarius, circa 755 a Pipino rege diploma obtinuit, quo monasterii possessiones omnes asseruntur. Conventui Attiniacensi adstitit anno 765. Memoratur in necrologiis VI idus Novembris.

VII. Hado, seu Addo, a Carolo rege donatus est XVII calend. Aprilis 769 præcepto quo superiorum regum donationes ratæ habentur. Obiit IV calendas Decembris, ex vetusto necrologio.

VIII. Mordrannus Thanense prædium monasterio contulisse fertur, & Adalhardum monasticis vestibus induisse, quem Casino reversum sibi successorem elegit, defunctus XIII calendas Junii. Eo sedente, ut creditur, Desiderius Langobardorum rex ad Corbeiam relegatus fuit.

IX. S. Adalhardus I regis Caroli patruelis, Bernardo quippe Caroli Tuditis filio progenitus, Alcuini discipulus, annum agens 20 ad Corbeiam venit, ubi post annuam probationem ad professionem admissus est. Hortulanum primo quasi ex jussu regio egit: tum ignotus latere cupiens, Montem-Casinum petiit, unde ab anachoreta vulgatus, fugam meditabatur, quum continuo præoccupatus nunciis a Carolo forte missis, in patriam reductus fuit. Non multo post ejus reditum, sive rege agente, sive monachorum consilio, consentientis Mordranni in locum suffectus est sub annum 781. Deinde Pipino juniori a Carolo patre Italiæ regi constituto moderator ac consiliorum adjutor est datus Adalhardus, quo in munere præclarissime se gessit. Sub finem anni 809 a Carolo rege, cujus inter primarios erat consiliarios, ad Leonem papam missus est, a quo ea benevolentia & humanitate, qua nullus unquam Francorum, exceptus est. Italia reversus anno 814, Corbeiam se recepit, quo anno synodo Noviomensi adfuit, & præceptum obtinuit a Ludovico IV calendas Febr. imperii VIII. Paulo post Ludovico Augusto suspectus, in Heri insulam, ejusdem regis jussu, relegatus est, & Corbeiensis abbatiæ regimine exutus, quod Adalhardus junior ejus discipulus, eo absente, suscepit, & ad septennium tenuit. In Herense monasterium acceptus, omnium monachorum sibi conciliavit amorem, historiæque Corbeiensis tripartitæ codicem describi curavit. Anno 821 a Ludovico Augusto, comperta ejus innocentia, ab exilio revocatus, & Corbeiæ suæ regimen denuo resumere coactus est. Insequenti monasterii sui statum in melius componere cogitavit; de qua re vulgatus est breviculus in tomo IV Spicilegii, in duos distinctus libellos, ex quo patet 350 tunc monachos apud Corbeiam degisse. Vocatus ab imperatore Adalhardus ad concilium Attiniacense anno 822, in gratiam regis & honorem gradus rediit, ita ut in ore omnium esset, & tanquam pater ab omnibus coleretur. Circa id tempus scribit librum de ordine palatii. Eodem anno conceptum jam a septennio de fundanda nova Corbeia consilium ad effectum perduxit, in Saxoniam cum Wala fratre profectus, ubi constructum jam cœnobium ex *Hetha* ad *Huxeri* in diœcesi Patherbrunensi transtulit. Anno sequenti e Saxonia reversus, regimen abdicare voluit, quod nequaquam passi sunt monachi. Eodem anno iterum in Saxoniam profectus est ad informandam novam Corbeiam, cujus etiam rector & abbas erat. In reditu Ingelheimii imperatorem adiit, a quo pro nova Corbeia duplex obtinuit præceptum. Post hæc conventui apud Compendium habito calendis Novembris 823 interfuit, ubi de dispensatione rerum ecclesiasticarum colloquium cum Agobardo habuit. Præceptum a Ludovico & Lothario imperatoribus obtinuit anno Ludovici XII, & Lotharii IV. Anno 826 ineunte ecclesiæ sacramentis munitus Adalhardus fere octogenarius spiritum Deo reddidit IV nonas Januarii, & sepultus est ab Hildemanno episcopo Bellovacensi in basilica sancti Petri sub fastigio, id est turri, ante gradum cancelli inferioris qui presbyterium a choro separabat, cum hoc epitaphio:

Hic jacet eximius meritis venerabilis abba
Noster Adalhardus, dignus honore senex,
Regia progenies, paradisi jure colonus,
Vir caritate probus, moribus atque fide;
Quem dum sub tumulo recolis tu quisque viator,
Cerne quid es, quid eris, mors quia cuncta rapit;
Nam post octavas Domini hic carne solutus,
Succedente die astra petivit ovans.

Adalhardi vitam scripsit Paschasius Radbertus ejus discipulus, qui Jeremiam eum vocat ob lacrymarum donum, Antonium ob virtutum aliorum æmulationem, Aurelium Augustinum, tum quod vivente antecessore abbas electus fuisset, tum ob doctrinam & eloquentiam, quo in genere ejus epistolas laudat quæ exciderunt. Trium linguarum peritiam habebat, Romanæ vulgaris, Teutonicæ & Latinæ. Ex ejus scriptis supersunt statuta pro monasterio & breve admonitionum fratribus factarum, necnon fragmentum libri de ordine palatii apud Hincmarum. Post Paschasium Adalhardi vita scripta est seculo XI a Gerardo Corbeiæ monacho, post abbate & conditore Silvæ-majoris in pago Burdegalensi, qui & libros de miraculis ejus duos adjecit, in quibus de ejus elevatione & cultu actum est.

X. Adalhardus II junior, senioris discipulus, Corbeiæ præfuit eo tempore quo senior Adalhardus exilium subiit, ab anno videlicet 814. Inter ea vero quæ junioris Adalhardi præfecturam illustrarunt, notanda inprimis Wallæ comitis ad Corbeienses transitus, & exstruendæ novæ apud Saxones Corbeiæ consilium, cujus primordia tum

Walæ tum Adalhardo juniori debentur. Reverso Adalhardo seniori junior depositum munus gratanter tradidit in manus, & reliquos dies privatus exegit. Obitus ejus idibus Julii consignatur.

XI. Wala Adalhardi senioris ex patre frater natu minor, ex matre Saxonicus genere, adolescens Carolo Augusto suspectus inter infimos redactus est. Reversus in gratiam, secundus a Cæsare habetur, & unam e filiabus Willelmi ducis conjugem ducit, Helimburgam, seu potius Gerbergam. Testamento Caroli subscripsit anno 811. Insequenti in Italiam cum Bernardo Pipini filio missus est adversus Saracenos. Biennio post Ludovico Aquisgranum contendenti obviam venit. Adalhardo in exilium misso, regi ipse quoque suspectus, Corbeiam secessit, ubi post annuam probationem hospitio præfectus est. In Saxoniam condendæ novæ Corbeiæ ipse Saxonicus Wala primus auctor, cum Adalhardo fratre profectus anno 822, a popularibus suis summo ambitu acceptus est. Monasterio apud *Huxeri* collocato omnibusque rite constitutis, in Franciam cum fratre reversus, a Ludovico cum Lothario filio in Italiam missus est, unde libros antiphonarios in Franciam attulit. Lotharium post coronationem suam ad patrem venientem mense Junio 823 comitatus est, deinceps in Francia cum Adalhardo fratre commoraturus, cui ineunte anno 826 defuncto successit. Generali apud Aquisgranum placito adfuit anno 829, in quo parvam edidit schedulam, ubi universa regni vitia depinxit. Post hæc Wala lienteriæ morbo correptus ad monasterium suum se recepit. Post conventum Noviomagensem anno 830, in quo ad Corbeiam redire jussus est, ibique regulariter observari, longa & dura subiit exilia. Primo enim ad Lemanum lacum relegatus est a Ludovico Augusto, qui Paschasium cum invisum eo direxit, inde transportatus ad Herum insulam, tum in Germaniam, unde reducitur ad Corbeiam, sed privatus dignitate, anno 832. Insequenti pro reconciliatione Ludovici cum filiis in Alsatiam ad papam ire cogitur. Anno eodem sua consilia nihili pendi animadvertens, Italiam petiit in Bobiense sancti Columbani cœnobium, cujus a fratribus electus est abbas. Missus est anno 836 a Lothario ad Ludovicum tunc in Theodonis villam morantem, quicum antequam dimitteretur reconciliatus est. Paulo post febre correptus obiit pridie idus Septembris, & sepultus est ad latus basilicæ Bobiensis. Res ab eo gestas duobus libris prosecutus est Paschasius Radbertus, quos epitaphii titulo inscripsit, in quibus Walam Arsenium appellat.

XII. Heddo in vulgatis indicibus translationi sanctæ Balthildis in monasterio Calensi factæ anno 833 interfuisse legitur; qui, si non fallunt indices, vivente adhuc Wala electus est abbas: & certe Wala Fulda Corbeiam revocatus, privatam hic vitam duxit ab anno 833. Heddonis obitum consignant veteres schedæ VIII calendas Julii, non quidem anno 836, quem præferunt indices, sed anno 837, ut vult Mabillonius.

XIII. Isaac ad annum 843 pervenisse dicitur, & in administrando cœnobio Paschasii Radberti potissimum opera usus fuisse. Præerat quum anno 842 Carolus calvus rex anno III Ambiano Corbeiam veniens orationis ergo, pontem Durdis fratribus perutilem monasterio addixit, ut testatur ejus diploma hanc in rem concessum. Obiit Isaac V idus Septembris.

XIV. Paschasius Radbertus apud Suessiones ignotis ortus parentibus, matre orbatus infans in vitæ periculum incidit, quapropter in basilicam beatæ Mariæ delatus, ibidem sanitatem divinitus recuperavit. Dein sanctimonialium providentiæ commissus, ibi clericali corona insignitus fuit. Postmodum in seculum egressus, coronam suam mundanis actibus deturpavit. Demum secularis vitæ tædio pressus, secessit in Corbeiense monasterium, Adalhardo abbate, ubi literas tanta sagacitate excoluit & industria, ut ipse postea sodalibus suis præceptor approbatus sit. Adalhardum & Walam fratres in Saxoniam pergentes anno 822 novæ Corbeiæ condendæ gratia comitatus est. Adalhardi mortui anno 826 res gestas funebri oratione prosecutus est. A Ludovico Augusto ad Walam abbatem apud Lemanum lacum exulantem anno 830 missus est ob ecclesiasticarum & monasticarum rerum dispensationem, eumque persuasurus ut in aliquo se excessisse fateretur. Circa id tempus librum de corpore & sanguine Domini scribere aggressus est, quod recognitum habes tom. IX Amplissimæ collectionis Martenii, col. 273 & seq. cum libris tribus de fide, spe & caritate, quos anno 843 composuisse videtur. Walæ defuncti anno 836 res gestas oratorio stylo duobus libris exsecutus est, quos epitaphii titulo inscripsit. Horum primum scripsit superstite Ludovico Augusto, alterum post abdicatum regimen, quod provectæ jam ætatis, auspicatus est anno 844, abbas XIII a Theodefrido, omisso sane Adalhardo juniore, & quartus ab Adalhardo. Præfecturæ ejus initio exorta est controversia de modo quo Christus ex utero matris egressus est; Paschasius adversarium expertus est Ratramnum & ipsum Corbeiæ monachum. Anno 845 librum suum de corpore & sanguine Domini, a se recognitum & auctum, Carolo regi dono misit. Privilegium amplissimum obtinuit a patribus synodi Parisiensis an. 847. Synodo Carisiacensi adstitit an. 849. Paulo post ortis inter monachos turbis cedere coactus Paschasius, in Centulense cœnobium ad tempus se recepit, si forte seditiosi illi quiescerent. Verum quum forte res turbare pergerent, præfectura sponte decessit alumnis ejus invitis anno 851. Mox ad intermissa sacrarum literarum studia reditum fecit, ita ut operum ejus saltem media pars ab eo tempore composita sit. Obiit circa annum 865 VI calendas Maii, sepultusque est in ecclesia S. Johannis evangelistæ, medio loco ante introitum presbyterii, ubi hactenus cœnotaphium ejus cum statua tumulo imposita visitur, reliquiis ejus in majorem sancti Petri basilicam illatis seculo XI, quo tempore Sanctorum albo adscriptus est. Libellum de vita ejus edidit anonymus, licet imminente obitu ne

quid de eo scriberetur interdixisset, magnum sane modestiæ & humilitatis exemplum, quas ipse duobus aliis argumentis posteris testatas reliquit, nempe quod & nunquam ad sacerdotium se promoveri sustinuerit, & in scriptis suis se passim monachorum omnium peripsema & levitarum ultimum dicat. Viventem quoque Paschasium carmine celebravit Engelmodus episcopus Suessionensis. Paschasii opera omnia uno volumine comprehendit Jacobus Sirmondus, exceptis libris duobus de Walæ epitaphio a Mabillonio editis, & epistolis quæ fere omnes exciderunt. Mabillonius quoque anonymi de ejus vita libellum edidit in appendice ad tomum posteriorem seculi IV Benedictini, in quo ejusdem elogium ex ejus scriptis contexuit. Paschasii tempore reclusum in monasterio Corbeiensi Carolum Pipini junioris regis Aquitaniæ filium legimus in chronico Fontanellensi, cogente Carolo calvo, qui eum illuc relegaverat de Carnotensi urbe, ubi eo faciente, in plena synodo fuerat tonsus.

XV. Odo antequam monachus, conjugatus fuerat, & bello strenuus; seculo autem valedicens, fit discipulus Paschasii, cui e monasticæ vitæ tyrocinio vix egressus, successit anno 851. Synodo Suessionensi x calendas Maii 853 adstitit. Biennio post amplissimum a Benedicto papa III obtinuit privilegium anno 855. Literis synodi Bonogilensis pro sancto Carilefo subscripsit anno eodem. Huic Carolus, anno regni 18 XIV calendas Octobris 857, dedit villam Varliacum in pago Suessionico. Corbeiæ adhuc præfuisse videtur quum a Normannis devastatum est monasterium anno 859: certe Corbeienses hoc tempore contra Normannos non semel decertasse patet ex epistola Lupi abbatis ad Odonem Corbeiensem, qua eum a talibus expeditionibus dehortatur. Factus est anno sequenti episcopus Bellovacensis Odo, ut diximus supra.

Spicileg. tom. VI. pagin. 397.

XVI. Angilbertus, seu Engilbertus, in vetustis ac novis indicibus Odoni suffectus, brevi rexit intervallo.

XVII. Trasulfus a Carolo rege missus est anno 862 ad Rothadum Suessionensem episcopum, ut eum a Romano itinere deterreret. Insequenti confirmationem privilegii Corbeiensis a Nicolao papa obtinuit per missaticum Odonis Bellovacensis episcopi. Trasulfo abbate, Carolomannus diaconus Caroli regis filius in Corbeiense monasterium retrusus est. Eidem & fratribus scripsit Hincmarus, Frodoardo auctore, pro monacho qui a monasterio abscesserat, uno forte e duobus quorum auxilio Carolomannus e monasterio ad Ludovicum Germaniæ regem confugit an. 873. Trasulfi obitus notatur x calendas Januarii in veteri codice, die vero 23 Novembris anni 873 aut 875 a chronographo Corbeiensi, qui ad annum 874 Hustiensem memorat ecclesiam in Belgio ab Odone episcopo Bellovacensi conditam in fundo quem Conradus comes paulo ante Corbeientibus donaverat aut restituerat. Hanc autem parochiam velut abbatiali jure exstruxit Odo, unde forte Carolus calvus in diplomate an. 877: *Nos statuendo deliberamus ut si aliquis ex eodem monasterio, aut abbas, aut quilibet monachorum ex inferiori gradu, ad culmen episcopale conscenderit, nullam denuo inibi quasi potestative licentiam habeat aliquid ordinandi aut disponendi, ne præfati cœnobii privilegia in aliquo titubare videantur.*

Lib. III. cap. 24.

XVIII. Hildebertus memoratur hoc ordine x calendas Martias in veterrimo indice.

XIX. Guntharius subscripsit privilegio monasterii Carilocensis anno 876. Insequenti Carolus calvus, ad preces monachorum, quibus præerat Guntharius, Corbeiæ privilegia confirmavit. Eidem abbati scripsit Hincmarus archiepiscopus de quodam monacho quem abbas de monasterio recedere siverat, ut eum in ordinem cogeret, & ad normam sacræ regulæ corriperet. Obiit III idus Julii. Hujus forte post obitum scripsit Hincmarus Fulcranno præposito & monachis Corbeiensibus de electione abbatis eis a rege concessa, literis regiis super re eadem, & adventu ipsius Hincmari ad eos.

Spicileg. tom. VI. pagin. 408.

Flodoard. lib. III. capit. 24.

Ibid.

XX. Angilbertus, idem sane qui supra, anno 880, aut sequenti, codicem sancti Augustini de Doctrina Christiana, suo scriptum jussu, Ludovico regi Carolomanni fratri dono obtulit, ac proinde hic ordine suo merito reponitur. Obiit nonis Februarii.

Analect. Mabill tom. II. pag. 657.

XXI. Heilo ex majore æditiuo electus abbas, novem tantum mensibus rexit, mortuus XVI calendas Septembris. Hiccine est de quo legitur apud Flodoardum, lib. IV Hist. Remensis cap. 7: *Fratres Corbeiacensis cœnobii literis suæ visitans admonitionis, redarguit* (Fulco archiepiscopus Remensis) *& vehementer increpat super abjectione sui abbatis, quem gravi correptum infirmitate crudeli abdicaverant temeritate, nec eum ad ipsos venientem, saltem ut peregrinum susceperant, aut ei ullam humanitatem impenderant; sed eum de communi habitatione perturbantes, in vilissimo extra claustra monasterii loco retruserant, & communi statuto firmaverant ut ad eumdem visitandum vel consolandum venire nullus auderet, sed neque moriens communi sepultura dignus haberetur. Unde admirans talem sensibus eorum obrepere potuisse improbitatem, & apostolicas atque regulares super obedientia præpositis exhibenda proponens præceptiones, ostendit non eis licuisse abbatem regulariter electum & archiepiscopi ordinatione rationabiliter institutum, ita contra fas omne deshonorare, & divina humanaque in eo jura vel instituta convellere atque confundere, quum non sit in eorum arbitrio vel potestate quum voluerint abbatem deponere, & alium ad libidinem suæ voluntatis instituere. Proponit etiam maledictionem Cham, qui pudenda patris irrisit, & ejusdem complices eos ostendit esse maledictionis: ac proinde interposito ordinis ipsorum periculo, monet auctoritate & ministerio sibi a Deo injuncto præcipiens, ut ab hac pertinacia resipiscant, eumdemque sui loci patrem, sicut abbatem honorent ac diligant, donec si convaluerit & ipse tale onus ferre non potuerit, ipse ad regem excusaturus accedat ut ejus præceptione & archiepiscopali auctoritate ipsius in loco alius substituatur abbas.*

XXII. Franco Hermenfridi Ambianorum comitis germanus, ejusdem precibus S. Gentiani martyris corpus ab Otgero Ambianensi episcopo impetravit

Spicileg. tom. VI. pagin. 411 & 415.

impetravit Odone rege, & privilegiorum confirmationem a Carolo simplice anno 902. Idem a Christophoro papa anno 904 obtinuit. Corbeiæ oppidum muris cinxit, duo molendina super fluvium Corbeiæ construxit, & tria placita quotannis fieri jussit, in quibus homines ligii ejus monasterii per tres dies, in Natali Domini, Paschate clauso & Pentecoste, clientelam abbati exhibere deberent sub multa decem solidorum. E vita excessit IX calendas Martii 911.

XXIII. Herradus, aliis Evrardus, constitutionem de conficienda moneta, cujus rei potestas penes abbatem erat, fecisse traditur in chronico. Obiit post tres circiter annos præfecturæ IX cal. Martii.

XXIV. Bodo, quo sedente magnopere afflictum est Corbeiæ monasterium, tum ob intestinam discordiam quæ inter Carolum regem & Herbertum Veromanduorum comitem exarsit, tum ob Normannorum in pagos Ambianensem & Atrebatensem incursationes quæ subsequentibus annis factæ sunt. Molendinum exstruxit in villa Vallis, & obiit VI calendas Aprilis 921.

XXV. Walbertus Bodonis successor, ad Noviomenses insulas assumtus est anno 932.

XXVI. Berengarius retinuit reliquias sancti Præcordii confessoris, quas ex Valliaco pagi Suessionensis oppidulo sublatas Thiardus loci presbyter referebat. Sequenti locum fecit III idus Septembris 945.

XXVII. Heriboldus difficillimis rexit temporibus: eo enim abbate destructa est Corbeiensis ecclesia occasione Radulfi comitis Cameracensis, qui Ludovici regis ex sorore nepos erat, & Veromanduensem comitatum invaserat; totaque monasterii terra vastata. Obiit Heriboldus XVIII calendas Decembris.

Chart. XIII. col. 18.

XXVIII. Ratoldus synodo ad Montem S. Mariæ adstitit anno 972. Ipsius jussu scriptus est sacramentorum codex a Menardo nostro laudatus. Dissipata a Lotharienibus bona pro modulo recolligere conatus est. Domus-Petri villam in pago Lexoviensi, quam Normanni occupaverant, a Richardo Normannorum duce recuperavit. Erga Vincentianos Lauduni monachos beneficum se exhibuit. Devixit idibus Martii 986, qua die anniversarium ejus solenne institutum est.

XXIX. Maingaudus nobilissimo genere illustris, Compendii ordinatus est anno 987, in frequenti procerum consessu, ab Adalberone Remorum archiepiscopo, Hugone rege presente, qui omnia monasterii bona & jura tunc confirmavit. Obtinuit anno eodem a Waltero Ambianorum comite villam Otmaricurtis ad comparanda luminaria & incensum ad obsequium reliquiarum. Religiosa conversatione & sanctimonia insignis fuisse dicitur, & monasterium suum, tempore superiorum abbatum pene collapsum, instaurasse. Roberti tamen regis animum tulit adversum, qui etiam Richardum Vitonensem abbatem substituere ei tentavit, sed non potuit, resistente abbate, qui in regno prævalidus erat, ut pote summus in honore, nec inferior in genere. Cataractam molendini Chevrigniaci, quam ante annos 40 Ratoldus decessor sancto Vincentio Laudunensi donaverat, Lamberto abbati confirmavit Maingaudus, qui obiit pridie idus Novembris anno 1013.

Chart. III. col. 182.

Prob. domus Coc p 318.

XXX. Herbertus de Emfredo Incræ domino, milite, & advocato monasterii querelam ad Robertum regem detulit, quod advocationis suæ jura ultra modum protenderet, quæ rex definiit anno regni XX, indict. XIV, Christi 1016.

XXXI. Richardus tempore pestis quæ cum fame Gallias, & maxime Ambianensium & Corbeiensium fines depopulabatur, medio inter utrosque indixit processionem itinere, in qua Sanctorum utrimque deferrentur reliquiæ, quo tempore tot miracula per Sanctos Corbeienses facta perhibentur, ut Corbeia altera Roma vocaretur. Pesti successit basilicæ majoris incendium, quæ dum reficitur, ad proximam sancti Johannis ecclesiam monachi se recipere compulsi sunt. Interea elevatum anno 1036 corpus S. Adalardi abbatis a Drogone episc. Tarvanensi, præcipiente Fulcone Ambian. Annum Mabillonio ignotum docuit nos inscriptio inventa in capsa ejusdem Sancti 3 Sept. 1710: *Anno ab Incarn. Domini nostri Jesu-Christi M. XXXVI apud antiquam Corbeiam elevatio corporis hujus sancti Adalhardi confessoris, atque abbatis istius loci, ab episcopo Tarvanensi Drogone, precipiente Ambianensi præsule Fulcone, Richardo ipsius loci divæ memoriæ abbate, annum quoque VIIII.um rege Francorum Henrico in sceptris agente.* Hunc regem cum Odone fratre Corbeiæ excepit Richardus anno 1041, eoque præsente Increnfis domini fregit audaciam, de quo instrumentum fecit mense Februario. Circa id tempus Fulco Ambianensis episcopus Richardo altare villæ Cirisiaci concessit, eo pacto ut personam episcopo præsentarent monachi. Mortuus est XIII calendas Aprilis 1048, ex veteri abbatum indice, in quo abbas tricesimus recensetur, omisso nimirum, seu extra ordinem posito Angilberto.

XXXII. Fulco I, adhuc diaconus in locum Richardi suffectus anno 1048, societatem renovavit cum Alberto Hammaburgensi archiepiscopo, a quo reliquias sancti Anscharii ex monacho Corbeiensi ecclesiæ Hammaburgensis fundatoris & primi archiepiscopi accepit. Concilio Remensi a Leone IX anno 1049 in ecclesia S. Remigii habito adstitit. Pontificem e Gallia Romam redeuntem anno 1050 paulo post subsecutus est cum Gerardo monacho postmodum Silvæ-majoris abbate, ut monasterii sui privilegia adversus Fulconem Ambianorum episcopum tueretur. Illo in itinere inter Romanos & Apuliones in latrones incurrit, a quibus spoliatus est. Leonem quoque in Apuliam euntem secutus, sacerdotio ab eodem initiatus est. Inde Fulco retulit confirmationem privilegiorum suorum bulla data XIV calendas Maii, Leonis anno secundo, necnon dalmaticæ & sandaliorum usum anno 1050. Reversus Fulco ecclesiæ olim destructæ curam Gerardo commisit, qui eam brevi divinis mysteriis peragendis aptavit. Walteri monasterii advocati injurias renovatas Balduini Flandriæ comitis auctoritate

repressit anno 1056. Biennio post translatum iv idus Julii 1058 corpus S. Ratberti Paschasii, auctore Widone præsule Ambianensi, procuratore & ministro Fulcone abbate. Immunitatem monasterii sui strenue propugnavit adversus Fulconem & Widonem episcopos Ambianenses. Impetita primum fuerat a Fulcone episcopo instinctu Widonis tunc archidiaconi; sed episcopus Fulco cœptis cito destitit auctoritate Leonis papæ, qui in synodo Remensi Fulconis iniquam molitionem compescuit. Fulconis successor Wido quod per decessorem suum efficere non potuerat, Corbeiæ monasterium sibi subjugare modis omnibus tentavit. Ideo Fulconem abbatem ad synodum ad tertium nonas Julii venire mandat: ne mandato pareat modeste excusat abbas, nec mora a Widone anathemati subjicitur. Tum supplicem libellum Alexandro papæ submittit Fulco, qui literas ad Widonem Ambianorum episcopum & Gervasium Remorum archipræsulem dedit. Tandem episcopus concordiam cum abbate iniit anno 1064, ea lege ut villa *Nawrs* cum appendicibus suis sibi ad vitam concederetur. Biennio post Fulconis ad preces altare Cirisiaci Corbeiensibus ad indulgentiam suæ transgressionis concessit. Fulco autem subscripsit fundationi Eihamensis monasterii anno 1063. Celebri conventui Corbeiæ habito anno 1065 ab Henrico rege adstitit, ubi Hasnoniensis monasterii confirmatæ possessiones. S. Adalhardi corpus in Flandriam deferri curavit anno 1074, ut ejus præsentia flexus comes Robertus ablata S. Petro restitueret, quæ statim restituit. Gerardo monacho sacra Jerosolymorum loca perlustrandi facultatem flagitanti fecit anno 1076. Pactum iniit anno 1079 cum Ingelranno Bovensi comite super vicecomitatu Corbeiensi, quem iste invaserat. Denique rebus strenue & præclare gestis magni cognomen consecutus Fulco, mortuus est nonis Decembris anni 1095, sepultusque in sacello sancti Andreæ. Huic jure tribuitur institutio collegii Caritabilium. Eo moriente Corbeiense monasterium ab avita nobilitate decidit, teste Nevelone in martyrologio:

Chart. vi. col. 286.
Chart. vii. col. 288.
Chart. viii. col. 289.

Ut Corbeia bono caruit Fulcone patrono,
Cœpit destitui nobilitate sui.

XXXIII. Evrardus, qui in synodo Compendiensi anno 1085 literis Philippi regis in gratiam canonicorum Compendiensium subscripserat, in eadem velut baculus arundineus confractus, & lignum fumigans, de soliditate & splendore regiminis Corbeiæ sine spe recuperationis abjectus fuit: Fulconi forte substitutus fuerat in Saxoniam profecto.

Chart. xii. col. 294.

XXXIV. Nicolaus I, ex præposito abbas, ab Urbano II confirmationem bonorum sui monasterii obtinuit dato diplomate Turonis viii calendas Aprilis anno 1096, & annis 1105 & 1107 a Paschali II. Accepit a Lamberto Atrebatensi episcopo altare de Monciaco anno 1109, & altare *de Berchem* ab Odone Cameracensi episcopo anno 1112. Præposituram Walnensem adversus Robertum Flandriæ comitem propugnavit. Leprosis domum exstruxit & reditus assignavit, qui postea hospitali, auctoritate regia, cesserunt. Oratorium sancti Thomæ, quod parochialis modo ecclesia est, condidit, & a Godefrido episcopo dedicari curavit. A fratribus novæ Corbeiæ, qui erant discordes, agens in Lotharingia advocatus, e Lotharingico reversus itinere, dum ire parat, mortem oppetiit pridie nonas Martii anni quem nunc dicimus 1123, sepultusque est ante cereum Paschalem in medio chori.

XXXV. Robertus, ex monacho S. Dionysii Parisiensis, agente Sugerio abbate, Corbeiensibus præfectus est anno 1123, quo tempore Corbeiæ cives communiam (sic vocant) erigere permisit, obtentis a Ludovico rege hanc in rem literis; quod postea rixarum atque jurgiorum ingens seminarium fuit. Concilio Pisano adfuit anno 1134. In reditu dire habitus est a militibus schismaticorum & Conradi pseudo-cæsaris, & cum multis Galliæ, tum episcopis, tum abbatibus, in Ponte tremulo obsidione vallatus. Huic Drogo Corbeiæ castellanus dedit anno 1135 ecclesiam de Guagniaco, & Innocentius II bullam concessit, qua confirmat donatas a Warino Ambianensi episcopo & Theobaldo priore sancti Martini a Campis ecclesias de Vanneio. Biennio post, v idus Martii 1137, regiminis 13, ecclesiam S. Thomæ de Pratis thesaurarii obedientiæ univit. Societatem iniit anno eodem cum Waltero abbate Atrebatensi, & testamento Sugerii abbatis sancti Dionysii subscripsit. Anno adhuc 1137 monasterium ex fortuito vicinæ domus incendio totum conflagravit, quod Robertus Drogonis castellani & Bernardi Moroliensis dynastæ Corbeiensium clientum ope restituit. Milonis episcopi Morinensis ad preces, ecclesiæ sancti Augustini Tervanensis concessit anno 1140 quidquid habebat in parochia *Laxis*. Huic autem altare de *Ransart* donavit Alvisus Atrebatensis episcopus anno 1142, quo ineunte, xi nempe calendas Februarii, regiminis 19, obiit. Recensetur die eadem in antiquo sancti Dionysii necrologio.

XXXVI. Nicolaus II de Morolio Roberto suffectus est anno 1142. Filius erat Bernardi senioris dynastæ de Morolio, quem Corbeiæ, dum portarius esset Nicolaus, a seculi curis abstractum monasterio adjunxit, & defunctum in cœmeterio fratrum sepelivit. Ex præposito autem factus abbas Nicolaus societatem iniit cum Hugone abbate S. Quintini de Monte anno 1143. Amplissimum ab Innocentio II impetravit privilegium, aliudque post annos quinque, scilicet 1147, ab Eugenio II, qui ambo omnes Corbeiensis monasterii possessiones & prærogativas confirmarunt. Eodem anno Nicolaus concordiam fecit cum Serlone abbate S. Luciani Bellovacensis super altari de Maneriis, de quo inter utrumque cœnobium lis erat. Anno præfecturæ Nicolai decimo Corbeiense monasterium magna ex parte incendio conflagravit cum principe ecclesia, claustro & ædibus abbatis, quum vix anni duodecim ab ultimo incendio effluxissent, quæ omnia Nicolaus

abbas instauravit. Primus abbatum Corbeiensium A sigillo usus est quod Corbeiæ fieri curavit. Elevationi corporis sancti Eligii, quam Balduinus Noviomensis episc. anno 1157 auspicatus dicitur, interfuit. (Ch. XXVI. col. 383.) Querelam habuit cum Theoderico Ambianensi episcopo super ecclesia parochiali S. Thomæ in vico Pratorum, quæ probata quadragenaria possessione, abbati adjudicata est ab arbitris a summo pontifice delegatis anno 1157. Obiit Nicolaus IV idus Augusti 1158.

XXXVII. Johannes I de Buzencuria, ex monacho S. Quintini electus abbas Corbeiensis mense Augusto anno 1158, insequenti sanctæ Balthildis reliquias accepit ab Helvide Calensi B abbatissa. Dedit anno 1160 ecclesiæ S. Mariæ *de Buiencort* sextam partem decimæ *de Messiers* sub annuo censu 20 solidorum. Confirmavit anno eodem Eustachio abbati sancti Johannis Ambianensis quidquid Nicolaus abbas Corbeiensis apud Septeinvillam concesserat canonicis Furnensibus. Dedit anno 1161 Desiderio abbati *Caelith, Brunile, Vileirz* & *Verderon* sub annuo censu duarum marcarum. Duas partes decimæ Loënsis parochiæ sub censu octo marcarum Flandrensium cessit an. 1164 Gautero abbati Loënsi. Johanni vero ecclesiam *de Hare* confirmavit Alexander Leodiensis episcopus anno 1165. Biennio post C transegit cum Martino abbate sancti Vedasti. Bullam obtinuit ab Alexandro III anno 1171. Altare sancti Albini, quod ipsi erat proprium, thesaurario dedit anno 1172, ut ante reliquias SS. patronorum jugis arderet cereus. Anniversarium suum instituit V idus Maii 1172, ipso die quo Romanum arripuit iter; nam quum ab Henrico Remorum archiepiscopo vocaretur in jus ob Corbeiensium suorum ad Romanam sedem inconsulto archiepiscopo provocationem, Tusculum ipse profectus est ut causæ suæ partes ageret coram Alexandro III, a quo plura obtinuerat rescripta. (Chart. XL. col. 318.) Maximo ab summo pontifice honore D habitum Nicolaum volunt, ab eodemque etiam renunciatum cardinalem & episcopum Prænestinum, sed quominus dignitatem capesseret, præceps fatum intercessisse V calendas Septembris 1172 apud Tusculum.

XXXVIII. Hugo I de Perona seu de Malovicino, ex alumno Corbeiensi Peronense sancti Quintini de Monte cœnobium diu rexit priusquam anno 1172 ad Corbeiense regimen, præsente Ludovico rege, evocaretur. Ecclesiam S. Johannis a Milone episcopo Tarvanensi consecrari fecit IV nonas Junii 1174. Canonicis *de Clersay* concessit anno eodem locum in quo E manebant, sub annuo censu. Testis occurrit in literis Philippi comitis pro sancto Bertino anno 1176. Everardi advocati de Hiscia hominium excepit anno 1177. Vetera statuta antiquavit proprio sibi invecto sigillo ut omnem rei gerendæ auctoritatem in se converteret. Septem quoque ballivias sibi applicare tentavit, sed frustra, reclamavit enim conventus, cui favit Alexander III. Canonicis sancti Laurentii quædam largitus est anno 1182. A civibus suis communiæ nomine jugum & debita obsequia excutientibus variè divexatus, quum Philippum regem sibi conciliare nulla arte potuisset V calendas Februarii 1183, variis jactatus procellis interiit VII cal. Augusti 1185.

XXXIX. Gotso, al. Joscus, ex priore factus abbas, Philippum Flandriæ comitem, occupato Ambiano, Corbeiam arctissima obsidione cingentem distinuit anno 1185, donec Philippus rex cum copiis liberandæ urbi advolaret. Hinc regi acceptissimus Gotso, pacis inter eum ac comitem reformandæ sequester electus, hac conditione fœdus inter eos percussit, ut Veromanduensis & Ambianensis comitatus Philippo cederent. Hunc rogavit idem rex ut moneta Parisiensis in villa Corbeiensi curreret, pollicitus non impediturum quominus Corbeiensis moneta ibidem curreret literis datis mense Martio 1185. (Ch. XLIV. col. 325.) Obiit Gotso 12 Februarii 1187, regiminis III, postquam eodem anno bullam obtinuisset ab Urbano III, ne quis intra terminos Corbeiensis jurisdictionis altare vel capellam erigeret.

XL. Nicolaus III *de Rouais*, præsente Philippo Flandrorum comite septemque abbatibus, eligitur; sed haud minus monachis suis invisus, ad Clementem pontificem querelas deposuit, contestante Stephano Tornacensi epist. LIV. Multa tamen deinceps ecclesiæ suæ commoda præstitit, obtentis ab apostolica sede variis immunitatibus anno 1188, & parochiali ecclesia sancti Albini in quatuor divisa. Illud in primis notandum quod a Philippo rege primo quidem monasterii jura a civibus communiæ nomine pervasa recenseri, tum in procinctu Jerosolymitanæ profectionis omnino restitui curaverit dato apud Messanam diplomate anno 1190. Quum vero nec sic remollescerent obfirmati ad rebellionem animi, anno 1193 abbatiale munus Gisortii in manibus regis abdicavit. Obitus ejus notatur IV idus Decembris.

XLI. Gerardus ex monacho S. Dionysii Paris. abbas Compendiensis, præficitur mense Sep. anno 1193 Corbeiensibus a Philippo rege, cui eligendi auctoritatem fecerant hac vice monachi, papæque, ob egregios mores, prudentiam & industriam, commendatur a Stephano Tornacensi epist. CCIII. Annum administrationis secundum agebat quum Witechinum Corbeiæ novæ abbatem ad sanctam Mariam *de Rochemador* euntem anno 1194 excepit. (Chart. LV. col. 333.) Eodem acceptis a Cœlestino papa, cui voverat obedientiam, literis, prædiorum invasores anathemate ferit. Insigne reliquiarum vas (sancti Petri Primam dicunt) per Fulconem Nulliaci parochum tunc temporis apostolico zelo celebrem aperit, in eoque plures Sanctorum reperit exuvias. Unum e suis officialem instituit, qui de ecclesiasticis Corbeiensium subditorum causis judicium ferret. Obiit anno 1196 IX cal. Maii.

XLII. Johannes II *de Brustin*, seu *Bustin*, Dionysianus itidem monachus, anno 1196 abbas Corbeiensibus datur postquam monasterii sui prioratum aliquandiu tenuisset. Primus a Cœlestino papa mitræ annulique usum obtinuit, quo tum in præcipuis solennitatibus, tum in synodis & publicis supplicationibus uteretur. Alio etiam diplomate consecutus est ut ne alteri præter

summum pontificem judici delegato causas inferre A cogeretur, nisi pontifex speciali mandato hoc ei nominatim indiceret. Obiit anno 1198 mense Septembri, cujus anniversarium jam anno 1196 instituerat Hugo abbas sancti Dionysii.

XLIII. Fulco II de Folliaco Corbeiæ a teneris enutritus, publicis actis non semel subscripsit etiam puer. Factus abbas querelam habuit cum hominibus suis *de Fescamp*, quam arbiter definivit Rainaldus de Merloto advocatus ejusdem villæ anno 1198. Eodem XV calendas Januarii amplissimam ab Innocentio III bullam obtinuit, & III calendas ejusdem usum annuli & pontificalia sibi suisque successoribus decora accersivit. Ste- B phanum Tornacensem episcopum in Usciam prioratum multa molientem repressit. S. Anscharii Hammaburgensis antistitis brachium insigni theca inclusit. Frumentum hostiis consecrandis a Roberto de Bova toparcha *de Cais* comparatum deputavit, quo tempore canonici qui tradita in capitularibus lege, jam pridem sancti Laurentii de Nemore & sancti Nicolai de Regniaco cellas insederant, desertis propriis sedibus, Lehunense ordinis Cluniacensis monasterium convolarunt. Balduinus comes Flandriæ, quum Roberti decessoris sui sigillum in charta pro nemoribus *de Wouthust*, in gratiam Corbeiensium concessa, C fractum oculis ipse perspexisset, chartam Fulconis precibus innovavit. Jacet ante altare S. Andreæ apostoli.

XLIV. Walterus jam memoratur anno 1200 mensibus Febr. & Martio, hic est forte 1201, quo ecclesiam sancti Johannis dedicari curavit mense Novembri a Lamberto episcopo Tarvanensi. Societatem iniit cum Petro abbate de Morolio pridie cal. Februarii, & pepigit cum Hugone comite S. Pauli mense Mart. Reperitur anno 1202 in veteri charta Lehunensis coenobii. Testis fuit anno 1205 transactionis inter Rogerium abbatem Balanciarum & monasterium D sancti Judoci. Missas & preces annuas instituit pro monachis defunctis anno 1206 mense Aprili hebdomada Paschali. Sententia lata anno eodem ab arbitris a summo pontifice delegatis restitutæ sunt Corbeiensibus ecclesiæ sancti Laurentii de Nemore & sancti Nicolai de Regniaco a Lehunensibus, qui ad ordinem Cluniacensem transierant. Anno 1207 Walterus societatem iniit cum Ferrariensibus. Orta inter ipsum & monachos super statu monasterii discordia, judices a summo pontifice expetiit; sed a Galone cardinali depositus ante annum 1209, Romam ire cogitur adversus Johannem, quem Corbeienses elegerant. E Causa cecidit Walterus anno 1210, & Widocensi præfectura contentus, secessit in Belgium, ubi quietus reliquos exegit dies. Robillardus interea Clariensis prope Peronam oppidi dominus vivificæ crucis fragmentum ingens ditissimæ crucis imagini incrustatum ecclesiæ Corbeiensi contulit.

XLV. Johannes III *de Cornillons* monachus sancti Dionysii & prior Argentolii, amoto a Galone Waltero electus est abbas a Corbeiensibus, quibus præsidebant Gervasius Thenoliensis & Radulfus sancti Johannis Ambianensis abbates a Galone delegati, ut constat ex literis ejusdem Gervasii Johanni ad Innocentium datis post mortem Radulfi defuncti anno 1215. Electus est autem Johannes ante mensem Februarium 1209, quo Gervasius ad Præmonstratense regimen vocatus est. Sic electus Johannes ab Innocentio III amotus est anno 1210 die 16 Martii, sed postea in locum Walteri in sede firmatus anno 1212, quo reperitur abbas mense Augusto. Bullam a summo pontifice Honorio obtinuit idibus Februarii 1216. Querelam habuit cum W. advocato *de Bet* . . . quam arbitri sedarunt anno eodem aut 1211, Petrus S. Martini & Johannes S. Acheoli abbates. Una cum aliis abbatibus scripsit Honorio III & cardinalibus de ablata canonicis S. Johannis Ambianensis parochia sancti Germani. Anno 1220 quum prædiis ac villis ignes a malefactoribus injicerentur, Remensis provinciæ episcopos adiit Johannes, a quibus in sceleratos merito animadversum. Philippum Franciæ regem in acerrimo ad Bovinas prælio Johannes comitatus est cum suis, equoque prolapsum per Bovensem aliosque juris sui nobiles erexit: quæ res regem Johanni suisque Corbeiensibus arctissime conjunxit. Moritur VI id. Sep. 1221.

Hugo Sacræ antiq. monum. tom. I. p. 2.

XLVI. Hugo II abbas electus mense Novembri anno 1221, eodem recognovit se recepisse a monachis sancti Dionysii thesaurum quem Johannes decessor suus apud ipsos custodiendum deposuerat. Cum episcopo Ambianensi de cellis sancti Laurentii in Nemore & sancti Nicolai de Reigniaco, aliisque ecclesiis, transegit an. 1223. Controversiam inter parochos villæ & curatum sancti Leonardi arbiter terminavit mense Maio 1224. Eodem præposituram ab Hugone de Husseio comparavit. Recensetur anno 1226 cum Hugone comite sancti Pauli & Waltero Heliaci domino. Anno 1232 Matthæus Fusniaci abbas a Gregorio IX missus est ut Corbeiense aliaque monasteria ad meliorem vitæ rationem revocaret & gravissimo ære alieno pressum exoneraret. Biennio post Hugo a Gregorio IX obtinuit anno 1234 facultatem dandi monachis monasterii clericisque sibi subjectis primam tonsuram. Dedit anno eodem licentiam construendi pontem apud Vassiacum. An. 1238 Gregorius IX indulsit ei tunicæ, dalmaticæ, sandaliorum ac chirothecarum usum, & ut plenam tonsuram & minores ordines sibi subjectis posset conferre. Anno 1240 magnificæ cathedralis Ambianensis substructioni suppetias a suis ferri concessit Hugo, non multo post funere elatus XIX calendas Januarii.

XLVII. Radulfus I anno 1240 bullam obtinuit a Gregorio IX, qua sibi & successoribus licet sacerdotales vestes, pallas altaris & corporalia, tam in monasterio, quam in ecclesiis eidem subjectis, benedicere. Emit anno 1243 mense Decembri majoriam & advocatiam de Gentella. Impetravit circa annum 1245 ab Innocentio IV licentiam dandi benedictionem absque pontificalibus indumentis. Anno eodem Lehunenses litem iterum moverunt ob cellas

sancti Laurentii & sancti Nicolai, quam Petrus A Albanensis episcopus in gratiam Corbeiensium anno 1256 definivit. Querelam habuit Radulfus anno 1248 cum ecclesia *du Quesnoy*. Eodem anno caritabiles clericos ad vicenarium redegit numerum. Horum prius monachis inservientium officia atque stipendia ordinaverat abbas Adalhardus, sed sub seculi IX finem, aut decimi initia, fugati a Normannis, tandem revocati sunt a Fulcone magno, tum in meliorem ordinem reducti a Radulfo, qui eis annonam (caritatem vocant) constituit, hac lege ut in ecclesia B. Stephani divina persolverent officia. Turrim ædificavit anno 1251 Radulfus, qui dum erigendæ novæ B basilicæ versat consilium, anno eodem IV calendas Januarii morte intercipitur, & sepelitur in medio chori ante aquilam. Nocturnas vigilias æstatis tempore completorio subjunxit, laudes vero post auroram sequentis diei transtulit, & octavam B. Mariæ nascentis instituit.

XLVIII. Johannes IV *des Fontaines* regimen adeptus est mense Decembri 1251. Pepigit anno 1253 cum canonicis ecclesiæ Remensis. Thomam Remensem archiepiscopum Corbeiæ excepit anno 1256, ab eoque schedulam recepit Corbeianæ exemtionis indicem. Corbeiensem emit castellaniam a Guidone Campo-avenæ anno C 1258 mense Aprili. Occurrit mense eodem anni 1260, quo obitus ejus assignatur ad X calendas Decembris.

XLIX. Petrus I *Mouret*, tam in jure canonico, quam in philosophicis rebus apprime eruditus, anno 1261 monasterii administrationem auspicatus est. Biennio post sanctum Ludovicum, Balduinum C. P. imperatorem, aliosque magnates Corbeiam invitavit, ut corpori S. Adalhardi novam in thecam transferendo interessent. Hæc autem translatio facta est anno 1263 dominica post Exaltationem sanctæ Crucis ab episcopis Guillelmo Laudunensi & Nicolao Cameracensi D coram Balduino imperatore C. P. Ludovico rege Francorum, Carolo ejus fratre, Andegavensi comite, Philippo primogenito filiorum superstitum regis, magistro Alberto papæ notario & legato, Petro Corbeiæ & Gerardo Montis sancti Quintini abbatibus, Roberto filio defuncti Roberti fratris regis, comitis Atrebatensis, Johanne buticulario Francorum, G. comite S. Pauli, &c, Forojuliensi episcopo, & B. abbate de Aroasia, ut legitur in lamina plumbea inventa anno 1710 in capsa S. Adalhardi. Petrus autem institutam ab Urbano pontifice corporis Christi solennitatem anno 1264 Corbeiæ celebrari voluit. Monachis E peculio interdixit, reditus omnes in commune conferri jussit, refectorii jecit fundamenta, claustrique latera duo complevit pro obitu tam suo quam patris ac matris. Obiisse dicitur V nonas Octobris 1269, in sacello beatæ Magdalenæ sepultus.

L. Hugo III *de Vers*, de villa hujus nominis natus & nobilis, abbas erat anno 1269 postridie festi sanctorum Simonis & Judæ. Refectorium absolvit anno 1274, eodemque acquisivit a Roberto de Dompetra homines quos ibi habebat, & a Johanne domino *de Polainville* justitiam apud *Mericourt*. Caritabiles monachorum exsequiis adesse jussit anno 1280. Biennio post antiquum fœdus cum Henrico Corbeiæ Saxonicæ abbate renovavit. Querelam habuit anno eodem cum majore & juratis Corbeiæ, cujus arbitros elegerunt Matthæum abbatem S. Dionysii, Radulfum de Stratis Franciæ marescallum, &c. Transtulit anno 1283 mense Aprili, feria 6, in Passione Domini, reliquias e vase dicto *Prima S. Petri* in aliud. Laxatum ab eo disciplinæ regularis vigorem volunt, Gregoriique IX statuta ab Innocentio abrogari fecisse. Ad hæc monasterii regimen sequenti transcripsit sub pensione 800 librarum Parisiensium: annum 1288 ineuntem indicant alii, alii 1287. Obiit VIII idus Novembris, quamquam Caritabiles, in quos beneficus exstitit anniversariam pro eo precationem celebrent XV calendas Februarii.

LI. Garnerus *de Borrenc* ex monacho sancti Luciani Bellovacensis factus est abbas Corbeiensis arte Johannis *Cholet* cardinalis legati a latere, cujus fuerat capellanus. Monasterium ingressus mense Junio 1288, invenit ære alieno obrutum pro provisione decessoris, regalibus decimis & servitio curiæ Romanæ ab abbate in sua novitate fieri solito. Insequenti anno bullam obtinuit a summo pontifice pro benedicendis vestibus sacerdotalibus, pallis & corporalibus. Eodem an. societatem iniit cum monachis S. Walarici. Nonnulla statuit pro fabrica monasterii anno 1295. Sacellum S. Luciano erexit anno 1291. Conversos *Ch. LXXII. col. 344.* ac sorores hospitali Corbeiensi inservientes statutis munivit anno 1294, illosque ad ternarium, has vero ad denarium numerum reduxit. Philippum regem cognomento pulchrum anno 1297 *Ch. LXXIII. col. 345.* adversus Eduardum Angliæ regem & Widonem Flandriæ comitem egregie juvit. Robertus Remensis archiepiscopus anno 1300 recognovit se nullam habere jurisdictionem in ecclesiam Corbeiensem. Johannes novam ordinationem fecit pro parochia S. Leonardi anno 1301. Johannem de Piquiniaco vicedominum Ambianensem captis Insulis ad se reversum in clientelarem fidem & hominium recepit anno 1303, & nonnulla ei concessit. Composuit cum Balduino abbate Fontis-Eligii anno 1305. Accepit anno 1307 ab heredibus Guillelmi *de Mortemer* capellani Ambianensis 248 libras, pro quibus solvere tenentur monachi quotannis 10 libras capellano sancti Petri in ecclesia Ambianensi. A Bonifacio pontifice diploma accepit, quo monachis suis bona paterna, feudis exceptis, ubi contingebat, hereditario jure cedere possent. Communiam Corbeiensem penitus extinxit, summumque sibi jus in prætorem & scabinos attribuit, concessis regi, qui jurisdictionem anno 1310 emerat, 6000 libris & Vasliaci in agro Suessionico nobili præfectura. Turrim quam betfredum vocant diruit anno 1312, & loco Majoris præpositum secularem instituit. S. Gerardi brachium assecutus ab abbate Silvæ-majoris, illud præclara theca inclusit. Brachense prædium cum Buzencuriæ castellania commutavit. Johannem *de Candas*

ecclesiæ suæ præpositum chartis ac regum aliorumque diplomatibus describendis & in amplissimum volumen redigendis admovit. Denique post expletos fere 26 in regimine annos, lenta febre moritur die 14 Januarii 1314, & sepelitur in capella sancti Luciani, quam ædificaverat, cum hoc epitaphio:

Tres luctus causæ sunt hac sub imagine clausæ.
Tu pius, & patriæ lux, decus ecclesiæ
Abbas, cui, noster Garnerus, sit Deus omen,
Tum bene regnavit, betfredi cornua stravit.
Postea Corbeiam rexit & ecclesiam
M. semel & tris c bis senis 1 dare disce
Dum gustat morsum, de quo via nulla retrorsum,
In Felicis festo memor hujus temporis esto.

LII. Henricus I *de Villers* electus est die 6 Februarii anni quo obiit Garnerus, concessa prius a Philippo rege eligendi licentia. Occurrit 12 Februarii 1315. Statuta condidit pro Caritabilibus anno 1317. Insequenti Robertus Remensis archiepiscopus, Johannis papæ XXII jussu, Silvanecti totius provinciæ suæ generalem synodum indixit, ad quam Henricus cum aliis accitus juribus suis cavit anno 1318. Transegit an. 1321 cum burgensibus pro hospitali S. Lazari. Fecit anno 1322 novam ordinationem pro parochia S. Leonardi. Biennio post quum bona ecclesiæ dissipare, prædiaque monasterii vendere aut obligare non cessaret, monachi eum deponere meditabantur quum eum mori contigit anno 1324 in vigilia Omnium Sanctorum.

Ch. LXXV. col. 346.

LIII. Hugo IV *de Vers*, alterius Hugonis ex fratre nepos, ex præposito Buscensi ad abbatialem Corbeiæ sedem vocatus anno 1325, querelam habuit cum Johanne *de Chastillon* pro territorio Vassiani, pro qua sedanda arbitros elegerunt mense Maio 1328. Litem habuit anno 1330 cum Guillelmo *de Raineval*, pro qua definienda arbitros elegerunt. Inflicta ab Henrico decessore vulnera sanavit: generali quippe suorum facto conventu, quum ecclesiæ dilaceratam faciem exhibuisset, præpositos, priores aliosque, tam officiales, quam monachos, in commune omnia proferre suasit, ut vel sic labanti familiæ succurreretur. Omnium ergo cura ipsi commissa, id effecit sagacitate, parcimonia laboreque assiduo, ut ab omni ære alieno liberum monasterium, 80 monachos præter officiales & in cellis constitutos aleret, quos ad strictiorem regularis observantiæ vigorem verbo, exemplo consultissimisque statutis informavit. Hinc synodi quotannis indictæ, ad quas parochi omnes a monasterio pendentes accedere tenebantur. His virtutibus excultus Hugo magnatum in se studia convertit, qui summis eum apud regem laudibus affecere. Unde vocatus in aulam, ærario licet invitus una cum abbate Majoris monasterii præficitur. Gravissimo munere difficillimis temporibus perfunctus Hugo, Philippo regi in arduis rebus ubique adfuit, eumque juvit consilio, quod maxime enituit in amplissimo illo cœtu apud castrum Vicennarum habito an. 1333, in quo de animarum

A carne solutarum statu beatifico lata sententia est. Creciacensi infausto prælio cum suis interfuit, & adversam regis fortunam subsidiis suis largissime solatus est. Eques banneretus regi Franciæ in expeditionem Flandricam misit 5 equites & 36 scutiferos. Patriæ peste laboranti succurrit, tum variis indictis processionibus, tum effusa in pauperes liberalitate. Denique luxantes Corbeiæ muros aggeresque firmavit: quæ omnia Hugonem patriæ parentem omnium ore celebrarunt. Decessit anno 1351 die 23 Augusti, in claustro quod egregie perfecerat vili lapide & epitaphio contectus.

B LIV. Johannes V *d'Arsy* germanus Hugonis archiepiscopi Remensis, ex monacho Vizeliacensi abbas Ferrariensis, tum Vizeliacensis, ab Innocentio VI Corbeiensibus proprio motu datur anno 1352, irrita prorsus Egidii de Carello electione, qui pridem officialis ecclesiasticum jus Corbeiæ edixerat. Singulari pietate effulsit Johannes, quam suis inter bellorum strepitus & vitæ dispendia egregie commendavit. Elephantiaco morbo correptos fovit. Audoinum cardinalem Widocensem præfecturam sibi vindicantem repressit. Rebelles & in se contumaciter armatos anno 1357 Corbeiæ cives coëgit in ordinem,

C & Carolum delfinum, capto parente rege, sceptra moderantem repetitis subsidiis munivit. Querelam habuit cum episcopo Ambianensi pro exactionibus apostolicis, quibus sigillatim obnoxia declarata fuit abbatia Corbeiensis. Extinctus IV idus Februarii 1362 (1363) Johannes, in claustro prope decessorem magnifico tumulo donatus est, quem his verbis laudat codex Corbeiensis: *Hic abbas fuit doctrina & vitæ integritate celeberrimus, & usque ad finem vitæ suæ semper sanctæ conversationis, tantæque religionis, pietatis & clementiæ, ut cum beatis Adalardo & Ratberto abbatibus quorumdam sententia merito comparari possit, bonos*

D *diligens, malos tamen & sceleratos odio habens. Anno salutis 1362 10 die mensis Februarii obiit non sine opinione sanctitatis.*

LV. Johannes VI *de la Goue* officialis Corbeiensis, post obtentam a Carolo primogenito regis Franciæ, ejusque locum tenenti, duce Normanniæ & delfino Viennensi, eligendi licentiam die 11 Februarii 1362 (1363) eligitur abbas a monachis, & anno sequenti ab Urbano V, confirmatur, & in octavis Paschæ benedicitur Avenione, quo electionem suam prosecuturus perrexerat. Benedictus autem Corbeiam anno 1363 solenni pompa ingreditur, Carolo *de*

E *Soyecourt* ejus marescallo, aliisque cœnobii feudorum dominis abbatem comitantibus. Ab Urbano V juribus ac immunitatibus robur accivit. Capitulum aliasque ædes erexit an. 1377. Ratas habuit anno 1382 literas Rogerii *de Soissons* pro monasterio Maroliensi. Regi mille libras Turonenses mutuo dedit anno 1385 ad Anglos iterum debellandos. Senio gravis Johannes præfecturam anno 1389 mense Martio Stephano de Contiago Corbeiensi monacho & officiali consignavit in manus: Stephano autem regis interventu cedente, monachi elegerunt Robertum

de Quercu, qui sequenti quoque cedere coactus est. Interim Johannes superstes ad annum 1394, in choro sepultus est.

LVI. Radulfus II *de Roye* germanus magistri hospitii regis & archiepiscopi Remensis, ex monacho sancti Medardi fit prior de Ressonio, tum abbas sancti Luciani Bellovacensis, demum sancti Petri Corbeiensis per cessionem Johannis a Clemente VI ad preces regis Caroli VI. Corbeiam ingressus est die Pentecostes 1391. Feodi apud Francvillam investituram dedit 18 Januarii 1392. Testamenti fratris sui natu majoris cum aliis fit exsecutor anno 1396. B. Colettæ virginis Corbeiensis excepit votum retrusionemque approbavit. Privilegiis adversus Ambianenses episcopos tuendis studiose incubuit, & minores ordines non tantum ascetis suis, verum etiam clericis Corbeiensibus contulit, non semel titularibus accitis episcopis, qui in monasterio sacris ordinibus Corbeienses initiarunt, quod a supremo senatu Parisiensi ut approbaretur duplici atque ut vocant, contradictorio decreto est consecutus anno 1400. Eodem sancti Adalhardi corpus ditissimam in thecam solenniter intulit præsentibus circumpositis abbatibus, ejusque ac sanctæ Balthildis reginæ argenteas icones conflavit. Cum Egidio de Castello ejusdem ecclesiæ præposito egit de confiscationibus mense Novembri 1413. Insequenti Radulfus a Johanne de Rupescissa cardinali vana spe delusus, abbatiam in eum transmisit, quam ille sibi per partium suarum pontifices & episcopos Constantiæ aggregatos vindicare conatus est summo Corbeiensis familiæ detrimento: quo cedente in manibus papæ anno 1417 summus pontifex nominavit Guillelmum *de Hotot* tunc abbatem de Cormeriaco apud Turones. Radulfus vero facti pœnitens, & post hunc lapsum umbratilis denuo creatus abbas anno 1416, paulo post excessit desertus ab omnibus, imo & a famulis etiam interula denudatus III idus Augusti 1418, & in capella beatæ Balthildis, quam picturis decoraverat, sepelitur.

Ch. LXXVI. col. 348.

LVII. Johannes VII *de Lion* ecclesiæ præpositus, annuente rege Carolo, electus est abbas a monachis mense Septembri 1418, & confirmatus ab episcopo Ambianensi, eo quod summus pontifex Guillelmum *de Hotot* confirmaverat. Transegit anno sequenti cum Johanne cardinali, sed ad sedem apostolicam anno eodem appellare coactus est adversus Guillelmum, qui monasterii bona assumebat, a qua Guillelmus reddere quæ abstulerat jussus est: adversarium quoque eo tempore passus est officialem monasterii, qui Guillelmi partibus adhærebat, & abbatiam affectabat, quem ab officio depulit, & inimicum regis in carcere Ambianis detrudi fecit anno 1427. Insequenti Johannes pacem iniit cum Guillelmo sub pensione annua 400 florenorum, quam quum toto non solvisset biennio Johannes, ab apostolica sede est excommunicatus. Corbeiam anno 1428 ab obsidione Burgundionum Carolo regi illæsam servavit. Johannem Rousselli monachum ad concilium Basileense procuratorem misit anno 1432. Cum Guillelmo *de Hotot* A tunc episcopo Silvanectensi fœdus denique sanxit anno 1433, & ab excommunicatione solutus est. Causa vero quam cum officiali habebat, senatus Parisiensis consulto cecidit anno 1439, eodemque vivere desiit VI idus Maii.

LVIII. Johannes VIII *de Bersée* præpositus quoque ecclesiæ via compromissi abbas electus est 12 Maii 1439. Ludovicum delfinum ad recuperandam Deppam quantocius properantem Corbeiæ lætus excepit. Paulo post quum in quandam turrim Incrensi portæ vicinam se contulisset, ut cum ædilibus pulverem tormentarium probaret, miserabili fato extinctus est pridie cal. B Januarii 1443.

LIX. Michaël Delfinis, vulgo *d'Auffines*, biduo post ereptum Johannem omnium suffragiis electus, temporalibus a rege donatus est 22 Martii. Insigni vigilantia & obfirmato in adversarios pectore viguit, parcus in loquendo, disciplinæque regularis tenacissimus, in promovendis tum ad professionem, tum ad officia monachis severum delectum adhibuit, monasterii ædificia proventusque auxit. Verum nihil sic Michaëlis prodit animum quam inconcussa ejus suorumque mentis obfirmatio qua Coletinarum S. Francisci virginum Corbeiæ monasterium erigi noluerunt, C id ut permitterent quantumlibet orantibus, an jubentibus, utriusque ordinis omnibus fere principibus. Obiit Michaël anno 1461 IV idus Januarii, id est 1462.

LX. Jacobus *Ranson* humili loco natus, juvenis Philippi Burgundiæ ducis capellanus fuerat, tum ut prior Lehunensis fieret, factus monachus ordinis sancti Benedicti, inde Peronensis sancti Quintini de Monte abbas, demum Philippi ducis suasu, qui totam late Picardiam dominabatur, Corbeiensibus maximo eorum detrimento præpositus est mense Februario 1461, & Corbeiam intravit dominica infra octavas sancti Sacramenti D 1462, comitantibus Johanne de Burgundia pluribusque aliis nobilibus, quos in refectorio opipare excepit. Regi fidem juravit Abbatis-villæ 21 Nov. 1463. At quum Burgundioni constanter adhæreret, in Ludovici regis offensam incurrit, qui expugnata & incensa Corbeia Jacobum adegit, ut monasterium, quod ab Anglis, Burgundionibus & Francis sus deque versum relevare desperabat, regere cessaret, & adeptum munus quantocius abdicaret. Id præstitit anno 1477. Privatus deinceps degit ad annum 1480, quo variis pedum doloribus conflictatus obiit octogenario major cal. Maii. Jacet in capella B. Mariæ.

E LXI. Johannes IX *d'Anquennes*, cedente Jacobo, regia auctoritate factus abbas, confirmatur a Romano pontifice, & benedicitur in monasterio Corbeiensi 1 Aug. 1477. Anno sequenti interfuit translationi S. Hunnegundis in monasterio Humoliarensi. Ex valida febre moritur 15 Febr. 1478. Sedes adhuc vacabat 28 Julii 1479 & 6 Decembris 1480.

LXII. Franciscus *de Maillers* sedis apostolicæ protonotarius, nobilis puer quindecim annorum, Ludovici regis auctoritate, repugnantibus quidem sed hiscere non audentibus monachis, impositus

est a summo pontifice mense Julio 1479 : at accepta Ludovici morte anno 1482, monachi Petrum *Dottreil* ecclesiæ tunc præpositum eligunt; quamobrem conjecti in vincula, gravissima damna constanter pertulere. Sed & monachi soluti sunt, & redintegratus abbas ad an. 1485, quo post primogeniti fratris excessum, Franciscus ut militare sagum indueret, monasterium cessit in manibus Innocentii VIII pontificis in gratiam Petri.

LXIII. Petrus II *Dottreil* ecclesiæ præpositus, Francisco cedente, ab Innocentio VIII confirmatur anno 1485. Is erat e Dullendo filius Philippi, frater autem Guillelmi Aquicincti & Egidii sancti Theoderici Remensis abbatum. Benedictus fuit Parisiis in ecclesia sancti Maglorii anno 1486, eodemque Corbeiam solenniter intravit; unde Parisios, a Britonibus regis militibus expulsus anno 1492, ire compulsus est. Anno 1499 acquisivit terram & dominium *de Varloy*. Fundavit anno 1500 eleemosynam 30 panum & 30 denariorum singulis diebus 60 pauperibus erogandam per unum monachum a priore electum. Anno 1501 ecclesiam senio labantem magna ex parte diruit, novamque & longe ampliorem a fundamentis erexit & non parum promovit: verum anno 1506 XIX cal. Septembris morte interceptus, alteri perficiendam reliquit, sepultus in choro & ænea præstantissimi operis tumba decoratus cum hoc epitaphio:

Corbeiensis adest Petrus Dottrelius abbas,
Qui Dullendiaca traxit ab urbe genus.
Tres menses supra viginti rexit aristas,
Exonerans templum, cui nova jura dedit.
Quotidiana per hunc triginta portio panum
Cum totidem nummis constabilita fuit.
Annis sub mille quingentis sexque professo
Ad prolem sumtæ Virginis unctus obit.
Qui fuit hujus adhæc fabricæ primarius auctor,
Tanto ferventes pro patre funde preces.
Cœnobii dotes subjecti jura professi
Pisticus hic elemon chrismatos unxit ope,
Sacris iste vacans, fastus asprevit inanes,
Lethiferas fugiens eminus illecebras.

LXIV. Guillelmus *du Caurel* Ambianis ortus, ecclesiæ præpositus, communi omnium suffragio electus est abbas die Assumtionis beatæ Mariæ 1506, ætatis anno 58. Dumque prosequitur Romæ confirmationem, Franciscus *de Halwin* episcopus Ambianensis a Julio papa, ad instantiam regis abbas nuncupatus, eidem fidem juravit Biturigis 5 Martii 1506, nunc 1507, & adeptus est possessionem die dominica Passionis 1507 militibus stipatus, qua de re ad senatum Parisiensem appellarunt monachi, quos ad consilium regis traduxit episcopus. Itaque post tres annos litis & discordiæ, data episcopo, qui juri suo cessit, 3000 librarum pensione mense Septembri 1509, benedictus est abbas Guillelmus Cameraci in die Ascensionis Domini anno 1510, & die crastina Corbeiam solenniter intravit. Regem A bis excepit anno 1513. Excepit anno 1517 Franciscum I, qui privilegia monasterii confirmavit. Invitatus a rege anno 1520 ut abbatiam cederet in favorem cardinalis Borbonii, non consensit. Timore obsidionis Corbeiæ Ambianum fugit Guillelmus anno 1522, ubi mense Novembri incidit in morbum. Prohibitis vero ne ad eum accederent fratribus, ipse militibus a cardinali Borbonio submissis undique vallatus, nullo præter confessionem ecclesiæ sacramento solatiove adjutus, ærumnis conficitur 19 Novembris, monachis interim conjectis in vincula ne solito more electioni vacarent. Guillelmi corpus sex- B decim diebus exhumatum jacuit, quod tandem in sacello B. Mariæ reconditum est & magnificentissimo tumulo donatum. Quum vero nulla vi aut ratione ut ab electionis jure deflecterent adigi possent monachi, res suas omnes pontifici commiserunt, qui sequentem iis imposuit.

LXV. Philippus I *de la Chambre* germanus comitis de Camera in Sabaudia, monachus Cluniacensis & prior Lehunensis, pontificis auctoritate Corbeiensem abbatiam adipiscitur IV nonas Maii 1523, & possessionem apprehendit die 14 Novembris, licet archiepiscopus Remensis quemdam monachum nuncupasset qui cardinali Bor- C bonio cederet. Eodem anno Philippus permutavit cum cardinali Borbonio abbate sancti Amandi, sed hæc permutatio nulla declarata fuit a Clemente VII die 9 Decembris: cardinalis tamen possessionem apprehendit per procuratorem 27 Aprilis 1524 sub resignatione Philippi, cui restiterunt monachi. Cardinalis nihilominus Corbeiam solenniter intravit 6 Octobr. anni ejusdem. Lite interim pendente inter Philippum & cardinalem Borbonium, quia Philippus propter regressum alterius abbatiam sancti Amandi obtinere non valuerat, monasterii possessio 10 Octob. 1528 Philippo est adjudicata, qui benedictus Parisiis ab D episcopo Magarensi 31 Octobris, eam primo per procuratorem die 5 Novembris, tum per se die 5 Decembris apprehendit. Abbatia tamen sua vix quiete potitus est inter gravissimas bellorum procellas. Fuit etiam abbas sancti Andreæ Claromontensis & Magni-loci, cardinalisque episcopus Tusculanus. Romæ decessit IX calendas Maii 1550 quum Julii pontificis nutu Sebastiano nepoti abbatiam Corbeiæ consignasset. Sepultus est apud Minimos in Monte-Pincio.

LXVI. Sebastianus II *de la Chambre* Philippi nepos, commendatariis viam aperuit. In ætatis flore extinctus, obiit anno 1554.

E LXVII. Ludovicus I *de Bourbon* cardinalis successit, & monasterium, cujus proventus jam pridem invaserat, pontificis auctoritate possedit ad annum 1556, quo viribus fatiscens illud sequenti nepoti consignavit, nec multo post cessit e vita simul episcopus Prænestinus, Laudunensis, Cenomannensis, ac archiepiscopus Senonensis, abbas sancti Dionysii, sancti Walarici, sancti Vincentii Laudunensis, sancti Crispini majoris, Cuissiaci & Morimundi, ac prior de Gisiaco.

LXVIII. Carolus I *de Bourbon* cardinalis senior dictus, tit. sancti Chrysogoni, episcopus Nivernensis,

Nivernensis, archiepiscopus Rotomagensis, legatus Avenionensis, abbas Corbeiensis anno 1558, amplissimum sancti Adalhardi patrimonium in variis Belgii provinciis situm distraxit an. 1559, & triennio post ditissimas sanctuarii thecas diripuit & conflavit. Anno 1580 Ludovicum *de Lorraine* cardinalem *de Guise* abbatiæ consortem habuit, eique redituum partem permisit. Ludovico Blesis cæso, Carolus omnibus iterum potitus est ad finem vitæ, qui contigit anno 1590.

LXIX. Carolus II *de Bourbon* cardinalis Vindocinensis, commendatarius Corbeiensis a rege nominatus, aliquandiu monasterio variis cladibus exhausto potitus videtur, quanquam nec bullas pontificias adeptus, nec inita possessione ereptus legitur anno 1594. Quo defuncto, rex nominavit in spiritualibus œconomum D. Hugonem *de la Haye* subpriorem 28 Octobris anni ejusdem, approbante magno consilio 14 Julii 1595.

LXX. Ludovicus II *de Lorraine* cardinalis *de Guise* pontificio diplomate pridem adepto, anno 1604, nonis Aprilis a Corbeiensibus recipitur in abbatem. Is anno 1618 congregationem S. Mauri Corbeiæ admisit, & anno 1621 Sanctonis extinguitur.

LXXI. Henricus II *de Lorraine-Guise* anno 1623 monasterium auctoritate pontificia adipiscitur, quod ad annum 1642 possidet.

LXXII. Julius *Mazarini* cardinalis an. 1643 vi bullæ pontificiæ commenda gaudet ad annum 1645, quo sequenti cedit.

LXXIII. Camillus cardinalis Pamphilius Innocentii X summi pontificis ex fratre nepos, legatus Avenionensis, abbatiam obtinet mense Martio 1645, & uxorem ducit 1647.

LXXIV. Julius cardinalis *Mazarini* abdicatam commendam iterum recipit ad annum 1661, quo vivere desiit die 9 Martii.

LXXV. Philippus II *de Savoye* eques Melitensis, germanus comitis Suessionensis & principis Eugenii exercituum imperatoris polemarchi, nominatus a rege, solennem iniit possessionem IV idus Februarii anni 1669. Obiit 5 Octobris 1693, abbas etiam Gardi & sancti Medardi.

LXXVI. Tussanus *de Forbin* cardinalis *de Janson*, Bellovacensis episcopus, majorque Franciæ eleemosynarius, abbas Bruliacensis, Corbeiensis a rege creatus est 7 Octob. 1693. Obiit 24 Martii 1713.

LXXVII. Melchior *de Polignac* Ludovico vicecomite *de Polignac* & marchione *de Chalançon* & Jaquelina *de Beauvoir de Roure* parentibus natus die 11 Octobris 1661, presbyter cardinalis tituli beatæ Mariæ de Angelis, abbas Aquicinctensis, Boniportus, Mosomensis & Begardi, Corbeiensem obtinuit commendam 1 Aprilis 1713 a rege, a quo magister generalis ordinis sancti Spiritus Monspeliensis renunciatus est 3 Novembris 1716. Minervæ omnis homo, academiis Gallicanæ, scientiarum & inscriptionum adscriptus est. Rerum callidus & temporum, variis legationibus a rege missus est ad Polonos, ad comitia Ultrajectensia, ad summum pontificem, a quo Ausciensis archiepiscopus designatus mense Novemb. 1725, sacratus est in ecclesia nationali S. Ludovici Francorum, adstantibus cardinalibus Ottobono & Gualterio 19 Martii 1726, ac die 25 pallio donatus. Commendator ordinis sancti Spiritus renunciatus 16 Maii 1728, cooptatus sacramentum regi præstitit 1 Januarii 1733. Gloriosam nec literatis supervacuam Parisiis finivit vitam 20 Novembris 1741 annum agens 81, ubi in ecclesia sancti Sulpicii parochia sua sepultus est.

LXXVIII. Johannes-Franciscus *Boyer* episcopus erat Mirapicensis quum a rege datus est Delphino a studiis. Nominatus abbas Corbeiensis 23 Februarii 1743, possessionem per procuratorem iniit 13 Aprilis anni ejusdem.

S. JUDOCUS *supra Mare.*

S. Josse *sur Mer.*

Alteiam inter & Quantiam Pontivi pagi fluvios quinque passuum millibus ab Oceano Britannico, totidemque a Quantia situm est sancti Judoci monasterium, a patrono sic dictum, quod cella sancti Judoci, cella maritima, monasterium crucis, Wicus etiam subinde appellatum fuit, nunc autem a multis seculis sanctus Judocus supra mare audit, ut secernatur a sancto Judoco in nemore, seu Domno-martino Præmonstratensium cœnobio, de quo postea. Illic S. Judocus post varias hinc inde sedes ab Haimone Pontivi duce paratam fixit sedem, monachosque uti seculo VII passim in Gallia Benedictinam regulam edocuit. Haud alia re videntur insignes ad seculi VIII finem, quam hospitum & peregrinorum ad regulæ hujus mentem excipiendorum studio, quum Alcuinus eorum præfectura circa annum 792 est donatus. Qui successit Alcuino Warembaldus tanta a Carolo magno & Leone III privilegia obtinuit, ut Carolus magnus alterius conditoris nomen inde acceperit. Caroli filius Ludovicus Ferrariensibus monachis cellam sancti Judoci tribuit in eleemosynas & alimoniæ supplementum. Laïcorum quoque, ut pleræque abbatiæ, & Normannorum seculo IX præda fuit. Sequenti vero exeunte quum sacrum Judoci inventum fuisset corpus, monasterium a fundamentis cœptum est, accitique e Floriaco, quantum conjicere licet, monachi, quibus paulo post tam comitatum quam vicecomitatum in toto diœcesis suæ tractu comes Pontivi Wido concessit. Continet autem hæc comitiva vicos sancti Judoci, sancti Albini, Capellam, Cuccum, *Trespieds*, Villare, *le Tertre*, Molinos, Longum-pratum, *Wits* & Mariscos, in quibus omnem jurisdictionem abbatis nomine ballivus exercet. Oræ maritimæ objectum monasterium Anglicos sensit furores, quos secuta commenda fusdeque evertit. Ædificiorum sortem sortita regularis disciplina, monachique ad tres vel quatuor redacti ad arbitrium vivebant, donec aliqualem prioris instinctu revocasse visi sunt regulæ praxim, quæ interemto priore, brevi dissiluit. Acciti post annos duos duo e congregatione S. Mauri monachi a juniore commendatario cito repelluntur, quos tamen maturior ipse factus an. 1663 revocavit. Hi locum abbatis proprioque labore repurgatum subiere an. 1669.

Chart. XIV, col. 295.

Catalogus Abbatum.

I. S. Judocus Juthaëlis in Armorica regis filius, a Judicaële natu majore regnum dimissum contemsit, clamque Britanniam reliquit, & anno 636 petiit per urbem Parisiorum Luteciam Pontivum pagum Morinorum tunc silvis horridum & magna ex parte incultum ac desertum, ubi presbyter factus, post varias hinc inde sedes, in eremo mari proxima inter Alteiam & Quantiam fluvios demum constitit, atque ab Haimone regionis duce, cujus filium e sacro fonte exceperat dimissus, ex ligno oratoria duo, unum sancti Petri, alterum sancti Pauli ædificavit: tum Romam petiit sacra BB. Apostolorum limina invisurus anno 665. In reditu quum ad eremum suam accedens puellæ ab ortu cæcæ lumen reddidisset, crux ibidem in rei monumentum erecta, loco postea nomen dedit. Revertenti Judoco occurrit dux Haimo, honorificeque excepto tradidit ei ecclesiam quam ex lapidibus construxerat. In ea reliquias Roma allatas Judocus deposuit, atque in honorem sancti Martini dedicari eam curavit, ibidemque cum paucis sociis, quorum unus Wormarius vocabatur, sanctissime vixit. Defuncti idibus Decembris anno circiter 669 Judoci corpus succedentes ejus in locum duo ipsius nepotes Winnochus & Arnochus diu incorruptum frequenter lavare aqua & tondere consueverant, de quo quum dubitasset Deoctricus Haimonis successor loquelam perdidit. S. Judoci sacerdotis & eremitæ vitam scripsit anonymus seculo, ut videtur, octavo, quam fratribus in monasterio S. Judoci consistentibus nuncupavit. Hanc ex eleganti codice 700 annorum exhibuit Mabillonius seculo II Benedict. pag. 565. Aliam de eodem Sancto lucubrationem edidit Florentius abbas anno 1015, quo tempore tertius auctor de eodem scripsit. Nec plura nobis suppetunt de Judoco ejusque successoribus ad Alcuinum.

II. Alcuinus maritimam sancti Judoci cellam gubernandam suscepit a Carolo magno, paulo postquam in Franciam reversus fuit circa 792, ad eleemosynam peregrinis erogandam, qui tunc ad sanctum Judocum frequentes erant.

III. Warembaldo cellam S. Judoci, annuente Carolo, resignavit Alcuinus ante mortem, quæ obtigit anno 804. Warembaldo abbati sancti Judoci supra litus maris inscripta est bulla Leonis III, qui sedit ab anno 795 ad 816. Post mortem Warembaldi cella S. Judoci a Ludovico pio Ferrariensibus monachis tributa est, eo pacto ut quod eleemosynæ superesset, in eorum usum cederet. Cave autem putes dictam sancti Judoci cellam in cellam, aut prioratum, vel obedientiam Ferrariensi monasterio subjectam sic evasisse ut abbatiæ nomen ac dignitatem amiserit; sed ob primariam eremitæ Judoci cellam, quam vivens insederat, cellæ nomen ab exordio datum postea retinuit.

IV. Hruodingus, unus forte e clericis palatii qui diversorum cœnobiorum sibi dominium optabant atque poscebant, cellam sancti Judoci a Lothario augusto per subreptionem obtinuit post A mortem Ludovici pii, quam sibi restitui Ferrarienses magnis tunc pressi angustiis Lotharium rogarunt. Facta regni divisione anno 843, quum sancti Judoci locus venisset in Caroli sortem, ab eodem donum Ferrariensibus prius factum novo præcepto est firmatum.

V. Odulfus comes, quem sibi suisque rebus in lubrico rerum statu necessarium reputabat Carolus, ab eodem cella sancti Judoci donatus est, quem ut loco cedere cogeret, Lupus Ferrariensis abbas omnem movit lapidem, scriptis ad Carolum regem, ad Ludovicum abbatem, & ad multos alios querulis epistolis, quibus uti & B synodali decreto consecutus est, ut Carolus rex insigni diplomate, quod inter Lupi epistolas a Baluzio vulgatum est, sanxerit exeunte 843, cellam quoque sancti Judoci quam .... quadam necessitate Odulfo comiti dederat, quum aliud eidem comiti dederit, aut quum ipse obierit, mox ad potestatem Ferrariensis monasterii reversuram. At ex variis Lupi epistolis discimus accepto semel beneficio potitum Odulfum comitem nullis, vel regiis, vel synodicis jussionibus paruisse, sibique prædictam cellam, si minus ad obitum, saltem ad pacem inter Carolum & Ludovicum reges resarcitam, ineunte scilicet anno 849, vindi- C casse. Quinquennio ante Normannis totam late regionem vastantibus, cellam sancti Judoci anno 844 ad nihilum fere redactam discimus ex epistola Lupi ad Ludovicum abbatem, quem obsecrat ut restituatur cella monasterio Ferrariensi, quæ ecclesiæ ceram, fratribus & famulis vestimenta, pisces, caseum & legumina ministrabat.

VI. Lupus abbas Ferrariensis abbatem se ex monasterio sancti Judoci indigitat in epistola ad Edilulfum Anglorum regem. Eo subinde se conferebat, sed hac abbatia vel ipse vel successores Ferrariarum abbates seu monachi diu potiti fuisse non videntur cum ob ingruentes Nor- D mannorum procellas, tum maxime ob Pontivensium seu comitum seu militum invasiones, quibus ad provectum seculum x prostrati ejus monasterii bona cesserunt, monachis interim paucis admodum sine duce ac rectore palantibus.

VII. Sigebrandus, post inventum S. Judoci, quod Normannorum tempestate latuerat, corpus anno 977, restituto monasterio præpositus est, qui non solum Judocensem abbatiam, sed & alia quoque tractus Artesiensis ac Boloniensis monasteria restitui, sanctisque legibus renovari studuit.

VIII. Herboldus. Ad eum Isembardus monachus Floriacensis, instigante Adelelmo mona- E cho, libellum scripsit de inventione corporis sancti Judoci, & miraculis inde consecutis temporibus Hugonis magni, seu Roberti regis, uti Ordericus Vitalis commemorat pag. 497.

IX. Josue nomen habet in manuscripto sancti Judoci miraculorum libro.

X. Wido I clarus eloquentia, nec minus pietate insignis, ab Isembardo Floriacensi semel & iterum laudatur. Ejus exitus ante seculi x finem videtur contigisse. Insequenti ineunte Balduinus Flandriæ comes abbatiam S. Judoci inter alias Richardo abbati S. Vitoni regendam commisit.

XI. Florentius I, inquiunt, anno 1015 abbas A erat quum sancti Judoci vitam a Surio typis editam novo stylo donavit, & Judocensibus monachis, non Godefrido episcopo, nuncupavit.

XII. Arnulfus I discipulus Ingelardi abbatis sancti Richarii, qui obiit anno 1016, fuit abbas sancti Judoci, ex chronico Centulensi.

XIII. Heribertus anno 1052 præsens fuit translationi corporis sancti Bertini abbatis. Authenticum hujus solennitatis instrumentum in seculo III Benedictino typis evulgatum est.

Chart. xx. col. 23. XIV. Warinus sacro Philippi regis adstitit anno 1059. Monachum recepit Balduinum fi- B lium Fulconis militis de Hesdino, & accepit alodium in valle Rumbiliaca, donationem confirmante Widone Pontivi comite anno 1067.

XV. Walterus I, vulgo cognominatus *de Lallain*, concilio Compendiensi adfuit anno 1085. Godefridi episcopi instrumento pro cœnobio S. Ch. xviii. col. 301. Fusciani subscripsit anno 1105, quo transversa ecclesiæ, navis cameras & capellam S. Judoci fabricari fecit. Walteri temporibus, anno scilicet 1100, Guido comes, inter alia a parentibus donata, confirmavit & adjecit comitatum, quo Chart. xiv. col. 295. etiamnum potiuntur Judocenses.

XVI. Imbertus abbas coram Ingelranno epi- C scopo querelam habuit cum Waltero *Tirel* super altari *de Verton*, quod ipsi adjudicatum est. Reperitur anno 1126 in chartulario Corbeiensi. Huic Warinus factus episcopus duas partes altaris *de Waben* concessit anno 1128, cujus primam archidiaconus ipse prius dederat.

XVII. Petrus I ex priore *de Bagnols* dicitur abbas S. Judoci anno 1134 in charta Molismi.

XVIII. Robertus I sancti Judoci cineres intra parietem reclusos educi moxque nobilem in thecam una cum ejusdem confessoris ossibus inferri curavit per Warinum antistitem, adstantibus præ ceteris Guidone Pontivorum & Stephano D Bolonienium comitibus anno 1134. Eodem reperitur in charta Guarini episcopi pro Bodinicurte. Subscripsit anno 1138 chartæ Guarini Ch. xxvii. col. 308. episcopi pro parthenone Durlendensi.

XIX. Theobaldus jam sedebat anno 1138. Biennio post canonicis Bonantiæ decimam terrarum Mosultræ, quas vel manibus, vel sumtibus suis excolerent, & animalium pro annua argenti marcha concessit anno 1140, & anno 1145 quidquid juris ibidem habebat ecclesia sancti Judoci pro duabus annuis argenti marchis. Subscripsit chartæ Theoderici Ambianensis episcopi pro ecclesia sancti Martini de Gemellis E Ch. xxix. col. 309. anno 1145. Concessit decimam cujusdam terræ culturæ quatuor dierum sitæ in parochia Comitisvillæ fratribus Templi anno 1146. Memoratur Ch. xxxii. col. 312. anno 1147 in tabulario de Durlendo, & 1148 in chartulario sancti Martini de Gemellis. Dedit ecclesiæ sancti Martini Albæmarlæ & Natali abbati decimas *de Maisnil-David* pro 30 solidis Mosterlensis monetæ. Ecclesiæ sancti Judoci de Nemore concessit anno 1155 altare *de Maisonchelle* sub annuo censu unius modii frumenti.

XX. Nicolaus I subscripsit literis Theoderici Ambianensis episcopi anno 1156.

XXI. Walterus II Matthæo Boloniensi comiti cessit terram in qua sedet castellum Stapularum & proximam pro censu annuo decem millium halecum anno 1159. De octava parte villæ *de Ciriacourt* cum M. abbatissa de Strumis transegit anno 1160. Cum Anschero abbate S. Andreæ in Nemore pro decimis convenit anno 1163. Eodem factam a Theobaldo donationem sancto Judoco in Nemore confirmavit, & donavit quidquid habebant apud Linicurtem. Convenit anno 1165 cum monachis Aquicinctensibus pro decima *de Sery*. Subscripsit anno 1171 chartæ Matthæi comitis Boloniensis pro monasterio Branensi. Nonnulla obtinuit apud *Cucq* ab Eustachio *de Montawis* anno 1173. Huic assertum est anno sequenti altare *de Waben* a baronibus curiæ Philippi comitis Flandriæ. Subscripsit initæ a Frumaldo episcopo Atrebatensi anno 1175 concordiæ inter ecclesias Aquicinctensem & Judocensem. Walteri ad preces Ludovicus VII anno 1177 confirmavit libertates hujus ecclesiæ donatas a Matthæo quondam Boloniæ comite.

XXII. Hugo, cognomento venerabilis, anno 1192 in publico nobilium consessu Monaste- Chart. liv. col. 331. riolensibus clericis ecclesiam illius urbis sancto Firmino sacram, quam Hugo Pontivensis comes Judocensi monasterio dederat, posteaque Ingelrannus filius ac Guido nepos confirmaverant, certis conditionibus attribuit in collegium canonicorum convertendam, probante Theobaldo Ambianensium episcopo. Sancti Judoci reliquias splendidiorem in thecam laminis argenteis atque lapillis vestitam immitti curavit ab eodem præsule anno 1195. Longiprati vicariam seu vicecomitatum adversus Monasteriolenses sancti Salvii monachos constanter asseruit anno 1198.

XXIII. Florentius II tutandis monasterii juribus strenue adlaboravit ab anno saltem 1203, quo locum habet in tabulis. Hoc enim Gaufridus de Marla miles dimisit in manu Lamberti Morinensis episcopi tertiam partem decimæ quam tenebat in dicta villa de ecclesia sancti Judoci, rogans ut eam conferret Florentio hujus loci abbati. Anno 1203 cum Guillelmo Pontivensi Chart. lxii. col. 335. comite pepigit de limitibus ac juribus comitatus sancti Judoci, quæ anno 1100 Guido comes concesserat. Haud abnuente Florentio Judocensium civium erecta est communia anno 1204 juxta ritus Abbatis-villæ, eodemque satagente Renaldus Boloniæ comes illata monasterio damna post biennium sarcivit. Bonorum denique, jurium ac privilegiorum documenta & chartas exscribi atque unum in corpus redigi curavit. Occurrit in tabulis ad annum 1210, quo abbatibus Clari-marisci & de Longovillari, ac decano Mosteroli monasterium reformandum commisit Innocentius III.

XXIV. Ethardus societatem iniit cum mo- Ch. lxiii. col. 339. nachis sanctæ Berthæ de Blangiaco anno 1217 mense Februario, nunc 1218. E. abbas sancti Judoci supra Mare dedit literas pro capsa sanctæ Ch. lxvii. col. 342. Austrebertæ renovanda.

XXV. Simon *d'Aisseville*, al. *de Laisseville*, ex priore sancti Petri Abbavillensis, sancti Judoci

factus abbas, prima litera nominis designatus reperitur mense Aprili 1220 in regesto 31 chartarum thesauri regii. Composuit anno 1224 litem inter monachos de Valloriis & Balduinum Boloniæ constabularium. Transegit anno 1226 cum Hugone *de Brimeu* & parocho ecclesiæ *de Kamiers* & *Rumbly*, & anno 1227 cum Ingeranno de Frescennevilla. Hujus temporibus anno 1232 combusta sunt ecclesia, dormitorium & officinæ monasterii.

XXVI. Walterus III pactum iniit cum Matthæo Pontivi comite anno 1244 & Maria uxore, quæ primis nuptiis Simoni Monasterioli ac Pontivi comiti juncta fuerat.

XXVII. Eustachius I anno 1256 cum abbate Aquicinctino de erigenda vassallorum *de Ferienes* apud Artesiam communia pepigit. Egidius vero, qui solis in chartis sancti Martini Pontisarensis legitur an. 1269, alius non videtur ab Eustachio.

XXXIII. Petrus II regebat circa an. 1270, ex Sammarthanis.

XXIX. Guillelmus I, piæ memoriæ dictus, anno 1275 cum Willelmo abbate sancti Judoci de Nemore arbiter fuit inter abbatem S. Andreæ & priorem de Belloramo.

XXX. Johannes I 28 Decembris 1280 societatem iniit cum monachis Fiscannensibus.

XXXI. Petrus III anno 1300 innotescit ex actis cujusdam infeodationis.

XXXII. Eustachius II anno 1315 in chartario sancti Salvii.

XXXIII. Nicasius anno 1332 locum habet in tabulis. Post annos quatuor cum Forestensibus monachis concordiam iniit de iis omnibus juribus quæ ad monasterium pertinebant, ob illa prædia quæ ipsi in ejus ditione compararant. An. 1352 cum Pontivensi comite decrevit Judocensis majoriæ leges.

XXXIV. Framericus circa 1360.

XXXV. Aaron 1367 in chartario S. Salvii.

XXXVI. Arnulfus II *Pezel* circiter 1370.

XXXVII. Ricardus *Tumel* sub annum 1390.

XXXVIII. Robertus II ducem Bituricensem ratione comitatus Boloniensis halecum decem millia pendere vi edicti regii coëgit anno 1406. Claustrum anno 1408 perfecit.

XXXIX. Arnulfus III *Nazart* 1418.

XL. Nicolaus II *des Fosseux* 1425.

XLI. Wido II anno 1430.

XLII. Nicolaus III occurrit in relatione cujusdam miraculi facta 1444.

XLIII. Guillelmus II anno 1454.

XLIV. Johannes II *de Vaulx* procuratorem misit ad concilium provinciæ Remensis anno 1455. Regi juravit fidem ultima Junii 1464. Memoratur adhuc annis 1466 & 1471.

XLV. Nicolaus III *de la Fosse* 1472.

XLVI. Adrianus *du Biez* Odoardi *du Biez* Franciæ marescalli consanguineus, e monacho S. Walarici Judocensis abbas 1479, dignitatem abdicavit anno 1496, fato functus anno 1500.

XLVII. Matthæus *de la Varenne* nobilis Boloniensis, mox ab Adriani decessoris cessione creatus abbas, sigillum apposuit suum paci approbatæ a tribus ordinibus Monstrolii 2 Maii 1496. Contendebat anno 1518 pro abbatia S. Salvii, cujus ut abbas regi juraverat fidem 2 Februarii 1513, nunc 1514. Consensum præbuit anno 1523 ut Franciscus *de Crequy* ejusque uxor Margarita *Blondel* parochialem ecclesiam *de Douriers* monasterio subjectam in canonicorum collegium connecteret. Præfecturam Matthæi crebra sancti Judoci miracula sæpe illustrarunt. Hinc frequens ad Sancti tumbam peregrinorum numerus, quibus abbatis nomine loci thesaurarius confectæ peregrinationis redditorumque votorum testem schedulam dabat, officii sigillo munitam. Obiit Matthæus regularium postremus an. 1529 aut seq.

XLVIII. Gilbertus *Motier de la Fayette* filius Antonii equitis, domini *de Pontgibaut* & Margaritæ *de Rouville*, Menati Claromontensis commendæ S. Judoci commendam adjunxit. Regi fidem juravit 17 Decembris 1523, ex regestis Cameræ computorum. Fornices ecclesiæ sustentavit, quod appensa gentilitia scuta produnt. Vitam duxit ad annum 1549.

XLIX. Odetus *d'Auroult* adhuc puer eodem anno occupavit abbatiam, quæ totis decem annis quibus is abbatis gessit nomen gravissimis calamitatibus occubuit. Rerum ejus nomine gestarum seriem singillatim edicere pudet.

L. Guillelmus III *Martel* filius Caroli *Martel* domini *de Bacqueville* & Ludovicæ *de Balzac*, regi a consiliis & eleemosynis anno 1569 Odeto succedens, hostem potius ac deprædatorem bonorumve distractorem se quam commendatarium exhibuit. Hi bellorum Calvinianæque doctrinæ fructus. Reperitur adhuc 1577.

LI. Franciscus *des Essarts*, fratris, cui Monsteriolensis urbis commissa erat custodia, fretus auctoritate, per vim locum invasit. Mox inde pulsus a Gratiano *Chesnu*, quidquid ad manum erat, militari licentia vel abstulit vel consumsit.

LII. Gratianus *Chesnu*, quem defuncto œconomo rex œconomum in spiritualibus designaverat 29 Januarii 1594, approbante majore consilio 18 Februarii anni ejusdem, Franciscum *des Essarts* propriis viribus minime fugarat, sed Caroli Martelli equitis, qui cum uxore & liberis abbatis ædes occupabat, armis adjutus, nomine tenus abbatiam tenuit dum interim Carolus suique gazis incubabant. Quid pauculi taliumque dominorum admissi, nutriti & eruditi nutu monachi facerent, vel ad pietatis officia proficerent? Hæc ad annum 1610 durarunt, tametsi jam ab anno 1604 Gratianus precarius aut fiduciarius abbas dignitatis speciem sæpe consignarat.

LIII. Henricus *Martel* filius Caroli & Guillelmi nepos, cui annis 1604, 1610 & 1615 Gratianus resignarat, bullas a summo pontifice obtinere non potuit; sed patris sui nixus auctoritate, abbatiam tenuit ad annum 1620, quo parens Carolus obiit.

LIV. Stephanus *Moreau* cleri Gallicani syndicus, pacta Henrico *Martel* librarum bis millium annua pensione, abbatiam capessivit mense Maio 1620, sed nupturienti Henrico, diu non stetit annua hæc pensio. Mox Stephano cum Fuquetio

Andegavensi episcopo pactum illicitum obtendente litigandum. Scripsit diarium cœtus cleri Gallicani Lutetiæ habiti anno 1635. Duos e congregatione sancti Mauri monachos in occisi prioris solamen a superstite propriore accitos domo ejecit, sed eosdem longævus abbas anno 1663 revocatos tandem in loci possessionem inducit anno 1669. Restauratum ab eo monasterium hortante imprimis Carolo *Verdiere* priore & abbatis vicario generali. Moritur Stephanus episcopus Atrebatensis 8 Januarii 1670. Cor ejus, uti jusserat, delatum ad Judocenses suos, in basilicæ choro sepultum est cum hoc epitaphio: *Addisce, viator, quod sub jacenti nigri marmoris mole* B *jacet cor reverendissimi ac illustrissimi D. D. Stephani* Moreau, *hujusce monasterii quondam abbatis meritissimi & comitis, necnon Atrebatensis episcopi vigilantissimi, qui cura pastorali annos 20 strenue perfunctus, postquam ultimam manum adhibuit in restauratione hujusce regalis cœnobii, cui annis 50 præfuit, tandem annis & virtutibus in terris coronatus, gloria & honore in cœlum coronandus abiit, dum obiit Atrebati in suo episcopali palatio die 8 Januarii anno Domini 1670.*

LV. Johannes III *de Watteville* nobilis Mediolanensis, Cartusianus presbyter, post initas Catholici regis nomine legationes, Judocensem C abbatiam ceteris dignitatum titulis addidit, nominatus abbas mense Junio 1670. Possessionem iniit 14 Julii 1673. Decanus Bisuntinus, coadjutor Luxoviensis & abbas Balmæ, ibi obiit ineunte anno 1700, annos natus 85.

LVI. Johannes-Armandus comes *de Blanckenheim* canonicus Argentinensis, nominatus a rege abbas, possessionem per procuratorem adeptus est anno 1701.

S. SAUVE.

S. SALVIUS.

De primis sancti Salvii initiis difficultas est. Si enim, ut vult Mabillonius, monasterium D primitus exiguum in honorem beatæ Mariæ & sancti Petri, regnante Theoderico, exstruxerit sanctus Salvius, a quo dictum est Monasteriolum Ambianorum, vulgo Monsteriolum ad Mare, quod monasterium rexit antequam ad episcopatum Ambianensem promoveretur; si Bragum idem est, ut Adriano Valesio videtur, ac monasteriolum castrum Ambianorum ad Quantiam fluvium, quod primo Bragum, dein a S. Salvii monasterio Monasteriolum dictum fuerit, cui monasterio Ansigisus abbas Fontanellensis solidos 10 legavit anno 831, male Helgotus comes Pontivensis hujus monasterii audit fundator. At E si S. Winvaloei Landevenecensis abbatis corpus (Chart. IV. col. 283.) ab episcopo Clemente & abbate Benedicto aliisque propter metum piratarum Minorem Britanniam vastantium, in Majorem Britanniam fugientibus, Monsterolum allatum sit; si Hilgodus comes reverenter illud suscipiens, Sancto monasterium condiderit tempore Ludovici filii Caroli calvi, id est anno 878, plurimisque bonis dotaverit; si illud monasterium primo dictum sit monasterium sancti Winvaloei ad annum fere 1100, quo propter translatum illuc sancti Salvii A corpus dictum est sanctorum Christi confessorum Salvii & Winvaloei, tum sancti Salvii solius: denique si sanctus Salvius in Brago alius non est a sancto Salvio in Brietico apud Valentianas, vere hujus cœnobii primus fundator dicitur Hilgodus in diplomate Henrici regis anno 1042, (Charta V. col. 284.) & innuitur in charta anni 1000, vere hujus monasterii altius anno 878 non est repetenda origo, quam Hilgodo quoque comiti ad id tempus acceptam refert Malbrancus in Morinis, nisi quod in honorem sancti Salvii conditum vult; oppido quoque nomen inditum Monasteriolum, non ab exiguitate monasterii, quod satis amplum & pingui dote cumulatum videbit quicumque chartas a nobis in appendice relatas legerit, sed quodammodo ad discrimen Monasterii *, quam (* Monster.) rationem ubi invenerit nescio. Ceterum hoc monasterium, tam a regionis primatibus, Francorum regibus Hugone, Roberto, Henrico, Philippo, &c. quam a summis pontificibus belle dotatum quomodo postea in præceps ruerit nescimus; nam anno 1467 ecclesiæ ædificiis & structura sumtuosa navi cum parte magna chori funditus a summo usque ad deorsum prostrata, fructus, reditus & proventus monasterii adeo erant rari & tenues, ut fidelium manus adjutrices implorare coacti fuerint monachi, missis hac illac pro horumce temporum more reliquiis, quibus eorum abundat ecclesia. Damnosa abhinc semper imminuit dies: anno enim 1536 tota cum urbe igne absumta est abbatia, & ad nihilum fere redactum est monasterium, quod monachi congregationis sancti Mauri illuc a Francisco *Benoise* commendatario inducti, relevare totis viribus nituntur. Abbatum nomina partim ex chartis & tabulariis, partim ex necrologio eruimus, sed in hoc quatuor menses desiderantur.

INDEX ABBATUM.

I. RAMERICUS, non primus abbas, quippe (Chart. IV. col. 283.) qui prædecessores suos vocat, qui longa in pace tenuerant villam Caveronis ab Helgaldo comite datam, cujus turbatæ advocatum constituit Alulfum comitem Hisdinii anno 1000, indict. XIII, Roberti regis tertio. Obiit Ramericus primus abbas notus idibus Februarii, ex necrologio.

II. Gualterus Grimutio, ut pote discipulus Ingelranni abbatis Centulensis, sedebat circa 1020.

III. Normannus ecclesiæ Cantuariensis professus, sancti Salvii abbas electus est, cujus ordinationi ut assensum præberet Anselmus ejusdem archiepiscopus, a Gervino Ambianensi episcopo rogatus, renuit eo quod ipso inconsulto in Galliam trajecisset. Tenuisse tamen videtur ejus electio, nam adfuit anno 1097 translationi S. Folquini Morinorum episcopi. Huic Wido Pontivorum comes donavit justitiam in omnibus terris monasterii anno 1100, Philippi regis 40. Defunctus est v nonas Maii.

IV. Richarius subscripsit anno 1124 chartæ Ingelranni episcopi pro Lehunio, & 1126 pro

Corbeia. Testis adhuc legitur in chartis Guarini episcopi Ambianensis confirmantis bona ecclesiarum Aquicincti & Lehunii annis 1131 & Ch. xxvii. col. 308. 1134. Subscripsit 1138 chartæ Guarini episcopi pro parthenone Durlendensi. Idem videtur ac Richardus cui bullam Innocentius II concessit vi calendas Aprilis 1143.

Ch. xxxii. col. 312. V. Eustachius subscripsit chartæ Theoderici episcopi pro monachis Aquicinctensibus. Cum Bernardo Hisdinii comite Cavenoris advocato convenit de oneribus & privilegiis advocati anno 1148. Bullam obtinuit ab Anastasio IV, in appendice relata, Ch. xxxvi. col. 314. viii cal. Maii 1154. Reperitur adhuc 1156 in charta Theoderici episcopi.

VI. Herbertus legitur anno 1167 in charta Roberti episcopi pro Corbeia. Obiit cal. Aug.

VII. Hugo occurrit in charta Arnulfi *de Mentenay* possessiones capellaniæ *de Collen* restituentis anno 1167. Testis est donationis factæ S. Judoco ad Mare a Matthæo comite Boloniæ anno 1173. Memoratur 1177 in charta Theobaldi Ambianensis episcopi pro Hugone abbate Balantiarum.

VIII. Robertus I nemus *Acres* ad censum dedit anno 1182. Cum Galterio abbate sancti Judoci de Nemore testis legitur in literis Theobaldi episcopi pro monasterio sancti Andreæ. Idemne est ac R. qui anno 1201 mense Julio nonnulla ad censum ad preces regis Francorum concessit? Obiit calendis Augusti.

Chart. lxi. col. 338. IX. Petrus subscripsit anno 1203 chartæ sancti Judoci, & cum Florentio sancti Judoci ad Mare & Roberto sancti Andreæ de Nemore abbatibus donationi factæ sancto Andreæ ab Eustachio *de Brimeu.*

X. Rainerus compositioni inter Florentium abbatem sancti Judoci & Rainerium *de Sainveest* testis subscripsit anno 1205. Componit ipse cum Simone *de Dongere* milite. Obiit xv cal. Februarii.

XI. Alermus quædam jugera a terragio absolvit anno 1210. Obiit idibus Februarii.

XII. Amalricus corpus sancti Justi martyris in aliam thecam transferri curavit ab Evrardo episcopo xi calendas Maii 1213, Philippi regis 35. Cum Simone *de Dongere* composuit anno Ch. lxvii. col. 342. 1218. Dedit literas pro restauratione capsæ S. Austrebertæ.

XIII. R. legitur 1228 mense Februario in chartulario Compendiensi. Hiccine est cui recens electo ut temporalium copiam faciat rogant regem monachi sancti Salvii anno 1224?

XIV. Warnerus anno 1245 decimæ partem acquisivit a Petro filio Guidonis de Maisnillo in territorio *de Belmery*, & 1248 feodum de Campignolis ab Arnulfo de Bloovilla. Obiit pridie calendas Augusti.

XV. Johannes I laudatur in sententia arbitrali B. episcopi Ambianensis, tres partes decimæ agnorum & lanarum medietatemque candelarum in die Purificationis B. Mariæ monachis sancti Salvii adjudicantis adversus Radulfum parochum beatæ Mariæ *de Airon* anno 1276 sabbato post dominicam *Misericordia Domini.* Cum Guillelmo

A *de Cayeu* domino *de Longvillers* composuit anno 1278 de justitia in villa S. Mariæ. Ratam habuit anno 1297 latam ab Arnulfo *de Beaurains* decano S. Firmini, &c. sententiam inter monachos sancti Salvii & majorem scabinosque urbis mense Decembri. Literis mense Novembri 1299 declaravit privilegiis urbis nullum factum fuisse præjudicium propter clericum quem ballivus abbatiæ in claustro monasterii apprehenderat & incarceraverat. Occurrit in chartis annorum 1300, 1309, 1310. Johanne sedente post multas litium ambages cum fratribus B. Mariæ de Montecarmeli, interventu Arnaldi cardinalis S. Priscæ,
B facta est compositio inter dictos fratres & parochos & abbatem sancti Salvii, quam de novo instituti prior & sacrista deinceps jurare tenerentur. Johannes adhuc silvæ portionem acquisivit anno 1316. Eduardus II Angliæ rex abbati Monstrolii concessit altam justitiam in terris & locis suis, anno regni 14, die veneris post festum sancti Barnabæ. Johannes obiit nonis Aprilis.

XVI. Gerardus *Gervais* memoratus 1327, per compositionem acquisivit a parocho S. Vedasti *de Esquir* decimam *de Esquir, de Beaumery* & de sancto Justino anno 1329. Obiit xii calendas Junii.

C XVII. Nicolaus I *de Quessebronne* composuit cum Philippo *de Crequy* pro villa *de Verton* anno 1353. Obiit vii calendas Maii.

XVIII. Robertus II *Pezel* lites composuit an. 1359 cum majore & scabinis urbis circa justitiam & jurisdictionem tam in urbem quam in flumen Quantiæ, sed pax illa brevi turbata est; nam anno 1361 quum major & scabini in processione generali virgam jurisdictionis abbatiæ signum e manu vicecomitis abbatiæ per servientem suum abstulissent, vicecomitemque in carcerem detrusissent, res ad senatum Parisiensem delata est, qui sententiam ab arbitris de ipsius
D consensu Jacobo *de Frencq* decano S. Firmini, &c. latam confirmavit 28 Martii 1361, nunc 1362, qua ordinatum est ut in alia processione virga vicecomiti ab ipsis majore & scabino restitueretur, veniaque ab abbate peteretur, quod & factum est feria iv post Pascha anno 1362. Robertus anno 1366 litium capita 23 cum iisdem terminavit die 10 Decembris. Litem aliam habuit anno eodem cum iisdem, ratione injuriarum a civibus abbati, monachis & illorum gardiatori illatarum, pro qua juxta arbitrium a Parlamento approbatum duodecim cives publice deferentes in manibus cereos ardentes veniam ab abbate
E petierunt die 11 Aprilis 1367. Robertus majori & scabinis permisit 15 Maii 1377 ut horologium publicum in turre ecclesiæ collocarent. Obiit vi idus Aprilis.

XIX. Johannes II *Lupart* composuit 1 Junii 1383 cum majore & scabinis oppidi *de Waben.* Obiit vii idus Februarii.

XX. Andreas *de Milly* commutationem fecit cum Guidone *Gueret* anno 1415. Lites cum majore & scabinis composuit 5 Maii 1419. Pontificalium insignium usum obtinuit a Martino V pontificatus anno iii. Litem terminavit

anno 1436 20 Februarii cum Cartusianis B. Mariæ a Pratis pro duobus feodis. Molendinum Caveronis ad censum dedit 23 Februarii 1437. Obiit III idus Junii.

XXI. Balduinus *Doré* ultima Julii 1444 composuit cum parocho beatæ Mariæ *de Airon* super decimis ejusdem. Querelam habuit cum Colardo *de Sains* de jure præsentandi ad parochiam *de Caveron*, quod utrique alternatim assertum est anno 1445. Lites cum majore & scabinis finivit anno 1458. Reperitur adhuc 1461. Regi fidem juravit ultima Junii 1464. Obiit XI calendas Februarii.

XXII. Johannes III *Lobain* jam memoratus mense Maio 1466, ad resarciendas sancti Salvii ruinas, aliquot e suis monachis misit cum reliquiis Sanctorum 7 Augusti 1467, qui fidelium eleemosynas colligerent. Convenit 11 Aug. 1475 cum Jacobo *de Bouflers* pro terra *de Vironchaux*. Ludovico XI fidei sacramentum præstitit 10 Martii 1476, ex regiis literis, in quibus vocatur Johannes *Loupain*. Obiit die 5 Novemb. 1480, sepultusque est cum hoc epitaphio:

Hac fuit æde pater venerabilis ipse Johannes
Lobbain, *qui quinta luce Novembris obit*
Anno milleno quingento, demite tantum
Viginti, veniet funeris annus eo.
Hic templi magnas valuit reparare ruinas.
Corpus humo jacet hic, spiritus astra petat.

XXIII. Guillelmus *de la Pasture* canonice electus & confirmatus, benedictionis munus accepit & possessionem iniit anno 1480. Æmulum tamen passus est Stephanum *Goupillon* episcopum Sagiensem nominatum a Juliano cardinali sedis apostolicæ legato. Lite ad senatum delata, vicit Guillelmus anno 1482, qui ecclesiæ B. Mariæ *de Darnestal* primum lapidem posuit 3 Julii 1486, sancti Wlfagii nunc Carmelitarum 18 Februarii 1492, sancti Justini tunc succursalis parochiæ *de Esquir*, nunc vero destructæ, 13 Januarii 1493, & xenodochii sancti Nicolai 5 Julii 1496. Hujus ad preces anno 1490 14 Maii Petrus episcopus transtulit corpus sancti Winvaloei in argenteam capsam. Sigillum apposuit suum paci approbatæ a tribus ordinis Monstrolii 2 Maii 1496. Omnes quæ supererant monasterii chartas in duobus tabulariis describi mandavit, quæ & hodie leguntur. Obiit XIV calendas Maii 1504, corpus ejus sepultum in capella ecclesiæ cum hoc epitaphio:

Qui Guillelmus erat, jacet hic Pasturius abbas,
Intus ter septem postquam bene regnat in annis.
Cessit præ morbo, quem acquirit Aprilis in anno
Domini millesimo quinquagesimo puta quarto.

Choro autem ecclesiæ tempore obsidionis anno 1544 destructo, destructa quoque fuit capella, unde postea Franciscus *Benoise* decessor ossa & epitaphium transtulit anno 1707 in chorum ecclesiæ prope altare ad latus Evangelii, laminamque hæc continentem posuit:

Anno Domini 1707
Reverendissimi in Christo patris
domni Guillelmi de la Pasture
hujusce monasterii abbatis regularis
ossa
ut decentius quiescant,
a clarissimo D. D. Francisco Benoise
ab intimis consiliario,
necnon ordinario regis eleemosynario
pio erga prædecessorem amore
huc translata sunt
septimo calendas Septembris.

XXIV. Jacobus I *de Coulon* convenit anno 1507 cum matriculariis B. M. *de Darnestal* de diebus & horis quibus eis liceret campanas pro vesperis pulsare. Obiit pridie idus Aprilis, & sepultus est, ex necrologio, in capella B. Mariæ prioratus divi Martini de Crepiaco in Parisiaco.

XXV. Matthæus *Becquelin*, cujus tempore demandata fuit a Francisco episcopo Dionysio abbati sancti Andreæ in Nemore redituum sancti Salvii procuratio anno 1518. Eodem & sequenti Matthæus quædam monasterii prædia divendidit ad solvenda debita.

XXVI. Philippus *de Rochebaron* 8 Oct. 1533.

XXVII. Carolus *de Rouvroy*, dictus *de S. Simon*, filius Ludovici ex Iolanda *de Rochebaron*, vicarius generalis cardinalis Lotharingi abbatis Fiscannensis, abbas sancti Salvii ipse Franciscum *de la Chapelle* priorem S. Salvii vicarium suum generalem instituit 22 Junii 1548.

XXVIII. Jacobus II *de Sayve* doctor 1550.

XXIX. Johannes IV *de Biencourt*, ex monacho Molisinensi abbas erat 1554. Ecclesiæ Remensi obedientiam pollicitus est anno 1564. Reperitur adhuc 26 Junii 1566, at N. *Froment* bona monasterii œconomus gerebat 26 Octobris anni ejusdem.

XXX. Antonius *de Cuppis* episcopus Sistaricensis commendam tenebat annis 1580 & 1583. Vide t. I, col. 504.

XXXI. Godefridus *de la Rue*, ex monacho abbas universa monasterii bona elocavit 9 Julii 1624. Defunctus 29 Julii 1631 sepultus est in capella beatæ Mariæ, ubi legitur:

Epitaphium D. D. Godefridi de la Rue.
Nostri quietos hic locus cineres patris
Urna recondit, hacce quem nuper domo
Abbatiali sede defunctum polus
Nobis ademit: vixit hic mitra sacer,
Sibi satis, annos quinque ter denos, suis
Utinam relictus pristinas leges daret.
Illum futura jure posteritas colat,
Qui Salviensi reddidit templo decus,
Ejusque manium supplici memor prece
Dicat, sit olli semper in Deum quies.
Obit sexagenarius Aprilis die 29
anno R. S. 1631.

XXXII. Ludovicus *Teslu* 1636.

XXXIII. Henricus *Teslu* filius Ludovici domini *de Villers*, regiæ mensæ & vigilum Parisiensium

præfecti ex Francisca *Barat* altera conjuge, germanum habuit Jacobum abbatem Bellævallis, ipse vero sancti Salvii commendam tenebat anno 1650, & obiit 1689.

XXXIV. N. *Bessiere* uno tantum anno commenda potitus est, nominatus a rege 15 Aprilis 1689.

XXXV. Franciscus *Benoise* filius Petri consiliarii in magno consilio, canonicus ecclesiæ Ambianensis, regique a consiliis & eleemosynis, nominatus a rege abbas 25 Martii 1690, reformatos congregationis sancti Mauri monachos accivit anno 1706, & obiit mense Januario 1725.

XXXVI. Nicolaus II *Gedoin* canonicus sacræ capellæ Parisiensis, unusque e XL viris academiæ Gallicanæ, & pensionarius academiæ inscriptionum, renunciatus a rege commendatarius 27 Aprilis 1725, cessit pro commenda Balgenciaci anno exeunte 1730.

XXXVII. N. *Perrinot de Cernay* designatur a rege 27 Januarii 1731.

Sunt & alii abbates in necrologio memorati, quibus assignare locum adhuc non licuit. Hi sunt

Simon VIII calendas Aprilis.

Walterus VI idus Maii & pridie idus Julii.

Heriboldus VIII calendas Julii.

Walo abbas depositus VIII calendas Septemb.

Jam diximus quatuor menses in necrologio desiderari, in quibus alii forte reperti fuissent abbates.

S. Fuscien aux Bois.

S. FUSCIANUS *in Nemore*.

QUatuor aut quinque passuum millibus distat Ambiano sancti Fusciani cœnobium versus Australem plagam in edito colle. Ab adjuncta silvula cognomen traxit ante annos fere septingentos. At sancti Fusciani nomen non monasterio solum, sed etiam adjacenti vico datum a principio. Perobscura sunt monasterii ejus primordia, D de quibus ex relictis monumentis quidquam certum definire non licet. Sic res videtur habuisse: quum sæviente Paganorum furore Fuscianus una cum sociis Victorico & Gentiano martyrium subiisset in vico ab eorum hospitio & passione *de Sanctis* nuncupato, eorumque diu latuissent corpora, inventa demum medio seculo VI inde amovere quum non potuisset Childebertus rex, in eorum sepulturæ loco basilicam construi jussit, in qua reconderentur. Hinc ortum volunt monasterium sancti Fusciani, ex quo martyrum reliquiæ Ambianos postea delatæ, in majori ecclesia primum collocatæ, inde translatæ sunt, E Gentiani quidem in monasterium Corbeiense, Victorici vero Augustam Viromanduorum. Ebrulfi abbatis Bellovacensis acta monachorum gregem seculo VI procedente ibi consedisse docent, quibus patre destitutis, suasu Fredegundis reginæ, Ebrulfus abbas a palatii proceribus præfectus est. Hæc quidem ab auctore scripta sunt, qui post medium seculum IX vivebat; at id saltem elici posse videtur seculi IX hominibus longe antiquiores monasterii ejus creditos natales, quam innuunt Godefridi Ambianensis episcopi literæ,

A quibus monasterium ab Ingelranno comite primum ædificari cœptum adstruit. Verum seculi XI & sequentib. familiare est scriptoribus monasteriorum instaurationes primæ illorum origini adsignare, sive ob ignorata locorum illorum primordia, sive quod Normannicis tempestatibus adeo prostrata fuerint antiquæ religionis monumenta omnia, ut quum hæc in nobilium venissent manus, hereditario jure ab eorum posteris non secus ac reliquæ ditiones & latifundia possiderentur. Et certe tempore Godefridi Ambianensis episcopi hominum injuria deleta erant in diœcesi Ambianensi pleraque claustra. Deinde quis putet B Ambianensium pietatem adeo languisse, ut de ornanda sacroque cultu honoranda martyrum palæstra non ante seculum XII cogitarint? At quam insigne fuerit priscis temporibus hoc Sanctorum domicilium, tam rerum ibi gestarum omnis intercidit memoria. Ad Ingelrannum itaque seculo XI exeunte comitem Ambianensium referenda est ejus loci rediviva conditio, quam Godefridi antistitis literæ in appendice proferunt. Mitto alios benefactores in iis recensitos, quorum donis monasterium ad eam non quidem amplitudinem, quæ cetera magni nominis extollit asceteria, sed dignitatem pervenit, ut plures C ipsi tum cellæ tum ecclesiæ fuerint subjectæ. Verum ingruentibus subinde bellis & commendarum lege subjecta, sic exhaustum rebusque spoliatum omnibus erat seculo præterito monasterium, ut quum meliorem formam daturi congregationis S. Mauri monachi locum subierunt, vix tuti ab imbribus, vel in ecclesia, vel in adjunctis tuguriolis possent consistere. Vicit tamen nostrorum patientia, revocandæque disciplinæ ac tutandi laris studium singulare, monasteriumque a fundamentis, ut & multa alia, instaurarunt.

Ch. XIX. col. 301.

Ch. XVIII. col. 299.

Series Abbatum.

I. ODOLRICUS ab Ingelranno comite videtur accitus e Corbeiensi monasterio, cui tum præerat Fulco magnus Ingelranno notissimus, qui surgenti vel renascenti cœnobio monasticos ritus insereret. Hinc Odolricus in Corbeiensi necrologio locum habet ad X calendas Februarii. Quantum is erigendo Fuscianensi monasterio laboris ac industriæ impenderit, non silet Godefridus episcopus, qui hunc venerabilem virum locique ædificatorem laudat. Allecti religionis ejus ac sanctitatis fama nobiles, multa cœnobio prædia contulerunt, & ex illis aliqui sub sanctiori militia, Christo merituri, seculo vale dixerunt. Odolricum ante annum 1105 desiisse probat Godefridi episcopi diploma synodicum, in quo primus loci illius abbas dicitur.

II. Radulfus I, jam memoratus annis 1105 & 1106, locum habet anno 1107 in Paschalis II literis, quibus statuit pontifex ut ecclesia S. Remigii in suburbio civitatis Ambianensium, a Godefrido donata cum appendiciis suis, salvis episcopalibus exeniis, in monasterii cedat emolumentum. Hic gravi morbo affectus Ivonem Carnutensium episcop. rogavit ut sibi succurreret. Verum

Ep. 255. Verum quominus id efficeret Ivo, locorum intervallis se impediri respondit, monens ut corporales molestias patienter ferat, quas pro purgatorio igne divina ei misericordia contulerat. Quod si viderit se regendo monasterio sufficere non posse, hortatur ut det locum alicui de fratribus, quem congregatio regulariter elegerit. In fine censet unctionem quam ille semel acceperat iterandam non esse, ne sacramentis injuriam ingerat. E morbo recreatus videtur, huic enim Ingelrannus episcopus concessit anno 1125 ut ecclesiæ sancti Petri *de Moustiers* & sancti Leodegarii de Longo-prato tenerentur a prioratu sancti Remigii in Nemore. Anno sequenti subscripsit literis Ingelranni episcopi pro Corbeia. Obiit idibus Septembris, ex necrologio Corbeiensi.

III. Eustachius reperitur in literis Guarini episcopi pro Majori monasterio anno 1134. Componit anno 1138 cum Olrico priore sancti Laurentii in Nemore pro ecclesia sancti Nicolai *de Renny*. Subscripsit anno eodem chartæ Guarini episcopi pro parthenone Durlendensi. Occurrit adhuc in tabulis anno 1141. In necrologio Corbeiensi supremus illi dies assignatur VIII idus Martii.

Ch. XXVII. col. 308.

IV. Gigomarus, e monacho Majoris monasterii abbas sancti Fusciani, subscripsit literis Theoderici episcopi prioratum sancti Martini in abbatiam erigentis anno 1145, 1147 & 1151 pro canonicis beatæ Mariæ, 1153 pro decima sancti Petri, ex chartulario sancti Martini de Gemellis, & 1155 in chartis sancti Johannis. Abdicata præfectura, ad Majus monasterium, unde venerat, reversus est. Obiit V id. Nov.

Ch. XXIX. col. 309. Ch. XXXII. col. 311.

V. Rainerius occurrit anno 1156 in chartis domesticis, & 1161 in literis Theoderici episcopi pro Aquicincto, ex chartulario Corbeiensi. Subscribit anno 1167 chartæ Hildegarii abbatis sancti Geremari pro Gardo. Legitur anno 1170 in chartis Fulcardimontis. Testis fuit in literis Theoderici episcopi pro S. Walarico de Alodio.

VI. Dodo, seu Doto, aut Otto, præfuit ab anno 1178. Huic tradidit Theobaldus episcopus reditus quos Ingerannus de Bova concessit 1198 ad dotationem beatæ Mariæ in Campis. Ingeranni ejusdem subscripsit literis anno 1200. Reperitur adhuc anno 1202. Obitus ejus incidit in calendas Augusti.

VII. Johannes I anno 1203 laudatur in literis Theobaldi episcopi subscribente Hugone dapifero milite. Præfuit saltem ad annum 1210, quo iterum legitur in tabulis.

VIII. Radulfus II sub simplici apice R. memoratus anno 1212 in chartis S. Johannis. Anno 1215 una cum Drocone milite de Sessolio pepigit, itemque anno 1221 cum H. sancti Acheoli abbate. Scripsit cum aliis abbatibus Honorio III & cardinalibus de ablata canonicis sancti Johannis Ambianensis parochia sancti Germani.

IX. Robertus I, ex monacho Corbeiensi abbas 1223, devixit idibus Septembris.

X. B. 1225, nisi sit Robertus prima nominis litera male designatus & lectus.

XI. Fulco monasterium regebat anno 1231. Subscripsit anno 1234 nonnullis literis cum Gerardo vicedomino Ambianensi & Pinconii domino, atque Matthæo *de Issent* milite. In ejus gratiam idem Gerardus aliqua cessit cellæ sancti Dionysii de Folliaco, in qua filia ejus Adelaïs sepulturam accepit.

XII. Richardus I anno 1246 commutationes facit cum Frigidomonte.

XIII. Petrus I anno 1249 notatur. Obiit VII calendas Novembris.

XIV. Richardus II annis 1250 & 1265 dicitur abbas in tabulis. Obiit VI idus Octobris.

XV. Guido 1275 precum ac suffragiorum societatem iniit cum Johanne Forestensis monasterii abbate. Occurrit mense Julio 1281 in archivis Ulterioris portus, 1285 & 1289 in chartis sancti Martini de Gemellis. Is auctor creditur basilicæ quæ adhuc superest.

XVI. Johannes II annis 1294 & 1317 innotescit, quo ultimo quasdam decimas cedit monasterio Flaviacensi sub annuo censu. Occurrit adhuc anno 1321 in chartario Corbeiensi.

XVII. Guillelmus de Tretriaco 1331.

XVIII. Hugo de Viriaco floruit anno 1341. Debitorem se recognoscit ecclesiæ Corbeiensi 13 Januarii 1346. Memoratus adhuc 1368, defungitur X calendas Maii.

XIX. Johannes III abbas dicitur 1379.

XX. Johannes IV de Viriaco electus 20 Julii 1385, vixisse creditur ad ejus seculi finem.

XXI. Johannes V *le Prevôt* anno 1401 societatem iniit cum monachis Brituliensibus. Sedebat adhuc 1413.

XXII. Firminus *le Petit*, decessoris cessione factus abbas anno 1432, occurrit 1433. Obiit pridie calendas Augusti.

XXIII. Johannes VI *le Sellier* 1445.

XXIV. Godardus *Bardoult* 1454.

XXV. Martinus *le Barbier* sacellum in hospitio Ambianensi erexit anno 1474. Legitur adhuc annis 1477, 1480 & 1484. Mortuus VI idus Junii.

XXVI. Johannes VII *Hecquet* 1491.

XXVII. Petrus II *Douvillier* anno 1495. Abbatiam dimisit 1497, ejusdem anni VI calendas Januarii desideratus.

XXVIII. Matthæus *Bocquet* electus 20 Martii 1498, occurrit adhuc mense Aprili 1501.

XXIX. Robertus II *Watel* abbatiam tenuit ad annum 1520, quo regis adnisu sororis filio Johanni cessit, retenta beneficiorum collatione, superstes ad anni 1532 V nonas Julias.

XXX. Johannes VIII de Bursa regularium postremus abbatis domum ædificavit. Jacet in basilica sub hoc epitaphio: *Venerandus re & appellatione D. Johannes de Bursa hujusce monasterii dum vixit abbas, hic ex conspectu die XVII calendas Februarii quiescens, suam exspectat immutationem. Oratione manibus ejus litato, 1533. Nemo malus felix.*

XXXI. Johannes IX *le Veneur* episcopus Lexoviensis & cardinalis, commendam tenuit ab anno 1533 ad 1543, quo Romæ obiit & sepultus est.

XXXII. Ferrandus *des Forges* commendatarius legitur ab anno 1543 ad 1566.

XXXIII. Franciscus *Audran*, al. *Andrauld*, vicarius generalis cardinalis Borbonii, reditibus potiebatur annis 1568, 1569 & 1570.

XXXIV. Ludovicus I *de Mainteterne* 1575.

XXXV. Claudius *de Carpentin* canonicus Parisiensis, commendatarius Ripatorii, tum sancti Fusciani anno 1577, cessit in gratiam sequentis. Jacet in ambitu ecclesiæ Parisiensis, mortuus 27 Julii 1582, ætatis 66.

XXXVI. Carolus I *Faye*, filius Bartholomæi domini *d'Espeisses* præsidis in camera Inquisitionum, & Mariæ *Viole*, Parisiensis ecclesiæ archidiaconus, & Parlamenti erat consiliarius. Dum præesset anno 1596 ædes prope omnes & campanile conflagrarunt. Anno circiter 1604 impluvio cecidit navis ecclesiæ. Ne rebus in melius restituendis sumtus refunderet Carolus, dignitatem abdicavit in gratiam sequentis. Sepultus quoque est in ambitu chori ecclesiæ Parisiensis ante portam capellæ sancti Rigoberti, cum hoc epitaphio:

Hic jacet vir clarissimus Carolus Faye *supremi Parisiensis ordinis senator, hujus ecclesiæ canonicus, abbas sancti Fusciani, nobilissimis Fayorum & Viularum gentibus oriundus, illa paternam, hac maternam originem ducens, sed illa Bartholomæi patris & Jacobi fratris celebritate imprimis illustri, cui non exiguum etiam iste accessit decus. Vixit morum comitate & candore omnibus suavis, ingenio aperto, sine fuco & fallaciis, quod vultus tranquillus & frons sine supercilio gravis præ se ferebat. Munus suum summa cum justi & æqui observantia illæsa & ἀμωμήτῳ fide, plurimis reipublicæ bono negotiis interea gestis per quadraginta annos obiit, quibus ad vitæ periodum felicissime exactis, eo beatior sibi visus est, quod ad Henrici magni augustissimæ prolis imperium diem perduxit, in cujus nimirum creandæ finem, dissolutionis priorum nuptiarum procurationem sibi deferri meruerat. Ætatis agens* LXX *e vita migravit anno salutis 1617 Maii* XIX. *Requiescat in pace.*

XXXVII. Emmanuel *d'Ailly* Emmanuelis vicedomini Ambianensis & domini de Pinconio ac comitis *de Chaulnes* nothus, commendam habuit ab anno 1607 ad 1622 7 Martii, quo die mortuus est.

XXXVIII. Carolus II *d'Ailly* Emmanuelis germanus, congregationis S. Mauri monachos in monasterium sancti Fusciani accivit 12 Decembris 1648. Reliquias S. Fusciani a Francisco episcopo Ambianensi obtinuit 12 Julii 1651. Obiit die 9 Augusti 1668, sepultusque est die XI in ecclesia S. Fusciani prope Emmanuelem cum hoc epitaphio utrique communi: *Hic jacent duo fratres, Emmanuel & Carolus* d'Ailly *quondam hujusce monasterii abbates, quorum alter zelo motus piissimo, in hoc idem monasterium introduxit reformationem monachorum sancti Mauri, ordinis sancti Benedicti anno Domini 1648, obiitque 9 Augusti 1668, ætatis suæ* LXXVI, *sepultus die 11 in ecclesia sancti Fusciani prope germanum Emmanuelem.*

XXXIX. Ludovicus II *Sublet d'Heudicourt* filius Michaëlis domini *d'Heudicourt* & Dionysiæ *Bourlon*, nominatus a rege anno 1668, possessionem iniit 7 Septembris, iterumque 1675 a summo pontifice bullis donatus. Cessit in gratiam sequentis.

XL. Philibertus-Bernardus *Baudry* a rege renunciatus, anno 1722 possessionem apprehendit.

Hos præter, incertæ ætatis recensentur

Simon I in necrologio Corbeiensi notatus XIII calendas Februarii.

Simon II ibidem locum habet III non. Febr.

Amiredus obiit nonis Februarii.

Martinus defunctus calendas Octobris.

Ratbodus mortuus VII calendas Decembris.

FORESTI-MONASTERIUM.

FOREST-MOUTIER.

Aliquot ante obitum annis sanctus Richarius presbyter & abbas Centulensis, seculi tumultum & honores declinans, ut liberius soli Deo vacaret, secessit a Centula quinque circiter passuum millibus in silvam Forestensem alias Crisciacensem, ubi Gislemarus vir illustris piusque, ac Mauronus vir nobilis & regiarum silvarum præfectus, locum ei ad construendam cellam tradiderunt prope vicum Argubium, ubi nunc vicus Argennæ cernitur juxta Quantiam fluvium. Forestensem cellam veteres appellarunt, recentiores Forestense monasterium. Eo in loco vir sanctus monasterium in honorem beatæ Mariæ construxit, ubi VI calendas Maii 645 spiritum emisit. Corpus positum in sepulchro quod ipsi Sigobardus commilito antea paraverat, fratres a Centulensi monasterio in Forestense convenientes VII idus Octobris in suam basilicam transtulerunt. Foresti cella sub finem seculi octavi a jure Centulensis monasterii abstracta erat, quam Angilberto abbati rex Carolus anno 798 restitui jussit IV calendas Maii, ut deinceps hic locus & Centulense monasterium sub unius abbatis regimine ut prius consisterent. Non multo post, anno scilicet 831, quo jussu Ludovici Augusti facta est descriptio seu recensio omnium Centulensis monasterii possessionum, tres erant in Foresti cella ecclesiæ, nempe sanctæ Mariæ, sancti Petri & sancti Richarii, cum varia supellectile, variisque ornamentis, ibique degebant triginta canonici subjecti abbati Centulensi. Sic olim in cellis erant clerici sub abbatibus. Canonicorum numerus paulo post ad 12 redactus est, quum scilicet Ludovicus abbas Centulensis, ut augeret monachorum portionem, præceptum a Carolo rege obtinuit V calendas Octobris, anno regni 5, indictione VII 844, quo præter ceteras possessiones cella Foresti ea lege monachis conceditur. Hanc iterum Centulensibus ablatam Hugo Capetus sub finem seculi decimi Hugoni militi advocato monasterii Centulensis dedit, qui ipsius filiam uxorem duxerat. Hic autem monachos Centulenses ibidem clericorum loco substitui postulavit, quibus abbates ex Centulensium grege præfici statutum est. Horum jugum Forestenses monachi processu temporis excusserunt.

Abbatum Ordo.

I. Guido I Angelranni abbatis Centulensis germanus, Ingelardi decessoris Angelranni discipulus, Forestensi cellæ primus præfuit abbas, ex eo tempore quo hæc cella proprios abbates habere cœpit. Regebat autem an. 1010. Post annos aliquot oculorum lumine orbatus, Centulam se recepit, ubi VIII calendas Maii defunctus, ad tumulum piissimi monachi Odelgeri humatus est in ecclesiola S. Vincentii martyris claustro contigua, & epitaphio a fratre honoratus:

Mausoleum hic patrem recolendum rite Guidonem
Sculptus litterulis monstrat habere lapis.
Extulit egregie quem mundo gratia vitæ,
Sublimem mundus hunc faciat precibus.

II. Hubertus Ingelardi quoque abbatis discipulus, præerat anno 1021.

III. Fulco Angelranni Pontivorum comitis filius, fraterque Hugonis comitis & Guidonis Ambianensis episcopi, ab Henrico rege, qui tunc forte in Pontivum venerat, interventu patris sui, Centulensis primum, tum Forestensis abbas designatus, nonnisi defuncto Angelranno abbate primoque post ejus sepulturam die, IV forte idus Decembris 1045, Forestensi monasterio prælatus est. Interfuit sacro Philippi I filii Henrici I Remis die Pentecostes 1059. (Chart. xx. col. 23.)

IV. Ingelerus, idem forte qui decanus erat sancti Richarii anno 1067, adfuit concilio Compendiensi anno 1085.

V. Robertus I ex monacho Centulensi electus est abbas, pro cujus consecratione ab abbate sancti Richarii, J. archidiacono Ambianensi & comitissa Pontivi rogatus Manasses Remorum archiepiscopus, rogavit Lambertum Atrebatensem episcopum, quia locus ille non sufficienter necessariis abundabat, nec ad eum Roberti facile patebat accessus. Adstitit concilio Ambianensi anno 1105, & subscripsit literis Godefridi pro sancto Fusciano, & Ingelranni itidem episcopi pro Corbeia anno 1126. (Ch. XVIII. col. 301.)

VI. Guido II occurrit anno 1134 in charta Guarini episcopi pro cella de Bodinicurte, & 1135 pro sancto Johanne Ambianensi.

VII. Johannes I præerat anno 1146, cujus temporibus Alexander III & Innocentius III monasterium sub apostolica protectione suscipiunt, jusque abbatiæ Centulensis confirmant. Memoratur 1160 in charta Bodinicurtis, & 1167 in archivis Corbeiæ.

VIII. Almaricus 1210 in charta sancti Salvii Monstroliensis.

IX. Nicolaus anno 1215 societatem iniit cum monachis sancti Walarici. Ejus temporibus Innocentius IV facultatem facit abbati S. Richarii ut quoties eum contingeret incurrere censuras a sede apostolica prolatas, vel aliquam irregularitatem inde contrahere, abbas Forestensis eum absolvere possit, & a constitutionibus quæ non sunt de substantia regulæ dispensare, donec aliter duxerit ordinandum. Datum Lugduni XV calendas Aprilis.

X. Walterus reperitur annis 1250 & 1260 in chartis Loci-Dei.

XI. Johannes II societatem iniit cum Guidone abbate sancti Fusciani anno 1273, & cum monachis sancti Vedasti de Morolio anno 1287, unus ex exsecutoribus Johannæ comitissæ Pontivi, Monstrolii & Albæmarlæ, reginæ Castellæ & Legionis.

XII. Reginaldus 1300.

XIII. Hugo 1336.

XIV. Philippus ex abbate Foresti monasterii factus abbas sanctæ Columbæ Senonensis anno I Innocentii VI 1353.

XV. Johannes 1392 in chartulario de Valloriis.

XVI. Johannes III *de Conteville* interfuit 13 Junii 1424 translationi factæ a Johanne *d'Harcourt* episcopo Ambianensi corporum sanctorum Conocani, Corentini, Quiliani in ecclesia sancti Salvii Monstroliensis.

XVII. Balduinus *le Wacongne* 1455.

XVIII. Jacobus I *de Machy* ex monacho sancti Dionysii abbas 1460.

XIX. Robertus II *de Bouflers* Petri domini *de Bouflers* & Isabellæ *de Neuville* filius, anno 1465.

XX. Marinus *d'Alesso* filius Andreæ *d'Alesso* fratris sancti Francisci a Paula, quem ex Italia in Gallias proficiscentem secutus est, abbas Forestensis monasterii dictus in historia Abbatis-villæ & a Sammarthanis, hic forsan reponendus.

XXI. Matthæus *Levrien* ex thesaurario sancti Dionysii, abbas 1512.

XXII. Jacobus III *de S. Amand* 1517. Carolus dux Aurelianensis Francisci I tertiogenitus apud Foresti monasterium pleuritide defunctus 9 Septembris 1545, biennio post ad sanctum Dionysium deportatus est.

XXIII. Guido III *de Laubiers* 1557, obiit 1562. Post eum Walerannus *de Mollinguehen* ex priore electus 1563, abbatiam obtinere non potuit, bonaque ipsius sub manu regis posita sunt.

XXIV. Adamans *Clavet* primus obtinuit commendam anno 1565.

XXV. Egidius *Sallé* nomen suum tantummodo tribuit Nicolao *de Bellengreville* militi, qui ut procurator generalis bona abbatiæ ab anno 1586 ad annum 1615, quo obiit, usurpavit.

XXVI. Johannes IV *de Bellengreville* Nicolai nepos, commendam Forestensem Ulteriori portui adjunxit anno 1615. Clero valedixit an. 1623, ut uxorem duceret.

XXVII. Petrus *Tillette* Petri domini *de Mautort* & *d'Offinicourt* in sede Abbavillensi præsidis filius, pactione facta cum superiore, cujus negotia gerebat pater, factus commendatarius anno 1620, obiit 16 Februarii 1632, sepultus in choro.

XXVIII. Philippus *de la Fontaine* religiosus & abbas sancti Leodegarii Suessionensis, sancti Petri de Marciliaco, & de Mortuomari, regiique oratorii magister, commendam Foresti monasterii obtinuit anno 1632. Eo sedente

monasterium & navis ecclesiæ ab Hispanis igne consumta sunt 12 Novembris 1653. Obiit mense Julio 1666.

XXIX. Johannes-Carolus *Ollier de Bessal* Riomensis, regi ab eleemosynis, 1666, obiit 22 Aprilis 1688.

XXX. Franciscus *Moreau* Parisinus, N. *Moreau* delfinæ archiatri & Mariæ *Matthieu* filius, ecclesiæ Parisiensis canonicus, commendatarius Forestensis mense Aprili 1688, ædes abbatiales instauravit, & obiit 9 Januarii 1695.

XXXI. Alexander *le Scellier de Riencourt* decanus ecclesiæ Ambianensis, abbas 8 Septembris 1695, obiit 6 Decembris 1716. Decessorum suorum seriem nobiscum quoque communicavit.

XXXII. Paulus-Robertus *Hertault de Beaufort* nominatus commendatarius mense Octobri anno 1717, quadriennio post episcopus Lactorensis a rege destinatus 8 Januarii 1721, admittitur Romæ 28 Maii anni ejusdem, & inauguratur Parisiis 7 Junii 1722 in ecclesia Vallis Gratiæ ab archiepiscopo Burdegalensi, adstantibus Adurensi & Constantiensi episcopis. Regi fidem obligavit die 11 mensis ejusdem.

XXXIII. Ludovicus-Angelus *de Ghistelle* regi ab eleemosynis, nominatus episcopus Biterrensis ab eodem mense Decembri 1744, onus deprecatus est, fitque Foresti monasterii abbas 11 Novembris 1745, & anno 1746 S. Dionysii Remensis; defunctus 1747.

XXXIV. Franciscus-Alexander *de Boffin d'Argenson de Puisigneux* nominatus est a rege 21 Aprilis 1746.

Præter recensitos abbates, incertæ ætatis reperiuntur

Ibertus.
Odo.
Richardus.
Verso.
Fulco alter.
Gueroldus.
Humbertus.
Richarius.

MOROLIUM.

Moreuil.

Locus est Corbeiensis monasterii olim clientelaris, modo oppidum quatuor leucis Corbeia distans versus Austrum ad fluvium cognominem, Ambianum inter & Montem Desiderii situm. Illic constructum anno circiter 1109 a Bernardo Seniore Morolii domino in honorem sancti Vedasti dotatumque monasterium, quod principio ab eodem Britoliensi abbatiæ tributum fuit cellæ nomine, & postea in abbatiam erectum fuit circa annum 1140; lite inter Walterum abbatem Britoliensem & Bernardum conditorem composita, ægre tamen assentientibus ea lege Britoliensibus monachis, ut ex eorum gremio Morolienses abbates semper assumerentur, electio fieret in capitulo Britoliensi, & quotannis feria II post pentecosten literas suæ institutionis Moroliensis abbas apud Britolium renovaret & solveret decem asses. Sequentes abbates eruimus ex MSS. historia ab erudito & pio viro Henrico-Bertrando *de Beuvron* ejus monasterii abbate concinnata.

Abbates.

I. Hugo I anno 1151 omnium monasterii sui possessionum confirmationem impetravit a Theoderico Ambianensi episcopo. Reperitur adhuc anno 1159 in literis ejusdem pro sancto Acheolo.

II. Teboldus abbas de Morolio testis in charta Longipontis anno 1167.

III. Bartholomæus bonorum obtinuit confirmationem anno 1178 a Theobaldo episcopo Ambianensi, qui anno 1186 decimam *de Chesnoy* ab Hugone Porcello milite, concedente Arnulfo *de Rosoy* domino suo, in manu sua resignatam, eidem Bartholomæo abbati concessit & confirmavit.

IV. Petrus I sedebat 1197, quo anno Bernardus dominus de Morolio concessa ab antecessoribus suis monasterio confirmavit. Anno 1202 Odonis monachi anniversarium quotannis celebrari permisit. Cum canonicis S. Florentii de Roya, præsente Richardo Ambianensi episcopo, transegit super decima *de Serpenviller* anno 1206. Numquid is est de quo in necrologio legitur: *VI non. Mart. Petrus abbas piæ memoriæ!*

V. Stephanus I anno 1227 quemdam censum acquisivit a Maria relicta Petri de Bracho & a filiis ejus Petro, Simone & Johanne. Memoratur quoque in necrologio Corbeiensi *Stephanus dictus Barba-Dei VIII cal. Octobris.*

VI. Guillelmus I transegit anno 1250 cum ecclesia de Castello.

VII. Petrus II instituit anno 1280 anniversarium dominorum de Morolio.

VIII. Garinus, post cujus depositionem,

IX. Stephanus II *de Fens* monachus Britoliensis & prior sancti Albini, petita & obtenta regis licentia, electus est a monachis de Morolio, & confirmatus benedictusque a Guillelmo Ambianensi episcopo, qui regem rogavit die dominica post Purificationem 1292 ut temporalia monasterii bona restitui faceret Stephano, qui Petro de Ambianis priori dedit anno 1295 procurationem ad gerenda quædam negotia.

X. Vandenerus 1329, 1330.

XI. Warnerius cessit in manibus summi pontificis.

XII. Nicolaus *de Corbel* ex priore abbas, cedente Warnerio, electus est a monachis, quorum electio nulla & irrita declarata fuit ab Urbano V, pontificatus sui anno IV, qui vi reservationis sibi factæ eumdem Nicolaum postea providit & instituit abbatem. Nicolaus autem anno 1393 transiit ad abbatiam Britoliensem.

XIII. Johannes I *Godes* 1400.

XIV. Hugo II *Roussel* transegit anno 1438 cum parocho *de Morissel.*

XV. Guillelmus II anno 1459, ex chartis *D. de Gaignieres.*

XVI. Hugo III *des Marêts* obiit anno 1475.

XVII. Petrus III *de Braen* electus anno 1475,

confirmatur a vicariis generalibus episcopi Ambianensis. Transegit anno 1478 cum abbate Britoliensi super jure electionis, & 1491 cum Simone *Pertrifet*.

XVIII. Johannes II *Ferebourg* monachus Cluniacensis, in sacra pagina baccalaureus, abbatiam resignavit in manibus Petri episcopi Ambianensis anno 1496.

XIX. Oliverius *du Coudré* vacantem per cessionem Johannis abbatiam accepit a Petro episcopo Ambianensi anno 1496. Diem clausit extremum anno 1512.

XX. Johannes III *Ferebourg* monachus Cluniacensis, in sacra pagina baccalaureus, prior de Bova, idem forte ac superior Johannes, electus 15 Martii 1512, electioni assensum præbuit.

XXI. Antonius I *le Tonnelier* 1533.

XXII. Jacobus *le Doux* episcopus Ebronensis suffraganeus Ambianensis & abbas Morolii 1551.

XXIII. N. *du Broeil* 1562.

XXIV. Antonius *de Crequy* episcopus Ambianensis & cardinalis, abbas autem Morolii 1569, testamentum condidit 1574.

XXV. Johannes IV *de Virone* eques torquatus, regisque ad Hispaniarum regem orator, 1575.

XXVI. Henricus *de la Martonnie* 1587.

XXVII. Carolus *le Mougnier* defunctus 1590.

XXVIII. Hugo IV *de la Haye* ex subpriore Corbeiensi electus 6 Septembris 1590.

XXIX. Franciscus *de Morlencourt* ex præceptore Henrici Borbonii canonicus Ambianensis. Monachus sancti Germani Parisiensis & abbas Morolii reperitur annis 1595 & 1596. Majoris perfectionis studio beneficiis cessit, & Parisios secessit in collegium Montis-acuti, ubi supererat adhuc anno 1618.

XXX. Bertrandus *Richard* ordinarius regis concionator, jam præerat anno 1601, cessione Francisci. Transegit cum parocho Morolii anno 1623, cessit 1626, & obiit circa 1630.

XXXI. Natalis *de Herte* Ambianensis, filius N. *de Herte* regi a consiliis, cedente Bertrando, abbatiam consecutus est anno 1626, quam tenuit ad 1669 commendatarius.

XXXII. Johannes V *de Meaux de la Marche* Normannus, canonicus regularis congregationis Gallicanæ, brevi regio donatus anno 1669, & a magno consilio confirmatus, possessionem init & reditibus gaudet. Bullas ab Innocentio XII impetrat IV nonas Junii 1679. Sententiam adversus Morolii curatum ab episcopo Ambianensi obtinet 1682, & biennio post obit anno 1684.

XXXIII. Henricus-Bertrandus *de Beuvron* electus Cluniacensis, facta abdicatione illius abbatiæ, 1 Aprilis 1684 breve regium accepit, bullas XI calendas Maii impetravit, possessionem adeptus est 24 Februarii 1685, munusque benedictionis 11 Martii. Abbatiam in spiritualibus & temporalibus reparare studuit, quam, reservata sibi pensione, accedente regis beneplacito, resignavit in gratiam sequentis anno 1693.

XXXIV. Johannes-Franciscus *de Crest de Montigny* monachus Cluniacensis, factus abbas anno 1693, resignavit aut potius commutavit anno 1696 cum sequenti, a quo duos habuit prioratus.

XXXV. Stephanus III *Natin* accepit abbatiam anno 1696, qua anno 1698 auctoritate regia spoliatus est.

XXXVI. Hieronymus *Dogerdias* monachus Cluniacensis, doctor facultatis Parisiensis, brevi regio donatus 1698, & summi pontificis bullis, possessionem iniit 13 Aprilis 1699. Transegit 30 Decembris 1704 pro introducendis monachis congregationis sancti Mauri, sed hoc caruit effectu.

XXXVII. Adrianus *de Haussy* monachus Aquicinctensis, præerat 6 Junii 1711 & 1726.

XXXVIII. N. *Berthier* itidem monachus, nominatus est a rege abbas mense Junio 1741.

Memorantur adhuc in necrologio Corbeiensi Egidius x calendas Junii.
Firminus v calendas Augusti.

S. PETRUS ABBAVILLÆUS.

S. Pierre.

Fundatus fuit prioratus Abbatis-villæ a Guidone Pontivorum comite, qui monachis Cluniacensibus dedit ecclesiam *de Barly*, &c. quæ Philippus rex diplomate suo confirmavit anno 1075, addiditque in terra sua apud Veterem castellarem juxta Abbatis-villam quantum terræ eis sufficeret ad ædificandum monasterium. Ibi Guido comes ecclesiam construxit in honorem sanctorum apostolorum Petri & Pauli pro monachis, quos tam ipse quam regionis illius primates bonis locupletarunt, quorum indicem habes in charta ejusdem Guidonis data anno 1100. Pluribus olim gaudebant privilegiis quæ civitati cesserunt annis 1327 & 1348. Imperfectus hic est priorum ordo.

Charta XL. col. 292.

Chart. XVI. col. 296.

Priorum Series.

I. Varinus I monachus apud Cluniacum educatus, prioratum regebat tempore datæ fundationis chartæ, in qua memoratur anno 1100. Decennio post nonnulla ei donavit Lambertus Atrebatensis episcopus, cujus est charta apud Baluzium Miscell. t. V, p. 395.

Chart. XVI. col. 296.

II. Egidius *du Mesnil*.

III. Galterius 1144.

IV. Robertus I *le Gros*, nepos Theodorici Flandriæ comitis, ab Eugenio III & Ludovico VII evocatus est anno 1147, qui ordinem Cluniacensem in abbatia sanctæ Genovefæ Parisiensis inchoaret, sed res canonicis regularibus melius cesserunt. Roberti temporibus Johannes comes Pontivi & Ida mater ecclesiæ S. Petri dederunt duas præbendas in ecclesia sancti Wlfranni, quas approbavit Theodericus Ambianensis episcopus anno 1152.

V. Gosso anno 1171.

VI. Bernardus occurrit anno 1179 in charta Johannis comitis Pontivi pro ecclesia sancti Leodegarii de Luxio, & 1189 in charta Eustachii vicecomitis *de Canchy* monachum induentis.

VII. Giroldus 1190. Pepigit 1198 cum

Ch. LXI. col. 338. canonicis Longiprati. Subscripsit chartæ sancti Judoci anno 1203.

VIII. Simon *de Laisseville* 1216, si idem qui abbas erat sancti Judoci supra Mare anno 1220, non tamen prioratum sancti Petri dereliquit; transegit enim anno 1225 cum canonicis sancti Wlfranni de duabus præbendis de quibus supra, quarum reditum sacristiæ assignavit.

IX. Arnulfus prior erat an. 1250 & 1254, ex chartulario de Valloriis.

Anno 1275 vicus Barliacensis monachis adjudicatus est senatus Parisiensis consulto adversus comitem Artesii.

X. Alelmus *de Pomereaux* 1298.

XI. Guillelmus I *de Courtenay* 1305.

XII. Nicolaus *de Gaucourt* 1311.

XIII. Philippus obiit 1317, sepultusque est in choro cum epitaphio.

XIV. Guillelmus II 1327, quo sedente comitatus jura monachi civitati elocaverunt.

XV. Guillelmus III *d'Aigrefeuille* Lemovix, monachus Benedictinus in monasterio Lemovicensi, annum agens 28, obtinuit a Clemente VI anno 1345 ut posset ad quascumque dignitates ecclesiasticas canonice assumi, quo forte tempore factus est prior S. Petri. Electus archiepiscopus Cæsar-Augustanus 1346, factus est postea cardinalis anno 1350, & obiit peste Viterbii 1379.

XVI. Petrus I *de Corbeton* 1348.

XVII. Renaldus I *le Fournier* 1349.

XVIII. Garinus II *des Prés* 1369.

XIX. Guillelmus IV *de Chambely* 1377.

XX. Geraldus 1396.

XXI. Fulco *de Montaigu* 1400.

XXII. Robertus II *de Moncourt* 1406.

XXIII. Petrus II *Dacres* adfuit concilio Pisano 1409.

XXIV. Ludovicus I *Alamand* archiepiscopus Arelatensis & cardinalis, obiit 1450.

XXV. Reginaldus II anno 1440.

XXVI. Guillelmus V *de Courcelles* 1444.

XXVII. Antonius *Martel* 1448.

XXVIII. Petrus III *de Cezac* 1488 & 1503.

XXIX. Johannes *de Cezac* Petri ex fratre nepos 1506.

XXX. Petrus IV *de Bonnival* 1575.

XXXI. Carolus *Laigniel* Abbavillæus, defunctus tumulatur 7 Martii 1583 juxta Guidonem fundatorem.

XXXII. Philippus *Baudichon*, per cujus obitum

XXXIII. Carolus *du Buc* fit commendatarius a legato apostolico XVI calendas Augusti 1598 adversus æmulos Durandum *Vigier* & Franciscum de Pila, ex regestis legati.

XXXIV. Franciscus de Pila, abbas quoque Montis sancti Michaëlis.

XXXV. Stephanus *Pennet* ex subpriore prior.

XXXVI. Edmundus *de Bely* ultimus prior regularis.

XXXVII. Guillelmus VI *Poisle* Parisinus, facundus verbi Dei preco, primus prior commendatarius, defunctus 29 Martii 1625.

XXXVIII. Ludovicus II *de Machaut* Parisinus, filius N. *de Machaut* libellorum supplicum magistri, doctor Sorbonicus & senator clericus in Parlamento Parisiensi, prioratum per indultum obtinuit, cujus possessionem per procuratorem iniit 3 Aprilis 1625, ipseque receptus est 30 Augusti 1627.

XXXIX. Petrus V *du Cambout de Coislin* episcopus Aurelianensis & cardinalis, obiit 5 Februarii 1706.

XL. Henricus-Oswaldus *de la Tour* prioratum obtinuit mense Februario 1706, inde archiepiscopus Turonensis & Viennensis ac cardinalis.

XLI. Johannes-Jacobus *de Mesmes*, de quo diximus col. 341, obiit anno 1741.

XLII. Antonius-Renatus *de Fontenille* episcopus Meldensis hoc anno 1750.

B. MARIA DE MONTE DESIDERII.

MONS DESIDERII castrum olim in finibus Ambianorum nobile fuit a situ & conditore dictum, in quo collegiata ecclesia Cluniacensibus monachis data fuerat, quæ in diplomate Ludovici VI memoratur anno 1119 inter ecclesias Cluniaco subjectas, quas eidem rex confirmat. Aliquot post annis animadvertens Innocentius II ecclesiam Montis desiderii minus ordinate procedere & canonicum servitium inibi de die in diem vacillare, Garino diœcesano episcopo mandavit & Simoni Noviomensi cui a Romano pontifice 13 illius ecclesiæ præbendarum dispensatio commissa fuerat, ut eam Cluniaco redderent. Hi canonicos & monachos ita conciliarunt ut decedentibus canonicis succederent monachi, iisdemque bonis ac privilegiis gauderent, quibus gavisi hactenus fuerant canonici. Episcoporum ordinationem approbavit Gervasius Remensis archiepiscopus, & ratam habuit Innocentius II summus pontifex 13 Martii anno 1136. Innocentii exemplum secuti Lucius II 1144, Alexander III 1173, Urbanus III anno 1185, & alii tam pontifices quam episcopi & potentes seculi, quorum bullæ, diplomata & chartæ partim in bullario Cluniacensi reconduntur, partim hæreticis furentibus ita perierunt, ut celebris ordinis Cluniacensis cella maxima instrumentorum parte careat, quæ ad rem suam plurimum facerent.

PRIORUM ORDO.

I. ANNO *le Roux* præerat circa annum 1140.

II. Berengarius I 1146, ex charta Theoderici Ambianensis episcopi. Ch. XXXI col. 309.

III. Johannes I bullam obtinuit ab Alexandro III anno 1160 ne cui liceret intra terminos ecclesiarum suarum ecclesiam vel oratorium construere.

IV. Robertus prior erat tempore Stephani abbatis & Theobaldi prioris Cluniacensis, ex tabulario Cluniacensi, quorum hic annis 1165 & 1166, ille vero ab anno 1161 ad 1173 sedebat.

V. Berengarius II bullas impetravit ab Alexandro III anno 1173, & Urbano III anno

1185. Nonnulla cessit Alveredo abbati Britoliensi anno 1198. A

VI. Alardus ab anno 1201 ad 1224 memoratur.

VII. Radulfus obiit anno 1262.

VIII. N. defunctus est 1268 in festo sancti Silvestri mense Decembri.

IX. Guido 1301 die Martis ante Pascha, ex chartario Corbeiensi.

X. Jacobus *Donast* 1357.

XI. Aimericus die 11 Decembris 1362.

XII. Berardus de Croista 1378, ex chartis sancti Quintini Bellovacensis.

XIII. Alfonsus *de Bonneville* ex præposito B prior ab anno 1390 ad 1401, quo obiit die 20 Novembris.

XIV. Petrus I *Robant* electus 15 Januarii 1401, querelas habuit de jure procurationis cum episcopo Ambianensi, quem evicit 18 Januarii 1408, & abbate Cluniacensi, a quo victus est anno 1410. Præerat adhuc anno 1448, quo senatus Parisiensis decreto 24 Maii jussus est scholasticum in collegio Cluniacensi Parisiis alere.

XV. Johannes II *du Cheffoy* 1457.

XVI. Adrianus *d'Hennecourt* prioratum in commendam tenuit & reparavit. Reperitur anno C 1486. Quatuor obitus fundavit qualibet feria quarta quatuor temporum.

XVII. Johannes III *Fretart* in decretis licentiatus, & prior commendatarius 1496 13 April. ad preces majoris & scabinorum permisit sororibus Tertii-ordinis sancti Francisci de Cella domum & capellam in parochia sancti Petri ædificare.

XVIII. Filibertus *de Baudreuil* 1501.

XIX. Simon *le Gay* doctor & professor in theologia, necnon prior S. Dionysii de Carcere, obiit 3 Augusti 1525. Vide tom. VII, col. 552.

XX. Johannes IV *Geoffroy* nominatus 4 Augusti 1525, crastina die possessionem iniit, æmu- D lum passus Ludovicum *Benoist*.

XXI. Carolus *Hemard* in sententia 26 Junii 1529 æmulus dicitur N. Duranti.

XXII. Claudius *Penicier* thesaurarius & œconomus Johannis cardinalis *de Lorraine* abbatis Cluniacensis, ab eodem renunciatus prior Montis Desiderii, procuratores nominavit 29 Januarii 1534 Antonium *de la Morliere* præpositum, ejusque germanum Guillelmum *de la Morliere* mercatorem, qui reditus cellæ procurarent. Quibus neglectis, nec ecclesia, nec monasterium refecta sunt, officium divinum cessavit, numerus 13 monachorum a fundatione ordinatus, immi- E nutus est; inde querelæ, inde lites.

XXIII. Stephanus *de Poncher* episcopus Turonensis, prior erat Montis Desiderii anno 1547.

XXIV. Antonius *de Saveuses* regi a secretis & consiliarius Parlamenti Parisiensis, admodum juvenis fit prior Montis Desiderii, cujus temporibus ad nihilum fere redacta cella est, plurima statuta non tenentur, prædia alienantur. Litem habuit pro institutione principalis collegii, quæ demum ad Majorem transiit. Testamentum condidit anno 1589.

XXV. Johannes V *de Piles* canonicus Parisiensis & abbas Orbacensis, priorem agebat annis 1590 & 1591, nominatus a legato apostolico; at decreto sanctioris consilii jure suo excidit 3 Junii 1594.

XXVI. Jacobus *le Roy* a rege nominatus 28 Septembris 1590, possessionem iniit Compendii 28 Februarii sequentis ob rebellem Montem Desiderii. Jure quoque suo cecidit consulto majoris consilii 22 Septembris 1594.

XXVII. Petrus II *Peron* nominatus 10 octobris 1593 ab Henrico *de la Coupelle* œconomo abbatiæ Cluniacensis, a majore consilio confirmatus est 22 Septembris 1594.

XXVIII. Petrus III *le Maire* ex monacho Montis Desiderii prior, litem habuit cum monachis pro pensione, quam obtinuerunt 28 Julii 1600. A sequenti deturbatus est.

XXIX. Franciscus *de la Cour* monachus Cluniacensis, doctor in decretis, prioratum obtinuit jure devoluto adversus Petrum *le Maire*. Campanas fudit anno 1602. Æmulum ipse passus est Ludovicum *Matthieu* anno 1603. Transegit cum novem monachis quos ipse instituit. Dein visitator ordinis & vicarius generalis abbatis Cluniacensis, obiit Parisiis.

XXX. Johannes *le Caron* natus e Monte Desiderii monachusque hujus cellæ, nominatus ab abbate Cluniacensi, possessionem iniit; at in jure suo interpellatus cessit in manibus episcopi Ambianensis, a quo factus prior Rantiniaci, obiit 1662.

XXXI. Andreas de Flandria Francisci *de la Cour* propinquus & conterraneus, eodem sedente, fit prior, sed emendante non iniit possessionem. Verum cedente Johanne *le Caron*, in possessionem immissus est. Litem habuit cum monachis pro pactione inita a Francisco *de la Cour*. Reditus absumsit ad annum 1619, quo cessit in gratiam sequentis.

XXXII. Carolus *de Cohorne* clericus Carpentoratensis, annos natus 23, a summo pontifice cella donatur 24 Junii 1619, ea lege ut monasticum amplectaretur institutum, quod desinente anno amplexatus est. Reditus monachorum adauxit 13 Septembr. 1619. Ecclesiæ Capucinorum primum posuit lapidem de licentia episcopi Ambianensis data 20 Januarii 1620. Obiit Parisiis 15 Decembris 1634.

XXXIII. Hubertus *Rollet* Lotharingus, monachus congregationis sancti Vitoni, vocatus a cardinali Richelio ad reformandum Cluniacum, ejusdem major prior factus est; tum prior Montis Desiderii, permutavit cum priore S. Stephani Nivernensis. Obiit apud sanctum Michaëlem ad Mosam 27 Maii 1660, annos natus 84.

XXXIV. Antonius *Froissard* natus prope Montem Desiderii, doctor Sorbonicus & vicarius generalis cardinalis *de Richelieu* abbatis S. Luciani Bellovacensis, monachorum reditus adauxit 19 Aprilis 1636. Hujus elogium cardinali *de Richelieu* dicavit Johannes *d'Hollande* Mondesideriensis, doctor Sorbonicus & parochus sancti Laurentii, tum sancti Salvatoris Parisiis.

XXXV. Michaël *le Masle* prior *des Roches*, regi a consiliis, cantor & canonicus ecclesiæ Parisiensis, dum priorem Montis Desiderii ageret, Cluniacenses reformati cum antiquis monachis transegere 26 Octobris 1647, idque ratum habuit Michaël 16 Novembris, & abbas Cluniacensis 26 eorumdem mensis & anni, ac capitulum generale 7 Maii 1648.

XXXVI. Hubertus *le Masle*, cedente patruo, prior, permutavit paulo post cum sequenti.

XXXVII. Ludovicus *Dreux* archidiaconus & canonicus ecclesiæ Parisiensis, permutatione facta fit prior Montis Desiderii.

XXXVIII. Egidius *Mesnage* subdiaconus Andegavensis & doctor in decretis, nominatur a Cardinali Mazarinæo abbate Cluniacensi 29 Maii 1654. Æmulos passus est nepos Egidii, qui ei resignaverat, D. Franciscum *le Fevre* a cancellario Franciæ designatum, & N. *Gousfot* consiliarium parlamenti, cui cesserat Franciscus, quique possessionem iniit 5 Octobris 1654. At æmulos evicit Egidius decreto majoris consilii, & cessit alteri.

XXXIX. Carolus-Franciscus *de la Vieville* presbyter Parisiensis, cedente Egidio, cellæ fructus absorbuit, & cum monachis litigabat 1660. Cessit commendas sancti Martialis Lemovicensis & cellæ Montis Desiderii, ut fieret episcopus Redonensis.

XL. Henricus *de la Mothe-Houdancourt* abbas S. Martialis Lemovicensis, prior S. Leodegarii Lingonensis, abbas Sublaci Cadurcensis, Frigidimontis Bellovacensis & de Castris Santonensibus, commendator regiorum ordinum, reginæ quondam magnus eleemosynarius, & archiepiscopus Ausciensis, bullis donatus 10 Aprilis 1661, possessionem iniit 24 Octobris.

XLI. Emmanuel-Theodosius *de la Tour d'Auvergne* dux *d'Albret*, nominatus est ab avunculo cardinali *de Bouillon* abbate Cluniacensi 27 Martii 1684, & possessionem adeptus 15 April. Nonnihil de suo contulit ad construendam argenteam capsam sanctorum Lugli & Lugliani. Clero valedixit anno 1693.

XLII. Melchior *de Polignac* nominatus a cardinali *de Bouillon* anno 1693, sequenti cessit anno 1722.

XLIII. Dionysius *le Blond* Melchiori cardinali a secretis, eodem cedente, fit prior 28 Decembris 1722, & postea commendatarius Berdonæ Ausciensis, nominatus a rege mense Octobri 1735.

S. AUSTREBERTÆ.

S. AUSTREBERTA.

INtricata sunt parthenonis sanctæ Austrebertæ initia. Quid sit enim illud Marconnense cœnobium quod ab ipsa fundatum volunt circa annum 650, non ita liquet. Tradunt in Marconnensi prædio quod ipsi patrimonii jure obtigerat lapide plus medio supra Quantiam paulo infra Hesdinicurte castrum ab ipsa structum monasterium erectamque basilicam, ubi virginum chorus a piis ejus parentibus institutus, qui inibi post mortem tumulati sunt. Tradunt post parentum fata Austrebertam evocasse Marconnam sanctimoniales illas Portenses, apud quas annis degerat quatuordecim magna ex parte præposita; procedente vero tempore, Normannis Galliam, & maxime loca fluviis Ligeri & Sequanæ circumfusa, impune vastantibus, Pauliacenses virgines, quibus prima præfuerat a S. Filiberto accersita abbatissa anno 676, sacrum ejus corpus in Marconnense monasterium detulisse; sed quum nec illic a Normannorum incursibus tutæ essent, ad oppidum munitissimum Monasteriolum confugere, locum præbente Helgoto Boloniensi comite. Illic substitere ad annum 1032, quo destructo a Normannis utroque parthenone & Pauliacensi & Marconnensi, & ad ædificandum parthenonem vicinam domum regiam concedente Henrico rege, ibi sedem tandem fixerunt, & cum licentia Fulconis episcopi erexerunt cœnobium sanctæ Austrebertæ nuncupatum, cujus partem reliquiarum possident Austrebertinæ Monstrolienses, partem Audomaropolitana ecclesia, in qua corpus sanctæ virginis sæviente Normannorum procella servatum est. Hucusque subsistit parthenon, licet pluries & maxime novissimis hisce temporibus flammis absumtus, cujus moniales maxime ob regularem observantiam commendantur. Abbatissarum catalogum e codice manuscripto hujus loci ad nos transmissum habes.

TABULA ABBATISSARUM.

I. EDELBURGIS *de Ponthieu* filia Guillelmi comitis Pontivi, soror Erenioli Boloniæ & Ludovici Morinorum seu Tervanensium comitum, prima audit abbatissa, cui rex Henricus domum regiam prope monialium refugium largitus est anno 1032 ad ædificandum parthenonem quem modo incolunt. Reliquias sanctarum Austrebertæ & matris ejus Framehildis Pauliaco Monstrolium transferri curavit. Hujus memoria in benedictione est, & anniversarium celebratur 17 Martii.

II. Juliana, cujus obitus notatur 4 Martii in necrologio.

III. Ida seu Agnes *de Ponthieu*, filia secundogenita Guidonis Pontivi comitis & Adæ uxoris, sedebat regnante Philippo I.

IV. Everegardis, cujus commemoratio agitur 14 Martii in obituario.

V. Sancta I *de Gresson* recolitur 20 Junii.

VI. Sancta II *de Gresson* 19 Martii.

VII. Natalia 3 Aprilis.

VIII. Ida II, cujus precibus Alexander III huic abbatiæ multa contulit privilegia an. 1160. Ejus, ut creditur, temporibus Maria filia Stephani Angliæ regis, quondam abbatissa Ronvesii in Anglia, postea uxor Matthæi comitis Boloniensis, habitum sanctimonialis apud Monstrolium resumsit, & tertio decimo post anno moritur, & sepelitur anno 1182, nonnulla monialibus largita, quibus etiamnum potiuntur.

IX. Assilia, seu Cecilia, præfuit circa annum 1197.

X. Egidia, seu Gilleta, 1203.

XI. Margarita I *de Hanuebbe*, qua sedente plurima

plurima privilegia huic parthenoni ab Honorio A III papa & Philippo Augusto rege concessa sunt.

XII. Imberga, ad quam scripsit Guillelmus archiepiscopus Remensis. Hæc illa sane est epi-
Ch. LXVII. col. 341. stola cujus meminit Imberga in encyclica quam pro restauranda capsa sanctæ Austrebertæ misit: ac proinde quum data sit archiepiscopi epistola anno eodem quo adstitit elevationi reliquiarum sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, data est anno 1220, & Imberga, non Margarita, corpus sanctæ Austrebertæ in capsa argentea recondi curavit, pontifice Honorio III, Philippo Augusto rege & Ambianorum episcopo Evrardo. B

XIII. Mathildis anno 1238 reperitur.

XIV. A. abbatissa sanctæ Austrebertæ de Monsterolo ratam habet eleemosynam factam sancto Judoco supra Mare anno 1238 mense Januario, id est 1239.

XV. Margarita II *de Sanghen* 1262 multis bonis auxit monasterium cura & studio Petri *de Doy* Morinorum & Bernardi de Abbatis-villa Ambianorum episcoporum. Margaritæ tempore florebant Monstrolii Mathildis *d'Argies* & Johanna *de Tuillieres*, religiosæ pietate & doctrina claræ.

XVI. Margarita III *de Bonnelinghen* heroina C pietate illustris. Hæccine illa est quæ ab episcopo Ambianensi G. confirmata est, cuique ut regalia concedant rogat idem episcopus Theobaldum episcopum Dolensem, Matthæum abbatem sancti Dionysii, aliosque regni administros an. 1283.

XVII. Margarita IV *de Brunesberg* 1294.

XVIII. Johanna I *d'Argies* 1311, illa forte abbatissa quam eligendi facultatem petunt moniales sanctæ Austrebertæ anno 1297, ex chartis thesauri.

XIX. Richendis I *Baine* 1343, defuncta 5 Julii.

XX. Richendis II *Baine* mortua 19 April. D

XXI. Austreberta *de Cointerel* renunciatur abbatissa in festo Inventionis sanctæ Crucis, cujus electionem approbavit Innocentius IV papa. Obiit 9 Julii 1364.

XXII. Elizabetha *de Hestrus* electa 22 Decembris 1364, florebat Carolo V rege Franc.

XXIII. Maria *de Saghen* unanimi monialium voto promulgatur anno 1385. Ex hac vita ad meliorem migravit mense Julio 1391.

XXIV. Margarita V *d'Escossen* eligitur mense Julio 1391. Interfuit translationi reliquiarum sanctorum aliquot apud sanctum Salvium anno 1424. Ipsa vero caput S. Sulpicii archiepiscopi E Bituricensis recondi fecit anno 1426.

§ N. *de Mailly* filia Roberti & Margaritæ *d'Estourmel* nupta anno 1396, quæ legitur abbatissa S. Austrebertæ Monstroliensis tom. VIII Hist. genealogicæ & chronologicæ Panatariorum Franciæ, pag. 658, nusquam apparet.

XXV. Margarita VI *de Crequy* filia Johannis *de Crequy* velleris aurei equitis, præerat annis 1454 & 1466. Decessit 10 Decembris 1473, ut patet ex epitaphio in claustro monialium.

XXVI. Johanna II *de Hardenthun*, ad quam exstant literæ Ludovici XI Francorum regis, sigillo testata est 1 Novembris 1484 se recepisse decem libras Parisienses annui reditus pro fundatione facta a Matthæo comite Boloniensi.

XXVII. Jaquelina I *de Pardieu* sedebat anno 1489, & obiit 4 Decembris 1497, qua die celebratur ejus anniversarium.

XXVIII. Margarita VII *de Wailly* obedientiam promisit Julio II papæ anno 1503, quo transtulit reliquias sanctarum Franchildis & Julianæ per Nicolaum episcopum suffraganeum Philippi *de Cleves* Ambianensis episcopi.

XXIX. Jaquelina II *de Pardieu* post Margaritam electa, confirmata a Julio II papa est, sed æmulam passa Margaritam *de Calonne*, papæ in manibus abdicavit.

XXX. Francisca *de Bouflers* filia Jacobi domini *de Bouflers* & *de Cagny*, præfuit annis 49. Monasterium bis flammis absumtum bis instauravit, sublata e vivis 19 Januarii 1551.

§ Johanna *de Bouflers* memorata tom. V Historiæ genealogicæ & chronologicæ parium Franciæ, pag. 83, non reperitur.

XXXI. Margarita VIII *de Goulay* filia sororis Francisci *de Sarcus* episcopi Aniciensis, electa anno 1551, & confirmata ab Hieronymo cardinali a Capite ferreo, sanctæ sedis ad Henricum II Franciæ regem legato, mortua est anno 1568.

XXXII. Claudia *de Monchy* filia Petri domini *de Montcavrel* regii in Picardia præfecti, bullis donata a Pio V pontifice anno ætatis 50, professionis 34, obiit 10 Decembris 1583.

XXXIII. Clara *Blondel* præfuit abbatissa ab anno 1583 ad 1620.

XXXIV. Magdalena *de Monchy* filia Johannis domini *de Montcavrel* & *de Rubempré*, baronis *de Sempy*, sancti Spiritus equitis torquati, Ardeæ & Stapularum proregis, & Margaritæ Borboniæ filiæ Andreæ *de Bourbon* domini *de Rubempré*, monialis Moncelli ordinis S. Claræ, monasticam sancti Benedicti vestem induit in abbatia sancti Pauli Bellovacensis 1 Febr. 1621. Abbatissa S. Austrebertæ nominata a Ludovico XIII, benedicta fuit Ambiani a Francisco *de Caumartin* episcopo, dominica 1 Novembris anni ejusdem. Hujus temporibus campanile & fornix chori cecidere. Moniales reformandas susceperat, quum pie diem clausit 27 Aprilis 1628.

XXXV. Carlotta-Cecilia *de Monchy* superioris germana, nominata a Ludovico XIII anno 1628, cum licentia episcopi Ambianensis secessit Parisios ad Vallem gratiæ strictiorem sancti Benedicti regulæ observationem edocenda, unde post quinque aut sex menses egressa 14 Novembris 1628, benedicta fuit a Francisco *de Caumartin* Ambianensi episcopo an. 1637. Moniales suas reformavit, & sanctæ Austrebertæ reliquias in capsa argentea recondidit. Obiit 18 Februarii 1648, anno ætatis 41, professionis 25.

XXXVI. Magdalena-Angelica *Gouffier* filia sororis præcedentium Annæ *de Monchy* & Henrici-Marci-Emmanuelis *de Gouffier* marchionis *de Bonnivet* & *de Crevecœur*, &c. designata a

Ludovico XIV die 9 Martii 1648, & confirmata ab Innocentio X anno ætatis 21, benedicta fuit a Francisco *Faure* episcopo Ambianensi apud hospitalarias Pontisarenses anno 1656. Cessit anno 1694 in manibus Ludovici XIV post annos 47 regiminis, & obiit 24 Aug. 1702, ætatis 75, professionis 59.

XXXVII. Margarita IX *Boucher d'Orsay* filia Caroli *Boucher* consiliarii in Parlamento Parisiensi & Margaritæ *le Bossu* alterius conjugis, monialis S. Leodegarii Pratellensis, designatur abbatissa sanctæ Austrebertæ a Ludovico XIV 10 Septembris 1694, & possessionem arripuit per Franciscum *Benoise* commendatarium sancti Salvii, quem procuratorem instituerat 8 Martii 1695. Bullis donata, benedicitur 19 Aprilis ejusdem anni, ab episcopo Ambianensi in ecclesia sancti Antonii Parisiensis, adstantibus N. *de Mornay de Montchevreuil* sancti Antonii & N. *de la Baume-Montrevel* sancti Andochii abbatissis. Margarita abbatiam suam ingressa est 9 Maii 1695 annos nata 47. Coadjutricem accivit a rege nominatam 2 Junii 1722 Elizabetham *de Tilly de Blaru* monialem Issiaci, quæ obiit 27 Maii 1723 annos nata 31. Ægrotante Margarita, coadjutrix altera a rege sufficitur mense Aprili 1727 domus alumna N. *de Boucher de Marolles,* quæ anno sequenti facta est abbatissa sancti Michaëlis de Dullenco. Interim Margarita dolens vidit flammis absumtum parthenonem anno 1733, & obiit 2 Octobris 1734, ætatis 87 cum dimidio, professionis 68 & regiminis 40.

XXXVIII. Magdalena-Agatha-Alexandrina *d'Orléans de la Mothe* filia Spiritus Josephi *d'Orléans de la Mothe* toparchæ *de Beduin* & Marthæ-Ursulæ *de Blegiers d'Antenon,* germana episcopi Ambianensis, monialis professa sancti Bernardi Carpentoratensis, abbatissa sanctæ Austrebertæ a rege renunciata 5 Decembris 1734, possessionem iniit 8 Junii 1735.

BERTOLCURTIS.

BERTAUCOURT.

GALTERIUS Pontisarensis abbas, B. Virginis monitu, ad Ambianensem pagum profectus ut locum sacris virginibus aptum, in vico qui Bertolcurtis dicitur quatuor leucis infra Ambianos posito, construeret, domunculam ibi & capellam in loco silvestri juxta aquas exstruxit. Verum a matrona hujus loci exire compulsus, re infecta redire cogitur. Matrona brevi post defuncta, duæ mulieres piæ ac nobiles, Godelindis & Heleguidis sese Domino devoventes, ad eumdem locum cum magnis opibus & possessionibus convenerunt, ecclesiam in prato sitam divino frustratam obsequio, cum oblationibus & cœmeterio a laïca manu redemerunt, & ab Gervino episcopo obtinuerunt anno 1095. Tum arbusta propriis exstirpantes manibus, monasterium prope ecclesiam exstruxerunt, & amplissime dotaverunt. Inde primum B. Maria de Prato dicta est. Paulo post prædium in quo sitæ sunt, tum ecclesia, tum virginum ædes, cum appendiciis concessere Bernardus Lupellus & Willardus Vitulus. Quin & circa annum 1180 villam ipsam Bertolcurtis condomini Guido *d'Argouve* & Hugo *Colez* filius Waldrici *de Beaurain.* Alios mitto hujus benefactores parthenonis, ad quem brevi constructum multæ confluxere virgines sub regula S. Benedicti Deo militaturæ. Bellis ingruentibus bis de licentia episcopi ad Abbatis-villam translatæ sunt, unde postea cessante tumultu ad sedes suas postliminio rediere, ubi primi fundatoris sui festa solenniter recolunt.

Ch. XIII. col. 294.

SERIES ABBATISSARUM.

HELEGUIDIS, quæ in abbatissarum catalogo recensetur prima, in necrologio monialis tantum & fundatrix prima dicitur.

I. Godelindis prima tertio post B. Gualterii obitum, qui contigit VII idus Aprilis 1095, anno loci illius consecrata est abbatissa, ex vita sancti Gualterii, sec. VI Benedict. p. 2. p. 831.

II. Rixendis humilem ancillam servarum Dei & secundam abbatissam Bertoldi curiæ se dicit in veteri charta. Privilegium & bullam protectionis obtinuit a Paschali II anno 1109. Plurimis quoque sancti Godefridi episcopi cumulata est beneficiis.

III. Flandrina I. Hujus temporibus Guarinus Ambianensis episcopus monialibus factas a decessoribus Gervino 1095 & a sancto Godefrido 1108 donationes confirmat anno 1140. Bullam obtinuit ab Eugenio III anno 1147.

IV. Flandrina II similem protectionis bullam impetravit anno 1176 ab Alexandro III. Recensetur adhuc an. 1184 in veteri instrumento.

V. Maria 1200 in chartulario Centulensi, 1217 & 1220.

VI. Beatrix.

VII. Eva commutationem fecit anno 1229 cum Galterio abbate Loci-Dei. Notatur mense Maio in necrologio Corbeiensi.

VIII. Margarita I mense Augusto 1239 in tabulario Centulensi.

IX. Cecilia monasterio de Valloriis cessionem facit anno 1251.

X. Fressendis.

XI. Agnes notatur VII idus Martii in necrologio Corbeiensi.

XII. Isabellis 1290.

XIII. Margarita II *de Champluisant* 1299 in instrumento sancti Richarii.

XIV. Clementia.

XV. Honorata senio gravis cessit.

XVI. Johanna I *Kieret* 1328.

XVII. Blancha *Kieret* 1363 & 1369.

XVIII. Johanna II *de Mailly* subscripsit quibusdam literis 18 Julii 1389.

XIX. Johanna III *de Mailly* 1414 bellis ac peste urgentibus, Abbatis-villam cum conventu se recepit. Occurrit adhuc 8 Julii 1428.

XX. Johanna IV *des Quennes.*

XXI. Maria II *de Rieucourt.*

XXII. Catharina *du Hamel* cedente Maria bullas ab Alexandro VI obtinet anno 1486. Occurrit adhuc annis 1499 & 1531. Martyrologium conscribi curavit.

XXIII. Barbara *de Riencourt.*

XXIV. Carlotta *de Fiennes.*

XXV. Antonia al. Carlotta *de Hallwin* Antonii domini *de Piennes* & Lodoicæ *de Crevecœur* filia, germana Caroli ducis *de Hallwin.*

XXVI. Angelica *d'Estrées* ex moniali Pissiaci Bertolcurtim regebat anno 1603. Fuit etiam abbatissa S. Amandi Rotomagensis & Maliduni.

XXVII. Claudia *de Sailly.*

XXVIII. Angelica-Maria *de Bournel* filia Gabrielis domini *de Namps* & Margaritæ *d'Estrées,* bellis urgentibus cum monialibus Abbatis-villam transiit 26 Jan. 1642. Annam *Martin* monialem Montis-martyrum e Monte-argii ad reformandum monasterium accivit. Strictiorem regulam admisit 1 Maii 1643 clausuramque instituit. Ad meliorem vitam transiit Abbatis-villæ 21 Julii 1661.

XXIX. Francisca *de Longueval* reparavit monasterium, atque Abbatis-villa conventum reduxit ad Bertolcurtim.

XXX. Carlotta-Clara *de Longueval* Franciscæ neptis ejus resignatione abbatiam obtinuit, quam morte Parisiis dimisit.

XXXI. Catharina-Elizabetha *de Longueval* a rege nominata 21 Augusti 1681, bullis donata possessionem iniit 12 Maii 1685. Munus benedictionis accepit die 7 Octob. insequentis. Viam universæ carnis ingressa est 4 Augusti 1710.

XXXII. Johanna V *de Monchy* filia Caroli baronis *de Visînes* & Margaritæ *de S. Lo,* nominata est 17 Augusti 1710.

XXXIII. Elizabetha *de Monchy* filia Georgii domini *de Talmas* & Ludovicæ *de Ghistelles* amitæ successit mense Septembri 1719.

XXXIV. N. *de Castellane* ex abbatissa Hispaniæ fit a rege abbatissa Bertolcurtis 11 Novembris 1745.

S. MICHEL de Doulens.

S. MICHAEL.

AQuo fundatus fuerit S. Michaëlis parthenon ordinis sancti Benedicti in urbe Dullenci, & quo anno, prorsus ignoratur: chartæ enim omnes, sive bellis ingruentibus, sive flammis quæ ducentis abhinc annis totam urbem devorarunt, sive abbatissarum incuria, deperierunt. Comitibus Pontivi & S. Pauli originem acceptam referunt, alii S. Godefrido Ambianensi episcopo. Guarinus anno 1138 hujus parthenonis bona confirmavit. Ante urbem exstitisse volunt nonnulli, constructumque in loco ubi urbs postea exsurrexit. Et certe plurimis olim gaudebat privilegiis, quæ id aliquatenus innuunt, v. g. quotidie abbatissæ clavis urbis committebatur, &c. Sequentes tantum abbatissas expiscari potuimus.

Ch. xxvii. col. 307.

Aliquot Abbatissæ.

I. ADA pepigit cum priore S. Sulpicii anno 1156. Memoratur III nonas Decembris in necrologio beatæ Mariæ Suessionensis.

II. Margarita I 1370.

III. Margarita II *de Roque* caput sancti Blasii argentea theca inclusit anno 1515.

IV. Anna *de Bourdin* 1615 & 1630.

V. N. *de Bezancourt* electa abbatissa, exinde

A vi abstracta mense Septembri 1651 contra Parlamenti placita, vi alterius decreti restituitur ac solenniter benedicitur in ecclesia monialium Anglicarum Parisiis 1 Jan. 1652 coram episcopis Dolensi, Chalcedonensi & aliis.

VI. N. *de Forceville* cessit in gratiam sequentis.

VII. Gabrielis *de Forceville* superioris neptis, benedicta est in ecclesia monialium Anglicarum Parisiis a veterano Dolensi episcopo 1 Januarii 1652. Abbatiam susdeque vertit & ære alieno demersit, moniales expulit, & vasa sacra, reliquias & reditus oppigneravit. Dein apud Villulam Parisiensem inclusa aufugit. Demum miseram in B ptochodochio Parisiensi vitam finivit anno 1691.

VIII. Isabella *de Sericourt d'Esclainvilliers* nosocomium Brituliense administrabat, quum Gabrielidis coadjutrix a rege nominata est anno 1674. Eodem sorores omnes suas numero 26 secum adduxit. Cunctando restituit rem, & obiit 11 Augusti 1712.

IX. Johanna *de Sericourt d'Esclainvilliers* Isabellæ neptis, loci alumna, amitæ successit nominata 1 Novembris 1712, ejusque vestigia pressit ad mortem, quæ obvenit 11 Maii 1723.

X. Maria-Renata *de Boufflers de Remiencourt* Strumii monialis, abbatissa a rege renunciatur C mense Novembri 1723. Hortum muris inclusit, & translata est ad Andeceium anno 1728.

XI. N. *de Boucher de Marolles* monialis S. Austrebertæ, ubi primum fuerat coadjutrix a rege nominata mense Aprili 1727, ab eodem designatur abbatissa S. Michaëlis ineunte Junio 1728.

S. ACHEOLUS.

S. ACHEUL.

ANtiquissima illa est totius diœcesis ecclesia, ædificata quippe in honorem beatæ Mariæ a beato Firmino confessore primo ab urbe lapide seculo IV, super tumulum sancti Firmini martyris, D quem in cœmeterio suo *Abladana* dicto sepelivit Faustinianus. Tribus seculis pro cathedrali fuit, in qua primi sepulti præsules Ambianenses, usque dum sanctus Salvius basilicam in honorem beatæ Mariæ & sancti Firmini martyris intra urbem ædificavit ineunte seculo septimo. Tum ecclesia illa, quæ prius beatæ Mariæ, sancti Firmini & sanctorum martyrum Acei & Acheoli, postea simpliciter, sicut & nunc, sancti Acheoli dicta fuit, quam clericis cessisse volunt, qui sub ditione capituli diu noctuque Deo militabant. Eo in statu durasse videtur ad seculum undecimum, quo exeunte Rorico Ambianensis episcopus cle- E ricos in ea deputavit, qui canonice & regulariter Deo servirent, quibus ecclesiæ reditus adscripsit. His addidit villam *Huy* & præbendam in majore ecclesia ab eorum vicario tenendam sub certis conditionibus, quas in charta Roriconis melius leges. Lapsos paulatim ad mollitiem mores revocarunt huc introducti anno 1637 canonici regulares congregationis Gallicanæ.

Char. xii. col. 293.

Ordo Abbatum.

STEPHANUS prior tantum appellatur in literis Godefridi episcopi anno 1109.

I. Odo cognomine Deodatus, prioris quoque

titulo designatur in literis Guarini episcopi Ambianensis & Sansonis archiepiscopi Remensis annis 1143 & 1145. Hoc ultimo factus abbas Ch. XXIX. col. 309. subscripsit literis quibus ecclesia sancti Martini de Gemellis in abbatiam erigitur. Hoc quoque vel sequenti e vita decessit.

II. Galterius I subscripsit chartæ Theoderici Ch. XXXI. col. 310. episcopi anno 1146. Bona abbatiæ ab eodem confirmari curavit anno 1147. Testis subscripsit Ch. XXXII. col. 312. 1147, 1153 & 1156 literis ejusdem. Nonnulla obtinuit ab Alelmo milite Ambianensi anno Chart. XXXVIII. col. 316. 1154. Memoratur in charta Walterii Tirelli pro abbatia de Valloriis anno 1162. Subscripsit anno Chart. XLI. col. 319. 1175 instrumento Theobaldi episcopi sodalitatem sancti Nicolai confirmantis apud *Moliens le Vidame* in gratiam sancti Fusciani.

III. Ingelrannus noscitur ex charta Theobaldi episcopi pro sancto Quintino Bellovacensi anno 1182, & pro Frigido-monte 1183. Quædam acquisivit 1185.

IV. Galterius II testis legitur in charta Theobaldi episcopi anno 1189. Arbiter fuit cum Johanne abbate sancti Martini de Gemellis & Alvredo abbate Britulii inter Radulfum comitem Clarimontis Aleidemque uxorem & ecclesiam Ambianensem anno 1190, quo mortuus est.

V. Stephanus I jam abbas anno 1190, ex chartario Ambianensi, assensum præbuit fundationi capellæ regularis in ecclesia *de Hedicourt* anno 1197, & pactum iniit cum Guidone de Argovia, annuentibus patre Guidonis Roberto, fratribus Anscherio & Hugone, filioque primogenito Walterio.

VI. Johannes I in duabus chartis reperitur, quarum una spectat annualia ecclesiæ S. Firmini confessoris anno 1203; altera vero agit de canonico sancti Acheoli in ecclesia cathedrali anno 1206, quo testis subscripsit instrumento Ingelranni vicedomini Pinconiensis pro ecclesia beatæ Mariæ *de Moliens*. Decessit anno 1221, ex chartario Ambianensi.

VII. Hugo legitur in actis an. 1221. Huic Evrardus episcopus confirmat annualia ecclesiæ sancti Firmini confessoris anno 1222. Arbiter eligitur anno 1223 inter R. abbatem S. Fusciani & Petrum presbyterum de veteri Rotomago. Prima vero nominis sui litera H. designatur anno 1248 in transactione cum capitulo Ambianensi facta de non admittendis ad professionem nisi ex legitimo matrimonio procreatis.

VIII. Johannes II primam nominis sui litteram apposuit duobus instrumentis 1260 & 1263, qui Johannes legitur in charta translationis sancti Luciani & sociorum factæ Bellovaci anno 1261, cui adstitit cum Bernardo Ambianensi episcopo.

IX. Egidius transegit mense Martio 1272 cum abbate S. Martini de Gemellis, & 1287 cum civibus Ambianensibus.

X. Philippus I *de Miraumont* electus est anno 1290. Illius nomen inscribitur suppedaneo altaris quod pro lapide sepulcri fuisse creditur. Officio suo fungi præ infirmitate quum non

A posset, anno 1296 regimen ei a capitulo ob eximias virtutes prorogatum est.

XI. Thomas *de Villers* prior Domni-vedasti, factus est procurator anno 1296; abbas autem occurrit in bulla Bonifacii VIII anno 1301 data occasione controversiæ inter Guillelmum Ambianensem episcopum & capitulum circa jus confirmandi abbatis sancti Acheoli. Mathildi *de Clersay* spopondit anno 1307 tres missas quavis hebdomada pro ea in ecclesia sua celebrandas.

XII. Radulfus I. Thomas 1315.

XIII. Johannes III annis 1330 & 1331.

XIV. Radulfus II *de Villers* 1338.

B XV. Johannes IV *de Vailly* confirmatus a capitulo Ambianensi, sacramentum dixit 1350. Transegit cum Hugone abbate sancti Fusciani die 5 Maii 1368 de decima Domni-martini. Memoratur adhuc 27 Junii 1370.

XVI. Johannes V capitulo majori fidem obstrinxit anno 1372.

XVII. Adam *de Laon* 28 Septemb. 1384. Accusatus est de dilapidatione bonorum abbatiæ.

XVIII. Stephanus II *Clevet* aut *Clavet* a capitulo prædicto confirmatus anno 1386, excepit anno 1389 fundationem 220 librarum factam a Laurentio *d'Aubeil* præposito ejusdem C capituli, quod disceptantem Stephanum abbatem & canonicos S. Acheoli conciliavit 9 Octobris 1411. Obiit 1414, ex Sammarthanis.

XIX. Petrus I *de Branslicourt* ex canonico Ambianensi factus abbas S. Acheoli, a patribus concilii Constantiensis commendatur capitulo Ambianensi bulla 23 Septemb. 1415. Pepigit cum abbate S. Martini de Gemellis 14 Januarii 1448. Obiit anno eodem, ex Sammarthanis.

XX. Johannes VI *Cauderon* 1451 & 1484.

XXI. Petrus II *Loyel* electus & confirmatus a capitulo Ambianensi anno 1485, societatem iniit cum Carocampo anno 1486.

D XXII. Ludovicus I *de la Motte* canonicus Ambianensis & Tarvanensis abbatiam a summo pontifice impetravit anno 1497, de qua æmuli Johannes *l'Hoste* & Petrus *Oberon* canonici sancti Acheoli contendebant. Testamento condito 15 Septembris 1500, abbas obiit 24 mensis ejusdem.

XXIII. Johannes VII *l'Hoste* electus jam 20 Januarii 1497 a majore parte capituli, confirmatur abbas 21 Januarii 1501. Occurrit anno 1525 in chartulario sancti Fusciani, adhuc superstes mense Novembri 1528.

XXIV. Philippus II *Cocquin de Saint Raigond* E al. *de St Arragonne*, ex monacho Corbeiensi primus a rege commendatarius factus, occurrit 1529 & 1533, quo obiit ante mensem Dec.

XXV. Nicolaus I *Raince* regi ab eleemosynis ac sedis apostolicæ protonotarius, capitulo Ambianensi porrexit bullas 24 Decembris 1533.

XXVI. Claudius *Martineau* clericus Parisiensis, cedente Nicolao, nominatur abbas a summo pontifice 27 Septembris 1538.

XXVII. Jacobus *du Chemin* canonicus & archidiaconus Bellovacensis, commendam tenebat annis 1539 & 1540. Vicarius generalis

Claudii *Dodieu* Redonensis episcopi, fato functus A est anno exeunte 1556.

XXVIII. Franciscus I *de la Fontaine* succentor ecclesiæ Bellovacensis occupabat 27 Januarii 1557. Pepigit cum canonicis sancti Acheoli 1 Octobris, & cum xenodochio 15 Julii 1564. Obiit Bellovaci die veneris 15 Februarii 1565.

XXIX. Julianus *Foucaut* Cenomannus, a rege nominatus suas porrexit literas capitulo Ambianensi 24 Septembris 1566, quo defuncto rerum temporalium data est procuratio Simoni *de Vourday*, qui gerebat 25, 28 & 30 Julii, ac 2 & 3 Augusti 1567.

XXX. Petrus III *de Fortia* regi ab eleemo- B synis & granatarius sancti Martini Turonensis, jam commendatarius 1571, ex Sammarthanis, obiit 1580.

XXXI. Antonius I *Millet* canonicus sancti Germani Autissiodorensis apud Parisios, bullis donatus a Gregorio XIII die 5 Nov. 1580, possessionem iniit 22 Mart. 1581. Obiit 1590, ut constat ex supplici libello quem canonici sancti Acheoli capitulo Ambianensi obtulerunt 27 Sep. ejusdem anni ad postulandam eligendi licentiam.

XXXII. Johannes VIII *du Crocq* electus, a capitulo Ambianensi confirmatur 10 Octobris 1590, sed cedere coactus est nominato a duce C Meduanensi.

XXXIII. Franciscus II *Saquepée de Selincourt*, qui se jam abbatem dicit 13 Martii 1591, a duce Meduanensi nominatum se esse significat capitulo Ambianensi 26 Aprilis sequentis.

§ N. Dominus *de S. Evron* fato functus 1612 perperam a Sammarthanis inter abbates annumeratus fuit.

XXXIV. Antonius II *Picard d'Aubercourt* nominatus 21 Aprilis 1599, redituum administrationem commisit Johanni *Alis* 14 Maii 1625. Permutavit 1627 cum Francisco *Miron* præposito ecclesiæ cathedralis. D

XXXV. Franciscus III *Miron* cognatus Francisci *le Fevre de Caumartin* episcopi Ambianensis, a quo factus fuerat præpositus majoris ecclesiæ, permutatione facta cum Antonio 1627 fit abbas, adhuc superstes erat 16 Februarii 1630.

XXXVI. Sebastianus *de la Grange* canonicus sanctæ capellæ Parisiensis, erat abbas 25 Aprilis 1634, quo transegit cum capitulo Ambianensi de jurisdictione. Hoc autem anno 13 Octobris regulares canonici congregationis Gallicanæ inducti sunt, inquiunt Sammarthani, aut potius appellati sunt. Sebastianus abbatiæ bona elocavit 17 Julii 1635. Bullis donatus possessionem E tantum iniit 27 eorumdem mensis & anni. Fato fungitur 1636, quo anno abbatia pro hospitali regiis militibus Corbeiam obsidentibus fuit.

XXXVII. Ludovicus II *de la Grange* filius Sebastiani scribæ sanctioris consilii, Sebastiani decessoris germanus, senator Parisiensis, & postea supplicum libellorum præses, transegit 1 Augusti 1637 cum canonicis S. Acheoli de hereditate Sebastiani & advocandis canonicis regularibus congregationis Gallicanæ. Forte sequenti cessit, nam dicitur quondam abbas in partitione bonorum abbatiæ facta a successore 10 & 24 Decembris 1637.

XXXVIII. Carolus *de la Grange* Sebastiani & Ludovici frater, in supremo senatu Parisiensi consiliarius, canonicus sanctæ capellæ Parisiensis & regi ab eleemosynis, abbas sancti Acheoli, bonorum abbatiæ cum canonicis reformatis partitionem fecit 10 & 24 Decembris 1637. Abbatem regularem procuravit, & cessit in manibus regis exeunte anno 1666.

XXXIX. Petrus IV *de Poussemothe de l'Etoile* canonicus regularis professus 4 Septembris 1661, a rege nominatus abbas Castrinantonis 1666 & postea sancti Acheoli 26 Aprilis 1667, a Clemente IX bullis donatur 6 Julii sequentis, & a cardinali *de Janson* episcopo Massiliensi benedicitur 18 Julii 1672. Illo abbate 10 Julii 1697 reserata sunt quædam sepulcra sub majori altari recondita, de quibus multa promulgata sunt scripta. Altare majus erexit Petrus & dedicari curavit ab Henrico *Feideau de Brou* episcopo Ambianensi v idus Aprilis 1697. Inventum sancti Firmini corpus in capsa reserata a Petro *de Sabatier* episcopo agnovit 23 Januarii 1715, & quæcumque in contrarium antea vulgata fuerant rescissa voluit, at non item sepulcrum occludere, quod jusserat episcopus 2 Aprilis anni ejusdem. Hanc ob rem appellavit senatum Parisiensem, at causa cecidit 4 Februarii 1716. Historiam abbatiæ suæ scripsit, quam nobiscum perhumaniter communicavit. Obiit 16 Decembris 1718, hoc epitaphio donatus:

Hic jacet reverendus pater de l'Etoile *hujus ecclesiæ abbas 40, qui canonicam hanc nostram penitus collapsam ab interitu vindicavit, multum auxit & 50 annos & amplius, plenus fide gubernavit. Obiit 16 Decembris anno 1718, ætatis 75, professionis 58.*

XL. N. *de Poussemothe de l'Etoile de Montbrizeuil* abbas erat 1726.

XLI. Nicolaus II *de Lesflocq* decanus Ambianensis & vicarius generalis episcopi, commenda S. Acheoli a rege donatus est mense Nov. 1730.

CLARUM-FAGETUM. CLAIRFAI.

B. MARIA de Claro-fageto ordinis sancti Augustini, congregationis Arroasiensis, quinque ab Ambiano leucis prope Dullencum sita, fundata dicitur in fundo ecclesiæ Corbeiensis anno 1140 ab Hugone S. Pauli comite, & confirmata postea ab Anselmo ejus filio, qui dedit eis partem decimæ de Forcevilla. At Corbeia obsessa anno 1636, ruit Clarum-fagetum, dissipatisque canonicis sedes non fuit amplius. Hos revocare, aliosque sufficere non semel tentavit abbas Arroasiensis, sed incassum. Seculares modo duo presbyteri apud Clarum-fagetum divinis ministrant. Illius abbas sextum in capitulo generali ordinis obtinebat locum. Hos tantum novimus

ABBATES ALIQUOT.

I. JOHANNES I occurrit annis 1147 & 1159 in chartis sancti Johannis.

II. Heinfridus querelam habuit cum Hugone

abbate Corbeiensi de loco in quo fundata est ecclesia Clari-fageti, quæ terminata est anno 1174.

III. Robertus *Polet* reperitur in charta Theobaldi episcopi Ambianensis pro Aquicinctio 1185.

IV. Daniel memoratur anno 1188 in chartis sancti Vedasti Atrebatensis.

V. Guillelmus, quo nuper defuncto, Egidius abbas Arroasiensis vocatus est ad electionem novi abbatis anno 1344 sabbato in vigilia dominicæ in qua cantatur *Invocavit me*.

VI. Johannes II, ad quem Paschasius abbas Arroasiensis scripsit anno 1470 x cal. Octobris pro quibusdam corrigendis.

VII. Antonius I *Maron* 1508.

VIII. Antonius II *le Quien* canonicus Ambianensis & abbas Clari-fageti 1557.

IX. Ludovicus *de Bernage* regibus Ludovico XIII & XIV ab eleemosynis, canonicus ecclesiæ Parisiensis & abbas beatæ Mariæ de Claro-fageto, deputatus comitiis cleri generalibus adstitit ultima Aprilis 1645. Episcopus Grassensis obiit 16 Maii 1675.

X. Franciscus *Cottin* doctor theologus & parochus Malliaci, abbas erat mense Novembri 1690. Obiit 1701.

XI. Henricus-Antonius-Augustus *Fauvel* clericus capellæ & oratorii regis, canonicus & cantor sancti Quintini Veromandensis, nominatus est abbas in die Paschatis 26 Martii 1701. Defunctus est 1742.

XII. Franciscus-Josephus-Gasto *de Pressy* vicarius generalis episcopi Boloniensis, designatus est a rege commendatarius mense Februario 1742, & episcopus Boloniensis 20 Decembris anni ejusdem. Commendam Hamensem obtinuit 3 Julii 1745.

XIII. d'*Hesselin* vicarius generalis Senonensis, a rege nominatus est commendatarius 3 Julii 1745.

GARDUM.

LE GARD.

Asceterium est ordinis Cisterciensis, filia Caroliloci e linea Claræ-vallis ad Somonam fluvium prope Pinconium, tribus ab Ambiano distans leucis. Conditum est a Gerardo vicedomino Ambianensi & toparcha Pinconii anno 1137, ex Jongelino. Et certe Guarinus Ambianensis episcopus hanc confirmavit fundationem anno 1138, ex actis Ambianensibus. Attamen conditum dicitur a Sammarthanis anno tantum 1139 XI calendas Aprilis, quod de ingressu monachorum, de absolutis ædibus, de dedicatione ecclesiæ potest intelligi. Fundatoris defuncti anno 1176 corpus in majori claustro ubi fit completorii lectio, ad ingressum templi intra murum ecclesiæ, collocatum est. *Obligantur hujus cœnobii monachi*, inquit Jongelinus, *prima vice qua vicecomes Ambianensis, qui solet semper esse ex dicta familia* de Pecquigny *fundatoris, ad hoc cœnobium accedit, ei occurrere cum cruce & aqua benedicta, ejusque adventum cohonestare*. Ad abbatum catalogum quod attinet, mutilus & imperfectus est apud Sammarthanos, ut ceteri Cistercienses. Interrogati ad hoc opus novum monachi, nihil inde correxere. Nos itaque primos dabimus notos, tum postea nulla temporis nota designatos.

SERIES ABBATUM.

I. Mainardus a Guarino Ambianensi episcopo primus abbas institutus anno 1138, ejusdem subscripsit literis pro S. Johanne anno 1139. Occurrit adhuc annis 1145 & 1147 in chartulario Ambianensi. Ch. XXXI. col. 312.

II. Girardus memoratur 1154 in charta pro sancto Acheolo, 1160 pro sancto Johanne, 1162 in charta Walterii Tirelli pro abbatia de Valloriis, 1166 in literis Balduini Noviomensis & Amaurici Silvanectensis, 1170 in archivis Fulcardi-montis. Querelam habuit cum Alexandro Aquicinctensi abbate, quæ ab arbitris finita est anno 1173. Testis legitur in charta Theoderici episcopi pro fratribus sancti Nicolai *de Renni*. Querelam habuit cum canonicis de Selincurte, quam ad conciliandam Alexander III ad abbatem sancti Remigii & priorem sancti Martini a Campis dedit literas, Tusculani IX calendas Decembris. Reperitur anno 1179 in chartis sancti Johannis. Moritur VIII idus Martii, ex obituario Gardi. Charta XXXVIII. col. 316.

III. Wido I anno 1177 in chartis sancti Richarii, 1180 in literis Theobaldi episcopi de dono Guillelmi *Caën* pro Balantiis, & 1183.

IV. G. 1187, ex archivis Becci, forte Guillelmus qui mortalitatem explevit VI cal. Aprilis.

V. Walterus testis in literis Theobaldi episcopi anno 1197 pro monasterio de Valloriis.

VI. Robertus I arbiter componit litem inter ecclesias Longivillaris & S. Andreæ de Nemore anno 1203. Transegit anno 1205 cum Eustachio abbate Flaviacensi.

VII. Radulfus I pepigit anno 1215 cum priore *de Goy*.

VIII. Balduinus accepit ad firmam tertiam partem decimæ *de Montenoy* ab abbate sancti Martini de Alba-marla 1227 mense Septembri. Agnoscit anno 1230 se debere monasterio Belliprati 13 minas frumenti totidemque avenæ. Occurrit 1237 in chartis sancti Johannis & Pinconii.

IX. Radulfus II 1238, ex chartis Flaviacensibus.

X. Pontius 1257 transigit cum priore *de Goy*. Numquid hic est Pontius apud Sammarthanos, qui humatur in capitulo cum hac inscriptione: *Hic jacet dominus Pontius quondam quintus abbas de Gardo. Obiit XII calendas Junii. Orate pro eo.*

XI. Robertus II præfuit ab anno 1268 ad 1300. Transegit anno 1277 cum Johanne vicedomino Ambianensi. Jacet in capitulo, notatus in necrologio IX calendas Februarii.

XII. Thomas decessit die Epiphaniæ anno 1305, ut habet ejus sepulchralis inscriptio in capitulo.

XIII. Guido II anno 1320 sedebat, notatus in martyrologio X calendas Aprilis.

XIV. Matthæus definitor in capitulo generali 1357. Forte Matthæus sepultus in capitulo cum epitaphio.

XV. Johannes *Picart* ex abbate Gardi, abbas Ursicampi & Cisterciensis 1428.

XVI. Guillelmus de Compendio monachus Ursicampi memoratus 1415 in regestis urbis Ambianensis, vivere desiit 17 Martii anni ejusdem.

XVII. Johannes II de sancto Fusciano obiit 16 Aprilis 1436, ut constat ex ejus epitaphio.

XVIII. Johannes III a sancto Petro fatis fungitur 1440, ex ejus epitaphio.

XIX. Gregorius *du Puits* anno 1472. Interfuit anno 1493 comitiis generalibus ordinis Parisiis congregatis. Cessit in gratiam sequentis, & migravit e vivis anno 1507.

XX. Jacobus *des Jardins*, cujus in gratiam factam a Gregorio cessionem ratam habuit capitulum generale anno 1508.

XXI. Johannes IV *Porcelet* 1515, in porta monasterii post quindecim ab electione dies occisus fuit, ut abbatia posset in commendam possideri.

XXII. Franciscus *de Hallwin* commendam tenebat 1533 sub nomine Antonii *Aux Enfans* fiduciarii. Cessit in gratiam nepotis an. 1537. Defunctus sequenti sepelitur apud Gardum.

XXIII. Johannes V *de Roncherolles* filius Franciscæ *de Hallwin* & Ludovici *de Roncherolles* domini *de Hugueville*, commendatarius annis 1538 & 1539. Huic quamvis seculari Ludovicus *Huillart* abbas regularis resignavit Mortuum-Mare.

XXIV. Johannes VI *de Hallwin* filius Antonii domini *de Piennes* regiorum ordinum equitis & luporum venatorum præpositi ex Ludovica *de Crevecœur* vidua Guillelmi *Gouffier* domini *de Bonnivet* Franciæ admiralis interfecti 1524, pronepos Francisci Ambianensis episcopi, abbas de Gardo & sancti Petri Cabilonensis anno 1552.

XXV. Ludovicus *de Nogaret* cardinalis *de la Valette* archiepiscopus Tolosanus, obiit 1639.

XXVI. Carolus *d'Albert de Chaulnes* eques Melitensis, filius Honorati ducis *de Chaulnes* Picardiæ proregis, urbis arcisque Ambianensis præfecti, Franciæ equitum tribuni, ex Carlotta *d'Ailly*, commendam Gardi tenuerat antequam foret dux *de Chaulnes* & par Franciæ, ex Sammarthanis.

XXVII. Julius *Mazarini* cardinalis abbas Gardi anno 1650, cessit in gratiam sequentis.

XXVIII. Philippus *de Savoye* eques Melitensis, etiam abbas de Cultura, sancti Medardi & Corbeiensis, filius Eugenii-Mauricii *de Savoye* comitis Suessionensis, obiit 5 Octobris 1693.

XXIX. Fabius *Brulart* episcopus Suessionensis Philippo successit 1 Novembris 1693, defunctus 19 Novembris 1714.

XXX. Armandus-Julius *de Rohan* archiepiscopus Remensis, ab anno 1715 mense Januario commendam tenet.

Hi sunt minus noti apud Sammarthanos:

Thomas sepultus cum epitaphio in capitulo: *Hic jacet novus Thomas quartus abbas de Gardo. Obiit III idus Septembris.*

Henricus mortuus II calendas Februarii.

R. sepultus in ingressu capituli cum hoc epitaphio circa seculum XIV:

R. vir famosus primo abbas, deinde leprosus,
Mortuus in Christo tumulo sepelitur.
Fuit in monasterio Daniel, Noë fuit abbas,
Job fuit in morbo, modo Lazarus in Paradiso.

Petrus pridie calendas Februarii, ut observat obituarium.

Johannes IX calendas Maii.

Nicolaus diem postremum clausit III calendas Octobris.

Johannes *de Rogy* fatis concessit XII calendas Septembris.

Johannes extinctus est idibus Aprilis.

Adam *de Morvillier* obiit IX calendas Martii.

Matthæus XI calendas Februarii.

N. cujus incompertum nomen, uti quatuor subsequentium abbatum.

VALLORIÆ.

VALLOIRES.

VALLORIÆ ipsius filia Cistercii, fundatorem agnoscit Widonem Pontivi comitem, qui XV calendas Januarii anno 1137, nunc 1138, Cisterciensibus locum qui dicebatur Bonantia altero ab Abbatis-villa milliario contulit. Fundationem plurimum auxit anno eodem Milo Morinensis episcopus, qui Cisterciensibus in Pontivo, apud Bonantiam scilicet commorantibus & petentibus assignavit omnia quæ apud Mosultram tenebat Robertus *de Ailly*, quæque malorum ab ipso in incendio sancti Richarii perpetratorum pœnitentia ductus, episcopo concesserat, non ut abbatia ædificaretur, sed sustentaretur. Apud Bonantiam paucis duntaxat annis perstitere Cistercienses. Locum inhabitabant adhuc anno 1140, quem deseruisse videntur occasione cujusdam seditionis eo anno ortæ inter ipsos & monachos sancti Judoci. Paulo enim post ad Balantias transierunt, locum cedentibus canonicis regularibus, quibus abbas Majoris monasterii altare vicinum Montis-soterelli concesserat die dominica III nonas Martii, hic est annus 1139. Verum quum locus altus & angustus esset, Cistercienses, qui vallibus imprimis delectabantur, in valle satis amæna ad fluvium Alteiam, Valloliæ seu Valloriæ dicta, quam eis dederat anno 1143 Wido comes Pontivi, processu temporis sedem fixerunt prope vicum Argoviæ circa annum 1226. Monasterium tamen Balantiarum diu nomen retinuit. Seriem abbatum pro more Cisterciensium eruimus ut potuimus.

Ch. XXV, col. 306.
Ch. XXVI. col. 307.
Ch. XXVIII, col. 308.

NOMENCLATURA ABBATUM.

I. HUGO I nominatur abbas Bonantiæ anno 1140 in literis Theobaldi abbatis sancti Judoci supra Mare monachis hujus loci remittentis decimam omnium terrarum Mosultræ, quas propriis excolerent manibus fratres monasterii Bonantiæ, pro una marcha argenti annuatim persolvenda. Iisdem Wido Pontivensis comes,

Ch. XXVIII. col. 308. Hugone abbate, dedit quidquid in terris & aquis A habebat apud Vallolias 1143.

II. Rogerius I, cui Theobaldus abbas sancti Judoci, pro duabus marchis argenti quotannis ad festum S. Remigii persolvendis, dedit quidquid juris habebat apud Mosultram sub sigillo Theoderici episcopi anno 1145. Excepit donum Roberti *d'Ailly* & Walterii Vetulæ, præsentibus Hugone Caricampi, Adamo sancti Judoci de Nemore & Galterio de Selincurte abbatibus anno 1147. Petro sancti Richarii abbate Romam profecturo anno 1150 in subsidium viæ 40 libras donavit: Petrus autem Rogerio & fratribus Balantiarum multa vicissim rependit. Transegit anno 1158 B cum Adamo abbate sancti Judoci de Nemore, præsentibus Lamberto Cistercii, Widone Caroliloci, Willelmo Longivillaris, Luca de *Acy*, Girardo Gardi, Urbano Ursicampi abbatibus. Charta XXXVIII. col. 316. Quadriennio post Walterus Tirellus monachis largitus est nonnihil in terra Argoviæ.

III. Ursus memoratus anno 1170, terram de Nosleriis a Girardo *de Prahel* comparavit anno 1171, subscribente Richario abbate sancti Richarii.

IV. Hugo II sedebat 1175. A Gisleberto *de Daminois*, concedente Euphemia uxore & filiis Galterio & Adamo, approbante Theobaldo C episcopo, quoddam nemus recepit anno 1176, & sequenti donum Johannis Pontivi comitis, præsentibus Laurentio sancti Richarii & Odone sancti Martini de Gemellis abbatibus. Litem habuit cum Guillelmo de Monsterolo super piscatione aquæ *de Redebais*, quam composuit Theobaldus episcopus anno 1177; & cum Laurentio abbate sancti Richarii, quæ ab Henrico Ch. XLII. col. 319. Silvanectensi episcopo sedata est anno eodem. Testis legitur in literis Johannis comitis Pontivi anno 1184 concedentis civibus Abbatis-villæ jus communiæ. Occurrit adhuc Hugo annis 1181, 1183 & 1187, ac proinde insertus a D Sammarthanis Guillelmus anno 1183 videtur expungendus, aut saltem male collocatus. At quid faciemus de Gerardo abbate Balantiarum, qui subscripsit duabus chartis pro Thosano anno 1177, tum apud Miræum, tum in instrumentis tomi nostri tertii?

V. Stephanus excepit anno 1192 ab Eremberto quartam partem totius Mosultræ, & 1193 donum Gisleberti *de Langres*. Arbiter fuit anno 1194 inter abbatiam de Claromarisco & homines *de Lon*. Pactum iniit an. 1197 cum Widone de Argovia, annuente Roberto ipsius patre, Anschero & Hugone fratribus, ac primogenito ipsius E Ch. LVIII & LIX. col. 334. Walterio. Occurrit adhuc annis 1198, 1199 & 1200.

VI. Robertus *des Noyers* memoratus in fundatione leprosorum de Rua. Testis fuit anno Chart. LXI. col. 338. 1203 conventionum inter Florentium abbatem sancti Judoci ad Mare & Willelmum comitem Pontivi & Monsteroli.

VII. Rogerius II abbas de Balantiis occurrit anno 1203 testis in transactione inter abbates Longivillaris & sancti Andreæ. Cum monasterio sancti Judoci ad Mare transegit anno 1205 super decima *de Waben*, literis in quibus notanda occurrunt hæc verba: *Præsens scriptum ideo in duas partes sub chirographo divisimus, ut una pars sigillo nostro munita apud ecclesiam sancti Judoci de supra Mare in testimonium veritatis reservetur, & pars altera sigillo abbatis, & sigillo conventus sancti Judoci, & sigillo abbatis* de Selincurt *roborata apud ecclesiam de Balantiis in memoriam hujus compositionis sub custodia reponatur*, ubi habes exemplum illorum chirographorum, de quibus fuse Cangius in Glossario tom. III. p. 964, & Mabillonius de re diplomatica lib. I. c. 2.

VIII. Petrus *Danet* 1210.

IX. Willelmus, per cujus manus Evrardus Ch. LXV. col. 339. Ambianensis episcopus Paraclitum ordini Cisterciensi subjecit anno 1219.

X. Bald. cellerarius Clarimarisci & quondam abbas Balantiarum, defungitur apud Clarummariscum pridie nonas Junii 1222, ex chronico Clarimarisci apud Martenium Anecd. tom. III. col. 1386.

XI. W. approbavit anno 1231 transactionem Emmelinæ abbatissæ Belliprati cum capitulo Tornacensi super decima *de Ham*, ubi dicitur abbas de Balantiis, Vallorii autem in chartis Bertolcurtis annis 1233 & 1235.

XII. Godardus præerat an. 1268 & 1273. In capitulo generali anni 1278 monasterium de Balantiis, per abbatis negligentiam ad statum miserrimum redactum, & filia monialium reformanda committuntur abbati Cisterciensi.

XIII. Johannes I 1295 in charta sancti Walarici, 1299 in instrumento sancti Salvii & 1300.

XIV. Amauricus I permutavit cum monachis sancti Walarici mense Junio 1304.

XV. Angelrannus transegit anno 1319 cum Matthæo *de Cayeu* domino *de Daminois*. Occurrit etiam 1328 & 1337.

XVI. Johannes II de Bosco sedebat anno 1343, quo Henricus *de Camberon* pro illatis ipsi injuriis coram Philippo rege satisfactionem fecit. Transegit anno 1348 cum Willelmo de Mentenaio. Definitor capituli generalis anno 1357, aut sequens.

XVII. Johannes III commutationem fecit anno 1363 cum Guidone abbate sancti Judoci in Nemore, approbante Johanne Præmonstrati abbate. Superstes adhuc 1372.

XVIII. Amauricus II transegit cum monasterio sancti Walarici anno 1380. Idemne ac prior Amauricus?

XIX. Senaldus reperitur anno 1391 in chartulario sancti Richarii. Acceptam profitetur summam decem librarum Parisiensium ab Alberto Fabro regio quæstore in Pontivo ex eleemosyna annuatim a rege suo monasterio debita 14 Novembris 1397. Occurrit adhuc 1398.

XX. Johannes IV anno 1466.

XXI. Jacobus *Crucifix* electus & institutus ab abbate Caroliloci ad hoc deputati, confirmatus est a capitulo generali anno 1470 adversus Josephum *le Motier* contra leges electum.

XXII. Johannes V *de Spinay* institutus ab abbate

abbate Clarevallensi, tanquam ab inhabili deponitur a capitulo generali anno 1483, a quo iterum instituitur ob reverentiam patrum qui ejus electioni interfuerant.

XXIII. Johannes VI *Mauret* Philosophiæ professor comitiis ordinis interfuit anno 1493. Occurrit adhuc 1498.

XXIV. Johannes VII *Liborel* doctor theologus, quædam prædia comparavit anno 1499. Reperitur adhuc 1502 & 1515 in chartis.

XXV. Claudius *Roignart* doctor Sorbonicus & canonicus Ambianensis anno 1498, fuit etiam abbas de Valloriis, ex Sammarthano nostro.

XXVI. Nicolaus 8 Junii 1527 in archivis Bellibecci.

XXVII. Antonius I *de Crequy* ex episcopo Morinensi post Franciscum, Nannetensis an. 1554, commendam Valloriarum tenebat anno 1550.

XXVIII. Antonius II *de Crequy* superioris nepos, ex episcopo Nannetensi, Ambianensis & cardinalis 1567. Obiit 1574.

XXIX. Carolus *Gouffier* prior *d'Inglevert* natus est 9 Julii 1559 Francisco domino *de Crevecœur* & Anna *de Carnazet* parentibus; abbas erat 1586 & 1606. Obiit Ruæ.

XXX. Guillelmus-Franciscus *Gouffier* prior *d'Inglevert*, filius Timoleonis & Annæ *de Lannoy*, patruo successit, & fit postea Capucinus dictus R. P. Bernardinus *de Crevecœur*.

XXXI. Michaël *de Monchy* canonicus & consiliarius Rotomagensis, fundavit domum Noviciatus Jesuitarum Rotomagi, ubi jacet mortuus anno 1620.

XXXII. Johannes VIII *Paunier* 1627.

XXXIII. Johannes IX *Martineau* consiliarius Parlamenti Parisiensis, dein regi a consiliis, ab anno 1652 ad 1681, etiam abbas de Virtuto.

XXXIV. Ludovicus-Leodegarius *de Scoraille de Fontange* a rege designatus mense Aprili 1681, clero valedixit 1692.

XXXV. Josephus-Hyacinthus *de Broglio* 5 Aprilis 1692, etiam abbas B. Mariæ *de Pignerol*, obiit Parisiis 8 Januarii 1735 annum agens 83.

XXXVI. Johannes-Maria *Henriau* episcopus Boloniensis, nominatus a rege 27 Febr. 1735, obiit 25 Januarii 1738.

XXXVII. Augustinus-Cæsar *d'Hervilly de Devise* commendam primo Valloriensem obtinuit mense Januario 1738, & paulo post cathedram Boloniensem. Obiit die 11 Octobris 1742.

XXXVIII. Ludovicus-Franciscus-Gabriel *d'Orléans de la Motte* episcopus Ambianensis, commendam obtinuit anno 1742.

CARUS-CAMPUS.

CERCAMP.

HUGO *Camp-d'Avesne* comes sancti Pauli, ut inimicos suos Calaterienses toparchas de Belloramo debellaret, qui ad sanctum Richarium mœnibus turribusque munitissimum confugerant, urbem cœnobiumque, nulli ætati, nec sexui, nec ordini parcens, igni ferroque grassatus supremo an. 1131 abstulerat excidio; qua de re conquesturus ad Innocentium pontificem Remis concilium habentem profectus est Anscherus abbas. Concilii patres anathemate Hugone percusso, decreverunt ut illata emendaret damna, ecclesiamque & monasterium suis expensis repararet. Sed quum Hugonem ecclesiæ suæ instauratorem habere nollent monachi Centulenses, concilii decreto sancitum est ut Hugo in terra sua pœnitentiam ageret, abbatiamque de suis possessionibus construeret. Ecclesiam igitur quæ de Caro-campo dicitur in honorem beatæ Virginis Mariæ, in comitatu S. Pauli supra Dullencum ad Quantiæ ripam haud procul ab Hesdinio Artesiæ oppido in diœcesi Ambianensi, suis sumtibus propriisque expensis a fundamentis erexit. Hanc terris & possessionibus dotatam tradidit monachis e Pontiniaco adsciscendis. Fundationis hujus annus vulgo habetur 1137, sicque inscribitur adhuc claustro hujus abbatiæ vulgoque creditur. Theodericus quoque Ambianensis & Milo Morinensis episcopi huic cœnobio jam factas a pluribus donationes charta Hugoni alteri abbati inscripta confirmaverunt anno ipso 1137: hanc habes tom. III. instrument. col. 96, sed in loco non suo collocatam, maleque assignatam ad annum 1137, quo nondum sedebant nec Theodericus episcopus qui ante 1144, nec Hugo abbas qui ante 1142 regimen non sunt auspicati: & certe tum ex chronologia ordinis, tum ex historia Pontiniacensis monasterii tom. III. Anecd. col. 1265, anno duntaxat 1141 IV calendas Nov. Carum-campum a Pontiniacensibus primo inhabitatum fuisse liquet. Sed tanta confusio in monumentis abbatiarum Cisterciensium, quæ ad nos perveniunt, ut plurimum occurrit, ut e salebrosis illis ambagibus vix emergendi, nec unquam inoffenso pede sit facultas, nisi forte aliquis ex hoc ordine, quod perraro accidit, benignam nobis porrigat manum. Atque hæc semel pro abbatiis Cisterciensibus dicta sunto. Ceterum apud Carum-campum ecclesia olim visebatur magnifica, sed hodie sola navis collapsis choro ac lateribus superstat, ita Locrius: nisi forte altera ab hoc tempore constructa sit; ecclesia enim ab episcopo Ambianensi mense Novembri 1684 benedicta fuit. Sepulturæ insigniores inibi visuntur, de quibus hoc Hexastichon.

Clara domus multos condit tellure sepultos
Paulinos comites, Vendomiosque duces;
Et licet extremis patriæ sita finibus exstet,
Tuta tamen quovis semper ab hoste fuit.
Numinis id pietas facit & clementia regum,
Pro quibus assiduas fundit agitque preces.

Seriem abbatum undequaque imperfectam hîc repræsentamus, post Locrium tamen, Jongelinum & Sammarthanos, qui secuti sunt Locrium: aliam autem dare non possumus.

ABBATUM ELENCHUS.

I. JORDANUS primus abbas obiisse traditur Pontiniaci in natali solo anno 1142.

II. Hugo I jam memoratur anno 1144, cui inscribitur charta Ambianensis & Morinensis episcoporum circa annum 1147. Ejus temporibus amplissima inchoata fuit basilica. Præfuit

annis 12, & defunctus est 13 Maii anno 1154.

III. Urbanus I reperitur anno 1157 in charta Pontiniaci, & 1161 in Corbeiensi. Testis legitur in charta Theoderici episcopi pro fratribus sancti Nicolai *de Renni*. E vivis excessit pridie calendas Septembris 1166, sepultus in capitulo sub tumulo marmoreo.

IV. Helselinus, al. Hesselmus, occurrit anno 1169 in charta Henrici Silvanectensis episcopi. Obiit Pontiniaci in patrio solo.

V. Petrus I, cui Galterius *de Chaalons* prior sancti Martini a Campis donationem fecit anno 1176, cum Gerardo abbate Balantiarum subscripsit duabus chartis Laurentii abbatis sancti Richarii & Everardi Tornacensis episcopi pro monasterio Thosano anno 1177.

VI. Albanus migravit a seculo anno 1181.

VII. Artaudus I, Arnaldus & Dotandus, subscripsit chartæ Hugonis comitis sancti Pauli decimam sancto Leodegario restituentis anno 1186. Biennio ante cum monachis Majoris monasterii in prioratu *de Buiencourt* convenerat anno 1184. Pepigit etiam cum Simone abbate Aquicinctensi. Abdicavit, & Pontiniacum unde venerat reversus legitur.

Ch. XLIV. col. 320.

VIII. Petrus II fato suo concessit anno 1188, forte 1178.

IX. Hugo II judex nominatus anno 1195 cum Johanne sancti Martini Ambianensis abbate, addixit Johanni I abbati sancti Bartholomæi Noviomensis decimas novalium in territorio de Rebreviettis. Eodem anno arbiter fuit inter Simonem Aquicinctensem & Bernardum Hamensem abbates. Testis legitur anno 1198 in chartis Hugonis comitis sancti Pauli, & 1201 cum Galtero abbate de Bosco. Arbiter fuit anno eodem inter ecclesias de Claromarisco & de Longovillari. Præsens memoratur anno adhuc 1201 in transactione Friderici abbatis Luxoviensis cum Claromarisco. Unus ex arbitris componit litem inter ecclesias Longivillaris & sancti Andreæ de Nemore anno 1203. Dimissa pastorali cura, reversus est Pontiniacum, indeque accersitus ad regendam abbatiam *de Egres* in Hungaria, ibidem obiit.

X. Urbanus II varias possessiones ab Arroasiensibus suo comparavit monasterio.

XI. Araldus, Alardus, Arnaldus & Arnoldus, qui gubernavit annis 14, quædam emit ab A. priore sancti Sulpicii de Dullenco, venditionem approbante Guillelmo Aquicinctensi abbate anno 1207, ex charta Corbeiensi.

XII. Robertus I præfuisse dicitur annis 20.

XIII. Willardus sedebat anno 1255, sub quo fortasse dispersus fuit anno 1256 conventus ob inopiam rerum temporalium.

XIV. Adamus Clarimarisci alumnus reperitur anno 1261 in chartis S. Martini de Gemellis. Ob bella cessit. Ecclesia vero dedicatur anno 1262, sedentibus Petro Atrebatensi & Radulfo Morinensi episcopis, ac Gilberto abbate S. Bertini.

XV. Robertus II.

XVI. Vedastus ob præclarum regimen laudatur.

XVII. Johannes I querelam habuit cum Guidone *de Chastillon* comite sancti Pauli super advocatia monasterii, quæ terminata est mense Decembri 1283.

XVIII. Gerhardus interfuit translationi reliquiarum ecclesiæ Atrebatensis factæ a Guillelmo episcopo anno 1286.

XIX. Martinus ex monacho Longi-pontis abbas Cari-campi.

XX. Johannes II.

XXI. Nicolaus die 18 Februarii fato functus, sepulturam accepit in capitulo sub tumulo marmoreo.

XXII. Johannes III postquam sedisset annis 10, paralysi correptus cessit, & obiit 14 Septembris sepultus in capitulo sub tumba marmorea, & epitaphio ipsum 21 abbatem appellante.

XXIII. Johannes IV de Chesalo obiit 20 Februarii in capitulo terræ mandatus 22 abbas.

XXIV. Firminus pepigit cum abbate sancti Richarii die 15 Octobris 1311 & mense Januario 1312, qua pactione Carus-campus liberatur a dimidia argenti marcha quam pro censu annuo sancto Richario solvere tenebantur.

XXV. Johannes V, al. Guillelmus *de Neuville*, a natali solo nuncupatus.

XXVI. Ingerannus I.

XXVII. Johannes VI.

XXVIII. Wibrandus abbas Cari-campi 7 Octobris 1337, ex chartis regii thesauri.

XXIX. Robertus III reperitur anno 1339 die veneris ante festum sancti Michaëlis una cum Johanne de Bonoradio & Johanne de Joiaco abbatibus. Mortuus est 27 Aprilis.

XXX. Thomas, al. Albanus, occurrit anno 1352 in chartis sancti Martini de Gemellis. Abdicato regimine, vita functus est 10 Januarii.

XXXI. Johannes VII anno 1360 25 Februarii quamdam facit commutationem cum abbatia Pontis dominarum, ex ejusdem tabulis, ubi adhuc ipse vel sequens reperitur anno 1368. Occubuit 7 Aprilis.

XXXII. Johannes VIII vitam clausit Parisiis, ubi nescio quam in Parlamento causam prosequebatur.

XXXIII. Johannes IX vivere desiit 31 Maii, sepultus in antiquo beatæ Virginis sacello.

XXXIV. Petrus III, al. Robertus, in urbe Roma decessit 20 Aprilis.

XXXV. Johannes X præfuit annis novem, campanile fecit & eximia pyramide decoravit.

XXXVI. Ingerannus II *de Crequy* post regimen annorum 28 aut 29 cessit, obiitque 1484 die 14 Decemb. Jacet in sacello sancti Bernardi, ubi hodieque Gallicum ejus legitur epitaphium.

XXXVII. Johannes-Laurentius *le Francq* interfuit generalibus ordinis comitiis Parisiis 1493. Post regiminis annos 19 naturæ debitum solvit die 23 Augusti anno 1503; sepultus est e regione sacelli sancti Johannis-Baptistæ.

XXXVIII. Petrus IV *de Blachimont* confirmavit anno 1506 electionem Isabellis *Nourgier* abbatissæ Willencurtis.

XXXIX. Ludovicus I *Vignon* exspiravit die 12 Januarii 1512.

XL. Petrus V *d'Amiens*, cognomento *bonus*, castellani Ambianensis filius, frater Jacobi abbatis Præmonstratensis, sacræ theologiæ baccalaureus, ab abbate Cisterciensi Parisiis benedicitur anno 1512. Totos 38 quibus præfuit annos omnium etiam principum votis cumulandis insumsit. Mortem oppetiit anno 1550 21 Augusti, ætatis 84, & in medio chori est sepultus.

XLI. Johannes XI *Rouget*, cujus temporibus anno 1558 icta fulmine arsit ecclesia cum campanili. Obiit Atrebati pridie calend. Maii 1569. In suo tamen cœnobio conditus est.

XLII. Philippus I *de Saulti* a rege Catholico nominatus, æmulum passus est Johannem *Monamy* a Carolo IX designatum anno 1570 bullisque donatum. Templi ruinam instauravit, elapsoque quinquennio defunctus est die 16 Augusti 1575.

XLIII. Germanus *Pecqueur* spiritum reddidit 15 Augusti 1578.

XLIV. Stephanus *Dieu le Gard* ab Henrico III designatus anno 1578, bullas accepit & in possessionem inductus est, sed a sequenti videtur supplantatus.

XLV. Eustachius *de Bayart*, al. *Gantau*, ecclesiæ campanile restituit ac ipsius tectum ardosiis contegi curavit. Rexit 36 annis, defunctus 8 Augusti 1613.

XLVI. Philippus II *de la Haye* nominatus ab archiduce mense Februario anno 1610, tribus annis ab ineunda possessione abstinuit, repulsam veritus a rege Christianissimo. Verum anno 1613 abbatiam a regina matre obtinuit die 20 Decembris favore N. *de Rambures* Dullenci præfecti, quapropter benedictus anno 1614 ab episcopo Audomarensi, societatem iniit cum Balduino *l'Allemant* abbate Blangiaci anno 1616, bienniοque post obiit 17 Septembris 1618.

XLVII. Franciscus *Mouchet*, defuncto Philippo, ab archiducissa abbas renunciatus, statim jus obtinuit a rege Christianissimo reditus occupandi. Benedictus fuit ab abbate Cambronensi ordinis vicario generali per Belgium anno 1618, & obiit die cinerum 1626.

XLVIII. Jacobus *le Maire* nominatus ab archiducissa, benedictus est ab abbate Cambronensi ordinis vicario generali per Belgium in abbatia de Pratis Duaci anno 1626. Huic cum futura successione datus est coadjutor Robertus *de Maude* vir doctus, pius, solers & industrius, qui mortuus est 2 Maii 1645. Jacobus autem superstes attigit saltem annum 1647, post quem eliguntur successive a rege Hispaniæ Antonius *Gery* defunctus Audomari & Ludovicus *le Lievre*, qui post annos 8 regiminis obiit Audomari anno 1658, tumulatus apud Clarummariscum, ubi regulam professus fuerat; sed frustra, nam Eustachius *Picot* regiæ musices magister, qui in locum Francisci *Mouchet* suffectus a rege Christianissimo fuerat, bullas obtinuit, jusque fructus percipiendi, postquam probasset abbatiam Cari-campi in comitatu sancti Pauli, regio dominio sitam esse. At forte intercedentibus monachis, hanc sequenti cessit.

XLIX. Julius cardinalis *Mazarini* commendam tenebat anno 1654 monachorum ingratiis, ideoque frequenter copias ad asceterium misit, ut sibi solverentur abbatiæ reditus qui subsunt ditioni Gallicanæ. Hanc cum vita amisit 9 Martii 1661.

L. Julius-Paulus *de Lionne* favore Hugonis parentis, regii apud summum pontificem oratoris, commendam obtinuit anno 1663, & bullas 25 Febr. 1674. Obiit Luteciæ 5 Junii 1721, sepultus in ecclesia sancti Martini a Campis, cujus erat prior, necnon abbas Caroliloci, &c.

LI. Guillelmus *du Bois* primus regni administer, cardinalis & archiepiscopus Cameracensis, nominatus abbas a rege, obiit 10 Aug. 1723, anno ætatis 68, simul abbas Aureæ-vallis, Novigenti, Burgolii & Montis sancti Winoci.

LII. Ludovicus II *de Bourbon-Condé*, dictus comes *de Clermont*, ætatis anno 15 renunciatus abbas 17 Octobris 1723, cessit 1738 ut fieret abbas sancti Germani a Pratis.

LIII. Theodorus *Potocki* archiepiscopus Gnesnæ & regni Poloniæ primas, designatus a rege Franciæ abbas 22 Februarii 1738, obiit Varsoviæ 12 Novembris anni ejusdem, senio gravis.

LIV. Claudius-Franciscus *de Montboissier-Beaufort-Canillac*, ex illustri & perantiqua Montisbuxerii familia, canonicus Lugdunensis, auditor rotæ mense Jul. 1733, laurea Parisiensis doctoris donatus est 20 Octobris anni ejusdem. Commendatarius Barbellarum a die 8 Januarii 1721, & Montis-majoris a mense Februario 1735, Cari quoque campi Barbellarum loco commendam obtinuit 10 Aprilis 1739.

LOCUS-DEI.

Lieu-Dieu.

B. Mariæ dicatus Locus-Dei, filia Fulcardimontis, conditur in finibus diœcesis Rotomagensis, juxta oppidulum *de Gamaches*, a Bernardo de sancto Walarico assensu Thomæ filii & Aanoris uxoris 1191, & confirmatur a Guillelmo Remensi archiepiscopo, uti & a Theobaldo Ambianensi præsule anno 1193. Primarii fundatoris exemplum secuti postgeniti toparchæ de sancto Walarico, de monachis postea quoque optime meriti sunt. Pessumdatum a Burgundionibus anno 1472 asceterium, seculo XVI instauratum fuit. Talis autem est abbatum series ex archivis.

Charta LI. col. 328. Charta LII. col. 329.

Nomenclatura Abbatum.

I. Vivardus primus abbas anno 1191, ob alienatum prædium a capitulo generali exauctoratus est.

II. Osbertus regebat anno 1201. Bullam confirmationis obtinuit ab Innocentio III anno 1203. Sedebat adhuc 1207 & 1210. Ipse est procul dubio qui Divioni cessit in manibus abbatis Fulcardi-montis, ibidemque a capitulo generali restitutus, Cistercium ab eodem vocatus fuit, abbati responsurus.

III. Radulfus I anno 1225.

IV. Galterius permutavit anno 1229 cum A. abbatissa Bertoldicurtis.

V. Jordanus 1248.

VI. Johannes I *de Maixant* 1255 in chartis Fulcardi-montis.

VII. Petrus 1259.

VIII. Ricardus I anno 1265.

IX. Gerardus 1275, 1276, 1279 & 1282.

X. Johannes II anno 1287.

XI. Nicolaus 1303.

XII. Firminus 1314, 1326 & 1337, post quem desunt nonnulli.

XIII. Johannes III de Bruxella 1455.

XIV. Radulfus II anno 1461.

XV. Rogerius I anno 1483.

XVI. Radulfus III anno 1489.

XVII. Richardus II *Dubos* 1501.

XVIII. Rogerius *d'Ocagnes* obiit 1521.

XIX. Franciscus I *du Fresne* 1522. Insequenti anno monasterii reformatio senatus Parisiensis consulto decreta est 6 Augusti 1523.

XX. Johannes IV *de Sarcus* 1531.

XXI. Franciscus II *le Roy* 1541 & 1548.

XXII. Eustachius *le Comte* canonicus ecclesiarum cathedralis, & collegiatæ sancti Bartholomæi Bellovacensium, & parochus *d'Haucourt*, inter alia quæ possedit beneficia, fuit etiam commendatarius Loci-Dei ante Nicolaum cognatum, qui sequitur, ex Pasquerio lib. II. c. 5.

XXIII. Nicolaus *le Mareschal* Gallice reddidit & edidit librum usuum ordinis Cisterciensis, & obiit 1588, acta integerrime vita.

XXIV. Natalis *Cointerel* fato fungitur 1627.

XXV. Antonius *Bonhomme* mortuus 1638.

XXVI. Cosmas *de la Broise* electus 1638, monachos reformavit & locum restauravit.

XXVII. Bernardus *de Sariac* Bellumbeccum cum Loco-Dei permutavit, quem ex regulari fecit commendatariorum prædam. Fuit etiam abbas Pimpontii, & obiit 1656.

XXVIII. Bernardus *de Sariac* episcopus Adurensis, etiam abbas Scalæ-Dei & sanctæ Quitteriæ, obiit 12 Octobris 1672. Vide t. I. col. 1171.

XXIX. Balthasar *Grangier* nominatus a rege anno 1672, anno sequenti iniit possessionem. Reditibus adhuc potiebatur anno 1698.

XXX. Philibertus *de Mallain* ex professo sancti Sequani prior Silviniaci, factus abbas Loci-Dei dicitur a Sammarthano nostro in schedis qui annum non citat.

XXXI. N. *Septfoui* frater deductoris ducissæ Biturigum, nominatus est a rege circa mensem Augustum 1718.

XXXII. N. *le Boucher de Bellancourt* commendam tenebat 1726.

XXXIII. Durandus *de Missy* episcopus Abrincensis, a rege designatus est ineunte Septembri 1726. Vide decanos sancti Germani Autissiodorensis apud Parisios.

HISPANIA.

ESPAGNE.

B. MARIÆ & sancto Matthæo apostolo sacra Hispania monialium sub Cistercio inchoatur anno ineunte 1178 ab Ingeranno de Fontanis senescallo Pontivi, qui locum assignavit ad fontem sancti Albini Hispaniam inter & ecclesiam sancti Albini, una leuca ab Abbatis-villa, pro 13 ad minus monialibus, quæ e diœcesi Rotomagensi accitæ sunt. Primo a priorissa gubernatæ sunt, cui idem Ingerannus data jam confirmavit, & confirmatis addidit plura an. 1192 & 1198, quæ summi pontifices calculis suis comprobarunt Cœlestinus III anno 1192, & Innocentius III anno 1210. Quum autem propter frequentes hostium incursus seculo XVII apud Hispaniam minus tutæ essent moniales, Abbatis-villam transeundi sedemque figendi licentiam impetrarunt.

Ch. XLIII. col. 320.
Ch. LIII. col. 330.
Ch. LVIII. col. 334.

A B C D E

ABBATISSÆ.

ALBREA priorissa tantum fuit ab anno 1178 ad annum 1200.

I. Mathildis, si non prima abbatissa, cujus nomen ignotum volunt, saltem prima occurrit anno 1229.

II. Isabellis I filia Guillelmi comitis Pontivi & Aalidis filiæ Ludovici VII regis, Hispaniam ingressa circa 1223, dedit 20 libras Parisienses annui reditus super dominium Cressiacense, quibus adhuc potiuntur moniales. Abbatissa erat circa 1230 aut 1235.

III. Ada transegit anno 1286 cum Johanne *de Belloy* toparcha Hispaniæ.

IV. Maria I *du Pont de Remy* electa 1289, gubernavit ad 1306.

V. Isabellis II anno 1306.

VI. Maria II *de Conteville* anno 1349.

VII. Johanna I *de Fresnoy* 1369, ex instrumento 4 Decembris anni ejusdem.

VIII. Maria III *Garhate*, al. *Garhate*, 1397, ex ejusdem chirographo.

IX. Jaquelina *de la Folie* 1407.

X. Guillelma *de Fedebry* electa 1430, abdicavit 1451.

XI. Bonna *d'Yaucourt* 1451 ad 1461.

XII. Carola *de Bergicourt* 1461. Septem annis optime gubernavit.

XIII. Adriana *de la Folie* 1468, cessit 1485 in gratiam sequentis.

XIV. Mabilia *du Tielt* professa domus, ab anno 1485 difficillimis rexit temporibus.

XV. Maria IV *de Ruelle*.

XVI. Johanna II *d'Anglurre* 1570.

XVII. Maria V *d'Anglurre* Johannæ neptis 1580.

XVIII. Francisca *Massue* electa 1593, pedum tenuit annis 46.

XIX. Gabrielis *l'Allemand* gente Parisina electa 1639 rexit annis 54. Dispersas ab hostibus congregavit moniales, & e suburbano rustico Abbatis-villam traduxit 21 Maii 1642, ubi parthenonem erexit & strictiorem disciplinam procuravit.

XX. Maria-Ludovica *du Rainier de Boisseleau* filia Ludovici *du Rainier* Prætorianæ cohortis centurionis & Margaritæ *de Longueval*, soror Valentis abbatis Angeriacensis & Alexandri Caroli regii castri præfecti; nominata a rege 1 Novembris 1694, obiit 9 Octobr. 1708.

XXI. Maria VI *le Cordier du Troncq* filia Nicolai protopræsidis cameræ computorum Normanniæ & Mariæ-Ludovicæ *Bontemps*, monialis Fontis Guerardi, nominatur a rege abbatissa Hispaniæ 1 Novembris 1708.

XXII. N. *Lambert de Torigny* designata 24 Decemb. 1713, cessit anno 1733.

XXIII. N. *de Castellane* monialis ordinis S. Claræ nominata est a rege die 11 Aprilis 1733, translataque ad Bertoldicurtem 11 Nov. 1745.

WILLENCURTIS.

WILLENCOURT.

Puellis in insula Senardi juxta Alteiam inter *Vi* & *Alsi* religiosam vitam ducentibus multa contulerunt abbas S. Richarii, Nicolaus de *Villeroye*, Henricus *de Caumont*, Gerardus de Abbatis-villa & Alardus *de Thum*, quæ confirmavit Willelmus comes Pontivi anno 1199 literis, quibus subscripsit Stephanus abbas Balanciarum, unde colligitur jam tum ordini Cisterciensi moniales dedisse nomen. Has quoque donationes omnes ratas habuit Theobaldus Ambianensis episcopus anno 1201. Transierunt inde ad locum dictum *Willencourt* quasi curtis Willelmi de Pontivo in feodo *de Thum*, ubi Guillelmo de Abbatis-villa concedente abbatiam ædificaverunt circa annum 1220. Ecclesiam nondum absolutam fuisse anno 1223, docent nos literæ abbatis Cisterciensis suffragiorum ordinis participes efficientis eos omnes qui suis eleemosynis ad eam perficiendam aliquid conferrent. Tandem anno 1662 urgentibus bellis monasteriumque ad incitas redigentibus, moniales Abbatis-villæ sedem fixerunt. Sequentes abbatissæ ex bellorum ruinis tantummodo superstites.

Ch. LIX. col. 334. Chart. LX. col. 335. Ch. LXVI. col. 341.

ABBATISSÆ ALIQUOT.

I. Andelina *d'Ambournies* præerat anno 1276.

II. Mathildis occurrit in charta Roberti comitis Atrebatensis 1300.

III. Leonora 1418.

IV. Honorata *Cornehotte* tempore Johannis abbatis Valloriarum censualem librum conscribi curavit.

V. Ludovica I *de Godrinac* 1492.

VI. Isabellis *La Nourquiere* electa est 8 Aprilis 1506.

VII. Maria *de Menneville* 1556.

VIII. Ludovica II *de Codoignach* excepit monasterii rationes 1573.

IX. Margarita *de la Tranchée* nominata anno 1589 multa passa est bellorum infortunia.

X. Claudia *de Blotefierre* filia Johannis domini *de Willencourt*, nominata 1625.

XI. Angelica *de Blotefierre* Claudiæ neptis 1640; resignatione abbatiam obtinuit ruinis obtritam, & cum duabus monialibus secedere coacta est.

XII. Renata *de Rambures* filia Caroli *de Rambures* equitis torquati & Renatæ *de Boulainvilliers* nominata 1657, rem cunctam restituit, moniales recepit, bona ex usurpatorum manibus redemit, domum de Willencurte exstruxit, chartas dissipatas collegit, parthenonem apud Abbatis-villam transtulit, novumque construxit anno 1662, cunctisque in integrum restitutis, obiit anno 1703.

XIII. Genovefa *le Ver-de-Villers* monialis Thesauri Rotomagensis, abbatissa Willencurtis Renatæ successit nominata 24 Aprilis 1707. Benedicitur ab episcopo Ambianensi Abbatis-villæ mense Martio 1708, ad Amorem Dei Suessionensem transfertur ineunte anno 1719.

XIV. Antonia *de Crequy* renunciatur 19 Aprilis 1719.

XV. N. *de Maupeou* abbatissa Pruvinensis transfertur ad Willencurtem 1 Julii 1747.

PARACLITUS.

LE PARACLET.

Fundatur parthenon B. Mariæ ad Paraclitum in nemoribus de Bova anno 1219 mense Junio ab Ingelranno domino de Bova, Ada uxore & Roberto primogenito, quem Evrardus Ambianensis episcopus anno eodem abbati Cisterciensi commisit regendum in manibus Willelmi abbatis Balanciarum ad hoc a capitulo generali destinati. Tutæ ab hostibus cum non essent seculo XVII exeunte moniales, Ambianum sunt translatæ.

Chart. LXV. col. 339.

ABBATISSÆ.

I. Margarita I *de Boves* filia Ingelranni fundatoris & Adæ sororque Isabellis priorissæ prima monasterio præfuit an. 1219.

II. Avelina reperitur in chartis annis 1230 & 1246.

III. Isabellis Radulfo abbati Corbeiensi recognoscit se debere singulis annis in festo Omnium sanctorum 4 solidos parisienses pro omnibus bonis quæ tenet & possidet in feodo Roberti de Bova hominis Corbeiensis an. 1247 mense Februario, nunc 1248.

IV. Margarita II recognoscit se debere abbati S. Fusciani decem solidos parisienses annuatim pro anniversario Adæ quondam dominæ de Bova mense Dec. 1254; occurrit adhuc 1257.

V. Johanna 1277 in chartis Corbeiensibus.

VI. Margarita III 1295 mense Decembri in chartis Corbeiensibus.

VII. Helvidis sedisse creditur circa annum 1300. Jacet in capitulo cum hoc epitaphio: *Hic jacet Donna Helvidis quondam abbatissa nostra, in hac domo honeste vivens, novissime cum honoris... officii in quo per sex menses fuit, feliciter migravit a seculo, amen.*

VIII. Maria I occurrit in quibusdam chartis annis 1321 & 1327. Epitaphium sequens habet in capitulo.

Hic domicella jacet intumulata Maria,
Cujus vita pia mundo fulsit quasi stella,
Mundum despexit, carnem, dæmones superando.
Hic vitam rexit Christum prudenter amando:
Ista maritalis thalami consortia spernens,
Sponsus, ut est moris, signum sibi mittit amoris.
Mors, male fecisti, quæ proh dolor! hanc rapuisti.

Quæ virginalis status sunt præmia cernis:
In cunctis æquari voluit, sed nec dominari,
Nec exaltari sibi fuit absque parili.
Lux jacet hic morum, Deus huic det regna polorum.
Hæc in ea vere virtutum signa fuere.

IX. Philippa I *de Lorraine*, annis 1338 & 1347.

X. Egidia 1350.

XI. Margarita III anno 1395.

XII. Philippa II *Marbot* soror Jacobi *Marbot* abbatis S. Martini ad Gemellos, monasterii chartas scriptis redigi curavit anno 1397.

XIII. Guillelma *de Coronne* sedebat 1445.

XIV. Honorata 1517.

XV. Jacquelina *Heraul* 22 abbatissa in tabella dedicationis ecclesiæ facta 17 Julii 1541, a Jacobo episcopo Ebronii suffraganeo Ambianensi, resignavit anno 1547.

XVI. Barbara *de Parthenay* successit 1547.

XVII. Margarita IV *de Pellevé* filia Caroli & Helenæ *de Fay* nata 13 Octob. 1525. Monialis erat S. Benedicti Avenacensis anno 1547, Paraclito præerat an. 1568, & obiit 1575.

XVIII. Magdalena *de Longvi* ad hæresim Calvinianam defecit circa 1580.

XIX. Antonia *de Pellevé*, si Margaritæ IV soror, ut volunt, saltem erat ejus natu major, nata quippe 15 Augusti 1522. Monialis erat B. Mariæ Suessionensis anno 1568, & Paraclitum regebat anno 1589.

XX. Renata *de Pellevé* superiorum neptis, Carolo & Francisca *d'Assy* parentibus nata 9 Aprilis 1565, abbatissa erat Paracliti an. 1598; resignavit.

XXI. Carola *de Lannoy* ex Paraclito ad abbatiam B. Mariæ de Bosco transiit anno 1612, ut diximus tom. 7. col. 908.

XXII. Maria II *des Friches de Brasseuse* cessit sequenti; conscripsit & edidit libellum egregium de regimine monialium & abbatissarum.

XXIII. Susanna *des Friches de Brasseuse* Mariæ neptis, annos nata 16 nominatur abbatissa an. 1626. Petiit a rege ut monasterium Ambianum propter hostium incursus transferretur, ibique ecclesiam ædificavit, quam consecravit episcopus Ambianensis 13 Augusti 1679; obiit 6 Martii 1681 post annos 54 regiminis.

XXIV. Eleonora *Goyon de Matignon* filia Francisci equitis torquati & Annæ *Malon de Bercy* nata 10 Septembris 1634, ex moniali Torigniaci abbatissa Paracliti, bullas accepit Romæ datas pridie calendas Augusti 1681, & benedicitur 12 Aprilis 1682 a fratre suo episcopo Lexoviensi. Loca regularia construxit, & obiit anno 1706.

XXV. Maria-Ludovica-Palatina *de Dyo de Montpeyroux* diplomate regio donatur 1 Nov. 1706, bullis vero x cal. Januarii anni ejusdem. Transfertur Parisios ad Portum regium 30 Januarii 1711.

XXVI. Claudia *le Vergeur de S. Souplet* filia Guillelmi *le Vergeur* comitis *de S. Souplet* & Mariæ *de Mainville*, monialis erat Pontis-dominarum, quum abbatissa Paracliti a rege nominata 30 Januarii 1711, bullisque munita 4 Julii, possessionem iniit 8 Augusti anni ejusdem. Benedicta fuit Remis ab archiepiscopo 27 eorumdem & mensis & anni.

XXVII. Johanna *de Grouches de Chepy* obiit 6 Junii 1744, ætatis 77, professionis monasticæ 60, regiminis 23.

XXVIII. N. *de Mailly* monialis Calvi-montis facta est abbatissa a rege mense Sept. 1744.

DOMNUS-MARTINUS.

Domp-Martin.

S. Judocus septem annis apud ducem Pontivi Haimonem commoratus, ipso annuente secus Alteiam fluvium divertit, & in loco dicto *Rahic* ecclesiam simul & domunculam construxit, ubi postquam per annos octo miraculis claruisset, in alio consedit, nempe Runiaco ad ostia Quantiæ in Oceanum influentis. Illic autem oratorium ædificavit in honorem sancti Martini, & post 13 annos locum mutavit. Abeunti Judoco eremitas successisse fama est, qui auctori defuncto, primoque inquilino locum dedicarunt. Hinc S. Judocus in nemore, ex eo quod inter silvas & nemora eremiticam vitam illic duxerat. Idem & alii fecerunt in eadem eremo usque ad annum Christi 1120, quo Milo unus ex illis, Præmonstratensem ordinem amplexus, eumdem sociis suasit, eisque a S. Norberto præfectus est. Hoc circiter tempore data illis est terra, in cujus parte fundata erat ecclesia, & alia, quæ videsis in charta Rainaldi Remensis archiepiscopi. Alter a Milone abbas Adam monasterium quadraginta post annis eo ubi nunc est, transtulit, locum cedentibus Eustachio Colleto, fratre ejus Bertranno & uxore Agnete, retinuitque S. Martini nomen, quod prius ab ipso S. Judoco assignatum fuerat, quum prior locus adhuc villa S. Judoci dicatur. Situm est in finibus Artesiæ & Franciæ monasterium, cujus abbas sedet in comitiis Artesiæ. Pluribus aliis abbatiis, ab ipso Præmonstrato profecta, originem dedit hæc abbatia, Seriaco, S. Andreæ in nemore, S. Petro Selincurtensi, S. Johanni Ambianensi, S. Justo, Marchasio Radulfo, Blancæ-landæ, S. Johanni de Falesiis & Lucernæ. Pluries tamen miserrimos belli fructus experta est, seculis nempe decimo sexto & septimo. Abbatum catalogum conflavimus tum ex Annalibus ordinis, tum ex obituario domestico, quibus aliquot addidimus instrumenta.

Ch. XXII. col. 303.

Series Abbatum.

I. Milo I quem e familia Selincurtensi ortum produnt quidam MSS. codices, unumque e solitariis in cella S. Judoci degentibus, S. Norberti fama illectus, Præmonstratum adiit, unde regulam S. Augustini a Norberto institutam sociis suis reportans, hanc eis suasit, præfectus a Norberto anno 1121. Chartam confirmationis donationum obtinuit a Rainaldo Remorum archiepiscopo an. 1125. Ad episcopatum Morinensem sublimatur anno 1131. Hunc chronicon Andrense vocat præcipuum ordinis Præmonstratensis informatorem, Deo acceptabilem, tam

Ch. XXII. col. 303.

Spicileg. t. IX. p. 426.

clero quam populo pro meritis honorabilem.

II. Adam patria Metensis, genere nobilis, filius Franchildis, Radulphi Laudunensis alumnus, abbas sancti Judoci de Crispiniaco, subscripsit literis Guarini Ambianensis episcopi confirmantis fundationem sancti Petri Selincurtensis 1131, Rainaldi archiepiscopi Remensis pro S. Vulmaro 1132, & Theoderici abbatiam sancti Martini ad Gemellos erigentis 1145. Occurrit passim in chartulariis ad annum 1161, quo e villa S. Judoci ad Domni-martini prædium ab Eustachio Collet donatum canoniam transtulit pridie calendas Januarii, ecclesiamque novam post biennium consecrari fecit III cal. Maii in honorem B. Mariæ & S. Judoci. Propagandi ordinis zelo æstuans, sex abbatiarum auctor exstitit. Obiit 31 Maii 1166, regiminis 35, vir ante & post mortem miraculis clarus, sepultus est cum hoc epitaphio.

Ch. XXIII. col. 305. Chart. XI. col. 400. Ch. XXIX. col. 309. Ch XXXI. col. 312.

ADAM ABBAS.

Huic domui septem lustris hic præfuit, immo
Profuit, in nullo defuit, ordo fuit.
Nam pater & Maius uno sibi fine quiescunt,
Nam cum mense pater, cum patre mensis abit.

III. Gombertus prima nominis sui litera designatus arbiter fuit anno 1166, inter abbatem S. Richarii & G. *de Calmon* super terris Portarum. Huic Hugo Rotomagensis archiepiscopus in eleemosynam contulit pastoratum sancti Petri *de Gaillonnet*. Triginta mensibus a possessione inita completis excessit 22 Aprilis 1169.

IV. Anscherus anno 1170 pacem iniit cum Johanne comite Pontivi & a Rotroldo archiepiscopo Rotomagensi parochiam de Serincuria impetravit. Anno 1172 ineunte binos e sua domo canonicos Cantuariam voti solvendi causa ad tumulum S. Thomæ ablegat, qui cum monachis Cantuariensibus fraternæ societatis fœdus pepigerunt, & in arrham sancitæ necessitudinis, partem cilicii, rochetum & ossis particulam, sacras martyris reliquias asportarunt, cujus meritis paralysi laborans Anscherus curatus est. Occurrit adhuc 1173. Die demum 5 Maii 1174 morte sublatus, Alexandri III privilegio munitam domum successori transcripsit.

V. Hugo *de Alesle* S. Thomam Cantuariensem in tutelarem patronum adoptavit. Binas acquisivit monasterio parochiales ecclesias, alteram S. Stephani, alteram dictam *Soibremes*, bellorum injuria exstinctas. Societatem cum Cisterciensibus iniit. H. recognovit anno 1181 S. Richario donum eorum quæ in territorio *de Montigni* habebant sub annuo censu VII librarum, ex chartulario Centulensi, ac proinde non obiit 1176, ut vult Annalista ordinis, aut duplex est distinguendus Hugo, alter post alterum.

VI. Galterius I pastoratum *de Verchin* incorporavit ecclesiæ suæ, cujus possessiones & jura Alexandri III summi pontificis diplomate roboravit. Theobaldum Ambianensem præsulem ad fraternitatis preces admisit 1181. Ejusdem subscripsit literis pro monasterio sancti Andreæ anno

A 1188. Occurrit adhuc an. 1189 in tabulario Corbeiæ contra Annalistam, qui septennio ante mortuum vult Galterium.

VII. Guillelmus I pastoratum de Probavilla excepit, & a Philippo Flandriæ comite immunitatem obtinuit a solutione vectigalium, quoties ad usum monasterii merces aut annonas per ejus ditionem trajiceret. Anno 1195 abdicavit.

VIII. Petrus I *d'Orchies* fato fungitur 1198.

IX. Guillelmus II *de Bomy* miracula S. Thomæ scriptis mandavit. Capitula generalia frequens adiit, ibique pro condendis ad reformationem decretis manum apposuisse & zelum referunt B Dommartinenses fasti juxta quos anno 1201, onus & vitam deposuit.

X. Guillelmus ordine primus abdicatam an. 1195 dignitatem resumere ad instantiam fratrum cogitur anno 1201, quam die 8 Septembris 1205 cum vita exuit.

XI. Petrus II an. 1205 requisitus concessit ac ratum habuit quoddam pactum de decima *de Waben* initum inter Rogerium abbatem Balanciarum & abbates S. Judoci supra mare, & S. Petri de Selincurte coram Richardo Ambianensi episcopo, ex chartulario sancti Judoci supra mare.

XII. Johannes I Johannam Castellæ & Leo- C nis reginam, comitissam Pontivi pro recuperanda per merita S. Thomæ sanitate adventantem excepit, quæ grati animi monumenta pretiosa appendit, bellorum turbine post modum decocta. Obiit Johannes 12 Sept. 1219 ex Annalibus.

XIII. Thomas I cujus tom. 1. sacræ antiquitatis monument. pag. 120. edita est epistola inter Gervasianas numero 133 anno 1213 Gervasio inscripta, qua a capitulo generali se excusat ob ingravescentem morbum quo detinebatur, & forte obiit mense Martio 1214.

XIV. Willelmus III reperitur anno 1214, nisi forte legendus sit annus 1204.

D XV. Johannes II testis subscripsit literis Richardi militis domini *de Courroy* an. 1217. Occurrit adhuc 1218 in chartis sancti Martini Pontisarensis.

XVI. Gaufridus obiit 1221.

XVII. Nicolaus de Abbatis-villa ex canonico S. Johannis Ambianensis abbas efficitur Domnimartini, & post ad vacantem Præmonstrati abbatiam ascendit anno 1240.

XVIII. Galterus II finem vivendi fecit 4 al. 27 Julii 1242.

XIX. Renelinus moritur 1244.

XX. Johannes III approbat venditionem E factam a Petro *le Ras* monasterio de Valloriis anno 1248. Una cum Johanne abbate Præmonstrati dedit mense Aprili 1249, licentiam abbati Marchasii Radulphi vendendi villam S. Genovefæ. Interiit 9 Septemb. 1253.

XXI. Milo II componit anno 1256 discordiam inter abbatem Marchasii Radulphi & Guiardum fratrem Johannis militis domini de Monte-capreolo super maleficio enormi commisso ab eodem Guiardo, declaratque Guiardum nihil juris habere præter orationes & suffragia ipsi & antecessoribus suis ratione fundati monasterii

debita. Occurrit adhuc 1257. Mortuus est 14 Octobris 1266.

XXII. Simon I cognomento venerabilis, obiit 15 Decembris 1272.

XXIII. Guillelmus IV *de Cromont* electus 21 Januarii, dignitati cessit 19 Junii 1281.

XXIV. Gerardus I *de Dourrier* obiit anno 1286 5 Septembris.

XXV. Johannes IV *d'Oisemont* electus in die S. Lamberti, mortem oppetiit xv cal. Januarii 1293.

Nescio autem quo repererint loco Sammarthani, quos secutus est Annalista ordinis, Andream *le Moine* fratrem Johannis cardinalis & postea episcopum Noviomensem, fuisse abbatem Domni-martini electum anno 1302. Præterquam quod enim omittitur in obituario, de ejus religiosa professione in epitaphio quod supra retulimus ne verbum quidem, Domnusque ibi vocatur, non frater qui tunc vocari debuisset, si revera ordinem Præmonstratensem professus fuisset. Præterea

XXVI. Thomas II de Capella electus III calendas Januarii 1293, cessit e vita IV non. Sept. 1312, post 18 annos, septem menses & duos dies regiminis, ex obituario.

XXVII. Egidius de Probavilla electus in die S. Matthæi 1312, Monsteroli ad meliorem vitam migravit 7 Aprilis 1320, ex Annalista ordinis.

XXVIII. Eustachius *de Burye* electus 2 Maii, transegit die 16 Octobris 1341, cum abbatia sancti Richarii de justitia domus *du Quesnoy* & decessit 13 Septembris 1342.

XXIX. Johannes V de Foresti monasterio filius Jacobi *Vavasseur* & Emelinæ, facultatis Parisiensis doctor, electus 20 Septembris 1342, privilegia ceteris canonicorum regularium congregationibus indulta, Præmonstratensi ordini ex S. sedis beneplacito specialia esse impetravit, ac 16 Martii 1350 Parisiis naturæ debitum solvit.

XXX. Guido de Lauduno canonicus Præmonstratensis ab abbate Præmonstrati nominatus fuit, & in ecclesia ejusdem abbatiæ prima die mensis Aprilis 1350 exceptus, postea a S. sede confirmatus, ab omnibus quarumvis secularium personarum exactionibus, imo & ab obligatione personaliter sistendi in synodalibus episcoporum comitiis se suumque exemit monasterium beneficio bullæ Urbani V, & 23 Junii 1369 in Monsterolensi refugio vivere desiit.

XXXI. Girardus II Blaselli electus die 7 Julii 1369, juramentum præstitit supra majus altare ecclesiæ Ambianensis die XI Maii 1371. Monsteroli moritur die XI Septembris 1385, unde ad Domnum-martinum evectus tumba laminis æneis ornata tegitur cum hac epigraphe: *Hic jacet frater Girardus Blaselli de Dulendio natus, hujus ecclesiæ abbas, qui viam universæ carnis ingressus est, & ex hoc pœnali migravit mundo anno domini millesimo trecentesimo octogesimo quinto postridie Septembris.*

XXXII. Johannes VI *de Hezecques* seu *de Hecques* electus 12 Septembris 1385, vix anno regiminis evoluto moritur pridie Idus Martii 1386.

XXXIII. Thomas III Felicis baccalaureus formatus in theologia, per viam compromissi electus mense Martio 1386, & a sancta sede confirmatus, triginta tribus annis clavum gessit, pluribus vicariatum generalem Pontivi & Normanniæ. Insignia pontificalia sibi asseruit primus, indulgente Johanne XXIII bulla data Constantiæ XV cal. Mart. Pontificatus anno V, & in successorem transmisit per spontaneam cessionem factam 4 Martii 1418. Biennio superstes, obiit 2. Martii 1420.

XXXIV. Johannes VII *le Seneschal* baccalaureus formatus in theologia, abbas electus 4 Martii 1418, societatem cum Cantuariensibus renovavit. Toparchiam *de Dompierre* a Johanna *de Quiene* sibi gratis datam junxit monasterio. Ad Basileense concilium a capitulo generali delegatus accessit 1434. Johanni episcopo Rosensi altare sancti Jacobi in ecclesia S. Salvii consecranti adstitit an. 1435, finem vivendi fecit 30 Julii 1438, sepultus cum hoc epitaphio:

Ecce Seneschalli jacet hic nunc abba Johannes,
Ordine qui micat ut Juppiter ipse polo.
Hic formatus erat, vocat hunc theologia sacra,
Quem schola theologis vexit ad astra suis.
Hic obiit anno M.° quad.° trigesimo octavo, penultima mensis Julii die.

XXXV. Petrus III *le Roy* electus in die Assumtionis B. Mariæ Virginis 1438 decessit die 6 Sept. 1458, inhumatus cum epitaphio.

XXXVI. Johannes VIII *du Puy* abbas factus VII cal. Octobr. 1458, multa bona ecclesiæ suæ procuravit, quatuor filiationis suæ abbates sancti Andreæ, Marchasii-Radulfi, Seriaci & Lucernæ confirmavit, & post annos novem regiminis defunctus est Monsteroli anno 1467.

XXXVII. Jacobus *de Crepneul* in abbatem assumtus 1467, Monsteroli obiit 18 Februarii 1474, sepultus cum epitaphio.

XXXVIII. Michael I *Delle Rue* ad regimen vocatus 1474, decorem domus Dei dilexit, innumera contulit in ornamentum ecclesiæ, ampliora ad pauperum sublevamen. Ratas habuit cessionem abbatis de Seriaco 1494 & fundationem unius capellæ ab ipso in claustro Seriaci factam. Qualia denique quantave gesserit disces ex ejus epitaphio quod decessoris sepulcro imposuit successor.

Hic jacet exanimis distentus corpore toto,
Hesdini natus abbas Michaël a Rua,
Qui fuit in cunctis sapiens, bene rectus,
Sensu subtilis, servando jura virilis
Rebus in augendis, in pactis jure tuendis;
Zelator veniæ, pacis custos spiritalis,
Regula justitiæ, flos vivæ religionis
Pauperis & viduæ, vir simplicitatis amator.
Suscipito hanc animam, jam tandem dulcis IESU,
In manibusque tuis requiescat spiritus ipse.
Obiit XIV calend. Septemb. 1495.

XXXIX.

XXXVIII. Guillelmus IV Strabonis abbas A electus 20 Augusti 1495 per viam compromissi, decessit 23 Dec. 1499.

XXXIX. Balduinus *de Hersin* nominatus abbas 6 Januarii 1500, primus inveteratam consuetudinem alternis annis duos mittendi Cantuariam canonicos Dommartinenses necessitudinis fovendæ causa abrogavit. Anno 1505 perculsa fulmine ecclesia sancti Judoci penitus conflagravit, sola mediis in flammis superstite theca sacris referta reliquiis. Balduinus anno 1517 in die Exaltationis S. Crucis dignitatem posuit, biennioque superstes moritur IV non. Maii 1519.

XL. Henricus *de Maigneulx* pastor Tortifontanus reliquias sancti Thomæ Cantuariensis B ex Anglia attulit. Cedente Balduino abbas factus 14 Septemb. 1517, eo usque res monasterii per septennium promovit, ut populosæ civitatis instar omnis generis artificibus frequens habitaretur, absque disciplinæ detrimento. Decessit 1 Aprilis 1524.

XLI. Petrus IV *du Bus* electus 14 Mart. 1525, nepotem ex cessione conscripsit heredem an. 1540, defunctus XVI cal. Maii 1545.

XLII. David *du Bus* Petri nepos, eo cedente regia auctoritate factus est abbas pridie calendas Augusti 1540. Monasterium suum C vorace flamma ab hæreticis injecta vidit comburi an. 1568, atque provisorem suum Eckium impiis Calvinistarum manibus pro fide enectum. Mortuus est 23 Sept. 1574.

XLIII. Johannes IX *Prevost* electus 9 Octobris 1574, vicarium suum generalem constituit Jacobum *de Dosterel* abbatem sancti Andreæ in nemore an. 1578. Abbatis-villæ obiit 30 Maii 1582, & sepultus est ante majus altare.

XLIV. Michaël II *de Ghiers* Gandavensis, canonicus Trunchiniensis, Domnum-martinum ab abbate Præmonstratensi sacras docendi literas gratia missus mense Maio 1579, ad vacantem D sedem discipulorum suffragio promotus mense Julio 1582, a rege catholico ipso S. Michaëlis die nominatur & ab abbate Præmonstrati confirmatur mense Octobri, & Audomaropoli in sacello collegii Patrum societatis Jesu inauguratur a Johanne *Six* episcopo die 4 Nov. anni ejusdem. Temporum injuriam, bella, lites, incendia expertus est. A comitiis Artesiæ Romam pro religionis & reipublicæ negotiis ablegatus est. Inter tot tumultuantis vitæ occupationes, studii otia sic fecit sibi, ut martyrologium Romanum Gallico reddiderit idiomati, & selectas Sanctorum vitas ex originali fonte petitas, notis illustrarit. E Anno 1586 per edictum latum 21 Novemb. abbatia Domni-martini œconomo a rege attribuitur contra fr. Michaëlem *de Ghiers*, qui se pro abbate gerebat, atque in regno sita declaratur contra Hispaniarum regem. Tandem paralysi correptus Michaël, ultimum diem clausit Hesdini 15 Febr. 1604, unde ad Dommartinum translatus, in sacello S. Barbaræ conditus fuit.

XLV. Martinus *Dournel* ex priore abbas factus 1604, eodem anno templum curavit dedicari 1 Maii in honorem Dei, B. Virginis ac sancti Judoci, cujus reliquias in ecclesia ejusdem supra mare transtulit anno 1614 de mandato Goffridi episcopi Ambianensis. Multa bona ecclesiæ suæ procuravit, & postquam per viginti octo annos rexisset, 7 Julii 1632 moritur.

XLVI. Johannes X *Marsille* anno 1632, coadjutor a decessore adscitus, ab Hispaniarum rege confirmatur & ab episcopo Atrebatensi in die Assumtionis B. Mariæ anno eodem benedicitur. Cum monachis sancti Richarii societatem iniit IV cal. Febr. 1634. Quinquennio post dilapidata & igne consumta est domus a militibus exercitus marescalli *de Brezé*. Agitatam bellis, prædationibus & morbis vitam amisit die Paschatis 1656.

XLVII. Philippus I *Babeur* primum prior S. Andreæ in nemore, tum secretarius abbatis Præmonstrati, ad abbatiam Dommartinensem evehitur 26 Maii 1656. Dejectas monasterii ædes restaurare, usurpatas recuperare possessiones, bibliothecam libris, templum ornamentis instruere summa fuit studii & laborum. Vicarii generalis officium adeptus, inducendæ reformationi sedulus adlaboravit. Ab ordinibus Artesiæ gerendarum reipublicæ rerum præfecturam delatam strenue gessit, & ad regem sermonem habuit 2 Aprilis 1669. Parisiis defuncti 20 Decemb. 1675 cor Dommartinum delatum ibi honorifice conditum fuit.

XLVIII. Johannes XI *Durlin* ex priore claustrali tempore bellorum difficili electus abbas 29 Martii 1676, vicarii quoque generalis provinciam subiit. Ut Philosophiæ, Theologiæ ac juris canonici studia in suo cœnobio florescerent per omne prælaturæ suæ tempus operam dedit, pastoralia beneficia idoneis sacerdotibus contulit. Non semel politicis Artesiæ congressibus præfuit, agendi dicendique peritus. Ad christianissimum regem provinciæ nomine orator delectus sæpe pro eadem efficaciter peroravit. Ecclesiam Dommartinensem juxta pristinum splendorem magno sumtu restituit & claustra perfecit. A provincia Artesiæ apud regem deputatus Parisiis obiit 6 Maii 1701. Defuncti corpus in ecclesia collegii Præmonstratensis sepultum est: cor vero ad Dommartinum translatum, in capitulo inhumatum fuit, ubi videre est sequens epitaphium: *Hic jacet cor amplissimi ac reverendissimi Domini Johannis* Durlin *abbatis hujus ecclesiæ 46. Corpus in collegio Præmonstratensi Parisiis sepultum est, ubi statuum Artesiæ apud regem deputatus obiit 6 Maii 1701.*

XLIX. Philippus II *Celers* pastor *de Verchin* electus abbas 1 Nov. 1701, possessionem iniit 19 Januarii 1702, & ab episcopo Ambianensi benedicitur 5 Mart. ætatis anno 46. Fuit pius & eloquens prædicator, Philosophiæ, Theologiæ & ecclesiasticæ historiæ professor. Vix dignitatis possessionem inierat, quum ad vacantem ordinis præfecturam, canonicorum votis expetitur 16 Maii 1702. Verum Ludovicum XIV ad revocandum quem jam præstiterat consensum tam anxie sollicitavit, ut precibus supplicantis reniti nequiverit rex. Capitulis provincialibus ordinis

interfuit, vicarius generalis circariæ Pontivi electus est. Ædes abbatiales Dommartinenses strui curavit. Indulgentias ad utilitatem suæ ecclesiæ renovari fecit. Artesiæ clerus ipsum honoribus cumulavit repugnantem & generalium provinciæ comitiorum assessorem semel & iterum nunciavit. Imposito muneri incumbentem mors præscidit Atrebati 20 Febr. 1708.

L. Carolus *Ricouart* ex pastore *de Verchin* factus abbas anno 1708 in festo Paschæ, vicarius quoque generalis fuit & a comitiis Artesiæ deputatus. Podagra per aliquot annos vexatus, obiit 1720.

LI. Milo III *Marcq* Theologiam in abbatia Blanchæ-Landæ legerat, dein pastor ruralis, tum prior claustralis, denique abbas Domni-martini creatus est anno 1720. Laudatur a suis in encyclicis literis potissimum de assidua frequentatione chori, fatis cessit 6 Julii 1726.

LII. Thomas IV *Breuvart* ex priore Probævillæ a rege abbas nominatus est mense Sept. 1726.

LIII. Bruno *Becourt* regiis munitus literis fit abbas mense Julio 1739, & biennio post 14 Decemb. 1741, ad supremam totius ordinis præfecturam evehitur.

LIV. Josephus *Tholiez* successit.

Reperitur alicubi Witacius abbas sancti Judoci de Nemore.

S. JOHANNES.

S. JEAN LEZ AMIENS.

FErvente inter Ambiani communiam & Ingerannum de Bova civitatis comitem anno 1114 bello, dum a parte civium starent Ludovicus VI rex, Godefridus episcopus & Eustachius comes, Ingeranno vero adstipularentur Thomas de Marla, Adamus custos turris & Adelelmus filius ejus, miserabiliter periit Adelelmus, pro cujus animæ remedio anno sequenti Mathildis ejus soror, nupta vero Guidonis *de Flescicourt* in suburbio civitatis Ambianensis ecclesiam sancto Firmino erexit & proventibus dotavit. Hæc illa est ecclesia, cujus ad suscipiendam administrationem vocatus Milo sancti Judoci in nemore abbas ab Ingeranno episcopo Ambianensi anno 1124, paucos, quia exigui erant reditus, huc direxit canonicos, quorum miseratus inopiam Radulfus cognomento, *Qui non ridet*, sese in manu Milonis & sua omnia tradidit, necnon & totam hereditatem suam, quam uxori suæ in dotem dederat, post illius obitum perpetuo jure concessit. Aliquot post annos Girardus de Pinconio vicedominus Ambianensis, ipsis pro anima sua & patris Wermundi terras quasdam Seylæ fluviolo adjacentes transcripsit. Locus statim ædificando monasterio aptissimus arrisit, & in ecclesiam S. Johanni B. consecratam commigrarunt fratres anno 1136 relicta priori sede. Hos Wido Ambianensis comes & dominus Flessicurtis, uxor Mathildis & Hugo patruus decennio post accessione altarium *de Marchel*, S. Germani & *de Vadencourt* &c. recreavit.

De immutatione tutelaris patroni non est quod disquisitio critica instituatur, sicut nec de immutatione conventualis sigilli: ut enim ecclesia S. Firmino in suburbio dicata primum erat, ita forte donata eis S. Johannis B. extra muros a Girardo ecclesia, nisi arctioris solitudinis zelo huc secedentes, solitudinis patronum J. Baptistam ipsi elegerint. Non enim sic dicta fuit anno 1138 ecclesia ob reliquias S. Johannis-Baptistæ Ambianum anno tantum 1216 illatas, a quo tempore sigillum, quod prius abbatem superpellicio vestitum referebat pedum sinistra gestantem manu, Christi baptismum exhibet a parte recta, a sinistra vero agnum. Tanta vero fuit novi asceterii fama, ut plures abjectis propriis, soli Deo vivere cupientes ad illud convolarint, quos cum abbas intra monasterii ambitum continere non posset, ad diversas cellas turmatim submittebat, alteram in *Vadencourt*, aliam in Guidonis valle, tertiam in *Villaincourt* & *Marchel* imposuit. Intra angustias florentis cœnobii non stetit boni nominis odor, provincias pervasit, prætervolavit maria; testes Ressonium & Thalerten in diœcesi S. Davidis S. Johannis filiæ.

Nec tantum viri huic militiæ inscribi voluerunt, sed & mulieres,& virgines devotæ ultro se in disciplinam tradiderunt. Monasterio cellulæ adhærentes iis assignatæ, loco abbatiæ contiguo quod Bessunum vocabatur, & Gisla de Pinconio sororum regimini præfecta est. Erat illa & natalium splendore & candore morum virgo spectabilis, ad quam virgines turmatim concurrebant, quas cum Bessuni angusta domus capere non posset, ad Berticurtum ablegatæ sunt cum magistra: huic pia mater Gerardi fundatoris Beatrix solitudinis sociam se adjunxit. Brevem illic stationem fecere sanctimoniales. Nactæ quippe locum vitæ regulari ineundæ aptiorem in valle Guidonis ad hunc secesserunt. Quo autem anno ignoratur, at saltem anno 1139, quo Guarinus antistes in suo diplomate fratres in valle Guidonis sororibus spiritali ministerio deservientes recenset. Fixerunt illic sedem moniales retenta Bessuni appellatione, non amplius amovendæ loco, illicque ad seculum XIII perseverarunt, quo virginibus subiratus ordo in earum perniciem conjuravit. Sua quoque S. Johannis asceterium pertulit incommoda: anno enim 1358 a quibusdam Ambianensibus oppidanis penitus destructum fuit, altera huic illata clades anno 1597 ab Hispanis, qui civitate Ambianensi nuceo stratagemate intercepta, veriti ne Francis ad eam recuperandam pro præsidio foret abbatia sancti Johannis, eam igne injecto funditus demoliti sunt. Post hanc calamitosam tempestatem canonici intra muros urbis habitare cœperunt in domo emtitia, ubi sacram ædem construxerunt, in quam indicta solenni supplicatione, sacrosanctum Domini corpus illatum est Dominica Palmarum 1619. Extructis postea ceteris ædibus refloruit abbatia S. Johannis, pristinumque splendorem recepit.

ABBATES.

I. EUSTACHIUS I vir pietatis & prudentiæ eximiæ, e cœnobio S. Judoci in nemore eductus est anno 1124, qui novellæ apud

S. Firminum in valle plantationi præesset. Prioratu postmodum ad abbatiæ fastigium a Guarino Ambianensi episcopo evecto, primus abbas dictus est. Sed præmatura morte circa annum 1130 sublatus e vivis, benedictionis non accepit munus, unde a nonnullis inter abbates minime recensetur.

II. Fulco *de Montdidier* abbas erat S. Firmini in valle anno 1130 indict. VIII, quo testis subscripsit instrumento Guarini Ambianensis episcopi pro ecclesia Corbeiensi. Subscripsit anno 1134 chartæ Guarini episcopi pro Bodinicurte, a quo literas impetravit 1135 & 1138, & a Sansone Remensi archiepiscopo 1141. A Girardo Pinconii vicedomino terras quasdam Seylæ fluviolo adjacentes accepit, ubi ecclesiam sub S. Johannis-Baptistæ patrocinio consecrari curavit, ac fratres transtulit 1136, quorum migrationem ad Milonis instantiam laudavit Innocentius II anno sequenti. Non ideo tamen S. Johannis abbatis statim nomen sumpsit Fulco, qui adhuc abbas S. Firmini subscripsit anno 1138 instrumento Guarini episcopi Ambianensis confirmantis transactionem initam inter Eustachium abbatem S. Fusciani & Olricum priorem S. Laurentii. At Fulco abbas S. Johannis occurrit in literis Theoderici abbatiam sancti Martini ad Gemellos instituentis & prædia confirmantis Alnetensi monasterio an. 1145. Bullam obtinuit ab Eugenio III anno 1147. Testis adest in literis Theoderici conferentis præbendam in ecclesia majore Theobaldo abbati S. Martini de Gemellis an. 1148, & de decima sancti Petri anno 1153. Occurrit adhuc 1154 in transactione inter Gualterium abbatem S. Petri Selincurtensis & Gerardum de Pinconio & in fundatione S. Andreæ de nemore. Denique obiit IV id. Januarii 1157 ex necrologio ubi de eo ad hanc diem: *Commemoratio felicis & beatæ memoriæ Domini Fulconis de Monte-desiderii, secundi hujus ecclesiæ abbatis, qui conventum ab ecclesia S. Firmini in valle ad Seylæ flumina transtulit, religionem mirifice propagavit, virtutumque, ac imprimis humilitatis illustris exemplis, cum annis 26 laudatissime præfuisset, ex hoc mundo hac die migravit anno M. CLVII.*

Ch. XXIX. col. 309. Ch. XXXI. col. 311. Ch. XXXII. col. 312. Chart. XXXVII. col. 315.

III. Eustachius II ordine tertius abbas, nomine vero secundus in fastis Ambianensibus prædicatur. Jam occurrit anno 1157 in chartis, forte 1158. Testis est in charta Theoderici episcopi an. 1158. Septemvillam a Guillelmo abbate Furnensi emit 1159. Subscripsit chartæ de Bodinicurte 1160. Turonensi concilio interfuit 1163, unde pontificiam Alexandri III qui præsidebat reportavit pro ecclesia sua confirmationem. Transegit anno 1166 cum Johanne abbate Corbeiensi. Litem habuit cum Hugone abbate Furnensi circa curtem Septemvillæ a decessore suo alienatam, quæ, quum Hugo summum pontificem appellasset, pontificio judicio terminata est anno 1170, curtisque adjudicata Eustachio & æternum abbati Furnarum super illata querela indictum est silentium. Anno 1172 Eustachius literas confirmationis bonorum obtinuit a Theobaldo episcopo, & subscripsit literis

A ejusdem pro prioratu de Arenis. Gerardo vicedomino Pinconii morienti adstitit & parentavit anno 1174. Philippus rex Ambiani existens anno 1185 ad preces Eustachii diplomate regio personas resque monasterii communivit, ex quo prodiisse gentilitium stemma abbatiæ, scutum videlicet inspersum liliis, freturis aureis interceptum præsumitur. Mortalem hanc vitam exuit Eustachius 10 Januarii 1185 nunc 1186 post 29 annorum præfecturam.

IV. Thomas I domus alumnus, electus abbas subscripsit chartæ Theobaldi episcopi pro Seriaco Ch. XLVII. col. 323.
B v cal. Aprilis 1185 nunc 1186. Excepit donum Philippi de Alsatia comitis an. 1189. A Walterio Præmonstrati abbate cum Petro sancti Justi delegatus est anno 1192 ad componendam litem inter abbates sancti Judoci & S. Andreæ. Accepit ab Hugone *de Noientel* & uxore Euphemia curtem de Alneto cum juribus. Obiit 5 Decembris 1192 regiminis 7, ex necrologio sancti Justi Bellovacensis.

V. Odo *de Crescy* dictus venerabilis senex, a Willelmo Remorum archiepiscopo magna ad ecclesiæ S. Johannis decus privilegia impetravit, quæ Cœlestinus III suo diplomate approbavit.
C Transegit cum monasterio S. Fusciani an. 1194. Missam quotidianam spopondit anno 1195 pro Drogone de Ambianis & Margarita uxore qui territorium *de Grisslieu* eis concesserant. Subscripsit 1197 literis Theobaldi episcopi pro eodem asceterio. Petrus cardinalis B. Mariæ in via lata sedis apostolicæ legatus Odoni indulsit, ut in parochialibus quas possidebant ecclesiis liceret eis 4 aut 3 de fratribus suis instituere VIII id. Januarii 1198. Odoni abbas sancti Fusciani molendinum *de Ennencort* dimisit mense Julio 1199. Occurrit annis 1201 & 1203 in literis Theobaldi episcopi. Hoc ultimo cessit, ex Sammarthanis, de-
D functus 22 Octobr. 1205.

VI. Milo post unum annum regiminis discessit e vita 23 Januarii 1205.

VII. Radulfus occurrit in chartulario sancti Johannis cum Odone quondam abbate, & in chartis S. Judoci supra mare anno 1205. Subscripsit literis Richardi episcopi pro Seriaco & chartæ Ingeranni vicedomini de Pinconio pro S. Fusciano anno 1206. Electioni Johannis Corbeiæ abbatis interfuit cum Gervasio Theolii abbate anno 1208. Occurrit anno 1209 cum Rogerio abbate Alnetensi, & 1213 in chartis domesticis. Moritur 20 Septembris 1215 ex
E necrologio sancti Justi.

VIII. Nicolaus I intrusum parochiali ecclesiæ sancti Germani Ambianensis clericum secularem in præjudicium regularium a summo pontifice amoveri curavit anno 1218. Transegit cum capitulo anno 1225, & obiit 25 Oct. 1231.

IX. Herbertus anno 1239 concessit Theobaldo de Ambianis domino *de Canaples* canonicum S. Johannis qui Castrensi capellæ *d'Outrebois* serviret, unde initium regularis parochiæ ejus loci sumsit. Hoc abbate mensarum separatio & sigillorum distinctio videntur subinductæ. Cum Præmonstratensibus sancti Justi Bellovacensis

societatem iniit anno 1251, & 19 Dec. 1252 A mortuus est.

X. Johannes I de Ambianis post annos quatuor regiminis abdicavit anno 1256.

XI. Alardus obiit 1 Januarii 1266, de quo in necrologio sancti Justi legitur: *Commemoratio Domni Alardi S. Johannis Ambianensis abbatis XI, qui claustra ædificavit rexitque ecclesiam suam 10 annis.*

XII. Wicardus seu Ricardus e vita cessit 20 Septembris 1268.

XIII. Jacobus I efflavit animam 13 Julii 1274.

XIV. Petrus I *de Varcheville* e vivis sublatus est 25 Octobr. 1287. B

XV. Johannes II *d'Ausenne* al. *d'Ausaimne* ex alumno Domni-martini in abbatem S. Johannis assumtus, post duos annos præfecturæ onus deposuit, & ad suos rediit, defunctus anno 1295.

XVI. Matthæus I Seriaci canonicus septimo administrationis suæ anno & Julii die 11 denascitur anno 1296.

XVII. Johannes III *de Vreton* emit decimam *de Helleville* a conventu Viromanduensi. Præfuit quatuordecim annis & diem extremum clausit 28 Julii 1310.

XVIII. Johannes IV seu Renaldus *de Marchel* annis 38 rexit, & obiit 7 Nov. 1348 aut sequenti. C

XIX. Johannes V *de Rieu* memoratus anno 1356 in chartis, malevolos expertus est, *qui ecclesiam cum monasterio ejusque porprisio in terram prostraverunt, lapidem super lapidem a fundamentis usque ad summum non relinquentes;* ut habet charta Johannis regis Franciæ licentiam reædificandi monasterium impertientis an. 1361 8 Aprilis. Quantum perfurentis belli Anglos inter & Gallos funesta tempora licuit, illatam suo monasterio cladem cœpit instaurare Johannes. Primos allaborantis conatus mors interclusit 31 Martii D anno 1377.

XX. Firminus I *le Mongnier* eodem anno quo electus est obiit 12 Nov.

XXI. Guillelmus I *Kierret de Montonvillers* 4 Nov. 1377 præside Girardo S. Judoci abbate, adstantibus S. Andreæ, S. Petri & Seriaci abbatibus eligitur. Difficillimis temporibus abbatiam rexit & tuitus est, ejusque ruinas ut potuit reparavit. Moritur tandem 12 Augusti 1411.

XXII. Petrus II *Boulet* ex pastore S. Germani Ambianensis electus abbas, a Johanne XXIII summo pontifice confirmationem petiturus Romam proficiscitur, contra usum ordinis. E Obiit 19 Junii 1414. Post cujus obitum vacavit abbatia duobus annis.

XXIII. Firminus II *Morel* e vita cessit 11 Julii 1418.

XXIV. Johannes VI *de Torsy* 2 Septemb. 1419 moritur.

XXV. Petrus III *de Bainvilliers* ob sævientem Anglorum & Burgundionum adversus Gallos martem relicto monasterio in urbem una cum fratribus se recepit, 12 Augusti 1432 efflavit animam.

XXVI. Matthæus II *Cotterel* prior sancti Germani, præside Johanne sancti Judoci abbate eligitur 15 Augusti 1432. Synodum Basileensem convenit an. 1435, a quo obtinuit abbates sancti Martini & S. Acheoli delegari qui bonorum sancti Johannis detentores ad restitutionem adigerent. Innovationem quoque privilegiorum & immunitatem ecclesiæ suæ ab eadem synodo reportavit. Querelam habuit cum episcopo Ambianensi, qui visitare intendebat monasterium S. Johannis, qua de re Matthæus concilium appellavit, in quo pridie non. Julii 1437 causa definita est, asserta monasterio sancti Johannis omni ab episcopis exemtione, indictis vero episcopo silentio perpetuo & quinquaginta florenis auri. Mortem oppetiit abbas Matthæus 8 Febr. 1455.

XXVII. Johannes VII *le Vasseur* prior quoque sancti Germani, ad excitandum bellis vastatum monasterium, ut sacra pignora per diœcesim circumferantur ab episcopo Ambianensi impetrat. Operi vix admoverat manum, quum ecce anno 1470 Carolus Burgundiæ dux civitatem obsidione cingens, cœpta abbatiæ diruit mœnia, adjacentem eradicavit silvam, domum denique spoliatam magna ex parte subvertit. Quarto a desolatione ista anno 1474 die 6 Aprilis fato functus est Johannes.

XXVIII. Jacobus II *le Foullon* renunciatus 14 Aprilis 1474, benedictionis percipiendæ licentiam ab episcopo Parisiensi obtinuit quæ revocata est 28 ejusdem mensis. Licet dispersos sanctuarii collegisset lapides, exauctoratus tamen est 23 Junii anno 1488, sive quod male temporalia administraret, sive quod Alchymiæ totus deditus pastoris officio se subduceret, ut commentariis illustraret chymiæ libros. Depositus autem fit parochus sancti Germani Ambianensis.

XXIX. Guillelmus II *de Montesson* præfuit 11 annis, & obiit VI id. Julii 1499.

XXX. Thomas II *de l'Escluse* abbatis Præmonstrati ex fratre nepos, ex canonico Vermandi abbas Perredii novi, postulatus est a canonicis sancti Johannis, demum electus anno 1513 abbas Montis sancti Martini, illuc se recepit. Visitator sæpe a capitulis generalibus renunciatus est.

XXXI. Nicolaus II *Lagrené* pastor Ollincurtis electus abbas anno 1513. Sub titulo episcopi Ebronensis suffraganeus Francisci *Hallwin* Ambianensis episcopi institutus est ejusque vicarius generalis. Anno 1522 Thoma *de l'Escluse* abbate Montis sancti Martini mortuo, in ejus locum sufficitur ex dispensatione Clementis VII. Novam sancti Johannis basilicam construxit, vasisque sacris instruxit & multimoda supellectile pretiosa & canonicos suos disciplina & scientiis imbuit. Anno 1526 Dominica in Albis vice & auctoritate episcopi Ambianensis munus benedictionis impertivit Petro *Dubus* abbati Dommartinensi in basilica sancti Judoci, assistentibus Petro *de Bachimont* seu *d'Amiens* Cari-campi & Johanne *Pinte* sancti Andreæ abbatibus. Defunctus 1 Junii 1540, in medio navis novæ ecclesiæ conditus est cum hac epigraphe: *Nicolaus*

Lagrené 1540 ædificabat domum meam & atria mea, at ipsum elegi mihi in filium. 1 Paral. 28.

XXXII. Egidius *Binet* Bellovacensis Dominicanorum conventus alumnus, doctor theologus & Alienoræ reginæ alterius Francisci I sponsæ a confessionibus, vacantem abbatiam regio diplomate obtinuit & post decennium Præmonstratensium institutum non amplexus, resignavit 1552 Antonio *des Prés* suo affini, pensione & jure patronatus beneficiorum sibi reservatis. De proventibus abbatiæ parvas scholas S. Thomæ Parisiis exstruxit. Quin & pretiosa quæque sancti Johannis ornamenta & jocalia suis Bellovaci fratribus contulit, quorum partem conquerentibus de rapina canonicis restituit. Defunctus anno 1559, sepelitur in Bellovacensi Dominicanorum conventu.

XXXIII. Antonius I *des Prés* dictus Hercules, ex milite religiosus, 10 Novemb. 1552 factus ex cessione abbas ab Henrico Galliarum rege, habitum religionis ex præcepto Julii III papæ assumsit, & vota in manu officialis Ambianensis exacto per septimanam noviciatu nuncupavit. Toto prælaturæ suæ tempore diras cum canonicis suis exercuit lites & inimicitias fovit. Hinc illud crudelitatis exemplum, ut quosdam ex eis sibi magis infensos, quod contra eum apud supremam curiam litem agerent & prosequerentur intentatam, equorum caudis per pollices reptarit Luteciam stricte illigatos. In quod facinus capitulum generale sæviens, sententia excommunicationis Antonium perculit & jurisdictione spoliavit solemni judicio, quod suo sancito firmavit suprema Parisiensis curia. A capitulo generali postea restitutus in integrum, magis in suos cœpit debacchari, e monasterio violenter protrusit omnes qui ad magistratus regios provocarant. Pax tamen pendente lite resarcitur, domum vagi repetunt & fiunt novissima abbatis meliora prioribus. Bibliothecam instruit, sacristiam pretiosa supellectile exornat, mores ad disciplinæ apicem componit, dignusque a capitulo generali judicatur qui ad concilium Tridentinum anno 1564 ablegatus, ordinis nomine mittatur, & vicarii generalis obeat munia cardinalis Pisani Præmonstrati commendatarii anno 1575. Obiit pridie calendas Aprilis 1578.

XXXIV. Petrus IV *de l'Espinay* ex priore a rege nominatus abbas, & a capitulo generali confirmatus, non tamen fuit pacificus possessor usque ad annum 1583, quia rex alteri abbatiam donaverat. Nihilominus tamen dictus fuit Petrus nomine & jure abbas.

XXXV. Godefridus *de Billy* monachus S. Dionysii Parisiensis, ex cessione cognati sui Philiberti *de Brichanteau* a rege designati abbatiam consequitur, & bullis donatus, habitum ordinis a Johanne de Pruetis generali ordinis accipit, & obedientiam vovet. Capitulo generali adstitit an. 1586. Ejus temporibus anno scilicet 1597 feria 3 post octavam Paschæ 15 die Aprilis Ambianum ab Hispano milite interceptum est. Suburbia & maxime sancti Johannis monasterium voracibus flammis devorata sunt. Paucis ereptis fratres in urbem admissi primam sedem apud S. Dionysium, inde apud Augustinianos posuerunt. Interea abbas Godefridus ad sedem Laudunensem evectus anno 1600, obiit ultimus abbas regularis 12 Martii 1612, ætatis 76.

XXXVI. Antonius II *Seguier* commendatariorum primus, Petri *Seguier* in supremo Parisiensi senatu præsidis filius, a rege nominatus est. Hoc abbate emitur Ambiani domus *de Marconnelles* a Guidone *de Monchy* domino *de Senerpont*, & anno 1611 mense Maio jaciuntur novi templi fundamenta, quod vix intra decennium completum est. Anno 1624 dormitorii & claustri fabricæ eriguntur, quibus hæc inscriptio in plumbi lamina supponitur: *Anno 1624 a prima fundatione ad sanctum Firminum 500, a secunda ad S. Johannem 408, ab ea per Ambianenses eversa 266, ab ea per Hispanos cremata 27, Ludovici XIII regis Francorum & Navarræ 14, Urbani papæ octavi 1, hujus monasterii S. Johannis-Baptistæ Ambianensis in eamdem urbem ab anno 1600 translati loca regularia & claustra fundata sunt, R. Patre Domino Renato* de Pauye *priore claustrali fundamenta jaciente 22 Martii.* Anno 1627 litem habuere Præmonstratenses cum episcopo Ambianensi super jure piscationis in Seyla a ponte *de Myoire* usque ad Somonam, quæ religiosis contra episcopum a ballivo Ambianensi adjudicata est. Circa id tempus florebat P. Mauricius *du Pré* asceticorum librorum numero & Annalibus ordinis Præmonstratensis notus. Anno 1635 18 Augusti obiit Parisiis Antonius *Seguier*, cujus exuviæ ad monasterium S. Johannis delatæ decenti mausolæo conditæ sunt sub hoc epitaphio. *Accipe, qui terram teris, breve hoc monitum ex perpetuo monumento. Hic jacet Antonius Seguierus, summi Galliarum senatus & Parisiensis ecclesiæ senator, sancti Eparchii Paludani, Trappæ Perticanæ, ac demum Ambianensis hujus cœnobii nobilis abbas, qui ab humo eversas hujus loci ædes, imo sepultas ac pene absumptas, sumptibus suis restituit: Stirps ei clara Seguierorum, imo chara Deo soboles, quæ sexcentis abhinc annis per supremos militiæ, togæ, sed & ipsius ecclesiæ cardines stemmata sua deduxit. Frater illi superstes Lodoicus Seguierus eques, Sanbrissonii, Sanfirmini Rivalliumque dominus, comes consistorianus, Lutetiæ urbis almæ præfectus, pulchrum hoc ei sepulcrum fraterno amore, æterno mœrore, mæsta religione instaurari curavit: virtus cæteris ardua, sed Seguieris domestica. Verum ô fatum infandum, luctusque ineluctabilis! mors amara nihil moratur.*

Seguieri intereunt, quid nos speramus inertes!

R. J. P. A.

XXXVII. Dominicus I *Seguier* episcopus Meldensis & Franciæ cancellarii frater, in possessionem abbatiæ inductus 1 Aprilis 1636, obiit Paris. 16 Maii 1659.

XXXVIII. Dominicus II *de Ligny* cancellarii Franciæ nepos, per cessionem avunculi episcopi Meldensis a rege nominatus abbas sancti Johannis 18 Febr. 1651, bullas obtinuit 18 Mart. Dominico quoque in episcopatu Meldensi successit. Sequenti cessit 19 Dec. 1657, retenta

annua 6000 librarum pensione. Obiit Paris. 27 Aprilis 1681. A

XXXIX. Petrus V *du Cambout de Coislin* Aurelianensis episcopus S. R. E. cardinalis & Franciæ protoeleemosynarius, bullas obtinuit 17 Febr. 1658. Obiit Versalliis 5 Februarii 1706.

XL. Michaël *le Pelletier* quondam episcopus Andegavensis, designatus Aurelianensis, & abbas sancti Johannis 3 Aprilis 1706, etiam abbas Joyaci moritur Parisiis 9 Augusti anni ejusdem.

XLI. Ludovicus-Gasto *de Fleuriau* episcopus Aurelianensis & abbas sancti Johannis a rege nominatus 15 Augusti 1706, bullas obtinuit 15 Nov. anni ejusdem, & possessionem per procuratorem adeptus 5 Januarii 1707, obiit 9 Junii 1733. B

XLII. Nicolaus-Josephus *de Paris* episcopus Aurelianensis, commendam sancti Johannis per cessionem avunculi sui rege id ita volente obtinuit anno 1730, quam etiamnum tenet.

SERY aux Prés.

SERIACUM.

E Sancto Judoco de Nemore acciti Præmonstratenses ab Ansello *de Cayeux* domino *de Bouillancourt, de Friville* & *de Rambures* in nemore *de Sery* constituti sunt anno saltem 1127, quippe quibus Ingeranni Ambianensis episcopi qui hoc anno obiit tempore, nonnulla donata fuisse perhibentur in literis Theobaldi episcopi successoris. Neque est quod dicat Annalista ordinis quinquaginta annos regiminis raro in decursu abbatum saltem primorum inveniri: quasi vero necesse sit Radulfum primum abbatem statim ab initio novello gregi præfuisse, quasi in ortu nascentis ordinis juniores etiam maturos si non diebus, saltem virtutibus reperire difficile sit, quasi ut plurimum primi prælati juniores non fuerint. Silvestres incolæ e nemore in pratorum amœnam planitiem amne Bresla præterlabente, & Picardiam a Normannia separante irriguam non procul a Blangiaco descenderunt, locum ubi etiamnum habitant cedente Guillelmo Anselli fundatoris filio; quo autem anno incompertum. Translationis enim sicut & fundationis tabulæ evanuerunt. Solæ restant Willelmi *de Cayeux*, abnepotis Anselli & Theobaldi Ambianensis episcopi litteræ an. 1185 præditæ, quibus discimus ab Ansello Willelmi avo fundatam apud Seriacum, a Willelmo Anselli filio in pratum traductam, & a Willelmo Willelmi filio dotatam fuisse canoniam, cui multa bona a temporibus Ingeranni & Warini episcoporum collata confirmat Theobaldus eorum successor. Ceteros benefactores donationesque ab eis factas Seriacensibus referre supersedeo; ut pote quæ in literis Willelmi & Theobaldi longius recensentur, quas habes tum in appendice nostra, tum in Præmonstratensi tom. 2 coll. 499 & 500. Floret etiamnum Seriacum sub strictiori observantia, quam introduxit anno 1636 Alfonsus *de Hallwin* sextus commendatarius. Inibi sepulta fuit Catharina Valesia filia Caroli comitis Valesii, soror Philippi qui postea sub nomine Philippi VI regnavit, defuncta in annis immaturis. Funditus quoque everso vetere sancti Eligii sacello in hortis olim fundato, anno 1622 inhumata in eo dominorum *de Cayeux* hujus abbatiæ fundatorum ossa Seriacensem in basilicam pone majus altare fuere translata.

Ch. XLVI. col. 321. Ch. XLVII. col. 323.

ELENCHUS ABBATUM.

PRiores ne an abbates novello statim Seriacensium gregi præfuerint dubitare sinunt Petrus & Hubertus priores dicti in chartis ante annum 1150.

I. Radulfus I excepit donum ecclesiæ sancti Severini a Fulcherio abbate sancti Michaëlis de Ulteriori portu Seriaco concessum & a Theoderico episcopo Ambianensi, præsente Radulfo decano confirmatum anno 1150, & ab abbate S. Luciani Bellovacensis ecclesiam de Nigellula, &c. Ejus temporibus dedicata est ecclesia 27 Junii 1172. Eidem aut Radulfo II hominium præstitit Johannes de Ponte. Hugo Flaviacensis abbas præsentibus Florentio Selincurtis, Willelmo Ressonii & Hugone Marchasii Radulfi abbatibus Radulfo ad censum annuum permutando largitus est quidquid apud *Sorenc* & *Bazinval* possidebat 1177. Hoc autem anno Radulfus plenus virtutibus & multis prædiis acquisitis in senectute bona quievit 1 Junii.

C II. Simon prædia quoque nonnulla acquisivit. Habitum religionis dedit Radulfo domino *de Monceaux*, qui defunctis Agnete uxore filioque Guillelmo, de consensu alterius filii Johannis quædam dedit monasterio an. 1183. Omnium possessionum confirmationem impetravit Simon anno 1185 a Theobaldo episcopo Ambianensi, sed præcipue concessionum a decessoribus suis factarum.

III. Oylardus memoratur 1194 in donatione Johannis *de Monceaux*, quam pro requie Beatricis uxoris suæ eo anno Seriaco concessit. Idem Johannes terram inter monasterium & viam qua D Blangiacum a Moncellis itur mediam largitus est anno 1199.

IV. Radulfus II *de Monceaux* occurrit 1198 in chartis sancti Luciani, & 1202 in literis Willelmi *de Cayeux* pro S. Andrea de Nemore. Personatum ecclesiæ de Fressenvilla redemit an. 1203, annuente Theobaldo episcopo Ambianensi. Insequenti fundatum a Willelmo *de Cayeux* hospitale S. Johannis-Baptistæ suscepit regendum, quod ordini sancti Lazari unitum fuit an. 1672.

V. Stephanus ex præposito abbas ab Ingeranno de Fontibus milite redemit decimam territorii de Friencurte, approbante & confirmante E Richardo Ambianensi episcopo an. 1206 mense Decembri.

VI. Bernardus, cui Guillelmus *de Cayeux* an. 1209 concessit 40 nemoris jugera pro solvendis 340 libris, quas olim idem abbas & conventus ipsi concesserant pro matrimonio filii Eustachii.

VII. Guillelmus *de Monceaux* ex provisore abbas occurrit in charta anni 1211.

VIII. Isoardus recensetur an. 1213 in charta Anscheri de Fressenvilla militis confirmantis monasterio factas ab antecessoribus suis donationes. Eidem anno 1220 Guillelmus *de Cayeux*

assensu uxoris suæ Elizabeth & Willelmi primogeniti sui præsente Evrardo episcopo Ambianensi 80 nemorum jugera concessit. Idem Guillelmus biennio ante instituerat canonicum Seriacensem in capella sancti Eustachii in castro *de Bouillancourt*; quem nec abbas amovere, nec dominus alio diducere possent. Isoardus accepit adhuc anno 1220 a Johanne *de Camberon* literas confirmationis doni Richardi de Pleiis coram Petro de Abbatis-villa & Petro *de Bouillancourt* canonicis Seriacensibus. Duobus post annis excepit donum Roberti militis *de Fraitemole* assensu Agnetis uxoris suæ & Eustachii primogeniti sui anno 1222.

IX. Ingerannus subscripsit anno 1225 permutationi factæ a Guidone abbate de Augo cum Reinerio magistro hospitalis *de Boutancourt*. Occurrit adhuc mense Decembri 1227 in chartis archiepiscopi Rotomagensis.

X. Ponchardus 1229, 1230 & 1233.

XI. Petrus *de Bouillancourt*, qui in charta anni 1220 præsens memoratur, absque ulla temporis nota designatus abbas, hic forte collocari potest. Legitur 30 Augusti in necrologio Selincurtis.

XII. Firminus I jam memoratus in charta anni 1247, reliquias sancti Laurentii archiepiscopi Dubliniensis ab abbate de Augo obtinuit 15 Nov. 1251, cujus festum bis quotannis celebrandum promisit & societatem renovavit. Notatur in necrologio Selincurtis mense Januario.

XIII. Alermus occurrit annis 1256 & 1258. Abbatiam Seriacensem simul cum Ambianensi rexisse volunt quidam, qui eum cum Alardo confundunt, illamque muris ex parte circumcinxisse, mortuum 1 Januarii 1267.

XIV. Johannes I apud Augum natus, pepigit an. 1268 cum abbatibus S. Walarici & Loci-Dei, & 1275 cum Gerardo abbate Loci-Dei. Eodem anno societatem iniit cum Hugone abbate Selincurtis. Potestatem obtinuit a Roberto comite Drocensi monasterium muris cingendi & a communia Blangiacensi anno 1285. Occurrit adhuc anno 1294. De ecclesia sua benemeritus defecit 16 Junii, quo die in necrologio dicitur ecclesiam suam ædificiis decorasse & bonis locupletasse.

XV. Balduinus nulla temporis nota designatus, occurrit in necrologio sancti Petri de Selincurte 19 Januarii.

XVI. Hugo I *de Kanechiers* sedebat anno 1296. Emit a Johanne de Balliolo nuper rege Scotiæ an. 1304 quidquid possidebat in oppido *d'Oysemont*. Cessit e vita 6 Dec. 1313, & ante fores capituli sepultus est cum epitaphio.

XVII. Radulfus III an. 1316 ratum habet pactum inter Anselmum *de Cayeux* & Johannem procuratorem Seriaci. Occurrit & anno 1322.

XVIII. Renoldus pepigit anno 1326 cum Andrea *de Rambures*. Hujus nomen legitur in necrologio 24 Feb. cum hoc elogio: *Commemoratio Renoldi abbatis hujus ecclesiæ, qui hoc monasterium muris nobiliter cinxit, anno 1330 jurisdictionem vicecomitalem acquisivit super unam domum in villa* de Sorenc.

XIX. Adamus I de Abbatis-villa a loco A nativitatis sic dictus, ubi hospitium emit an. 1347. Johanni Atrebatensi Augi comiti 350 aureos nummos mutuo dedit an. 1351. Adamo *Goule* & Johanni filio militibus suffragiorum ordinis participationem concessit 1357 11 Februarii. Consignatur in necrologio Selincurtis 28 Julii.

XX. Johannes II *de Cromont* ex procuratore abbas quædam monasterii bona redemit anno 1365. Superstes adhuc 1371 locum habet in necrologio 3 Julii.

XXI. Adamus II *de Coulonvillers* in necrologio hoc brevi decoratur elogio: *1 Augusti commemoratio domni Adæ* de Coulonvillers *abbatis* B *hujus ecclesiæ, in sacra pagina verbo & opere quam plurimum experti. Obiit 1 Augusti 1376.*

XXII. Firminus II *de Faukemberg* factus parochus sancti Stephani prope Seriacum 25 Febr. 1362, abbas Seriaci 1377 adstitit mense Nov. electioni abbatis sancti Johannis Ambianensis. Omnium monasterii bonorum recensionem regi exhibuit anno 1383. Postea cessit Firminus, qui parochus erat de Frivilla anno 1400.

XXIII. Johannes III *Busquet* sedebat anno 1393. Recensetur in necrologio 2 Octobris.

XXIV. Hugo II *Romain* regibus Francis C a sanctioribus consiliis, ab Anglis regni hostibus captus & in Angliam abductus, diu ibidem demoratus est: quo tempore ab iisdem combusta abbatia, alio translatæ chartæ quas ut canonicis restitui curet mandat præposito Vinemacensi Carolus VIII literis, in quibus mentio fit Hugonis, sicut & in necrologio ad diem 29 Augusti.

XXV. Thomas *de la Cour* præerat an. 1437. In castro *de Rambures* diu detentus captivus, tandem transegit anno 1449 cum Andrea *de Rambures*, qui 20 aureos nummos ad reparandam bellis ingruentibus desolatam ecclesiam largitus est. Transegit & cum Alermo *de Bullenx* anno D 1455. Occurrit adhuc 1463. De eo necrologium ad 4 Januarii: *Commemoratio D. Thomæ de Curia abbatis hujus ecclesiæ, qui legavit sexdecim solidos, & debentur ei duo servitia, quibus Petrus* de Cayeux *& uxor ejus associantur.*

XXVI. Johannes IV *de la Porte* occurrit annis 1471 27 Septemb. 1477 & 1479, quo ultimo coadjutorem sibi adsciscendi ab abbate Præmonstratensi veniam petiit & obtinuit 15 Aprilis. Occurrit adhuc 5 Julii & 18 Sept. anni ejusdem.

XXVII. Thomas II *Tallet* Blangiaco villa natus, coadjutor a decessore adscitus & ab Hu- E berto abbate ordinis approbatus, a Michaële abbate sancti Judoci in nemore confirmatur anno 1479. Capitulo generali apud Branam congregato interfuit anno 1483. Monasterii proventus auxit & ædificia reparavit, chori subsellia construxit, anniversarium Caroli regis instituit anno 1488. Capellam in claustro ædificavit ac dotavit anno 1490, quo etiam anno sex obitus solennes in festis conceptionis, nativitatis, annunciationis, visitationis, purificationis & assumtionis beatæ Mariæ fundavit. Dignitati cessit anno 1494 in manibus Michaëlis abbatis S. Judoci. Obiisse 13

Junii 1495 legitur in necrologio Augensi. Sepultus est ad introitum chori cum hoc epitaphio:

Hic situs est Thomas fato prostratus amaro
Tallatus, gelidum quem tegit atra silex.
Mille quadringenti ac octoginta minus uno
Transierant anni, tuncque November erat,
Clementis tunc cœpta coli solennia divi,
Hunc pia quum cœpit turba tenere patrem:
Purgatam superis animam non ante refudit,
Quam templi sacras auxerit hujus opes.
Proteris o rigidum pedibus qui forte sepulcrum,
Sit requies, flexo poplite posce Deum.

XXVIII. Johannes V *Merlot* anno 1495 electus, æmulum passus est Johannem *Tavernier* ab abbate Præmonstrati Seriaco præfectum, sed causa vicit sententia abbatis S. Genovefæ privilegiorum ordinis a sede apostolica judicis delegati. In capitulo generali ad sanctum Quintinum congregato visitator Normanniæ deputatur anno 1505, circariarum vero Pontivi & Normanniæ in altero capitulo anno 1510 ibidem habito. Obiit 20 Februarii 1520.

XXIX. Johannes VI *Gambier* canonicus professus anno 1431, juris utriusque doctor, ordinis syndicus, Romam a capitulo generali missus est, qui dispensationem super esu carnium procuraret. Redux parochiam *de Friville* locum suæ originis administrandam suscepit. Abbatiam quam obtinuerat anno 1520, a duobus æmulis exagitatus cessit in curia Romana anno 1533 Antonio *de Halhwin*. Residuum vero vitæ exegit in villa *de Friville*, ubi obiit 28 Martii 1550.

XXX. Antonius *de Hallwin* Ludovici Picardiæ proregis nothus, sacræ capellæ Parisiensis canonicus & Gamachæi parochus, primus Seriacensem obtinuit commendam bullis donatus 8 Aprilis anno 1533. In possessionem immissus ab abbate sancti Johannis Ambian. hanc ad 1564 tenuit, quo anno vitam morte commutavit.

XXXI. Nicolaus *Wattin* successit, abbatiæque a sectariis Calvini devastatæ commenda vix quinque annis potitus est.

XXXII. Johannes VII *de Fautreau* anno 1569 a rege Carolo IX nominatus, bullisque donatus possessionem iniit ineunte anno 1570. Gaudebat adhuc 1579.

XXXIII. N. *de Marcastel de Fouquerolles* licet Calvinianæ sectæ discipulus & cataphractæ militiæ dux, ab Henrico IV Seriaci reditibus donatus est, quod fratris filio in obsidione Ambiani catapulta sauciatus & tantum non exspirans consignavit anno 1597.

XXXIV. Damianus *de Marcastel* superioris nepos fundatorum capellam temporum injuria caducam sustulit. Quatuor ecclesiæ campanas conflari curavit anno 1612, decessit 1624.

XXXV. Alfonsus *de Hallwin-Piennes* Caroli Maximiliani Prætoriæ cohortis Aureliani ducis præfecti & Catharinæ *du Gué* filius, Gastoni duci Aurelianensi ab eleemosynis, bullis munitus, Seriaci possessionem iniit 30 Martii 1626, quod reformatis Præmonstratensibus deinceps in melius
A regendum commisit anno 1636. Bibliothecam Seriacensibus donavit. Facta permutatione cum sequenti, a seculo migravit anno 1660.

XXXVI. Gasto *de Chamillart* filius Petri advocati in parlamento Parisiensi & Mariæ *Poupardin*, doctor & professor Sorbonicus, obiit mense Februario 1680.

XXXVII. Michaël *Thomassin*, dictus *Joyeux*, primus Delfini cubicularius, commendam obtinuit nominatus mense Februario 1680. Cessit anno 1695.

XXXVIII. Johannes-Baptista *de Hautefort* filius Egidii comitis *de Montignac* & Mariæ
B *d'Estourmel*, designatur 8 Sept. 1695. Obiit 22 Julii 1725 annos natus 62.

XXXIX. N. *d'Estourmel* nominatus est Seriaci commendatarius mense Augusto 1725.

In necrologio Marchasii Radulfi ad VII. cal. Sept. commemoratur Milo quondam abbas B. Mariæ *de Sery*.

SELINCURTIS.

Selincourt.

Ch. XXIII. col. 304.

ANno Domini 1131 a fundato Præmonstratensi ordine 12, in agro Ambianensi, in præfectura Vinemaci, tribus ab Alba-marla, septem ab Ambiano leucis, in aridis arvis & in deflexu
C monticuli fundata est ecclesia sancti Petri Selincurtis a Galtero Tyrello milite & Domino de Piceo, qui Miloni abbati sancti Judoci de Nemore ad construenda ecclesiam & monasterium dederat totum feodum suum a territorio Selincurtis usque ad *Tencheremesnil* & territorium de Hornio. Reliqui benefactores recensentur in literis Guarini episcopi quas habes in appendice. Milo autem annuentibus Guarino episcopo Ambianensi & Reginaldo Remensi archiepiscopo ecclesiam & ædes magnifice construxit, abbatemque e suis assignavit. Hanc de sancta lacryma vulgus appellare consuevit, quam Bernardus-Guillelmus *de*
D *Soissons* dominus Morolii ex oriente allatam S. Petro Selincurtensi dono dedisse fertur anno 1209, cujus occasione miracula antiquitus edita memorantur. Accuratam non putamus quam hic damus abbatum seriem, sed qualis ex variis monumentis potuit concinnari.

TABULA ABBATUM.

I. GUALTERUS a B. Milone abbate sancti Judoci destinatus, literas a Guarino Ambianensi episcopo obtinuit anno 1131, tum a metropolitano 1135, ab Innocentio II 1137, ab episcopo Ambianensi 1146, ab Eugenio III 1147. Eodem anno huic dedit Milo episcopus
E duo altaria *Fontaines* & *Markues*. Pepigit cum prioribus sancti Martini a campis & S. Mariæ de Arenis 1150. Novellam plantationem rexit abbas ad 1162, quo mortuus 28 Aprilis, in capitulo sepultus est, unde in ecclesiæ sanctuarium translatus 1679. Memoratur IV calendas Maii in necrologio Marchasii Radulfi. Post ejus obitum abbatia sancti Augustini a religiosis Selincurtensibus qui eam fundaverant, ab abbate Præmonstrati anno 1164 propter malam administrationem aufertur, & datur Furnensibus.

Ch. XXIII. col. 304. Ch. XXIV. col. 305. Ch. XXXI. col. 312. Ch. XXXII. col. 312.

II. Eustachius I impetravit ab Alexandro III bullam

bullam 1164, chartas vero a Theoderico Ambianensi 1164 & ab Henrico arch. Remensi 1166. Milo Morinensis episcopus ipsius in gratiam sententiam tulit an. 1169 adversus Petrum presbyterum *de Cauliers*. Præsens fuit Eustachius dono facto prioratui de Arenis a Theobaldo episcopo anno 1172. Vixit ad 1177, quo defunctus sepelitur in capitulo, unde ad ecclesiam quoque deportatus fuit anno 1679.

III. Florentius recensetur in charta Radulfi Seriacensis abbatis pro Flaviacensibus an. 1177, bullam obtinuit a Lucio IV 1184, obiit 28 Octobr. 1195.

IV. Guido *Bonnars* al. *Beauvarlet* chartam habuit à Galtero *de Tirel* juniore 1195. Reperitur adhuc 1197 in chartis sancti Johannis.

V. Adam *d'Orival* sedebat 1198, quondam abbas sancti Petri præsens fuit chartæ 1201.

VI. Fulco occurrit annis 1200 & 1202.

VII. Gilbertus al. Guillelmus cum monachis Britoliensibus convenit super feodo *Thilloy* anno 1205. Pepigit etiam 1206.

VIII. Radulfus annum regiminis explevit 1209.

IX. Guillardus al. Wicardus a Bernardo *de Soissons* domino Morolii sanctam Christi lacrymam dono accepisse anno 1209 fertur. Testis occurrit in charta Ingeranni *de Bouaffle* anno 1220, defunctus 24 Aug. 1221.

X. Odo decimas villæ *de Belle-avesne* a Renerio *du Chaussoy* obtinuit anno 1221. Memoratur adhuc an. 1227 & 1229 in chartis Bellibecci.

XI. Arnulfus annis 1233 & 1236 reperitur.

XII. Johannes I *de Moyencourt* ex canonico sancti Johannis Ambianensis, abbas 1249.

XIII. Johannes II de Vallibus electus anno 1250, inquit Annalista ordinis, obiit an. 1262, in sanctuario terræ mandatus. Erasam modo, sed in MSS. asservatam habebat olim hanc inscriptionem: *Johannes de Vallibus de ecclesia sua bene meritus decessit an. 1262:* in circumferentia vero lapidis:

Hic sub scriptura jacet abbas qui bona plura
Intus patravit; nam fortiter ædificavit,
Templum complevit & ecclesiæ bona crevit,
Ille fuit natus de Vallibus atque vocatus.
Huic Dominus donet veniam sibi, nuncque coronet
Cælesti patria cum Virgine matre Maria.

At pace docti Annalistæ D. Martenius noster legit circa caput figuræ: *Anno Domini 1267 fuit abbas istius ecclesiæ, & anno Domini 1311 decessit, anima ejus requiescat in pace. Amen.* Alibi lego Johannem de Vallibus electum abbatem an. 1267 utiliter & laudabiliter præfuisse, templum & alia monasterii ædificia an. 1244 igne consumta instaurasse & dignitati cessisse ante obitum qui contigit 1291 die 3 Martii. Interim Johannes abbas Selincurtis occurrit mense Maio 1253 in chartis Albæmarlæ.

XIV. Hugo I anno 1275 societatem iniit cum Johanne abbate Seriaci.

XV. Johannes III *d'Oisemont* VII id. Sept. 1283 defunctus.

XVI. Hugo II moritur VI id. Dec. 1295.

XVII. Egidius I *de Crelle* IX cal. Maii 1301 vitam finivit.

XVIII. Nicolaus I *Grandvarlet* mense Sept. 1304 e vivis excessit.

XIX. Matthæus de sancto Justo ob ecclesiam suam ære alieno liberatam laudatur in capitulo generali 1305.

XX. Fuilion abbas erat anno 1316, quum omnia instrumenta igne fuerunt consumta; ipse vero obiit anno 1318.

XXI. Balduinus I *Palette* defunctus 14 Februarii 1327.

XXII. Balduinus II *de Hesdin* ex canonico domni Martini abbas Selincurtis, defunctus mense Januario 1331, seu IV id. Martii 1347, ex Annalista ordinis, jacet in capella B. Mariæ.

XXIII. Johannes IV *de Grandviller* mense Decemb. 1355 obiit, seu XII cal. Augusti ex Annalibus.

XXIV. Egidius II præerat annis 1356, 1364, 1374.

XXV. Hugo III de Vallibus 1366, ex Annalibus.

XXVI. Johannes V *d'Ozier* ex Annal.

XXVII. Eustachius II 1393 ex Annal.

XXVIII. Johannes VI *de Vauvilliers* obiit exul abbas anno 1408, ex Annalibus. Abhinc ad annum 1452 ecclesia ædesque regulares ab Anglis devastatæ sunt, annisque triginta a canonicis deserta est abbatia.

XXIX. Nicolaus II reperitur annis 1420, 1425, 1430, 1432.

XXX. Henricus *de Malon* mortuus erat an. 1436 ex Annalibus, quem tamen adhuc reperio anno 1444, quo monasterium sancti Petri a Burgundis est crematum.

XXXI. Valdericus.

XXXII. Richardus.

XXXIII. Johannes VII anno 1446 revisit ecclesiam & pro posse reparavit, sed igne adhuc sæviente fugere cogitur, & 30 Mart. 1448 obiit.

XXXIV. Johannes VIII *de Boves* ex canonico sancti Johannis Ambianensis electus anno 1449, obiit 3 Julii anno 1472 al. 1475. Jacet ad introitum chori. Memoratur 9 Julii 1451 in chartis Corbeiensibus. Insequenti substantia monasterii adeo decreverat ut vix superessent annui reditus 20 libræ & 14 frumenti modii.

XXXV. Johannes IX *d'Airaines* ut sibi & canonicis victum suppeditaret, potiorem bonorum partem oppigneravit aut alienavit, dilacerataque domo & pene annihilata, miserabilis ipse occubuit XVII cal. Augusti 1478.

XXXVI. Guillelmus I *Matisas* rexit ab anno 1479 ad 1498 totoque illo tempore relevandæ domui incubuit, ob idque sanctam Christi lacrymam per provincias Ambianensem & Noviomensem circumferri curavit. An. 1490 loco motus dicitur ob pessimam administrationem, & abdicasse anno 1498, devixit anno 1508 19 Martii. Ch. LXXIX. col. 351.

XXXVII. Johannes X. *Fretel* doctor sacræ A theologiæ, abbas anno 1500, ecclesiam reparavit domosque abbatis & infirmorum de novo construxit anno 1502. De domo sua & ordine bene meritus occubuit an. 1520 al. 1524.

XXXVIII. Johannes XI *Fretel* Johannis ex fratre nepos ejusdemque tam virtutis quam dignitatis heres, bibliothecam libris instruxit, ecclesiam ornavit & sacrarum literarum studia invexit, sed abbatiam permutare coactus est pro prioratu *de Donmars* in Pontivo in gratiam ultimi Tarvanensium episcopi primique Selincurtis commendatarii die XI Augusti 1544.

XXXIX. Franciscus *de Crequy* primus com- B mendatarius, obiit 1552.

XL. Antonius I *de Crequy* Francisci nepos, Ambianensis episcopus, nominatus a rege in die sancto Paschæ, post depositam abbatiam in manibus clerici nullius nominis a loco habitationis cognominati *de la Guiche*, denascitur an. 1574.

XLI. Philibertus *de Dijon* consiliarius Parlamenti Paris. abbatem agebat an. 1575.

XLII. Petrus *de Campeau* commendam tenebat annis 1582 & 1583.

XLIII. Antonius II *Dame-Sainte* defunctus 1597.

XLIV. Nicolaus III *de Fer* consiliarius Par- C lamenti Paris. & Aurelianensis canonicus, denatus anno 1601.

XLV. Johannes XII *le Roy* nobilis Biturix, consiliarius Parlamenti Paris. canonicusque & archidiaconus ecclesiæ Paris. per annos 27, sepultus in eadem ecclesia, cujus hoc est epitaphium: *Cy gist M.r Maître Jean le Roy Conseiller du Roy en sa cour de Parlement, chanoine & archidiacre de Josas en l'eglise de Ceans, abbé des abbayes de S. Martin d'Espernay & de S. Pierre lez Selincourt, Seigneur des Dame-Sainte, Marmoignes, de Buxiere, d'Alliard, issu de l'ancienne & noble maison de S. Fleurent au pays de Berry,* D *qui trespassa en sa maison canoniale le 10 Fevrier 1613 au soixante-unzieme an de son âge.*

XLVI. Sebastianus *Galigai* frater Eleonoræ *Dori* uxoris Marescalli *d'Encre*, Turonensis archiepiscopus, abbas Majoris monasterii & sancti Petri Selincurtensis an. 1614, cessit in gratiam sequentis an. 1617.

XLVII. Claudius *du Val* commenda quam ex resignatione obtinuit a decessore an. 1617, ipse 1667 cessit.

XLVIII. Antonius III *de Vrevins* socius Sorbonicus & canonicus Parisiensis, obiit 4 Febr. 1694.

XLIX. Johannes-Franciscus *de Croy* nobilis E Hispanus, frater comitis *de Solre* proregis Peronæ & ordinis S. Spiritus equitis torquati, jam commendatarius de Aceio a mense Septemb. 1678, nominatus a rege Selincurtis in die Paschæ 1694, cessit sequenti anno 1723.

L. Guillelmus II *de Croy de Solre de Molembais* acolythus diœcesis Audomarensis, præcedentis nepos, designatur a rege 9 Maii 1723.

LI. N. *de la Grange* vicarius generalis episcopi Atrebatensis, commendam obtinuit 16 Augusti 1731.

S. ANDREAS *in Nemore*. S. ANDR.

ORdinis Præmonstratensis canonicorum S. Judoci monasterium jam exstabat conditum in vico *Maresquel* secus amnem Canciam, ab alnorum illic consitorum multitudine sancti Andreæ de Alneto vocatum annis 1154 & 1156, quum Hugo de Belloramo filius Ingeranni, patre forsan fundatore defuncto, qua minis, qua precibus obtinuit an. 1157 ab Adamo Charta XXXVII. col. 315. abbate sancti Judoci in Nemore, ut terram *de Gremecourt*, quam ab Ingeranno ante undecim annos habuerat, abbatia fieret. Pactis conventis annuit abbas, Præmonstratensesque S. Andreæ ex Alneto in campum Gremecurtensem Nemori adjacentem duabus ab Hesdinio, tribus vero a Monstrolio leucis transtulit. Ecclesia exinde constructa a Theoderico Ambianensi episcopo abbatiæ titulo insignita sub nominibus B. Mariæ & sancti Andreæ apostoli anno 1163, & a situ de Nemore dicta fuit. Huic cœnobio Guillelmus Castellanus de sancto Audomaro ad resarcienda damna ab ipso illata in bello quod inerat inter regem Franciæ & comitem Flandriæ, plurima Ch. XLVIII. col. 323. largitus est an. 1185, quæ confirmavit filius Guillelmus 1244. Horum & aliorum benefactorum donationes ratas habuere Franciæ reges, Philippus Augustus qui abbatiam regali munivit an. 1190 diplomate, quod ratum habuit Philippus sancti Ludovici filius 1278. In ecclesiæ navi visitur Hugonis effigies qui Jerosolymam profectus, vivendi finem ibi invenit, de quo in libro obituum MS. *Octavo calendas Decembris com. Hugonis de Belloramo fundatoris S. Andreæ.* Attamen in necrologio sancti Justi legitur ad 23 Nov. *Commemoratio Guillelmi de Belloramo Castellani sancti Audomari fundatoris sancti Andreæ in Nemore;* quod ita conciliari potest ut Hugo primarius, Guillelmus vero alter fundator, seu reparator dicatur. Abbatum seriem tam ex chronologia Claudii *Sallé* edita Audomaropoli anno 1651, quam ex Annalista ordinis eruimus.

SERIES ABBATUM.

I. ANSCHERUS sancti Judoci in Nemore alumnus, abbas sancti Andreæ subscripsit literis Theoderici episcopi conciliantis Galterum abbatem sancti Petri Selincurtensis cum Gerardo Pinconiensi anno 1154. Literas ipse ab eodem præsule obtinuit anno 1163, quibus recens domus abbatiæ titulo donabatur sub nominibus beatæ Mariæ virginis & sancti Andreæ apostoli, bonaque monasterii sub sancti Firmini protectione posita confirmabantur. Iisdem bonis apostolicum patrocinium est adeptus ab Alexandro III 17 Aprilis pontificatus V. Eodem anno 1163 Gauterus abbas sancti Judoci supra mare Anschero concessit quidquid in *Liuncurt* habebat. Defunctus est Anscherus 12 Dec. 1168, de quo in necrologio: *pridie idus Dec. commemoratio Anscheri primi abbatis sancti Andreæ.* In primævo loci sacello sepultus humi sub lapide in ejus effigiem elaborato cum pastorali pedo & hac inscriptione: *Hic requiescit An....* quadringentos

& septuaginta tres annos ibi delituit. Postea vero in medium ecclesiæ chorum translatus brevi gaudet epitaphio: *Sunt hic ossa Anseeri primi abbatis hujus loci, translata an. 1642 die Martii 11.*

II. Hugo I anno 1169 subscripsit conventis inter Johannem Pontivi comitem & abbatem Dommartini. Ecclesiæ constructionem primus aggressus est, ac anno 1170 bona ecclesiæ suæ a Theobaldo Ambianensi episcopo & a Matthæo Boloniensi comite confirmari obtinuit. Parem ei gratiam indulsit Desiderius episcopus Morinensis; in cujus diœcesi varias possessiones a Claremboldo de Tiembronia, præcipue vallem Vertoldi consecutus fuerat. Jerosolymam proficiscens Ingerannus miles dominus *de Fremieux* silvam Brunelli prati tradidit Hugoni, qui Præmonstratensibus comitiis interfuit anno 1172, & obiit 27 Dec. an. 1178 al. 1179, sepultus in sacello ad latus dormitorii.

III. Gossuinus seu Gosselinus occurrit ab anno 1179. Philippum Augustum, Hugonem comitem sancti Pauli & Lambertum Morinensem episcopum patronos expertus est. Chartam donationum & confirmationum a Guillelmo S. Audomari Castellano 1185 obtinuit, & immunitatem decimarum de pecoribus & novalibus ecclesiæ suæ ab Urbano III bulla Veronæ data 15 Junii. Testis occurrit in instrumento Theobaldi episcopi Ambianensis pro monasterio Corbeiensi 1189. Mortuus est die 11 Februarii 1199, regiminis 21.

IV. Robertus a Roberto de Bloovilla Jerosolymitanam peregrinationem aggrediente emit duos avenæ modios census annui anno 1201. E vivis excessit 16 Aprilis 1208.

V. Guido duodecim jugerum donationi a Guillelmo domino *de Maresquel* ecclesiæ suæ factæ subscripsit anno 1214, quo ipso vel sequenti occubuit, memoratus VIII id. Maii in necrologio Marchasii Radulfi.

VI. Senoldus ex priore abbas factus est & abdicasse dicitur ab Annalista ordinis an. 1217.

VII. Tesso, cui Honorius III privilegia bonaque ecclesiæ suæ confirmavit 12 Mart. pontificatus II 1218, templum fornicibus testudinatum ab episcopo Ambianensi consecrari curavit 26 Julii 1220. Dormitorium & claustrum ex ligneis lapidea fecit. Defunctus 26 Augusti 1230; tumulatus est in ingressu sacrarii, ubi visitur ipsius effigies lapidea, pedo & pontificiis vestibus insignita, cum hoc epitaphio:

Tegitur veteri saxo
Egregius abbas Tesso
Septimus in cœnobio.
Stans hic illius memento,
Objacet ejus imago.

VIII. Johannes I *de Resne* memoratus annis 1233 & 1238. Obiit 7 Octobr. 1242.

IX. Hugo II *de Fruges* tria ab Innocentio IV diplomata recepit data Lugduni anno 1247, quorum altero prohibet ne alienentur bona sancti Andreæ, & ne fratres compelli possint ad recipiendum seu promovendum quemquam ad beneficia seu pensiones absque speciali mandato sedis apostolicæ; altero ibidem dato 2 Octobris confirmat pontifex monasterii bona, exemtionem decimarum & novalium, vetatque ne fratrum aliqui de loco discedere nisi arctioris religionis obtentu præsumant. Robertus Atrebatensis comes frater sancti Ludovici abbatiam sancti Andreæ ad Hugonis abbatis preces in suam fidem accepit literis anno 1248 datis. Idem abbas litem habuit cum archidiaconis Morinensibus super jurisdictione in grangias sancti Andreæ, quam abbatiæ asseruit Radulfus Morinensis episcopus an. 1254, quod ipsum declararunt archidiaconi annis 1272 & 1336. Regebat adhuc Hugo anno 1255, qui muris cincto cœnobio & refectorio ædificato, mortuus est 7 Febr. tumulatus autem in sacello sanctæ Magdalenæ juxta sacrarium cum inscriptione vernacula: *Chi gist li abbés Hües de Fruges, priés pour same.*

X. Eustachius ecclesiæ suæ bona sita in comitatu S. Pauli a Guidone comite e commercio civili eximi impetravit anno 1257. Arbiter fuit anno 1268 inter priorem Bellirami & Johannem dominum *de Brimeux*. Octobris autem sequentis anni diem 26 extremum habuit.

XI. Sello ex canonico Dommartinensi abbas sancti Andreæ, executor fuit testamenti Henrici *de Montauban* an. 1273. In Philippi III regis Francorum protectionem se suamque ecclesiam immittit anno 1278. Prælaturam fractus senio abdicavit, paulo post vitam exuit 31 Octobr. 1283.

XII. Radulfus.

XIII. Thomas.

XIV. Guillelmus I de Tortofonte, de quo sancti Judoci necrologium: *XVII cal. Junii Domini Guillelmi de Tortofonte condam abbatis S. Andreæ in nemore & canonici hujus ecclesiæ.* Horum trium nulla nisi in obituariis occurrit mentio, quorum regiminis diuturnitas certo annorum numero determinari nequit. Clauditur necrologium seculo XIV ineunte.

XV. Johannes II *d'Embri* an. 1308 mense Febr. subscriptus reperitur chartæ prioratus de Montenæo. Occurrit adhuc annis 1314 & 1316. Cœnobium suum in specialem custodiam Caroli IV regis transmisit anno 1323, & 18 Aprilis anno 1328 viam universæ carnis est ingressus.

XVI. Petrus *Grenier* 24 annis rexit, & totidem adversus invasores bonorum S. Andreæ, ballivum nempe & actores de Belloramo decertavit. Nosocomium ædificavit templique turrim acu mirabili conspicuam & campanis amplis instructam. Mortuus 21 Octobr. 1351, jacet ad ingressum capituli.

XVII. Johannes III *de Montfelon* an. 1352, litem habuit adversus Robertum *de Loris* militem, regis cubicularium, dominum de Belloramo. Anno 1363 domino *de Goy* dedit in feudum 120 jugera terræ *de Liuncourt* sub hominii lege. Obiit 22 Januarii 1374, sepultus in capitulo cum hoc epitaphio: *Chi gist sire Jeans de Contes*

jadis abbés de l'eglise de Chaiens: priés à Dieu pour le ame de lui. A

XVIII. Johannes IV *de Fortel* aut *Foreftel* occurrit annis 1383 & 1385.

XIX. Johannes V *le Clerc* ex canonico Dommartinenfi abbas fancti Andreæ regebat an. 1392. Biennio poft a Benedicto XIII immunitatem obtinuit juris cujufdam apoftolico camerario tributi, ex literis Francifci Narbonenfis archiepifcopi, papæ camerarii datis Avenione 23 Decemb. 1394. Impetitam a Johanne epifcopo Ambianenfi jurifdictionem ordinis in abbates S. Andreæ & Domni-martini in concilio Conftantienfi acriter & vivide propugnavit & obtinuit, epifcopo in expenfis 50 librarum auri damnato. Pepigit anno 1407 cum Guillelmo domino de Tiembronia. Memoratur in necrologio Dommartini VIII cal. Aprilis. B

XX. Guillelmus II *Dubus* 7 Sept. 1417 moritur.

XXI. Ingelrannus *de Fruges* Marefquello oriundus, fedebat an. 1417. Abbatem fancti Judoci ad mare judicem a Martino V obtinuit an. 1428 pro recuperatione bonorum alienatorum. Dignitate prius depofita, e vivis exceffit nonis Aprilis 1440.

XXII. Ifaac *Flahaut* ex canonico B. Mariæ Lifquenfis regebat fanctum Andream abbas an. 1446 & 1457; abdicavit e vivis ereptus 7 Aprilis 1460. C

XXIII. Johannes VI *le Tieulier* Compendienfis, cui anno 1467 die 4 Maii Simon abbas Præmonftratenfis vices fuas commifit, ut ad electionem abbatis Domni-martini fe conferret, fato ceffit III cal. Martii 1474.

XXIV. Philippus *Baillet* Hecmicurtenfis, anno 1477 abbas legitur. Obituarium ecclefiæ fuæ renovari curavit, in quo mors ejus infcribitur 6 Octob. 1483.

XXV. Sigerius *le Maître* Marefquellenfis, jam abbas an. 1483, propter minus rectam bonorum adminiftrationem cedere cogitur a capitulo generali an. 1498, & fecessit in Monftrolienfe fancti Andreæ hofpitium, ubi defunctus eft 25 Nov. anni circiter 1505. D

XXVI. Dionyfius *Daviau* prior fancti Andreæ Claromontenfis in Arvernia, fæpe ad ardua ordinis negotia ablegatus a capitulo generali; & ad partes Angliæ commiffarius pro refarcienda concordia deputatus non femel, ad capituli votum in locum Sigerii cedentis eligitur abbas S. Andreæ in Nemore an. 1498. Ecclefiæ fuæ oppignerata prædia redemit, cenfus annuos ducentorum fextariorum refufo liberavit argento. Ducentas quadraginta auri libras pro communibus regni negotiis capitulo generali confignavit, & in gratitudinis argumentum abbas Præmonftrati abbatiam fancti Andreæ a talliarum ordinis contributione exemit an. 1520. Dierum plenus & meritorum in pace quievit Dionyfius 25 Octobr. 1521: ecclefiam fuam vafis multis argenteis facrifque veftibus locupletarat, atque in altaris tabula cernitur ad vivum expreffa ejus imago cum hoc diftycho: E

Quingentos mille jungas denis quoque feptem,
Hac me facrata Dionyfius æde locavit.

Prædecefforum imagines in parietibus ecclefiæ pictas verfibus exornarat, ipfius vero imagini gratus fucceffor hæc infcripfit carmina:

Surgit imago recens cunctorum in pariete patrum.
Quaflibet hic vili congeftas ftramine fedes
Confpicuo ftructas latere, ornatafque reliquit,
Ac aliis vaftata locis quinque eruta bellis
Culmina villarum ftruxit, molefque refecit
Ac delubra domus idem labentia preffa
Fœnore reftituit, cenfuque redemit iniquo.
Omnia cum tollat, benefactis invida mors eft.
Hic abbas virtute viget, nec tolle vetuftas.

XXVII. Johannes VI *Pinte* navim fornice, chorum pulpito decoravit. Octogenarius moritur Audomaropoli, quo propter bellorum tempeftates confugerat, 10 Octobr. 1557.

XXVIII. Jacobus I *Doftrel* e gente *de Dieval*, in utroque jure licentiatus, ex coadjutore factus abbas ad Lovanienfem conventum pro morum & ftatus monaftici reformatione a rege catholico evocatus eft anno 1571. At Belgici conventus ad Johannem Auftriacum excipiendum legatus, ire recufavit. Anno 1578 vicarius generalis inftituitur Domni-martini a Johanne *Prevoft* ejus loci abbate. Templum incendio belli confumtum reftauravit, & abbatis ædes conftruxit. Coadjutorem fibi feptuagenario defignavit 1574, & obiit 10 Aprilis 1581, ante majus altare fepultus.

XXIX. Jacobus II *Vainet* Aquis oriundus, benedicitur 18 Junii 1581 a Godefrido Ambianenfi epifcopo. Ejus temporibus hæretici ex Gallia in auxilium Flandrorum properantes Arthefiam depopulantur, nec facris quidem parcentes, hujus ecclefiæ lipfana argentea diripiunt, ejufdemque cœnobii duos canonicos aliis clanculum dilapfis vario diroque modo divexant. Die Dominica *Quafimodo* anni 1605 quidam milites circa vefperam e contiguo nemore in abbatiam irrumpentes, manu forti & armata facram civilemque fupellectilem auferunt, ipfumque abbatem in lecto jacentem infirmum violenter cum cellerario abreptum Seclufam Hollandiæ oppidum deportant, unde nonnifi poft unius anni captivitatem dimiffus eft ærumnis confectus. Hefdini 25 Aprilis 1606 mortuus, ad lævam Jacobi fepultus eft cum hoc epitaphio:

Quinque & bis denis Vainetus præfuit annis,
Expertus vitam militiam effe fuam.
A ftrato fuit hic ætate & viribus æger
Ad fines raptus, Slufa dolofa, tuos.
Menfibus undenis inibi captivus habetur,
Verum non illic ultima claufa dies.
Liber in Hefdinam de Slufa inducitur arcem.
Aft hic virtutis, criminis ille locus.
Eft Batavus fceleris, præful virtutis alumnus,
Atque ideo difpar mortis utrique domus.

XXX. Claudius *de Reifwich* Averdonensis, A e nobili apud Frisonas familia, die 5 Junii 1606 abbas nominatus ab Alberto Belgii principe, a Jacobo episcopo Audomaropolitano inauguratur 23 Julii. Partem cœnobii igne consumtam redintegravit an. 1620, & post novemdecim annorum administrationem valetudinarius abdicavit anno 1625. Campanile iterum ædificavit ac tribus campanis instruxit, & tandem Hesdini in ædibus sancti Andreæ animam Deo reddidit 14 Octobris 1625 ætatis 73, in templi nave sepultus.

XXXI. Jacobus III *de Campaigne* Bruxellis nominatur ab Isabella infante Belgii principe 3 B Aprilis 1625. Possessionem init 27 Maii ac 6 Julii a Paulo episcopo tunc Audomarensi & post Atrebatensi inauguratur. Obiit 16 Januarii 1627 in navi sepultus a latere Claudii.

XXXII. Natalis *du Candas* Goyensis ab eadem principe nominatus mense Martio 1627, possessionem init 8 Aprilis. Inaugurationis tempus ob linguæ vitium distulit ad annum 1633 21 Augusti, quo die a Maximiliano Tornacensi episcopo id munus adipiscitur. Hospitium Hesdinense funditus reparavit, ibique obiit 28 Sept. 1635 ætatis 46, sepultus in sanctuario, de quo chronicon carmen. C

DV CauDas, qVI nobIs DVX fVIt, obIIt.

XXXIII. Nicolaus *Ledé* Offinensis, Philippi IV nomine a Ferdinando Austriaco, infante Hispaniensi, cardinali Toletano Bruxellis abbas assumitur die 6 Aprilis 1636 ex priore monasterii. Possessionem init 9 Maii, a Christophoro *de France* episcopo Audomarensi benedicitur Arcæ 14 Sept. de quo distychon chronicon.

HeVreVX Le Dé qVI est tombé
DessVs Le Dé poVr être abbé.

A Præposito generali vicarius instituitur abbatiarum Dommartini, sancti Nicolai Furnensis, D sancti Augustini Morinensis, beatæ Mariæ *de Licques* 23 Aprilis 1648. Claustri pavimentum in cœmeterium benedixit 1650 annuente episcopo Ambianensi. S. Mariæ Magdeburgensis præpositus constituitur ab abbate Præmonstrati, eaque dignitas cum omnibus ei annexis juribus, prærogativis abbatiæ sancti Andreæ perpetuis futuris temporibus annectitur 1665. Nicolaus vero die 2 Nov. 1680 octogesimo ætatis suæ anno efflavit animam. Nonnulla ejus opera typis vulgata sunt, *catalogus sive fundationes abbatiarum ordinis. Index circariarum ordinis Præmonstratensis. Kalendarium historicum pro totius anni decursu.* Volumina plura MSS. ab eodem composita ad lucem aspirant.

Nicolai ad exemplum ejusque studiorum comes Claudius *Salle* chronicon edidit typis primo Parisiensibus anno 1634, dein Audomarensibus anno 1670 rerum memorabilium sui monasterii, aliaque edenda reliquit.

XXXIV. Antonius *Godart* septuagenarius electus abbas, obit 30 Aprilis 1688.

XXXV. Andreas *Thomas* claustralem domum & abbatiales ædes a fundamentis renovavit. Anno 1696 in capitulo provinciali Parisiis habito, Vasconiæ monasteria visitanda ei & reformanda committuntur. Anno 1717 in capitulo generali vicarius generalis Hispaniæ declaratus est.


XXXVI. N. *Boubert* a rege renunciatus est die 2 Junii 1731.

Clarissæ Ambianenses.

FUndatus hic parthenon a Philippo milite domino *de Saveuse* Burgundiæ ducis consiliario & Maria *de Lully* uxore, qui obtenta a summo pontifice Eugenio IV licentia, monasterium ordinis sanctæ Claræ in villa Corbeiæ aut Atrebatensis seu Tornacensis diœcesium construendi, quum Corbeiæ renitentibus abbate & monachis, non possent, Ambianis constitere, ubi aliquanto post orta episcopum Johannem capitulumque inter & abbatissam ac moniales de constructione & fundatione monasterii, jure funerum, oblationibus &c. dissensionis materia, pax inter eos inita est, quam auctoritate apostolica sancivit idem Pontifex Eugenius IV bulla data Romæ XVII cal. Octobris 1445. Hanc habes apud Wadingum in appendice ad tom. V. Annalium ordinis p. 333. Sanctissime in hoc parthenone, inquit Wadingus, vixit Maria *de Bourbon* filia Jacobi regis Siciliæ.

Abbatissa.

JOHANNA prima videtur abbatissa, quæ præerat ante & anno 1445.



ECCLESIA SILVANECTENSIS.

SILVANECTI etymon, quod silvis fere undique cingatur, ac velut adnectatur, minus arridet Hadriano Valesio in sua Galliarum notitia, cui gentis nomen Gallicum potius videtur, quam Latinum, aut a silvis nexuque deductum. Silvanectes vocari Ulbanectes, seu quod idem est, Ulbanectes Plinii nostros esse Silvanectenses, affirmat Cluverius doctissimus geographus, affirmat Hadrianus Valesius: contradicit tamen vir eruditus Johannes *Deslyons* decanus olim ac theologus Silvanectensis, ut ex alternis hujus & Hadriani Valesii literis autographis nostra in appendice relatis patescit. Charta CLXVII. col. 516.

Antiquissimum porro, ubi vox Silvanectum occurrat, textum esse Gregorii Turonensis lib. IX cap. XX. hist. Franc. ubi de Silvanecti partitione inter liberos Childeberti regis, scribebat R. P. *du Molinet* canonicus regularis sanctæ Genovefæ & ejusdem bibliothecæ præfectus ad Johannem *Deslyons* anno 1671, unde & observabat sat extensum tunc temporis fuisse territorium Silvanectense, quod tres in partes divisum fuerit. Silvanectum vocat Usuardus *Castrum Silvanectas*; nonnullis est Augustomagus Ptolemæi, & Silviacum Lupi Ferrariensis.

In priscis notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Silvanectum* nuncupatur, atque inter Belgicæ secundæ urbes octavum obtinet locum; in recentioribus decimum, Morinis, seu Tervannensibus, Ambianisque postposita. Hodie vero inter octo, quæ Remensi provinciæ, seu Belgicæ secundæ subsunt, dioeceses, septima recensetur Silvanectensis, cujus primaria civitas Silvanectum, quæ & more multarum Galliæ urbium, proprio nomine deposito, gentis, cujus erat caput, appellationem accepit & dicta est *Silvanectæ;* quo nomine hanc urbem legimus in notitia imperii Romani præsidium habuisse militum. Urbis hujus impositæ monti, a meridie fossas implent amniculus Nonnitida *Nonnette* vocatus, a re nomen habens, & alter a Septentrione dictus *Aunette* seu *Onette*, qui ambo non longe hinc confluentes, in Oësiam dilabuntur.

Falluntur qui Silvanectum in Valesiæ pago collocant, & constituunt ipsum Valesiæ caput, quum plusquam sex milliaribus a Valesia distet, cujus metropolis est Crispeium urbs altera dioecesis Silvanectensis. In provincia Insulæ Franciæ sita est urbs Silvanectum, comitatus Silvanectensis caput, quo titulo jam anno 822 in concilio Attiniacensi gloriabatur; eademque munitissima dicitur a Flodoardo in chronico circa annum 947, quam & unam de curiis suis cum Bellovaco & Parisiis vocat Philippus rex in charta donationis abbatiæ sancti Mellonis de Ponte Isaræ a se 1091 factæ Willelmo Rotomagensi archiepiscopo.

Decem a Lutecia Parisiorum distat leucis in Septentrionem, Compendium versus octo, ab Oësia fluvio duabus, & novem a Bellovaco in ortum hibernum. Præfectura nobili juridica, seu balliviatu regio & curia præsidiali sub parlamento Parisiensi decoratur, & episcopali sede sub Remensi metropoli. Ecclesia cathedralis ordinis non communis, sed imprimis ob egregium campanile speciosa, sacra est B. Virgini Mariæ, colitque secundarios patronos sanctos martyres Gervasium & Protasium. Ejus fundatio tribuitur Odoni episcopo, ex necrologio, his verbis: *XII cal. Novembris obiit Odo episcopus, qui hanc ecclesiam fundavit.* Ergo vel sub finem seculi X quo primus Odo vivebat, vel circa 1068 quo florebat Odo secundus. Reædificata fuit seculo XII per triginta & amplius annos, ex eodem necrologio, hunc in modum: *VII cal. Martii* (circa 1155) *obiit Theobaldus episcopus, qui hanc innovavit ecclesiam.* Quod quidem ex pluribus etiam successorum discimus chartis usque ad Gaufridum, qui tertius ovans vidit absolutam, & inaugurari fecit anno 1191.

Tribus constat capitulum dignitatibus & 25 canonicatibus, duobus comprehensis, quibus addicta solum est semipræbenda, cum voce tamen in capitulo. Decanus prima dignitas eligitur a capitulo & ab episcopo confirmatur. Cantoriæ & archidiaconatus secunda & tertia dignitas conferuntur ab episcopo, sicut & ceteri canonicatus, tribus exceptis, qui sunt in perpetuum uniti, alter S. Vincentii monasterio Silvanectensi ab Ivone præsule nominis hujus secundo circa 1079, alter prioratui sancti Nicolai de Aciaco a Clarembaldo episcopo circiter 1130; tertius denique seminario dioecesis unitus est a Johanne-Francisco *de Chamillart* episcopo sub initium seculi XVII. Reditus autem duarum aliarum præbendarum integrarum addicti sunt præceptoriæ puerorum chori circa 1300 a Guidone *de Plailly* episcopo, & circiter 1565 urbis collegio, in exsecutionem mandati regis Caroli IX. Tres insuper aliæ præbendæ integræ ad collationem capituli spectantes scissæ sunt anno 1265, ab eodem capitulo in sex semipræbendas, duas scilicet presbyterales, diaconales totidem, totidemque subdiaconales, quæ jure suffragii carent. His adde duos obituum capellanos, fundatos exeunte seculo XII, qui similiter a capitulo nominati residere tenentur & adesse choro sicut canonici.

In urbe sunt, cathedrali comprehensa, quinque parochiæ, nempe sancti Reguli, sancti Petri, sanctæ Genovefæ & sancti Aniani; duæ in suburbiis, sancti Martini & sancti Stephani: tertia erat sub nomine sancti Hilarii, sed anno 1706 XI Aprilis unita est parochiæ sancti Petri. Ex iis una est collegiata sancti Reguli, præter quam alia similiter est collegiata, sancti Frambaldi nuncupata. Duo quoque visuntur in urbe canonicorum regularium Gallicanæ congregationis monasteria, abbatia

ſcilicet ſancti Vincentii & prioratus ſancti Mauricii, necnon quatuor familiæ religioſæ virorum, Franciſcanorum, ſeu Fratrum Minorum, Capucinorum, Carmelitarum excalceatorum & Fratrum a Caritate; parthenon inſuper dictus a Præſentatione B. Mariæ ordinis ſancti Auguſtini, cujus ſacræ virgines adinſtar monialium a ſancta Urſula junioribus puellis gratuito inſtituendis incumbunt, quemadmodum etiam Sorores a Cruce vacant pauperibus educandis puellis. Adjunge his domum Dei pro alendis pauperibus infirmis & leproſariam domum ſancti Lazari.

In diœceſi longa ſolummodo ſeptem leucas eminet eccleſia collegiata ſancti Thomæ martyris anno 1182 fundata in urbe Criſpeio, ſeu Criſpiaco, ibidemque altera longe inferior, ſancti Albini nuncupata. Quinquaginta quatuor, aut circiter, præter jam dictas in urbe, parochiæ numerantur; treſque præter Vincentianam abbatiæ, Victoria ſcilicet ordinis ſancti Auguſtini canonicorum regularium, Carolilocus ordinis Ciſtercienſis virorum, & Parcus-dominarum ejuſdem ordinis feminarum. Duo quoque, præter Mauricianum, prioratus conventuales ſunt ordinis ſancti Benedicti ſub reformata Cluniacenſi congregatione, quorum alter fuit olim abbatia ſancti Arnulfi de Criſpeio, alter eſt ſancti Nicolai de Aciaco non longe a Silvanecto; quibus adde prioratum de Braio, conventualem olim, nunc ſimplicem, qui ad ordinem ſancti Victoris Pariſienſis pertinet. Habetur & præceptoria domus ordinis Melitenſis, ſancti Johannis Silvanectenſis nomine; fuitque aliquando in urbe Silvanecto, ſeu in ſuburbio abbatia ſancti Remigii ordinis ſancti Benedicti feminarum, de qua in diœceſi Sueſſionenſi dictum eſt ſupra col. 451.

In deſcribenda porro eccleſiæ Silvanectenſis hiſtoria prævios hucuſque duces habemus Belleforeſtium, Democharem, Claudium Robertum, & maxime Sammarthanos fratres in quadripartita Gallia chriſtiana, qui ſinguli catalogum epiſcoporum Silvanectenſium in lucem ediderunt. Quin & Carolus *Jaulnay* decanus & canonicus eccleſiæ collegiatæ ſancti Reguli apud Silvanectum ſibi viſus eſt ſcribere epiſcoporum ſuorum annales, & ea quidem ratione, ut qui forſan legerit, exiſtimaverit ſane non potuiſſe fieri, quin eorum ſaltem nomina, patriam, ætatem, annos ſedis & regiminis, tempus vitæ & mortis uniuſcujuſque habuerit in numerato. Sic quippe omnia hæc exacte recenſet, ut incredibile videatur, eum alicubi non legiſſe & probaſſe priuſquam ſcriberet. Attamen certo certius eſt pene omnia hæc falſa & ficta eſſe quæ narrat; cujus librum, quum primum editus eſt anno 1648 coætanei deriſerunt, contemſerunt, abjecerunt, quin & aliquot ſapientes indignati ſunt, tam mendoſe & inhoneſte Silvanectenſem eccleſiam prodire in lucem. Litem movere voluit, etiam & intentavit capitulum eccleſiæ cathedralis adverſus virum æmulatorem, qui hanc & primæ cathedræ, & primogeniti cleri & matricis eccleſiæ dignitate ſpoliaret, hæcque omnia ſibi ſuiſque auſus eſſet vindicare, & ea quidem confidentia, ut non dubitaverit appendere palam in choro ſancti Reguli tabellam, quæ poſt ejus mortem prudenter & opportune revulſa eſt, tabellam, inquam, cum epigraphe Gallica in qua imperite prorſus & impudenter aſſerebat, hunc eſſe catalogum eorum epiſcoporum, qui ab ſancto Regulo ad Henricum uſque præſulem in eadem baſilica ſedem tenuiſſent. Ceterum eodem ſtylo ac ingenio alia multa conſcripſit, quæ omnes bene ſani vel derididiculo vel contemtui habuere.

Miſſo itaque duce tam cæco, oculatior alter nobis obtigit eruditus vir D. Carolus-Franciſcus *Afforty* doctor theologus facultatis Pariſienſis, modo decanus eccleſiæ collegiatæ ſancti Reguli. Is hiſtoriam manuſcriptam Silvanectenſis eccleſiæ a D. *du Ruel* quondam Sarcellarum diœceſis Pariſienſis parocho conſcriptam, & ab auctoris herede pretio comparatam nobiſcum perhumaniter communicavit, ex qua quod libuit excerpere licuit. Non ſolum autem, ſed & vir beneficentiſſimus collectanea ipſe ſua reſeravit; quin & aſſiduus collaborator arcana quæque revelavit.

Una, fateor, deeſt inveſtigatio chartophylacii cum epiſcopalis, tum capituli; at viri fide digniſſimi nobis haud ſemel aſſeruere nihil omnino momenti alicujus ineſſe. Aliunde vero non parum nobis profuit, maxime ad primos cognoſcendos epiſcopos, codex MS. ſacramentarii ſancti Gregorii nomine inſignitus; hoc olim ſacramentarium obtinuerat Carolus magnus Adriani I ſummi pontificis beneficio; cujus exemplar ad uſum eccleſiæ ſuæ quum Hadebertus epiſcopus Silvanectenſis labente ſeculo IX comparaſſet, inſcripta eidem ſunt in margine nomina deceſſorum epiſcoporum ab ſancto Regulo ad Bernuinum Hadeberti ſucceſſorem, eadem manu, indeque ad Henricum I altera; quos inter, aliquot tamen omiſſos, ex chartis vel auctoribus ſupplevimus, uti ſuo loco monere curabimus. Iſte codex MS. olim eccleſiæ Silvanectenſis, nunc habetur in bibliotheca ſanctæ Genovefæ Pariſienſis: cujus quum aliquando copiam habuiſſet R. P. *le Brun* Oratorii preſbyter, hæc de ejus ætate ſcribebat die 9 Septembris 1712, ad R. patrem *le Courayer* ejuſdem bibliothecæ præfectum.

Deſignatur, inquit, ex duobus ipſius locis abſque ulla ambiguitate; primus eſt in litaniis fol. 24 verſo, ubi ſic legitur: *Ut ſanctum Ludovicum regem perpetua proſperitate conſervare digneris ..... Ut illuſtrem reginam conſervare digneris .... Ut Hadebertum epiſcopum & cunctam congregationem ſibi commiſſam conſervare digneris.* Subſcripſit autem Hadebertus Pontigonenſi concilio anno 876, indict. IX, anno uno ante obitum Caroli calvi, vixitque ſub rege Ludovico II, cognomine Balbo filio ejus & ſucceſſore, & ſub Ludovico III. Balbus ille renunciatus eſt rex, coronatuſque Compendii 8 Decembris anno 877, cui defuncto menſe Aprili 879 ſucceſſit filius ejus Ludovicus III, qui & ipſe occubuit apud ſanctum Dionyſium 4 Auguſti 882. Hoc igitur ſacramentarium ſcriptum eſt intra annos 879 & 882. Locus alter, ex quo non minus clare hujus MS. codicis dignoſcitur ætas, reperitur in fine calendarii fol. 8, ubi ſcriptum altera manu legitur: *11 idus*

Decembris regnante Carlomanno rege anno II, fuere XI anni ordinationis Hadeberti episcopi indictione IV. Et hæc quidem indictio scripta 882, Carlomanni anno secundo, referenda non est ad hunc annum, cujus erat indictio XV, sed ad ordinationem Hadeberti factam anno 871, indictione IV prædito, undecim annis ante Carlomanni annum secundum. Hactenus R. P. *le Brun.* Verum ut ut est de codicis hujus ætate, certum est illi eo majorem deberi fidem, quod ut plurimum adstruatur ejus auctoritas chartarum monumentis, uti ex episcoporum quam aggredimur historia comperietur.

SILVANECTENSES EPISCOPI.

ANNI CHRISTI

I. S. Regulus.

Primas inter hujus ecclesiæ præsules jure A ac merito Regulus tenet in sacramentario laudato; is enim ipsus est, quem ecclesia Silvanectensis suum in Christo per evangelium genitorem agnoscit, primumque pontificem & apostolum veneratur. Nomen ejus pure Romanum est, nec sapit aliquid Græci; unde pro certo inferri licet, civem Romanum fuisse Regulum, & ex illo virorum duodecim apostolorum collegio, qui Galliam, potissimum Belgicam sua prædicatione illustrarunt. Ea quippe fides est & traditio ecclesiarum omnium hujus celeberrimi tra- B ctus, quarum se codices inspexisse, historias & monumenta consuluisse, collegisse testimonia, exscripsisse textus & auctoritates Johannes *Deslyons* profitetur. In calendario dicti sacramentarii scriptum altera legitur manu: *VIII cal. Maii Silvanectas civitate depositio sancti Reguli.* Hunc nos antea fuisse Arelatensem episcopum diximus tom. I, col. 521, & in proprio sancti Dionysii prope Parisios Reguli commemorationem fieri die 24 Aprilis, ubi utriusque ecclesiæ Arelatensis & Silvanectensis successive dicitur præsul. C Attamen sanctum Regulum Arelatensem alium forte a sancto Regulo Silvanectensi, ex eo probari potest, quod Arelatensis ecclesia habere se prælati sui reliquias glorietur, quum aliunde constet sancti Reguli Silvanectensis corpus asservari in ecclesia collegiata ejus nominis apud Silvanectum. Sane martyrologium Romanum ad diem 30 Martii solius meminit Arelatensis episcopi, in hæc verba: *In castro Silvanectensi depositio sancti Reguli Arelatensis episcopi;* solius vero Silvanectensis ad eumdem diem martyrologium D sancti Stephani Autissiodorensis, sic: *III cal. Aprilis apud castrum Silvanectensium depositio sancti Reguli confessoris & primi civitatis ipsius episcopi.* Demum in Usuardi martyrologio ad diem hunc, primum erat scriptum in autographo Carolino: *Apud castrum Silvanectensium depositio sancti Reguli episcopi & confessoris.* At postea in Pratensi sancti Germani autographo istud erasit, sancti Reguli translata commemoratione ad diem 23 Aprilis, seu IX cal. Maii, hisce verbis simplicioribus: *Castro Silvanectis sancti Reguli episcopi & confesso-* E *ris;* qua die scilicet Usuardus reperit ecclesiam Silvanectensem ejus depositionem, die vero 30 Martii translationem venerari. Henschenius tamen de sancto Regulo in mense Martio, uti & Bolland. tom. III, Martii pag. 816, Tillemontius similiter tom. IV, pag. 462, ubi Silvanectensem ab Arelatensi distinguit; Bailletus quoque ad diem 30 Martii sancti Reguli meminerunt.

Hisce porro testimoniis addere visum est in appendice nostra duas autographas Johannis *Lannoy* ad Johannem Chicotum medicum regium epistolas de tempore, quo vixit S. Regulus, scriptas anno 1659; necnon dissertationem accuratam 1672 a Johanne *Deslyons* tunc temporis ecclesiæ Silvanectensis decano ac theologo de historia sancti Reguli, & ejusdem in Gallias adventu. Quorum omnium autographa, tradidit nobis modo defunctus sancti Reguli decanus D. Jacobus *de S. Gobert.* Celebratur apud Silvanectum sanctus Regulus tribus festivitatibus, 23 Aprilis die obitus, 30 Martii translationis die, & 15 Julii, ac insuper olim die 7 Februarii, seu septimo idus, quibus miracula patravit.

Ch. CLXV. col. 504. & seq.

Ch. CLXVI. col. 509.

Successores sancti Reguli usque ad sanctum Lethardum ordine sequenti memorantur in sacramentario.

II. Nicenus.

III. Mansuetus.

IV. Venustus.

V. Tanitus.

VI. Jocundus.

VII. Protatus *al.* Protritus.

VIII. Modestus.

IX. S. Levangius.

Qui Livanius Antonio Pagi tom. II criticorum in Baronium, pag. 473, col. 1, & Livanianus Binio tom. II conciliorum, pag. 311, col. 1, Levangius appellatur in sacramentario. Fuit unus ex episcopis qui interfuere Aurelianensi concilio I anno 511; martyrologia sancti 511. Reguli & sancti Frambaldi de eo sic habent: *XIV cal. Novemb. Silvanectis depositio sancti Levangii episcopi & confessoris.* Et certe hoc ipso die memoratur sanctus Levangius in ecclesiarum Silvanectensis, Trecensisque necrologiis. Asservantur ejusdem sancti reliquiæ in scrinio deaurato inter pilas summi altaris sancti Reguli. Obiit ex Cointio anno 513. 513.

X. Passivus.

Pasius a Cointio dicitur ad annum 513, & mortuus 519. 519.

XI. Nonulus.

Cointio Nonnullus 519, defunctus anno 547. 547.

XII.

ANNI CHRISTI

XII. Hodiernus.

Tom. 5. concil. Labb. col. 399. & 818.

Sic in sacramentario, qui Gonotigernus Cointio & aliis, Fredigernus & Frodigerius. Sane Gonotigernus subscripsit synodo V Aurelianensi
549. anno 549, & Parisiensi III anno 557.

557. ### XIII. S. Lethardus, seu Letaldus.

Quem Beda lib. I historiæ gentis Anglorum, cap. 25, Luidhardum vocat, sanctus Lethardus adjutor fidei datus Berthæ Chariberti Francorum regis filiæ, nuptæ Edilbertho regi Cantiorum in Anglia, tunc adhuc idololatræ anno circiter
566. 566, pro Silvanectensi episcopo habetur a Sprotto & Thorno, quibus consentit Cointius ad hunc annum n. 50, qui & ejusdem obitum in Anglia contigisse anno 596 conjicit ad hunc annum n. 15, eumque locat Gonotigernum inter & Sanctinum. Omissus est hic episcopus cum in sacramentario, tum in veteri Gallia Christ. quem tamen agnovit Jacobus du Perron, cardinalis cognominis ex fratre nepos, episcopus Engolismensis, dum apud serenissimam Angliæ reginam Henrietam Mariam uxorem Caroli Anglorum regis, majoris eleemosynarii fungeretur officio, in una orationum, quæ sunt collectæ in commentariis cleri Gallicani, tom III comitiorum cleri, pag. 251. Præsulis verba sic latine reddimus: Gallia est, quæ primam illis (Anglis) reginam christianam dedit; clerus est Gallicanus, qui primum episcopum illis præbuit. Regina hæc fuit Bertha filia regis Clotarii (Chariberti, ex Gregorio Turonico hist. Franc. cap. 26) quæ nupsit Ethelberto regi adhuc pagano. Is vero præsul Gallicanus fuit Letardus, vel secundum alios Lutardus episcopus Silvanectensis, huic reginæ ab eleemosynis. Tomo I Monastici Anglicani, pag. 24, habetur schema seu figura majoris altaris ecclesiæ olim cœnobiticæ S. Augustini Cantuariensis, in quo vel circum exhibentur posita scrinia reliquiarum, & inscriptiones: in medio altaris visitur mausoleum cum hac epigraphe: *S. Ethelbertus*, & supra mausoleum duo cernuntur oratoriola, quorum uni adscriptum: *S. Letard*, alteri *Reliquiæ*. Quo e schemate Henschenius ad diem 24 Februarii in commentario prævio ad vitam sancti Letardi, hujus Sancti antiquæ venerationis certa vestigia eruit.

XIV. S. Sanctinus.

Post Hodiernum in sacramentario legitur Sanctinus, & in ejusdem calendario sic habetur altera manu: *VII idus Januarii S. Sanctini episcopi Silvanectensis*. Memoratur eodem die in necrologio B. Mariæ & in calendario sancti Reguli. Ipsius asservantur reliquiæ in capsa inter pilas principis aræ sancti Reguli posita. Fuit olim sacra Sanctino capella præcipua non longe ab ecclesia sancti Reguli, cujus capellæ non ita pridem effossæ sunt parietinæ.

XV. Malulfus.

Enunciatus post Sanctinum Malulfus in sacramentario, qui Madelulfus Hugoni Flaviniacensi in chronico Virdunensi, Madalulfus Aimoino,
A & aliis Madulfus, atque Mallulfus, sepelivit Chilpericum I regem, interfectum in villa Calensi juxta Parisios anno 584, ut observat Gregorius Turonicus lib. VI hist. Franc. cap. ult. in hæc verba: *Cum spiritum exhalasset, omnes eum reliquerunt sui; Malulfus autem Silvanectensis episcopus, qui jam tertia die in territorio residebat, & ipsum videre non poterat, ut eum interfectum audivit, advenit, ablutumque, vestimentis melioribus induit, nocte in hymnis deducta, in navem levavit, & in basilica sancti Vincentii, quæ est Parisius, sepelivit, Fredegunde regina in ecclesia derelicta.* 584.

Hæc autem in martyrologio B. Mariæ Silvane-
B ctensis legere est: *IV nonas Maii Silvanecti adventus reliquiarum sanctorum confessorum Candidi & Marculfi in ecclesia B. Mariæ*; & in ejusdem ecclesiæ necrologio: *IV nonas Maii Quiriaci, Maculfi, & Candidi episcoporum.* Asservantur ibidem reliquiæ sanctorum Candidi & Marculfi, coluntur que in tota diœcesi; de quibus *statutum est in capitulo generali B. M. Silvanect. anno 1352, die Jovis in vigilia cathedræ sancti Petri* (Romæ) *quod de cetero fiet memoria sanctorum episcoporum Candidi & Maculfi diebus trium lectionum, quando fiunt horæ B. Mariæ, statim post memoriam de sancto Regulo.* Dies igi-
C tur IV nonas Maii translationis dies est sancti Maculfi; qui utrum sit Malulfus noster dubitandi locus est, uti & de Candido non aliunde noto, quam ex modo dictis, fueritne Silvanectensis episcopus, necnon.

XVI. S. Agmarus.

Laudatus post Malulfum Agmarus in dicto sacramentario, qui & Agomarus, Agaumarus & Almarus, adstitit concilio Remensi anno 625, 625.
præside Sonnatio metropolitano. Subscripsit idem chartæ fundationis abbatiæ sancti Petri Fossatensis, anno tertio, regnante Clodoveo:
D hic est annus 640. Corpus sancti Agmari seu 640.
Almari quiescit in capsa inter pilas majoris aræ sancti Reguli, cujus ecclesiæ martyrologium de eo sic habet: *VII idus Novembris Silvanectis sancti Almari episcopi & confessoris*: ita quoque martyrologium sancti Frambaldi, & sancti Reguli calendarium. Necrologium vero B. Mariæ Silvanectensis meminit ejusdem Almari VIII idus Novembris. Mortem Agomari consignat Cointius anno 649. 649.

XVII. S. Autbertus.

Agmari successor in sacramentario Autbertus,
E qui & Audebertus, & Ausbertus, chirographum apposuit suum immunitati Sandionysiano monasterio concessæ a sancto Landerico Parisiensi episcopo anno 652, privilegio Berthefridi Am- 652.
bianensium præsulis pro Corbeïensi cœnobio anno 663, ac denique privilegio sancti Drausii 663.
Suessionensis episcopi pro parthenone B. Mariæ Suessionensis anno 666 V cal. Julii. Obiit ex 666.
Cointio 685. De Autberto martyrologium S. 685.
Frambaldi, manu recentiori sic habet: *V idus Februarii Silvanecti depositio sancti Ausberti episcopi & confessoris.* Calendarium item sancti Reguli:

ANNI CHRISTI

Eodem die festum sancti Ausberti episcopi & confessoris per totam diœcesim. Hac autem in ecclesia corpus ejus requiescit positum in scrinio inter pilas majoris altaris; ipsiusque nomine superest etiamnum fons dictus sancti Osberti Silvanectum inter & abbatiam Victoriæ.

§ Silvinus chartæ regis Childerici II, datæ IV cal. Augusti anno regni decimo subscriptus episcopus Silvanectensis legitur apud Dubletum antiquitatum sancti Dionysii, pag. 686. At Franciscus *Duchesne* hist. Cancellariorum Franciæ, pag. 40, post Labbæum libro inscripto *Eloges historiques*, pag. 62, falsam hanc asserit subscriptionem esse.

§ Sanctus Amandus, cujus in ecclesia sancti Reguli Silvanectensis corpus requiescere dicitur, commemoratur in necrologio B. Mariæ & in calendario sancti Reguli, hoc modo: *VII cal. Novembris Amandi episcopi & confessoris.* Et iterum sic habetur in calendario sancti Reguli: *VII cal. Novembris sanctorum episcoporum Vedasti & Amandi*, qui ambo certe Flandrenses episcopi sunt.

Verumtamen, si Cointio fides, post Autbertum episcopum defunctum anno 685, succedit Alo ab hoc anno ad annum saltem 692, ex privilegio Bertoendi Catalaunensis episcopi pro Dervensi monasterio, inscripto coepiscopis, Rigoberto metropolitano .... Aloni, &c. anno secundo Clodovei III regis; & Aloni subrogatur Amandus, qui obiit 729, exceptus, inquit, ab Eramberto. *Spicil. tom. X. p. 627.*

XVIII. ERAMBERTUS.

Notatus in sacramentario post Autbertum Erambertus, qui & Erembertus, adfuit anno
767. 767 concilio Gentiliaci juxta Parisios, de cultu sacrarum imaginum habito, qui & anno 769 adstitisse dicitur concilio Romano, eodem de negotio.

XIX. VULFREDUS.

XX. AMALSINDUS, *al.* ANTALFRIDUS.

XXI. BETHELMUS.

XXII. IDOINUS, *al.* ODONIUS.

XXIII. ADELBERTUS.

XXIV. RAGNALDUS, *al.* REGINALDUS.

Hi sex episcopi eo recensentur ordine in sacramentario.

XXV. ERMINUS.

Eodem in sacramentario laudatus post Ragnaldum Erminus, qui & Ermeno, Herminius & Ermenaldus, interfuit concilio Remensi anno
813. 813, & Noviomensi anno 814, in quo a
814. Vulfario Remensi archipræsule cum suis coepiscopis sopita est, quæ Noviomensem inter & Suessionensem episcopos inerat controversia de quibusdam parochiis, quas ad suam uterque pertinere diœcesim contendebat. Ita Flodoardus hist. lib. II, cap. 18. Recensetur adhuc Erminus in
816. Aquisgranensi concilio anni 816.

XXVI. GODEFFREDUS.

Sic exaratus in sacramentario, reperitur Godefridus inter episcopos, qui convenere ad synodum Parisiensem anno 829. Sedit etiam in 829.
concilio apud Theodonis-villam coacto 835, 835.
ejusque nomen adhuc comparet in præcepto Ludovici Pii pro Aldrico Cenomanensi præsule contra nonnullos sancti Carilefi monachos, dato in cœtu habito Carisiaci anno 837 aut 838. 837.

XXVII. HERPUINUS.

Godefrido proxime subjectus in sacramentario Herpuinus, qui & Erpoinus, legitur in apologetico Ebonis Remensis archiepiscopi inter præsules, qui ejusdem Ebonis consenserunt *Duchesne, tom. 2 hist. script. Franc. p. 341. & 342.*
restitutioni anno 840. Compluribus idem Gal- 840.
licanis synodis interfuit, Bellovacensi anno 845, 845.
Parisiensi 847, uti modo loquimur, ubi stabi- 847.
lita fuit electio canonica Corbeiensis abbatis; item Carisiacensi exeunte anno 848, aut initio 848.
sequentis; Turonensi concilio IV Parisiis celebrato anno 849, adversus Nomenoïum Britan- 849.
nicæ gentis ducem, seu priorem, ut habetur in synodica ejusdem concilii epistola, quæ est LXXXIV inter epistolas Lupi Ferrariensis abbatis. Herpuinus præsens anno 852 translationi 852.
corporis sancti Remigii factæ per Hincmarum Remensem archiepiscopum, die 1 Octobris, adstitit anno seq. concilio Suessionensi II, & hoc ipso anno 853 Vermeriensi II, Bonogi- 853.
lensi 855, Tullensi I apud Saponarias 859, 855.
Tullensi II apud Tusiacum-villam anno 860, 859.
Pistensi ad fluvium Sequanam in diœcesi Ro- 860.
tomagensi septimo cal. Julii 861, eidemque 861.
translato Suessiones 862, Vermeriensi III 862.
863, ubi a rege Carolo Calvo Herpuinus in- 863.
terrogatus est in causa monachorum Anisolensium, seu sancti Carilefi adversus Robertum Cenomanensem episcopum. Occurrit adhuc Her-
puinus in concilio Pistensi anno 864, & in 864.
Suessionensi III 866; sed altero post an. 868 866.
per legatum adfuit Carisiaci examinationi Wil- 868.
liberti presbyteri, ab Herpuino ad hunc ordinem promoti, moxque ad episcopatum Catalaunensem promovendi. Subscripsit ipsemet Er- *Chart. III col. 149.*
poinus anno 869 regalibus præceptis pro Ca- 869.
roffensi & Vedastino monasteriis. Interfuit an.
870 Attiniacensi concilio; & ipsius vice Fro- 870.
thardus presbyter synodo I Duziacensi an. 871. 871.
Contentionem interim Herpuinum habuisse cum Rothado Suessionensi episcopo de quadam parochia, discimus ex Flodoardo lib. III, hist. Remensis ecclesiæ, cap. XXI, ubi fit etiam mentio epistolæ Hincmari Remensis archiepiscopi ad ipsum Herpuinum, *de quodam homine, quem irrationabiliter ab eo excommunicatum, ut compererat, intimat, mandans, ut obviam sibi veniat, & quid inde rectius sit agendum secum pertractet, &c.* Causam alteram propemodum similem adversus Herpuinum habet Adriani II papæ ad Carolum Calvum regem epistola XX de Herlefrido presbytero Silvanectensi, quem Herpuinus episcopus sua privaverat ecclesia: qua de *Tom. VII. nova collect. script. Franc. p. 458.*

ANNI CHRISTI

injuria presbyter conquesturus quum ad summum pontificem confugisset; is regem laudat quidem, quod ad sedem apostolicam venire presbyterum passus sit, sed nunc melius facturum adjungit, si quod in civili concilio perperam gestum est, in provinciali synodo apud vos (regem) rationabiliter, & apud fratrem nostrum Hincmarum cassaretur. Quare hortatur regem, ut aut præsentialiter huic Herlefrido presbytero suam ecclesiam cum omnibus suis, usque ad tempus provincialis synodi libere possessuro, pro tempore quod sacri canones definiere, solenniter reddere faciat, aut Herpuinum episcopum, suum legatum nobis, qui hæc plenius veriusque renunciet, præsentialiter mittere cogat, quatenus dum luce clarius cuncta noverimus, sciamus in quem apostolicæ animadversionis sententiam proferamus.

Quin & accusatores expertum fuisse Herpuinum, docet idem Flodoardus libri laudati cap. XXIII, ubi sic inducit Hincmarum Remensem archiepiscopum Odoni Bellovacensi episcopo scribentem: *Item de causa Erpuini episcopi, qui ad condictam synodum venire non valebat, ut causam ipsius Odo inter ejus personam & accusatores ejus exsequi studeat, & si ad integrum id agere non posset, eumdem Erpuinum & accusatores ejus ad synodum apud Pistas habendam abire commoneat.*

E vivis excessit Herpuinus anno 871 ante septimum idus Junii, quo ejus obitus nuncium se dicit accepisse Hincmarus Remensis archiepiscopus in epistola ad Carolum regem, pro ecclesia Silvanectensi pastore viduata, a Baluzio edita, tom. II Capitularium, col. 593. Neque enim habenda ratio est chartæ Odonis episcopi Bellovacensis canonicos ecclesiæ suæ ad quinquaginta augentis anno 875, cui subscripsisse legitur Erpoinus: hæc siquidem charta passim edita, vel in appendice nostra de Bellovacensi ecclesia num. IV, col. 242, ab omnibus ut spuria reprobatur. Vide Marlotum, tom. II hist. metropolis Remensis, pag. 448.

Post obitum Erpoini, scripsit Hincmarus Remensis ex eodem Flodoardo, lib. III, cap. XXVI. *Bosoni comiti de agenda electione Silvanectensis episcopi, ostendens quod non sit sui ministerii quamcumque specialem designare personam.* Scripsit & Hildeboldo Suessionensi episcopo, *pro ordinatione Hadeberti ad episcopatum Silvanectensis ecclesiæ*, ibidem cap. XXIII. Scripsit quoque Hincmarus eidem Hildeboldo infirmo salutem mentis & corporis tribui a Deo deposcens. *Quando*, inquit, *confratres & coepiscopi nostri, Hodo* (Bellovacensis) *Rainelmus* (Noviom.) *Willebertus quoque* (Catalaun.) & Adalbernus, (forte Adalbertus) Bolon. *atque Geroldus* (forte Ambianensis) *& noviter ordinatus Hadebertus* (Silvanectensis) *mecum Remis fuerunt, humilis ac sinceræ mentis tuæ confessionem relegi, &c.* De Hadeberto nunc agendum.

Hincmari opuscul. tom. 2. p. 686.

XXVIII. Hadebertus.

Iste est Hadebertus, vel Hudebertus, Hadelbertus, Hildebertus & Audebertus, qui, ut supra dictum est in procemio, codicis MS. toties laudati, nomine sacramentarii sancti Gregorii, ad usum ecclesiæ suæ comparavit exemplar. In eo laudatur primùm cum aliis post Herpuinum, in margine scilicet; secundùm speciatim in litaniis sic: *Ut Hudebertum episcopum & cunctam congregationem sibi commissam conservare digneris.* Tertiùm denique altera manu ad calcem calendarii, folio 8 ejusdem codicis, in hunc modum: *II idus Decembris* (forte V) *regnante Karlomanno rege anno II fuere XI anni ordinationis Hadeberti episcopi indict. IV.* Ex quo potissimum loco indubie colligitur Hadebertum sacratum episcopum fuisse anno 871, indictione IV. Subscripsit Hadebertus anno 875 Cabilonensi concilio, & anno seq. mense Junio Pontigonensi; quo itidem anno 876 præsens Hadebertus decreto cleri Laudunensis de Hadenulfo electo episcopo loco Hincmari Laudunensis, ad Hincmarum Remensem misso V cal. Aprilis, seu 28 Martii ante Pascha, consensit post ejusdem Hadenulfi ordinationi. Adstitit Hadebertus concilio Tricassino anno 878, quumque biennio post defunctus esset Odo Bellovacensis antistes anno 881 ineunte, scripsit Hincmarus Remensis præsul formatam ad clerum & plebem Bellovacensem epistolam de electione episcopi, Hadeberto Silvanectensi episcopo inscriptam, cujus hoc est exordium: *Dilecto fratre ac venerabili consacerdote nostro Hodone episcopo ecclesiæ Belvacensis defuncto, hortor ac moneo dilectionem tuam, frater carissime, ut ejusdem ecclesiæ officio visitatoris, consensu domini nostri Ludovici regis, nostræ humilitatis metropolitana delegatione suscepto, ad eamdem ecclesiam quantocius studeas properare, & assiduis hortationibus clerum plebemque ejusdem ecclesiæ publice admonere festines, ut remoto privato studio, uno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant & eligant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus respuatur.* Ejusdem argumenti est Hincmari epistola ad Ludovicum III regem, in cujus fine Hadebertum, cum episcopis Suessionensi, Catalaunensi, Parisiensi & Meldensi constituit, qui, abrogato Honorato, novam ecclesiæ Bellovacensis procurent electionem. Circa id tempus interfuit Hadebertus inaugurationi Fulconis post Hincmarum Remensis archiepiscopi anno 883. Mortuus conjicitur labente seculo, quo vivebat, ex literis Fulconis archiepiscopi Remensis ad clerum & plebem Silvanectensis ecclesiæ, pro pastoris sibi præferendi electione, quibus succenset, *quod ad se venire distulerint, vel apicibus alloqui se, quam viva voce maluerint, mandatque ut electas e collegio suo personas tam ætate, quam sapientia maturas & idoneas ad se mittere maturent, qui nec gratia, nec odio, aut ullius avariciæ obtentu a tramite recto exorbitare ullatenus appetant.* Sane mors Hadeberti consignatur anno 897 in tabulis chronologicis hist. Remensis ecclesiæ auctore Petro Cocquault, p. 100.

ANNI CHRISTI — *Prob. novæ hist. Tornusii, pag. 95.* — 875. — 876. — *Duchesne, tom. 2. hist. script. Franc. pag. 459.* — 877. — 878. — *Tom. 7. Miscell. Baluzii, p. 50.* — 883. — 897.

XXIX. Othfredus.

Sic scriptus & hoc recensitus ordine in sacra-

ANNI CHRISTI

mentario, qui passim Otfredus vel Otfridus, sacratur episcopus a Fulcone archiepiscopo Remensi, qui Honoratum Bellovacensem episcopum ad ejus ordinationem, remota omni excusatio-
900. ne, invitavit. Sedit Otfridus anno 900 pridie nonas Julii in concilio Remensi, ubi Remorum antistes ordinatus fuit Herveus. Subscripsit Tro-
909. sleianæ synodo die 26 Junii anno 909, indict. XII, ab Herveo archiepiscopo in agro Suessionico celebratæ.

XXX. Adelelmus.

Otfredi successor in sacramentario Adelelmus
923. anno 923 aut sequenti, Seulfi Remensis archiepiscopi anno secundo adfuit synodo Remensi.
936. E vita cessit anno 936 ex Flodoardo auctore coævo in chronico.

XXXI. Bernuinus.

Ultimus eadem manu exaratus in sacramentario Bernuinus, creatur episcopus anno 937. uti legitur in Flodoardi chronico, his verbis :
937. *Adelelmus Silvanectensium præsul obiit. Anno 937 ordinatus est Bernuinus ex cœnobio sancti Crispini* (majoris) quod nigrorum est monachorum.

XXXII. Gontbertus.

De Gontberto, quem nudo Sammarthani laudant nomine, nihil omnino reperimus, qui & omissus est in sacramentario, quemadmodum & qui sequitur.

XXXIII. Ivo I.

Ideo forsan in sacramentario nomen Ivonis omittitur quod excommunicatus fuerit in synodo
948. Trevirensi anno 948, ob ejus factam ordinationem ab Hugone pseudo-archiepiscopo Remensi, ut discimus ex actorum breviario apud Flodoardum in chronico ad hunc annum, & ex eodem Flodoardo hist. ecclesiæ Remensis, lib. IV cap. 37.

Duchesne, tom. 2. hist. script. Franc. pag. 615.

XXXIV. Constantius.

Primus est altera manu descriptus in sacramentario Constantius, ubi sic legitur : *Præsul Constantius, propitius cui sit dominus, XV. cal. Julii ordinatio illius :* sed quo anno non est in promtu dicere. Equidem ex charta Silvanectensis ecclesiæ n. I in appendice nostra, col. 203, si certæ forent notæ chronicæ, inferri utcumque posset initium episcopatus Constantii; verum & ipsæ dubiæ sunt, quas loco citato desumtas ex autographo diximus. Certum tamen est Lotharii I temporibus præfuisse Constantium, qui sigillum apposuit suum synodo apud montem
972. sanctæ Mariæ in pago Tardanensi anno 972 mense Maio habitæ. Vide quæ de hac synodo supra diximus. De Constantio sic habetur in ecclesiæ Silvanectensis necrologio : *XVII cal. Augusti obiit Constantius episcopus, qui istam auro & argento decoravit ecclesiam.*

XXXV. Odo I.

Duchesne, tom. 2. hist. script. Franc. pag. 880.

Is est haud dubie *O. Silvanectensis episcopus designatus*, pro cujus habenda ordinatione Gerbertus ad quemdam scribit, suffraganeum sane Remensis ecclesiæ, epistolam CXXXIII, *quem optat, monet, orat omni affectu caritatis, ut adsit Remis X cal. Octobris.* Certe Odo Silvanectensis episcopus in sacramentario proxime a Constantio scriptus, anno 989 factam cœnobio sancti Remigii Remensis donationem seu confirmationem suburbii, *quod Burgum vocant*, subscriptione sua roboravit. Insequenti 990 Silvanecti habita synodus est, in qua, præside Arnulfo metropolita, provinciæ Remensis episcopi diris eos devoverunt, qui Remensem & Laudunensem ecclesias deprædati fuerant, imprimis Adalgerum presbyterum, qui Remorum portas Carolo duci Lotharingiæ aperuerat, & sic urbem prodiderat. Remensi præterea concilio apud S. Basolum, in quo Arnulfus Remorum archiepiscopus abdicare coactus est, celebrato mense Junio anni 991, indictione IV, interfuit Odo. Denique adstitit synodo provinciæ Remensis adversus illius pervasores habitæ circa annum 993. De Odone sic habet B. Mariæ Silvanect. necrologium : *XII cal. Novemb. obiit Odo episcopus, qui hanc ecclesiam fundavit.* 989. 990.

Duchesne, tom 4. hist. script. Franc. p. 101. & 104.

Tom. 9. concil. Labb. col. 740. & in margine circa 984.

XXXVI. Robertus I.

Odonem excipit in sacramentario Robertus, qui subscriptus quidem reperitur præcepto Roberti regis pro Sandionysiano monasterio, dato VIII cal. Febr. anno I regnante Roberto rege glorioso, indictione XI, quæ respondet anno Christi 998, & iterum synodo Calensi circa annum 1008, ex historia edita sancti Dionysii. 998. 1008.

XXXVII. Rodulfus I.

Notatus hoc ordine in sacramentario Rodulfus, qui & Radulfus, interest anno 1015 concilio Remensi, in quo Arnulfus archiepiscopus 1015.
concessa Mosomensi cœnobio confirmari a coepiscopis suis curavit. Is esse nobis videtur R. de quo quatuor epistolis Fulbertus Carnotensis episcopus, ubi de perpetrata cæde subdecani suæ ecclesiæ, non vero Robertus superior, uti existimavit D. Fleury tom. XII hist. eccles. pag. 438, quod mirum quidem videri non debet, quum in Fulberti literis nomen episcopi nonnisi per initialem literam R. enuncietur. Quum itaque post obitum subdecani ecclesiæ Carnotenæ, R. (Rodulfus) episcopus Silvanectensis hunc subdecani locum pro se, aut pro Guidone fratre postulasset a Fulberto Carnotensi præsule, & hic respondisset, non convenire sibi R. quod episcopus esset, neque fratri ætate adhuc & moribus immaturo, contulissetque locum uni sacerdotum suorum Evrardo nomine, docto juxta & pio viro, sic inde Silvanectensis episcopus & mater indignati sunt, ut Evrardo coram testibus non paucis terribilia minarentur. En Fulberti epistolæ, quæ minarum produnt effectum.

Prima numero XLVI inscripta est A. Laudunensium præsuli, apud quem Fulbertus conqueritur de perpetrata cæde subdecani ecclesiæ suæ a sicariis, qui de civitate Silvanectis venerant.

ANNI CHRISTI

Quodam, inquit, *ecclesiæ nostræ subdecano defuncto, petiit a nobis R. Silvanectensis episcopus dari sibi, aut fratri suo ministerium ejus: nos autem respondimus non convenire sibi, eo quod episcopus esset, neque fratri ætate adhuc & moribus immaturo. Tunc elegimus de numero sacerdotum nostrorum ad illud officium faciendum, Evrardum scientem ac religiosum virum. Quod factum prædictus R. materque & frater ipsius adeo inviderunt, ut sancto viro coram pluribus, qui inde testes sunt, terribilia minarentur. Et dictum facto non caruit; venerunt enim de civitate Silvanectis ad nostram quidam ex domesticis eorum sic necessarii, ut absentia illorum nec per unum diem ignorari potuerit; qui interdiu quidem latuerunt, sed profunda nocte egressi sanctum illum presbyterum more solito venientem ad ecclesiam, quasi lupum rabidum lanceis falcatis & gladiis in ipso atrio principalis ecclesiæ trucidarunt..... Porro carnifices præsidio noctis incogniti jam diffugerant, & cui crimen intenderetur, erat incertum, quum quidam propter minas præteritas domum R. quæ erat apud nos, suspectam habentes, repererunt in ea vernaculum quemdam vestes suas & calceamenta lota siccantem; ex quo signo conjectura est incœpta. Quum ad causam hujus lavacri dicendam homo acrius urgeretur, se facto, de quo agebatur, adfuisse confessus est; socios prodidit & ordinem rei gestæ exposuit, &c.*

Secunda & tertia Fulberti epistolæ n. XLVIII & XLIX inscriptæ sunt ipsimet R. episcopo Silvanectensi, quem in illa sic alloquitur: *Quia judicio contendere magis, quam veniam postulare statuistis, restat vobis convenire judices, qui præfixo loco & tempore vos in alterutrum legali ratione justificent; non enim usurpamus officium judicis in isto negotio, sicut vos velle dicitis, cum nullus esse possit suæ causæ & assertor & judex. Verum enimvero satis admirari nequimus, quidnam mali est, quod tam audacter ad judicium properatis, nisi forte, quod abhorrere humanum est, publice damnari eligitis, quam secreta satisfactione purgari. Quid enim aliud in judicio mereatur manifestæ culpæ odiosa defensio! Et vestra quidem culpa sic manifesta est, ut nullo excusationis genere valeat obumbrari. Vox enim sanguinis fratris vestri & sacerdotis Evrardi, postquam ad aures supremi judicis ascendit, per totam Galliam vehementer infremuit, qui, ut certo scimus, non est occisus ob aliam causam, quam ob vestræ cupiditatis injustam calumniam. Viderint judices, utrum effectus referatur ad causam.*

Quarta demum eadem de re Fulberti epistola num. LX scripta est ad Leuthericum Senonensem archiepiscopum, in qua se Fulbertus ait Widonem fratrem R. episcopi Silvanectensis, sicut manifestum reum excommunicasse: *Primo, quia causa cupiditatis ejus, fratris quoque & matris ipsius occisus est immerito noster subdecanus; deinde quia scivit insidias illi prætendendas, nec mihi patefecit: tertio, quod insidiatores ejus, quos disturbare potuit, non disturbavit; sed & præsentia sua domum, ex qua sanctæ ecclesiæ nostræ servire debuerat, eis receptandis dolose vacuam fecit, &c.* Numquidnam propter hanc cædem sic legitur in sacramentario: *Rodulfus, cui dominus miserea-* A *tur!* Certe defunctum esse Rodulfum causa indefinita, palam fit ex epistola XXXVII ejusdem Fulberti ad Guidonem Rodulfi successorem, quæ sic habet: *Rogamus caritatem vestram pro his servis ecclesiæ nostræ, qui sub vestra potestate degunt, ut eis patrocinari dignemini, & ut nobis constituatis terminum post octavas B. Martini, quando & ubi nostri legati possint occurrere vobis ad definiendam causam eorum, quæ propter obitum antecessoris vestri indefinita remansit. Rogamus etiam ne nobis scripto significare gravemini, cur Silvanectis non fuerit sacratio vestra.* De Rodulfo sic habetur in ecclesiæ Silvanectensis necrologio: *Nonis Septembris obiit* B *Rodulfus præsul* (an primus, an secundus?)

XXXVIII. Guido I.

Sammarthanis ignotus Guido, non item sacramentario, innotescit adhuc ex epistolis Fulberti Carnotensis episcopi ad Guidonem coepiscopum suum; XXXVII, quæ docet eum Silvanectis non fuisse sacratum; XXXVIII, in qua exonerat eum metu ordinationis Ebali Remensis archiepiscopi factæ anno 1021; & LIX, ubi 1021.
excusat se quod benedictioni Henrici I Franciæ regis anno 1027 faciendæ interesse non possit. 1027.
Præterea subscripserat Guido anno 1021 charC tæ fundationis B. Mariæ de Nigellis. *Chart. IV. eccl. Nov. col. 361.*

XXXIX. Rodulfus II.

Omissum in sacramentario Rodulfum omitteremus & nos, ni constaret ipsum adstitisse anno 1029 dedicationi basilicæ sancti Aniani Aurelianensis. *Duchesne, tom. 4. hist. script. Franc. pag. 73.* 1029.

XL. Guido II.

Cognomento Bonus ex Sammarthanis Guido, qui & Wido, omissus & ipse in sacramentario, unus est ex episcopis provinciæ, cui clerus & populus Noviomensis & Tornacensis direxere D decretum electionis Hugonis episcopi sui circa an. 1030. *Charta V. eccl. Nov. col. 362.* 1030.
Obtinuit anno 1041 ab Henrico Francorum rege confirmationem altaris B. Mariæ de Eva. 1041.
Actum feliciter in basilica B. Mariæ Parisiensis anno 1041, regnique Henrici regis XI. *Charta II. col. 203.*
Testis laudatur anno 1042 una cum Imberto Parisiensi episcopo in præcepto ejusdem Henrici regis pro monasterio sancti Germani a Pratis. 1042. *Prob. hist. Montis-Morenc. p. 19.*
De alterutro Guidone sic habetur in ecclesiæ Silvanectensis necrologio: *XV cal. Decembris obiit Guido episcopus, de cujus beneficio habemus decem solidos.* Et in calendario sancti Reguli: *XIV cal. Decembris obitus reverendi in Christo* E *patris & D. D. Guidonis quondam episcopi Silvanectensis, qui nobis dedit duas ecclesias.*

XLI. Frollandus I.

Notatus in sacramentario Frollandus, qui Frollantus, Frotlandus, Froelandus & aliquando Frodandus, suum apposuit chirographum diplomati Henrici regis pro Fossatensibus monachis dato die XIII cal. Junii, indictione XI, regni XII, Christi 1043, quo in diplomate Frollandus 1043.
dicitur non ita pridem successisse Guidoni. Subscripsit idem anno sequenti die 15 Martii

ANNI CHRISTI dum Romam pergeret, testamento Hugonis A Vesuntionensis archiepiscopi. Laudatur anno 1045. 1045 in charta Henrici regis pro Fossatensi 1047. monasterio, & anno 1047 in placito ejusdem regis pro Suessionensi sancti Medardi cœnobio Ch. II. eccl. Suess. col. 97. adversus Robertum Codiciacensem. Subscripsit anno eodem chartæ Henrici regis pro dicto S. Medardi cœnobio, & ejusdem præcepto fiscum, Ch. XVI. tom. VIII. col. 300. cui *Unigradus* vocabulum est, in gratiam ecclesiæ Carnotensis ab omni jure liberantis. *Datum Parisius die XV cal. Maii indict. I anno regni* 1048. *XVIII Christi 1048.* Anno eodem sub die Tom. VII. ampliss. collect. col. 59. sancto Pentecostes adfuit concilio Silvanectensi. Convenit ad concilium Remense anno 1049 B mense Octobri celebratum in basilica sancti Remigii, præsente Leone IX summo pontifice. Spicil. tom. 2. p. 500. Ejusdem ad famosum illum Berengarium epistolam edidit Dacherius, qua sese Frollantus infirmus precibus ejus enixe commendat, magnoque illius teneri se desiderio ait, additque; *domnum R. abbatem & ceteros dominos & fratres, quos mihi tua dilectio acquisivit, sub meo nomine saluta, & in orationibus suis ut mei meminerint, obsecra. Illud vero tua fraternitas noverit, quod multum firmiter acquisivi tibi gratiam domini mei regis.* De- 1053. nique Frollandus adfuit anno 1053 detectioni corporum sancti Dionysii & sociorum.

XLII. Guido III.

De quo sacramentarium silet, silent & Sammarthani, Guido Silvanectensis episcopus cum Imberto Parisiensi subscripsit documento Henrici I regis dato Parisiis anno regni ejus XXVII, 1058. Christi 1058. Exstat libro V de re diplomatica, pag. 423.

XLIII. Frollandus II.

Omissus & iste in sacramentario, quod uni- 1059. cum admittit Frollandum, anno 1059 die festo Ch. XX. eccl. Rem. col. 23. Pentecostes interfuit sacro Philippi I regis. Subscripsit anno 1060 præcepto ejusdem regis ca- 1060. nonicos regulares in ecclesiam sancti Martini a Hist. S. Mart. a Campis, p. 7. Campis a se restauratam inducentis; eodemque anno chartæ Philippi regis pro Sandionysiano monasterio. Memoratur anno 1061 pridie cal. 1061. Maii in charta Philippi regis fundationem prio- Ch. VII. eccl. Bellov. col. 245. ratus sancti Christophori in Halata diœcesis Bellovac. confirmantis. Adstitit eodem anno VI Prob. hist. domus Montmor. p. 417. cal. Junii indict. XIV, dedicationi ecclesiæ sancti Adriani *de Bethisy*. Testis est Frotlandus anno 1064. 1064, in instrumento Gervasii Remensis ar- Ch. XXI. eccl. Rem. col. 25. chiepiscopi pro restauranda ecclesia collegiata sancti Timothei martyris, sub potestate Remigiani abbatis. Accusatus interim est Silvanectensis episcopus, non alius certe a Frollando apud Nicolaum II, quasi conscius esset simoniacæ ordinationis episcopi Bellovac. ut liquet ex epistola secunda ejusdem papæ ad Gervasium Re- Tom. IX. concil. Lab. col. 1092. morum archiepiscopum, eo tenore: *Silvanectensi vestro suffraganeo episcopo, si eum* (Bellovacensem episcopum) *pecuniam dedisse præscivit, & vestrum assensum in maledictionis herede benedicendo non habuit; similiter omne episcopale officium, usque dum ad prædictam synodum veniat, & nobis & tibi digne satisfaciat, B. Petri apostolica auctoritate interdicite.* At excusatum a Gervasio fuisse Frollandum palam fit ex epistola IV ejusdem papæ ad eumdem Gervasium, his verbis: *Quod de episcopo Silvanectensi nobis per filium nostrum mandasti, quia canonicum est, cum eodem filio nostro tibi concedimus.* Ibid. col. 1093. Frollandus demum anno 1067, 1067. subscripsit præcepto Philippi regis donationem villæ *de la Chapelaude* factam Sandionysiano monasterio confirmantis. Num idem est ac Frotboldus, seu Frotbaldus, de quo sic habetur in ecclesiæ Silvanectensis necrologio? *Idibus Maii Frotboldus episcopus, qui altare de Borredis & decimam thesauri, & præposituram rerum canonicalium nobis reliquit.* Quæ aliunde verba utri Frollando adscribenda sint, prorsus incompertum.

XLIV. Odo II.

A Sammarthanis prætermissus Odo, qui vere Frollandi successor habetur in sacramentario, subscripsit anno 1068, chartæ Philippi regis, qui 1068. rogatus ab Odone Silvanectensi episcopo & canonicis, ut firmaret dona, quæ fecerat eis Hen- Ch. IV. col. 205. ricus rex pater ipsius, Frollandusque pater eorum, *necnon & Odo præsentialiter vivens episcopus*, C *&c.* libenter annuit. Subscripsit Odo anno 1069, 1069. Philippi ejusdem documento pro sancto Vincen- Chart. V. col. 206. ubi pro indict. IV. lege VII. tio Silvanectensi, & anno eodem die dominica 4 Octobris adfuit dedicationi ecclesiæ sancti Spicil. tom. 2. p. 681. Quintini Bellovacensis.

XLV. Rollandus.

Odoni proxime subjectus in sacramentario Rollandus, legitur episcopus Silvanectensis in charta episcoporum, jussu Philippi regis prohibentium, ne post episcopi mortem bona ipsius distrahantur, anno 1072. Annus autem epi- 1072. scopatus ejus tertius illigatur cum anno Christi Chart. VI. col. 206. D 1075, in charta Guidonis filii cujusdam Wis- 1075. celini erga ecclesiam Silvanectensem magnifici, regnante Philippo anno imperii XII. Rollandi obitus consignatur nonis Septembris in ecclesiæ Silvaneci. necrologio.

XLVI. Ingelardus.

De quo tum sacramentarium, tum Sammarthani silent, Ingelardus, qui & Engelardus, *Silvanectensis episcopus designatus*, subscripsit an. Chifflet. hist. Tornus. p. 325. 1075, privilegio Philippi regis pro Tornusiano monasterio. Testis est anno 1076, in præcepto 1076. ejusdem regis fundationem abbatiæ sancti Johan- E nis de Vineis apud Suessiones confirmantis. De- Chart. IV. eccl. Suess. col. 99. nique Ingelardi subscriptio reperitur in charta Philippi regis data 1068, cui postea sigillum Chart. IV. col. 205. suum apposuit Ingelardus.

XLVII. Ivo II.

Post Rollandum memoratus Ivo in sacramentario, is esse videtur *Silvanectensis episcopus*, qui, Tom. X. concil. Lab. col. 365. & 367. *accepta investitura de manu regis ordinatus est ab illo Remensi hæresiarcha, cui literis vestris interdixistis, ne hujusmodi in episcopos acciperet.* Sic ad Gregorium VII scribebat anno 1077 Hugo

ANNI CHRISTI

Diensis ipsius legatus, qui in concilio Pictaviensi anni sequentis, eumdem summo pontifici remisit ordinatorem Ambianensis pervasoris cum Laudunensi & Suessionensi sociis suis. Verum Gregorius hos in concilio Romano excusatos
1078. restituit anno 1078. Et certe hoc anno interfuit Ivo concilio Suessionensi, donatamque Hugoni abbati Cluniacensi a Simone Crespeii comite abbatiam sancti Arnulfi confirmavit; signum quoque apposuit suum anno 1079, instrumento
1079. Philippi regis pro Guidone Bellovacensi episcopo.

(Ch. VII. col. 107. ubi pro anno 1076 in margine, leg. 1078. — Chart. IX. eccl. Bellov. col. 147. — Prob. hist. domus Montmor. p. 26.)

XLVIII. Ursio.

Laudatus in sacramentario post Ivonem Ursio, qui & Ursus, adstitit anno 1082, judicio Phi-
1082. lippi regis pro cœnobio sancti Germani Pratensis contra Hugonem Stavellum. Subscribit literis ejusdem regis ratam habentis anno 1085, mo-
1085. nachorum Angeriacensium institutionem in ecclesia Buriacensi. Anno eodem recensetur in concilio Compendiensi. Subscripsit etiam cum ce-
1086. teris provinciæ Remensis præsulibus anno 1086, documento Rainaldi metropolitæ Remensis ecclesiam sancti Hilarii de Marolio tribuentis Agneti abbatissæ Aveniaci. Concessum est a Philippo
1090. rege anno 1090, privilegium sancti Remigii cœnobio, de quo Marlotus t. II hist. Rem. lib. II, p. 182, cui sic Ursio subscripsit: *Ego Ursio Silvanectensis episcopus, ac regiæ majestatis cancellarius scripsi, & publice lectum recognovi*; sive, inquit Mabillonius lib. II de re diplomatica, vicecancellarius fuerit Godefridi episcopi Parisiensis, qui fuit archicancellarius usque ad annum 1092, sive tunc essent cancellarii plures; quod idem auctor ambiguum putat. Ursio memoratur
1091. anno 1091 in charta capituli medietatem furni Silvanectis in vico Parisiensi positi, quo tenebantur uti quidam clientes, Herviso falconario, matri ejusdem & uni heredi, post eorum decessum ad capitulum reversuram dimittentis pro duodecim denariis per singulos annos in Cœna Domini persolvendis, qui mox tribus pauperibus eadem die ad lotionem pedum accedentibus caritative donarentur. Anno 1092, Ursio Silva-
1092. nectensis episcopus Philippi regis cum Bertrada matrimonium celebravit, ut liquet ex epistola Urbani II papæ ad Rainaldum archiepiscopum Remensem & suffraganeos ejus data VI cal. Novembris anno MXCII, in qua ait: *Te autem, carissime confrater Rainolde, noxa hæc maxime impetit, pro eo quod Silvanectensis subjectus tibi episcopus hoc publici adulterii crimen suo, ut audivimus, firmavit assensu, cum mœchis illis benedictionis sa-*
1093. *cerdotalis manus imposuit.* Anno 1093, indict. I XVII cal. Martii præcepto Philippi regis pro reformando sancti Maglorii apud Parisios monasterio subscripsit Ursio, cujus habentur literæ in historia edita sancti Martini a Campis pag. 524. pro vicaria S. Martini de Sorde-villari, *de Survilliers* in diœcesi Silvanect. quæ, ut conjicimus ex tempore iisdem subscripti Fulconis, postea decani Parisiensis datæ sunt ante annum 1090: sic incipiunt & sic desinunt: *Notum fieri volumus, quod Ursus Silvanect. episcopus a domno Ursione priore*

(Tom. 5. annal. Bened. p. 144. — Tom. 5. annal. Bened. p. 311.)

A *de Campis exoratus concessit ecclesiæ sancti Martini de Campis altare de Sordida villa, &c. De clericis testis est Letoldus archidiaconus, Fulco, qui postea Parisiensis ecclesiæ decanus, Hugo gloriosus postea episcopus, &c.* Obiit Ursio episcopus nonis Septembris ex necrologio B. M. Silvanect. in hæc verba: *Nonas Septembris obierunt Roliandus episcopus, Radulfus præsul, & Ursio episcopus, pro quorum beneficio distribuuntur decem solidi.*

XLIX. Hugo.

Unus e clericis Ursionis recensitus in charta modo laudata *Hugo gloriosus postea episcopus*, suc-
B cessor ejusdem habetur in sacramentario. Et certe Hugo Remensi concilio interfuit anno 1094, 1094.
& Claromontensi 1095. Circa hunc annum 1095.
donum ecclesiæ sancti Arnulfi de Crispeio factum antea Cluniaco, scriptis ad Hugonem Cluniacensem abbatem literis confirmavit. Præsul idem anno Christi 1095, indict. III, XVII cal. Julii subscripsit literis Philippi regis anno regni 34 pro abbatia B. M. de Novigento. De Hugone sic legitur in ecclesiæ Silvanect. necrologio: *IV cal. Febr. obiit Hugo episcopus, qui abbatiam sancti Michaelis longo tempore ab ecclesia alienatam, suis tandem diebus per se acquisitam*
C *nobis reliquit, simulque dimidiam præbendam cum domo sua, priusquam fieret episcopus, de proprio facta.*

(Chart. VIII col. 107.)

L. Letaldus.

Sic appellatus in sacramentario post Hugonem Letaldus, qui Letoldus in Ursionis epistola superius laudata, ubi dicitur archidiaconus, & alibi Letaudus, Leutaldus, ac Liettoldus, Silvanectensis episcopus adstitit anno 1095 IV cal. Aprilis, seu 1096, consecrationi Manassæ archiepiscopi Remensis. Anno 1097, datam a 1099.
Matilde Calensi abbatissa terram sancti Sansonis
D ecclesiæ ad atrium Nantogili constituendum approbavit anno episcopatus primo. Anno eodem adhuc præsulatus primo 12 Novembris legitur in charta Silvanectensis capituli ad preces Odonis de Gonessa concedentis sancto Martino de Campis tertiam molendini partem apud villam, quæ *Mesnilis* vocatur, subtus *Oiri*. Chirographum apposuit suum Urbani II epistolæ anno Christi 1099, pontificatus D. Urbani duodecimo, qua 1099.
primatus archiepiscopatus Lugdunensis supra Senonensem confirmatur. Data est epistola in concilio Romano habito tertia hebdomada post Pascha, cui Leutoldum adfuisse memorat D. Fleury
E tom. XIII hist. eccles. pag 675. Regendi hoc anno finem fecit.

(Miscellan. Baluz. t. 3. p. 293. — Charta IX. col. 108. — Chart. XV. eccl. Lugd. tom. IV. col. 13.)

LI. Hubertus.

Hoc ordine positus in sacramentario Hubertus, qui & Humbertus, atque Hulbertus, hoc ultimo nomine subscripsit archidiaconus Silvanectensis anno 1070, die 5 Maii chartæ Philippi regis largientis sancto Martino de Campis molendinum & furnum. Fuit idem canonicus Parisiensis, ut infra videbitur. Sacratur autem episcopus Silvanectensis a summo pontifice Pa-

(Hist. S. Mart. a Campis, p. 19.)

ANNI CHRISTI

schali II, sub finem anni 1099, uti colligitur A
ex ejusdem Huberti charta, approbantis donum
Roberti vicedomini factum Martinianis mona-
chis de prioratu sancti Nicolai de Aciaco. *Actum
publice in capitulo sanctæ Mariæ Silvanect. anno
incarnati Verbi 1106, episcopatus domni Huberti
anno septimo, regnante Philippo, & filio ejus Lu-
dovico jam juvene:* ex historia sancti Martini de
Campis, pag. 286, ubi hoc donum Hubertus
confirmasse legitur, *sicut antecessor Letaudus Theo-
baldo priori sancti Martini confirmaverat.* Circa id
Tom. 2. hist. Meldensis, p. 16. tempus ecclesiam sancti Sansonis Nantogilum
inter & Baronem sitam Warino Cluniacensi
priori confirmavit. Adsuit Hubertus concilio B
1103. Remensi anno 1103, ubi altare sancti Quintini
Marlot. hist. metrop. Rem. t. 2. pag. 233. de Corbeniaco, Remensi sancti Remigii mona-
sterio datum ab Ingelranno Laudunensi præsule,
sua roboravit subscriptione. Eo circiter tempore
a quibusdam clericis personis infamibus apud
metropolitanum suum venditionis sacrorum or-
dinum accusatus, sedem apostolicam appellavit;
commendatitiasque ad summum pontificem ab
Ivone Carnotensi episcopo habuit literas 244.
Epist. p. 105. Roma reversus apostolicis munitus literis, absque
audientia & judicio e sede sua pulsus est, rerum-
que suarum damna perpessus, reditibus præbendæ
suæ Parisiensis, quibus summus pontifex cave- C
rat, a decano Parisiensi spoliatus, qui eam sibi
mancipavit. Nec sic tamen apud regem gratiam
invenit, nec apud metropolitam paternum suffra-
gium, nec apud comprovinciales fraternum sub-
sidium; unde miseriæ ejus condolens Ivo æstate
tota eum apud se detinuit, eique stipendia mi-
nistravit. Non solum autem, sed ad Paschalem
pro destituti filii creationis suæ injuria scripsit
epistolam 103. Aliquanto post, in concilio
Trecensi anni 1104, idem ei crimen ab æmu-
lis coram Richardo Albanensi episcopo sedis
apostolicæ legato quum objectum esset, sed
propter accusatorum insufficientiam minime pro- D
batum, tanti criminis infamiam ut evitaret Hu-
bertus, jurejurando spontaneus se purgavit; alias-
que ab Ivone aliquot post annis obtinuit literas
258, ut Huberti causa soli sibi reservata Pascha-
lis II episcoporum sententiam confirmaret. Abso-
lutus tamen non erat, quum post annum 1106,
ad reconciliandam nece Girardi de Chirisiaco
pollutam Laudunensem ecclesiam accersitus est
Hubertus Silvanectensis episcopus, *nuper simoniæ
suæ causa exauctoratus*, teste Guiberto Novigenti
abbate lib. de vita sua, cap. 5, pag. 501. In-
terea tamen subscripsit Hubertus anno 1104
reconciliationi Philippi regis, apud Parisios, & E
1105. circiter 1105 chartæ Henrici comitis Blesensis
Ch. XXVIII. eccl. Carnot. t. VIII. col. 308. domum episcopi Carnotensis ab omni jure libe-
rantis. Reperitur adhuc in privilegio Ludovici
regis pro sancto Quintino Bellovacensi dato
1106. 1106 in festo Pentecostes. Adfuit funeri Phi-
lippi Francorum regis apud Melodunum exstincti
1108. die Mercurii 29 Julii anno 1108, & inde mox
adstitit sacro Ludovici Crassi regis Aurelianis
celebrato eodem anno die 2 Augusti Dominica,
immediate videlicet post celebratas regis patris
exsequias Floriaci. Subscripsit eodem anno di-

ANNI CHRISTI

plomati Ludovici regis Floriacensi ecclesiæ re-
laxantis jura, quæ ipse percipiebat injuste in
feodis *de Maisniles* & de Castaneto. *Datum
Bituricis in palatio anno 1108 regni 1.* Huber- *Charta X. col. 208.*
tus ipse anno 1111 sancto Quintino Bellovacensi 1111.
concessit domum suam cum pomerio, quod ha-
bebat in confinio atrii ejusdem ecclesiæ, eo pacto
ut in hac ecclesia singulis annis fieret comme-
moratio obitus ejus, cum anniversario Guidonis
fratris ipsius. Testis est anno eodem in præcepto
Ludovici regis de immunitate castri sancti Re- *Ch. LV. eccl. Paris. t. VII. col. 46.*
migii. Biennio post nomen Huberti subscriptum
legitur 1113 in charta fundationis sancti Victo-
ris Parisiensis. Interfuit 1114, cum Radulfo 1113.
Remensi archiepiscopo, & Guillelmo Catalau- 1114.
nensi, Lisiardo Suessionensi, & Godefrido Am-
bianensi episcopis dedicationi ecclesiæ B. Mariæ
Laudunensis. Denique subscripsit Hubertus præ-
cepto Ludovici regis, quo tribuitur facultas ca-
nonicis sancti Victoris Parisiensis eligendi abba-
tis, non exspectato regis consensu, anno 1115. 1115.

LII. Clarembaldus.

In sacramentario laudatus post Hubertum
Clarembaldus, qui & Clarebaldus & Clarabal-
dus, antequam episcopus, fuit archidiaconus
Atrebatensis per annos prope viginti, quo no- *Tom. 5. Spicil. pag. 556.*
mine occurrit anno 1095, uti etiam 1097, in
charta Lamberti episcopi Atrebatensis fundatio-
nem ac dotationem abbatiæ Montis sancti Eligii
confirmantis; anno 1106, in charta de subjecta *Tom. 2. Miræi in fol. p. 1150.*
Cluniaco a Roberto Flandriæ comite abbatia
sancti Bertini; & anno 1113, in probationibus
hist. domus Ghisnensis, pag. 67. Fuit quoque
Clarembaldus canonicus Insulensis & archidia-
conus B. Johannis Morinorum episcopi, ante-
quam Silvanectensis episcopus. Annus vero, quo
cathedram Silvanectensem conscendit, colligitur
ex epistola 268 Ivonis Carnotensis anno epi-
scopatus 25, ad Walonem Bellovacensem, Guil-
lelmum Catalaunensem, Godefridum Ambia-
nensem & Clarebaldum Silvanectensem præsu-
les; annus videlicet 1115, qui cum anno 25,
episcopatus Ivonis conjungitur. Sane hoc anno
interfuit Clarembaldus exsequiis B. Godefridi
Ambianensis episcopi, defuncti VI idus Novem-
bris. Cum Wiberto Novigenti, Odone Suessio- *Ch. LVI. col. 423.*
nensi, & Balduino sancti Vincentii Silvaneст.
abbatibus, necnon Artaldo priore de Nantolio
adstitit placito habito 1117 pro monasterio 1117.
S. Arnulfi de Crispeio. Ejusdem habetur memo-
ria in constitutione IV Sugerii abbatis S. Dionysii,
hoc tenore: *Nec prætereundum est, quod Adam
piæ memoriæ abbas in dedicatione ecclesiæ sancti
Petri, dotem ejus ampliavit pro matutinis decantandis
in vigilia sancti Dionysii, idemque præbendam ple-* *Duchesne, tom. 4. hist. script. Franc. p. 553.*
*narie restituit sub manu & anathemate D. Conii
cardinalis & archiepiscopi, & Clarembaldi episcopi
Silvanectensis, quam Robertus rex magnæ pietatis
suis precibus impetraverat.* Memoratur Clarembal- *Ch. LVII. col. 424.*
dus in donatione facta 1118, sancto Arnulfo 1118.
Crispeiensi ab Adela Veromanduorum comitissa;
eodemque anno præsens fuit in capitulo B. M.
Silvanect. quando canonici sancti Reguli & S. *Ch. LVIII. col. 425.*
Frambaldi

ANNI CHRISTI

Frambaldi jam diu inter se dissidentes de terra A
quam indivise habebant, adjacente Bedullivillæ,
amice convenerunt. Adfuit eodem sententiæ
synodali Remensi, qua terminata fuit discordia
mota inter abbates sancti Luciani & sancti Quin-
tini apud Bellovacum. Subscriptum Clarembaldi
1119. nomen legitur anno 1119, in concilio Remensi.
1120. Insequenti 1120, Guillelmus dapifer regis, &
nobilis uxor ejus Helisendis usurpationem, rapi-
Chart. LIX. col. 425. nam, &c. quam in domo Silvanectensis epi-
scopi, eo moriente faciebant, adstante rege, in
manus Clarembaudi dimiserunt. Ejusdem Cla-
Chart. LX. rembaldi precibus, Radulfus Veromanduorum
col. 426. comes & Crispeii dominus villæ *de Basouches* B
malas omnes consuetudines, quas antecessores
habuerant in ea & ipse reclamabat, circa annum
1120, ecclesiæ B. M. Silvanect. & canonicis
Tom. 3. in perpetuum pro animæ suæ remedio condo-
mensis Aug. navit. Præsens & hoc anno memoratur Clarem-
Bolland. p. baldus in concilio Bellovacensi. Anno 1122
257.
1122. die XI Martii presbyterum initiavit Sugerium,
qui postridie Sandionysianus abbas benedictus
fuit ab archiepiscopo Bituricensi. Insequenti
1123. 1123, altare de Ogerio firmavit ecclesiæ sancti
Chart. LXI. Arnulfi de Crispeio. Laudatur 1128 in præ-
col. 426.
1128. cepto Ludovici regis pro reformanda sancti Jo-
Chart. VII. hannis Laudunensis abbatia. Circa id tempus C
eccl. Laud. præbendam unam in ecclesia B. M. Silvanect.
col. 193. concessit monachis sancti Nicolai de Aciaco
Ch. LXII. prope Silvanectum. Ecclesiæ vero sancti Vin-
col. 427. centii Silvanect. ad sustentationem fratrum inibi
sub regula sancti Augustini Deo servientium an-
niversaria omnium canonicorum tam in ecclesia
B. M. quam in ecclesia sancti Reguli deceden-
1129. tium elargitus est, quæ anno 1129 rex Ludo-
Ch. LXIII. vicus confirmavit. Reseravit Clarembaldus anno
col. 428.
1130. 1130, sancti Reguli capsam, & anno 1131
1131. adfuit concilio Remensi. Denique canonicorum
& clericorum sancti Reguli domos, quæ infra
illius ecclesiæ atrium continentur, in quibus an- D
Ch. LXVI. tecessores episcopi & ipsemet hactenus multas
col. 430. habuerant consuetudines, liberas perpetuo ma-
1133. nere concessit anno 1133. Non diu postea
Clarembaldus rexit. Hinc emenda quod ex fide
tomi sexti annalium Bened. pag. 96, dictum est
in abbatia Maurinianæ-vallis, col. 449, Clarem-
baldum episcopum Ceciliæ hujus loci abbatissæ
dedisse præbendam in ecclesia Betoncurtis anno
1137, pro quo fortasse legendus annus 1127.
Ut ut est, Clarembaldus defunctus sepultus est
in ecclesia sancti Reguli ante principem aram;
de quo sic B. M. Silvanect. necrologium: *V*
idus Febr. obiit Clarembaldus episcopus, in Dei E
servitio assiduus, qui ad honorem ecclesiæ honorabile
volumen bibliothecæ novum instituit, & multis aliis
rerum suarum donis & honoribus ecclesiam respexit.
Sic etiam habet necrologium sancti Nicolai de
Aciaco: *V idus Febr. obiit Clarembaldus episcopus*
Silvanectensis, vir memoria dignus, qui huic ecclesiæ
præbendam unam contulit.

LIII. Petrus I.

Canonicus sanctæ Genovefæ Parisiensis Pe-
trus, etiam factus episcopus hanc retinuit præ-
bendam, eo nomine post decanum Stephanum
chartæ ejusdem ecclesiæ anno 1140 subscriptus.
Sed ea tandem cessit in gratiam inductæ anno *Duchesne,*
1147, in ecclesiam sanctæ Genovefæ regularis *tom. 4. hist.*
disciplinæ, ad sustentationem fratrum canonicis *script. Franc.*
substituendorum. Clarembaldo autem suffectus, *p. 501.*
fit episcopus anno saltem 1134. Insequenti, 1134.
Petro sedente, Ludovicus rex corpus sancti Vi- 1135.
goris in ecclesia sancti Frambaldi recondidit.
Reperta enim est in capsa nona scheda perga-
mena in hæc verba: *Ego Ludovicus Dei miseri-*
cordia in regem Francorum sublimatus, posterorum
memoriæ commendare dignum duximus, quod tem-
pore Petri venerabilis Silvanectensis episcopi corpus
B. Vigoris Bajocensis episcopi & confessoris & alio-
rum sanctorum reliquias in mausoleo isto reponi
fecimus anno ab incarnatione 1135, regni nostri
27, Ludovico juniore filio nostro in regem sublimato
anno tertio. Petrus autem in sacramentario pro-
xime subjectus Clarembaldo, testis est circiter Circiter
1137 in charta donationis factæ Caroliloco a 1137.
Guillelmo Lupo Silvanectensi. Anno 1138, 1138.
bona omnia ecclesiæ sancti Nicolai de Aciaco Ch. XVII.
firmavit, ac imprimis præbendam, quam illi col. 112.
dederat bonæ memoriæ Clarembaldus decessor. *Hist. S. Martini a*
Præsens memoratur anno 1139 episcopatus sexto *Campis, pag. 292.*
in charta Hiberti decani & capituli Silvanecten- 1139.
sis pro sancto Nicolao de Aciaco. Sub idem
tempus subscripsit cum Hugone Longi-pontis
abbate instrumento Radulfi Veromanduorum
comitis locum restauratum concedentis abbati
Cuissiacensi. Anno eodem Ludovici regis ad Chart. XIX.
preces, canonicis sancti Victoris ad sanctum Vin- col. 213.
centium destinatis dimisit sex processiones, quas
ante adventum Victorinorum debebant Sanvin-
centiani canonici. Petri hæc est charta: *Ego*
Petrus Dei gratia Silvanectensis episcopus, &c. Nec
illud silere debemus, quod sex processiones, quas per
sex anni solemnitates, tres scilicet ecclesiæ sanctæ
Mariæ, & tres ecclesiæ sancti Reguli ante adven-
tum ordinis canonicorum sancti Victoris, abbas sancti
Vincentii cum suo conventu debebat & persolvebat.
.... quarum nos consuetudines, sive aliarum
quarumlibet processionum, eidem ecclesiæ post ad-
ventum illorum, consensu utriusque capituli sanctæ
Mariæ & sancti Reguli, ad incrementum religionis,
ex integro, Domino inspirante, remisimus. Actum
anno incarnati Verbi 1139.

Circa eumdem annum Stephanus Parisiensis Ch. LXVII.
episcopus consultus haud dubie a Petro Silvane- col. 430.
ctensi præsule, qua ratione canonici sancti Vi-
ctoris Parisiensis annualia, seu anniversaria cano-
nicorum in ecclesia sanctæ Mariæ Parisiensis,
aliisque nonnullis ejusdem episcopatus ecclesiis
possiderent, opportune respondit ad Petrum,
qui mox eadem ratione anniversaria canonicorum Ch. LXVIII.
ecclesiarum B. Mariæ Silvanectensis & sancti col. 431.
Reguli, utriusque assensu capituli, tenenda in
perpetuum ecclesiæ B. Vincentii concessit, ita
videlicet, ut annuos reditus præbendarum supra-
dictarum in transitu &c. mutatione personarum,
eodem modo atque tenore, quo illos in ecclesia
sanctæ Mariæ Parisiensis &c. canonici sancti Vi-
ctoris tenere noscuntur, ipsa quoque sancti

ANNI CHRISTI Circiter 1140. Vincentii ecclesia teneret. Sub annum 1140, A Hugo abbas sancti Germani Pratensis nepotem suum Guillelmum sanctæ Genovefæ Parisiensis canonicum misit ad Petrum episcopum Silvanectensem, ut initiaretur diaconatu. Interfuit Petrus cum Hugone Rotomagensi archiepiscopo, *Duchesne, tom. 4. hist. script. Franc. p. 342.*

1140. aliisque prælatis anno 1140, solenni consecrationi ecclesiæ sancti Dionysii per Sugerium abbatem renovatæ, & capellam sancti Nicolai dedicavit. Sacellum quoque benedixit Petrus in

1142. castro Silvanecti 1142, quo anno instrumentum Goisberti decani & capituli sancti Frambaldi agros & vineta cedentium Rogerio abbati sancti Crispini in cavea & successoribus ejus, sigillo B suo munivit. Hisce porro diebus legitur Petrus ab officio episcopali suspensus, ob probatum Radulfi Veromanduensis comitis divortium, cui vel ansam dederat jurejurando asseverans cum Simone Noviomensi, & Bartholomæo Laudunensi episcopis, eam Radulfum inter & uxorem ejus cognationem esse, quæ non sineret illos in con- *Spicil. tom 13. p. 480.*

1143. jugio permanere. Confirmavit 1143 quæcumque abbas & conventus Longi-pontis acquisierant in territorio *de Presles* secus Suessiones. In altera dedicatione basilicæ sancti Dionysii consecravit altare S. Osmannæ anno 1144. Par- *Tom. 1. vet. Analect. Mabill. pag. 328.*

1144. thenonem sancti Remigii olim apud Silvanectum C

1146 subdidit 1146 Ederensi diœcesis Parisiensis.

1148. Subscripsit cum Theobaldo de Crispeio 1148, chartæ Drogonis de Petrafonte Henrico Vallisserenæ abbati benefacientis. Testis est anno eodem in charta fundationis monialium Præmonstratensium in loco, qui dicitur *Javagias*; eodemque anno in charta Sansonis Remorum archiepiscopi de facta compositione inter Balduinum Noviomensem episcopum & Radulfum Veromanduorum comitem super villa Laciniaco, &c. Morienti denique Sugerio abbati Sandionysiano *Ch. XXXII. eccl. Suess. col. 118. — Ch. XIX. eccl. Nov. col. 379.*

1151. 13 Januarii 1151, adstitit Petrus Silvanectensis episcopus, qui & ipse mortuus est hoc anno D die 8 Aprilis, ad quem diem ita necrologium Silvanectensis ecclesiæ: *VI idus Aprilis obiit Petrus episcopus, qui nobis dedit ecclesiam sancti Martini solventem singulis annis 40 solidos & tres solidos censuales apud* Duvy. Tumulatus esse dicitur in ecclesia Caroliloci retro chorum a dextris.

LIV. Theobaldus.

Qui Petrum sequitur in sacramentario Theobaldus, subscripsit anno 1151, concesso Hugoni abbati sancti Remigii Remensis a Ludovico rege privilegio. Circa id tempus, non vero circa 1147, ut irrepsit in margine chartæ XX col. E 213 appendicis nostræ, instituit in ecclesia sua magistrum & succentorem, quibus & capitulum *Amplis. collect. t. 1. col. 815.*

1152. se beneficum exhibuit. Anno 1152, *Theobaldus Silvanectensis ecclesiæ minister, dilecto filio Godefrido Longi-pontis abbati confirmat eleemosynas prædecessorum suorum. Sig. Petri canonici nepotis ejusdem episcopi*: ex MS. codice Longi-pontis. Memoratur anno 1153 V nonas Maias cum

1153. pluribus aliis prælatis in bulla canonisationis S. Galteri, primi Pontisarensis abbatis; iisdemque die & anno datæ habentur literæ Hugonis Ro- *Tom. 1. mensis Apr. Bolland. p. 767.*

tomagensis archiepiscopi, Theobaldi Parisiensis, ac Theobaldi Silvanectensis episcoporum, de aperto Sancti hujus monumento, quas aliquando edituri sumus, ubi de Rotomagensi agetur ecclesia. Subscripsit anno eodem Theobaldus episcopus Silvanect. chartæ Sansonis archiepiscopi Remensis plurima concedentis monasterio sancti Remigii Remensis. Theobaldus ipse anno sequenti 1154, justis & honestis Ludovici regis, Sansonis archiepiscopi Remensis, Balduini Noviomensis episcopi, Almarici abbatis Caroliloci & Ilberti decani B. Mariæ Silvanectensis precibus inclinatus, dedit ecclesiam de Montiniaco Balduino abbati sancti Vincentii Silvanectensis. De Theobaldo hæc habet necrologium B. Mariæ Silvanect. *VII cal. Martii obiit Theobaldus episcopus, qui hanc innovavit ecclesiam, & dedit nobis capellam suam cum annulo. Dedit & nobis ad refectionem fratrum in quadragesima ecclesiam sancti Hilarii, & quatuor minas salis annuatim.* Memoratur quoque Theobaldus in necrologiis sancti Nicolai de Aciaco, & sancti Martini Pontisarensis VII idus Januarii & VI cal. Martii. *Marlot, t. 2. metrop. Rem. pag. 367.*

Circa id temporis Ludovicus VII rex has ad archiepiscopos, episcopos, abbates, & clericos totius regni literas dedit ad restaurandum majus templum Silvanect. *Ecclesia sanctæ Mariæ Silvanect. media corruens vetustate innovatur a fundamentis, & usque adeo insigne cœperunt opus, quod sine caritate fidelium Christi & eleemosynis nunquam potuerit consummari; etenim tenuissima est substantia & angustis arctata finibus, & ob hoc necesse habet ad vestra confugere subsidia: unde mandamus vobis omnibus, atque precamur, ut pro honore Dei & B. Virginis, cujus est ecclesia, portitores præsentium cum sanctuario & reliquiis euntes & fideliter laborantes honorifice suscipiatis, & in ecclesiis parochialibus recipi cum literis nostris sigillatis, & a presbyteris honorari præcipiatis. Data per manum Hugonis cancellarii.* *Sammarth.*

LV. Amauricus.

Eo sic appellatus ordine in sacramentario Amauricus, qui & Amalricus & Almaricus, abbas secundus Caroliloci, factus episcopus, ecclesiæ sancti Reguli pro jucundo adventu, principis aræ vestitum dedit. Anno 1156, decimam 1156.
de Sinesiis confirmavit Haimoni abbati Loci-restaurati. Cum Alano Autissiodorensi episcopo delegatus a summo pontifice eo circiter anno, ecclesiam *de Condeu* Radoliensibus * monachis contra canonicos regulares sancti Johannis de Vineis adjudicavit. Sopivit anno 1157, cum episcopo Meldensi Manasse querelam inter monachos B. Mariæ de Valle & Aelidem *de Bullenci*. Subscripsit 1160, chartæ Henrici Bellovacensis episcopi pro monasterio Caroliloci. Almarici precibus indulsit Ludovicus rex abbatiæ sancti Corentini ligna in foresta sua Aquilinæ, ad construendas domos anno 1161. Magna videlicet Amalricus pollebat apud regem gratia & auctoritate, ut adhuc patet ex binis ejusdem A. episcopi ad Ludovicum regem literis, quarum in prima numero CCXXV regem exorat, ut D. Bartholomæi, quem captum tenebat, carcerem cum ** De Resil. Tom. 2. hist. Meld. p. 45.* 1157. 1160. 1161. *Duchesne, tom. 4. hist. script. Franc. p. 656.*

ANNI CHRISTI cruce & itinere Jerosolymitano commutet; altera
numero CCXXXI, ut monachis de Pratea ad
ecclesiam construendam aliquod beneficium impendat.
Anno eodem 1161, præsens fuit in
capitulo Corbeiensi donationi factæ Caroliloco
a Johanne Corbeiæ abbate. Amalricum & alios
1162. an. 1162, Alexander papa III legatos ad regem
Appendix Ludovicum misit, ut liquet ex Alexandri epi-
altera tomi X. stola XXXVII ad ipsum regem. Amalricus eo-
concil. Labb. dem anno præsentia sua probavit factam Caro-
col. 1317. Char. XXI. liloco cessionem ab Alberico camerario & filio
col. 214. Ch. XXII. ejus cognomine Dammartini comite. Hoc iti-
col. 214. dem anno facta est compositio Amalricum inter
& capitulum B. Mariæ de quibusdam sancti B
Ch. XXIII. Gervasii hominibus. Eodem circiter auxit Amal-
col. 215. ricus cum suo capitulo & aliis fundationem le-
Ch. XXIV. prosariæ domus Silvanectensis; confirmavitque
col. 215. reditus pro refectorio canonicorum B. Mariæ per
1163. totam quadragesimam. Laudatur anno 1163,
in charta Radulfi Veromanduorum comitis pro
Charta monasterio Longi-pontis, & in altera dedica-
LXXXV. tione basilicæ sancti Germani a Pratis per Ale-
eccl. Parif. xandrum papam III. Scripsit Amalricus literas
t. VII. col. de dono Ebroini decani sancti Frambaldi facto
71. 1164. Caroliloco anno 1164. Scripsit & alias eodem
Ch. LXIX. anno de donata eidem monasterio a Guillelmo
col. 431. præcentore B. Mariæ domo sua claustrali, & C
1165. 1165, a Fulberto canonico Guillelmi præcentoris
nepote quadam domo, quæ illi hereditario
jure obtigerat. Hoc ipso anno cum Balduino
Noviomensi episcopo judex ab Alexandro III
delegatus controversiam inter ecclesias sancti Richarii
& Balantiarum terminavit. Circa id tempus
mansuram ecclesiæ sancti Reguli propinquam,
Ch. XXVI. liberam ab omni consuetudine & quiete in per-
col. 217. petuum possidendam concessit Amalricus, qui
1166. anno 1166, ad preces Geroldi prioris sancti
Nicolai de Aciaco dona huic ecclesiæ collata
firmavit, scriptisque eodem anno literis significavit
Odonem de Fontanis tribuisse Caroliloco D
totam quam habebat terram in territorio de Fon-
Ch. XXVII. tanis. Hoc adhuc circiter anno literas dedit pro
col. 218. Caroliloco, cujus se fuisse olim abbatem commemorat.
Denique per Amalrici manum Willelmus
de Melloto & Rainaldus frater ejus annuerunt
dono Manasserii de Bulis avunculi sui
1167. facto Caroliloco anno 1167. Mortuus Amalricus
hoc anno ex Nangii chronico, annalibus
Cistercii & speculo Vincentii Bellovacensis, pag.
442, sepultus est tumulo lapideo, qui secundus
est a latere principis aræ Caroliloci, cum epitaphio
recentiori. Commemorationem habet in
veteri ejusdem abbatiæ obituario, die V cal. E
Julii, una cum cardinali Prænestino, Simone
comite Montis-fortis, uxore ejus & liberis, ex
veteri Gallia christiana. Sic quoque necrologium
Silvanectensis ecclesiæ: *V cal. Julii obiit Amalricus
Silvanectensis episcopus, qui nobis reliquit capellam
suam pretiosam, & decem libras ad terram
emendam.* Sic sancti Frambaldi necrologium:
*V cal. Julii obiit Almaricus, qui pro remedio animæ
suæ dedit nobis sex solidos.* Cisterciensia vero
tum calendarium, tum menologium edita sic
Amalrici meminerunt: *Calendis Martiis in agro*

A *Silvanectensi, B. Amalrici, qui primum abbas Caroliloci,
deinde episcopus Silvanectensium electus,
utramque dignitatem vitæ sanctimonia decoravit.*
Bollandiani denique Amalricum hac ipsa die
commemorant tomo I Martii pag. 4.

LVI. Henricus.

Ex abbate sancti Quintini Bellovacensis Henricus
episcopus Silvanectensis ultimo reponitur
loco in sacramentario toties laudato. Memoratur
autem anno 1168, in privilegio Henrici I 1168.
Remorum archiepiscopi pro sancti Theoderici
monasterio. Confirmavit anno sequenti indict. 1169.
2, assensu capituli, Hugoni abbati Longi-pontis, Ch. LXX.
quam huic ecclesiæ contulerant eleemosynam col. 432.
Petrus, Theobaldus & Amalricus decessores.
Subscripsit eodem anno cum Henrico Remensi
archipræsule instrumento Philippi Flandriæ &
Veromandiæ comitis pro fratribus sancti Leodegarii
Suessionensis. Atrebati præsens sub id *Prob. hist.*
temporis memoratur cum Ludovico rege filio *domus de Bethune, lib.*
Ludovici Crassi, Henrico fratre ipsius regis ar- *2. p. 36.*
chiepiscopo Remensi & Johanne Laubiensi abbate.
Reperitur anno 1170, in charta Henrici 1170.
Remorum archiepiscopi pro Bello-prato; &
1171 sigillum apposuit suum amplissimæ do- 1171.
nationi Carolilocensibus factæ a comite de Dammartino,
uxore ipsius & liberis. Eodem anno
decimam novalium nemoris de Braisilva sibi a
Guidone buticulario redditam, ejusdem rogatu
concessit ecclesiæ sancti Nicolai de Aciaco, ex- Ch. XXVIII.
ceptis duobus annonæ modiis a presbytero per- col. 219.
cipiendis. Delegatus Henricus anno 1177 ab 1177.
Alexandro III, fuit arbiter initæ concordiæ de
quodam annuo censu inter Laurentium sancti
Richarii & Hugonem Balantiarum abbates. Anno
eodem idibus Maii cum Simone Meldensi *Tom. 2.*
præsule vacavit in præsentia regis elevationi sa- *novæ biblioth.*
crorum corporum in ecclesia sancti Frambaldi *Labb. pag.*
Silvanectensis. Totum eodem anno quod habe- *560.* Ch. LXXII.
bat teloneum Silvanecti, dedit ad censum com- col. 433.
muniæ Silvanectensi pro libris octoginta & quatuor
modiis salis ad mensuram Silvanectensem
annuatim reddendis. Significat Henricus anno
1178, factam esse conventionem inter fratres 1178.
Caroliloci & Evrardum de Borreto. Adfuit anno
1179, sacro Philippi Augusti Remis. Delegatur 1179.
eodem anno ab Alexandro III in causa quæ *Epist. LVI,*
vertebatur inter ecclesiam sanctæ Genovefæ Pa- *Steph. Torn.*
risiensis & quemdam Droconem. Eisdem adhuc
delegati nomine & anno controversiam inter
monasteria sancti Victoris & sancti Luciani Bellovacensis
terminavit Henricus, qui & hoc anno
episcopatus XII IV idus Decembris bona cano- Ch. LXXIII.
nicorum B. Mariæ & sancti Reguli, qui dece- col. 435.
derent intestati, quæ prius occupabant episcopi,
voluit & constituit in posterum distribuenda pro
anima defuncti canonici. Scripto testatur idem
anno 1180, Halduinum *Liesquarz* dedisse in 1180.
eleemosynam Caroliloco sex jugera terræ prope
grangiam *de Fay.* Pacem hoc anno reformavit
inter Theobaldum sancti Nicolai de Aciaco priorem
& Johannem Torchardum. Eodem anno
XII cal. Aprilis, Philippi regis anno secundo, a

ANNI CHRISTI

Ch. XXIX. col. 219. Ch. LXXIV. col. 435.

papa delegatus ecclesiam sancti Evodii de Brana & Ferricum militem de Bellorivo certantes de sancti Albini decima amice composuit. Recensetur adhuc Henricus eodem anno in charta Ingelranni abbatis Caroliloci de dono ecclesiæ suæ facto, & in altera confirmationis Guidonis buticularii pro Carolilocensibus monachis. Delegatus idem a summo pontifice cum Petro abbate sancti Remigii Remensis ante annum 1181, controversam inter canonicos de Brana & monachos sancti Leodegarii de Silva, cujusdam decimæ possessionem canonicis adjudicavit. Ch. LXXVI. col. 436. Charta LXXVII. col. 437. Circa id tempus statuit de consensu capituli, ut nullus deinceps canonicus parochiæ curam haberet; factæque conventionis inter capitulum B. Mariæ & ecclesiam sancti Vincentii Silvanect. de reddítu lampadis unius in ecclesia B. Mariæ fuit sequester, hancque ratam esse decrevit. Henrici meminit bulla Lucii papæ bona Silvanectensis

1182. ecclesiæ confirmantis 1182, ad quem annum de Henrico sic habetur in Auctario Aquicinctino: *Henricus etiam Silvanectensis episcopus justitiæ dicitur invictus esse amator, & justæ severitatis tenax;* quæ verba procul dubio cohærent iis, quæ Meyerus annalium Flandriæ lib. VI, pag. 63, scribit ad annum 1184, regem scilicet Philippum Augustum conjugem suam dimisisse *omnium episcoporum consensu, præterquam Henrici Silvanectensis.* Hinc ad eum regina confugit, qui forsan ideo a rege sibi infenso pulsus in exsilium est, sed postea tamen revocatus; quo tempore Stephanus Tornacensis inscripsit ei epistolam LV, quæ sic orditur: *Ad reditum vestrum, pater, in tripudiis exultant & lætantur in jubilo filii vestri fratres nostri, &c.* Habentur ejusdem Stephani ad Henricum episcopum Silvanectensem epistolæ

1183. Ch. LXXX. col. 438. XCI, XCIV, CX & CXII. Anno 1183, discordantes Henricum episcopum & ejusdem ecclesiæ canonicos Guillelmus Remensis archiepiscopus

1184. Ch. LXXXI. col. 439. Ch. XXXI. col. 222. Charta LXXXII. col. 439. Charta LXXXIII. col. 440. conciliavit. Henricus anno 1184, ad exemplum Theobaldi decessoris, medietatem oblationum, post ecclesiam B. Mariæ perfectam, canonicis firmat; ecclesiæ B. Mariæ laudat consuetudines, duasque lignorum summas in quadragesima singulis diebus capitulo concedit. Hoc quoque anno statutum edidit de capella domus Dei de Crispeio. Henricus denique anno incerto foraneitatem in ecclesia sua, cum S. decano, totoque ejusdem ecclesiæ capitulo instituit, probante Willelmo Remensi archiepiscopo, cui uni liberaliter concessere, ut unus e clericis suis, Silvanectensis ecclesiæ canonicus, quamdiu de propria ejus mensa esset, & assidue illi assisteret, Chart. CXI. col. 446. integros præbendæ suæ fructus haberet, ut discimus ex charta Remensis archiepiscopi huic beneficio, ne forte a quolibet successorum traheretur in consuetudinem, nuncium gratissime remittentis, in qua Henricus *bonæ memoriæ tunc episcopus* dicitur. Obiit autem IX cal. Martii ex necrologio sancti Dionysii, conditus in tumulo lapideo, qui primus est a dextris circum majus altare Caroliloci. Concinit quoad obitus diem necrologium Silvanectensis ecclesiæ, his verbis: *IX cal. Martii obiit Henricus hujus civitatis episcopus, vir bonæ memoriæ, qui hanc ecclesiam variis ornamentis decoravit, crucifixum argenteum novum fecit super chorum, vitream unam fecit, tapeta duo, vestimentum pontificale, thuribulum argenteum, calices duos deauratos, cereos ad missam ardentes quotidie duos, cum duobus candelabris argenteis, cappam valde bonam, pallia duo dedit. . . . . quod unaquaque die ad opus refectorii de nemore episcopi duas summas habeamus, & rex Philippus pro anima patris sui tertiam superaddidit. Dedit & nobis episcopus in villa de* Gouvix *majoriam minimam, quam de proprio suo emit, &c.* Eumdem obitus diem habent calendarium sancti Reguli, sancti Frambaldi necrologium & sanctæ Genovefæ Parisiensis; hoc ultimum sic: *Die 22 Februarii anniversarium bonæ memoriæ Henrici Silvanectensis episcopi & canonici nostri, qui inter cetera bona, quæ nobis contulit ad faciendum anniversarium suum, dedit nobis vineam quamdam, quam XXX libris emerat a Gaufrido de Moncello, in quo anniversario debet camerarius decem solidos ad refectionem fratrum annuatim persolvere.* Denique sancti Nicolai de Aciaco necrologium sic habet: *VII cal. Martii depositio Henrici episcopi Silvanect. pro quo habemus centum solidos ad stationem.* Annum obitus Sammarthani consignant 1183, IX cal. Martii, alii 1184, melius certe epitaphium ejus circum majorem aram Caroliloci, 1185; quanquam hoc & cetera ejusdem loci epitaphia nullam merentur fidem, utpote recentiora & ab uno eodemque auctore seculi proxime præteriti, uti nobis assertum est, conficta. De hujus certe lector judicet epitaphii pondere & auctoritate:

Hoc sepulcro clauditur corpus Henrici Silvanectensis LI episcopi, qui Remensi concilio, Eugenii, Bellovacensi vero, Ludovici VII regis auctoritate adfuit. Hoc præsente, urgente vero Guillelmo, quæ in Frambaldensi ecclesia squalida jacebant corpora, pie extulit: Philippi Adeodati expetentis hoc ipsum inaugurationi adstitit. Sedit annos 39. Occidit an. 1185.

Et certe, quo pacto adesse potuit Henricus Remensi concilio Eugenii papæ auctoritate, qui defunctus est 1153, quum Henricus ante annum 1167 hancce cathedram non fuerit adeptus? Et unde, quæso, epitaphiorum ille farcinator 39 regiminis annos attribuit Henrico, nisi quia errantem secutus est Carolum *Jaulnay*, qui suis in annalibus mortuum scribit Amalricum decessorem post annum & aliquot regiminis menses, 1145, a quo, vel sequenti, ducto episcopatus Henrici initio, & annis 39 circumscripto, mortuum Henricum fingit 1185, quanquam aliunde non inficiamur hoc anno mortuum esse. At silere non debemus hæc epitaphia nuper emendata fuisse, sed nec sic mendorum expertia.

LVII. GAUFRIDUS II.

Si Dubleto fides, Gaufridus episcopus Silvanectensis ex monacho & thesaurario sancti Dionysii, electus est ob insignem doctrinam & pietatem singularem. Huic anno 1185, Philippus Antiquit. S. Dionysi, pag. 259.

ANNI CHRISTI rex id quod pater Ludovicus Amalrico episcopo
privilegium indulserat, ut per eum tantum vel
Ampl. collect. t. 1. col. 969. successores ejus possent regales abbates institui,
seu in stallum mitti, confirmavit. Chartam exa-
Charta LXXXIV. col. 441. ravit Gaufridus anno eodem de lampade fundata
ante reliquias sancti Frambaldi a Margarita uxore
1186. Guidonis buticularii. Probavit anno sequenti bo-
Muldrac, chron. Longi-pontis, p. 72. na apud Pratellam concessa Longi-pontis eccle-
siæ a decessoribus suis Petro, Theobaldo, Amal-
rico & Henrico, teste inter alios Girardo præ-
Charta LXXXV. col. 442. posito *de Peissi* fratre suo. Anno eodem 1186,
laudavit immunitates, seu consuetudines eccle-
siarum B. Mariæ Silvanectensis & sancti Reguli;
Charta LXXXVI. col. 443. quin & speciali charta ejusdem anni unam ex
illis consuetudinibus ad meliorem formam re-
duxit, episcopatus anno secundo. Significavit
1187. 1187, Albericum *de Guinecort* militem dedisse
Caroliloco quatuor & dimidium jugera terræ in
territorio *de Mulein*; factumque donum ecclesiæ
B. Mariæ a Guidone buticulario Gaufridus ipse
1188. largitus est anno 1188. Parœcialem ecclesiam
1190. *d'Othis* dedicavit 1190; ædemque B. Mariæ
Ch. XXXIII. col. 223. Silvanectensis, quæ spatio annorum triginta re-
stituta fuerat, anno 1191 consecravere Guil-
1191. Ch. XXXIV. col. 224. lelmus Remorum archiepiscopus, Nevelo Sues-
sionensis, Rogerius Laudunensis, Stephanus No-
viomensis, Simon Meldensis, & Gaufridus Sil-
vanectensis præsules, qui omnes huic ecclesiæ
conferentibus eleemosynas, certas concesserunt
Ch. XXXV. col. 224. indulgentias. Gaufridus hoc ipso anno constitu-
tionem edidit de parochis urbis Silvanectensis.
1192. Profitetur anno sequenti Garinum de Villa-nova
& alios, quam adversus ecclesiam Caroliloci
querelam habebant de terra, quam Gillemarus
eorum avunculus, & Albericus filius ejus eidem
ecclesiæ contulerant, ex toto remisisse. Exstat
in appendice nostra Parisiensis ecclesiæ tom. VII,
col. 194, compositio querelarum Calensem in-
ter & Carolilocensem ecclesias, sequestro Gau-
1194. frido Silvanectensi episcopo anno 1194; qui
confirmavit donum ecclesiæ sancti Reguli factum
eodem anno, & initam pacem inter ecclesiam
Silvanectensem & Ermentrudem mulierem no-
bilem de Ogerio. Ante annum 1195, ratum
Charta LXXXVIII. col. 445. habuit statutum de foraneis canonicis factum
in ecclesia sancti Reguli. Subscripsit anno cir-
citer 1196, inito pacto inter Johannem abba-
tem Latiniacensem & Philippum de Nantolio
1197. super nemore Drossellarum. Anno 1197, ejus
Ch. XC. col. 445. & ch. XXXVI. col. 225. consilio & auxilio capitulum B. Mariæ Silva-
nectensis instituit capellanum obituum, cui be-
nefecit Gaufridus. Significat anno incerto ho-
mines *de Borrez* fossatum ambiens ipsi conti-
guum nemus, quod obruerant, postea propriis
refecisse manibus, & quadam die Dominica pro
foribus ecclesiæ B. Mariæ Silvanectensis singu-
los nudos fuisse flagellatos, mulieres vero nudis
pedibus ingressas ecclesiam ad altare munera ob-
1199. tulisse. Anno 1199, rescripto Innocentii papæ
Charta XXXVI. col. 225. III dato Laterani II cal. Decembr. pontificatus
anno I, Compendiensi monasterio datur Gau-
fridus privilegiorum conservator. Eodem literis
consignavit Nevelonem buticularii fratrem non-
1203. nulla dedisse Caroliloco, & anno 1203 cum

Petro abbate sancti Vincentii Silvanect. sigillo ANNI CHRISTI
suo firmavit factam compositionem inter priores
de Lehunio & de Bova. Donum Guidonis bu-
ticularii Herivallensibus monachis factum anno
1190, & confirmatum 1204, Gaufridus Gui- 1204.
doni a confessionibus hoc anno comprobavit.
Ratam habuit eodem initam concordiam inter
canonicos B. Mariæ & burgenses Silvanectenses. Ch. XCII. col. 447.
Anno eodem per manus Ebroicensis episcopi,
abbatum sancti Dionysii & Regalis-montis ex-
secutorum testamenti Ludovici VII regis, ob
detrimenta Silvanectensi ecclesiæ illata ex regali-
bus a rege possessis, quingentas accepit libras.
Anno 1205, die festo Exaltationis sanctæ Cru- 1205.
cis cum episcopis Bellovacensi & Noviomensi
sacras recensuit reliquias, quas a Balduino im-
peratore Constantinopolitano missas rex Philip-
pus Augustus regali sancti Dionysii basilicæ lar-
gitus est. Conciliavit eodem anno Silvanectense
B. Mariæ capitulum cum sancti Nicolai de Aciaco *Hist. sancti Martini a Campis, p. 294.*
monachis super officio præbendati. Pepigit anno
1206 cum capitulo; eodemque anno quam
apud *Verrines* procurationem habebat, ad censum 1206.
dedit hominibus ejusdem villæ pro XX solidis
Parisiensibus præposito B. Mariæ reddendis an-
nuatim die Dominica ante festum sanctorum Ger-
vasii & Protasii. Fratrem habuit Gaufridus ar-
chidiaconum Silvanectensem, ex Andrensi chro- *Spicil. t. 9. p. 568.*
nico, ex quo etiam discimus Gaufridum episco-
pum anno 1207 delectum fuisse arbitrum a 1207.
summo pontifice inter Andrenses monachos &
Carossenses. Eodem anno & eadem auctoritate
Gaufridus cum Adamo Caroliloci abbate & Ra-
dulfo Meldensi decano initam de Argentolio
inter Odonem Parisiensem episcopum & abba-
tem sancti Dionysii compositionem laudavit
mense Septembri. Delegatur eodem anno cum
Atrebatensi episcopo & abbate Latiniacensi, qui
auctoritate Innocentii papæ III electionem epi- *Epist. 163. lib. X. edit. Baluz.*
scopi Meldensis procurent. Testatur anno seq. 1208.
Gaufridus Renaudum de Mongesio, uxorem,
&c. vendidisse Caroliloco pretio 120 librarum
Parisiensium nonaginta quatuor jugera terræ;
Philippum *Blamers*, &c. dedisse in excambium
abbati & fratribus Caroliloci decem jugera terræ
in valle Radulfi prope villam *Fay*; & anno
1209, Milonem *de Mailly* assensu conjugis, 1209.
filii & filiæ Carolilocensibus dedisse tria jugera
terræ. Gaufridus hoc ipso anno statutum edidit Ch. XCIV. col. 448.
de fructibus præbendarum B. Mariæ & sancti
Reguli. Eodem concessit B. Mariæ capitulo de- Ch. XLII. col. 227.
cimas novalium omnium in tota diœcesi perpe-
tuo possidendas. Ecclesiam de Monte-specula-
tore *d'Espiloer*, quæ ad donationem canonico- Ch. XLI. col. 226.
rum B. Mariæ Silvaneċt. pertinebat, Gaufridi
ad preces hi dederunt abbati & canonicis regu-
laribus Herivallis. Cum abbate sancti Vincentii
Silvanect. & H. decano sancti Frambaldi Gau-
fridus compositionem fecit inter monachos sancti
Martini a Campis & Guillelmum de Monaste-
riis, quam Innocentius papa III ratam habuit
bulla data Laterani X cal. Januar. pontificatus
anno tertio decimo. Idem pontifex epistola I, 1210.
lib. XIII, anno pontificatus eodem, Gaufrido

ANNI CHRISTI episcopo & aliis commisit causam Corbeiensis A
abbatis. Cum abbate quoque Latiniaci & Sil-
vaneđ. decano delegatus est ad exsecutionem
eorum, quæ pro utilitate Corbeiensis monasterii
ab Innocentio III provisa fuerant anno pontifi-
1211. catus tertio decimo. Recensetur anno 1211 a
Spicil. t. 9. pag. 229. coævo scriptore Andrensis chronici inter episco-
pos, qui ferventissime observarunt sententiam
latam in regem totumque regnum ob dimissam
Ingelburgem reginam. Significat Gaufridus an.
1212. 1212 Petrum militem de Fontanis abbati &
fratribus Caroliloci vendidisse novem jugera terræ
Ch. XLIV. col. 229. in cultura, quæ vocatur *Torrez*. Eodem pepigit
cum suo capitulo de collatione parochialis eccle- B
siæ B. Mariæ, &c. Circa id tempus Gaufrido
Hist. Universit. Paris. t. 3. p. 66. episcopo Silvaneđ. Helinandus Frigidi-montis
monachus quaterniones historiæ suæ universalis
1213. transmisit relegendos. Gaufridus an. 1213 li-
Ch. XLV. col. 229. centiam impertit ecclesiæ suæ canonicis retra-
hendi decimas, quæ a laicis detinebantur, & in
usus servientium in illa transferendi. Anno eo-
dem x calend. Decembr. literis commendavit
Johannem *Cluignet* Carolilocensibus dimisisse,
quidquid ab ipso, aut a patre & matre, seu etiam
a fratre W. *Cluignet* acquisierant; & Erardum
de Plailly cum Th. fratre suo, quidquid ecclesia
Caroliloci tenebat ab ipsis, ut ipsa libere teneret, C
indulsisse. Ad Gaufridum quoque referenda vi-
detur Innocentii III epistola 205 ad episcopum
Baluz. t. 1. epist. Innoc. p. 3. col. 1. Silvaneđ. quem pontifex non mediocriter per-
stringit, quod ad duplex mandatum Clementis
papæ prædecessoris, concilii Turonensis aucto-
ritate munitum, dimidiam præbendam magistri
Aimerici noluisset integrare, immo vacantem
præbendam, de qua juxta tenorem mandati apo-
stolici dimidiæ debuerat supplere defectum, alii
in contemtum sedis apostolicæ contulisset. Ne
igitur quod de prædicto magistro incœptum erat,
remaneat imperfectum, episcopo per apostolica
scripta præcipit, quatenus de præbenda ad do- D
nationem ejus spectante, quamprimum in ec-
clesia ejus vacare contigerit, ejusdem magistri
dimidiam non differat integrare, nec aliquem
de cetero ad dimidiam præbendam admittat;
alioquin tandiu se noverit a præbendarum colla-
tione suspensum, donec eidem magistro super
integratione dimidiæ fuerit satisfactum, &c. An-
no supra laudato 1213, Gaufridus episcopale
Spicil. tom. 11. p. 497. abdicavit onus, secedens ad monasterium Caro-
liloci; quod Nangius & Albericus adverterunt
in chronicis, & Rigordus Philippi Augusti chro-
nographus his expressit verbis: *Eodem anno*
(1213) *Silvanectensis episcopus sentiens se tam* E
*ætate quam corpulentia ponderosa insufficientem one-
ri, quod jam per triginta annos portaverat, impe-
trata a summo pontifice, sicut in jure cautum est,
licentia, renunciavit episcopatui, & transtulit se ad
monachos Caroliloci Cisterciensis ordinis.* Obiit
Gaufridus nonis Novembr. ex necrologio tum
Caroliloci, tum sancti Dionysii; quo in ultimo
sic legitur: *Nonis Novembr. obiit Gaufridus epi-
scopus Silvaneđ. qui in multis bonis laborabat pro
ecclesia sancti Dionysii.* Concinit necrologium
Silvaneđ. ecclesiæ his verbis: *Nonis Novembr.*
*obiit Gaufridus episcopus, qui dedit nobis duo pallia
& cappam argenteam & capellam suam & 40 so-
lidos super domum Helvidis de Chaversy.* Calen-
darium vero sancti Reguli de eo sic habet: *III
nonas Novembris obitus reverendi in Christo patris
D. D. Gaufridi quondam hujus urbis episcopi, qui
multum dilexit ecclesiam istam, quam decoravit de
missali magnæ missæ, quod dedit una cum libris
evangeliorum & epistolarum, matutinarum & passio-
narum, & alia quamplurima bona huic ecclesiæ
fecit.* Cisterciense calendarium editum de Gau-
frido sic: *Nonis Decembr. Caroliloci B. Godefridi
episcopi Silvaneđ. qui abdicata dignitate, ut con-
templationi vacaret, priora sanctitatis opera, sus-
cepto monachali habitu consummavit.* Jacet in san-
ctuario basilicæ Caroliloci, tumulo conditus la-
pideo, qui tertius est ab evangelii latere cum
epitaphio sequenti: *Hic depositum est corpus Gal-
fredi, qui ex monacho Silvanectensis 52 episcopus,
totus in ornanda augendaque cathedrali ecclesia fuit.
Eam imprimis cum Guillelmo legato cardinali &
archiepiscopo Remensi anno 1191 dedicavit, ita
perpetuo præsulem agens, ut monachi partes æque
impleret. Rexit annos 30, cælo receptus est 1214.*

LVIII. Garinus.

Quem fide D. Archon, ex gente domino-
rum de Monte-acuto in Arvernia oriundum
diximus tom. VII, col. 229, Garinus nepotem
habuit Guillelmum de Moreto canonicum Le-
xoviensem; ipse vero ex canonico sancti Quin-
tini, Templariorum ordinem professus, tum
Philippi Augusti regis clericus, regnique sigil-
lorum custos, seu vices cancellarii agens jam
annis 1202 & 1207 Gaufrido, inquit Rigor-
dus ad annum 1213, successit; qui quum esset
frater professus hospitalis Jerosolymitani, regis
Philippi magnanimi specialis consiliarius effectus,
in aula regia, propter prudentiam & incompa-
rabilem consilii virtutem & alias animi dotes ita
laudabiliter se habebat, quod quasi secundus a
rege negotia regni inculpate tractabat, & eccle-
siarum necessitudines, tanquam vir literatus, ad
plenum nihilominus omni studio procurabat &
privilegia earum, modis omnibus, quasi sub chla-
myde conservans indemnes. Eodem circiter anno
electo adhuc Garino, pro hominio, quod ei de-
bebat rex Philippus, dedit ecclesiam sancti Tho-
mæ de Crispiaco, ut liquet ex hac charta regesti
Philippi Augusti: *Notum, &c. quod nos intuitu
dilectionis, quam habemus ad carissimum & fidelem
nostrum Garinum electum Silvanectensem, in recom-
pensationem & excambium homagii, quod ei facere
debebamus de feodis Crispiaci: videlicet pro feodo
Philippi de Nantolio, de decima de Gaenginaco,
& pro feodo Johannis Burgari, de decima sancti
Germani* de Boillant *& de Radulfi villa, & pro
feodo Ingeranni de Seriaco, de decima de Seriaco,
& pro feodo Guidonis Coci, de decima de Fres-
nello, & pro decima* de Fengi; *tam eidem electo,
quam suis successoribus episcopis Silvanectensibus in
perpetuum damus quidquid juris habemus in ecclesia
sancti Thomæ de Crispiaco, tam in jure patronatus,
quam in omnibus aliis ad ipsam ecclesiam pertinen-*

ANNI CHRISTI

tibus; ita quod in ipsa ecclesia neque nobis, neque nostris successoribus juris aliquid retinemus. Praterea eidem electo, suisque successoribus damus & concedimus in perpetuum 60 arpentos nemorum ad perticam nostram in bosco de Tilleyo, in eo scilicet loco, in quo fundus terræ erat episcopi Silvanectensis, videlicet in Noa de Frigolio, ita quod de illis 60 arpentis tam ipse electus, quamque sui successores suam libere poterunt facere voluntatem.

Anno insequenti 1214, electus adhuc Garinus, necdum sacratus, regis specialis amicus, qui cum eo ardua regni negotia tractabat, habitum religionis semper portans in pectore, pugnæ inter Bovinas & Tornacum datæ VI cal. Augusti adstitit, non quidem ut pugnaret, ut falso malesani quidam recentiores asseruere, sed armatus exhortabatur & animabat ad honorem Dei, regni, & regis, & ad defensionem salutis propriæ, teste Rigordo. Inunctus autem videtur Garinus
1214. Spicil. t. 6. p. 466. anno eodem exeunte; nam *episcopus* provincia accepta a Philippo rege, ut cum Petro Parisiensi episcopo inquireret, qualiter ecclesia consuevit defendere cruce signatos & ipsorum libertates, ambo facta inquisitione, pro bono pacis regnum inter & sacerdotium, usque ad instans concilium Romanum, nonnulla statuerunt observanda men-
1215. se Martio anni 1214, modo 1215. Eodem
Ch. LXXII. col. 434. anno mense Aprili Garinus teloneum episcopatus Silvaneᶜt. ab Henrico decessore datum ad censum communiæ Silvanectensi adauxit 20 libris ad officium matutinarum applicandis. Mense
Amplis. collect. t. 1. col. 1124. Julio ejusdem anni reperitur in literis Johannis domini de Balgentiaco ratam habentis donationem Valesiæ & Veromanduorum tractus regi Philippo factam ab Alienorde quondam Veromanduensi comitissa. Mense Augusto Philippus Augustus ei & successoribus dedit vineas, quas R. Boloniensis comes apud Argentolium habebat, *in augmentum*, inquit, *regalium nostrorum de*
1216. *Silvanecto*. Anno 1216 mense Julio Garinus
Prob. hist. domus de Chastillon, p. 36. adfuit Meloduni judicio parium Franciæ de comitatibus Campaniæ & Briæ. Delectus arbiter 1217, litem composuit inter episcopum & eccle-
1217. siam Parisiensem ex una parte, abbatemque &
1218. monachos Sandionysianos ex altera an. 1218.
Ch. CXV. col. 448. Eodem, decani & capituli sancti Reguli ad preces, Johanni ejusdem ecclesiæ cantori dimidiam præbendam ad augmentum cantoriæ contulit. Inse-
1219. quenti 1219 mense Aprili Garini precibus, Philip-
Amplis. collect. t. 1. col. 1140. pus Augustus rex pro cereo, qui jugiter in ecclesia Silvaneᶜt. ante aram B. M. in perpetuum arderet, donavit in perpetuum decem libras monetæ Parisiensis annuatim in præpositura Silvaneᶜt. percipiendas. Anno eodem 20 Octobr. cum Galtero Carnotensi, & Fulcone Tolosano episcopis consecravit ecclesiam Caroliloci. Plures
Ch. XCVII. col. 449. ecclesiæ suæ præbendas contulit eodem anno Garinus, salvo jure annualium ecclesiæ sancti Vincentii Silvaneᶜt. Exstant Guillelmi Remensis
Prob. hist. domus de Montmor. p. 85. archiepiscopi, Ludovici regis Franciæ primogeniti, Garini Silvaneᶜt. episcopi, &c. literæ super contentione inter Philippum regem & Guillelmum episcopum Parisiensem, de quibusdam juribus, quæ rex habebat in clauso Brunelli

A situ infra muros & ambitum murorum Parisiensium anno 1220, mense Martio (forte 1221). 1220.
Permisit anno 1220 mense Aprili monachis sancti Martini a Campis, ut ad reædificandam ecclesiam sanctæ Opportunæ apud Mouciacum necessarios lapides ex lapicidina *d'Orry* caperent. Hist. sancti Martini a Campis, p. 361.
Scribi curavit anno eodem a clerico suo Stephano *de Gual* breve chronicon Franciæ regum a Pharamundo ad Philippum Augustum. Mense Maio Ch. XCVIII. col. 449.
anni ejusdem, Silvanectensis ecclesiæ canonico præsenti per medium annum, si cesserit, vel decesserit, concedit fructus anni sequentis; quod Ch. XCIX. col. 450.
B & sancti Reguli canonicis indulget mense Augusto ejusdem anni. Insequenti 1221, litem 1221.
composuit inter Robertum decanum & capitulum Silvaneᶜt. ecclesiæ ex una parte, & burgenses communiarum Silvaneᶜt. & Crispiacensis ex altera, super decima lanæ, fœni & fructuum. Arbiter eodem anno mense Aprili controversiam diremit inter Galterum episcopum Carnotensem & Guillelmum de Pontegoëni; mense Septembri Prob. hist. domus de Montmor. p. 85.
sententiam dixit inter monachos sancti Dionysii & Matthæum de Montemorenciaco super viatura, seu justitia burgi sancti Marcelli prope Parisios. Scripsit Garinus mense Decembri literas Charta C. col. 450.
de *relevcii* jure, episcopatus Silvaneᶜt. ratione.
C Ineunte anno 1222, fundavit ac dotavit capellanias duas, alteram in domo episcopali Silvanectensi, & alteram apud Montes-episcopi. 1222. Ch. XLVI. col. 229.
Eodem literas accepit a decano & capitulo Bellovacensis ecclesiæ, quibus se ratum habituros spondent quidquid statuerit rex super hominio, quod comes Belli-montis debebat episcopo & ecclesiæ Bellovacensi. Cum Guillelmo Remensi archiepiscopo, & Milone Bellovacensi præsule querelam inter episcopum Noviomensem & cives ex compromisso terminavit. Mense Junio Charta CI. col. 450.
ejusdem anni dissidium inter Fulconem consanguineum suum sancti Arnulfi de Crispeio prio-
D rem & abbatissam de Parco finivit. Arbiter quoque sententiam tulit eodem anno mense Augusto inter comitem Belli montis & burgenses Silvanectenses pro traverso *de Boran*. Garinum eodem anno mense Septembri rex Philippus Augustus testamenti sui nominavit exsecutorem cum Tom. 7. Invent. thes. chart. Mélanges, fol. 56.
Bartholomæo de Roya magno Franciæ camerario, & Ademaro thesaurario templi. Mortui ejusdem regis die 14 Julii 1223 interfuit exsequiis Garinus episcopus Silvanectensis & cancel- 1223.
larius, ex necrologio Carnotensi, eodemque tempore concilio Parisiensi adversus hæreticos Albigenses congregato. Delegatus hoc anno ab Ho-
E norio III benedixit Herbertum sanctæ Genovefæ Parisiensis abbatem. Anno eodem, Franciæ cancellarius sigillum apposuit suum chartæ regis Ch. XLVIII. col. 232.
Ludovici VIII, abbatiam de Victoria confirmantis, & statutis ejusdem regis communiam apud Crispiacum instituentis; confirmantisque Spicil. t. 10. p. 642.
communiam Silvanectensem. Fundatam in ecclesia B. Mariæ Silvanectensis capellam vulgo Ch. CIII. col. 451.
dictam *de Parmatin* confirmavit mense Febr. 1223, testisque fuit hominii quod exhibuit Daniel dominus *de Bethune* eidem Ludovico regi mense Martio anni ejusdem 1223, qui nunc Ch. XLVII. col. 230. Prob. hist. domus de Montmor. p. 87.

ANNI CHRISTI utrobique 1224. Sic desinit charta Ludovici A
VIII regis pro cœnobio Angeriacensi: *Actum in*
1224. *castris apud Danpetræ prope Rupellam anno Do-*
P. Labbe, Mélanges curieux, pag. 606. *minicæ incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo*
quarto, regni vero nostri primo, adstantibus, &c.
Data per manum Guarini Silvanectensis episcopi
cancellarii. Adfuit is hoc anno Parisiis cum pa-
ribus Franciæ judicio lato contra Flandriæ co-
mitem. Delegatur eodem ab sede apostolica
ad litem inter Ambianensem episcopum & ab-
batem sancti Richarii dirimendam. Testis quoque
laudatur Garinus episcopus & cancellarius eodem
anno die sancti Johannis-Bapt. in instrumento
publico de episcopis Normanniæ, an regi debe- B
rent exercitum in propriis personis, ex proba-
tionibus hist. domus de Montemorenciaco, pag.
86, ubi & pag. 87 habentur literæ Ludovici
regis pro Stephano Cantuariensi episcopo & ejus
ecclesia datæ apud Rupellam anno 1224, regni
2, per manum fratris Garini episcopi cancel-
larii. Eodem anno, Garinus in causa capituli
Carnot. adversus Hervæum dominum *de Gua-*
lardon, cujus liberi quemdam dicti capituli ho-
minem excæcaverant, pugnoque mutilaverant,
judex constitutus sub pœna ducentarum marcha-
rum hanc sententiam dixit, ut illi juvenes in
instanti Ascensionis festo nudi & excalceati, C
virgasque præ manibus gerentes adessent pro-
cessioni Carnotensis ecclesiæ, & per manum
episcopi, vel sacerdotis, secundum ecclesiæ con-
suetudinem, acciperent disciplinam; idem præ-
starent in ecclesia Senonensi die Pentecostes; in
Parisiensi, in octava ejusdem festi; in Aurelia-
nensi, die festo sancti Johannis-Bapt. & in Mel-
densi ecclesia, festo die sancti Stephani martyris
in mense Augusto. Arbiter idem Suessionense
capitulum inter & majorem communiamque
civitatis sententiam tulit eodem anno 1224.
Tom. 1. anecdot. col. 935. Tulit & decretum contra Judæos in scacario
Paschæ anni 1225. Subscripsit diplomati regis D
1225. privilegia urbis Corbeiæ confirmantis; sigillum-
que apposuit suum literis, quibus mense Martio
ejusdem anni Guillelmus Montis-ferrandi comes
filius Delphini agnoscit tenere se a rege in feo-
dum & homagium ligium Montem-ferrandum,
&c. Mense & anno iisdem, capitulum inter san-
cti Reguli & communiam Silvanectensem super
Ch. CIV. col. 454. justitia Villæ-viridis & aliis quibusdam capitibus
compositionem fecit, quam firmavit rex eodem
anno regni tertio. Ejusdem regis codicillorum
ultimæ voluntatis exsecutor instituitur mense
Junio anni 1225. Julio sequenti memoratur
Prob. hist. domus de Montemor. p. 89. præsens donationi Albiniaci in Constantino & E
castri *de Doullens* cum pertinentiis suis regi Lu-
dovico VIII factæ a Maria Pontivi comitissa.
Garini episcopi & Franciæ cancellarii ad preces
anno eodem mense Augusto Ludovicus VIII
Ch. XLIX. col. 232. rex, pro anniversario patris sui Philippi & anni-
versario dicti episcopi annuatim in ecclesia Ca-
roliloci solenniter agendis, laudavit & concessit
eidem ecclesiæ decem libratas annui reditus ad
Parisiens. &c. Septimo cal. Novembr. ejusdem
anni 1225, una cum Petro Meldensi episcopo
dedicavit ædem B. M. de Victoria, cujus prius
jecerat fundamenta Garinus nomine regis Phi- ANNI CHRISTI
lippi Augusti fundatoris. Arbiter sedavit con-
troversiam monachos inter Bonævallenses &
Hugonem de Laëvilla militem, firmante judi-
cium Ludovico VIII rege 1226 mense Martio; 1226.
cujus adhuc regis in charta data Bituricis mense Chart. LII. col. 234.
Maio ejusdem anni pro Philippo Boloniensi
comite reperitur. Eodem anno, judex cum ab-
bate sancti Vincentii Silvanect. delegatus a sum-
mo pontifice monachos sancti Dionysii & Ni-
colaum advocatum *de la Flamanguerie* discor-
dantes conciliavit. Insequenti, Ludovici quoque P. Labbe, éloges historiques, pag. 206.
IX cancellarius testis habetur permutationis a
rege factæ cum Petro abbate & monachis sancti
Dionysii mense Febr. 1226, regni primo, ac
proinde 1227. Hoc autem anno cum vita di- 1227.
misit cancellariam, quam plurimum adauxerat,
obtento pro se, suisque successoribus jure sedendi
inter Franciæ pares.

Defunctus Garinus sepultus est in ecclesia
Caroliloci tumulo lapideo, qui quartus est cir-
cum majus altare cum hoc recentiori epitaphio:
Hic quiescit, cujus vita perpetuus labor, Guarinus,
quem ad Silvanectensem episcopatum sua in Deum
religio, ad cancellariatum sua in Philippum Au-
gustum fides evexit. Templum hoc anno 1219 de-
dicavit, abbatiæ de Victoria prima posuit funda-
menta. Anno episcopatus 13, Christi 1227, ad
Deum abiit. De eo sic legitur in necrologio Sil-
vanectensis ecclesiæ: *XIII cal. Maii obiit Gari-*
nus istius civitatis episcopus, Franciæ cancellarius, qui
ecclesiam istam variis palliis sericis & tapetibus de-
coravit. Dedit etiam nobis calicem aureum & unam
crucem auream valde bonam, ornatam lapidibus
pretiosis, & tabulam argenteam deauratam, quæ
est ante altare B. Mariæ, & coronam argenteam
deauratam pendentem desuper altare. Instituit autem
duas missas in choro isto singulis hebdomadis cele-
brandas, unam de B. Maria, & aliam pro fideli-
bus, quibus certos reditus assignavit. . . . . . .
Instituit etiam unum cereum perpetuo ardentem super
altare, & duos pueros thurificantes post offertorium
in missa. & duas capellanias, unam apud Montes,
alteram Silvanecti, ad donationem capituli pertinen-
tes. Dedit etiam nobis ducentas libras Parisienses,
de quibus emimus quamdam decimam apud Oiry,
de cujus pretio emitur thus ad thurificandum in missa
post offertorium.

Sancti Reguli calendarium sic: *XIV cal. Maii*
obitus D. Guarini quondam Silvanectensis episcopi.
Sancti Frambaldi necrologium ita meminit Ga-
rini: *XIII cal. Maii obiit Guarinus Silvanect.*
episcopus, Franciæ cancellarius, qui dedit nobis 40
libras ad emendum reditum. Necrologium B. M.
de Victoria sic: *XIII cal. Maii anniversarium so-*
lenne bonæ recordationis venerabilis patris nostri
Garini Silvanect. episcopi, cujus admonitione fundata
est ecclesia nostra a bonæ memoriæ Philippo rege
Franciæ. De hujus patris beneficio præter alia multa
& magna bona, quæ nobis contulit in vita sua,
habemus C. libras Parisienses, omnes quoque libros
ipsius tam ecclesiasticos, quam glossatos. Habuimus
etiam de capella ipsius omnia indumenta pontificalia,
calicem argenteum, duos bacinos argenteos, duo
candelabra

ANNI CHRISTI

candelabra argentea, cum duabus buretis, & unum thuribulum. Statutum est ergo, ut tanti patroni anniversario recurrente fiat solennis commendatio ante missam, ipsaque missa pro eo solenniter celebretur.

Martyrologium sancti Victoris Parisiensis: *XIII cal. Maii anniversarium solenne bonæ memoriæ venerabilis Garini Silvanectensis episcopi, regis Franciæ cancellarii, fratris nostri, qui multo tempore ecclesiam nostram specialiter dilexit, & suæ dilectionis effectum operis attestatione multipliciter comprobavit. Dedit enim nobis idem pater 160 libras ad emendos reditus; hac die habemus 30 solidos de beneficio D. Garini Silvanect. episcopi.*

De quo rursus hæc in eodem martyrologio leguntur: *VI idus Decembris commemoratio novem lectionum bonæ memoriæ Garini Silvanect. episcopi, & regis Francorum cancellarii, fratris nostri, & patris & matris, & parentum ipsius. Hac die habemus 30 solidos de beneficio ejusdem D. Garini Silvanectensis episcopi, cancellarii, fratris nostri.*

Martyrologium Suessionensis ecclesiæ: *XIII cal. Maii obiit bonæ memoriæ Garinus venerabilis episcopus Silvanect. Franciæ cancellarius, qui tempore suo in curia D. regis & alibi in negotiis ecclesiæ nostræ gratanter & utiliter pluries laboravit, & nos satis strenue & decenter pacificavit cum communia hujus villæ, ut patuit per effectum; pro cujus anima a capitulo nostro pie institutum est, quod singulis annis fiat ejus anniversarium solenniter ad novem lectiones.*

Denique martyrologium Noviomensis ecclesiæ: *VIII idus Aprilis Silvanecti, venerabilis Garini episcopi ejusdem urbis, qui olim in canonicum sancti Quintini ascitus, & etiam Templariorum ordinem professus, propter pietatem, prudentiam & incomparabilem consilii virtutem, & alias animi dotes in aulam Philippi Augusti & in cancellarium regni advocatus, ita se laudabiliter habuit, ut quasi secundus a rege regni negotia inculpate tractaret, sedandis potissimum contentionibus intentus; qui etiam Bovinensi prælio adfuit, non ad præliandum, sed ad hortandum; consultorque fuit regi, ut pro adepta victoria monasterium de B. Mariæ Victoria juxta Silvanectum construeret; quam sane ædem ipsemet dedicavit, & multis bonorum operum congregatis manipulis, victor etiam ipse ad cælum evolavit, monasterii Caroliloci & ecclesiæ sancti Quintini singularis benefactor; qui & Franciscanos Silvanecti admisit.*

5 Romanus episcopus Portuensis anno 1227, sedente Garino, fuerat canonicus ecclesiæ Silvanect. ex necrologio ejusdem sic: *XII cal. Martii obiit Romanus episcopus Portuensis, quondam hujus ecclesiæ canonicus.*

LIX. Adam I.

De Chambly.

Garino cedenti Adam *magister & sufficiens prædicator ac theologus* ex Alberico, necnon canonicus Parisiensis, successor datus est anno 1227: sororem habuit Margaritam *de Chambly*, cujus obitus dies notatur cal. Junii in necrologio B. M. Silvanect. Cum Odone *de Borrez* & Maria
1228. ipsius conjuge professus est anno 1228, se vendidisse Petro *Maillart de Barbery* novemdecim jugera terræ pro 106 libris. Anno eodem mense Maio cum Petro *Maillart* & Guidone illius fratre militibus, &c. dimisit ecclesiæ Caroliloci quidquid ab ipsis tenebat in territorio *de Plailly*. Mense Julio anni ejusdem Fratres Minores admisit Silvanecti; iisdemque anno & mense ratam Chart. CV. col. 455.
habuit transactionem de molendino *de Survilliers* Chart. CVI. col. 455.
inter capitulum Silvanectense & Gaufridum *Lyechans*, contra quem Garinus *bonæ memoriæ* judicium jam dederat. Literas hoc anno accepit Adam a Gregorio IX pro discutienda episcopi Nivernensis electione, & anno 1229 pro Rotoma- 1229.
gensis archiepiscopi electione; missoque Thoma *de Freauville* Mauricium Cenomanensem præsulem nominavit anno 1231. Significat eodem 1231.
anno mense Aprili Odonem de Borreto filium Evrardi de Borreto militis ecclesiæ Caroliloci dedisse quamdam terræ portionem inter vineam *de Bulete* pro duobus annui census solidis. Mense 1232.
Januar. anni 1231, qui nunc 1232, confirmavit Ch. CVII. col. 456.
institutam capellaniam in ecclesia sancti Reguli. Recensetur anno eodem mense Martio in charta Odonis de Gonessa pro monasterio Caroliloci. Eodem adfuit Noviomensi concilio. Memoratur Louvet, ant. Belovac. lib. 2. p. 288.
adhuc eodem anno in tabulario sancti Reguli. Cum Jacobo Suessionensi, Ph. Catalaun. G. Ch. CVIII. col. 457.
Camerac. & W. Tornacensi præsulibus anno 1234 mense Novembr. scripsit literas decanis, 1234.
presbyteris & aliis ecclesiasticis viris in Remensi Tom. 1. anecdot. col. 987.
provincia constitutis de translato a se S. Theoderici abbatis corpore, Henrici archiepiscopi Remensis auctoritate & consensu. Anno 1235, 1235.
pauperem domum sancti Laurentii de Bosco dependentem a sancto Vincentio Silvanectensi absolvit a procuratione, quam ipse aut successores ab ea possent exigere. Guillelmum ex Abrincensi decano electum episcopum inauguravit an. 1236 in quatuor temporibus Adventus, & anno 1236.
seq. adfuit in ecclesia Rotomagensi sacro Petri 1237.
de Collemedio archiepiscopi Rotomagensis. Adstitit eodem anno die Jovis ante Nativitatem sanctæ Mariæ Virginis initæ apud Vicennas con- Spicil. tom. 11. p. 371.
cordiæ inter Petrum archiepiscopum Rotomagensem & canonicos sancti Mellonis apud Pontisaram. Iisdem anno & mense telonei episcopa- Ch. LXXII. col. 434.
tus Silvanectensis factam a Garino decessore renovavit elocationem. Anno 1238 mense Martio, qui forte annus 1239, literis consignat 1239.
Radulfum *de Coudun* militem, & Clementiam uxorem ejus cum liberis, ecclesiæ Caroliloci tribuisse quidquid ab ipsis hactenus acquisierat, & Invent. thes. chart. fol. 154.
hoc ipso anno mense Julio Isabellam filiam Milonis *de Braibant* approbasse pactum a marito suo Guillelmo de Braisilva initum cum rege Navarræ, comite Campaniæ. Interfuit Adam cum plurimis aliis præsulibus eodem anno, quando Chron. Alberici, pag. 569.
183 Bulgari apud *Montrimert* combusti sunt. Recensetur anno eodem inter episcopos, quibus damnandi Talmudum demandata est provincia. Fundavit mense Julio anni ejusdem in ecclesia collegiata sancti Albini de Crispeio sextam præbendam, unde una ex illis sex facta est præpo- Ch. CXII. col. 458.
situra. Anno 1240 mense Octobri parochiam 1240.
sancti Stephani in suburbio Silvanect. excitavit.

ANNI CHRISTI

Ratam habuit eodem anno factam inter regem A
& capitulum sancti Thomæ de Crispeio commutationem. Excommunicatis sub hoc tempus civibus Remensibus ab Henrico archiepiscopo, anno 1240 injunxere pœnitentiam Adam Silvanectensis episcopus & scholarum præfectus, quorum arbitrio se commiserant. Præsens anno
1241. 1241 mense Aprili cum Willelmo Parisiensi
Tom. 1. invent. thes. chart. mélanges, fol. 156 verso.
episcopo, Odone sancti Dionysii & Radulfo sancti Victoris Paris. abbatibus juramento a Margarita regina sponsa Ludovici IX præstito apud sanctum Germanum in Laya super exsecutione testamenti regis; mense Januario ejusdem anni,
1242. qui nunc 1242, decimam de Chambliaco concessit Adam monachis B. M. de Valle, qui & B
occurrit mense Martio in charta Caroliloci. Eodem anno prima Dominica mensis Maii, donata ab ipso, recepta fuit in ecclesia B. M. Silvaneɛt. sancta Corona, statutumque fuit eodem anno in capitulo generali Inventionem sanctæ Crucis deinceps cum officio duplici celebrandam. Non-
1245. nulla statuit an. 1245 mense Aprili inter capitulum sancti Thomæ de Crispeio & parochum. Adstitit anno eodem Lugdunensi concilio. Priorem sancti Nicolai de Aciaco cum abbatissa sancti Remigii conciliavit mense Julio de jure patrona-
1248. tus ecclesiæ *de Geni*. Adfuit an. 1248 dedica- C
Ch. CXLII. eccl. Paris. t. VII. col. 106.
tioni sacræ capellæ Paris. Eodem cum episcopo Parisiensi, Ascelino sancti Victoris Paris. abbate & magistro Huberto *de Rethel* Ebroicensis ecclesiæ archidiacono exsecutor instituitur donationis a Guidone buticulario factæ sancto Victori Parisiensi ad fundandam hujus ordinis abbatiam
1249. apud Braium. Consecravit anno 1249 Itherum *de Mauny* Laudunensem episcopum in ecclesia prioratus sancti Arnulfi de Crispeio. Anno
1250. 1250, cum Philippo Bituricensi archiepiscopo laudavit sententiam latam pro Aimerico Lemovicensi episcopo contra vassallos sancti Juniani. Nominatur cum aliis exsecutor testamenti Blan- D
1252. chæ reginæ anno 1252. Significavit anno 1255
1255. cum aliis episcopis prohibuisse regem, quominus Petrus episcopus Catalaunensis vexaretur. Inse-
1256. quenti 1256 die Veneris ante natale Domini querelam inter sancti Reguli thesaurarium & capitulum super nominatione ad quamdam capellam
1257. arbiter definivit. Reperitur anno sequenti 1257 in documento urbis Silvanectensis. Quum autem bona a Guidone buticulario ad fundandam apud Braium abbatiam legata non sufficerent, prioratum tantum pro sex canonicis instituit Adam an.
1258. 1258, qui non diu postea vixit; vacabat enim sedes Dominica ante festum sancti Dionysii, mensibus Novembri & Decembri anni 1258, sicut & die Lunæ in Epiphania, hoc est 1259. Jacet in medio ecclesiæ Caroliloci sanctuario, tumulo depositus elato cum effigie pontificis, circa quam hæc leguntur:

Discat qui nescit, hic præsul Adam requiescit
Cui Dominus donet veniam, cœloque coronet:
Silvanectensis pastor, flos Cambliacensis,
Clarus honestate, plenus cuncta bonitate;
Laus jugis ex more Christi fuit ejus in ore,
Cui merito fidei des, Christe, locum requiei.
Qui pour moi priera, boen loyer en aura.

ANNI CHRISTI

Necrologium B. Mariæ Silvaneɛt. hoc Adami elogium habet.

Obiit bonæ memoriæ Adam istius civitatis episcopus, pater venerabilis, vir dono eminentis scientiæ insignitus, eleemosynarum largitate conspicuus, ac omnium morum honestate clarus; in se duo testamenta fideliter comprehendens, qui 32 annis & amplius ecclesiæ nostræ fideliter præfuit & profuit verbo pariter & exemplo; & per eum multa ecclesiæ nostræ incrementa tam in spiritualibus, quam in temporalibus provenerunt; pluribus enim diversis & variis ornamentis pretiosissimis ex dono suo ecclesiam nostram decoravit. Duas etiam missas, unam de B. Virgine, aliam pro defunctis, singulis hebdomadibus celebrandis in ecclesia nostra instituit, juxta morem missarum, quæ olim a bonæ memoriæ Garino quondam episcopo fuerunt in ecclesia institutæ; & ad distributionem in dictis missis faciendam certos reditus deputavit; videlicet decimam de Seriaco, quam emit capitulum a Reginardo de Seriaco milite, dicto episcopo pecuniam ministrante; & ad augmentum servitii divini sex clericos instituit in ecclesia ista horis diurnis jugiter assistentes, duobus videlicet denariis in die cuilibet assignatis, sive durent distributiones matutinarum, sive cessent, percipiendis in decimis & campipartibus emtis apud Evam & Ermenovillam a Manasserio de sancto Medardo milite & participibus suis, dicto episcopo bonæ memoriæ pro rata pecuniam ministrante. In ecclesia etiam nostra ad petram B. Mariæ capellaniam de suo instituit, quam competenter dotavit. In octabis etiam B. Mariæ Magdalenæ stationem fecit. Dedit etiam nobis sexaginta libras Parisienses pro anniversario episcoporum faciendo. Item dedit nobis centum solidos Parisienses. Item dedit nobis quinque modios & dimidium bladi, scilicet duos modios in decima de Vercenniaco annuatim percipiendos, & duos modios & dimidium, quos reddunt matutinæ, & unum modium super terram, quæ fuit magistri præpositi ad augmentum panis & vini. Item in antiphonis cantandis ante Nativitatem Domini pro duobus Oo viginti solidos. Pius etiam pater, qui erga suam ecclesiam & pauperes misericordiæ visceribus affluebat, multa alia nostræ contulit ecclesiæ, quæ non occurrunt memoriæ nostræ, sed non sunt abscondita in oculis illius, qui est bonorum omnium retributor, cui Christus sit propitius, amen.

Adami quoque meminit his verbis calendarium sancti Reguli.

E *XIII cal. Septembr. obiit venerabilis pater D. Adam quondam hujus urbis episcopus . . . . . sciendum est, quod præfatus reverendus pater dedit fabricæ hujus ecclesiæ semel viginti libras Parisienses: item pannum sericum & duas casulas & vestimentum integrum, scilicet casulam, dalmaticam, tunicellam & stolam albam. Item dedit 40 libras Parisienses ad augmentationem matutinarum. Statuit insuper duas missas fieri in choro nostro singulis hebdomadis ob remedium animæ suæ, unam videlicet pro fidelibus defunctis & alteram de B. Virgine Maria, pro quibus fiendis dedit 240 libras Parisienses*

ANNI CHRISTI

positas in emtione redditunm de Fossis & de Verceigniaco, in quibus missis tenetur quilibet canonicus qui interest in eisdem missis, pro anima ipsius dicere Pater noster, Miserere. Et dederunt sui exsecutores ecclesiæ nostræ 12 libras Parisienses, quæ duodecim libræ positæ fuerunt in emtione duorum candelabrorum argenti pro ecclesia nostra; cui Christus sit propitius.

Exstare dicit Helias Dupin in bibliotheca Longi-pontis diœcesis Suessionensis codicem MS. sermones hujus episcopi continentem.

De la Houssaye.

LX. Robertus II.

Ex decano Silvanectensis ecclesiæ Robertus
1259. clericus regis hanc obtinuit cathedram 1259, quo anno decanus adhuc memoratur in regestis parlamenti Parisiensis B. Martini hiemalis. Episcopus tamen subscripsit hoc anno literis episcoporum regi sancto Ludovico concedentium, ut quæ ignotis restituere non poterat, pia in opera
1260. impenderet. Centum pœnitentiæ dies anno 1260 mense Maio relaxavit iis, qui dedicationi capellæ de Igniaco interessent. Defuncti Roberti obitus notatur in calendario sancti Reguli cal. Octobris. Sic quoque necrologium sancti Frambaldi: *Cal. Octobris obiit Robertus Dei gratia Silvanectensis episcopus, de cujus eleemosyna habemus tres minas avenæ apud Rulliacum de Campiparte, quæ fuit Renaudi* Torel. Necrologium vero B. Mariæ Silvanectensis ad 2 cal. Octobris sic: *Eodem die obiit bonæ memoriæ Robertus de Husseia quondam episcopus hujus ecclesiæ, qui dedit nobis domum suam contiguam domui Caroliloci.* Tam insulsum est epitaphium, quod legitur in tumulo Roberti, primo a sinistris aræ principis Caroliloci, ut illud exscribere nefas duxerimus.

De Cressonsart.

LXI Robertus III.

Theobaldi domini *de Cressonessart* & Elisabethæ filius Robertus, germanus Anselli domini *de Liencourt*, & nepos Roberti Bellovacensis episcopi, dominus ipse *de Cressonessart* & archidiaconus Bellovacensis mense Junio 1258, post Robertum factus est episcopus Silvanect. anno 1260 ex Sammarthanis. Cum Guillelmo Bellovacensi & Bernardo *d'Abbeville* Ambianensi
1261. Louvet, antiq. Bellov. p. 415. episcopis anno 1261 1 Maii transtulit ossa sancti Luciani & aliorum martyrum in capsulas ornatiores. Roberto decanus & capitulum Silvanect. ecclesiæ debere se recognoverunt centum libras
1262. Turonenses anno 1262, pro morticinii jure ab ipso donato nemore sito ad locum dictum *la Barre de Rouveray* inter Malam assisiam & Altum montem, quod emerant ab abbate & conventu
1263. Ch. CXV. col. 461. Caroliloci. Robertus anno sequenti mense Aprili festum solenne in honorem B. Mariæ secunda Maii Dominica instituit ob sanatos igne sacro laborantes, & assignavit 40 solidos annui reditus in perpetuum hac die distribuendos. Cantoris officium instituit eodem anno in ecclesia collegiata sancti Thomæ de Crispeio, cujus decanatum reditibus auxit mense Maio; & mense Decembri præcepit scholarum magistris, ut gratuito
1264. Ch. CXVI. col. 462. chori pueros edocerent. Dedicavit 1 Junii 1264 capellam juxta domum regiam Silvanect. a Ludovico rege fundatam ad recondendas Agaunensium martyrum reliquias, quas a Guillelmo sancti Mauricii abbate obtinuerat. Anno eodem die Dominica post Purificationem B. Virginis Mariæ, hoc est 1265, statuta pro canonicis in dictam capellam inductis condidit, quæ summus 1265.
pontifex Clemens V confirmavit bulla data ad priorem & conventum sancti Mauricii Silvanect. Ch. LIII. col. 335.
III nonas Maii pontificatus anno primo. Ratam habuit Robertus anno eodem mense Octobri, quam canonici Silvanectensis ecclesiæ in octavis sancti Johannis Bapt. trium præbendarum integrarum in sex semipræbendas fecerant divisionem.
Anno 1269 mense Junio capellaniam sancti 1269.
Petri in ecclesia sancti Reguli ab Adamo *de Boonello* thesaurario & canonico institutam confirmavit. Insequenti 1270, Compendiensi con- 1270. Marlot, t. 2. hist. metr. Rem. pag. 564.
cilio totius provinciæ Remensis interfuit; ac mense Maio ejusdem anni terram apud Suessiones in Pratella vendidit ecclesiæ Longi-pontis pro 3000 libris Turonensibus. Anno eodem Ch. CXX. col. 465.
die Veneris post festum omnium SS. una cum Ch. CXXII. col. 466.
officiali Nicolao de Ambianis controversiam diremit inter archidiaconum Silvanectensem & plurium ecclesiarum rectores. Iisdem anno & Ch. CXXI. col. 465.
mense terram Vallis-profundæ ab Henrico de Grandi-prato donatam ad vitam Galtero de Chambliaco cantori Silvanectensi confirmavit. Lugdunensi concilio adstitit anno 1274. Ven- 1274. Ch. CXXV. col. 468.
ditam Galtero de Nulliaco archidiacono Briæ in ecclesia Meldensi ab Henrico de Grandi-prato terram suam apud Silvanectum, &c. approbavit
ineunte anno 1275. Subscripsit mense Junio 1275. Marlot, t. 2. hist. metr. Rem. pag. 569.
epistolæ Remensis archiepiscopi & suffraganeorum ad Gregorium X papam pro rege Ludovico IX in sanctorum album referendo. Anno 1276
mense Aprili capellam sancti Bartholomæi de 1276.
Mortuo-fonte in ecclesiam parœcialem erexit; ac Ch. CXXVI. col. 469.
biennio post 1278, adfuit concilio Compen- 1278.
diensi. Occurrit anno 1280, 2 Novembris & 1280.
1282, in chartis sancti Frambaldi, quo ultimo 1282.
anno & sequenti in inquisitione de vita & mi- Tom. 11. concil. Labb. col. 1031.
raculis sancti Ludovici facta in abbatia sancti Dionysii testis memoratur *Robertus episcopus Silvane-* 1283.
ctensis natus quinquaginta annos aut circiter. Non Bolland. t. 5. Augusti, pag. 573.
multo post defunctus, conditus est in antecessorum mausoleo Carolilocensi, tumba clausus lapidea, quæ est quinta prope majus altare, cum recentiori epigraphe, quam a nobis superius dicta manifestæ arguunt falsitatis. De Roberto necrologium Silvanectensis ecclesiæ sic habet: *III cal. Maii obiit Robertus* de Cressonessart *bonæ memoriæ quondam Silvanectensis episcopus, de cujus beneficio habemus VI libras Parisienses annuatim percipiendas super terram, quæ fuit comitis Magni-prati*; & iterum ad XVI cal. Novembris: *Eodem die debemus facere novem lectiones pro omnibus episcopis istius civitatis, quas Robertus* de Cressonessart *bonæ memoriæ quondam Silvanect. episcopus instituit, & de bonis suis annuatim nobis 40 solidos Parisienses super terram, quæ fuit comitis Grandis-prati capiendos assignavit.*

De Chambly et de Nuilly.

LXII. Galterus.

Bino præditus cognomine, & de Chambliaco

ANNI CHRISTI

Ch. CXIX. col. 464. & de Nulliaco Galterus passim in chartis, aliisque A occurrit monumentis. Regis clericus & cantor Silvanectensis, nonnulla vendidit ecclesiæ Silvanectensi anno ineunte 1270. Eodem, mense Novembri Henricus de Grandi-prato dominus de Livriaco dedit ei ad vitam *pro servitio suo* terram quam habebat apud Silvanectum & Vallem-

Ch. CXXI. col. 465. profundam, hasque eidem de Nulliaco dicto, archidiacono Briæ in ecclesia Meldensi divendi-

Ch. CXXIII. col. 467. & Ch. CXXV. col. 468. Chart. CXXVII. col. 471. dit mense Januario 1274 (1275.) Quadriennio post Galterus de Nulliaco archidiaconus de Constantino in ecclesia Constantiensi Roberto de Murato ejusque uxori elocavit domum de Gallandia, quæ fuerat Henrici de Grandi-prato, B anno 1279 mense Octobri. Inde primus omnium clericorum, episcopus Silvanectensis, quin & magister capellanus, decem libras Parisienses

1287. accipere solitus erat anno 1287, ex regestis cameræ rationum Parisiensis. Remensi concilio

1288. adstitit anno eodem. Ineunte sequenti 1288, Martino *de la Cour* & Hildeburgi uxori quatuor jugera terræ elocavit. Terram apud Silvanectum

Ch. CXXIX. col. 472. & Vallem-profundam, quam ab Henrico de Grandi-prato emisse diximus, capitulo Silvanectensi pro mille libris Parisiensibus vendidit die Sabbati in vigilia Assumtionis B. Mariæ, hancque venditionem ratam habuit iisdem anno & C mense Augusto rex Philippus Pulcher, cujus testamenti exsecutor nominatus est Galterus. De hoc legitur in necrologio B. Mariæ ad IV idus Februarii: *Eodem die obiit R. P. Galterus Dei gratia Silvanect. episcopus, pro quo debent distribui quatuor libræ Parisienses super terram de Grandi-prato, quam emit capitulum a præfato R. P.* Eumdem habet diem calendarium sancti Reguli; obituarium vero sancti Frambaldi VIII idus Febr. Meldensis autem ecclesiæ sic: *15 Febr. obiit bonæ memoriæ Galterus de Chambliaco episcopus Silvanectensis.* Vetus Galteri tumulus altus fuisse quatuor pedes legitur, totus unitus & petra coopertus, D cum hac epigraphe.

Silvanectensis præsul flos Cambliacensis
Galterius dictus jacet hoc sub marmore clausus.

Quiescit nunc Galterus in ecclesia Caroliloccensi, tumulo conditus lapideo cum inscriptione ejusdem ac superiores farinæ.

LXIII. PETRUS II.

Cailleu, Quailleu, Calleau & Chaillou.

Post consecrationem suam quum noluisset Petrus præstare sacramentum a decessoribus præstari solitum, repugnantes expertus est decanum &

Ch. CXXX. col. 474. capitulum, quibus invitis ecclesiam suam ingres- E surus, ostia chori fregit, clericosque ecclesiæ usque ad effusionem sanguinis dure tractavit ineunte

1291. Aprili 1291, de quibus quum conquesti essent canonici, emendaturum se gravamina, quæ ca-

Ch. CXXXI. col. 475. pitulo intulerat, spopondit episcopus; his vero non emendatis, octo illi dies ad satisfaciendum

Charta CXXXII. col. 478. præfixit capitulum VII idus Augusti; quibus elapsis, in ecclesia a divinis cessandum fore minatur. Quare episcopus, quem in obsequiis regiis commorantem lis ejusmodi arctare poterat, ne reipublicæ negotiis vacaret, VI idus mensis ejusdem sedem apostolicam appellavit. Rem tamen omnem commisere arbitrio Theobaldi Bellovacensis episcopi, Guidonis buticularii archidiaconi Senonensis, & Roberti *Foison* canonici Autissiodor. Charta CXXXIV. col. 479. qui partes conciliarunt sententia, quam habes in appendice. Definivit interea Petrus anno 1292 1292. matricularios B. Mariæ Silvanect. & successores Charta CXXXIII. col. 478. eorum teneri per semetipsos ad nocturnam in ea ecclesia residentiam. Chartam exaravit eodem anno die 30 Julii de gravamine a Petro *Viel* & consortibus illato ecclesiæ Silvanectensi, in primo ingressu episcopi. Concessit anno eodem Adelinæ Calensi abbatissæ, ut quoties in villa diœcesis Silvanectensis nuncupata *Berron* (hodie *Baron*) cum aliquot monialibus moraretur, divinum officium ibidem celebrare possent. Denique quod sacramentum ab episcopis in primo adventu debitum ecclesiæ Silvanectensi denegaverat, hoc sequentibus literis aliquatenus compensavit: *Universis præsentes literas inspecturis P. miseratione divina Silvanectensis episcopus salutem in Domino. Volumus, quod si in prima nostra inthronisatione, ecclesiæ nostræ juramentum debitum in loco debito non præstitimus, & si aliquis in dicta ecclesia tunc vulneraverit quemdam hominem, & si propter hoc emendam aliquam receperimus, nullum ob hoc venerabilibus viris capitulo ecclesiæ nostræ prædictæ præjudicium fiat, si ratione præmissorum aliquid habebant, nec nobis, nec successoribus nostris jus novum aliquod acquiratur. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Datum anno Domini 1293, die Mercurii post* 1293. *Nativitatem ejusdem.* Cito post de medio sublatus est Petrus; sedes enim vacabat anno 1294, die Veneris ante festum B. Vincentii. De eo sic habet sancti Petri Carnotensis necrologium: *XVI cal. Decembr. obiit magister Petrus Chaillou episcopus Silvanectensis, qui pro suo, patris ac matris anniversario dedit nobis tertiam partem conductionis domorum, quæ sunt Parisiis.* Jacet in choro ecclesiæ Caroliloci sub tumba lapidea cum epitaphio recentiori.

LXIV. GUIDO.

De Plailly

Canonicus ecclesiæ Silvanectensis an. 1287, die Lunæ post *Reminiscere* & 1293, die Lunæ post *Lætare* Guido, reperitur episcopus anno 1294, 1294. in tabulario Calensi. Circa id tempus latam a decessore contra matricularios B. Mariæ Silvanectensis de nocturna per semetipsos residentia renovavit sententiam. Anno 1297, ex Meyero, 1297. cum archiepiscopo Remensi missus est a rege Philippo Pulchro ad Guidonem Flandriæ comitem bellum indicturus, aut pacem. Idem una cum episcopo Constantiensi ad Rhenum de mandato summi pontificis permisit abbati & monachis sancti Dionysii, ut sui monasterii possessiones Allemanniam intra & Brabantiam sitas permutarent anno 1298, mense Aprili. Insequenti 1298. 1299, festo die Purificationis B. Mariæ Guido 1299. comitatus R. archiepiscopum Remensem primo Charta CXXXV. col. 480. capitulum Silvanectense visitantem, data schedula significavit nullum exinde capitulo deinceps illatum iri præjudicium. Nominavit anno eodem

ANNI CHRISTI

die Martis post Exaltationem sanctæ Crucis de A
assensu capituli rectorem scholarum Silvanecten-
sium Odardum de Monte-meliaco clericum in
artibus tantum licentiatum. Hic ille est G. Silva-
nectensis episcopus, quem rex Philippus cogno-
mento Pulcher contra Bonifacium VIII papam
defensurum se promisit anno 1300 die 15 Junii.
Charta Fundavit Guido capellaniam in ecclesia sua, cujus
CXXXVI. col. 480. proventus Ansellus *le Boutciller* morticinii jure
Marlot, t. 2. hist. metr. Rem pag. 598. donavit anno 1300 mense Septembri. Adfuit
synodo Compendiensi die Veneris post Circum-
cisionem Domini an. 1303, qui nunc 1304. Gui-
1304. doni Benedictus XI bulla data Perusii an. 1304
Reginald. hist. eccles. ad annum 1304. n. 29. XII cal. Julii, pontificatus anno 1, provinciam B
dedit, ut legata, ceterasque obventiones subsidio
Terræ sanctæ addicta, præter decimas conver-
teret ad imperium Constantinopolitanum com-
Charta parandum. Eodem anno, fundatam ab Adamo
CXXXVII. de Duxiaco in ecclesia cognomine capellaniam
col. 481. approbavit & ordinavit mense Julio. Clemens
Biblioth. regiæ inventar. pag. 289. Toulouse 18. fol. n. 13. V Burdegalæ inscripta bulla Guidoni episcopo
Silvanectensi & Meldensi præsuli, anno pontifi-
1305. catus 1, Christi 1305, potestatem fecit quæ-
cumque beneficia conferendi clericis a rege Phi-
Charta lippo Pulchro nominandis. Mense Julio anni
CXXXVIII. col. 482. ejusdem ordinationem capituli Silvaneꝺ. de qua-
dam ecclesiæ suæ capellania beneficio parochiali C
B. Mariæ certis conditionibus unienda confir-
1306. mavit. Adstitit anno 1306 translationi capitis
sancti Ludovici ad sacram capellam Parisiensem.
Sancita Pictavis pace inter Philippum Pulchrum
& Robertum Flandriæ comitem, Clemens V
1307. summus pontifex bulla data 2 Junii anno 1307
delegavit archiepiscopum Remensem & episco-
pum Silvanectensem cum abbate sancti Dionysii
ad excommunicandos Robertum, aliosque Flan-
drenses dominos, si pactis contradicerent. Ad-
fuit eodem anno Guido translationi corporis S.
Eligii episcopi Noviomensis in aliam capsam.
De eo sic habetur manu recentiori in necrologio D
B. M. Silvanect. *Orandum est pro R. P. D. ac D.*
Guidone de Plailliaco, quondam Silvanect. episcopo,
1308. *qui decessit anno 1308, die Jovis in translatione*
sancti Nicolai mense Maio (die 9), *de cujus bene-*
ficio in morte ipsius recepimus vestimenta pretiosa &
honesta, &c. Sic etiam ad hunc annum legitur
in diario Gallico domini *d'Arcuys* archidiaconi
in ecclesia Laudunensi, qui fuerat præceptor regis
Philippi Pulchri, cujus diarii authenticum ser-
vatur in bibliotheca sanctæ Genovefæ Parisiensis:
** L. S. Nicolas.* *L'an 1308, le jeudy au jour de S. Michel* d'été*
le 9 jour de May trepassa l'évesque Gui de Senlis,
qui est devant le maitre autel de l'eglise de Senlis E
a qui Dieu fasse pardon. Sane Guido dicitur *bonæ*
memoriæ episcopus anno 1308 die Veneris post
Ramos Palmarum, qui nunc annus 1309 in
Ch. CXL. col. 483. charta officialis Silvanectensis de capellania fun-
data in ecclesia B. Mariæ, ex qua discimus Gui-
doni fuisse germanum Philippum *de Barbery* ar-
migerum de Plailliaco, qui bona emerat ad fun-
dandam in ecclesia Silvanect. capellaniam, quam
juxta ordinationem Philippi fratris sui defuncti
fundavit Guido superstes, & post obitum Gui-
donis approbavere Johannes & Petrus *de Barbery*

filii Philippi & Guidonis nepotes. Quo defuncto,
episcopatus Silvanectensis sub regali jure fuit a
die 10 Maii 1308, ad 25 Augusti per dies
108. Fallit proinde continuator Nangiani chro- *Spicil. t. 11. p. 652.*
nici, quum scribit mortuum Guidonem anno
1313, interpretatus haud dubie literam G. quam
nudam invenit, de Guidone loco Guillelmi. De
illo sic adhuc habet necrologium sancti Fram-
baldi Silvanect. *Septimo idus Maii obiit bonæ*
memoriæ dominus Guido de Plailliaco Silvanect.
episcopus, qui nobis dedit octo libras pro obitu suo
singulis annis faciendo. Denique sancti Reguli
calendarium ad VII idus Maii: *Eodem die obitus*
reverendi in Christo patris & D. domini Guidonis
de Plailliaco episcopi Silvanect. &c. Et dedit huic
ecclesiæ vestimenta indea & psa cum cappa hujus-
modi coloris.

LXV. GUILLELMUS I. (De Berrone.)

Ex canonico primum, tum decano Silvane-
ctensi episcopus electus Guillelmus confirmatur
a Roberto Remensi archiepiscopo; statimque
Silvanectenses canonici Johannem de Petrafonte
decanum electum miserunt Remos cum Johanne Charta CXXXIX. col. 482.
de Berrone & Stephano de Bousseio concano-
nicis, qui præsentarent electum episcopum, ut
a capitulo Remensi confirmaretur, anno 1308,
die Martis post festum B. Lucæ. Sacram Guil-
lelmus accepit unctionem anno 1309, quo pe- 1309.
pigit die Dominica post Ascensionem cum ma-
jore & juratis communiæ Silvanectensis de clau-
sura pratorum suorum. Concordiam initam pro
justitia villæ de Basochiis inter Carolum regis
Franciæ filium, Valesiæ comitem & capitulum
Silvanectensis ecclesiæ laudavit an. 1310 mense
Junio; eodemque, die festo sancti Remigii non- 1310.
nullas pecuniæ summas recepit a rege. Hoc ipso
anno Silvanecti celebratum fuit concilium per
archiepiscopum Remensem cum decem suffraga-
neis, quos inter G. Silvanectensis episcopus,
inibique Templarii * quidam damnati sunt & ** Novem ex historia eccl. D. Fleury, l. 19. p. 176.*
per secularem curiam concremati. Circa id tem-
pus, chartam dedit Guillelmus de decimis villæ
de Montibus datis ecclesiis de Plesseio & de Cha-
mento. Anno 1311 feria V post festum Puri-
ficationis B. Mariæ, qui nunc annus 1312, ba- 1312.
ronem Dammartini misit in possessionem domus
apud Silvanectum sitæ. In charta ejusdem anni
Guidonem vocat antecessorem Guillelmus, qui
ratam habuit eodem, feria IV post festum sancti
Martini æstivalis factam matriculariis parochiæ
sanctæ Genovefæ Silvanect. a Johanne abbate
sancti Vincentii areæ cujusdam venditionem ad
cœmeterium amplificandum, quam rex Ludo-
vicus X probavit, & jure morticinii donavit
literis datis apud Vicennas anno 1314, mense
Februario, hoc est 1315, in quibus legitur *bonæ*
memoriæ G. dudum Silvanectensis episcopus. Nimi-
rum obierat Guillelmus anno 1313, juxta men- 1313.
tem continuatoris Nangiani. Certe ad hunc an- *Spicil. t. 11. pag. 652.*
num pervenit, seu ad annum 1312 die Lunæ
post Dominicam *Oculi mei*, qui nunc annus
1313, quo potestatem fecit officiali suo, ut
præter causas quæ competunt officiali, valeret

etiam de quibuscumque subditorum excessibus A
tam in civitate, quam in tota dioecesi inquirere, corrigere & punire poena debita, quin & beneficiatos a beneficiis amovere. De Guillelmo sic legitur manu recentiore in necrologio B. Mariæ Silvanectensis ad IV cal. Aprilis: *Eodem die debet celebrari anniversarium pro magistro Johanne de Villa ..... In hoc anniversario orandum est pro reverendis patribus Petro* Quaillou *& Guillelmo* de Berrone *quondam episcopis Silvanectensibus.*

BARRIERE.

LXVI. PETRUS III.

Confirmatur Petrus episcopus Silvanect. *per obitum Guillelmi* a Clemente V summo pontifice, B
qui & illum regi commendat anno pontificatus
1314. nono, hic est 1313 aut 1314, quo ultimo, die 5 novembris Petrus electus & confirmatus Silvanectensis capellaniam in ecclesia sancti Thomæ de Crispeio contulit Thomæ de Porta. Jam autem hoc ipso anno die Lunæ post inventionem sancti Stephani P. Silvanect. electus & confirmatus una cum Roberto Remensi archiepiscopo & Egidio abbate sancti Dionysii promulgaverat sententiam excommunicationis in Flandrenses populos; qui rursus cum iisdem archiepiscopo & abbate, tanquam Belgicæ conventionis a papa Clemente V nominatus exsecutor, die 12 mensis C
1315. Nov. an. 1315 ea de re visa, auditaque in acta retulit. Cum Thoma de Morfontanis a rege deputatus est super reformatione in senescallia Lug-
1316. dunensi & in ballivia Matisconensi 1 Julii 1316.
1317. Consuetum anno 1317 die 1 Novembris juramentum præstitit ecclesiæ Silvanectensi, cujus libertates & consuetudines antiquas & approbatas servaturum se promisit in suburbio Villæ Sil-
Marlot, hist. metrop. Rem. tom. 2. pag. 605. vanectensis ante portam sancti Reguli. Concilium provinciæ indictum est Silvanecti eodem anno 1317, cui Petrus interfuit. Anno 1318,
1318. procuratorem instituit Theobaldum cum Radulfo *Maquerel* ad petendam & recipiendam a thesau- D
rario Ruthenensi pecuniam ex debita sibi summa 1974 librarum & octodecim parvorum denariorum Turonensium, quam illi rex solvi præceperat super exitibus & proventibus senescalliæ Ruthenensis. Et certe alter ipsius frater N. *Barriere* procuratorio nomine se mille libras parvorum nigrorum e præfata summa recepisse a Johanne de Fonte locum tenente Ruthenensis thesaurarii agnovit literis datis in Villa-franca die
1319. 16 Junii 1319. Eodem anno die Veneris ante festum sancti Martini hiemalis Remensi capitulo sacramentum dixit, ac die 24 Januar. 1321,
1322. modo 1322, cameræ apostolicæ promisit. Hoc E
autem anno die Veneris post octavas festi sancti Martini hiemalis, capellam fundatam in ecclesia B. Mariæ Silvanect. morticinii jure donavit. In-
1323. terfuit anno 1323, pactis matrimonialibus inter
Hist. Franc. R. P. Daniel Societ. Jesu presb. tom 2. pag. 440. & 443. Carolum Calabriæ ducem filium Roberti regis Jerusalem & Siciliæ, ac Mariam filiam Caroli Valesiæ comitis. Die Martis post festum Annunciationis Dominicæ an. 1325, qui nunc 1326,
1326. fundatas duas in ecclesia Silvanect. capellanias
Marlot, hist. metrop. Rem. tom. 2. pag. 613. morticinii jure donavit. Sedit hoc anno in concilio Silvanectensi; & die Mercurii post festum sancti Petri ad vincula memoratur in tabulario sancti Frambaldi, ac die Martis post festum Assumtionis B. Mariæ in tabulario sancti Reguli. Biennio post 1328, precibus decani & capituli 1328.
sancti Thomæ de Crispeio annualia præbendarum vacantium, ad reparandam ecclesiam, per 20 annos concessit. Tornacum se contulit, jubente Philippo Valesio rege, ad excommunicandos Belgas comiti suo rebelles anno 1329, eosdem- 1329.
que paulo post ad obedientiam revocatos, cum archiepiscopo Rem. solvit ab interdicto. Datum est hoc anno die 16 Febr. id est 1330 senatus- 1330.
consultum pro communia Silvanectensi abro- Ch. CXLII. col. 485.
ganda. Occurrit anno 1332 in chartis Caroli- 1332.
loci Petrus, qui cognominatus *de Barriere* reperitur anno 1333, indictione 1, die Sabbati 6 1333.
Novembris, præsulatus 18, in tabulario sancti Reguli. Insequenti 1334, die 9 Aprilis de con- 1334.
troversia inter se mota & capitulum Silvanect. super collatione duarum capellarum *de Borest* compromissum fecit. Eodem anno die Dominica post festum sancti Martini æstivalis jus decani & capituli Silvanect. de non admittendo in chorum Ch. CXLIII. col. 486.
ecclesiæ suæ scholarum rectore, nisi magister in artibus esset, recognovit. Obiit Petrus die Dominica ante festum omnium Sanctorum 1334, in prioratu sancti Nicolai de Aciaco secus Silvanectum, ut constat ex instrumento electionis Ch. CXLIV. col. 486.
sequentis, & ex epistola decani & capituli Silvanect. ad Johannem archiepiscopum Remensem de re eadem. Defunctus Petrus sepultus est die Ch. CXLV. col. 486.
10 Novembris in ecclesia Caroliloci.

LXVII. VEDASTUS.

DE VILLARIBUS.

Post sepultum Petrum, die 10 Novembris, canonici Silvanectenses petita a Philippo rege eligendi licentia, ad electionem præfixerunt diem Jovis in octavis Conceptionis B. Mariæ; elegerunt autem Vedastum *de Villaribus*, qui jam animarum curam gesserat, & archidiaconus hac diu in ecclesia fuerat; quem a Roberto de Vienna electi Remensis commissario confirmatum Remos miserunt cum procuratoribus suis, qui eum capitulo Remensi præsentarent, & consecrationis munus pro eo peterent, primo 13 Martii, qua die repulsam passi videntur, ex regestis capituli Silvanectensis, tum die Veneris ante Annunciationem 1335. Confirmatus autem a capitulo 1335.
Remensi Vedastus die 1 Aprilis, postridie con- Ch. CXLVI. col. 487.
suetum eidem sacramentum exhibuit, & ecclesiæ Charta CXLVII. col. 487.
Silvanectensi 9 Aprilis die Dominica in Ramis
Palmarum. Anno eodem die 12 mensis Augusti Charta CXLVIII. col. 489.
magnarum rectorem scholarum instituit Petrum de Braisilva, eumque a capitulo in choro eccle- Ch. CXLIX. col. 489.
siæ suæ recipi postulavit, quamvis in artium scientia licentiatus non existeret. Condidit eo- Chart. CL. col. 490.
dem anno die Veneris post festum B. Luciæ Virginis testamentum, quo sepulturam elegit in ecclesia Caroliloci intra tumulum Petri decessoris. Biennio post 1337, hebdomada quarta post 1337.
Pascha, die scilicet Sabbati post Dominicam *Cantate*, ecclesiæ B. Mariæ Silvanectensis capellaniam dote adauctam morticinii jure donavit. Eodem anno, *Aliqui Flandrenses, maxime illi de*

ANNI CHRISTI

Spicil. t. 11. p. 773.

Gandavo contra regem Franciæ, ac contra comitem Flandriæ rebellare nisi sunt, sed auctoritate summi pontificis per episcopum Silvanectensem & abbatem sancti Remigii excommunicati, repressi sunt. Hunc annum haud excessit Vedastus, de quo necrologium B. Mariæ Silvaneсt. ad II calendas Junii, & calendarium sancti Reguli ad II calendas Augusti.

De Villa-ribus.

LXVIII. Stephanus

Ch. CXLI. col. 484.

Cantor Montis-Brisonis & clericus regis Stephanus anno 1325 a rege Carolo Pulchro delegatus est ad plura negotia tractanda in balliviis Silvanecti & Gisortii. Succentor & canonicus ecclesiæ Silvanect. cum aliis arbiter electus est tam ab episcopo Petro, quam a capitulo Silvanectensi discordiæ inter episcopum & capitulum motæ pro collatione duarum capellarum *de Borest* anno 1334 die 9 Aprilis. Demum factus episcopus Silvanectensis anno 1337, Dominica die post festum B. Matthæi apostoli, consuetum Remensi capitulo sacramentum dixit, & ecclesiæ Silvanectensi die Sabbati in festo omnium Sanctorum. Brevi tempore Stephanus sedit, qui successorem habebat anno saltem 1339.

De Plailly.

LXIX. Robertus IV.

Ch. CXLVI. col. 487.

Silvanectensis ecclesiæ decanus Robertus anno 1326 die 23 Febr. abbati sancti Dionysii se clientelari jure obstrictum profitetur. Decanus adhuc 1335 cum aliis canonicis Silvanectensis ecclesiæ procurator constitutus præsentavit 1 Aprilis capitulo Remensi Vedastum electum Silvanectensem. Electus ipse & confirmatus Robertus adversarium passus est procuratorem capituli Remensis, qui consecrationi ejus extra provinciam faciendæ, scilicet ad sanctam Genovefam Parisiensem, & donec ab ipsis confirmaretur, in-
1339. tercessit 8 Augusti 1339, quique G. Bajocensem episcopum ab illo consecrando deterruit. Robertus vero primo causari ignorantiam eorum ad quæ tenebatur; dein Flandria reversus (sane post consecrationem suam) datis capitulo Remensi die Jovis post festum sanctorum Crispini & Crispiniani literis, excusat se quod promissis non steterit ob multiplicia regis & sua negotia, tempus professionis faciendæ Remis indicit mensem Maium proxime futurum. Literæ infra excusæ,[a] datæ videntur anno 1340. Interim Robertus episcopus anno 1339 die 17 Aug. pactum iniit cum decano & capitulo super correctione suorum macicotorum & subditorum, ac super collatione capellaniarum, quod ratum habuit Jo-

A hannes archiepiscopus Remensis. Anno eodem die Sabbati post festum omnium Sanctorum fundatam in ecclesia de Borreto capellaniam contulit parocho ejusdem ecclesiæ. Anno 1341 die 13 Aprilis Remensi capitulo debitam fidem juravit. 1341. Eodem anno, conservator privilegiorum Universitatis Paris. bullam Benedicti XII publicavit, qua vetitum erat, ne Silvanectenses episcopi aut eorum vices gerentes, uterentur deinceps privilegiis, quorum erant conservatores, ultra formam in eisdem contentam. Laudavit eodem, 4 Septembr. factam compositionem B inter decanum ecclesiæ Silvanect. & abbatem conventumque sancti Vincentii Silvanect. Insequenti 1342 die 5 Augusti quartam partem 1342. valoris beneficiorum diœcesis Silvanect. ad collationem tam episcopi, quam capituli pertinentium, consentiente capitulo, & confirmante Johanne archiepiscopo Remensi, assignavit ad usum fabricæ Silvanectensis ecclesiæ. Nonnulla cessit duobus capellanis perpetuis ecclesiæ Silvanectensis anno 1343 die Dominica qua cantatur *Isti sunt dies.* 1343. Convenit anno 1344, ad synodum 1344. C Noviomensem totius provinciæ Remensis. Denique Robertum lego fuisse aliquando negotiis vicecomitatus Parisiensis a rege præfectum. De illo sic habet manu recentiori necrologium Silvanectensis ecclesiæ ad VI cal. Septembr. *Eodem die obiit bonæ memoriæ D. Robertus de Plailliaco istius civitatis episcopus anno 1344, de cujus beneficio habuimus centum libras Parisienses, de quibus posuimus 40 libras in emtionem sex arpentorum terræ in territorio de Hermenovilla emtas a Johanne Bertrandi. Item pro aliis 60 libris ..... in quo anniversario habebunt matricularii seu campanarii* D *pro pulsando solenniter tam in vigiliis, quam in missa 4 solidos. Et debet officium per canonicos fieri solenniter in majori altari.*

Tom. 4. hist. Univers. Paris. pag. 270.

Marlot, hist. metrop. Rem. t. 2. pag. 625.

De Cros.

LXX. Petrus IV.

Ex decano Parisiensi Petrus factus episcopus Silvanectensis per obitum Roberti, a Clemente VI confirmatur & regi commendatur bulla data pridie cal. Septembr. pontificatus anno tertio 1344. In rubricis ejusdem pontificis alia legitur bulla data similiter per obitum Roberti, V idus Septembr. anno tertio Clementis VI. Petrus autem electus promisit die 27 Septembr. ejus-E dem anni, solvitque 23 Decembr. 1345 ex 1345. regestis Vaticani. Eodem anno ecclesiam suam solenniter ingressus est die Dominica mense Jun. scribente D. *Deslions*: alibi tamen, in charta scilicet CLI appendicis nostræ, col. 493, quam

[a] *Venerabilibus & discretis viris dominis & amicis suis carissimis, præposito, decano, cantori & capitulo Remensis ecclesiæ.*

CArissimi domini & specialiter amici, quum ad vos ecclesiamque vestram causa professionis faciendæ ibidem cum reverentia, ut tenemur, nequiverimus, multiplicibus, arduis & inevitabilibus domini regis negotiis & nostris de die in diem incumbentibus & succedentibus, sine gravi dispendio & ejusdem regis insanabili offensa, & aliis quamplurimis, quæ longum esset enarrare, non valuerimus prospere dirigere gressus nostros, nec adhuc commode possimus, licet illud idem toto desiderio cordis nostri desideravimus & etiam affectamus, si facultas esset socia voluntatis; Et quia, carissimi, excusatio incusationem non patitur, quam bona ratio comitatur, nec habet legem necessitas, neque incusat impotentia, sed voluntas; igitur non habeat pro malo, nec grave reputet vestra peramabilis, circumspecta ac dominatio gloriosa, si promissa facere prætermisimus, ac, ut præmittitur, facere nequivimus ullo modo, sed potius nostram hujusmodi impotentiam attendendo, cum laudabili gratia nos super hoc habeat excusatos, habentes pro firmo & stabili quod intra mensem Maii proximo & immediate secuturum apud vos & eamdem vestram ecclesiam cum reverentia, qua decebit, auctore Domino, personaliter intererimus, & tunc ibidem nos facturos promittimus quæcumque ex parte nostra facienda fuerint & consona rationi. Et in signum hujus, nostras vobis literas obligationis aptas & nostro sigillo sigillatas transmittimus in testimonium præmissorum. Valeatis, ut optamus, omnes & singuli in eo qui est omnium vera salus. Scriptum apud Montes domum nostram in regressu nostro Flandriæ die Jovis post festum beatorum Crispini & Crispiniani.

ANNI CHRISTI

dedit Petrus capitulo, propterea quod inscius non A
ante portam civitatis dictam *S. Reguli*, ut anti-
quus erat mos, sed in porticu Silvanectensis
ecclesiæ sacramentum eidem capitulo dixisset,
scriptum legitur: *Nosque die prædicti nostri adven-
tus, videlicet Dominica die quinta-decima mensis
& anni infra scriptorum ...... Datum anno Do-
mini 1345 die Mercurii in festo S. Pauli*; quod
quidem hoc anno incidebat in diem Mercurii:
ergo etiam ingressus ille factus est eodem anno
1345 & mense Junio, non tamen Dominica,
die quinta-decima, sed quinta simpliciter, in
quam incidebat Dominica III post Pentecosten.
Primus est episcopus Silvanectensis, qui se dixe- B
rit *sedis apostolicæ gratia* episcopum. Fit anno
1346. sequenti 1346 a Clemente VI conservator cu-
Tom. 4. hist. Univers. Par. p. 196. jusdam privilegii pro Universitate Paris. Anno
1347 die 15 Octobris de jurisdictione spirituali
1347. episcopus & capitulum disceptantes arbitros di-
xere, Petrus quidem Raimundum Bernardi ar-
chidiaconum Bononiensem, capitulum vero Jo-
hannem de Sinemino canonicum Parisiensem,
& uterque tertium Johannem *d'Hubault* cameræ
inquisitionum in curia Parisiensi præsidem, quos
1348. iterum renovarunt anno 1348 die 3 mensis
Septembris. Fuit inde Petrus episcopus Autissio-
1349. dorensis anno exeunte 1349, ac demum cardina- C
lis creatus die Veneris 17 Decembris 1350.

LXXI. DIONYSIUS I.

LE GRAND.

Johanni Franciæ regi a confessionibus Dio-
nysius ad ecclesiam Silvanectensem promotus,
1350. cameræ apostolicæ promisit 28 Januar. 1350,
ex regestis Vaticani. Eodem anno Dionysius *Dei
& sanctæ sedis apostolicæ gratia ordinatus & con-
secratus Silvanectensis episcopus* Remensi capitulo
sacramentum dixit Sabbato ante festum sancti
Matthæi apostoli. Anno adhuc eodem, conce-
dente Dionysio, jurisdictio spiritualis tam acriter
hactenus controversa capitulum inter & episco- D
pum, capitulo cessit sententia præpositi Silvane-
ctensis lata die Sabbati ante festum sancti Martini
æstivalis. Vita functus est Dionysius mense Mar-
1351. tio anni 1351, ex regestis cameræ rationum
Ch. CLIII. col. 496. Parisiensis. Biennio post datæ sunt ab Humberto
Remensi archiepiscopo literæ ad exsecutores te-
stamenti Dionysii, die 22 Junii 1353, ut de-
bitam Remensi ecclesiæ a singulis provinciæ
episcopis cappam, quam non obtulerat Diony-
sius, sufficerent.

LXXII. PETRUS V.

DE TRIGNY.

Ortus ex illustri familia, quæ florebat adhuc E
anno 1672 in pago de Triniaco sex circiter ab
Autissiodoro leucis, Petrus ordinem Dominica-
norum ingressus in conventu Autissiodorensi,
inde regi a confessionibus, electus est episcopus
Silvanectensis anno 1351, ut constat ex codice
expensi senescalliæ Occitaniæ, in quo sic legitur:
Frater Petrus confessor domini regis electus episcopus
de Sanlis *pro bullis dicti episcopatus redimendis,
pro denariis mandato D. regis & ejus thesaurarii
traditis dicta occasione, videlicet Johanni de Fran-
cizio cavaliatori D. regis, per ejus literas recogni-
tionis datas XXI Maii MCCCLI procurandis per
D. regem in XL floren. auri, & per literas dom.
Gaufridi abbatis de Cultura* du Mans *datas XIV
Julii LXXX floren. &c.* Anno 1352 die Jovis
in vigilia festi ad cathedram, hoc est anno 1353. 1353.
nonnulla constituit Petrus circa magnas & parvas
utriusque sexus scholas Silvanectenses. Statuta
videsis in appendice. Memoratur adhuc anno Ch. CLII. col. 494.
1355 die Martis in vigilia sancti Johannis-Ba- 1355.
ptistæ. Sed annô sequenti 1356, vivere desiit, 1356.
ut discimus ex codice MS. nunc in bibliotheca
sanctæ Genovefæ Parisiensis asservato, cujus folio
I legitur: *Istud pontificale est ecclesiæ Silvanecten-
sis, quod dedit bonæ memoriæ R. pater dominus
Petrus de Trigniaco episcopus Silvanectensis, qui
obiit anno Domini 1356 de mense Aprilis.* Se- *Hist. Tutelensis, lib. 3. p. 219.*
pultus est ex Baluzio in ecclesia fratrum Præ-
dicatorum Autissiodorensium prope majus altare,
quod construxerat & pluribus ditaverat jocalibus.
In codice vero MS. ejusdem conventus hæc le-
guntur: *Frater Petrus de Triniaco, qui fuit con-
fessor duorum regum Franciæ, postea factus est epi-
scopus Silvanectensis, qui construi fecit majus altare
hujus conventus, & jocalia plurima contulit, & apud
principes & barones procuravit, tandemque in sene-
ctute bona obdormivit in Domino, sepultusque est
gloriose juxta magnum altare, cujus sepultura indicat
cujus vitæ & doctrinæ ipse in vita fuerit circa 1434.
Fuit sexagesimus sextus episcopus Silvanectensis.*
Quantum a vero aberraverit codicis scriptor,
probat charta fundationis capellaniæ sanctæ Annæ
in ecclesia Silvanectensi 4 Novemb. 1359, in
qua recensentur bona a Petro de Trigniaco quon-
dam episcopo Silvanectensi morticinii jure donata.

LXXIII. ADAM II.

DE NEMOURS.

Petro successit Adam de Nemosio dictus,
ejusdem ordinis conventus Senonensis alumnus,
aliis præpositus generalis & Johanni regi a con-
fessionibus. Electus & confirmatus Silvanectensis
mense Julio anno 1356 pensionem annuam ac-
cepit super patrimonio regio in senescallia Belli-
cadri, ex regestis cameræ rationum Parisiensis.
Anno 1357, solvit apostolicæ cameræ diebus 1357.
27 Junii & 23 Decembris, ex regestis Vaticani.
Occurrit Adam 23 Julii 1363, qui die 15 1363.
Januar. 1364, modo 1365, scripsit literas de 1365.
capellania fundata in ecclesia sancti Reguli a Ga-
lerano de Murato. Obedientiam spopondit eccle-
siæ Remensi 16 Octobris 1365. Anno sequenti 1366.
27 Aprilis ex duabus parochiis, de Plesseio
Choiselli & Chamento ob exiguitatem redituum,
de consensu capituli utriusque patroni unam effe-
cit Chamentum. Anno 1368 die 9 Maii exa-
ctor & collector tam in civitate, quam in tota Ch. CLIV. col. 496.
diœcesi decimæ biennalis regi Carolo V ab Ur-
bano papa V indultæ, capitulum suum exemit
a solutione termini Paschæ. Ecclesiæ sancti Re-
guli anno 1369, die 5 Octobris thesaurarii 1369.
reditus univit. Exstat in tabulario urbis Silvane-
ctensis Adami charta data 1374, in vigilia S. 1374.
Johan. Bapt. Laudatur adhuc anno 1377, diebus 1377.
3 & 9 mensis Novembris; verum ad quem
postea superstes in episcopatu vixerit annum,
ignoratur.

ANNI CHRISTI

ignoratur. Certe tamen obierat die 5 Februarii A
Ch. CLV. col. 497. 1380, qui nunc 1381, quo anno *bonæ memoriæ quondam Silvanectensis episcopus* appellatur in charta Richardi Remensis archiepiscopi bonorum Adæ factam dispositionem approbantis. Quin immo jam anno 1379, desierat, ut mox videbimus. De Adamo sic necrologium sancti Frambaldi: *XI cal. Decembris obiit bonæ memoriæ dominus Adam* de Nemou *quondam episcopus Silvanect. qui dedit nobis decem solidos capiendos super quamdam vineam apud Montes coram ecclesia dictæ villæ.* Hunc ipsum diem habet necrologium de Valle; calendarium vero sancti Reguli XV cal. Decembris.

LXXIV. Martinus.

Hucusque ignotus Martinus innotescit ex regestis Vaticani, ubi de successore legitur: *Promisit Petrus & recognovit pro Martino decessore 28 Novembris 1379.*

LXXV. Petrus VI.

De Prouvenville.

Canonicus sancti Quintini Veromanduensis Petrus, tum Franciæ eleemosynarius, germano suo Hugoni militi, aquis & silvis præfecto, in carcere incluso debitorum 7000 aureorum veniam a rege obtinuit 2 Febr. 1376, qui nunc
1377. Biennio post factus episcopus Silvanect. C promisit & recognovit pro Martino decessore
1379. 28 Novembris 1379; & præbendam suam Veromanduensem cessit in gratiam Jacobi nepotis ex fratre.

LXXVI. Johannes I.

Dodieu.

Deodatus pluribus in chartis ab anno 1380 ad 1392 cognominatus Johannes, magister in theologia, regique ab eleemosynis, vacantem ecclesiam Silvanectensem regendam suscepit an.
1380. 1380, quo pro tertia reditus parte, quem episcopus Silvanectensis percipere singulis annis solebat, viginti septem libras, solidos quatuor, D decemque denarios pro mensibus Martio, Aprili, Maio & Junio proxime elapsis recepit ex chartis authenticis D. *de Gaignières*, ubi adhuc reperitur die 4 Augusti 1384. Inter hæc Johannes anno 1380 die 28 Aprilis Remensi capitulo
1381. fidem juravit, & anno 1381 ad idem capitulum misit cappam debitam. Promisit 19 Augusti
1383. 1383 ex regestis Vaticani. Eodem anno 14 Septembris, postridie iturus processionaliter ad ecclesiam Carolilocensem ex mandato regis, scripto significavit monachis, nolle se quidquid illi erga ipsum præstarent, ullum eis, ut pote exemtis præjudicium generare in posterum, aut E eorum privilegiis quoquomodo adversari. Inter-
1392. fuit anno 1392 translationi corporis sancti Lu-
1394. dovici. Adstitit biennio post 1394 Parisiensi concilio adversus Petrum de Luna, seu Benedictum XIII antipapam; cumque Pictaviensi & Atrebatensi præsulibus famosæ illius principum regii sanguinis institutæ a rege Carolo ad eumdem pseudopontificem legationis circa 1395, *Hist. Franc. R. P. Daniel tom. 2. col. 816.*
1398. comes adscitus fuit; censuitque anno 1398 ab obedientia ejusdem Benedicti XIII faciendam esse subtractionem. Anno eodem pueris chori Ch. CLVI. col. 497.

ANNI CHRISTI

addixit unam præbendam. Facta est hoc anno 17 Februarii, id est 1399, bonorum episcopatus recensio a Johanne, qui cum Petro *Basin* aliisque testamenti reginæ Blanchæ exsecutoribus viginti libras annui reditus die 26 Febr. anno *Arcas en rouleau, case 113.*
1399, hoc est 1400, Narbonensi capitulo constituit pro solenni ejusdem reginæ anniversario 140
die 2 Junii, & pro missa privata singulis Sabbatis pro eadem, Philippo rege sponso ejus & Johanna eorum filia. Hoc autem circiter anno in Siciliam legatus fuit episcopus Silvanectensis. Denique obiit Johannes anno 1409, die Dominica in festo Nativitatis B. Mariæ, sepultusque B est feria tertia sequenti. *Formul. pænitentiæ sub Bened. XIII, p. 43.*

LXXVII. Petrus VII.

Plaoul.

Postero exequiarum Johannis die Mercurii post Nativitatem B. Mariæ successorem eligendum indixerunt canonici ad feriam VI post festum B. Martini; sed electionem prævertit summus pontifex, nominato Petro 2 Octobris 1409, *per mortem possessoris*, ex regestis Vaticani. Petrus autem, quem Leodiensem patria, Picardum alii tradunt, sacræ paginæ professor eximius, Parisiensis procancellarius 1385, domus Sorbonæ provisor, canonicus Parisiensis & Silvanectensis C annis 1387 & 1393, in Parisiensi concilio anno 1398, omnimodam ab obedientia Benedicti XIII subtractionem fortiter defenderat; dein a rege missus ad Leodienses anno 1399, & post, anno 1408 ad Gregorium & Benedictum de pontificatu contendentes, concilio Pisano interfuit anno 1409, ibique in sessione 13 die Mercurii 29 Maii ascenso pulpito, dixit opinionem Universitatis Parisiensis esse, duos contendentes esse schismaticos & hæreticos. Eodem anno Alexander V Pisis adhuc existens creavit Petrum Silvanectensem episcopum die 2 Octobris, qui eum Pistorii secutus, ubi tunc curia Romana D residebat, memoratur 19 Novembr. in regestis Vaticani. Regius adhuc erat apud summum pontificem orator ineunte anno 1410, ex regestis 1410.
cameræ rationum, quum Petrus *Cauchon* die Ch. CLVI
Martis 28 Jan. ejus nomine Silvanectensis ecclesiæ possessionem apprehendit, qui hac die col. 499.
capitulo exhibuit *procuratorium*, & literas apostolicas, VI nonas Octob. datas, quas canonici reverenter receperunt; quumque jurasset procurator de observandis juribus & libertatibus ecclesiæ, statim illi tradita fuere sigilla curiæ. Eodem anno missus est Petrus cum Alamanno Ademari Pisano archiepiscopo a Johanne XXIII ad Universita-
E tem Parisiensem, quæ eos audivit die 13 No- Ch. CLVII.
vembris. Indultum ei est die 16 Decembris a col. 498.
capitulo, ut calceatus urbem & ecclesiam intraret, ob infirmam valetudinem. Biennio post
1412 die 1 Octobris jus cappæ debitum Re- 1412.
mensi ecclesiæ recognovit. Anno 1414 die 12 1414.
Augusti obnoxium se confitetur certis pecuniæ Ch. CLIX.
distributionibus, quando celebrat in pontificali- col. 499.
bus in ara principe Silvanectensis ecclesiæ. E Ch. CLX.
vivis excessit Petrus XI Aprilis 1415, sepultus col. 499. 1415.
Parisiis in æde sancti Marcelli juxta Petrum Lombardum episcopum Parisiensem, ut legitur

ANNI CHRISTI

Ch. CLXI. col. 499. in codice bibliorum MSS. 323, quem legavit Sorbonæ. Eodem anno die prima Julii senatusconsulto damnati sunt testamenti Petri executores ad solvendam quam promiserat Remensi ecclesiæ cappam. Exstant in bibliotheca sancti Victoris Parisiensis duæ Petri orationes MSS. pronunciatæ anno 1406, in cœtu magnatum Franciæ ex parte Universitatis Parisiensis. Scripsit quoque commentarium in sententias MS. in bibliotheca regia.

DACHERY.

LXXVIII. JOHANNES II.

Petro defuncto, dux Aquitanorum delphinus scriptis ad cives Silvanectenses literis anno 1415, Richardum *de Coucy* eleemosynarium suum commendavit; at summus pontifex literis Friburgi in diœcesi Constantiensi datis VI idus Maii Johannem episcopum Silvanectensem dixit. Erat is fortasse frater aut filius Johannis de Acheriis, quem Carolus VI rex nobilitate donavit anno 1389 mense Januario. Magister in theologia, & canonicus Noviomensis, ab Universitate Parisiensi ad concilium Constantiense nuncius cum aliis missus est anno 1414, quo nomine Johannem XXIII apud Constantiam salutavit & concilio interfuit anno 1415, quo factus episcopus 10 Maii, ut diximus, electus adhuc dicitur 14 Junii in regestis Vaticani, cujus mensis ultima die possessionem ecclesiæ suæ per canonicum procuratorem adeptus est. Delegatus est a concilio cum patriarcha Constantinopolitano mense Octobri ad cognoscendum de hæresibus, quæ grassabantur in Bohemia & Moravia, eodemque ibidem adstitit cœtui nationis Gallicanæ habito super materia annatarum, & sententiam pro Universitate Parisiensi dixit. Anno 1416, ut *ambassiator* Universitatis Paris. acta concilii approbavit die 4 Februarii. Inde redux monitorium dedit die Jovis 27 Augusti ad habendam revelationem bonorum & documentorum episcopatus Silvanectensis. Jus cappæ recognovit ecclesiæ Remensi 26 Martii 1416 ante Pascha, seu 1417. Insequenti 1418 die Veneris prima Aprilis adiit parlamentum cum cardinali duce Barri, &c. Anno eodem Johannes ignotus Sammarthanis, non decessor Petrus, ut ipsi volunt, die 12 Junii crudeliter occubuit in seditione furiosa illa per factiosos Burgundiones Parisiis excitata, & indignissima cæde, qua constabularius Franciæ Bernardus comes Armaniacensis, Henricus de Marla Franciæ cancellarius, episcopus Constantiensis, & alii nobiles trucidati sunt in carcere parvi, ut vocant, Castelleti. Johannes Juvenalis *des Ursins* in historia regis Caroli Sexti refert exangue præsulis hujusce cadaver per corrigiam tota urbe circumductum & tractum, expositumque feris. De hac immani strage pluribus agunt Monstreletus & laudatus Johannes *des Ursins*, qui nostrum episcopum tacito nomine, *doctorem nominatum*, hoc est, celebrem fuisse scribit.

Margin notes: Tom. 5. Universit. Paris. pag. 275. — Tom. 12. concil. col. 170 & 185. — Tom. 2. anecdot. col. 1551 & 1559. — 1416. — 1417. — 1428.

DE CHISSEY.

LXXIX. PETRUS VIII.

Omissus quoque a Sammarthanis Cluniacensis ordinis monachus Petrus, via Spiritus Sancti electus est die 23 Junii 1418, inquit Baluzius in notis ad veterem Galliam Christianam, ubi decretum ejus electionis laudat. Et certe hoc ipso anno die 9 Julii Petrus a Roberto Cluniacensi abbate obtinuit facultatem episcopatum Silvanectensem acceptandi. Eodem anno *Petrus monachus cœnobii Cluniacensis electus a capitulo Silvanectensi per obitum Johannis confirmatur a Martino V bulla Florentiæ data VIII idus Septembris anno 2*, ex regestis Vaticani. Petri data legitur charta 7 Julii 1420, in tabulario B. M. de Victoria, cujus electum abbatem Johannem *Sallé* confirmavit 12 Junii 1422. Decessit eodem anno die 23 Novembris, ex regestis capituli B. Mariæ, & die Veneris post sanctam Catharinam indicta est electio ad posterum Epiphaniæ diem.

ANNI CHRISTI — Ch. LIV. col. 238. — 1420. — 1422.

LXXX. JOHANNES III.

FOUQUEREL.

Oriundus e diœcesi Bellovacensi Johannes, magister collegii Choletorum Parisiis, in sacra pagina professor, canonicus & succentor ecclesiarum Bellovacensis & Silvanectensis, hujusce electus episcopus, a Martino V confirmatur secundo idus Maii anno 1423, ex regestis Vaticani, ubi memoratur adhuc electus 7 Junii anno sexto Martini V, ac proinde ipse est, qui cum Radulfo Evillardi decano & capitulo sancti Reguli convenit anno 1424 26 Aprilis de festo sancti Reguli, quod hoc anno incidebat in diem Paschæ, transferendo in diem Lunæ 8 Maii. Occurrit adhuc in regestis ejusdem capituli anno 1425 feria IV 22 Augusti. Condidit testamentum suum anno 1428 die 20 Augusti; scripsit autem codicillos die penultima Augusti, & 26 Septembris 1429, quo anno quum regi recens inuncto fidei sacramentum, quod forte ante denegabat, præstitisset, Carolus VII regalium ei copiam fecit 29 Augusti, quibus tamen diu potitus non fuit; nam e vivis excessit IV idus Octobris anni ejusdem, ex necrologio B. Mariæ Silvanect. tertiaque post die, qua bonorum ejus facta recensio legitur, sepultus est. De eo necrologium Silvanectensis ecclesiæ sic: *IV idus Octobris solennis obitus bonæ memoriæ reverendi in Christo patris magistri Johannis Fouquerelli in sacra pagina professoris, hujus ecclesiæ præsulis, qui in suo testamento de bonis sibi a Deo concessis huic ecclesiæ legavit tertiam partem bonorum suorum, dicto suo testamento completo, pro celebrando quolibet anno suum obitum in dicta ecclesia . . . . Et pro dicta tertia parte dictorum bonorum emit ecclesia 34 arpenta terræ arabilis in villa* de Marly. Memoratur XVI calendas Novembris in necrologio ecclesiæ Bellovacensis.

Margin notes: 1423. — 1424. — 1425. — Ch. CLXII. col. 500. — 1428. — 1429.

Post obitum Johannis vacat sedes 12 Octobris in regestis capituli, regiumque jus adhuc vigebat mense Novembri anni ejusdem. Quis autem toto sequenti triennio ecclesiæ Silvanect. præfuerit, ignoratur, nisi quod ei vacanti pastorem præfecerit Eugenius IV Jordanum Morini canonicum sancti Martini Turonensis, qui ante confectas apostolicas provisionis literas, libere cessit in manibus Ardicini sanctorum Cosmæ &

Ch. CLXIII. col. 501.

ANNI CHRISTI

Damiani diaconi cardinalis. Jordano itaque ce- A
dente,

De Hotot. LXXXI. Guillelmus II.

Qui doctor theologus, regi ab intimis con-
siliis, & abbas Cormeriaci in Turonibus, cum
aliis adfuerat synodo Constantiensi anno 1415
Universitat. Paris. hist. tom. 5. pag. 297. Universitatis Parisiensis nuncius, quem & abba-
tem Corbeiensem anno 1417 summus pontifex
nominaverat, Guillelmus *de Hotot* ab Eugenio
IV ad episcopatum Silvanectensem promotus
est XII cal. Martii pontificatus anno secundo,
1433. qui Christi 1433. Et certe legitur in regestis
Vaticani *electus Silvanectensis* 20 Aprilis 1433 B
Eugenii IV pontificis anno tertio. Deputatus
a rege ad concilium Basileense, admissus est 22
Maii anni ejusdem. Ecclesiæ Silvanectensis die
Veneris 4 Septembris possessionem accepit,
procuratore usus Johanne *d'Orchies* in artibus
magistro. Vix autem ipse suam invisit ecclesiam;
fato quippe interceptus est Guillelmus 6 Maii
1434. 1434, cujus mensis & anni die 21 feria sexta
post festum Pentecostes capitulo dederunt literas
regina & D. *de Vendosme* ad postulandum no-
vum episcopum, quia dominus episcopus Guil-
lelmus decesserat, ex regestis capituli. Jacet in
ecclesia Cormeriaci ante majus altare, duas inter C
pilas, quæ cum aliis chorum occludunt, tumulo
conditus marmoreo nigri coloris, cui superemi-
net ipsius effigies marmoris albi habitu & ornatu
pontificio, cum inscriptione Gallica, quam ali-
quando forsan exscribemus, ubi de abbatia Cor-
meriaci.

Raphanel. LXXXII. Johannes IV.

Quem Raffanellum Wadingus in annalibus
Fratrum Minorum ad annum 1423, §. v. alii
Raphaël cognominant, Johannes conventus Sil-
vanectensis Franciscanus, in eodemque ordine
sacræ theologiæ publicus Parisiis professor, ex D
confessario ducis Bituricensis, Mariæ Francorum
reginæ confessarius & sacellanus, ejusdem ad
preces & D. *de Vendosme* a capitulo electus est
episcopus die Sabbati 14 Augusti 1434, ex
regestis capituli, quem tamen in regestis Vati-
cani ter lego a Bellunensi in provincia Marchiæ
Tarvisinæ ecclesia ad Silvanectensem translatum
ab Eugenio IV 20 Maii 1435, pontificatus
anno V, quod mirum videri debet; ecclesiam
enim Bellunensem tunc temporis regebat Hen-
ricus Scarampus, si Ughello fides, nec transla-
tionis hujus ulla mentio in documentis, quæ ad
Johannem spectant. Silvanectensis autem eccle- E
siæ possessionem apprehendit die 7 Augusti an.
1435. 1435. Licentiam obtinuit anno 1439, a capi-
1439. tulo Parisiensi, sede vacante, in ecclesia sancti
Maglorii Agneti de Jardino Montis-martyrum
abbatissæ munus benedictionis impendendi. Ca-
ptus ab Anglis eodem anno cum germano no-
bili viro Michaële *Girart* archimagiro reginæ
Franciæ, quum ab ovibus suis in extrema pau-
pertate redactis redemtionis pretium exprimere
non potuisset, uterque liber evasit gratia Phi-
lippi *de Varombert* sigillorum ducis Aurelianensis
& Valesiani custodis, qui mutuo dedit 350
scuta auri, quæ restituta ei sunt 8 Maii 1445.
Univit Johannes eodem anno 14 Martii, hoc 1445.
est 1446, basilicæ sancti Reguli residuos abba- 1446.
tiæ sancti Remigii sitæ olim in suburbio Silva-
nectensi proventus. Instituit annuam canonico-
rum B. Mariæ ad ecclesiam Franciscanorum die
4 Octobr. sancto Francisco sacra processionem,
quæ etiamnum perseverat. Sponte dimisit epi-
scopatum anno 1447 ineunte, uti produnt acta
consistorialia. Obiit VIII calendas Octobris anno 1447.
1448, conditus ante principem aram ecclesiæ
Fratrum Minorum Silvanectensium, cum hoc
epitaphio: *Hic jacet bonæ memoriæ reverendus in*
Christo pater Johannes Raphaël *ordinis Fratrum*
Minorum, theologiæ professor & episcopus Silva-
nectensis, ambaciator regis Franciæ ad curiam Ro-
manam, ac reginæ confessor, qui vita comite conse-
cravit in successorem nobilem virum magistrum Simo-
nem Bonnet *hujus conventus benefactorem & ami-*
cum præcipuum, qui obiit anno Domini 1448 24
Septembris. Asservantur adhuc, Wadingo teste,
in conventu Franciscanorum Silvanectensium
Johannis episcopi vestes ex panno serico spissiori
Brugensi, & pedum ex cupro ob amorem pau-
pertatis, quam voverat.

LXXXIII. Simon. Bonnet.

Nobilibus Niorti in Pictonibus ortus paren-
tibus Simon ex archidiacono cedenti avunculo
successit nepos, promotus a Nicolao V bulla
data IV nonas Maii 1447, pontificatus primo.
Electus tamen adhuc dicitur 4 & 11 Martii
1448, in regestis Vaticani. A Johanne deces- 1448.
sore inauguratus, ecclesiam suam ingressus est,
& capitulo juramentum præstitit ipsa die dedi-
cationis ecclesiæ Dominica, XVI cal. Julii, quum
jam regi fidem jurasset apud Montem-Basonis
7 Maii ejusdem anni. Insequenti conservator 1449.
privilegiorum Universitatis Parisiensis legitur in
historia ejusdem. Transegit anno 1455 cum Tom. 5. pag. 544.
canonicis regularibus sancti Vincentii Silvanect.
ac proinde ipse est, non Johannes, qui adfuit 1455.
anno 1456 die 11 Julii concilio Suessionensi. Tom. 13. concil. Labb.
Anno 1457 die Dominica 17 Julii benedixit col. 1396.
ecclesiam parœcialem sancti Hilarii. Quatuor post 1457.
annis Simon episcopus Silvanectensis, admini-
strator abbatiæ B. Mariæ de Victoria die 21
Februarii 1460, qui nunc 1461, memoratur 1461.
in chartis authenticis domini *de Gaiguières*. Re-
mensi capitulo sacramentum dixit anno 1461
die 14 Augusti, ac postridie interfuit sacro Lu-
dovici XI regis. Adstitit comitiis generalibus
regni apud Turones anno 1468, & prima No- 1468.
vembris 1469, translationi reliquiarum sancti 1469.
Ebrulfi. Permisit anno 1470, capitulo sancti 1470.
Thomæ de Crispeio, ut ejusdem sancti defer-
rentur reliquiæ pro colligendis eleemosynis ad
reparanda ecclesiæ & campanili illata ab Anglis
damna. Anno 1471 bulla Sixti IV data XIV
calendas Aprilis unita est episcopatui parochia
de Baron; unde Simon dicitur parochus ecclesiæ
de Baron & prior sancti Adriani *de Bethisy* an.
1487, quo de jurisdictione cum capitulo liti-

ANNI CHRISTI

gabat. Contulit anno 1475 21 Julii Petro A
Thourée parochiales ecclesias de Curtroio & de
1475. sancto Firmino, quæ tunc erant unitæ. Com-
1483. mutavit anno 1483 die 18 Decembris fructua-
rium vectigal circa Silvanectum pro domo sita
Parisiis in vico sancti Germani Autissiodorensis,
propria Johannis *le Normand* doctoris theologi
ex libro censuali D. archiepiscopi Paris. Anno
1484. 1484, bis mille ducentas libras canonicis sancti
Reguli mutuo dedit ad renovandam sancti Pa-
troni capsam, in quam anno 1495 ossa sancti
Reguli, rogatu Simonis ætate gravis, transtulit
Johannes *d'Espinay* episcopus Valentiæ & prior
1490. sancti Nicolai de Aciaco. Anno 1490 15 B
Martii, hoc est 1491, Simon prior dictus S.
Adriani *de Bethisy* transegit cum Johanne *de*
1493. *Vaulx* domino *de Saintines*. Fundavit an. 1493
in ecclesia Fratrum Minorum Silvanectensium
1494. unum obitum, & 1494 die 11 Julii quatuor
in ecclesia B. Mariæ singulis annis celebrandos.
Denique Simon codicillis exaratis sepulturam elegit in æde B. Mariæ, in cujus reapse choro infra sanctuarium prope januam collateralem ab Evangelii latere conditus est sub tumba lapidea, circa quam hoc epitaphium legitur :

Hoc tegitur saxo Simon Bonnet *venerandus*
Silvecti pastor, pauperis auxilium,
Doctrina magnus populis, sed corpore parvus,
Moribus in clero proficiensque ovibus.
Contulit hunc nobis Silvanis villa Niorti.
Æternam requiem præstet ei Dominus.
1496. *Obiit autem anno 1496 26 Maii.*

De Simone *Bonnet* sic habet necrologium B. Mariæ Silvanectensis : *Anno 1496 die 6 mensis Junii obiit R. in Christo pater & dominus D. Simon* Bonnet, *qui spatio 48 annorum bene & laudabiliter vivendo huic ecclesiæ præfuit antistes, & qui, eo vivente, dedit & donavit huic ecclesiæ sex* D *centum scuta auri de cugno domini nostri regis ad reditus emendos, applicandos & convertendos pro fundatione & continuatione quatuor obituum solemnium perpetuis temporibus in choro hujus ecclesiæ pro salute animarum ipsius reverendi patris, suorumque parentum & benefactorum, singulis diebus Mercurii quatuor Temporum anni dicendorum & celebrandorum, ita quod semipræbendati & capellani obituum cum curato hujus ecclesiæ pares erunt integris præbendatis, ea conditione & non alias, quod ipsi semipræbendati in synodis per dictum R. suosque successores celebrandis evangelium cantare tenebuntur. Dedit insuper 40 scuta auri applicanda, ut prius* E *pro fundatione cujusdam processionis singulis annis die sancti Francisci, post decantationem Primæ, in conventu Fratrum Minorum hujus urbis fiendæ, ad onus decantandi antiphonam cum versiculo & oratione de sancto Francisco, necnon dicendi psalmum* De profundis, *cum orationibus* Deus, qui inter apostolicos *in plurali :* Deus, qui nos, patrem & matrem : Deus veniæ largitor, *juxta locum sepulturæ defuncti R. patris & domini D. Johannis* Raphaël, *dum viveret, ejusdem domini* Bonnet *avunculi, & istius civitatis episcopi prædecessoris sui. Dedit insuper in augmentationem dictorum quatuor obituum duos modios bladi annui redditus, &c.* Fratrum quoque Minorum Silvanectensium amicus Simon sic in eorum obituario commemoratur : *IV idus Maii obiit reverendus in Christo pater dominus episcopus Silvanectensis D. Simon* Bonnet *benefactor hujus conventus præcipuus, per cujus medium pro parte reparata est & constructa navis ecclesiæ. Pro anima ipsius & sui avunculi prædecessoris sui, qui sepultus est ante magnum altare, tenentur Fratres ad unum servitium tempore Adventus.*

LXXXIV. Johannes V.

Neveu.

B Regi a consiliis, eleemosynis & confessionibus Johannes, abbas regularis beatæ Mariæ de Victoria, & commendatarius Josaphati, electus a capitulo Silvanectensis episcopus, regi fidem juravit 26 Septembris 1496, ex regesto cameræ rationum Parisiensis. Æmulum passus est Johannem *Cantin*, quicum litigabat coram judicibus a metropolita delegatis, 27 Novembris anni ejusdem. Victor fuisse videtur, nam condito die Jovis 28 Febr. anno, quem nunc computamus 1499 testamento, seipse indigitat 1499.
episcopum Silvanectensem, abbatem Victoriæ & commendatarium Josaphati, necnon priorem C commendatarium prioratus *de Cressonsart*. De ipsius obitu sic habent regesta capituli : *Anno 1498 3 Martii die Dominica* (hoc est 1499) *R. in Christo pater D. Johannes episcopus Silvanectensis & abbas de Victoria ab hoc seculo recessit circa horam secundam post mediam noctem, ob cujus decessum vacavit sedes & vacat ad præsens.*

Mense sequenti convocatis ad successorem deligendum canonicis, major pars episcopum dixit 11 Aprilis 1499, Nicolaum *de Sains* canonicum Silvanectensem & decanum sancti Quintini Veromanduensis ; & hic quoque impetitus est a Johanne *Cantin* sacræ paginæ professore, canonico & archidiacono Silvanectensi, canonico & pœnitentiario Parisiensi, canonico Noviomensi & parocho sancti Aniani Silvanectensis, cui quidem tertia canonicorum pars faverat. Delata ad metropolitam Remensem causa, hujus procuratores 8 Octobr. 1501, nullam & irritam Nicolai electionem pronunciarunt, privatisque hac vice canonicis Silvanectensibus eligendi jure, nominarunt Carolum.

LXXXV. Carolus

De Blanchefort.

Guidonis domini *de Boislamy* filius ex Suprema *d'Aubusson*, non Johanna *de Layre*, ut diximus tom. VIII, col. 1577, germanos habuit Guidonem magnum magistrum equitum Rhodiensium, Ludovicum abbatem Ferrariensem, &c. avunculumque Petrum cardinalem *d'Aubusson* ; ipse vero fuit protonotarius apostolicus, canonicus sacræ capellæ Parisiensis, canonicus ecclesiæ Carnotensis & archidiaconus Vindocinensis, parochus de Chamento in diœcesi Silvanectensi, prior sancti Augustini, abbasque sancti Evurtii Aurelianensis & sancti Quintini in Insula ; fuit quoque electus episcopus Silvanectensis a quinque canonicis die 11 Aprilis 1499, eodemque anno

ANNI CHRISTI

in regestis Alexandri VI legitur *electus Silvanectensis per obitum Johannis episcopi & abbatis S. Mariæ de Victoria v idus Octobris.* Competitorem & ipse expertus est Imbertum de Plateria suffragiis quoque aliquot suffultum, quem tempore dissidii auctoritate metropolitana archiepiscopus Remensis nominarat; sed Imbertus, pactis cum Carolo conventis, cessit, Carolusque demum ab Alexandro VI bullis donatur III idus Octob. 1502, memoraturque iterum in regestis Vaticani 4 Novembris 1504. Insequenti a Julio II simoniæ crimine, quod ad obtinendum episcopatum patrarat, exemtus, fidei sacramentum regi dixit 17 Junii. Non mirum itaque inter tot rerum discrimina, sedem in chartis vacare & anno 1504 & 1505; sed anno 1507, datis 27 Febr. ad consules urbis literis (hic est annus 1508) de adventu suo eos consuluit & admonuit. Et certe die prima Januarii 1509, ecclesiam suam ingressus solitum præstitit juramentum. Comitiis regni generalibus apud Turones habitis adfuit 1510. Transegit anno 1511 die 20 Augusti cum capitulo de jurisdictione. Memoratur Carolus anno 1512 die Veneris 23 Aprilis, dieque Sabbati 8 Maii vicarius ejus generalis Philippus *Pot* sedis apostolicæ protonotarius, in jure licentiatus & in Parlamento senator. Carolus vero, postquam ecclesiam suam ornamentis aliquot locupletasset, vivere desiit anno 1515 29 Augusti, conditus prope majus altare ad Evangelii latus, elato sepulchro marmoreo nigri coloris ad clathros ferreos, cui superposita ejus effigies ornatu pontificio ex albo marmore, cum hoc circum epitaphio :

Carolus ingenua de Blanchfort *stirpe creatus,*
Istius æthereo spiramine pastor ovilis,
Angelicæ exemplar vitæ, pietatis alumnus,
Gemma sacerdotum, lumen probitatis avitæ,
Denique egenorum spes una & sola, sepulchro
Hoc jacet, æternam mens est sortita quietem.
Obiit XXIX Augusti anno Domini MCCCCCXV.

De Carolo sic habet necrologium B. Mariæ Silvanectensis : *Carolus* de Blanchefort *naturæ debitum solvit anno Domini 1515 die 29 Augusti. Donavit capitulo mille libras Turonenses per manus suorum executorum Philippi* Pot *sacrosancti sacelli Parisiensis thesaurarii, & in suprema Parlamenti curia præsidentis, dicti reverendi nepotis & Johannis* Felix *hujus ecclesiæ canonici traditas, acceptasque per præfati capituli dominos, ac per eosdem in redditus conversas, & applicatas pro fundatione & continuatione quatuor obituum solennium per præfatos dicti capituli dominos canonicos perpetuis temporibus in hac ecclesia, sexta quaque quatuor Temporum feria dicendorum & celebrandorum, ut latius & diffusius in literis super hoc confectis, atque in thesauro dicti capituli repositis continetur. Insuper ob singularem, quam præfatus dominus in suam sponsam ecclesiam gerebat devotionem, & ad prædictorum obituum augmentum, dicti domini executores argenteam B. Mariæ Virginis fieri fecerunt imaginem, & huic ecclesiæ obtulerunt, in cujus iconis infima parte nomen Caroli* de Blanchefort, *& auctoris ipsius domini nepotis ejus legitur.*

LXXXVI. JOHANNES VI.

CALUEAU.

Libellorum supplicum magister Johannes, abbasque sancti Petri de Cultura & Coronæ, factus episcopus Silvanectensis regi fidem obstrinxit suam Lugduni 16 Martii 1515, qui nunc 1516. Ecclesiam suam solenniter ingressus 1516.
die Dominica 1 Febr. 1517, eidem & sancto 1517.
Regulo sacra ornamenta pro jucundo adventu largitus est. Mille libras regi mutuo dedit 17 ejusdem mensis. Interfuit mense Maio coronationi Claudiæ reginæ uxoris Francisci I apud sanctum Dionysium in Francia. Anno 1519 1519.
die 6 Maii renovatam B. Mariæ de Victoria ecclesiam benedixit. Biennio post 1521 14 1521.
Augusti, regi quater mille libras mutuo dedit. Delectus fuit arbiter in causa Barbaræ *du Bois* viduæ Francisci I comitis *de la Rochefoucault.* Vitra chori B. Mariæ Silvanectensis confici curavit. Denique Roma rediens, Lugduni defecit mense Junio anni 1522, relictis capitulo cun- 1522.
ctis, quæ sibi episcopo debebantur. Die vero ejusdem mensis ultima rex mandavit ballivo Silvanectensi, ut res episcopales obsignaret. Quare paulo post obsignatæ sunt ædes episcopales, ex quibus duæ quidem arcæ in fidem & custodiam canonicorum commissæ sunt; sigilla vero cum ducatus Valesiæ, tum comitatus Engolismensis, quorum custos fuerat episcopus, ad proreginam matrem missa fuere. Sane mors Johannis capitulo nunciata est a Petro *Gobert* decano die 4 Julii, ex regestis capituli. Necrologium B. M. Silvanectensis de illo sic habet : *Obiit reverendus in Christo pater & dominus D. Johannes* Calueau, *hujus ecclesiæ & civitatis episcopus, qui pro fundatione quatuor obituum solemnium singulis annis die Lunæ cujuslibet hebdomadæ quatuor Temporum anni dedit 2750 scuta ad solem de cugno domini nostri regis, capiendos super 3000 scuta ad solem sibi debita per D. nostrum regem Franciscum, de quibus nihil percepimus. Item nobis dedit & legavit omnia & singula sibi debita in dicto suo episcopatu, & ratione dicti episcopatus, summam 2148 lib. 19 solid. & 4 denariorum. Item a magistro Roberto Antonio receptore regis, qui debebat præfato reverendo ratione suæ receptæ & temporalitatis dicti episcopatus die sui obitus summam, &c. Item a magistro Petro* Desprez *nostro canonico & receptore præfati reverendi summam, &c. quæ summæ fuerunt positæ per dominos de capitulo in emtione redditaum pro fundatione dictorum quatuor obituum.* De his porro legatis capitulum litigavit usque ad annum 1540, cum regii patrimonii exactore, qui statim defuncti episcopi in bona regiam miserat manum.

LXXXVII. ARTURUS.

FILLON.

Vernolii in Pertico natus Arturus, sacræ paginæ professor, canonicus Rotomagensis & parochus sancti Machuti in eadem urbe, necnon vicarius generalis Georgii de Ambasia cardinalis & archiepiscopi Rotomagensis, an. 1506 capsam sancti Mellonis apud Pontisaram reseravit.

Vulgo *S. Maclou.*

ANNI CHRISTI

Nominatus a rege episcopus, an prius electus a capitulo, ut scribunt Sammarthani? Robertum abbatem Caroliloci consuluit, quis esset episcopatus Silvanectensis, cujus accepta responsione 9 Julii
Ch. CLXIV. col. 502. 1522, de licentia Roberti archiepiscopi Remensis, consecratus fuit ab episcopo Meldensi anno eodem. Adstitit episcopo Parisiensi Johannem episcopum Convenarum inauguranti die
1525. Dominica 24 Septembr. anno 1525. Reformavit prioratum sancti Mauricii Silvanect. necnon abbatiam B. Mariæ de Victoria, adscito Johanne *Colombi* abbate B. Mariæ de Cagia Meldensi die 2 Decembris an. 1525. Missale, breviarium & manuale ad usum Silvanectensis B ecclesiæ typis Parisiensibus mandari curavit. Librum scripsit sub hoc titulo: *Speculum curatorum.* Saluberrima quoque pro domus Dei sororibus statuta condidit. Testamentum scripsit die Do-
1526. minica 19 Augusti anno 1526, quo absque pompa, atque etiam tumba voluit humari; summam vero ducentarum librarum Turonensium dedit ad emendam domum pro scholis habendis, quæ emta est 20 Junii 1527. De ejus morte legitur in B. Mariæ necrologio. *Anno Domini 1526 die 27 Augusti obiit reverendus in Christo pater D. Arturus* Fillon, *sacræ paginæ doctor, hujus ecclesiæ episcopus, qui dedit huic ecclesiæ tres* C *cappas panni argentei, & tres panni Damacei ad florenos* (fortasse flores), *ac summam 1200 librarum Turonensium redditibus applicandam horæ Matutinarum canonicis interessentibus distribuendis.* Sepultus infra sanctuarium, hanc habet inscriptionem in tabella cuprea appensa pilæ propiori januæ collateralis chori a parte epistolæ: *Admodum reverendus in Christo pater Arturus* Fillon *Neustrius Vernolii Pertici, Dominici gregis Silvanectensis pastor vigilantissimus, sacræ paginæ doctissimus professor, facundissimus divini sermonis præco, singularis ecclesiastici cultus observator, perquam liberalis inopum fautor, præter alia pietatis dona,* D *mille ducentas libras semel, applicandas ad usum annui redditus legavit canonicis hujus insignis ecclesiæ, qui Matutinis interessent. Idem Deum benedicendo migravit anno sesquimillesimo vigesimo sexto ad VII calendas Septembris.*

Hospes in orbe pius quondam, nunc gaudet olympi
Arturus regno jam meliore frui.
Servavit pavitque gregem, semperque reduxit
Exemplo præsens ad meliora suo.
Bis quinque exactis lustris, bis quatuor annis
Cœlo animam licuit reddere, corpus humo.

LXXXVIII ODARDUS.

Mannequin

Johannis, regii apud Trecas patroni filius Odardus, qui & Odoardus, Francisco I ab eleemosynis, archidiaconus *de Puisy* in ecclesia Autissiodorensi, abbasque sancti Lupi Trecensis, Bassi-fontis, &c. episcopus Silvanectensis a rege dictus anno 1526, admittitur a capitulo XIII cal. Decembris anni ejusdem. Insequenti 1527
1527. 26 Aprilis data ei est licentia ut Parisiis conse- A craretur. At vix hujus ecclesiæ possessionem acceperat, quum eam pro Trecensi commutavit anno eodem 1527; quæ dum perficitur commutatio, Odardus ecclesiæ sancti Reguli dimidiam præbendam literis datis apud Trecas, quo familiam inviturus perrexerat, contulit Johanni *Vigoureux*, qui subinde fuit ecclesiæ Silvanectensis decanus.

LXXXIX. GUILLELMUS III.

Petit.

Natus Montivillarii in Caletis Guillelmus, ordinis Fratrum Prædicatorum alumnus, doctoris lauream in facultate Parisiensi consecutus est pridie festi sancti Johannis-Baptistæ anno 1502. Verbi divini facundissimus præco, adstitit anno 1513, morienti Annæ uxori Ludovici XII regis, terque mortuæ laudes celebravit, primo Blesis, ubi decesserat, secundo in ecclesia Parisiensi, tertio in basilica sancti Dionysii, ubi sepulta est. Sponso etiam Ludovico XII a confessionibus, mortuum regem anno 1515, e pulpito laudavit. Regi quoque Francisco I a con- Biblioth. nove Labb. pag. 145.
fessionibus, anno 1519, jam episcopus Trecensis, ab ipso postulatus est ad cathedram Bituricensem Guillelmus, qui repulsam passus, demum, volente rege, e Trecensi translatus fuit ad ecclesiam Silvanectensem anno 1527. Hanc solito ritu ingressus 1528 die 29 Martii Dominica 1528.
Passionis, eodem anno delegatus est a rege cum cardinali *du Prat* Clementis VII legato, ad interrogandum doctorem *Picart*, quem ambo ab erroribus declaraverunt immunem. Anno 1529 1529.
die 8 Aprilis regiis negotiis irretitus, delegavit Petrum *Gobert* decanum & Johannem *Felix* cantorem ecclesiæ Silvanect. cum Simone abbate Caroliloci, ad audiendas rationes exsecutorum testamenti Arturi *Fillon* decessoris. Eodem anno die Mercurii septima mensis Julii ordinatum & deliberatum fuit, quod pro pace inter principes habenda, die Sabbati proxima deponeretur feretrum seu capsa corporis sancti Reguli post vesperas, ut die Dominica sequenti fieret solennis processio per urbem, id maxime requirente Guillelmo episcopo. Circa id tempus missus est a rege ad inquirendum de Valdensium religione. Eodem adhuc anno 1529, ecclesiæ suæ donavit crucem auream gemmis, pretiosisque lapididbus ornatam, quæ ligno veræ Crucis & spina coronæ Domini insignis est. Adsuit anno
1530 1 Maii Parisiensi episcopo consecranti 1530.
apud sanctam Genovefam Paris. Guillelmum Bellinensem episcopum. D. Annæ *de Montmo-* E *rency* ad preces, ecclesiam sancti Martini de Montemorenciaco, de licentia Parisiensis episcopi dedicavit anno 1531 29 Maii. Capitulo 1531.
dedit 16 Novembris ejusdem anni partem ambitus ædium episcopalium adhærentis portæ meridionali basilicæ, ut in eam aditus & egressus essent liberiores; capitulumque vicissim episcopo dedit 40 solidos Parisienses annui reditus. Eodem anno Francisci I defunctam matrem Ludovicam a Sabaudia ducissam Engolismensem funebri elogio commendavit. Sub id temporis omne studium adhibuit reformando S. Mauricii

ANNI CHRISTI

Silvanectensis prioratui. Odeum ecclesiæ cathedralis auro & coloribus instauravit, sicut & officialatus sedem, & vestibulum ecclesiæ ad
1535. meridiem situm. Guillelmo satagente, an. 1535 3 Augusti solutæ sunt quædam pecuniarum summæ capitulo debitæ. Parisiis die Dominica 23
1536. Januarii anno 1535, qui modo 1536, inauguravit episcopum Cenomanensem. Adhuc memoratus Guillelmus anno 1536 26 Aprilis, eodem ex hac vita migravit die Veneris 8 Decembris, ex regestis capituli. Sepultus est in choro ad majus altare, sub lapide cum epitaphio ita nunc detrito, ut patria solum cum anno & die obitus deprehendatur. Plurima scripsit Guillelmus, de quibus R. P. *Echard*, tom. 2 scriptorum ordinis Prædicatorum, pag. 100. Inter alia prodiit Luteciæ Parisiorum opus ejus posthumum *de formatione hominis & ejus excellentia, quidve facturus est ut paradiso & vita beata fruatur.*

XC. Renatus.

La Rouillé.

Nobilis Parisinus Renatus, canonicus sacræ capellæ Parisiensis, decanus ecclesiæ Silvanect. abbasque Vallis B. Mariæ & Herivallis diœc. Paris. episcopus Silvanectensis per obitum Guil-
1537. lelmi 8 Januarii 1537, legitur in regestis Va-
1539. ticani. Anno 1539 16 Augusti per procuratorem adfuit reformationi consuetudinis Silvanectensis. Episcopus Silvanectensis simul & abbas
1540. Vallis sanctæ Mariæ memoratur anno 1540, feria IV 15 Decembris, & 1542, feria IV 13 Decembr. in chartis authenticis D. *de Gaignières.*
1542. Hoc anno 1542 12 Octobris lata sententia damnatus fuit solvendis ecclesiæ Remensi duabus cappis, altera pro decessore Guillelmo, & altera pro seipso. Ecclesiam suam solenni pompa ingressus est anno 1543 30 Martii ante Pascha,
1544. hoc est 1544. Remis adfuit anno 1547 die
1547. 26 Julii sacro Henrici II regis, & anno 1550
1550. ultima Julii Parisiensis senatus consulto reformandam suscepit abbatiam B. Mariæ de Victoria. Vicarius ejus generalis Petrus *Foucquet* archidiaconus & cantor ecclesiæ Silvanect. die 27 Ja-
1555. nuarii anno 1554, qui modo 1555, admisit permutationem curæ parochialis sanctorum Gervasii & Protasii de Curtroio. Renatus autem ad generalia regni comitia Parisios convenit men-
1558. se Januario 1557, hoc est 1558. Mortuus 14
1559. Septemb. 1559, conditus fuit in sanctuario Herivallensis ecclesiæ tumulo lapideo secus Evangelium, cum epitaphio, quod videsis in historia Herivallis, tom. VII, col. 827. Quasdam in ecclesia Silvanectensi structuras exædificavit Renatus, in cujus tholo juxta capitulum insignia familiæ suæ apposuit. Post ejus obitum, capitulum cum executoribus ejus testamenti convenit 23 Julii 1560.

XCI. Crispinus.

De Brichanteau.

E nobili prosapia *de Brichanteau* ortus Crispinus, Ludovici domini *de Nangis* ex Maria *de Veres* toparchiæ Nangiaci in Bria herede filius, frater Nicolai stirpis dominorum de Nangiaco progenitoris, patruus Benjamini & Philiberti ducum ac præsulum Laudunensium, monachus sancti Dionysii, sacræ theologiæ professor, præpositus *de la Garenne* pro rata parte subsidii regi a clero concessi solvit sexaginta libras Turonenses die 6 Julii 1555, ex charta authentica D. *de Gaignières.* Abbas sancti Vincentii Laudunensis & regi Francisco II a confessionibus ei sacramentum dixit 4 Augusti 1559. Demum factus episcopus Silvanectensis per obitum Renati 27 Martii 1560, ex regestis Vaticani, moritur eodem anno ante adeptam possessionem, die 13 Junii, jacetque in ecclesia parœciali de Nangiaco in medio capellæ a dextro latere chori, sub tumba lapidea, cum epitaphio.

XCII. Ludovicus.

Guillart.

De Ludovico jam diximus tom. III col. 238, IV 937, VII 883 & 897, ac tom. VIII col. 1188. Fuit enim regi Carolo IX a confessionibus & eleemosynis, oratorii regii magister, abbas Vallis B. Mariæ & Vallium Sernaii, successiveque episcopus Tornacensis, Carnotensis, Cabilonensis, indeque Silvanectensis 17 Julii 1560, per obitum Crispini, ex regestis Vaticani. Huic anno eodem Carolus *de* 1560.
Lorraine cardinalis Guisius Remensis archiepiscopus suam commisit diœcesim regendam. In gratiam nepotis cessit episcopatu 1561, & Pari- 1561.
siis fato concessit 19 Novemb. anno 1565. Tumulatus est in medio chori ecclesiæ Alborum Mantellorum Parisiis ante aquilam sub ænea tumba cum hoc epitaphio : *Icy gist reverend pere en Dieu messire Loys Guillart en son vivant evesque de Tournay, & depuis evesque de Chartres, Chalon & Senlis successivement, conseiller & maitre de l'Oratoire du roi, lequel deceda en son hostel a Paris rue des Blancs-Manteaux le XIX Novembre 1565.*

Sublata hac anno 1635 ænea tumba, lapidea pone majus altare posita est cum gemina inscriptione, quarum altera Gallicam priorem latine reddebat, altera in infima tumuli parte subtus effigiem sic habebat :

Hic præsul Lodoice, jaces, cui maxima semper
Cum grege suscepto vivere cura fuit,
Atque illum legis divinæ lacte per arva
Pascere, & hunc sanis moribus instruere.
Obiit die 19 Novembris anno Domini 1565.

Diruta demum ecclesia veteri anno 1702, nova quæ sequitur inscriptio in ecclesia nova marmori albo incisa est in ingressu chori a parte epistolæ :

D. O. M.

In memoriam D. D. Ludovici Guillart
Silvanect. episcopi, qui obiit anno 1565.
Illius corpus e veteri ecclesia huc
Transferri curarunt asceta Benedictini anno 1702.

XCIII. Petrus IX.

Chevalier.

Petro domino *Desprunes* in Bria, magistro

ANNI CHRISTI rationum & ærarii apud Pictavos tribuno, & Maria *Guillart* sorore Ludovici superioris, nobilibus Parisiis parentibus natus est Petrus. Juris utriusque doctor & antiquior consiliariorum clericorum in curia suprema Parisiensi, ex subdiacono fit episcopus Silvanectensis per cessionem Ludovici avunculi 19 Septembris 1561, ex
1563. regestis Vaticani. Sacro inunctus oleo 1563,
1564. adstitit Remensi concilio 1564, Remensique capitulo sacramentum dixit 12 Decembris ejusdem anni. Querelam habuit cum urbis gubernato-
1574. ribus, de qua senatusconsulto anno 1574 26 Januarii statutum est clerum pro suo officio soluturum tertiam partem sustentationum pauperum.
1581. Anno 1581, claustrum Franciscanorum Silvanecti, quorum benefactor erat, ritibus sacris benedixit. Patruelem suum Jacobum *Chevalier* rationum auditorem, mortua conjuge Barbara *Aurillot*, clero addictum, Petrus cantorem instituit. Pauperum vulgo nuncupatus pater, pauperibus Silvanect. civitatis, testamento condito 10 Novembris anno 1581, legavit dimidiam substantiam in pecunia signata ad se pertinentem in die obitus, quæ magno fuit usui ad stabiliendum
1583. subsidium egenorum in urbe. Obiit anno 1583 die Dominica 30 Octobr. ætatis 63, post 21 annos sedis, sepultusque est in choro ecclesiæ suæ ante principem aram infra sanctuarium a parte epistolæ cum hoc epitaphio: *Hic jacet reverendus in Christo pater ac D. D. Petrus* Chevalier *episcopus Silvanectensis, gentis patritiæ origine clarus, senatoriæ dignitatis munere probe functus.. .... Obiit anno millesimo quingentesimo octuagesimo tertio.*

In tabula pilæ sanctuarii prope januam chori a parte epistolæ appensa legitur:

D. O. M.
D. D. Petrus Chevalier
Patritius hic jacet.

Primum senator Parisiensis, mox episcopus Silvanect. electus diem clausit anno ætatis 63, præfuit ecclesiæ 21. Vir antiquæ probitatis, incomparabilis modestiæ, immensæ erga pauperes liberalitatis, genere, virtute, literarum amore trabeis dignissimus. Tot adoreis mactum noli lugere, viator, nam qui tibi mortuus videtur, vivit. Si tamen vis parentare, composito pacem exora; manes ne læde, vivus læsit neminem. Memoriæ, piisque manibus carissimi fratris Magdalena soror piissima flens, mærensque hoc monumentum dicavit 1584. Animæ ejus propitietur Altissimus.

Rose.

XCIV. Guillelmus IV.

Calvomontii in Bassigneio diœcesis Lingonensis natus Guillelmus, laurea doctoris insignitus anno 1576, regi a consiliis, eleemosynis & concionibus, summusque magister collegii Navarræi Parisiis anno 1583, Silvanectensis episcopus
1584. inauguratur die 6 Maii 1584 in capella collegii ejusdem a Guillelmo *Rużé* episcopo Andegavensi; ac die 13 ejusdem mensis in urbem ex-
1586. cipitur fausta gratulatione. Anno 1586, Parisiis cum sex aliis episcopis constitutus nonaginta novem reformationis capita condidit, quæ, donec Tridentina synodus publicaretur, observaturos se promiserunt. Anno 1587 die Veneris 23 1587.
Octobris sacra inspexit ossa S. Reguli, & anno sequenti die 30 Aprilis consuetum Remensi ec- 1588.
clesiæ obsequium spopondit. Eligitur anno 1589 1589.
die Sabbati 7 Octob. ab Universitate Parisiensi privilegiorum ipsius conservator loco defuncti domini *de Brezé* Meldensis episcopi. Adstitit an.
1592 10 Aprilis Jacobo *de Beton* archiepis- 1592.
copo Glascuensi in Scotia consecranti Gilbertum archiepiscopum Aquensem in ecclesia S. Genovefæ Parisiensis. Guillelmus ipse an. 1596 die 1596.
24 junii benedixit Johannam *de Neufville* Malænoæ abbatissam in ecclesia B. Mariæ Regalis prope Pontisaram. Anno seq. 23 Aprilis festo 1597.
die S. Reguli, collegiatæ hujus ecclesiæ sacra ornamenta largitus est. Lato 5 Septembris an.
1598 senatus Parisiensis decreto, confiteri co- 1598.
actus est in majori ejusdem camera, nudo capite & stando, temerario se dixisse ex fœderatis unum extitisse, adhucque fore si non fuisset, & declarare se librum inscriptum: *Ludovici d'Orleans unius ex fœderatis pro catholica fide expostulatio*, cum notis tam in capite, quam in marginibus manu sua exaratis, impium æstimare. Quamobrem decernitur Guillelmum pro alendis inclusis carcere palatii centum nummos ad solem erogaturum, urbem Silvanectum per annum non invisurum, nec ullibi concionaturum. *Ita regestum Parlamenti tom. 6 Universitatis Paris. pag.*
911. An. 1599 die 22 Junii Guillelmus cons- 1599.
tituit vicarium generalem Johannem Priorem S. Victoris Paris. ad reformandam abbatiam S. Vincentii Silvanect. Cathedrali quoque suæ ornamenta ecclesiastica legavit, E vivis ereptus die
10 Martii an. 1602 inhumatus fuit in choro 1602.
B. Mariæ sub tumba lapidea ante cathedram episcopi, cum hac inscriptione: *Urna hæc laboribus sanctis confecti corporis D. D. Guillelmi* Rose. *Hic regibus christianissimis eloquentia carissimus, illa pietate simul singulari apud optimos quosque clarissimus, prisca nobilitate ab utroque parente oriundus, doctor theologus Parisiensis, ecclesiæ Silvanectensis episcopus absens creatur, quam 18 annis maxima regni tempestate gubernans, sexagenarius ingenti Galliæ desiderio obiit.*

Ad pilam quoque prope januam chori a parte sanctuarii tabella exstat marmorea in qua legitur:

D. O. M. V. M.
D. Guillelmi Rose
Corpus hic quiescit.

Primum sacræ theologiæ Parisiensis doctor, decanus Calvomonti, ac regum christianissimorum ecclesiastes, mox Silvanectensis episcopus ac regiæ Navarræ summus moderator, absens electus. Vir antiquæ nobilitatis, probitatis avitæ, immensæ erga ecclesiam & pauperes liberalitatis; religionis zelo, singulari doctrina, eloquentia incomparabili, morum ac fidei integritate, maximis denique pro ecclesia exantlatis laboribus, optimis quibusque carissimus, præfuit Silvanectensi ecclesiæ annos 18. Diem clausit ætatis sexagesimo.

Antonius

ANNI CHRISTI

Antonius Rose ex fratre nepos carissimus, indignissimus licet in episcopatu successor, mœrens, gemensque in resurrectionis fidem, gratitudinis specimen, ac memoriæ monimentum ponebat anno 1603.

Animam ejus Dominus Jesus beet gloria.

ROSE.

XCV. ANTONIUS.

Guillelmi ex fratre nepos Antonius doctor Parisiensis, e regia domo Navarræa, quum jam a patruo ecclesiæ Silvanectensis theologus institutus fuisset, eodem cedente factus episcopus, Romæ sacram unctionem accepit a summo pontifice Clemente VIII an. 1602. Inde reversus, mox ecclesiam suam solenniter ingressus est Dominica Passionis die 24 Martii ejusdem anni, consuetumque præstitit ecclesiæ suæ sacramentum. Grati animi erga patruum significatione, dicata illi an.
1603. 1603 laudata superius tabella, regimen auspi-
1604. catus est. Benedixit anno seq. in cœnobio Vallis S. Mariæ Johannem *de la Salle* Albæ curiæ ab-
1606. batem. Anno 1606 18 Martii consilii majoris decreto, capitulo adversus Antonium asserta & confirmata jurisdictio tam civilis, quam criminalis in canonicos præbendatos, capellanos & alios ejusdem ecclesiæ clericos; quin & circa laïcorum delicta in ecclesia commissa, nisi ea capitulum corrigere negligeret; tunc enim episcopus aut ejus officialis de his cognoscere posset, illæsa tamen capituli in aliis jurisdictione. Huic adhuc renovatur possessio dandi, absente episcopo, literas dimissorias canonicis omnibus ceterisque ecclesiæ clericis, ad recipiendos ordines a quocumque episcopo; & Antonius damnatur in dimidiam reparationum ecclesiæ partem. Cau-
1607. sa iterum cecidit anno 1607 die 22 Decembris contra capitulum, cujus hanc in rem scripta & dicta damnari fecit Antonius per clerum.
1608. Anno 1608 parochiales ecclesias S. Stephani & S. Martini in suburbiis Silvanecti benedixit;
1609. & an. 1609 die 28 Octobr. consecravit ecclesiam prioratus S. Nicolai de Aciaco. Hoc tamen an. die 13 Julii vacua sedes declarata fuerat designatique ad regendam diœcesim fuerant administri. Antonius videlicet ob dissidia cum capitulo, de permutando cum Francisco Claromontensi apud Arvernos episcopo agebat; quæ res tamen nonnisi anno 1610 consummata est bulla Pauli V 15 Martii probantis hanc commutationem. Eodem anno 20 Maii fundati apud Silvanectum patres Capucini. Insequenti 1611 die 3 Septembr. quum jam Antonius in cathedra Claromontensi sederet, Parisiensis senatus consulto damnatus est ad solvendam ecclesiæ Remensi cappam, cui nondum satisfecerat; qua de re dedit ad Remense capitulum literas 2 Augusti 1612; quin & an. 1613 die 8 Martii sententia præpositi Parisiensis damnatus est ad offerendum ecclesiæ S. Reguli pannum aureum, aut saltem sericum offerri solitum pro jucundo episcoporum adventu. Vide quæ de Antonio diximus in episcopis Claromontensibus tom. II. col. 299.

DE LA ROCHEFOUCAULT

XCVI. FRANCISCUS.

De Francisco jam egimus cum in episcopis Claromontanis tom. II. tum in abbatibus Tornusii & S. Johannis Reomaensis tom. IV. & maxime tom. VII. col. 774. Franciscus igitur cardinalis tit. S. Callisti, sacri collegii subdecanus, sacelli regii magister, Franciæ major eleemosynarius, ordinis sancti Spiritus præceptor, pontificius vicarius reformandis Galliarum monasteriis, abbas Tornusii & sanctæ Genovefæ Parisiensis, necnon Ludovici XIII primus minister & arcani consilii caput, hos dignitatum titulos non minus stirpis nobilitate, quam ingenii felicitate & virtutum splendore promeruit. Patre enim Carolo comite primo Randani in Arvernia, barone de Lugueto, militiæ pedestris in Gallia magistro generali, qui genus e nobilissima juxta ac vetustissima Rupefucaldorum Engolismensium prosapia repetebat, matre vero pia femina Fulvia Pica, Galeatii principis Mirandulæ filia minore natus est Luteciæ Parisiorum 8 Decembr. 1558. Vix quadriennis patre orbatus, patruo suo Johanni abbati Majoris monasterii & capellæ regis magistro traditur educandus, qui præceptoris sapientis tutelæ & vigilantiæ commissus, absolvit humanarum literarum, philosophiæ, necnon theologiæ studia in collegio Claromontano: in quibus ecclesiasticæ doctrinæ vim non mediocrem sibi comparavit. Anno ætatis 15 resignatione Ludovici cardinalis Guisiæ, majoribus ecclesiæ muneribus præparatur, factus abbas Tornusii, cujus annuos proventus, retenta sibi modica portione, impendebat in ecclesiæ & ptochodochii restaurationem, pupillorum & pauperum alimoniam. Tum ab Henrico III in officium magistri sacelli regis substitutus est patruo, quo in munere magna pietatis & modestiæ præbuit exempla. Emenso tandem theologiæ stadio, cum fratre juniore in Italiam profectus, Mediolani a sancto Carolo Borromæo humanissime exceptus, & honorifice a Mirandulæ principibus consanguineis, Romæ raram suppellectilem græcorum, latinorumque librorum collegit, quam in Gallias velut thesaurum deduxit. Attigerat annum vigesimum cum sexto, sed tanta maturitas ingenii, prudentiæ, probitatis elucebat in ipso, ut eum Henricus III ad Claromontensem sedem evehere non dubitarit, quum sciret juventutem ætatis morum gravitate maturari.

Unde ipsum quoque inter sacri consistorii assessores adjunxit, qua dignitate præcipue usus est ut Christi imperium defenderet, aut dilataret; nam ejus consilio potissimum provisum est, ut sancta loca Judææ ab infidelium impietate protegerentur, & in barbaras nationes novæ Galliæ Missionarii mitterentur. Aula vero derelicta, suæ ecclesiæ possessionem adeptus 7 Octobr. 1585 magnis viribus incubuit ut hæreseos venenum a suis ovibus depelleret pharmaco sinceræ pietatis & doctrinæ. Interim civilis belli furebant tumultus, & quia nondum Henricus IV hæresim ejuraverat, plures episcopi ab ejus partibus erant alieni, quos inter Franciscus fidei zelo incensus: at ubi primum scivit regem ad ecclesiam catholicam fuisse conversum, illi, quamvis ultimus ceterorum præsulum impense sua præstat obsequia

anno 1595. Henricus autem acerrimi princeps ingenii, qui novit quam fidelem ei operam & ecclesiæ navare posset Franciscus, eum ad summas ecclesiæ dignitates promovere statuit. Paulo post ergo in ordinem sancti Spiritus adscitus est; ad pontificem quoque scripsit & enixe petiit, ut tantum virum purpura exornaret; annuit libenter pontifex Paulus V, & ipsum renunciavit cardinalem an. 1607 10 Decemb. cursoremque misit ad ipsum Billomi in Arvernia tunc agentem, idemque nuncium paulo post a rege suscepit, a quo invitabatur, ut aulam adiret biretum accepturus, sed Franciscus gloriæ humanæ minus cupidus, quum a suis ovibus, quas omnibus officiis caritatis sublevabat, ægre divelleretur, per menses quatuor distulit. Deinde regi suam fidem, gratitudinemque ita compertam testatamque fecit, ut Henricus ejus opera & consilio uti, quum decrevisset, ut aulæ foret vicinior, Silvanectensem ad ecclesiam transferri exoptarit, commutatione facta sedis cum Antonio *Rose* præsule Silvanectensi an. 1610, qui primum quum esset assensus, postea tamen cœptum negotium variis implicuit difficultatibus. Hos ut nodos dissolveret facilius, ipsi sancti Maximini Miciacensis abbatiam cessit Franciscus; quæ a pontifice & a rege habita sunt rata, sed nullo modo ab Arvernensibus, qui tam fido pastore se orbari difficillime passi sunt. Unde Jacobus Sirmondus Sidonii Apollinaris opera ei dicans, epistola præliminari hæc fatur: *Neque ulla unquam erit ætas, quæ lustra illa quinque non celebret, quibus ad ecclesiæ Claromontanæ clavum sedens omnes illi prudentissimi vigilantissimique pastoris numeros reddidisti; laudandæque imitationis studio, nunc Austremonii, Illidiique sanctitatem, Venerandi atque Eparchii religionem, Quintiani constantiam, Galli modestiam, benignitatemque æmulari viderere; nunc enim ut humanarum rerum despicientia Bonitos, sacrorum locorum cultu Genesios, revocandis ad rectam fidem deviis Avitos, sublevandis inopum calamitatibus Sidonios; universum denique lectissimorum quondam præsulum senatum, Arverniæ suæ virtutum tuarum luminibus, exemplisque renovares.*

Silvanectenses autem non statim ejus præsentiæ fructum percepere; postquam enim possessio-
1610. nem iniit hujus ecclesiæ anno 1610, feria IV. 21 Aprilis per procuratorem Johannem *Berthier* episcopum Rivensem & abbatem sancti Vincentii Silvanect. statim illum Romam misit rex, ut suam erga pontificem testaretur observantiam. Humanissime ab eo exceptus, adjunctus etiam est congregationibus, quæ agunt de sancto officio, de promotione episcoporum, de Regularibus & aliis ejusmodi quæ spectant ad ecclesiasticam disciplinam, in quibus uni totius ecclesiæ commodo studere semper visus est, non propriæ utilitati.

Auctor etiam inter præcipuos fuit, ut ea quæ in synodo Basileensi decreta fuerant contra pontificiam dignitatem, rescinderentur. Inter hæc suavissima Bellarmini cardinalis optimi societate semper usus est, quam inter ipsos magna in moribus concordia pepererat. Defuncto cardinali Givrio Cisterciensis ordinis protectore, in ejus

A locum a pontifice suffectus, necnon absente cardinali a Joyosa, totius Galliæ viceprotector institutus fuit. Toto denique quadriennio, quo Romæ diversatus est, præbuit se cardinalibus in omnibus exemplum bonorum operum, sese continuo vel orationibus, vel ecclesiarum visitationibus exercens; unde quum omnium ad se convertisset animos, & maxime pontificis, vix ab eo potuit obtinere, ut in Gallias rediens suam inviseret diœcesim; quumque interim ut Romæ permaneret Franciscus, Papa effecisset apud reginam imperii Gallici moderatricem, ipse ovium suarum tactus amore, antequam hoc susciperet mandatum,
B Roma exiit 1613, eodemque anno die XI Nov. 1613.
per se adiit ecclesiæ suæ possessionem. Continuo Franciscus in visitanda diœcesi assiduus, sacerdotibus peritis juxta & piis procurandis attentus, pauperum, pupillorum, viduarumque invigilabat profectui. Paulo post, proclamatis regni comitiis
generalibus ad mensem Octobrem anni 1614, 1614.
inter primos quum advenisset Franciscus, die 2 ejusdem mensis interfuit cæremoniæ, qua rex in parlamento suam in tutelam venit, ubi a sinistra regis cum tribus aliis cardinalibus sedit, reclamantibus Franciæ paribus, etiam ecclesiasticis, qui propterea absuere.

C Porro quum zelo non mediocri ferveret fovendæ & propagandæ ecclesiasticæ auctoritatis, cleri & nobilium regni cœtu generali congregato, quantis potuit rationibus persuadere regi contendit, ut concilium Tridentinum toto regno suo probari, observari & publicari permitteret, servatis nihilominus ecclesiæ Gallicanæ, regnique libertatibus, privilegiis, exemtionibus capitulorum, monasteriorum & congregationum, quas illibatas manere apud pontificem supplicabatur. Verumtamen quum tertius ordo magnis conatibus obstitisset, res ad exitum perduci tunc minime potuit. Quare post dissoluta comitia,
D cleri cœtu generali convocato mense Maio anni
1615, cui præfuit cardinalis Franciscus effecit 1615.
ut in eo Tridentinum concilium admitteretur; huicque decreto subscripsit primus cum tribus cardinalibus, archiepiscopis septem aut octo, episcopis 45, necnon inferioris ordinis clericis 30, delegatis, aliaque plurima constituit ad ecclesiæ majus ornamentum. Anno eodem die Dominica 31 Maii consecravit in ecclesia Capucinarum Parisiis Joachimum d'Estain episcopum Claromontensem. Denato cardinali Perronio Franciæ magno
eleemosynario 1618, non alium ejus in locum 1618.
substitui digniorem regi visum est, quam Rupi-
E fucaldum; quo in munere fidelis servus in domo Domini, quum antea multa neglecta fuissent, quæ ad illud officium pertinebant, primum curavit supellectilem sacelli regii ornatissimam fieri, missarum & officii divini digne solemnia exerceri, sacerdotes doctos & probos advocari, qui missis canendis, confessionibus audiendis, administrandisque sacramentis sedulo incumberent. Restaurari quoque sategit ptochodochia penitus collapsa, proventus eorum utiliter collocari, iisque servientes ad meliores mores revocari. Atheos & impios plures ex aula pepulit, nec ullis unquam

ANNI CHRISTI flecti magnatum precibus voluit, ut homines hujusmodi versari pateretur in domo principis
1619. Christianissimi. Mortuo interim 13 Julii 1619, Benjamino de Brichanteau episcopo Laudunensi & abbate regulari S. Genovefæ Parif. rex invitum coëgit cardinalem, qui hanc abbatiam commendæ titulo possideret ut eam ad monasticæ vitæ canones revocaret; qua intentione id onus subiit, ut postea abbati regulari canonicorum regularium sancti Augustini eam restitueret, uti pluribus tom. VII, col. 774, dictum est. Anno 1620, 1 Octobr. synodum habuit diœcesanam, in qua salvis ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, Tridentino concilio datus est assensus. Sed quum B amplior caritas urgeret Franciscum, non sine quodam divino consilio electus est, ut universali ordinum S. Benedicti, S. Bernardi & S. Augustini reformationi vacaret. Quum enim rex Turonis versatus, Majus monasterium invisisset, & corruptos monachorum ibi degentium mores accepisset, necnon desolata illa loca, quæ quondam tanta pietate floruerant, tum Gondius cardinalis, apud quem rerum summa erat, auctor fuit regi ut tantæ calamitati generoso consilio succurreret, Franciscum cardinalem medendis illis malis esse aptissimum proposuit, pontificis adjungendam auctoritatem, quod rex annuit, & an. 1621, C id a Gregorio XV, per epistolas expetiit, qui libenter annuit diplomate dato 8 Apr. 1622, quum sciret eam esse pietatem Francisci, ut eum ad apostolicæ sedis thronum promoveri Bellarminus votis & suffragio cuperet. Vacantem eodem
1622. anno 1622, per obitum cardinalis Raderii *de Retz* summam regii consilii præfecturam contulit rex Francisco, qui mox abdicavit episcopatum Silvanectensem, retenta præbendarum hujus ecclesiæ collatione, & acceptis a Nicolao successore, titulo permutationis, prioratibus S. Martini *de Condres* diœcesis Ebroic. & B. Mariæ *de Treon* Carnotensis, ut constat ex bullis Nicolao datis D XIII cal. Octob. Elapso biennio, primatum illum in consilio regio ejuravit, ut liberius incumberet religiosis ordinibus reformandis, quos continua & præcipua complectebatur caritate. Diu vero postea superstes Franciscus, ut in historia abbatiæ S. Genovefæ Parif. loco citato videre est, in judicium vocatur ratione vestitus altaris debiti ecclesiæ S. Reguli, necdum soluti, qui tandem oblatus est ab eo die Jovis 8 Septembris an. 1639.

SANGUIN.

XCVII. NICOLAUS.

Patritia gente ortus Parisiis Nicolaus parentes E habuit Jacobum *Sanguin* in Parlamento senatorem & Mariam *du Mesnil*. Doctor facultatis Parisiensis, senator ejusdem urbis, canonicus Carnotensis, Parisiensis, & Silvanectensis ecclesiarum, hujusque officialis, abdicante Francisco, Silvanectensis episcopus renunciatus est a rege die 12 Martii 1622. Pepigit eodem anno 1 die Junii cum canonicis sacræ capellæ Parisiensis de regaliorum jure. Bullis donatus XIII cal. Octobr. 1622, quà officialis a capitulo deputatus, alteri vices suas commisit 3 Decembr. A Regi sacramentum dixit die XI Januarii an. 1623. Sacro inungitur chrismate in æde sancti Ludovici patrum societatis Jesu Parisiis 12 Febr. ejusdem anni Dominica Septuagesimæ a Francisco *d'Escoubleau* cardinali *de Sourdis* archiepiscopo Burdegalensi. Dein ecclesiam suam festivo apparatu pro more antiquo ingressus est die Jovis 6 Aprilis, comitantibus illum quatuor baronibus clientibus beneficiariis, nempe *de Brasseuse*, *de Raray*, *de Survilliers* & *de Pontherme*. Favit inprimis an. 1624 sacris a S. Ursula virginibus recens apud Crispeium institutis, quibus & velum sacrum tradidit eodem anno die 8 Septembris. Adstitit 2 Febr. 1625 episcopo Parisiensi Danielem *de la Mothe-Houdancourt* Mimatensem episcopum in superiori sacello consecranti. Interfuit notabilium cœtui Parisiis habito 1625. Dedicavit anno seq. 19 Julii ecclesiam S. Nicolai de Aciaco, & aliam eodem anno, vici de Montagniaco. Anno 1628 die 16 Januarii Remensi capitulo fidem juravit. Parisiis anno eodem 9 Aprilis adfuit consecrationi Victoris Boloniensis episcopi; & die 10 Augusti parœcialem S. Genovefæ Silvanect. ecclesiam consecravit. Parthenonem Præsentationis B. Mariæ sub regula sancti Augustini ibidem propriis sumtibus excitavit, episcopali jurisdictioni subjecit, & ab Urbano VIII confirmari curavit bulla data 1628 die 4 Januarii. Eodem anno die 3 Aprilis cum pluribus aliis episcopis a rege delegatus in exsecutionem brevis apostolici pro religiosis ordinibus reformandis, Cardinali Rupifucaldio abbatiam S. Dionysii congregationi S. Mauri adjungenti adjutor fuit die 2 Aug. 1633. Adstitit anno 1637 die 27 Septembr. Carolo *de Montchal* Tolosano archiepiscopo inauguranti Alanum *de Solminihac* episcopum Cadurcensem in æde S. Genovefæ Parisiensis. Cum aliis apud S. Genovefam congregatis episcopis ad ecclesiæ Gallicanæ præsules de damnandis duobus voluminibus, altero libertatum ecclesiæ Gallicanæ, & altero probationum earumdem libertatum scripsit die 9 Febr. 1639. Anno eodem die 29 Martii primum ecclesiæ & parthenonis Præsentationis B. Mariæ, cujus fundatorem diximus, lapidem posuit. Eodem, 27 Novembr. consecravit in ecclesia Missionis Parisiensis Arturum *de Lionne* episcopum Vapincensem, assistentibus Richardo *Suith* Chalcedonensi & Antonio *Godeau* Venciensi; iisdemque cooperatoribus episcopis inauguravit anno 1640 die 6 Maii apud Cœlestinos Parisienses Jacobum *Danés* episcopum Telonensem. Probavit anno 1641 29 Octobr. institutionem Carmelitarum excalceatorum in urbe Silvanecto. Dominica 6 Julii ann. 1642 suam impendit operam in consecratione Caroli *Vialart* Abrincensis episcopi in ecclesia Fuliensium Parisiensi vici S. Honorati. Judicum unus ab Innocentio X delegatus est, qui Renatum *de Rieux* episcopum Leonensem restituerunt die 6 Septembr. an. 1646. Convenit sub id tempus cum capitulo pro fundatione unius concionis perpetuæ die festo SS. Trinitatis in ecclesia S. Reguli. Postea cum ipso S. Reguli capitulo anno 1648 die Martis 21 April. alterum

Right margin: ANNI CHRISTI 1623. 1624. 1625. 1626. 1628. 1633. 1637. 1639. 1640. 1641. 1642. 1646. 1648.

ANNI CHRISTI

iniit pactum de fundatione tam dictæ concionis, A quam & alterius habendæ similiter in ecclesia S. Reguli die festo sancti ejusdem 23 Aprilis.
1651. Adfuit anno 1651 die 7 Septembris in Parlamento, ubi rex Ludovicus XIV sui juris esse declaratus est. Sub finem ejusdem anni episcopatum dimisit nepoti, quem sacravit an. 1652. Anno adhuc 1653 die 2 Febr. in æde sacra S. Genovefæ Parif. Carolum *de Bourlon* coadjutorem Suessionensem, episcopum Cæsareæ inauguravit. Quum autem pie, juste & sobrie vixisset, magnoque religionis necnon modestiæ exemplo nepotis in gratiam onere pastorali se exemisset, expertus est pene in instanti mortem subitaneam. Quum B enim Luparam adiisset, coram plurimis, quos alloquebatur, episcopis subito corruit, qui ab uno ex ipsis ad invocandum Dominum incitatus, statim exstinctus est die 15 Julii 1653 ætatis anno 73 regiminis 31. Corpus ejus biduo post die Jovis delatum Silvanectum, sepulturæ pro voto mandatum est in ecclesia Præsentationis in sacello B. Mariæ sub tumba lapidea sic inscripta:

Extrait du testament d'illustrissime & reverendissime M.re Nicolas Sanguin vivant Conseiller du Roy en ses conseils, evesque de Senlis, fondateur & instituteur de ce monastere, & de l'hospital des pauvres renfermez de ladite ville. J'elis ma sepulture en une chapelle de l'eglise exterieure du monastere de la Presentation de N. Dame a Senlis, sur laquelle sepulture je desire estre posée a fleur de terre une pierre de hals, où seront gravez les seuls mots qui ensuivent: Cy gist M.e Nicolas Sanguin autrefois evesque de Senlis, decedé le XV Juillet 1653. Priez Dieu pour son ame.

Cor ejus Parisiis in æde sacra B. Ludovici Soc. Jesu, & viscera in ecclesia Minimorum plateæ regiæ condita sunt. Henricus *de Maupas* episcopus Aniciensis oratione funebri ejus elogium prosecutus est die 16 Augusti ejusdem anni, quo D res divina pro defuncto, apparatu summo peracta est in ecclesia laudata patrum Soc. Jesu.

SANGUIN.

XCVIII. DIONYSIUS II.

Nicolai nepos ex fratre Dionysius, filius quippe natu minor Jacobi ordinarii regis dapiferi & Mariæ *Dollé* filiæ Ludovici toparchæ *du Vivier* ærarii summi præfecti, jam patrui cessione canonicus sacræ capellæ Parisiensis, eodem concedente, Silvanectensis episcopus renunciatus est a rege an. 1651. Bullis donatus X cal. Novembr. ab Innocentio X pontificatus anno octavo, sacram
1652. unctionem accepit anno seq. 1652 die 14 Ja- E nuarii a Nicolao patruo in æde S. Ludovici patrum Soc. Jesu Parisiis, collaborantibus Jacobo *Danés* Telonensi & Johanne *d'Estrade* Condomiensi episcopis, coram Nicolao e comitibus Guidiis a Balneio Athenarum archiepiscopo, sedis apostolicæ nuncio, adstantibus quoque Remensi archipræsule, pluribus aliis prælatis & proceribus, quos omnes lauto Dionysius excepit convivio. Eodem anno die Jovis 21 Martii ecclesiæ suæ possessionem ipse apprehendit, quam jam ante duos menses apprehenderat per magistrum Egidium *Pluyette* vicarium generalem. Biennio post die 4 Junii 1654 Remensi capitulo consuetum 1654.
exhibuit sacramentum: dieque 21 eorumdem mensis & anni cum Roberto *Cupif* Dolensi episcopo adstitit Francisco *Faure* episcopo Ambianensi Johannem Dominicum *Ithier* inauguranti Parisiis in ecclesia S. Germani a Pratis episcopum Glandevensem. Statuta condidit 17 Jan. 1656 1656.
pro Silvanectensi ptochodochio. Anno seq. die 1657.
festo S. Johannis apostoli 27 Decembr. ecclesiæ S. Reguli majus altare consecravit in honorem S. Reguli, cujus consecrationis diem anniversarium, ob concursum festorum, constituit 15 mensis Novembris, singulisque fidelibus hac die ipsum altare visitantibus 40 pœnitentiæ dies de vera indulgentia relaxavit. Delegatur anno 1665 1665.
a provincia Remensi ad cœtum cleri generalem. Admisit in urbem anno 1669 fratres a Caritate. 1669.
Breviarium ad usum Silvanectensis ecclesiæ publici juris fecit anno 1670. Insequenti, die 20 1670.
Septembris ecclesiam patrum Capucinorum Cris- 1671.
peii dedicavit. Decimo post anno 1681, die 1681.
28 Decembris daturum se canonicis S. Reguli quem debebat pro jucundo adventu, pannum aureum vel sericum promisit. Anno seq. die 30 1682.
Martii benedixit in ecclesia Caroliloci Claudium C *Sanguin* nepotem abbatem B. Mariæ de Petris in diœcesi Bituricensi. Obtinuit ipse Dionysius abbatiam Livriaci an. 1689. Fundatam an. 1692 1689.
ab Henrico Julio de *Bourbon* parœcialem eccle- 1692.
siam Chantiliaci probavit, dedicavitque sub titulo B. Mariæ 12 Maii ejusdem anni. Sororibus a Cruce institutis a D. *Deslions* Silvanectensis ecclesiæ decano ac theologo pro instituendis pauperibus puellis plurimum favit anno 1695. Capellam S. 1695.
Bartholomæi in loco *de Rosieres* die 5 Junii 1697 1697.
erexit in succursalem parochiæ *de Baron*. Quinquagesimum episcopatus ejus annum, clerus ecclesiæ suæ, ob incolumitatem optimi pastoris lætus festivum egit mense Martio anni 1701 præsu- 1701.
lemque cleri nomine salutavit Michael *de Bancalis de Pruines* decanus & aptissima laudavit oratione ob pacificam ejus administrationem & concordiam nunquam toto tanti temporis spatio violatam, aut interruptam episcopum inter & capitulum. Verum anno sequenti 1702 die 13 1702.
Martii Dionysius obiit Parisiis annos natus 81 antiquissimus omnium Gallicanorum præsulum. Relatum ejus corpus Silvanectum, in ecclesia Præsentationis B. Mariæ juxta patrui corpus sepultum est sub tumba lapidea sic inscripta:

Cy gist illustrissime Seigneur & reverendissime pere en Dieu M.re Denys Sanguin conseiller du Roy en ses conseils, evesque de Senlis, lequel aprés avoir rempli trés-dignement le siege episcopal pendant cinquante années, est decedé le treizieme mars mil sept cens deux, âgé de 81 ans.

Il a élu sa sépulture en ce lieu avec feu M.re Nicolas Sanguin son oncle & prédécesseur immédiat, fondateur & instituteur de ce monastère, où l'on ne cessera jamais de prier Dieu à leur intention.

ANNI CHRISTI

DE CHAMILLART.

XCIX. Johannes Franciscus.

Guidonis libellorum supplicum magistri filius Johannes Franciscus germanum habuit Michaelem ærarii præfectura & regni administratione conspicuum, reique bellicæ quatuor inter viros sanctioris consilii commentarienses præpositum. Ipse vero doctor theologus facultatis Parisiensis 10 Januar. 1685, abbas Fontis-gombaudi 24 Martii 1687, & episcopus Dolensis 5 Aprilis 1692; demum anno 1702 die festo Paschæ 16 Aprilis Balmensi abbatia donatus est a rege, & ex ecclesia Dolensi translatus ad Silvanectensem. Romæ igitur 12 Junii propositus a cardinali Jansonio, admissus fuit die 3 Julii. Deputatus eodem anno ad cleri comitia, die 2 Septembris regi fidem juravit in sacello castri Marliaci, ac die 7 ejusdem mensis allectus est academicorum qua-
1703. draginta collegio. Anno 1703 die 11 Febr. Dominica Sexagesimæ Silvanectensem ecclesiam fes-
1704. tivo apparatu ingressus est. Anno 1704 12 Aprilis mortuo Jacobo Benigno *Bossuet* episcopo Meldensi, biduo post factus est primus serenissimæ ducissæ Burgundiæ eleemosynarius. Remensi
1705. ecclesiæ spopondit obsequium die 10 Maii 1705, & anno eodem interfuit cleri Gallicani comitiis generalibus. Synodum habuit anno eodem 12
1706. Maii. Anno 1706 13 Martii primum lapidem ecclesiæ fratrum a Caritate apud Silvanectum posuit. Presbyteros ab eorumdem societatis auctore Eudistas appellatos seminario præfecit, cui unita seminario una præbenda B. Mariæ cum parochia S. Petri adaucta postmodum sancti Hilarii paro-
1712. chianis. Anno 1712 die 14 Febr. Delphini & Delphinæ Franciæ conjugum funus deduxit ad basilicam S. Dionysii Johannes Franciscus. Obiit
1714. ipse Parisiis anno 1714 mensis Aprilis die 16. Silvanectum corpus delatum 19 ejusdem mensis, primum fuit depositum apud S. Lazarum in suburbio, & postea inhumatum in ecclesia cathedrali, cui trecentas libras annui reditus legavit pro anniversario quotannis celebrando; matronis vero civitatis, quibus incumbit cura pauperum, ut summa 9000 librarum daretur, fratri suo ærarii summo præfecto injunxit. Ipsius tumba marmorea in sanctuario a parte epistolæ sic inscribitur:

Hic jacet illustrissimus & reverendiss. D. D. Johannes Franciscus de Chamillart Silvanectensis episcopus, Adelaidis Sabaudiæ serenissimæ Delphinæ ab eleemosynis primus. Obiit 16 Aprilis anno Domini 1714, ætatis 57. Requiescat in pace.

Sic etiam tabella marmorea appensa pilæ proximæ:

Hic jacet illustrissimus & reverendissimus D. D. Johannes Franciscus de Chamillart Dolensis ecclesiæ 10, Silvanectensis 12 episcopus, Adelaidis Sab. serenissimæ Delphinæ ab eleemosynis primus, doctor Sorbonicus, Franciæ academiæ socius, præsul fidei zelo, pastorali vigilantia, morum candore & integritate conspicuus. Seminarium ædificavit, nosocomium redditibus auxit, pauperum præ verecundia latentium angustiis subvenit in perpetuum: & singulis annis sacra ipso obitus sui die fieri instituit. Obiit 16 Aprilis 1714, annos natus 57 & menses 3. Requiescat in pace. Michael de Chamillart regni administer regiorum ordinum commendator fratri carissimo mærens posuit.

ANNI CHRISTI

TAUBAINE.

C. Franciscus Firminus.

Canonicus & cancellarius Ambianensis ecclesiæ, generalisque episcopi erat vicarius Franciscus Firminus, quum a rege nominatus est episcopus Silvanectensis die sacro Pentecostes 20 Maii 1714. Parisiis a cardinali *de Rohan* in ecclesia monialium sanctæ Elisabethæ inauguratus est 25 Novembris anni ejusdem, assistentibus Noviomensi & Sagiensi episcopis. Regi quarto post die fidei sacramento se obstrinxit in sacello castri Marliacensis, ac ecclesiæ suæ ritu solenni possessionem accepit Dominica Septuagesimæ 17 Febr.
1715. Dedicavit eodem anno 5 Septembris 1715.
ecclesiam fratrum a Caritate Silvanecti. Adfuit
23 Augusti 1722 consecrationi Armandi Julii 1722.
de Rohan Remensis archiepiscopi, dieque 25 Octobris adstitit sacro Ludovici XV, ubi quà comprovincialis episcopus munia sedi suæ annexa
exercuit. Anno 1723 die 25 Maii a Remen- 1723.
si provincia deputatus interfuit cœtui cleri generali. In sacello castri sui apud Montes-episcopi
die 12 Julii 1724, delegatus a summo ponti- 1724.
fice contulit pallium Ludovico *de la Vergne de Tressan* Rotomagensi archiepiscopo. Biennio post
1726, mense Maio obtinuit a rege commendam 1726.
S. Stephani de Fidemio diœcesis Cameracensis.
Die 9 Maii 1728, in ecclesia sua Ludovicum- 1728.
Franciscum *Vivet de Montclus* Sanbriocensem episcopum inauguravit. In cœtu cleri Gallicani
habito Parisiis anno 1730, absens Franciscus 1730.
Firminus 18 Septembris nominatus fuit procurator alter pro continuandis novis cleri commen-
tariis. Benedixit anno seq. 1731, die 14 Janua- 1731.
rii in ecclesia S. Vincentii Silvanectensis, Antonium *Niceron* abbatem S. Leodegarii Suessionensis.
Donatus ipse a rege 1733, prioratu Bosci-achardi 1733.
in diœcesi Rotomagensi, eodem anno annulum suum sanitatis recuperatæ pignus S. Regulo obtulit 8 Septembris. Eodem, 8 Novembris majorem
aram Carolilocensis ecclesiæ sacravit. Anno 1734 1734.
Parisiis in sacello Seminarii S. Sulpicii Johannem-Franciscum *de la Cropte de Bourzac* Noviomen-
sem episcopum inunxit. Dimisit anno 1735, 1735.
mense Martio prioratum Bosci-achardi, quando a rege donatus est commenda B. Mariæ de Vic-
toria. Benedixit anno 1736, 18 Augusti sacel- 1736.
lum S. Laurentii domus hospitalis Chantiliaci. Statutum capituli S. Reguli 17 mensis Septembris
anno 1738, de assignandis ad officia divina 1738.
distributionibus die 29 ejusdem mensis & anni apud Chantiliacum approbavit, iterumque firma-
vit 20 Decembris 1741. Habita sunt Parisiis 1741.
cleri Gallicani comitia 1740, in quibus 30 Augusti procurator adhuc designatus est Franciscus Firminus ad inquirenda cleri privilegia. Anno
1742, benedixit in ecclesia Caroliloci Jacobum 1742.
Grillot priorem, electum abbatem Pontiniaci.
Anno 1746, feria secunda 2 Maii excepit ad 1746.
valvas ecclesiæ suæ regem Ludovicum XV.

DECANI ECCLESIÆ SILVANECTENSIS.

Chart. IV. col. 205. I. HUGO decanus reperitur anno 1068, A
in charta Philippi Francorum regis pro
ecclesia Silvanectensi. De eo necrologium nonis
Januarii.

II. Wigerus Levita subscriptus apographo prædictæ chartæ Philippi regis decanum agebat,
Chart. VI. col. 206. quum Guido anno 1075, dedit ecclesiæ Silvanectensi terram cum silva, quam habebat apud
Rubreium inter Credolium & Silvanectum. De
Wigero decano necrologium Beatæ Mariæ sic:
*2 calendas Octobris Obiit Wigerus Levita & decanus S. Mariæ, qui nobis reliquit tres arpennos vineæ
& altare Duveii villæ, quod redemit 12 libris.* B

III. Stephanus I anno 1081, in chartario
S. Nicolai de Aciaco; de quo forte sic necrologium B. Mariæ: *VII cal. Decembris Catharinæ
virginis & martyris; instituerunt Stephanus istius
ecclesiæ decanus totumque capitulum, quod in festo
S. Catharinæ fient novem lectiones de passione ejus.*

IV. Warnerus & Garnerus, idem forsan qui
Warnerius præpositus subscripsit anno 1068,
cum Hugone decano &c. apographo supra lau-
Charta IX. col. 207. Hist. S. Mart. a Campis, p. 286. datæ chartæ Philippi regis, decanus occurrit annis 1097 & 1106. De Garnero necrologium
VI idus Aprilis. C

V. Ibertus, Ilbertus, Hilbertus & Ibericus
Chart. XX. col. 213. filius Rerici de Domno-Martino, decanus anno
circiter 1138 & 1143, 1151 & 1154, capi-
Ch. XXII. col. 214. tuli nomine anno 1162, gratias retulit Henrico
Trecensi comiti, quod querelam, quæ inter eos
& episcopum Amalricum erat de quibusdam S.
Ch. LXIX. col. 431. Gervasii hominibus terminasset. Memoratur adhuc anno 1164, in charta Amalrici episcopi.
Denique Hilberti decani sic meminit necrologium
B. Mariæ: *Calendis Septembris Obiit Rericus de
Domno-Martino, pro cujus anima filius ejus Hilbertus decanus B. Mariæ nobis dedit unum hospitem* D
extra urbem, novem denarios annuatim solventem.

VI. Theobaldus decanus testis habetur in
charta Amalrici episcopi pro Caroliloco circa
1166.

VII. Stephanus II *de Senlis* frater Guidonis
Buticularii & Bartholomæi Catalaunensis episcopi
testis est anno 1166, in chartis Amalrici Silvanectensis & Mauricii Parisiensis episcoporum pro
Caroliloco; & Guidonis Buticularii, qui fratres
vocat Petrum archidiaconum & Stephanum decanum ecclesiæ Silvanectensis. Memoratur anno
1169, in charta Henrici episcopi Silvanectensis E
pro cœnobio Longi-pontis. S. decano brevem
hanc inscribit chartam Ludovicus VII Francorum
rex circa 1170. *Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex, S. decano & toti capitulo Silvanectensi
salutem. Petitionem vestram quam fecistis de ampliando luminari ecclesiæ vestræ, nos rogantes audivimus,
& ex consilio Dei pro honore sanctissimæ adjutricis
nostræ B. Virginis Mariæ constituimus, quoties &
quamdiu in manu nostra, sive successorum nostrorum
fuerit episcopatus Silvanectensis, ut cum una lampade
quæ solet ardere in ecclesia vestra, amodo una alia
ardeat, & in sanctuario circa altare loco candelarum
sint cerei.* Convenit Stephanus anno 1171, cum
abbate & conventu Caroliloci de domo ipsis tradita in claustro B. Mariæ a Guillelmo præcentore.
Occurrit 1174, in charta Henrici episcopi de
succursu ecclesiarum diœcesis, quem episcopus
capitulo concedit, donec proprius illarum sacerdos
nominetur. Anno 1176, cum capitulo confirmat
donum Asconis cantoris de fundatione capellani
obituum. Reperitur 1179, in charta Henrici
episcopi de bonis canonicorum, qui decedunt intestati; & 1180, in tabulis Guidonis buticularii
Ludovici regis pro Caroliloco, in quibus Stepha- Ch. LXXIV. col. 435.
nus decanus Guidonis frater dicitur. Subscripsit
eodem anno chartæ capituli S. Frambaldi annualia
præbendarum suarum S. Vincentio Silvanectensi,
precibus Philippi II, coronati regis 1179, superstite Ludovico VII patre, concedentis, & adhuc
circa hunc annum in charta LXXVII, appendicis
nostræ col. 437. Exstat ad Stephanum bulla Lu-
cii papæ III, data Velletri 1182, pridie cal. Julii Ch. XXX. col. 220.
indict. XV, res & possessiones Silvanectensis ecclesiæ confirmantis. Laudatur 1183, in charta
Mauricii episcopi Parisiensis pro Herivallis fundatione. Obtinuit anno 1184, canonicatum in
ecclesia Parisiensi. Testis est anno eodem in char-
tis duabus Henrici episcopi pro Silvanectensi Ch. LXXXI & LXXXII. col. 439.
ecclesia, qui huic eodem anno confirmavit ejusdem consuetudines, & in charta LXXXIV, appendicis nostræ, col. 441. Subscripsit Stephanus
1186, chartæ Gaufridi episcopi, ecclesiarum Ch. XXXI. col. 222.
B. Mariæ & S. Reguli consuetudines & liberta-
tem asserentis. Ad quem vero annum pervenerit Ch. LXXXV. col. 442.
Stephanus, haud liquet; alter enim ejusdem nominis hanc circa id tempus dignitatem possedit;
at quum uterque in tabulis solo Stephani designetur nomine, ad utrum spectent definire, divinare
est. Quod si tamen in dubiis liceat conjicere,
primum arbitramur desiisse anno saltem 1188,
ut pote qui non comparet in charta Gaufridi
episcopi de facta hoc anno a Guidone buticulario, Stephani fratre, ecclesiæ Silvanectensi eleemosyna.

VIII. Stephanus III, Petri comitis Autissiodorensis germanus, ex necrologio S. Frambaldi
ad VIII idus Maii, anno 1187, nomen apposuit
suum fundationi tertiæ præbendæ in ecclesia sancti Tom. 3. Hist. univ. Paris. p. 41.
Stephani de Gressibus Parisiis. Cum Gaufrido
episcopo vendidit anno 1196 tabulam auream
majoris altaris, ex cujus pretio emtæ sunt decimæ
de Moncrespin. Anno 1197, retro majus altare Ch. XC. col. 445.
capellanum ad celebranda obsequia canonicorum
& benefactorum instituit. Memoratur eodem anno in sententia Michaëlis de Corbolio archiepiscopi Senonensis adversus episcopum Nivernensem. Occurrit anno 1204, in charta Gaufridi
episcopi capitulum & burgenses Silvanectenses
conciliantis. Subscripsit anno 1205, initæ concordiæ inter capitulum & conventum S. Nicolai
de Aciaco. Stephani decani fit mentio in charta

P. abbatis S. Vincentii de annualibus præbendarum B. Mariæ. Anno 1211, cum abbatibus Latiniaci & Caroliloci ab Innocentio III, bullis duabus datis 23 & 25 Febr. delegatus fuit ad reformandam abbatiam Corbeiensem. Memoratur in necrologio S. Frambaldi VIII cal. Septembr.

IX. Robertus I, reperitur decanus annis 1212, 1213, 1215, 1217 & 1221, in charta factæ compositionis a Garino episcopo capitulum inter Silvanectense & communias Silvanectensem & Crispeiensem super minutis decimis. Legitur adhuc decanus anno 1223, in charta ejusdem episcopi conciliantis capitulum cum ecclesia Caroliloceensi III calendas Novembris, super medietate majoris decimæ *de Rully*, quam Robertus assensu capituli pie benigneque Caroliloco in perpetuum dimisit. Memoratur eodem anno 1223, mensibus Julio & Nov. in chartario Corbeiensi.

X. Simon I, decanus Silvanectensis & canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Pauli apud S. Dionysium in Francia, laudatur annis 1231 & 1233, quo & 1235, variis interfuit conciliis. Eodem 1235, mense Decembri cum capitulo dedit cœnobio S. Vincentii, capellam, domum & manerium S. Laurentii in Bosco, oblationesque, redditus & quidquid juris habebat in eisdem dimisit, excepta decima. Simonis defuncti anno circiter 1236, obitus dies recolitur in omnibus Silvanectensibus necrologiis VI cal. Februarii.

XI. Robertus II, cui cognomen *de Deuil* affingunt, anno 1236 mense Martio, hoc est 1237, pro datis capitulo 250 libris Parisiensibus nonnulla rependit Galerano canonico. Reperitur anno eodem in chartis duabus officialis Silvaneƈt. Anno 1239 in discordia capitulum inter & canonicos S. Vincentii a capitulo electus arbiter est. Occurrit anno 1240 in charta erectionis parochialis ecclesiæ S. Stephani apud Silvanectum. Mense Januario anni 1243 qui nunc 1244, Franciscanis Silvanecti intra fines parochiæ S. Genovefæ demigrandi facultatem concessit. Volunt eum postea factum esse canonicum regularem S. Victoris Parisiensis, huicque monasterio defunctum 19 Junii suam legavisse bibliothecam, centumque annui redditus libras, ex martyrologio S. Victoris.

Ch. CIX. col. 457.

XII. Robertus III *de la Houssaye*, clericus regis & decanus Silvaneƈt. anno ineunte 1245, emit capituli nomine quinque solidos annui census. Excepit anno 1249, a Margarita de Seriaco medietatem majoris decimæ ejusdem villæ. Occurrit adhuc annis 1250, 1251, 1252, 1256 & 1257, quo ultimo mense Novembri jus claustri obtinuit a rege Ludovico. Legitur in regestis Parlamenti, vocabulo *Olim: Inquestæ terminatæ Parisiis in Parlamento B. Martini hiemalis anno Domini 1259. Inquestæ factæ per magistrum Robertum de Housseia tunc decanum Silvanectensem, &c.* Eodem anno factus est episcopus, ut diximus col. 1418.

Ch. CXIII. col. 459.

Ch. CXIV. col. 460.

XIII. Robertus IV *de Cressonsart*, Bellovacensis archidiaconus 1258 & anno seq. decanus Silvanectensis, qui mox episcopus uti supra dictum est col. 1418.

XIV. Nicolaus I *de Gisortio*, decanus reperitur anno 1263, in charta Roberti episcopi de augmentatione redditum decanatus S. Thomæ de Crispeio, & institutione cantoriæ in eadem ecclesia. Numquid idem est ac Nicolaus *de Lucy* vocatus sic a gente, & a patria de Gisortio, decanus utrobique nuncupatus, qui prioratui Bellimontis ad Oësiam ordinis Cluniacensis centum solidos dedit? Is defunctus est 17 Augusti ex obituario dicti prioratus apud S. Martinum a Campis; & seculo quidem XIII, ut e scriptura conjicitur.

XV. Petrus I de Vineis, filius ballivi regii anno 1266, adstitit electioni Reginaldi de Nantolio episcopi Bellovacensis. Memoratur adhuc annis 1270 & 1286, ac XIII cal. Octobris in calendario S. Reguli.

XVI. Nicolaus II *de Bellomonte*, occurrit decanus anno 1286 mense Augusto in actis curiæ Silvanectensis, & mense Novembri in actis curiæ Parisiensis. Obiit circiter 1288. De eo S. Frambaldi necrologium ad VIII cal. Augusti.

XVII. Eustachius, 1289 & 1291, in veteribus membranis.

XVIII. Bertaudus de Genvilla canonicus, a Matthæo *de Morguenval* seu *Morgnieval*, recusatam 1293 dignitatem non defugit, memoratus decanus 1296, in tabulis S. Nicolai de Aciaco. Hac ipse se abdicavit, defunctus 1303, de quo necrologium B. Mariæ ad XV cal. Febr.

XIX. Guillelmus I *de Berrone*, canonicus anno 1300, Johannis de Berrone recusantis in locum suffectus, ægre admodum consensit ut capesseret dignitatem anno 1304. Laudatur decanus hoc ipso anno die Lunæ post festum B. Lucæ Evangelistæ, in charta Roberti Remensis archiepiscopi. Factum episcopum diximus col. 1423.

XX. Johannes I *de Pierrefont*, in locum Guillelmi statim electus 1308, missus est Remos die Martis post festum B. Lucæ, qui cum Johanne de Berrone & Stephano de Bousseio concanonicis præsentaret electum episcopum a Remensi capitulo confirmandum. Reperitur annis 1312, 1320, 1324 & 1328. Moritur anno 1330, de quo necrologium B. Mariæ ad XIII cal. Maii.

XXI. Robertus V de Plessiaco, decanus anno 1332.

XXII. Robertus VI de Plailliaco, germanus Petri Maillardi de Plailliaco, laudatur decanus 1335. Anno 1339, cum aliis electus est arbiter de pluribus litigiosis, capitulum inter & communiam civitatis. Hoc ipso anno evasit episcopus. Ch. CXLVI. col. 487. Charta CXLVII. col. 488.

XXIII. Simon II Esveillardi de Mitriaco, decanus sancti Frambaldi anno 1332, dein B. Mariæ annis 1339, 1340 & 1342, in charta confirmationis assignatæ quartæ partis valoris beneficiorum diœcesis ad usum fabricæ Silvanectensis ecclesiæ. Reperitur adhuc 1347 die 15 Octobris in compromisso de jurisdictione spirituali inter episcopum Petrum *de Cros* & capitulum ecclesiæ Silvanectensis. De eo sic habet recentiori manu necrologium B. Mariæ ad VIII idus Aprilis: *Eodem die obiit Simon Esveillardi de Mitriaco*

quondam hujus ecclesiæ decanus, qui dedit nobis & tradidit ipso vivente pro fundatione obitus sui centum florenos de Florentia.

XXIV. Fulco *Bardoul*, decanus Silvanectensis 1353, per octodecim menses.

XXV. Ivo *de Rupe*, cessione superioris summo pontifici probata legitur decanus annis 1358 & 1359, die 3 Septembris. Permutavit cum sequenti non satis canonice, factus ecclesiarum B. Mariæ & S. Reguli canonicus.

XXVI. Petrus II *l'Orfevre*, ex canonico B. Mariæ & S. Reguli, Silvanectensis erat decanus annis 1359 & 1360, ac etiam officialis anno 1362. Cessit in gratiam nepotis cognominis. De patruo intelligendum videtur, quod in S. Reguli calendario legitur his verbis: *VII cal. Martii obitus Johannis Poue & Aelpdis quondam matris magistri Petri Aurifabri decani Silvanectensis.*

XXVII. Petrus III *l'Orfevre*, superioris ex fratre nepos, filius Emelinæ de Rully, natus 10 Aprilis 1346, patrui cessione decanus evasit Silvanect. anno saltem 1373 die 12 Aprilis, quo Johannis de Grangia procurator possessionem episcopatus Ambianensis apprehendit. Paciscitur anno 1376 die 19 Martii cum monachis sancti Lupi de Esserento. Interfuit anno 1389 capitulo generali. Memoratur alteruter VIII calendas Decembris, in necrologio Silvanectensi.

XXVIII. Guillelmus II *de Marle*, frater Henrici Franciæ cancellarii, doctor & regis consiliarius, decanus erat Silvanectensis ecclesiæ an. 1411. Deputatus a rege ad Constantiense concilium anno 1415, dum per ducatum Barri transiret, carceri cum sociis mancipatus est ab Carolo *de Dueil*, domino *de Ramonville* & Henrico de *la Tour*. Capitulo Silvanectensi præerat adhuc anno 1418, quando fratris ejus cancellarii trucidatum corpus in seditione orta Parisiis allatum est Silvanectum in ecclesia cathedrali sepeliendum.

XXIX. Andreas *le Vasseur*, defuncto Guillelmo successit bulla Martini V, data V calendas Julii pontificatus anno IV 1421. Procurator ejus ab episcopo in possessionem missus est die 4 Octobris anni ejusdem. Ipse vero receptus est anno 1423. Permutavit cum sequenti.

XXX. Guillelmus III *d'Auberive*, doctor in decretis, permutatione cum Andrea facta decanus 24 Febr. 1424, admissus est a canonicis, & missus ad episcopum pro confirmatione & possessione accipienda.

XXXI. Johannes II *Baudouin*, in artibus magister, & in sacra pagina licentiatus facta cum Guillelmo permutatione, primum receptus est canonicus, statimque admissus decanus, ab episcopo in possessionem missus est anno 1428 die Lunæ 5 Julii. Eodem anno fuit alter executorum testamenti Johannis *Fouquerel* episcopi Silvanectensis, qua de re comparuit anno 1442, coram officiali Silvanectensi. Anno 1446 cum Radulfo *Eveillard*, fuit executor testamenti Guillelmæ *Rouxel* uxoris Petri *Anjoran*. Decessit an. 1453, die 16 Septembris.

Ch. CLXII. col. 500.

XXXII. Johannes III *le Normand*, Parisinus, A presbyter, in artibus magister, & in sacra pagina baccalaureus, fit canonicus Silvanectensis die 12 Septembris anno 1453, die vero Lunæ post festum B. Catharinæ decanus. Confirmatus a Simone episcopo, ab eodem in possessionem immissus est 1 Julii 1454. De eo in historia Universitatis Parisiensis multus est sermo, tom. V præsertim pag. 894, ubi vide.

XXXIII. Ludovicus *la Belle*, reperitur decanus annis 1473, 1476, 1480, 1484 & 1485. Biennio post 1487, 18 Augusti a Simone *Bonnet* episcopo, quam ob causam, non constat, suspensus a divinis dignitatem abdicasse B videtur. Et certe canonicus solum legitur anno 1497 die 2 Julii, superstes ad annum 1501, quo, die 25 Septembris libera per ejus obitum & vacans confertur capella SS. Trinitatis in ecclesia Silvanectensi; novique decani electio indicitur ad diem 2 Octobris sequentis, sane quia a capitulo adhuc pro decano habebatur.

XXXIV. Antonius *de Montfriant*, canonicus B. Mariæ anno 1496, jam decanus videtur an. 1497, forte ob interdictum Ludovicum. Anno 1498, fuit alter executorum testamenti Johannis *Neveu* episcopi, cui fuerat a secretis, & an. 1499 in electione futuri episcopi decanus memoratur. C Eodem anno absolutus ad cautelam est a censuris contra eum latis ob non solutam pensionem triginta librarum super prioratu B. Mariæ *de Peiroux* diœcesis Pictaviensis, quem possidebat, homo multiplex in beneficiis, rarus in virtutibus. Obiit mense Septembri 1503.

XXXV. Petrus IV *Gobert*, qui jam anno 1488 15 Decembris pro decano se gerebat, electus fuit die 2 Octobris anno 1503, nonnullis tamen contradicentibus ad annum saltem 1504, quo adhuc die sabb. 9 Novembris decanatus controversus legitur. At anno 1516 die 3 Aprilis Petrus decanus simul & episcopi vicarius generalis D parochiæ S. Dionysii de Fresnello in riparia permutationem admisit. Anno 1517 die 20 Octobris debitum a Johanne *Calueau* recens episcopo obtulit ecclesiæ S. Reguli pannum pro vestitu altaris. Reperitur adhuc in actis ab anno 1519 ad 1529, quo 8 Aprilis a Guillelmo *Petit* episcopo delegatus cum aliis ad audiendas rationes executorum testamenti Arturi *Fillon* quondam episcopi, iisdem auditis & approbatis subscripsit die Lunæ 29 Augusti 1530. Eodem anno die Veneris 23 Decembris fundavit in ecclesia S. Reguli, cujus erat canonicus duos obitus solennes, aliasque preces in ecclesiis B. Mariæ & sancti Frambaldi. E Obiit die Mercurii 25 Octobris 1531 & sepultus est in choro sub tumba lapidea ante sedem decani, cum epitaphio.

XXXVI. Renatus *le Rouillé* nobilis Parisinus, canonicus Silvanect. electus est decanus 1531 & post octo, quos ad deliberandum acceperat dies, in possessionem immissus est a Guillelmo episcopo Silvanectensi die Lunæ 20 Novembris anni ejusdem. Guillelmo ipsi successit factus episcopus 1537, ut diximus col. 1444.

XXXVII. Philippus *de Piennes*, illustri comitum hujus nominis ortus sanguine, per cessionem Renati

Renati decanus dictus est a Paulo III, cujus bullæ promulgatæ primum ab officiali Parisiensi, in Silvanectensi capitulo lectæ sunt die 28 Junii anno 1537. Possessionem accepit per procuratorem Nicolaum *de Neufchâtel*, missum in eam a Petro Foucquet vicario generali Silvanectensis episcopi; qui quidem procurator juravit Philippum in ecclesia Silvanectensi assidue commoraturum; quod præstare nequivit Philippus; mortuus quippe est mense Martio an. 1538 sepultusque in vico *de Martigny* diocesis Aurelianensis.

XXXVIII. Albinus *le Grand*, electus anno & mense iisdem decanus, unius petiit inducias mensis ad deliberandum, quo elabente consensum præbuit & per vicarios generales missus est in possessionem die Lunæ 24 Martii an. 1538, modo 1539; sed quarto post mense die sabbati 12 Julii quam ægre susceperat, sponte resignavit dignitatem sequenti, factus postmodum officialis anno saltem 1554, & forte S. Reguli decanus ad annum 1558 aut 1559, nisi duo, tresve sint cognomines.

XXXIX. Johannes IV *Vigoureux*, anno 1527, sancti Reguli canonicus, Albino cedente Silvanectensis decanus a Paulo III confirmatur & a canonicis admittitur, qui a debitis pro sua receptione eum exemerunt; intuitu scilicet summi pontificis, qui sic ad Johannem scripserat: *Nos tibi presbytero, pro quo carissimus in Christo filius Franciscus Francorum rex Christianiss. nobis super hoc per suas literas humiliter supplicavit &c.* (super hoc) id est super pluralitate, incompatibilitate, residentia beneficiorum, quotcumque & qualiacumque sint. Defunctus 5 Aprilis, sepultus est ad introitum chori per inferiorem portam, ubi cum fratre & nepote jacet sub hoc epitaphio: *Cy gisent M.e Jean* Vigoureux *l'aisné decedé le 5 Avril 1554, Nicolas* Vigoureux *decedé le 3 Novembre 1587, lesquels ont fondé un obit le 23 Novembre, & Jean* Vigoureux *le jeune decedé le 2 May 1613, lequel a laissé cinquante livres de rente à prendre au village de la Trousse, à la charge d'un obit solemnel ledit jour, & un salut le jour des Miracles de N. Dame, tous prestres, deans & chanoines de ceans & natifs de Tancron diocèse de Meaux. Priez Dieu pour leurs ames.*

XL. Nicolaus I *de Martimbos*, die 16 April. ad eligendum indicta electus est decanus. Natione Normannus, Parisiis primum in collegio sanctæ Barbaræ professor fuerat, tum nationis Normannæ procurator, ipsius Universitatis rector, doctor Sorbonicus, theologus Silvanectensis; denique electus decanus, continuo sermonem ad populum habuit; confirmatus ab episcopo, ab Albino *le Grand* officiali in possessionem immittitur 28 Aprilis 1554, licet intercederet Nicolaus *Vigoureux* Johannis decessoris germanus, bullasque summi pontificis obtenderet; statuta nihilominus capituli Nicolao *de Martimbos* redigenda scripto committuntur 15 Aprilis 1560. Quum autem ut catholicos cum hæreticis conciliaret, quædam non concedenda concederet, Calvinismi in suspicionem venit, imo & hæreseos etiam apud metropolitanum insimulatus videtur. Querelas &

A crimina ad capitulum detulit 12 Decembr. 1560 & de denegata justitia appellavit 19 ejusdem mensis. Quid inde factum sit ignoramus, nisi quod si historico Universitatis fides, *ab episcopo & canonicis exagitatus resipuit.* Tom. 6. p. 698.

XLI. Nicolaus II *Vigoureux*, frater Johannis IV, jam incassum bullas summi pontificis pro decanatu anno 1554 prætenderat, vere autem legitur decanus an. 1571, 17 Maii 1575, 11 Aprilis 1582 & 1584, quo ultimo permutavit cum sequenti, pro capella S. Johannis Baptistæ in parochia de Tremiliaco. Obiit die 3 Novembris anno 1587, sepultus sub eadem tumba,
B qua frater ejus Johannes IV.

XLII. Johannes V *Vigoureux*, Nicolai ex fratre nepos, clericus Meldensis, in juribus licentiatus, Silvanectensis canonicus a die 21 Aprilis 1571, & officialis ab an. 1584; facta cum Nicolao patruo permutatione decanus evasit 27 Martii anni ejusdem. Fuit etiam S. Frambaldi canonicus, vicarius episcopi & consiliarius in balliviatu & curia præsidiali Silvanect. anno 1596. Decanus autem occurrit die Veneris penultima Martii annis 1601 & 1608, die 20 Martii in archivis S. Frambaldi, cujus ecclesiæ capitulo anno 1607, 22 Maii dederat 14 libras annui
C reditus sub onere precum vespertinarum die Corporum sanctorum, & unius missæ solennis in die obitus ejus. E vivis excessit anno 1613 die 2 Maii sub eadem tumba sepultus, qua patrui Johannes & Nicolaus.

XLIII. Robertus V *Jullien*, præcedentis ex sorore nepos decanus & canonicus Silvanectensis, occurrit annis 1614 & 1618. Obiit 9 Augusti 1621, ex tabella lapidea muro navis ecclesiæ S. Frambaldi appensa, quæ docet illi fuisse nepotem ex fratre Antonium aliquando S. Frambaldi decanum.

XLIV. Matthæus *Heurtin*, apud Preciacum
D natus, doctor Sorbonicus, parochus B. Mariæ de Chamento 26 Junii 1608, canonicus sancti Frambaldi 1610 & officialis 1615, 9 Julii, demum Silvanectensis decanus anno 1621, die Martis 31 Augusti in balliviatu Silvanectensi sententiam obtinuit adversus Antonium *Jullien* canonicum ratione domus nuper a Roberto decano possessæ, quam a capitulo Matthæus obtinuerat die Lunæ præcedenti. Fuit etiam ecclesiastes B. M. fundavitque officium angelorum Custodum & vespertinas preces die SS. Gervasii & Protasii. Defunctus anno 1638, sepelitur in choro prope aquilam sub tumba, circa quam legitur: *Cy gist*
E *le corps de M.e Matthieu* Heurtin, *prestre, docteur de Sorbonne, doyen & theologal de cette eglise cathédrale, en laquelle il a fondé l'office grand double de l'ange Gardien, un salut le jour des SS. Gervais & Protais, & un obit solennel.*

XLV. Johannes VI *Destions* Pontæsianus, Sorbonæ doctor, per cessionem Matthæi factus decanus & ecclesiastes, dignitatis possessionem assecutus est die Sabbati 11 Septemb. an. 1638. Vir doctrina & pietate conspicuus, ac de sua benemeritus ecclesia, decanum egit ad annum circiter 1692, quo cessit in gratiam sequentis. Cessit

quoque 1695 capella S. Bartholomæi in pago *de Rosieres*, ut parochiæ *de Baron* fieret succursalis. Erga sorores a Cruce apud Silvanectum se munificum exhibuit die 5 Octobris anno 1699. Denique fundavit hymnum *Veni creator* in octava Pentecostes. E vivis ereptus anno 1700 26 Martii, ætatis anno 85, sepelitur episcopo præsente in capella SS. Gervasii & Protasii, quam anno 1671 renovaverat, in ala sinistra cathedralis ecclesiæ e regione portæ collateralis chori a parte Evangelii, ante suppedaneum altaris, cum hoc epitaphio, cujus auctor ipse:

Hic jacet & adhuc loquitur Johannes Deslions, *nativitate Pontæsianus in Franciæ Vulcassino, ætate* B *octoginta quinque annorum, gradu scholastico magister in theologia, tandemque Sorbonæ senior & decanus sacræ facultatis Parisiensis, ordine sacro presbyter, ecclesiæ Silvanect. decanus & cathedræ theologus: tot nominum umbra coram hominibus, & coram Deo nihil.*

Hoc loco deposui corpus meum, & utinam anima sit in manu Dei, a quo de his omnibus judicium semper timui vivens, nunc mortuus spero misericordiam, orationes ab ecclesia & communione sanctorum, carnis resurrectionem a spiritu Christi in consortio martyrum suorum & hujus civitatis patronorum Gervasii & Protasii, quorum antiquam & pene antiquatam memoriam novo hoc sacello excitare & restituere dedit mihi Dominus. C

Veni cito Domine Jesu cum omnibus sanctis tuis.

Non licet mortuum super mortuum mitti. Concil. Autissiod. canon 10.

Obiit 26 Martii anno Domini 1700.

XLVI. Thomas *de Bragelongne*, filius principis senatus Metensis, Sorbonæ doctor & ecclesiæ Parisiensis canonicus, cessione Johannis probata Innocentio XII, possessionem apprehendit die sabbati 12 Januarii anno 1692. Cum sequenti permutavit pro abbatia Bosci-Alberici in Turonibus, rege consentiente 25 Dec. 1699.

XLVII. Michaël de Bancalis *de Pruines*, baccalaureus in theologia facultatis Parisiensis per- D mutatione cum Thoma facta, eligitur, seu admittitur a capitulo die 7 Januarii 1700 & ab episcopo confirmatur die 8 ejusdem mensis, postridieque in possessionem inducitur. Fuit etiam officialis Silvanectensis, & episcopi vicarius generalis, necnon capituli, sede vacante, quo nomine cum Antonio *de Villiers* canonico hujus ecclesiæ mandatum dedit pro publicatione Jubilæi die 20 Maii 1702. Diem clausit Michaël 1732 26 Novembris, conditus in capella SS. Gervasii & Protasii juxta Johannem *Deslions*, cujus epitaphium muro appensum est in tabella his verbis:

Hic jacet Michaël de Bancalis de Pruines, *ecclesiæ* E *Silvanectensis decanus & canonicus, generalis vicarius & officialis, abbas de* Bois-Aubry, *prior S. Mauricii &* de Marmanhac, *e prosapia apud Ruthenos nobili, patris, fratrisque militari laude clara, pietate erga Deum, caritate erga pauperes, ingenio, doctrina, æquitate, prudentia, morum candore & elegantia, hujus diœcesis clero, sacris cum virorum tum virginum familiis, populisque dum viveret, in pretio & in deliciis fuit, necnon post mortem in desiderio quantum maxime. Obiit die 26 Novembris anno 1732 ætatis 72. Fratri carissimo mœrens soror* A *posuit Maria-Anna de Bancalis* de Pruines; *amicissimo epitaphium exaravit Ludovicus* le Gendre, *ecclesiæ Parisiensis succentor & canonicus, abbas de Claro-fonte, historiæ Franciæ scriptor.*

XLVIII. Petrus V *de Saint Leu* Silvanectinus, ex canonico S. Reguli, archidiaconus Silvanectensis, demum cedente Michaële decanus evasit 1732 22 Decembris; fuit etiam vicarius generalis episcopi, officialis Silvanectensis, & consiliarius in balliviatu & curia præsidiali Silvanectensi. Repentina denique sublatus morte 26 Novembris circa horam decimam serotinam anni 1749, sepultus est in ecclesia Præsentationis B. Mariæ, quæ sepulcrum est gentilitium. Hoc illi epitaphium adscripsit N. *Huart* S. Genovefæ Silvanect. pastor:

Hic jacet
Donec procedat in resurrectionem vitæ
Petrus de Saint Leu
Insignis ecclesiæ Silvanectensis
Decanus & canonicus.
Ad hunc honoris apicem variis ascendit gradibus,
Disciplinæ tenax
Apud sanctum Regulum primis sub annis canonicus,
Ab adolescentia sua jugum portavit.
Ad matrem transit ecclesiam, lectus vir boni testimonii
Archidiaconus
Totam singulis annis diœcesim lustrabat,
factus forma gregis.
Pontificali non impar oneri,
Præsulis & diœcesis constituitur
Vicarius generalis.
In præsidiali curia senator integer,
in ecclesiastica judex eruditus,
Judicabat populos in æquitate,
Singulari prudentia lites & jurgia dirimebat
Pacis amans.
Religione pura, pietate gravi, doctrina sana,
Zelo, sed secundum scientiam,
Præbuit seipsum fratribus exemplum bonorum operum.
Ab infantia crevit cum illo miseratio.
Immensis, quas in abscondito erogabat eleemosynis
Pauperum hospitia sustentabat,
Vinctorum operiebat nuditatem,
Pudore & miseria jacentes erigebat familias,
Pupillum ac viduam suscipiens.
Quas in cœlum præmiserat
divitiis potiturus
Repentina, sed non improvisa morte,
Paratus rapitur
Anno salutis M. DCC. XLIX, *die Novemb.* XXVI,
ætatis suæ LXXVIII.
Lumen, membrum, parentem, patronum, ducem,
Obortis desiderant lachrymis
Clerus, senatus, pauper, civitas, capitulum
Silvanect.
Ita
Unius interitus fit omnium luctus.
Requiescat in pace.

XLIX. Jacobus-Franciscus *du Fresne*, antea cantor & canonicus sancti Reguli, tum ecclesiæ cathedralis archidiaconus avunculo successit in decanatu, electus a capitulo die 4 Decembris, & adeptus possessionem undecima ejusdem mensis.

ECCLESIA COLLEGIATA S. REGULI.

CELEBRIS & antiqua S. Reguli basilica, sub patrocinio primitus SS. apostolorum Petri & Pauli, fundatorem nescit; restauratorem vero celebrat Clodoveum I regem, his breviarii domestici verbis: *Ipsum S. Reguli corpus aureo loculo recondi mandat, & in sublime collocari, & basilicam digniorem, in qua requiesceret, suis sumtibus exstrui.* Robertus quoque rex circa 1029, Helgaudo teste, *monasterium S. Petri & S. Reguli in civitate Silvanectensi* ædificavit; quod & illius evincit antiquitatem. Et certe tanto semper in honore fuit apud episcopos Silvanectenses S. Reguli basilica, ut eam iisdem propemodum, quibus ecclesiam cathedralem, donis ac privilegiis cumulaverint. S. Reguli capitulum duas complectitur dignitates, decanum & cantorem, qui in supplicationibus generalibus omnes ecclesiæ, etiam cathedralis canonicos tam incedendo, quam sedendo præcedunt. Decanus a capitulo electus confirmatur ab episcopo, qui cantorem nominat, ac ceteras quindecim præbendas confert, una excepta monasterio S. Vincentii annexa. Ex iis quindecim præbendis tres sunt dimidiæ, quas qui occupant, jure suffragii potiuntur ut ceteri. Præter illas fuit aliquando thesaurarius, qui simul ecclesiæ parochus. Verum anno 1195, Petrus de Ponte, thesaurarius, episcopi cum licentia, & assensu capituli, alium a canonicis, ecclesiæ parochum designavit, qui certis obstrictus esset officiis & oneribus, quibus antea thesaurarius tenebatur. Quin & ipsa thesaurarii præbenda extincta fuit omnino, capituli precibus annuente Adamo *de Nemours* episcopo an. 1369, 5 Octob. reditibus ejus in alias quindecim præbendas dispertitis. Edita ea de re charta in annalibus Silvanectensibus mendis scatet.

Charta LXXXV. col. 442.

DECANORUM SYLLABUS.

Chart. I. col. 103. — I. Hidulfus innotescit ex charta Constantii episcopi anno circiter 980.

Hist. S. Mart. a Campis, p. 286. — II. Odo I, anno 1106, testis in charta Huberti episcopi donum prioratus sancti Nicolai de Aciaco a Roberto vicedomino factum monachis S. Martini a Campis ratum habentis.

Ch. LVIII. col. 425. — III. Thomas I, subscripsit 1118, divisioni terræ Bedullivillæ inter ecclesias S. Reguli & S. Frambaldi.

IV. Odo II, prima nominis litera O, designatus legitur an. 1139, in charta Petri episcopi.

Ch. LXXI. col. 432. — V. P. querelam habuit cum capitulo super reditibus communitatis, qui illi a defuncto Amalrico episcopo, nomine decaniæ assignati fuerant, quam terminavit summus pontifex, ad quem appellatum fuerat, per Iacintum & P. de Bono diaconos cardinales judices, præsentibus P. decano & H. abbate S. Vincentii a capitulo deputato.

Charta LXXXIV. col. 441. Charta LXXXVIII. col. 445. — VI. Stephanus I *le Coq*, B. Mariæ canonicus an. 1164 & S. Reguli circa 1165, occurrit S. Reguli decanus ab anno 1171 ad an. 1191.

VII. Ivo I, ex præcentore decanus annis

A 1195 & 1197. Ivonis primi, vel secundi sic meminit S. Frambaldi necrologium: *Idus Martii obiit Elisabeth regina, quæ dedit nobis scrinium valde honorabile, & pallium unum, & laudabilem consuetudinem de palliis reddendis in unoquoque partu reginarum huic ecclesiæ renovavit, pro quo beneficio distribui debent solidi..... quos dedit Ivo decanus S. Reguli.*

VIII. Stephanus II, reperitur decanus anno 1201 X cal. Augusti, de quo forte sic obituarium S. Frambaldi: *VI calend. Septembris obiit Stephanus B. Reguli decanus & noster canonicus.*

IX. Ivo II, quo decedente Garinus episcopus dimidiam præbendam quam in ecclesia B. Mariæ B habebat Ivo, Willelmo nepoti domini Bartholomæi de Roya contulit anno 1219, mense Maio. — Ch. XCVII. col. 449.

X. Petrus I de Monte, canonicus B. Mariæ & decanus S. Reguli anno 1217, cum decano & cantore S. Frambaldi ab Honorio III summo pontifice delegatus fuit arbiter controversiæ senonensem inter archiepiscopum & monachos Sandionysianos. Petri defuncti præbendam integram, quam habebat in ecclesia B. Mariæ anno 1219, Garinus episcopus Willelmo Brittoni concessit. Illius obitus notatur in calendario S. Reguli 2 nonas Novembr. — Ch. CXVII. col. 449.

XI. Galeranus anno 1219 jus annualium C recognovit ecclesiæ S. Vincentii. Emit an. 1222 mense Septembri a Roberto Seinterello decem solidos census supra domum sitam in vico sancti Vincentii. Occurrit annis 1224, mense Januario, 1225 mense Novembri in vigilia S. Clementis, 1227 mense Novembri & 1231. Fundavit capellaniam in ecclesia S. Reguli, cujus in calendario memoratur IX cal. Junii.

XII. Adam I, decanus anno 1238 mense Martio, & 1239 mense Januario, hoc est 1240, de quo calendarium ad XIX calendas Januarii. — Ch. CXI. col. 458.

D XIII. Simon de Ivriaco frater Guillelmi militis, memoratur an. 1266 mense Febr. 1267, 1268, mense Julio 1269, mense Junio, & in calendario S. Reguli, sic: *VI cal. Maii obitus dominæ Mabiliæ matris Simonis decani hujus ecclesiæ S. Reguli &c.* — Ch. CXVII. col. 463. Charta CXVIII. col. 463.

XIV. Stephanus III *de Chambly*, filius Ancelinæ *la Thiarde*, decanus annis 1273, 1278, 1279 & 1285, cujus memoria in calendario ad XI cal. Januarii. — Charta CXXVIII. col. 472.

XV. Johannes I *Maquerel*, decanus sancti Reguli & canonicus B. Mariæ occurrit anno 1304, die Lunæ post festum B. Lucæ evange- E listæ & anno 1305 mense Jan. hoc est 1306, in charta venditionis factæ ipsius matri dictæ *la Maquerele*. De eo calendarium S. Reguli ad V cal. Februarii.

XVI. Robertus *de Besencourt*, decanus S. Reguli & canonicus beatæ Mariæ annis 1329, 1330, 1332. De eo necrologium B. Mariæ ad XVI cal. Febr. calendarium vero S. Reguli ad XIX ejusdem calendas.

XVII. Matthæus I Cochardi canonicus S. Reguli anno 1333 die Sabb. 6 Novembr. cum Simone Eveillardi decano S. Frambaldi arbiter a Petro *de Barriere* episcopo & a capitulo sancti Reguli delectus est super querela inter episcopum & capitulum pro collatione capellæ in ecclesia S. Reguli fundatæ. Matthæus anno seq. 1334, decanus testis est in epistola decani & capituli B. Mariæ ad Johannem archiepiscopum Remensem, aut ejus vicarios de Morte Petri *de Barriere* episcopi, quæ contigit hoc anno mense Octobri. Quum autem vacet decanatus anno 1336, die Mercurii post festum S. Lucæ evangelistæ in charta officialis Silvanectensis de querela inter capitulum S. Reguli & Johannem *Rully* parochum ejusdem ecclesiæ, jam tunc cesserat Matthæus, vel decesserat.

Ch. CXLV. col. 486.

XVIII. Jacobus I, de Domno-Medardo parochus de Plailliaco, procurator & capellanus Petri *de Barriere* episcopi 1333, canonicus vero sancti Reguli 1336 & 1340, die Martis ante Pentecosten, demum legitur decanus 1344 Sabbato in vigilia SS. Trinitatis, & olim decanus 1351, die Sabb. ultima mensis Aprilis. De eo calendarium S. Reguli pridie cal. Novemb.

XIX. Reginaldus *de Montethare* vel *de Montataire*, S. Reguli decanus & canonicus B. Mariæ adfuit capitulo generali anno 1356. Calendarium S. Reguli meminit Reginaldi v idus Septembris.

XX. Petrus II de Normania filius Johannis & Emmelinæ, canonicus B. Mariæ an. 1360, inde S. Reguli thesaurarius & postea decanus an. saltem 1377, obiit anno circiter 1381, notatus in calendario S. Reguli secundo nonas Julii.

XXI Matthæus II Allemi, Allermi, seu Aillermi decanus memoratur anno 1392, in supplicatione generali ad Chamentum facta ob infirmitatem regis Caroli VI. Canonicus idem B. Mariæ & sancti Reguli decanus anno 1393, sexagenarius aut circiter, testis affirmavit, fratres minores teneri quosdam in ecclesia sancti Reguli prædicare sermones; quod iidem fratres coram Johanne Silvanectensi episcopo se in posterum facturos promiserunt die 7 Novembr. ejusdem anni. Obierat Matthæus 12 Octobr. 1398, ex charta CLVI append. nostræ col. 497. De eo necrologium B. Mariæ ad IV calendas Octobris.

XXII. Johannes II, *Vetier* canonicus sancti Reguli ab anno saltem 1374, defuncti 1384, Radulfi Aurifabri B. Mariæ canonici testamenti executor extitit, & 1396 die Dominica 1 Octobris testamenti Johannis *de Trocy* dicti *Malespine*, regii procuratoris in balliviatu Silvanectensi; decanus tandem reperitur an. 1398 22 Januar. hoc est 1399, & B. Mariæ capellanus anno 1400, 18 Januar. seu 1401, fuit alter executor testamenti Johannis *Norole* officialis Silvanect. Eodem anno ecclesiam pluribus ornamentis decoravit, multaque ei bona largitus est. Occurrit adhuc 1402 & 1403, die penultima Febr. hoc est 1404 quo, die Sabbati 2 Augusti *nuper decanus*. Obiit 12 Aprilis 1409, uti legitur in tumba ejus posita in navi ad ultimam odei pilam.

XXIII. Thomas II *Poquet de Mitry*, baccalaureus in legibus, ducis Andegavensis secretarius, canonicus S. Reguli anno 1381 & beatæ Mariæ 1396, die Dominica 1 Octobris alter exsecutorum testamenti Johannis *de Trocy*; decanus S. Reguli laudatur an. 1403 18 Febr. id est 1404, 1407 die Sabbati 2 Aprilis post Pascha, 1409, 1415 & 1416, 22 Octobris. Sepultus est in ecclesia cum epitaphio.

XXIV. Bertaudus *Chevalet*, magister in artibus, B. Mariæ & S. Reguli canonicus anno 1415 & præpositus 1416, decanus obiit 2 Septembr. 1418, sepultus in parochia S. Reguli cum tumba & epitaphio.

XXV. Radulfus Eveillardi ex cantore 1413, decanus die Maii ultima 1419, compositionem iniit 26 Jan. 1422 qui modo 1423, cum Philippo *de Rully* regis consiliario & sacræ capellæ Parisiensis thesaurario. Anno 1438 die 2 Julii testamenti Guillelmæ *Rouxel* uxoris Petri *Enjorran* fundatricis capellæ S. Nicolai in ecclesia sancti Aniani Silvanectensis fuit exsecutor cum Johanne Balduini B. Mariæ decano; itemque solus testamenti Johannis *Godefroy* B. Mariæ canonici an. 1444. Insequenti 1445 die Lunæ 2 Augusti pepigit cum domicella Johanna *l'Orfevre*, vidua defuncti magistri Auberti *de Crecy*. Eodem anno quum abbatia S. Remigii tunc in suburbio civitatis Silvanect. virginum ordinis S. Benedicti, ita bellorum æstu fuisset attrita, ut spes nulla posse unquam restitui superesse videretur, Johannes episcopus reliqua ipsius bona capitulo S. Reguli attribuit, univitque assentiente capitulo B. Mariæ; quod & Carolus VII rex eodem anno regni 24 die 14 Decembris laudavit; annoque 1450, ratum habuit præpositus Parisiensis contra Hederenses diœcesis Parisiensis sanctimoniales; confirmavit etiam Calixtus papa III bulla data 1455 XVII cal. Novembris pontificatus anno 1, tandemque rex Ludovicus XI, anno 1467, regni septimo die 5 Augusti. Radulfus autem anno 1472, die Veneris 22 Maii olim decanus & canonicus memoratur in ecclesiæ S. Reguli calendario VIII cal. Julii.

XXVI. Petrus *de Crecy* filius Auberti *de Crecy* & Johannæ *l'Orfevre*, licentiatus in legibus & in decretis baccalaureus, canonicus S. Reguli anno 1448, & B. M. 1453, decanus S. Reguli cum aliis delegatus fuit, qui bullam Calixti III pro commenda abbatiæ de Victoria in gratiam Simonis *Bonnet* episcopi Silvanect. executioni demandaret. Anno 1463, 9 Januarii, hoc est 1464, mater ipsius Johanna *l'Orfevre* conditi testamenti nominavit exsecutorem Petrum *de Crecy* decanum, in quo obitum perpetuum pro decessoribus, ipsa & filio Petro decano fundavit, qui ex decano succentor Bellovacensis dictam obitus fundationem adauxit 27 Novembris 1466. Obiit autem decanus Gerboredi *de Gerberoi* XIII cal. Martii 1480, id est 1481.

XXVII. Guillelmus *Coterel* Silvanectinus, in artibus magister, presbyter & canonicus S. Reguli 1461, decanus occurrit 1466. Anno 1467, unitæ capitulo S. Reguli abbatiæ sancti Remigii Silvanectensis, nonnulla bona elocavit.

Anno 1475 13 Junii canonicus simul trium A ecclesiarum Silvanectensium ac S. Reguli decanus quædam acquisivit a Nicolao *Baret* presbytero & decano S. Frambaldi. Anno 1484 mense Januario in quadam inquisitione juridica Guillelmus dicitur annos natus 45, aut circiter. Officialis muniis fungebatur anno 1498. Insequenti 11 Aprilis in electione futuri post obitum Johannis *Neveu*, cujus fuerat vicarius, episcopi Silvanectensis scrutatorum alter electus, electum Nicolaum *de Sains*, cui faverat ipse, vice & assensu totius capituli publicavit. Fundato anniversario obiit Guillelmus hoc anno 1499 19 Octobris, sepultusque est in parochia S. Reguli cum tumba B & epitaphio.

XXVIII. Jacobus II *le Fuzelier* magister in artibus, presbyter, canonicus S. Reguli & parochus *d'Ermenouville*, a capitulo deputatus 10 Julii 1493, ad præstandam fidem domino Nantolii *le Haudouin*, pro feodo *de Wauru*, decanus reperitur annis 1502, 1510, 1511 & 1512.

XXIX. Philippus *Duruissel*, capellanus Simonis *Bonnet* episcopi Silvanectensis an. 1493, S. Reguli canonicus 1495, demum legitur decanus ab anno 1519 ad annum 1532, quo mortuus 1 die Aprilis sepultus est in navi ecclesiæ S. Reguli sub tumba lapidea, ubi dicitur decanus C & canonicus S. Reguli, ac S. Genovefæ Silvanectensis parochus.

XXX. Michaël *Piau*, canonicus B. Mariæ anno 1510 cum aliis ejusdem ecclesiæ canonicis deputatus a capitulo ad regni comitia generalia Turonis habenda, eodem anno cantor S. Reguli, anno demum 1532 die 7 Septembris decanus S. Reguli legitur; quo nomine 1533 die 28 Decembr. adfuit translationi reliquiarum S. Petronillæ virginis in ecclesia S. Reguli factæ a Guillelmo Parvi episcopo Silvanectensi. Memoratur adhuc anno 1537, de quo calendarium S. Reguli ad v idus Junii.

XXXI. Nicolaus I *Truyart* Silvanectinus, rector Universitatis Parisiensis electus an. 1522 die 17 Decembris, & anno seq. doctoris laurea insignitus, inde canonicus B. Mariæ, decanusque & canonicus S. Reguli jam anno 1538, die 3 Febr. hoc est 1539, a duobus capitulis delegatus est ut adesset reformationi consuetudinis balliviatus Silvanectensis. Defunctus 1 Novemb. 1552 jacet in choro S. Reguli ante stallum decani sub tumba marmorea cum inscriptione.

XXXII. Albinus *le Grand*, decanus S. Reguli occurrit 26 Januar. 1552, qui modo 1553, simulque officialis Silvanectensis 1555 & 1558.

XXXIII. Nicolaus II *Demoussy* nobilis Credoliensis, licentiatus in decretis, reperitur decanus S. Reguli anno 1559, & B. Mariæ canonicus 1574. Fratrem habuit Johannem *Demoussy* archidiaconum & canonicum B. Mariæ, cujus testamenti conditi hoc anno 6 Januarii exsecutor fuit. Ejus & capituli ad preces 23 Octobr. 1587 Guillelmus *Rose* episcopus reseravit S. Reguli capsam & ossa inspexit. Obitus fundavit Nicolaus in ecclesiis B. Mariæ & sancti Reguli; defunctusque 27 Decembr. 1589, jacet in ecclesia cathedrali ad pilam odei cum epitaphio.

XXXIV. Petrus III *Cornolier* presbyter Bellovacensis, ex canonico S. Reguli 1568, eligitur decanus anno 1590. Eodem fuit exsecutor testamenti Nicolai *Pourfour* cantoris S. Reguli. Anno 1596, septuagenarius vel circiter memoratur in inquisitione contra Johannem *Vigoureux* sancti Frambaldi canonicum. Fato functus die Pentecostes 18 Maii anno 1603, sepultus est in choro S. Reguli prope aquilam a parte decani.

XXXV. Antonius *Brillot*, parochus de Chamento & canonicus S. Reguli anno 1586, eligitur decanus 26 Maii 1603. Cessit in gratiam nepotis præbenda & dignitate, retenta domo 20 Septemb. 1616. Defunctus anno eodem 19 Octob. annos natus 73, sepultus est infra sanctuarium sub tumba lapidea a parte epistolæ.

XXXVI. Adam II *Brillot*, capellanus obituum in ecclesia cathedrali, ab Antonio patruo, ad preces capituli successor designatus, & a summo pontifice confirmatus, possessionem adeptus est feria IV 7 Septemb. anno 1616. Permutavit 21 Junii 1619 cum Daniele pro S. Frambaldi præbenda, duabusque capellaniis.

XXXVII. Daniel *Migniere*, canonicus B. Mariæ 12 Julii 1617, fit decanus S. Reguli 21 Junii 1619, dieque Martis 2 Julii possessionem apprehendit. Deputatus a capitulo die 7 Augusti 1619 pepigit die 3 Novemb. cum Guillelmo *de Mazerat* administratore nosocomii S. Lazari; & 22 Augusti ejusdem anni cum Jacobo *de Mesmes-Marolles* præceptore domus S. Johannis Silvanectensis. Laudatur adhuc anno 1623, in jucundo Nicolai *Sanguin* episcopi adventu, & 30 Maii 1629.

XXXVIII. Johannes III *le Pere* ex canonico S. Reguli anno 1603, decanus electus 1632, D condidit anno 1636 3 Octob. testamentum, quo plurima pluribus ecclesiis legavit. Defunctus est hoc anno pridie nonas Octobr. infra sanctuarium conditus sub tumba lapidea ante medium altaris cum hac inscriptione: *Corpus hic in officiorum ac rerum ecclesiasticarum peritissimi Johannis* le Pere *presbyteri Silvanect. conditur, qui cum sex supra triginta annos in canonicis muniis rite constanterque obeundis complesset, anno Domini 1632 communi omnium consensu .... laude & indefessa pietate rexit in decanum electus; sexagenarium tandem in res & rationes capituli pervigili cura incumbere minime desistentem acerba mors pridie nonas Octobris anno* E *1636 sustulit.*

XXXIX. Carolus I *Chastelain*, subdiaconus & canonicus S. Reguli, eligitur decanus die Sabbati 11 Octob. 1636. Promotus ad sacerdotium die Sabbati 7 Martii 1637, fundavit ex calendario S. Reguli ad IV cal. Octob. stationem post vesperas ad capellam S. Nicolai die 5 Decembris, & feria II Rogationum stationem ad S. Genovefam. Obiit 1641 V cal. Octob. sepultus infra sanctuarium a parte Evangelii sub tumba lapidea cum inscriptione.

XL. Carolus II *Jaulnay* licentiatus in juribus,

presbyter Silvanectensis, parochus S. Genovefæ, canonicus & cantor S. Reguli 1635, ejusdem decanus electus 8 Octobr. 1641, in possessionem missus est 12 ejusdem mensis. Anno 1646 4 Maii S. Reguli capsam supra majus altare collocavit cum episcopo Nicolao *Sanguin*. Scripsit annales Silvanectensis ecclesiæ, jurisque publici fecit anno 1648. Obiit octogenarius an. 1668, cujus ex fratre nepotes Carolus *Jaulnay* presbyter, doctor theologus, archidiaconus in ecclesia Silvanectensi, & vicarius generalis episcopi, atque Nicolaus *Jaulnay* scriba in balliviatu Silvanectensi patruum mortuum die Dominica 11 Novembris, postridie sepeliri curarunt.

XLI. Petrus IV *Cheron* presbyter Silvanectensis, ex canonico sancti Reguli anno 1636, cantor ejusdem ecclesiæ 1641 ex permutata cum Carolo *Jaulnay* præbenda integra; quam & ipse cantoriam Petrus die Novembris 19 decanus electus permutavit 17 Januarii 1669, cum Ludovico *du Fresnoy* canonico. Obiit septuagenarius 20 Martii 1675, sepultus in navi ecclesiæ S. Reguli cum epigraphe.

XLII. Regulus *de Saint-Gobert*, doctor theologus e domo Navarræa, presbyter & canonicus S. Reguli, electus est decanus 27 Martii 1675. Fuit etiam episcopi vicarius generalis. Defunctus est anno 1710, 9 Januarii, fundatis obitu dicendo a decano cum diacono & subdiacono duobusque canonicis in cappa, & statione ad S. Anianum Silvanect. tertia die Rogationum.

XLIII. Jacobus III *Germain*, ex cantore & canonico decanus electus die 15 Januar. anno 1710, mortem oppetiit 14 Augusti 1714.

XLIV. Jacobus IV *de Saint-Gobert*, Reguli cognominis nepos ex fratre, licentiatus in theologia e Navarræa domo, electus est decanus ex canonico 20 Augusti 1714. Dignitatem tenuit ad annum 1747, quo defunctus die Martis 28 Martii, sepultus est in superiori parte navis ecclesiæ S. Reguli, juxta Petrum *Cheron*, sub tumba lapidea cum inscriptione communi patruo & nepoti.

XLV. Carolus-Franciscus *Afforty*, presbyter Silvanectensis, ille ipse, cui ob impensam nobis operam tot ac tantis beneficiis obstricti sumus, in theologia baccalaureus, ex vicario S. Landerici Parisiis, S. Reguli canonicus 9 Januarii 1734, eodem anno 27 Martii lauream doctoris in Parisiensi facultate adeptus est. Tum vero a Francisco-Firmino *Trudaine* episcopo cantor institutus ecclesiæ S. Reguli 3 Augusti 1739, unanimi denique sodalium voce renunciatus est decanus 8 Aprilis 1747, & postera die Dominica possessionem nactus est.

Ætatis incertæ aliquot decani.

Garinus *de Chamen*, de quo necrologium B. Mariæ ad nonas Octobris.

Johannes, memoratus in calendario S. Reguli VI idus Januarii.

Nicolaus de Bello-monte, ibidem XI cal. Maii.

SACRA S. FRAMBALDI CAPELLA.

MATER Roberti regis *Adhelaïdis*, *admiranda satis in sancta devotione regina*, *fecit monasterium S. Frambaldi in civitate Silvanectensi ubi XII ad serviendum Domino clericos misit*, *& de quibus viverent abunde subministravit.* Ita Helgaudus in epitome vitæ Roberti regis. Hæc illa regia capella est, quæ ab ineunte seculo XI fundata est intra spatium, ubi postea claustrum B. Mariæ. Nulli, nisi summo pontifici, obnoxia, jurisdictionem ipsa exercet in subditos & septem canonicorum domos. Hanc agnovit capitulum ipsum B. Mariæ die 1 Octob. 1544. Huic ecclesiæ Elisabeth regina consuetudinem renovavit de palliis reddendis in unoquoque reginarum partu.

Constat capitulum duabus dignitatibus decano & cantore, qui in supplicationibus quoque generalibus omnes B. Mariæ canonicos antecedunt. Octo sunt præter hos canonici & duo vicarii; nullus enim modo thesaurarius est, exstincta an. 1675, hac præbenda cum duabus aliis, quarum reditus in alias superstites dispertiti sunt, capituli votis annuente rege, qui quum prius thesaurarium nominaret, electumque decanum confirmaret, ceteris capitulo relictis præbendis, excepta præbenda unita circa 1076, sancti Vincentii monasterio, jus antiquum ad omnia S. Frambaldi beneficia nominandi, quod habuerant reges antecessores, resumsit, ut palam fit ex regio diplomate in appendice relato.

Ch. LV. col. 423.

Charta CLXVIII. col. 518.

Ceterum thesaurarii præbendam obtinuere tam eximii viri, ut illorum seriem decanis subjicere minus ingratum fore lectori judicaverimus.

DECANORUM INDEX.

I. Letaldus, sic appellatus in authentico, non vero Caletaldus, ut irrepsit in charta LV col. 423 decanum agebat XI seculo, quo exeunte, anno scilicet 1076, Letaldi in extremis positi rogatu, præbendam ejus capitulum canonicis regularibus S. Vincentii concessit, quamdiu regulariter viverent. Ch. LV. col. 423.

II. Radulfus I testis laudatur 1106, in charta Huberti episcopi pro prioratu sancti Nicolai de Aciaco. Eodem decano Ludovicus VI rex unciam auri, quam ex singulis præbendis percipiebat, sancti Frambaldi capitulo relaxavit 1109, concessitque, ut ejusdem ecclesiæ decanus a canonicis electus a se confirmaretur, & ipse assensu canonicorum præpositum & cantorem institueret; firmavitque domorum canonicorum libertatem. Vixit Radulfus ad annum saltem 1118 ex tabulario S. Reguli. Ejus meminit necrologium S. Frambaldi pridie nonas Augusti. Ch. LVIII. col. 425.

III. Goisbertus annis 1139 & 1142 quo ultimo quædam cessit Rogero abbati S. Crispini in Cavea.

IV. Ebroinus canonicus B. Mariæ ac decanus S. Frambaldi & Ansellus thesaurarius anno 1159,

pepigerunt cum abbatissa & monialibus *de Morienval* super decimis de Plailliaco. Subscripsit 1163 chartæ Amalrici episcopi Silvanectensis pro Longi-pontis monasterio. Dedit an. 1164 monachis Caroliloci pratum in suburbio Silvanectensi subtus viam quæ ducit ad *Monnelet*. Biennio post, 1166, testis est in charta Guidonis Buticularii pro S. Frambaldo. Testis etiam memoratur cum Hugone S. Vincentii Silvanectensis & Richardo S. Martini de Ruricurte abbatibus in charta Willelmi de Merloto, cum fratre suo Rainaldo benefacientis Caroliloco. Denique ad renovandam vetustate detritam basi-
a licam, Ebroinus decanus anno 1177, [a] idibus Maii sacras ecclesiæ suæ reliquias revelari curavit, adstantibus rege Ludovico VII, Henrico Silvanectensi & Simone Meldensi præsulibus &c. sedit ad annum circiter 1180 ex charta LXXVII appendicis nostræ col. 437. De Ebroino necrologia B. Mariæ & S. Frambaldi ad XII cal. Julii.

V. Odo filius Haidis de Gonessa, ex cantore decanus anno 1180, compositionem iniit cum
Ch. LXXV. col. 436. abbate & conventu S. Vincentii Silvanect. super annualibus ecclesiæ S. Frambaldi. Memoratur in necrologio domestico VI cal. Novembris.

VI. Hermerus fratres habuit Hugonem, Radulfum & Galterum milites, ipse vero canonicus B. M. subdiaconus & cantor S. Frambaldi 1180, S. Reguli decanus legitur 1185, in charta Guidonis Buticularii de lampade ab uxore sua ante S. Frambaldi reliquias fundata. Ecclesiæ de Herivalle benefecit an. 1186. Occurrit Hermerus canonicus B. M. diaconus, & S. Frambaldi decanus 1187, in charta Stephani B. Mariæ decani, & 1188, in charta Gaufridi episcopi de eleemosyna Guidonis Buticularii facta ecclesiæ Silvanectensi

A & adhuc 1190, in charta ejusdem Gaufridi de parochialis ecclesiæ *d'Othis* dedicatione. Anno 1195, unum instituit capellanum, qui teneretur quotidie missam celebrare pro anima defuncti Gaufridi thesaurarii. Anno 1202, precum iniit societatem cum Alveredo abbate & Brituliensibus monachis. Gaufridus episcopus an. 1207, terram apud Villarium sitam a Stephano de Nova villa milite donatam ecclesiæ S. Frambaldi, Hermero decano confirmavit; cujus mentio in necrologiis B. Mariæ & S. Frambaldi, ac S. Reguli calendario X cal. Octobris. Ch. XXXIII, col. 223.

VII. Radulfus II, hanc compositionem fecit
B an. 1215 cum episcopo Silvanect. ut interdictum generale ab episcopo latum, deinceps servaret ecclesia S. Frambaldi, & ingredienti primum episcopo interessent canonici; episcopus vero canonicos & clericos ecclesiæ ordinaret, eosque & res eorum in sua justitia requisitus defenderet. Anno 1216, die festo SS. apostolorum Simonis & Judæ reperitur Radulfus S. Frambaldi decanus, cum Egidio S. Vincentii Silvanect. abbate in chartulario Campaniæ. Is est proinde decanus, cui & S. Reguli decano, necnon utriusque cantoribus ecclesiæ inscribitur hoc anno rescriptum Honorii III. Idem prima nominis litera R de-
C signatus occurrit anno 1223, mensibus Julio & Novembri in chartario Corbeiensi. Forsan vero ipse est Radulfus de S. Medardo decanus sancti Frambaldi, de quo meminerunt necrologium B. Mariæ VI nonas Octobris, & S. Frambaldi IV nonas Octobris.

VIII. Willelmus decanus an. 1228, testis est in charta venditionis factæ Caroliloco a Roberto de Villa nova S. Frambaldi canonico. An. 1233, cum Renaudo S. Vincentii abbate judex a sancta sede delegatur in controversia capituli Meldensis cum Johanne de Barenciaco milite. Memoratur in necrologio B. Mariæ idibus Augusti,
D & S. Frambaldi IV idus mensis ejusdem.

IX. Nevelo S. Frambaldi decanus & B. Mariæ canonicus memoratur in necrologio B. Mariæ IV idus Septembris, S. Frambaldi pridie idus Augusti, & in calendario S. Reguli V idus Septembris.

X. Simon I Prædicator, decanus habetur anno 1247, in charta Adæ episcopi Silvanectensis. Obiit XI cal. Aprilis, ex necrologio S. Frambaldi.

XI. A. 1251 feria III post festum B. Nicolai hiemalis.

XII. Simon II decanus & capitulum S. Frambaldi domum unam apud Villares a foragio &
E rotagio exemerunt anno 1267, mense Nov.

XIII. Petrus I *le Tiolois* anno 1280, mense Januario nonnulla emit ab Oudardo *le Tioulois* & Aleide ipsius conjuge civibus Silvanectensibus. Memoratur & anno 1286, die Martis post festum Omnium sanctorum. Ejus forsan temporibus, quum Robertus *de Cresson-Essart* episcopus omnes ecclesias & ecclesiasticas personas civitatis & suburbii Silvanect. interdicto supposuisset, decanus & canonici S. Frambaldi interdictum, quod ad omnes non spectabat, nec servaverunt. Factus est postea Petrus decanus Ebroicensis.

Tom. II novæ bibl. Labb. pag. 560. [a] "IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego Ebroinus Dei voluntate decanus, Hilduinus thesaurarius, Odo cantor & totus pariter clerus sancti Frambaldi Silvanectensis. Quoniam expedit ecclesiasticis maxime personis diligere decorem domus Dei, nos videntes ecclesiam nostram vetustatis quodam senio acclinantem & structuræ veteris ignobilitatem despicabilem, in Domini confidentes subsidio renovando causa ampliandi ausuri sumsimus de thesauro sanctarum reliquiarum tantum a Domino rege percepta licentia revelandi eas. Dominus quidem noster & ecclesiæ patronus pater Ludovicus superlaudavit propositum, & reliquias videri voluit sub testimonio religiosorum. Regis ergo literis evocatos abbatem Caroliloci, abbatem Longi-pontis, abbatem Fusciniaci, qui fuit noster thesaurarius, ad diem habuimus, & in quodam secretario, sub præsentia etiam domini episcopi Silvanect. Henrici, Simonis Meldensis episcopi & attestatione chartularum per singula invenimus reliquias sanctas multo plures & digniores quam sperabamus. Rex autem plurimum lætus super hoc effectus est & constituit diem idus Maii, quo posthabitis aliis negotiis destinavit venire, suaque præsentia ecclesiam & reliquias honorare; tot & tanti seminarii ostensionem generaliter cuicumque præcepit interim denunciari. Visum est ipsas reliquias nominatim debere exprimi; scilicet corpus S. Frambaudi abbatis & confessoris: corpus Gerbaudi episcopi & confessoris: brachium B. Ebrulsi abbatis & confessoris: corpus B. Landoresæ reginæ Francorum, corpus B. Berthæ: corpus B. Baumiri abbatis & confessoris:

"Anno itaque Dominicæ incarnationis 1177 die præfixa cum Domino rege affuerunt episcopi, dominus Henricus episcopus Silvanectensis, dominus Simon Meldensis, & cum his & magnatibus viris & populo copioso dominus Rex reliquias extra civitatem devote & cum magna reverentia deportans usque ad locum eminentem secutus est, ubi, divina providentia ordinante, sermonem fecit dominus Petrus S. R. E. presbyter cardinalis titulo S. Chrysogoni & sedis apost. legatus, qui auctoritate B B. apostolorum Petri & Pauli & S. R. E. atque episcoporum, qui aderant, congregato populo & omnibus innovationem ecclesiæ juvantibus indulsit vota transgressa, peccata oblita & pœnitentiarum partem septimam, sed & postea archiepiscopus Remensis Willelmus sedis apostolicæ legatus nobiscum indulgentius agens quintam partem pœnitentiarum dimisit."

XIV. Nicolaus I *le Tiolois* Petro germano, facto decano Ebroicensi successit anno 1288. Nicolai exsecutoris testamenti Johannis de Angicuria Silvanectensis canonici ad preces, Galterus episcopus fundatam a Johanne S. Cosmæ capellam approbavit die Dominica ante festum B. Magdalenæ. Reperitur adhuc annis 1294, 1310 & 1317. Tertio post anno 1320, plurima ecclesiæ S. Frambaldi largitus est dona, & jam collata confirmavit. Obiit 1329, mense Julio, Sabbato ante festum B. Magdalenæ, conditus in superiori parte navis ecclesiæ S. Frambaldi, sub tumba lapidea.

XV. Simon III Esveillardi de Mitriaco, decanus anno 1332, Sabbato post festum B. Lucæ a Petro de *Barriere* episcopo nominatus est arbiter querelæ motæ inter eum & capitulum B. Reguli. Laudatur adhuc anno 1336, die Mercurii post festum S. Lucæ evangelistæ, factus 1339, B. Mariæ decanus.

XVI. Radulfus III de Montibus, electus die Lunæ post festum Omnium sanctorum 1339, confirmatur 11 Novembris a Philippo Francorum rege. Obiit 1372, de quo necrologium S. Frambaldi XVI cal. Februarii.

XVII. Bertaudus de Ausomonte, canonicus B. Mariæ & S. Frambaldi, hujus decanus eligitur via scrutinii anno 1372, indict. X die 25 Maii feria III post festum SS. Trinitatis; eodemque anno Carolus rex ipsi prorogavit tempus usque ad proximum Pascha ad præstandam fidem. Memoratur adhuc decanus annis 1379 & 1383, 26 Junii. De eo necrologium B. Mariæ III idus Januarii, & S. Frambaldi III cal. Martii, & iterum XVIII cal. Junii.

XVIII. Johannes I *Postel*, presbyter & canonicus B. Mariæ, S. Frambaldi decanus occurrit anno 1393 die 7 Octobris. Obiit VI cal. Augusti 1413, sepultus in navi ecclesiæ sancti Frambaldi.

XIX. Simon IV *Monnet*, clericus Silvanect. publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, & curiæ Silvanect. juratus anno 1393, presbyter & agens S. Frambaldi 21 Septembris 1406, decanus memoratur in necrologio III nonas Maii.

XX. Adam *Foucques*, presbyter B. Mariæ & S. Frambaldi canonicus, hujus ecclesiæ decanus memoratur anno 1431, die Dominica post festum S. Martini æstivalis, sede vacante. Canonicus & S. Reguli feria IV 5 Augusti 1439, condidit testamentum die Mercurii 26 Julii 1441, quo inter alia, sancti Frambaldi ecclesiæ reliquit domum, prata, nemora, quæ habebat in villa *de Rouvres*, post decessum Johannis *Foucques* nepotis.

XXI. Jacobus I *Baret*, Adami successor, dignitatem abdicaverat 1454, presbyter, procurator & exactor Simonis episcopi nuncupatus 15 Februarii 1457.

XXII. Jacobus II *de Layeville*, cantor sancti Frambaldi 21 Septembris 1446, decanus erat 15 Februarii 1454.

XXIII. Henricus *du Four* junior, reperitur
A decanus die 16 Maii 1457, ac die 2 Maii 1459. Necrologium ejus meminit ad VIII idus Octobris.

XXIV. Radulfus IV *Doulle*, S. Frambaldi canonicus & procurator jam anno 1438, decanus occurrit 1460 & 1462, die 8 Junii.

§ Johannes *Leschevin* Silvanectinus, baccalaureus in decretis, S. Petri Silvanect. parochus, & ecclesiarum B. Mariæ & S. Frambaldi canonicus, hujus electus decanus, cessit in gratiam sequentis.

XXV. Nicolaus II *Baret*, Johanne cedente, confirmatus a summo pontifice & a capitulo sus-
B ceptus, occurrit an. 1471 20 Martii, & 1477 27 Augusti.

§ Johannes *Leschevin*, duarum ecclesiarum parochus & canonicus sancti Frambaldi, ejusdem decanus iterum post Nicolaum electus, iterum recusavit. Interea Petrus *du Puymoreau* dictus a rege decanus, litem movit Nicolao *Baret*, cui pacta mercede cessit; sed non multo post defuncto Nicolao, Petrus eamdem dignitatem iterum obtinuisse ab archiepiscopo Remensi *jure devoluto* visus est, sed ad effectum minime pervenit, renitentibus S. Frambaldi canonicis, ad quos electio pertinet. Cessit ergo, seu permutavit cum Petro *de*
C *Fayolles*, capellano S. Jacobi in ecclesia sancti Petri, episcopusque permutationem ratam habuit, & Petro dignitatem contulit, sed frustra.

XXVI. Johannes II *Laurens*, S. Frambaldi canonicus, decanus electus a capitulo & a rege confirmatus per obitum Nicolai *Baret*, missus est in possessionem.

XXVII. Petrus II *Jobert* dictus *de Fayolles*, B. Mariæ canonicus, ac S. Petri parochus 1494, decanus erat S. Frambaldi anno 1490 8 Julii, & cantor B. Mariæ 1503. In testamento condito 20 Octobris 1505, se dicit presbyterum, cantorem & canonicum B. Mariæ Silvanect. necnon
D decanum & canonicum S. Frambaldi, ac curatum S. Petri Silvanect. & de Chamento, sepulturamque eligit in choro ecclesiæ cathedralis ante stallum cantoris, ubi defunctus 22 Octobris 1505, revera conditus est sub tumba lapidea cum epitaphio.

XXVIII. Nicolaus III *Raguet* seu *Racquet*, laudatur 31 Martii 1505, qui nunc 1506, & 1510, die 6 Decemb. Obiit V nonas Octobris 1522, ex necrologio domestico.

XXIX. Petrus III *des Prez*, magister & cantor S. Frambaldi 1520 7 Octobris, legitur decanus 23 Januarii 1522, qui nunc 1523, 1527,
E 14 Septemb. 1530, 10 Septembris & 1531 7 Julii. Num idem ac Petrus *des Prez*, qui officialis episcopi annis 1510 & 1516, canonicus & præpositus B. Mariæ 1522, eodemque anno parochus de Tremilliaco, & post S. Dionysii de Fresnello, ex permutatione cum Johanne *Felix*, hujus ecclesiæ parocho?

XXX. Nicolaus IV *des Prez*, canonicus S. Frambaldi 1530, B. Mariæ canonicus & cantor S. Frambaldi 1531 7 Julii & 1532, decanus erat anno 1534, die Veneris 5 Junii &c. Præbendam suam resignavit anno 1554.

XXXI.

XXXI. Ludovicus I *Thibault*, oriundus e Nulliaco in Tellis, decanus comparet an. 1557. die Veneris 25 Junii, presbyter & beatæ Mariæ canonicus 1584 & 1591, quo mortuus anno 29 Aprilis, jacet in navi S. Frambaldi. Perperam igitur in libello supplici oblato regi legitur 8 Martii anno 1584, Petrus *Lesguillon* decanus sancti Frambaldi, qui anno 1590, tantum erat canonicus.

XXXII. Petrus IV *le Moine*, canonicus S. Frambaldi anno 1582, cantor erat, quando electus fuit decanus die Jovis 2 Maii an. 1591. Fuit simul B. Mariæ canonicus 1601 & 1602. Hoc anno die Veneris 8 Martii e vivis excessit.

XXXIII. Edmundus *le Grand*, presbyter Suessionensis, ex canonico & scriba capituli, suffectus decanus 1602, die Sabbati 16 Martii, memoratur annis sequentibus ad 1626 14 Oct. quo Matthæus *Heurtin*, decanus B. Mariæ, canonicus & officialis S. Frambaldi sententiam in Edmundum dixit, qui resignavit tam decanatum quam præbendam sequentis in gratiam, superstes anno 1628, quo prima die Aprilis nova in eum facta est inquisitio ab officiali episcopi, ad quem tanquam ad proximum judicem remissus ab officiali S. Frambaldi fuerat.

XXXIV. Ludovicus II *Crochet*, ex archidiacono & canonico B. Mariæ, permutatione facta cum Edmundo, factus est S. Frambaldi decanus anno 1628 die Sabbati 29 Julii, quo nomine occurrit adhuc 1629 & 16 Novembr. 1633.

XXXV. Antonius *Jullien*, Roberti decani B. Mariæ ex fratre nepos, S. Frambaldi decanus legitur die 7 Octobris 1634. Factus vero canonicus ecclesiæ cathedralis, cessit 1637, & jacet in ecclesia cathedrali, ubi privatam quolibet Sabbato missam fundaverat in honorem B. Mariæ; tresque alias similiter privatas quolibet anno de SS. Trinitate, de B. Maria & de defunctis in die obitus sui, qui fuit 15 Maii 1656.

XXXVI. Philippus *Robin*, consiliarius in curia præsidiali Silvanect. electus S. Frambaldi decanus die 2 Aprilis 1637, & a rege confirmatus die 6, possessionem accepit per procuratorem die Veneris 24 ejusdem mensis. Facta anno 1641, adversus eum inquisitione permutavit cum sequenti.

XXXVII. Carolus *le Doyen*, presbyter & parochus S. Petri *de Baron*, facta cum Philippo permutatione, iniit possessionem die Sabbati 12 Octob. 1641; cessione vero Petri *Gallé*, vacantem in ecclesia S. Frambaldi præbendam obtinuit die Veneris 22 Novembr. Pepigit anno 1666 25 Junii cum parocho sancti Medardi *de Villers S. Frambourg*.

XXXVIII. Johannes III *Frion* presbyter, Caroli cessione admissa v idus Decembris ab Alexandro VII pontificatus anno XII, decanus a rege confirmatur die 3 Januarii anno 1668. Adiit possessionem die Lunæ 30 ejusdem mensis. Gravatus annis occubuit die 18 Julii 1715.

XXXIX. Petrus V *le Quoy*, presbyter Silvanectensis & baccalaureus in theologia, sancti Frambaldi decanus a duce Aurelianensi regni administro nominatus 13 Februarii an. 1716, possessionem accepit 21 ejusdem mensis.

THESAURARII S. FRAMBALDI.

I. FULCO S. Frambaldi thesaurarius tempore Letaldi decani I, Willelmi præcentoris & Arnulfi præpositi ex charta authentica, qua de consensu capituli silva in monte Expelierico *Montespiloer* conceditur ad censum quatuor solidorum per singulos annos Widoni cuidam Walteri filio & uni heredi, quibus defunctis, tota illa silva cum sui melioratione ad ecclesiam rediret.

II. Ansellus I *de Paris*, thesaurarius una cum Ebroino decano anno 1159, super decimis de Plailliaco iniit compositionem cum abbatissa & conventu de *Morienval*. Subscripsit idem, aut sequens post Ebroinum decanum chartæ Amalrici episcopi Silvanect. de variis donis ecclesiæ Caroliloci collatis anno 1166.

III. Ansellus II Teoberti, ex thesaurario an. 1169, abbas Fusniaci, quo *eunte ad conversionem thesaurus sancti Frambaldi ad manus nostras devenit*, ait rex Ludovicus VII in charta authentica, *& ea occasione visitavimus ecclesiam & reliquias contemplati sumus & thesaurum, in qua visitatione didicimus, quia secundum debitam reverentiam non illuminabatur ecclesia, & luminare decrevimus ampliare de quatuor cereis ad servitium altaris, in missa & matutinis & vesperis, festivis diebus; singulis autem diebus, de duobus cereis in prædicto servitio & de una lampade, quæ semper ardeat ante reliquias; & ad sustentationem constituti luminaris, de redditu ipsius thesauri, testimonio decani & cantoris, & capituli thesaurarius administret 20 solidos pro lampade & sexaginta pro cereis &c.* Adstitit Ansellus anno 1177, revelationi reliquiarum ecclesiæ S. Frambaldi, tunc abbas Fusniaci.

IV. Hilduinus, aliquando Gilduinus, circa 1170, querelam habuit cum abbatissa *de Morienval* super decimis de Plailliaco, quam ab archiepiscopo Remensi P. abbas sancti Remigii Remensis & R. decanus Remensis delegati terminarunt. Præsens anno 1177, memoratur in revelatione reliquiarum ecclesiæ S. Frambaldi & 1180, in charta Odonis decani pacificentis cum ecclesia S. Vincentii super annualibus præbendarum ecclesiæ S. Frambaldi. Emit 1182, majoriam Pupugnii, & occurrit adhuc 1187, in charta Stephani B. Mariæ decani de censu quodam supra domum unam S. Frambaldi ecclesiæ suæ debito. Ch. LXXV. col. 436.

V. Gaufridus I, thesaurarius & Philippi regis capellanus innotescit ex charta Hermeri decani cum capitulo pro Gaufridi thesaurarii animæ remedio instituentis anno 1195, capellanum, qui quotidie missam celebraret.

VI. Guillelmus I *de Chartres*, annis 1197 & 1202, sancti Frambaldi thesaurarius & beatæ Mariæ cantor, hoc anno cum Fulcone Aurelianensi decano a Philippo Augusto ratione ipsius conjugii cum Ingelburge deputatus est ad Innocentium III, summum pontificem. Factus episcopus Noviomensis, memoratur in necrologio sancti Frambaldi, XI cal. Martii. *Lib. 5. epist. Innoc. epist. 48 & 49.*

VII. A. de Autolio, anno 1248, a S. Ludovico nominatus est, qui canonicorum Sacræ capellæ Parisiensis exercitia & redditus ad normam ecclesiæ S. Frambaldi Silvanect. ordinaret.

VIII. Radulfus *Grosparmi* dictus *de Piris*, a vico hujus nominis, ubi natus erat, nobilis Normannus ex antiqua gente dominorum *de Beuville* & *de Flers*, fuit annis 1254 & 1258, sancti Frambaldi thesaurarius. Sigillifer regis, & episcopus Ebroicensis inauguratur 20 Octobris anni 1259, quem Urbanus IV creavit cardinalem episcopum Albanensem anno 1261, mense Decembri.

IX. Guillelmus II *de Chartres*, in locum Radulfi a rege nominatus, electus est arbiter controversiæ inter Guillelmum episcopum Olenensem, quondam abbatem Cluniacensem & ipsum conventum. Memoratur adhuc anno 1262.

X. Philippus de Caturco, scholasticus Bajocensis, regis Franciæ clericus, & sancti Frambaldi thesaurarius anno 1269, mensibus Martio & Aprili, electus est Ebroicensis episcopus anno eodem. Jus annualium recognovit S. Vincentio Silvanectensi an. 1271, Sabbato ante Nativitatem S. Johannis-Baptistæ. De eo necrologium S. Frambaldi ad XV cal. Septembris.

XI. Nicolaus de Autolio, successit Philippo anno 1270, quo ad ipsum scripsit Petrus de Condeto capellanus regis Ludovici IX, de morte ipsius regis. Anno 1273, jus annualium solvit S. Vincentio. Factus quoque est episcopus Ebroicensis anno 1281, obitumque fundavit in ecclesia S. Frambaldi, cujus in necrologio memoratur IX cal. Januarii.

Spicil. t. 2. pag. 559.

XII. Guido I de Gebany, clericus ex decano Carovientensis ecclesiæ, S. Frambaldi thesaurarius nominatur a Philippo rege 1281, Sabbato in vigilia S. Andreæ. Anno 1282 1 Januarii, hoc est 1283, solvit quadraginta libras ecclesiæ sancti Vincentii pro jure annualium.

XIII. Gauffredus seu Gaufridus II de Templo, thesaurarius 1294, per cujus obitum

XIV. Guillelmus III *Flotte*, clericus regis & archidiaconus Brabantiæ in ecclesia Cameracensi, thesaurarius S. Frambaldi a rege Philippo Pulcro dicitur literis apud Mafflerum datis die Martis ante festum S. Dionysii anno 1298. Fuit idem cancellarius regis.

XV. Petrus I de Bella-pertica, ex thesaurario B. Frambaldi episcopus Autissiodor. an. 1306, de quo necrologium S. Frambaldi ad idus Julii.

XVI. Robertus *de Vernone*, transegit anno 1333, cum Sandionysianis monachis super justitia de Plailliaco. De eo necrologium sancti Frambaldi ad XV cal. Octobris.

XVII. Gassius de Buigna, presbyter & S. Frambaldi thesaurarius anno 1372, die 25 Maii in electione decani ejusdem ecclesiæ alter scrutatorum electus est.

XVIII. Petrus II *de Gallonel*, thesaurarius anno 1395, die Dominica 12 Septembris.

XIX. Clemens *Parvi*, simul Sacræ capellæ Parisiensis & sancti Frambaldi thesaurarius erat anno 1396.

A XX. Michaël *de Cresnay* vel *de Fresnay*, thesaurarius anno 1402 & 1407, quo ultimo de annuali præbendæ suæ composuit cum Oudardo abbate sancti Vincentii.

XXI. Johannes I *Daigny*, thesaurarius & canonicus S. Frambaldi, necnon inspector denariorum regis querelam habuit cum Johanna *Poulette*, abbatissa B. Mariæ *de Morgneval*, super decimis de Plailliaco, de quibus convenerunt die 7 Novembris anno 1412.

XXII. Guillelmus IV *Gaudart*, thesaurarius anno 1463.

XXIII. Johannes II *la Belle*, æmulum passus B Lupum nomine.

§ Post Johannem *la Belle*, aliqui desunt thesaurarii, nisi forte hic inseri debeant duo sequentes, quorum ætatem ignoramus, N. de Malo-conductu notus ex necrologio ad nonas Aprilis & Richardus *de Tournay*.

XXIV. Guillelmus V *du Prat*, ex thesaurario factus est episcopus Claromontensis anno 1528.

XXV. Thomas *du Prat*, Guillelmi cessione thesaurarius reperitur annis 1529, 1541 & 1543.

XXVI. Jacobus *Forsans*, thesaurarius anno C 1558 30 Julii, sententiam obtinuit a præposito Parisiensi super justitia Plailliaci.

XXVII. Petrus III *Formaget* vir nobilis & legisperitus occurrit thesaurarius ineunte anno 1572, & 1574, 31 Decembris. Obierat XI Martii 1575, qui modo 1576.

XXVIII. Hugo *de Bourguignon* dictus *Magnani*, presbyter ac thesaurarius ann. 1582, 1584, & 1587.

XXIX. Renatus *Jaulnay* doctor medices, defuncto Hugone, nominatus a rege die 29 Aprilis anno 1589, æmulum expertus est Annam *de Mazerat* clericum Claromontanum, D quem evicit sententia ballivi Silvanectensis data die Lunæ 20 Maii 1591, ipsoque die ad possessionem admissus est.

XXX. Johannes III *Loysel* clericus, cessione Renati thesaurarius die 3 Junii 1594, possessionem iniit die Martis 14, ejusdem mensis & anni. Memoratur canonicus B. Mariæ Silvanect. ac S. Frambaldi thesaurarius & canonicus an. 1595, feria III 21 Martii.

XXXI. Johannes Philippus *Loysel* archidiaconus ecclesiæ Silvanectensis ac thesaurarius S. Frambaldi reperitur ab anno 1595, ad annum 1617 die Dominica 5 Februarii.

E XXXII. Guido II *Loysel* senator Parisiensis, factus a rege thesaurarius die 29 Maii 1619, cepit possessionem 6 Junii per procuratorem Danielem *Migniere*. Cessisse videtur eodem anno; nam

XXXIII. Nicolaus II *Loysel* subdiaconus Silvanectensis regi a consiliis & eleemosynis, necnon Sacræ capellæ Parisiensis canonicus, nominatus a rege thesaurarius 1619, die 9 mensis Octobris apprehendit possessionem. Condito 28 Decembris 1640 testamento, sexcentas libras S. Frambaldi capitulo legavit sub onere solemnis

unius obitus celebrandi quotannis 1 Martii, qua A die decessit anno 1641.

XXXIV. Antonius *Loysel* vir nobilis, clericus Silvanectensis & canonicus Sacræ capellæ Paris. cedente Nicolao renunciatus a rege 12 Januarii 1641, possessionem accepit die 23; verum die 10 Martii cessit ipse sub annua trecentarum librarum pensione.

XXXV. Petrus IV *de la Lande* patria Ricomagensis in Arvernia inferiori, presbyter Claromontensis, in jure doctor, regique a consiliis & eleemosynis cessione Antonii fit thesaurarius a rege, 11 Martii 1641, & a capitulo 19 ejusdem mensis excipitur. Is anno 1655, cœtui Gallicanorum præsulum, Franciæ conciliorum & aliquot regum Franciæ capitulariorum a Jacobo Sirmundo proavunculo prætermissorum obtulit collectionem, quæ fuit edita 1666. Thesaurariam, duasque proxime vacaturas præbendas in gratiam capituli a Ludovico XIV abrogari impetravit anno 1675; biennioque post die 3 Januarii 1677, vivere desiit.

ECCLESIA COLLEGIATA S. THOMÆ DE CRISPEIO.

Maldrac. chron. Longipontis, pag. 179. IN honorem S Thomæ martyris & archiepiscopi Cantuariensis fundata est ecclesia collegiata quæ simul est parochialis, anno 1182 a Philippo Alsatiæ & Veromanduorum comite & Elisabetha conjuge domina Valesiæ, qui decem inibi constituerunt canonicos, quinque scilicet presbyteros, tres diaconos, duosque subdiaconos. Erecta paulo post ab Alienore sorore Elisabethæ comitissa S. Quintini ac domina Valesiæ, & conjuge Matthæo IV Belli-montis comite capella domus Dei, non longe ab ecclesia S. Thomæ, inde est orta ex parte canonicorum sancti Thomæ querela, quibus ut satisfacerent capellæ fundatores, ex bonis capellano assignatis unam C præbendam presbyteralem in ecclesia S. Thomæ instituerunt, hisque undecim præbendis duas alias diaconalem unam & alteram subdiaconalem Gaufridus episcopus Silvanectensis adjunxit, sicque tredecim facti sunt canonici, quorum alter est decanus a capitulo eligendus, qui ultra suam præbendam semipræbenda gaudet, & alter cantor ex institutione Roberti *de Cressonsart* episcopi an. 1263. Canonicorum unus est gymnasii literarii præfectus, ex ordinatione Caroli IX mense Januario anni 1560.

Ceterum omnium hujusce capituli præbendarum collatio, quæ decanatu excepto, primitus D ad dominos de Crispeio aut de Valesia pertinebat, postquam rex Philippus Augustus coronæ suæ hoc univit dominium, transcripta est circa 1214, Garino Silvanectensi episcopo & successoribus ejus. Addam vice corollarii, Johannem *le Fuselier* Caroli Aurelianensis Valesiæ ducis consiliarium & thesaurarium, ortu Crispeiensem, cantorem & canonicum ecclesiam ab Anglis expilatam & incensam restituisse & dedicari fecisse feria v post Assumtionem B. Mariæ anno 1444.

DECANORUM INDEX.

I. Petrus ipso fundationis anno 1182 decanus E erat. Testis est 1187, in charta Alienordis S. *Ch. XXXII. col. 223.* Quintini comitissæ & Valesiæ dominæ benefacientis ecclesiæ S. Arnulfi de Crispeio. P. decanus S. Thomæ cum G. Priore Crispeii & O. de S. Lazaro canonico S. Thomæ causam inter B Elisabetham *de Roscel* & Johannem vicecomitem Ulchei auctoritate apostolica anno 1206 finiit. ex autographo Conciaci. Anno 1211, cum Galchero *de Ochies* abbate Longi-pontis diremit controversiam inter Alienordem comitissam & S. Quintini capitulum.

II. Landricus occurrit annis 1275 & 1278, quo ultimo controversiæ inter M. Maurinianævallis abbatissam & Silvanectense S. Reguli capitulum arbiter electus est mense Junio.

III. Philippus *de Belival* anno 1303, seu 1304, mense Januario fuit alter exsecutorum testamenti Matthæi *de Morgnevalle* quondam archidiaconi Silvanectensis. Reperitur & anno 1308 cujus meminit necrologium B. Mariæ Silvanectensis ad VI cal. Julii.

IV. Reginaldus *de sainte Agathe* 1307 qui forte 1308.

V. Guillelmus I *Paste*, decanus sancti Thomæ & sigillorum præposituræ Crispeiensis custos pro ducissa Aurelianensi, comitissa Valesiæ & Bellimontis, ab anno 1384 ad annum 1396.

VI. Stephanus *le Fuselier* 1416.

VII. Johannes I *de Vaubuin* 1441.

VIII. Johannes II *le Fuselier* 1477.

IX. Antonius *Feurier* 1505.

X. Johannes III *Bataille* 1533.

XI. Guillelmus II *Vangueul* 1552.

XII. Ludovicus *Dolé* 1590.

XIII. Simeon *Aubry* 1596, idem fortasse qui Simon I 1607, die 7 Novembris.

XIV. Jacobus I *Vangueul* 1616, 1620, & 1624 quibus director legitur piarum sex puellarum, quæ paulo post Ursulinarum ordini nomen dedere.

XV. Johannes IV *Brillon* 1630.

XVI. Simon II *Cucul* 1637.

XVII. Johannes-Baptista *Cucul* 1681.

XVIII. Jacobus II *Cucul* 1690.

XIX. Simon III *Cucul* 1716.

XX. Robertus *Minet* 1740. Hoc anno cessit vel decessit; nam

XXI. Natalis-Franciscus *Choron* Roberto successerat anno 1740 superstes ad annum saltem 1750.

VETERES ABBATIÆ ECCLESIÆ SILVANECTENSIS.

DUÆ sunt, quarum una penitus exstincta est, altera priorem amisit dignitatem.

I. S. MICHEL. S. Michaëlis qualemcumque notitiam habemus cum ex necrologio Silvanectensis ecclesiæ, in quo ad IV cal. Februarii Hugo episcopus, qui sedit annis 1094 & 1095, legitur abbatiam sancti Michaëlis longo tempore ab ecclesia alienatam, suis tandem diebus per se acquisitam canonicis beatæ Mariæ reliquisse: tum ex diplomate Ludovici VI regis in appendice relato, hanc abbatiam iisdem canonicis, cum universis beneficiorum donis ab eorumdem episcopis ipsis datis perpetualiter possidendam concedentis anno incarnati Verbi MCXI. (Ch. XII. col. 109.)

II. S. ARNOUL. Crispeiense S. Arnulfi cœnobium ordinis S. Benedicti, situm in pago Vadensi *le Valois*, cujus caput Crispeium, fundatorem agnoscit Walterium cognomento Album, Ambianorum comitem & castri Crispeii seu Crispiaci dominum, qui cum Adela conjuge an. 1008, monasterium in eodem castro exstruxit in honorem S. Arnulfi martyris, quem volunt archiepiscopum fuisse Turonensem. (*Mabill. t. 4. annal. Bened. pag. 203.* *Notæ Ruinartii in Gregor. Turon. col. 534.*) Eidem loco Rodulfus comes Crispeiensis post mortem uxoris Adelæ, in præsentia Heddonis episcopi Suessionensis, dedit altare & villam *Boni oculi*: *Actum in domo matris ecclesiæ Suessionicæ anno 1053, Henrico rege anno XIX, episcopatus vero Heddonis anno primo.* Rodulfi filius & heres Simon defuncti patris corpus a Monte-desiderio, ubi jacuerat per tres annos, ad Crispeium allatum, in ecclesia S. Arnulfi, ubi ex aqua & Spiritu sancto renatus fuerat, condidit juxta matrem & antecessores suos; huicque dedit ecclesiæ per annulum aureum terram de *Bono oculo*, cum duobus candelabris pretiosis die 22 Martii anno 1077, hoc est 1078, quo anno Simon, antequam ad S. Eugendum in territorio Jurensi monasticen amplecteretur, abbatiam S. Arnulfi tradidit Hugoni Cluniacensi abbati, ut omnino illi subjecta esset, & ut ibi abbatem de suis eligeret monachis &c. (*Mabil. t. 5. annal. Bened. pag. 118.* *Spicil. t. 1. pag. 606.*) *Actum in domo sanctæ Mariæ Parisiensis die festivitatis Omnium sanctorum,* adstante Philippo rege, & concedente Silvanectensi episcopo Ivone. (Chart. VII. col. 107.) Idem quoque ad preces Hugonis de Crispeio ratum habuit Hugo Silvanectensis episcopus literis in appendice relatis. (Ch. XVIII. col. 107.)

I. S. Gerardus ex pago Medantissæ *Mante* & patrimonio Jelia oriundus, quum huic loco idoneus rector quæreretur, ait Mabillonius, ad id muneris electus est, qui primus illic, ubi canonici aliquandiu consederant, regularem vitam institueret. (*Tom. 4. annal. Bened. pag. 203.*) Is, ut diximus tom. VII col. 492, vir doctus, Fulberti Carnotensis auditor, e Latiniaco, ubi monachum agebat, sub Herberto abbate, assumtus est, primum ut monasterio Crispeiensi in Valesia præesset, dein Fontanellensi in Normania anno 1028. Crispeiensem igitur abdicavit præfecturam, unde probiores quosque monachos secum abduxit Fontanellam. (*Spicil. tom. 3. p. 259.*)

II. Lezcelinus Gerardo subrogatus abbas, Roberto regi carus fuit & acceptus, teste Helgaudo in Roberti vita, cujus verba huc adducere juvat: *Castrum Crispiacus dictum a Walterio potenti nobiliter constructum Suessionico in territorio: Abbatiam sancti Arnulfi a se factam nobilis nobilem & per secula reddidit illustrem; nostra enim ætate ibi abbatem quemdam, Lezcelinum nomine, constituit boni testimonii virum, professione regularis vitæ monachum, quotannis venientem ad hunc Dei virum* (Robertum regem.) *Suscipiebatur ab eo ut Dei servus, & colloquium habentes de cœlestibus, post in redeundo honorabatur ab eo honorabilibus muneribus, quæ erant juncta cœlestibus perfectæ caritatis virtute.* Memoratur in necrologio VI idus Januarii.

III. Hugo ex monacho Resbacensi abbas Crispeiensis Philippi regis adfuit sacro die Pentecostes anni 1059. Profectus aliquando Resbacum ad diem festum sancti Agili abbatis, ibidem quarto post die decessit III nonas Septembris an. 1065. Vide tom. VI Augusti Bolland. pagg. 591 & 592.

I. Stephanus I, ab Hugone Cluniacensi abbate institutus prior an. 1080, præerat 1102 VI idus Decembris, quo die & anno in placito habito coram Adela comitissa uxore Hugonis Magni vindicati sunt monasterio servi. Circa id tempus ab Hugone sancti Arnulfi monacho, tunc autem mansionario in monte Thabor partem veræ Crucis accepisse dicitur. Crispiaci anno 1103, facta est sancti Arnulfi reliquiarum translatio e veteri theca in novam auro & argento decoratam, præsente Theobaldo Pontisarensi abbate & Stephano sancti Arnulfi priore. Facta est autem translatio illa ipsis die & mense, quibus ejusdem S. Martyris corpus a Radulfo comite illuc quondam advectum fuerat. Ista vero theca seu capsa quotannis præcipuo sancti Arnulfi festo XV cal. Augusti, ante majus sacrum magna cum solennitate defertur, assistentibus ex ipsa civitate parochis S. Agathæ & S. Dionysii, necnon extraneis parochis *d'Oger S. Vincent & de Feigneux* cum primoribus ipsius civitatis. Paschalis II papa literis ad Stephanum scriptis confirmavit fundationem monasterii factam a Galterio comite & Adela conjuge, ceterasque ejusdem possessiones, in quibus ecclesia sancti Germani prope castellum Pontisarense & cella Morandi-monasterium &c. *Datum apud Latiniacum per manum Johannis diaconi & bibliothecarii V nonas Maii indict. XV,* (lege I) *anno 1108 pontificatus octavo.* (Chart. XI. col. 108.) Denique hoc ipso anno indict. I die 8 Novembris, Godefridus Ambianensis episcopus donata huic monasterio a Fulcone decessore altaria *de Garmeny & de Villers* confirmavit. (*Bullar. Cluniac. p. 70.*) De Stephano ita necrologium: *Nonis Januarii obiit Stephanus prior hujus loci, qui fecit fieri capellam S. Margaritæ, & alta*

multa bona in capite & in membris, de quibus membris vide bibliothecam Cluniacensem col. 1720.

§ Odo in quadam priorum serie Stephano succedit absque nota temporis, in aliis catalogis omissus.

Chart. LVI. col. 423. II. Hugo I. Anno 1117 in præsentia Clarembaldi Silvanectensis episcopi, actum est placitum apud Crispeium in curia sancti Arnulfi sub justitia Hugonis prioris, ubi monachis contra Ingelrannum militem quoddam assertum est burgum situm in suburbio ejusdem castri, quod Walterus comes Ambianensis, cum Adela uxore jam dudum concesserat monachis, assensu Roberti regis, & confirmantibus Arnulfo Remensi archiepiscopo, Roberto Rotomagensi & Leotherico Senonensi, &c. Huic autem interfuere placito abbas de Nogento (Guibertus,) Odo abbas Suessionensis (S. Crispini majoris,) Balduinus abbas canonicorum sancti Vincentii Silvanectensis, Matthæus prior sancti Martini de Campis, Hilo prior de Coinceio, Robertus prior de sancta Margarita, Arthaldus prior de Nantholio, &c. Hugo reperitur adhuc 1118, in charta Adelæ Veromanduorum comitissæ, cum filiis Radulfo & Henrico nonnulla prædia cœnobio concedentis, ut comes Hugo Magnus in itinere Jerosolymitano defunctus, & ipsa cum suis essent participes suffragiorum loci. Hugonem annum 1120 legimus attigisse.

III. Richardus I, duobus in catalogis omissus, prior in tertio laudatur anno 1127.

IV. Imarus seu Aymarus, bullam obtinuit ab Innocentio II, qua bona omnia, quæ loci fundatores Gualterius & Adela tribuerant, confirmantur. *Datum Ravennæ nonis Novembris indict. VIII anno 1130.* Bullar. Cluniac. p. 40.

V. Hugo II, quem inter & Radulfum comitem Veromanduensem de foro Crispeii initum firmavit pactum Ludovicus rex anno 1133.

VI. Richardus II, præfuit annis 1136 & 1137, quem eo circiter tempore Radulfus Veromanduorum comes cum Guarino castellano de Roya conciliavit.

Hist. sancti Martini a Campis, p. 179. VII. Hugo III, prior comparet an. 1137, in charta Manassis episcopi Meldensis de controversia in ecclesia de Creceio. Is est Hugo cognomento *de Crespy* Cluniaci primum monachus, tum prior sancti Arnulfi Crispeiensis, a quo Crispeiensis cognomen accepit; quique demum factus est abbas sancti Germani a Pratis anno 1147, uti dictum est tom. VII, col. 441.

VIII. Simon Hugoni translato successit, quo sedente Radulfus Veromanduensis comes, *de Perrona* cognominatus, filius Hugonis Magni fratris Philippi Francorum regis, defunctus anno 1151, sepultus est in monasterio Crispeiensi, *cui tam in terris, tam in terrarum redditibus tanta largitus est, ut reditus annui terrarum illarum mille solidorum quantitatem excederent.* Spicil. t. 11. p. 332. Ita Petrus venerabilis abbas Cluniacensis, qui memor ejus beneficiorum, pro eodem missas ordinavit & preces tam Cluniaci, quam in toto ordine celebrandas. Simon adhuc memoratur in charta Amalrici episcopi Silvanect. (anno igitur saltem 1156) de divisione terræ de Villa-nova, quæ dicitur *Gastata* inter eum & Widonem militem, Marchani filium, teste alios inter Ilberto B. Mariæ Silvanectensis decano.

IX. Milo, duobus in catalogis omissus, duobus in aliis recensetur 1160.

X. Theobaldus, anno 1162, XI cal. Junii, indict. X bulla donatus est ab Alexandro III. Bullar. Cluniac. p. 70. Pactum iniit eodem anno de jure tonlei. Reperitur anno circiter 1163, in charta Stephani Cluniacensis abbatis super majoriis de Marimonte & de Crispeio; fuere testes Amalricus episcopus Silvanectensis, Hugo abbas sancti Vincentii Silvanectensis, Balduinus quondam abbas ejusdem loci, &c. Memoratur & annis 1165 & 1166, quorum ultimo Theobaldum inter & Albericum *de Boncavalle* inita est compositio. Exstat in bibliotheca Cluniac. col. 1431, privilegium Willelmi Aconensis episcopi datum anno 1170, de construendo in parochia sua monasterio, *quod*, ait, *Cluniacensi ecclesiæ concessimus, mediante viro venerabili Theobaldo ejusdem ecclesiæ monacho & Crispiacensi priore, multis & excelsis virtutibus decorato, &c.* Occurrit adhuc 1174 & 1176, quo anno Stephanus abbas Cluniacensis, rogatu Theobaldi prioris & totius conventus, instituit anniversarium Rannulfi bonæ memoriæ hujus quondam loci subprioris, & congruam procurationem ab eleemosynario istius domus toti conventui eadem die exhibendam; propterea quod Rannulfus longo tempore subprior, primum in renovandis libris, deinde in reædificando refectorio, & emendandis eleemosynis multum laborasset, jussu, consilioque & auxilio Theobaldi prioris, qui postea fuit abbas primum S. Basoli, tum S. Crispini majoris apud Suessiones, & inde Cluniaci, successor Willelmi, tandemque cardinalis.

XI. Stephanus II, duobus in catalogis omissus, duorum aliorum in altero memoratur 1176 & in altero 1180.

XII. Humbertus, qui & Hubertus atque Imbertus anno 1183, Bernardo nepoti Cluniacensis abbatis dedit ad censum vineam sitam apud *Garmigny*, ita ut post ejus decessum ad prioratum sancti Arnulfi reverteretur. Bullam accepit a Lucio III, anno 1184, XII cal. Maii indict. 2 pontificatus anno tertio, qua cœnobii possessiones, in quibus Casiacus villa in Hotinensi pago, & cella Morandi-monasterium dicta, in diœcesi Ambianensi confirmantur. Bullar. Cluniac. p. 78. Sedente Humberto, aut sequenti, Alienor sancti Quintini comitissa & Valesiæ domina anno 1187, se munificam præbuit erga S. Arnulfi ecclesiam, in qua pater ejus & mater consepulti memorantur. Ch. XXXII. col. 223.

XIII. Richardus III, duobus in catalogis omissus, duobus in aliis recensetur 1190, & in charta Eleonoris comitissæ dantis usuarium jus in silva Radezia *de Retz*.

XIV. Garnerus, omissus in uno catalogo, tribus in aliis reperitur 1192, quo anno de quibusdam decimis concordiam iniit cum Martino Loci-restaurati abbate, quam Herbertus Vallis-serenæ abbas comprobavit.

XV. Gaufredus anno 1194 subscripsit cum Martino Loci-restaurati abbate & aliis testamento Alienordis comitissæ Veromanduensis. Eodem anno mense Decembri, Gaufridus prior de Crispeio & de Nantolio sigillum apposuit suum initæ pactioni a Johanne *Britel* abbate Latiniaci cum Philippo de Nantolio super nemore Drossellarum. An. 1203 iniit ipse Gaufridus pactum venditionis quo emtores dare singulis prioribus Morandi monasterii & Avesnæ duos *capones* tenentur. Denique G. (Gaufridus, aut Guido successor) an. 1206 cum P. Decano S. Thomæ de Crispeio & O. de S. Lazaro ejusdem ecclesiæ canonico causam inter Elisabetham *de Rosiel*, & Johannem vicecomitem Ulchei auctoritate apostolica terminavit, ex autographo Coinceii.

Tom. VII. Gall. Christ. col. 499.

XVI. Guido tribus in catalogis omissus, legitur in quarto donum accepisse anno 1209 quadraginta sextariorum grani, ex literis Aimardi Suessionensis episcopi, quæ exstant in tabulario S. Arnulfi.

XVII. Guichardus tribus similiter in catalogis omissus, in quarto recensetur anno 1216.

XVIII. Fulco consanguineus Garini episcopi Silvanectensis, prior occurrit de Crispeio & de Consiaco annis 1217 & 1224. Grangiam *de Cerfroy* cum appenditiis dono accepit an. 1218. Litem habuit cum abbatissa & monialibus Parci dominarum, quam finivit Garinus episcopus an. 1222. Insequenti 1223 coram Jacobo episcopo Suessionensi emtæ sunt a Fulcone Casiaci in Orceio decimæ. Sedebat adhuc 1231 idem, ut videtur, ac S. loco F. ad hunc annum dictus in uno catalogo judicum alter seu arbitrorum controversiæ super capella *de Louvry*, & in altero notatus ad eumdem annum in sententia arbitrorum inter S. Priorem & Godefridum militem.

XIX. Henricus solum innotescit an. 1234 ex hist. Valesiæ regalis p. 32, idem forte ac

XX. Hugo IV, qui anno 1236 nonnullas apud Casiacum terras cum suo conventu permutavit pro modio bladi apud *Ormoy*, annuente Cluniacensi abbate.

Biblioth. Cluniac. col. 1502.

XXI. Petrus I an. 1240 sigillum apposuit suum initæ compositioni R. episcopum Bellovacensem inter & ecclesiam Cluniacensem super prioratu de Buriaco diœcesis Bellovacensis.

XXII. Landricus anno 1250 decimas *de Sablonieres* commutavit pro decimis *de Chemillon*, fortasse cum fratribus Templi *de Moisse*, cum quibus eodem anno pepigisse legitur in aliis duobus catalogis.

XXIII. Nicolaus I, occurrit annis 1252 & 1258, simul prior sancti Arnulfi *de Louvry*. Sane hoc anno 1258 mense Augusto dat conventui pro suo anniversario quatuordecim jornalia terræ. Transigit anno 1264, cum sodalibus Societatis S. Dionysii Crispeiensis. In necrologio commemoratur his verbis : *Calendis Januarii obiit Nicolaus prior hujus loci, qui fecit monasterium.*

XXIV. Petrus II *de Livry*, anno 1270, die Sabbati post natale Domini literas Alfonsi filii regis Portugalliæ recognoscit, quibus is, ut pote comes Boloniæ & Matildis uxor ejus Johanni de Bello-monte regis cambellano & Isabelli uxori assignant 188 arpenta nemoris in boscis de Domno Martino, pro sexaginta libris annui redditus, quas eis singulis annis super terram de Domno-Martino reddere tenebantur. *Actum apud Pontisaram 1240 mense Junio*, ex archivis Caroliloci. Acquisivit Petrus anno 1276, grangiam *de Chesy en Oxois*. Dedit eodem conventui suo quinque jornalia terræ. De eo necrologium ad IV cal. Februarii.

XXV. Johannes I *de Mery*, occurrit 1305 mense Januario, seu 1306, in necrologio S. Salvii, ubi Droco subprior & totus ejusdem loci conventus concedunt Johanni priori de Crispeio & Guichardo ejus socio tricenaria sua, ubicumque obierint. Tertio post anno 1309 legitur *Petrus de Mery* in uno catalogo. Comparet Johannes an. 1311, in charta Henrici Cluniacensis abbatis pactum initum Silvanect. capitulum inter & S. Arnulfi conventum super herediis apud Duveium sitis approbantis die Lunæ post Pascha. Fundavit anno 1315, anniversarium, pro quo dedit conventui sex libras annuas & unum columbarium. Obiit anno 1317 1 Junii, sepultusque est ad portam collateralem chori, de quo sic necrologium : *II idus .... obiit Johannes de Marriaco, qui dedit nobis viginti libras Parisienses & septem libras Turonenses pro anniversario suo quolibet anno.*

XXVI. Petrus III *de Coussy*, innotescit ex necrologio, quod sic habet : *XI cal...... obiit dompnus Petrus* de Coussy *prior hujus loci, qui dedit conventui quinque jornalia terræ arabilis sitæ apud Avenes, & jacet ad introitum chori in templo.*

XXVII. Agnus *de la Tour*, memoratur cum F. Aymedeo de Marriniaco præposito sancti Arnulfi anno 1323 mense Januario, hoc est 1324, in charta sancti Crispini Suessionensis. Obiit Murati anno 1331, unde corpus delatum est ad locum *Bort* appellatum.

Tom. IV. hist. geneal. magnatum Franciæ, p. 527.

XXVIII. Johannes II *de Satanay* alias *de Sarbonay*, anno 1333, in processu verbali electionis Johannis *de Mazieres* prioris Caritatis, propositus ad hunc prioratum legitur cum priore Longæ-villæ. Præsentavit ad ecclesiam parœcialem S. Agathæ in urbe Crispeio 1338 21 Aprilis, & anno seq. 1339 uni servorum suorum, ut fieret clericus, permisit. Adhuc præerat Johannes 25 Aprilis 1346.

XXIX. Guillelmus I *de Foresta*, an. 1352, conventui largitus est nonnulla pro anniversario suo. Defunctus sepelitur ante aquilam in festo sancti Dionysii anno 1354.

XXX. Johannes III *Guillon* prior an. 1362, insequenti cum Guidone *Caillet* priore Coinciaci domum acquisivit apud Casiacum in Orceio, quam postea conventui dederunt ambo, ex necrologio sancti Arnulfi de Crispeio, ubi memorantur III idus Januarii.

XXXI. Jocerandus de Canabio, ex monacho Cluniacensi 1365, prior sancti Arnulfi, definitorem egit anno 1375 in capitulo generali. Jocerandus idem *de Chaumeneux* dictus in uno catalogo, prior occurrit in eodem 1376.

Conventui dedit anno 1387 18 Maii molendinum &c. ex auctoritate Johannis Cluniacensis abbatis, sub onere duorum anniversariorum. Jocerando priore monasterii privilegia confirmata sunt a Ludovico filio regis Franciæ, duce Aurelianensi, comite Valesiæ & Belli-montis, die 3 Aprilis 1371 & a Carolo Franciæ rege, 11 Septembris 1381. De eo sic necrologium : *V cal. Martii obiit venerabilis & religiosus vir Fr. Jocerandus de Canabio quondam prior hujus loci, qui dedit conventui molendinum existens subtus vivarium Matris-montis cum hospitio, jardino, prædicto molendino contiguis, & uno jardino, in loco qui dicitur* la Croix, *& tria modia bladi supra molendinum subtus Diviacum, & quadraginta solidos Parif. dividendos inter religiosos, qui intererunt ad officium suum. Et migravit ab hac luce die XXVII mensis Martii anno Domini millesimo CCC octuagesimo VII°* hoc est 1388.

5 Aleaudus de Cosantio, forte consanguineus Johannis de Cosantio Cluniacensis eo tempore abbatis, ab eodem, ut videtur, prior factus, alicubi legitur permutasse cum Guillelmo sequenti, priore de Priciaco, (forte Pringiaco diœcesis Senonensis).

XXXII. Guillelmus II *Saiffet*, prior annis 1400 & 1402 27 Decembr. quo simul erat Cluniaci procurator generalis, 1405, 1406 & 1409, hoc ultimo cum aliis ad concilium Pisanum ab ecclesia Silvanectensi deputatus est. Guillelmo sedente Ludovicus regis Franciæ filius, dux Aurelianensis, comesque Valesiæ, Blesarum & Belli-montis, anno 1398 26 Augusti privilegia monasterii confirmavit. Factum anno 1413 abbatem Anianensem Guillelmum diximus tom. VI col. 848; de quo proinde intelligendum necrologium Crispeiense his verbis : *XV cal. Novembris obiit Guillelmus, qui fuit prior istius ecclesiæ annis XXVII.*

XXXIII. Alamannus Adimarius, cardinalis Pisanus, prior commendatarius 1418. obiit 1422.

XXXIV. Antonius I *Pancerino*, cardinalis Aquileïensis, prior 1424, 1426 & 1427. obiit 1431.

XXXV. Johannes IV *de Poulmart* aut *Paulmart*, prior jam anno 1427, permutavit decennio post die 4 Septembris 1437, cum Roberto domus hospitalis Abbatis-villæ administratore, Odone Cluniacensi abbate consentiente.

XXXVI. Robertus *des Hayes*, prior anno 1437 die 9 Decemb. de quo fortasse necrologium eo tenore : *XII cal. .... obiit Robertus. Iste Robertus fuit prior hujus domus fere duobus annis cum dimidio.*

XXXVII. Bernardus Cheverii, *Cheuve* & *Chavenc*, in historia Valesiæ regalis, licentiatus in theologia, Roberti in locum ab Odone abbate Cluniacensi suffectus, prior occurrit 1440 17 Octobr. 1441, mensibus Martio & Augusto 1444 & 1446.

XXXVIII. Guillelmus III de Cheriaco, prior laudatur anno 1447, & in historia Valesiæ regalis 1450. Pepigit anno 1453, cum

A parocho Caziaci. Anno 1456 mense Julio litem habuit cum Johanne *de Vert*, S. Martini cellerario pro decimis Lerniaci (*Largny*) de quibus 3 Augusti 1470, cum eodem convenit. Defunctus est anno 1474.

XXXIX. Johannes V de Castro, *du Chasteau*, decretorum doctor, legitur prior Crispeii 1475 & 1477 2 Maii, simul vicarius generalis Johannis *de Bourbon* Aniciensis episcopi & abbatis Cluniacensis. Fuit quoque vicarius generalis Guillelmi *d'Estouteville* cardinalis, episcopi Ostiensis, prioris S. Martini a Campis, 19 Januarii

B & 22 Martii 1477, qui modo 1478. Obiit anno seq. 1479, de quo sic necrologium : *XV cal. Decembr. obiit, frere Jehan* du Chasteau *docteur en decret, bachelier en theologie, prieur de l'eglise de ceans, qui trepassa en mois de Novembre 1479 le XVII jour, lequel prieur nous donna une maison assise dedans cette ville en la rue de S. Denys, pour lui faire un obit tous les ans le jour de son trepas.*

XL. Alexander *de Bourbon*, Cluniacensis monachus & in decretis baccalaureus in Universitate Cadomensi, Johanni defuncto successit eodem anno 1479, die 19 Decembris ex necro-

C logio Crispeiensi, quod sic habet : *XIV calend. Decembris obiit, domp Alexandre* de Bourbon, *bachelier en decret de l'Université de Caen en Normandie, lequel fut prieur après domp Jean* du Chasteau, *l'an 1479 le 19 de Decembre.* Reperitur an. 1480 & 1481, 3 Aprilis id est 1482. Tum factus abbas sancti Medardi Suessionensis 29 Augusti 1484, cessit e vita 1501, sepulturæ traditus in ecclesia sancti Arnulfi Crispeiensis, uti supra diximus col. 420.

XLI. Helias *d'Arson*, protonotarius apostolicus & abbas commendatarius sancti Vincentii

D Laudunensis, prioratus Crispeiensis possessionem accepit 28 Aprilis 1485. Memoratur in chartario domestico 1490, 1495 & 1500, quem supra diximus col. 485, defunctum an. 1504, pridie idus Augusti.

XLII. Jacobus I *de Coulon*, priorem agebat 1504, 1509 & 1510, quo anno præsentavit ad ecclesiam *d'Oger S. Vincent.* Fuit etiam abbas S. Salvii de Monstrolio.

XLIII. Claudius *du Prat*, Cluniacensis monachus, fuit prior sancti Arnulfi 1513, 1514 & 1522, quo simul abbas Mauzaci & Magniloci ordinis sancti Benedicti in diœcesi Claro-

E montensi, prædium beneficiarium *d'Avesne*, juris sancti Arnulfi in annos octoginta elocavit.

XLIV. Guillelmus IV *du Prat* episcopus Claromontanus, abbas Mauzaci & prior Radolii *de Reuil*, erat quoque prior S. Arnulfi de Crispeio 1524, 1537, 1538 & 1539. Huic autem monasterio dedit aquilam æneam affabre elaboratam, illicque stalla chori exstruxit. Mortem oppetiit anno 1560 22 Octobris, uti tom. II col. 297 dictum est.

XLV. Antonius II *de Laval* vel *de la Loubrairie* seu *de la Lombrairie* Cluniaci monachus professus obtinuit prioratum vacantem per obitum præcedentis, a Carolo cardinali *de Lorraine* Cluniacensi abbate 26 Octob. 1560.

XLVI. Johannes VI *de Nael*, majorem fudisse A campanam 1561 legitur in ipsius inscriptione.

XLVII. Jacobus II *de Nacelle* reperitur annis 1564 & 1565 29 Martii, hoc est 1566.

XLVIII. Mathurinus *Rousseroy*, vel *de Rosselay*, aut *de Resseloy* presbyter in historia Valesiæ regalis, sedisse fertur 1564, 1566 & 1569. Jacobi superioris, ut videtur, æmulus.

XLIX. Carolus *de la Rochete* 1571, 1574 & 1576 12 Aprilis, hoc est 1577 quo an. ipsius habentur literæ datæ Fiscanni ad sancti Arnulfi discretos monachos mentionem procurationis ad resignandum facientes.

L. Petrus IV *Habert* procurator Claudii *de* B *Guise* abbatis Cluniacensis pro pensionibus in provincia Franciæ anno 1589, prior occurrit sancti Arnulfi 1575 & adhuc 1583 quo anno per procuratorem Johannem *de Piles* Orbacensem abbatem adfuit concilio Remensi.

LI. Petrus V *Habert* superioris ex fratre nepos, in jure licentiatus, canonicus ecclesiæ Parisiensis, cui ecclesiæ S. Germani Autissiodorensis apud Parisios decanatum transmissum tom. VII col. 272 diximus, prior S. Arnulfi vix erat ante annum 1590. Reperitur autem 1596, 1597, 1598 & 1610, ac proinde is est, qui 1608 a Remensi clero deputatus adfuit cleri Gallicani comi- C tiis generalibus, non vero sequens, uti tom. VII, col. 849 legitur.

LII. Petrus VI *Habert* ex dominis *de Montmor* a Rupe dictus forte ob abbatiam B. Mariæ de Rocha diœcesis Paris. quam possedit una cum abbatiis B. Mariæ de Columbis Carnotensis & de Cirisiaco Bajocensis diœceseon. Fuit etiam prior de Crispeio 1613 & post Cadurcensis episcopus, ubi vide tom. I, col. 150.

LIII. Petrus VII *Habert* superioris nepos, prior occurrit 1616 & 1628, quo anno die 14 Julii Crispeii præposituram fratri Antonio *Boullemer* contulit. Obiit 2 Junii 1630, quum D antea patruo prioratum resignasset.

LIV. Petrus *Habert* patruus præcedentis, ex hujus resignatione fit iterum prior an. 1630 quo & ipse iterum resignavit; quanquam legimus N. *de la Riviere* ex caduco prioratum obtinuisse 29 Octobr. 1630, sed frustra ex dicendis.

LV. Nicolaus II *Charon* seu *Charron* regi a consiliis & eleemosynis, cedente Petro *Habert* episcopo Cadurcensi, prior commendatarius Crispeii confirmatus est ab Urbano VIII, bulla data pridie nonas Decembris 1631. De partitione bonorum agebat adhuc in magno consilio 1638.

LVI. Benedictus *Brachet* monachus & postea E præpositus generalis congregationis S. Mauri, Nicolai cessione prioratum S. Arnulfi consecutus est anno 1656.

LVII. Gabriel *de Boislève* episcopus Abrincensis, Benedicto similiter cedente, factus est prior 1657 2 Januarii, quum jam esset abbas sancti Georgii ad Ligerim diœcesis Andegavensis, & de Berdona Ausciensis, ubi vide tom. I, col. 1023. Obiit anno 1667.

LVIII. Carolus Mauricius *le Tellier* vacantem, dum Romæ degeret, obtinuit prioratum a Clemente IX, ejusque possessionem apprehendit 21 Januarii 1668. Tum factus archiepiscopus Remensis, prioratu cessit in gratiam cardinalis *de Furstemberg*, qui vicissim dimisit illi abbatiam S. Remigii Remensis, retenta pensione, quam postea Carolus redemit. Defunctus est Parisiis 22 Feb. 1710.

LIX. Guillelmus Egon *de Furstemberg* cardinalis & episcopus Argentinensis, nec non abbas S. Germani a Pratis, permutatione prioratum assecutus, nepoti transcripsit, retenta ter mille librarum pensione. Obiit 1704.

LX. Ludovicus Petrus Engilbertus *de la Mark* cessione Guillelmi prior effectus, cepit possessionem anno 1690 aut 1691. Sequentis in gratiam anno 1697 cessit, pensione servata ter mille librarum, qua, licet uxoratus, fruitus est ordinis S. Lazari eques. Fuit inde regiorum ordinum præceptor, & regius orator.

LXI. Ludovicus *Courcillon de Dangeau* iniit possessionem 15 Octobris 1697 in sacello magni consilii, vi consilii ejusdem decreti. Decessit prima Januarii 1723.

LXII. Gerardus *Poncet* Cluniacensis reformatæ congregationis monachus & postea superior generalis, gradus in facultate Parisiensi adeptus, prioratum petiit, sed repulsam passus a Cluniacensi abbate, qui jam fratrem suum Fredericum *de la Tour d'Auvergne* nominarat, episcopum Silvanectensem interpellavit, a quo confirmatus, possessionem nactus est 28 Aprilis 1723. Sequenti cessit anno 1734.

LXIII. Claudius *Baudinot* ejusdem congregationis monachus & procurator generalis, cessione superioris prioratum obtinet ab anno 1734. Idem anno 1750 delectus est a capitulo generali, qui regeret conventum S. Dionysii de Carcere apud Parisios.

Abbatiæ superstites in diœcesi Silvanectensi sunt omnino quatuor; duæ scilicet ordinis sancti Augustini canonicorum regularium; duæ pariter ordinis Cisterciensis, virorum & feminarum.

ILlarum prima *S. Vincentius*, in ipsa urbe, e congregatione Gallicana, *S. Vincent.*

Altera est *Victoria*, non longe ab urbe, *la Victoire.*

Duarum ordinis Cisterciensis, prima virorum Carolilocus, *Chaaliz.*

Feminarum altera Parcus-Dominarum, *le Parc-aux-Dames.*

Tres sunt insuper prioratus; S. Nicolaus de Aciaco, *S. Nicolas d'Acy*, prope urbem ordinis Cluniacensis e reformata congregatione.

S. Mauricius in urbe, canonicorum regularium e Gallicana congregatione & prioratus hospitalarius S. Michaëlis, feminarum ordinis sancti Augustini, in urbe Crispiaco.

S. VINCENTIUS.

SAINT VINCENT.

IN suburbio Silvanectensi, in alodio regali, in vico, cui nomen Vietellus, ecclesiam in honore sancti Vincentii diutius ante desolatam, pro anima Henrici I, conjugis propriis sumtibus restauravit

Ch. III. col. 204. restauravit Anna regina ejus uxor, materque Philippi I, hancque dedicari curavit in honorem S. Trinitatis, B. Virginis, S. Johannis-Baptistæ & S. Vincentii martyris. Hanc dotavit facultatibus, quas Henricus rex in matrimonio ei dederat, & attribuit religiosis viris, qui mundo renunciantes regularem SS. apostolorum & B. Augustini vitam amplecterentur; quos more ecclesiarum ad reges pertinentium, S. Frambaldi, S. Martini & S. Genovefæ Parisiensis liberos esse voluit. Piis parentis precibus annuens Philippus rex filius fundationem sigillo suo corroboravit & consuetudines suorum hominum religiosis concessit anno 1069. Charta V. col. 205.

Chart. XIV. col. 210. Fruuntur quatuor præbendis, quas an. 1119, Callixtus II eis confirmavit, in ecclesiis scilicet B. Mariæ Silvanectensis, S. Reguli, S. Frambaldi & S. Evremundi Credoliensis. Anniversaria quoque, seu annualia præbendarum in ecclesiis B. Mariæ & S. Reguli Clarembaldus episcopus eis concessit, sicut & canonici S. Frambaldi in ecclesia sua, quæ quidem firmata a Ludovico VI, anno 1129, jam dudum evanuere. Ch. LXIII. col. 428. Pluribus aliis gaudet abbatia privilegiis, quæ summi pontifices Callixtus II, Honorius II, Innocentius II, Alexander III, Clemens III, Cœlestinus III, &c. necnon Francorum reges Ludovicus VI & VII, Philippus Augustus, Carolus VI, &c. suis approbavere diplomatis. Charta LXXXVII. col. 443. Ceterum qui ordinem S. Victoris Parisiensis anno 1138, amplexati fuerant Vincentiani canonici, in deterius postea delapsi, arctiorem seculo ineunte XVII revocarunt disciplinam, curis maxime cardinalis *de la Rochefoucaud;* pluribusque eamdem pietatis viam præmonstrarunt. Inde nata in Galliis canonicorum regularium congregatio. Non solum autem, sed & anno 1638, seminarium erexerunt, in quo a selectis e sinu suo magistris discipuli plurimi cum literis, tum virtutum exemplis optime informantur.

Abbatum Catalogus.

I. Lietaldus in historia monasterii MS. memoratur anno 1075, quo circiter regina fundatrix Russiam repedasse creditur; statimque monasterium deficere cœpit, cujus possessiones, viri quique potentes usurpare non dubitarunt: Hos inter Petrus *d'Aulnay,* juxta Parisios in vicino prædio Mansionalis-Blavi *Blanc-Mesnil,* injustas consuetudines exegit, quas postea restitui curavit rex Ludovicus VI.

II. Felinandus, solo nomine notus est.

Ch. LVI. col. 413. III. Balduinus I, anno 1117, præsens memoratur placito pro cœnobio sancti Arnulfi Crispeiensis. Adstitit anno seq. Remensi synodo. Charta XV. col. 211. Circa id tempus Clarembaldus episcopus Balduino tribuit præbendam unam in ecclesia B. Reguli, quam, sicut præbendas in ecclesiis B. Mariæ, S. Frambaldi, & S. Evremundi de Credolio Balduino confirmavit Callixtus II anno 1119. Chart. XIV. col. 210. Honorius quoque II anno 1124, & Innocentius II, pontificatus 2 bullis eum cohonestarunt. Rex autem Ludovicus VI, anno 1120 pratum prope Silvanectum Balduino concessit, eidemque Ch. LXIV. col. 429. A pro Philippo filio defuncto ecclesiam *de Auvers* in diœcesi Rotomag. contulit; pro suo quoque rex & Adelaïs anniversario quadraginta solidos annui reditus largiti sunt. Præterea Mansionale-Blavum *Blanc-Mesnil* Vincentiani monasterii prædium vastatum eidem quietum restitui curavit; Ch. XVI. col. 212. omniaque cum privilegia, tum bona quæ huic abbatiæ collata fuerant ab ipsius fundatione, confirmavit, necnon omnimodam potestatem & justitiam in cœnobii vassallos tradidit. Clarembaldus vero episcopus largitus est annualia præbendarum in ecclesiis B. Mariæ & S. Reguli, quæ rex Ludovicus anno 1129 confirmavit. B Robertus episcopus Atrebatensis ecclesiam *de Flers* secus Duacum impertitus est Balduino, qui subscripsit anno 1132, chartæ Rainaldi archiepiscopi Remensis, de confirmatione monasterii sancti Vulmari. Rexit ad annum circiter 1138, quo Gausbertus prior & conventus S. Vincentii rogavere abbatem & conventum S. Victoris Parisiensis, ut eorum associarentur congregationi.

IV. Balduinus II, ex canonico S. Victoris Parisiensis, eligitur abbas sancti Vincentii anno 1138, eodemque S. Victoris abbatem caput ordinis agnovit. Tom. II. hist. Univers. Par. p. 26. Remis eodem adfuit episcoporum C & abbatum cœtui. Aderat etiam Alvisus episcopus Atrebatensis, a quo Balduinus obtinuit confirmationem ecclesiæ *de Flers;* & subscripsit ejusdem præsulis chartæ pro S. Martino a Campis. Hist. S. Martini a Campis, pag. 354. Ludovici VII regis ad preces Petrus episcopus Silvanect. sex per annum processiones a Vincentianis debitas ecclesiis B. Mariæ & S. Reguli remisit anno 1139, & annualia præbendarum B. Mariæ & S. Reguli confirmavit, quo Victorini apud Parisios canonici annualia præbendarum ecclesiæ Parisiensis possidebant modo. Ch. LXVIII. col. 431. Emit Balduinus anno 1141 a Roberto abbate S. Maglorii molendinum situm in suburbio Silvanect. ea lege, D ut si monasterium S. Vincentii ad alium transiret ordinem, molendinum ipsum ad S. Maglorium reverteretur. Mansi Froberti medietatem, qua se injuste privatos esse causabantur Radulfus & filii, restituit illis Balduinus II abbas. Anno 1146, testis legitur in chartis Petri episcopi, qui cessit ei hoc ipso anno, summæ intuitu, qua monasterium laboraverat egestatis, decimam quam in terra *d'Aumont* cœnobii propria percipere consueverat: Ab Eugenio III pontifice an. 1147, accepisse bonorum ac privilegiorum confirmationem dicitur Balduinus, de quo necrologium S. Victoris Parisiensis: *XVII Octobris, seu XVI cal.* E *Novembris obiit Dominus Balduinus abbas sancti Vincentii Silvanectensis sacerdos, canonicus noster professus.*

V. Hugo I, innotescit anno 1147, ex literis Ludovici VII regis datis in gratiam hujus cœnobii regni anno undecimo.

VI. Balduinus III, cui anno 1154, Theobaldus episcopus dedit ecclesiam de Montiniaco. Biennio post 1156, reperitur in tabulis Calensibus. Hugo *de Saint Aubin* tertiam decimarum ecclesiæ *de Flers* partem Balduino contulit; & hoc donum Gotescalcus episcopus Atrebatensis,

confirmavit in synodo anno 1159. Interfuit Balduinus anno 1161, synodo Atrebatensi propter eamdem ecclesiam, cujus in pago dicto *d'Auby*, Guido *de Saint Aubin* Dominus capellam B. Mariæ fundavit ecclesiæ *de Flers* succursalem, cujus in dotem assignavit terram *de Foissy*, &c. Abdicavit paulo post Balduinus in manibus capituli, superstes anno 1171, quo chartæ proxime post Hugonem abbatem subscripsit; imo & circa 1180, testis fuit in charta Hugonis abbatis de conventione circa reditum unius lampadis in ecclesia B. Mariæ. (Charta LXXVII. col. 437.)

VII. Hugo II, cedenti Balduino suffectus, anno circiter 1163, testis laudatur in charta Stephani Cluniacensis abbatis. Circa eumdem annum partem decimæ Mansionalis-Blavi ab Hodierna domina comparavit. Insequenti 1164, VII idus Maii Hugo Rotomagensis archiepiscopus Hugoni abbati confirmavit ecclesiam S. Remigii de Marinis, &c. (Ch. XXV. col. 217.) Circa id tempus de causa inter P. decanum S. Reguli & ejus capitulum stante in curia Romana H. abbas sancti Vincentii a parte capituli cum Henrico ejusdem canonico comparuit. (Ch. LXXI. col. 432.) Subscripsit Hugo anno 1170, chartæ Agnetis comitissæ Mellensis pro cœnobio S. Genovefæ Parisiensis. Anno sequenti chirographum apposuit suum donationi Alberici comitis Domni-Martini factæ monachis Caroliloci. Subscriptus anno eodem 1171 Hugo reperitur in tabulis Radulfi comitis Clarimontis. Occurrit adhuc in chartis Corbeiensi 1174 & Henrici episcopi de succursu ecclesiarum diœcesis; atque 1177 in instrumento Caroliloci. Testis est anno 1179, initæ concordiæ inter abbatem S. Dionysii & Matthæum Bellimontis comitem; ac proinde ipse est de quo Alexander papa III, in epistola ad Henricum Remensem archiepiscopum, *Quædam*, ait, *discretioni tuæ per dilectum filium nostrum abbatem S. Vincentii Silvanectensis, quem tibi fidelem per omnia novimus & devotum, viva voce duximus intimanda, quæ literarum fidei noluimus commendare, &c.* (Tom. II. Amplis. collect. col. 775.) Sane ab Alexandro III, bullam accepit Hugo datam Beneventi, ipsi permittentem, ut in parochialibus ecclesiis ad abbatiam sancti Vincentii spectantibus tres aut quatuor de fratribus suis poneret, quorum unus ab episcopo diœcesano curam animarum susciperet. (Ch. XXIX. col. 319.) Hugo comparet abbas 1180, 1181 & 1183, in charta Simonis episcopi Meldensis de fundatione Juliaci & 1184 in tabulario Cagiæ. (Ch. LXXV. col. 436. Charta LXXXIV. col. 441.) Stephanus Tornacensis epistolam CXX. inscribit *carissimo fratri & amico Hugoni abbati sancti Vincentii Silvanectensis.* Ab Hugone Guillelmus de Garlanda petiit primos canonicos regulares, qui prioratum Livriaci inchoarent anno 1186, donec ad abbatialem evectus est dignitatem. Mortuus est Hugo die 15 Februarii 1188 qui modo 1189, memoratus in sancti Victoris Paris. necrologio XV cal. Martii.

VIII. R. ex canonico sancti Victoris electus est abbas sancti Vincentii, quemadmodum indicat Stephani Tornacensis epistola CLXVI, ad Willelmum Remensem archiepiscopum, quam hîc exscribere post Sammarthanos non pigebit:

A *Rogo*, inquit, *paternam dilectionem vestram, ut præsentium latorem Dominum R. canonicum sancti Victoris in administrationem abbatiæ sancti Vincentii Silvanectensis concorditer electum pro amore Dei & meo suscipiatis benivole & benefice sustentetis. Familiaris & amicus est meus ab antiquo & mutuis obligatus obsequiis, & communi natione conjunctus. Vir est, quem & morum gravitas & literarum peritia & honestas commendabilem reddunt, ut ejus ministerium & gratum Deo & hominibus credatur acceptum. Adversatur ei & ecclesia suæ Silvanectensis episcopus, & contra privilegia Romanorum pontificum & Francorum regum, subjectionem, ut dicit,* B *indebitam ab illa requirit ecclesia, nimis præpropere & præpostere, post appellationem sententia excommunicationis prolata. Suscipite eum, pater, obsecro, & quantum justitia permittit, per vos & dominos meos, fratres vestros juvate patrocinio, fovete solatio, consilio sustinete.* Hujus quidem controversiæ Cœlestinus III judices dixit episcopos Meldensem & Autissiodorensem cum abbate sancti Germani Autissiodorensis; sed Guillelmus Remensis archiepiscopus discordantes sic conciliavit, ut abbas benediceretur ab episcopo sine procuratione, aut ulla subjectionis nota.

IX. Odo I, ex priore anno 1171, regimen C auspicatus est 1192, ex historia manuscripta.

X. Hugo III, cum Helia priore S. Nicolai de Aciaco a Cœlestino papa III, delegatus est judex inter ecclesiam sancti Frambaldi & homines de Cholliaco anno 1194, & sequenti inter eamdem ecclesiam & uxorem Gaufridi de villa *Vaisin*. Quidquid habebat Hugo in decima de Braio ex dono Willelmi de Gonessa, hoc totum certa conditione largitus est eodem anno 1195, ecclesiæ sancti Nicolai de Aciaco.

XI. Petrus I, occurrit anno 1203, in tabulario sancti Fusciani. Biennio post 1205, nonnullas terræ portiones ad prioratum S. Laurentii D de Bosco pertinentes Johanni priori vendere permisit. Prioratum *de Auvers* ei confirmavit Innocentius III. Anno 1206, Gaufridus episcopus Silvanectensis, bona prioratui sancti Laurentii de Bosco a Johanne *de Morfontaine* concessa laudavit. Eodem P. abbati annuale præbendæ decani concessit capitulum B. Mariæ. (Ch. XCIII. col. 448.) Cum Stephano archidiacono & S. succentore Silvanectensis ecclesiæ delegatus est judex controversiæ inter ecclesiam sancti Frambaldi, &c. an. 1207. Vendidit Petrus anno 1208, Radulfo majori & communiæ civitatis Silvanectensis, mediam & infimam justitiam, quam habebat in civitate. E Eodem anno sententiam dixit in gratiam monasterii Sandionysiani adversus Galterium de Avena. Adhuc memoratur Petrus annis 1211 & 1212, de quo necrologium sancti Victoris Paris. ad XVI cal. Aprilis.

XII. Egidius, occurrit anno 1216, festo die SS. apostolorum Simonis & Judæ in chartulario Campaniæ comitum & in tabulario S. Reguli.

XIII. Henricus, ex canonico S. Bartholomæi Noviomensis abbas S. Vincentii paciscitur anno 1219 cum B. Mariæ capitulo & 1221 apostolicæ

sedis auctoritate litem Balantiarum inter abbatem A & Eglinam nobilem feminam terminavit. Anno eodem mense Maio vendidit Roberto Silvanectensi decano novem solidos annui reditus in masuris Roisnelli. Dedit ei anno 1225 Milo Bellovacensis episcopus decimas novalium in territorio *de Nuilly*, &c. Eodem anno electus est arbiter dissidii inter Petrum, priorem de Marinis, & dominum loci. Henrico igitur sedente, Garinus episcopus Silvanectensis pactum iniit de jurisdictione cum Vincentianis anno 1223 ut loco procurationis, quam exigebat, darentur illi viginti solidi, decem archidiacono, & capitulo decem, ipsi vero tenerentur ad ecclesiam S. Vincentii B accedere cantaturi missam in festo ejusdem sancti. Anno 1228 mense Junio H. abbas vendidit Ludovico regi grangiam *de Lys* & vineam de Virmis. Notatur obitus ejus in martyrologio S. Bartholomæi Noviom. ad IV nonas Octobris.

XIV. Adam I, recensetur in chartario domestico annis 1230 & 1231.

XV. Renaudus, anno 1233 cum Willelmo decano S. Frambaldi judex a sancta sede legitur deputatus in controversia capituli Meldensis cum Johanne de Darenciaco milite, in tabulario episcopi Meldensis.

XVI. Fulco, anno 1241 cum Guillelmo C Clugnet sex arpenta nemoris ad prioratum S. Laurentii de Bosco pertinentia commutavit. Regimen produxisse dicitur ad annum 1247 quo Innocentius IV indulsit, *ut possessiones & alia bona mobilia, quæ personas monachorum, fratrum, & conversorum, qui e seculo fugientes hoc in monasterio habitum religionis assumunt, contigissent jure successionis, vel alio modo legitimo, in eodem seculo permanendo, post emissam ab eis in eodem monasterio professionem, feudalibus rebus exceptis, petere, percipere & retinere libere valerent.*

XVII. Petrus II, quem volunt eumdem esse cum Petro *de Bethisy*, qui 1239 ex parte Vin- D centiani conventus cum fratre Alberto *de Puisieux*, electus arbiter est ad querelam cum capitulo B. Mariæ terminandam; abbas anno 1248 precum ac suffragiorum iniit societatem cum abbate Juliacensi mense Martio. Memoratur & mense Junio ejusdem anni in tabulario Caroliloci.

XVIII. Henricus II, jam anno 1250 abbas Sammarthanis, anno 1256 B. Mariæ capellam in veteri claustro erexit, in qua missam de Beata fundavit singulis hebdomadæ diebus decantandam a canonicis, diacono & subdiacono ministrantibus, in qua fieret commemoratio S. Laurentii archiepiscopi Dublinensis, & S. Elisabeth viduæ, quorum E instituit festa. Eligendi abbatis facultate obtenta anno 1272 coadjutorem adscivit & paulo ante annum 1276 abdicato prius regimine, ex hac vita migravit.

XIX. Adam II, coadjutor 1273, notatur abbas in charta S. Dionysii mense Febr. anni ejusdem, qui nunc 1274, & annis 1276 & 1282, quo ultimo dissidentes abbatem & canonicos a summo pontifice delegatus Johannes cardinalis S. Ceciliæ ad pacem revocavit. Insequenti 1283 partem dominii cum molendinis apud *Gouvieux* vendidit Adam Matthæo abbati S. Dionysii, quam rex Philippus venditionem approbavit 1285. De Adam necrologium S. Victoris Paris. *Nonis Augusti obiit frater Adam quondam abbas S. Vincentii Silvanect. frater noster.*

XX. Robertus reperitur anno 1284 in tabulario Sandionysiano.

XXI. Johannes I, anno 1293 querelam habuit cum capitulo B. Mariæ super decimis. Anno eodem decano & capitulo Silvanectensi quadraginta libras ex parte executorum testamenti cardinalis Choleti impertivit. Insequenti 1294 testamenti cujusdam nobilis una cum Alexandro Regalis-montis abbate executor institutus est. Statuit anno 1302 quadraginta quotannis solidos ex annuo reditu, quem prior *de Flers* monasterio debebat, insumendos esse ad solennitatem SS. Sacramenti recens in ecclesia institutam. Anno 1303 libras accepit trecentas pro fundatione unius missæ in capella S. Ludovici. Inter priorem curatum *de Auvers*, ejusque parochianos de quibusdam juribus disceptantes anno 1304 Johannes cum majori vicario Pontisarensi arbiter constitutus est. Scripsit anno 1307 Sabbato in octavis Epiphaniæ Domini epistolam encyclicam ad fratres obedientiarios, qua defunctos omnes cum in cœnobio Vincentiano, tum in aliis, quibuscum inerat societas, denunciat & jubet ut pro illis debitas exsolvant preces. Tertio post anno 1310 Johannes non nihil emit in parochia *de Flers* a Maria Belli loci in diœcesi Atrebatensi abbatissa. Anno 1311 de consensu Guillelmi episcopi Silvanect. vendidit aream quandam matriculariis ecclesiæ parochialis S. Genovefæ ad illius ampliandum cœmeterium, feria IV post festum S. Martini æstivalis.

XXII. Guillelmus I, anno 1320 transegit amice cum Johanne abbate S. Genovefæ Parisiensis.

XXIII. Johannes II *de Montathaire*, anno 1323 die Martis post Dominicam, qua cantatur *Reminiscere*, concordiam fecit cum abbate S. Martini Pontisarensis de decimis prioratus de Nulliaco in diœcesi Bellovacensi, & anno 1331 die Mercurii ante festum omnium SS. pepigit cum eodem abbate super decima vinorum pagi de Buteraco. Morabatur Johannes anno 1337 apud S. Genovefam Parisiensem, quando ibidem procurator capituli Remensis Roberto de Plailliaco electo Silvanectensi intercessit, ne sacraretur extra provinciam, &c. Pepigit anno 1339 cum Maria *de Beaumarché*, super juribus prioratus S. Laurentii de Bosco. Anno 1340 Dominica IV post Pascha, de mandato Benedicti XII papæ, Aubertus *de Mailly* abbas S. Victoris Parisiensis convocavit apud S. Vincentium Silvanect. capitulum provinciale canonicorum regularium ex provinciis Remensi & Senonensi. Anno eodem Johannes die 1 Octob. de pluribus amice convenit cum Silvanectensi capitulo. Fuit unus e præsidentibus in capitulo generali an. 1343 mense Martio apud B. Mariam *de Cagia* celebrato. Anno 1345 die 17 Aprilis ad capitulum

generale in cœnobio S. Bartholomæi Noviom. se A contulit; ipsoque præsente, frequens anno 1352 apud S. Vincentium habitus est conventus abbatum LXI & priorum decem ex provinciis Remensi & Senonensi, pro recipiendis Benedicti papæ XII, constitutionibus & in totum ordinem inducendis. Anno 1355 coadjutorem Johannes prosecutus est, qui paulo post ei successit.

XXIV. Jacobus ex coadjutore 1355, anno sequente abbas, recusatam a fratre Guillelmo *de Mailly* præceptore Templi apud Parisios & magno priore franciæ fundationem unius missæ ad altare B. Virginis prope sepulcrum excepit eodem anno 1356. Pepigit anno 1358 cum capitulo B B. Mariæ super annualibus canonicorum foraneorum. Convenit anno 1361, cum Johanne abbate Victoriæ, literasque tuitionis obtinuit an. 1365 a rege Carolo V. Rexisse dicitur Jacobus ad annum 1374.

XXV. Guillelmus II *Billart*, ex camerario abbas 1376.

XXVI. Johannes III *de Sains*, in sacra pagina professor anno 1381, literas tuitionis accepit a rege Carolo VI. Occurrit anno 1386 in commentariis cameræ rationum Parisiensis. Biennio post 1388, testamenti cujusdam Johannes abbas & prior Ludovicus *de Villiers* exsecutores capi- C tuli nomine fundationem exceperunt. Reperitur adhuc anno 1397.

XXVII. Odo II vel Oudardus is esse creditur, qui 1398 tacito nomine Parisiis donatus fuit benedictione. Laudatur abbas 1402 in archivis domesticis, & 1 Januarii ejusdem anni, qui nunc 1403 in tabulario Caroliloci. Anno 1404 die 24 Julii dimisit annuale præbendæ puerorum chori B. M. pro solidis octo Parisiensibus annuis. Pepigit anno 1407 cum Michaële *de Cresnay* vel *de Fresnay*, thesaurario S. Frambaldi super annuali ejus præbendæ. Reperitur & 1412, in tabulario Calensi. Eodem, quum Henricus *de Marles* franciæ can- D cellarius fundasset in ecclesia cathedrali Silvanect. capellam, ubi missa quotidie celebraretur, sive a B. Mariæ canonicis, sive ab abbate aut canonicis S. Vincentii, utrisque contulit prædium in parochia *de Baron*. Triennio post habitum est apud S. Vincentium capitulum ordinis ex provinciis Remensi & Senonensi an. 1415.

XXVIII. Guillelmus III *le Clerc* Silvanectinus, ecclesiarum Silvanectensium pro S. Vincentio canonicus, Oudardo cedente, inquiunt, renunciatus abbas 1415 bullisque donatus a Johanne XXIII Friburgi anno pontificatus quinto, solvit an. 1416 abbati S. Dionysii quinque solidos E ad singulas abbatum mutationes debitos pro feodo *de Clerbois* pendente a terra *de Auvers*, quæ juris erat S. Dionysii. Sub id temporis monasterii reditus occupavit rex propter reparationes, duxque Burgundiæ, eo quod abbas staret a rege, invasit decimas & alia, quæ monasterium apud *Flers* secus Duacum possidebat, 1417. Insequenti 1418, obsessa urbe Silvanecto, datus obses Guillelmus abbas cum aliis, seu captus ab hostibus, redemtus est pro novem libris & duodecim solidis Parisiensibus. Reperitur adhuc anno 1421.

XXIX. Johannes IV, electus circiter annum 1433, memoratur 1435 & 1437. Unum e suis fratribus induxit in possessionem præbendæ S. Evremundi de Credolio an. 1444.

XXX. Johannes V *Boniem*, subprior & camerarius 1424 legitur abbas 1452, 1455, & 1460 in commentariis cameræ rationum Parisiensis: subscriptus, inquiunt, chartis usque ad annum 1463, *antiquus abbas* ante successorem, quem putamus esse Petrum, qui sequitur; Guillelmus enim haud aliunde notus, quam ex archivo Remensis archiepiscopatus per D. Martenium nostrum explorato, ubi presbyter, artium professor, & abbas S. Vincentii Silvanect. an. 1455, memoratur, non nisi in litigio visus est hanc abbatiam possidere.

XXXI. Petrus III *Richevillain*, ortu Silvanectinus, monasterii camerarius 1459, subprior S. Vincentii & prior *de Flers* 1460, electus abbas 1462, mense Junio, paulo post Romam benedictionis causa proficiscitur, indeque possessionem accepit anno 1463. Transegit eodem cum S. Frambaldi capitulo. Memoratur anno 1471, in bulla unionis parochiæ *de Baron* cum episcopatu Silvanectensi; 1474, in tabulario Calensi; 1477 & 1478 in archivo Caroliloci. In inquisitione juridica facta 25 Jan. 1484, seu 1485 natus annos circiter 64 dicitur. Eodem anno a Simone episcopo impugnata S. Vincentii privilegia confirmavit Innocentius VIII, bulla data Petro pontificatus I. Defunctus dicitur Petrus circa 1486.

XXXII. Robertus *Foulon*, ex priore de Marinis abbas electus 1487, recognovit eodem anno Johanni abbati S. Dionysii quinque solidos pro feodo *de Clerbois*. Adhuc memoratur 1488, 20 Decemb. Sedes autem vacabat 2 Maii 1491.

XXXIII. Nicolaus I *Barbe* Parisinus, prior *d'Ivilliers* & præbendatus de Credolio, an. 1491, feria IV in vigilia Nativitatis B. Mariæ abbas electus a 16, fratribus, adversus æmulum Carolum *du Bec* senatorem clericum in parlamento Parisiensi, confirmatus fuit ad cautelam a Simone *Bonnet* episcopo, adiitque possessionem die S. Lucæ; cui & fiduciaria possessio indulta est decreto Parisiensis senatus. Benedictus fuit Sabbato post octavam S. Vincentii 1492, causaque toto triennio ventilata, vicit in curia Remensis archiepiscopi Carolum æmulum, qui Parisiis obiit 6 Julii 1501 ad S. Paulum sepultus. Nicolaus autem adhuc memoratus annis 1501 & 1504, mortuus est 1505 17 Octobris.

XXXIV. Johannes VI *Thibault*, loci alumnus, ex præbendato Silvanectensi, 26 Octobris an. 1505 electus est abbas, natus annos circiter 40, adversus Bernardinum *de Vaudray* senatorem clericum in curia Parisiensi, protonotarium apostolicum, regique ab eleemosynis, præsentibus procuratoribus regiis, qui pridie regis mandata significaverant. Quod ægre Bernardinus ferens, postulavit procuratores ad regimen tam spiritualium, quam temporalium, causatus ab archiepiscopo Remensi Vincentianos excommunicatos eligere non potuisse, electumque irregularem

esse, concubinarium publicum & simoniacum, ac proinde caducam electionem impugnavit. Johannes vero parlamenti curiam appellavit, in qua decretum est, latas a judicibus per archiepiscop. Remens. delegatis, tanquam a judice non legitimo, nullas esse censuras, quibus illi munus interdictum est; commissaque res est arbitrio decani & capituli Silvanect. sede vacante, salvis juribus & exemtione monasterii. Hi Robertum *de la Tourotte* Caroliloci, & Johannem *de Montmorenci* Herivallis abbates designarunt, qui ratam habuere Johannis electionem. Ab hac autem sententia Bernardinus appellavit Remensem curiam, ubi rescissa est, vocatusque Johannes ad requæstarum tribunal, sed facile tum Remensis curiæ, tum requæstarum tribunalis nullam inde jurisdictionem probavit, quod ipse parlamenti curiam appellasset. Itaque Johannes senatus consulto munitus, mense Decembri anni 1505 benedictionem percepit a Ludovico episcopo Bellovacensi. Eodem solvit abbati S. Dionysii debitos quinque solidos ratione feodi *de Clerbois*. Adstitit anno 1533 translationi reliquiarum S. Petronillæ in ecclesia S. Reguli. E vivis excessit anno 1535 mense Octobri.

XXXV. Guillelmus IV *Thibault*, Johannis patrui morte vacantem abbatiam primus obtinuit in commendam anno 1536. Partitionem bonorum fecit anno 1565. Eodem, senatus consulto reformatum fuit monasterium a canonicis congregationis S. Victoris, quos magister Theobaldus *le Sueur* senator Parisiensis 7 Novembris ejusdem anni in possessionem induxit. Sedit Guillelmus ad annum 1571, simul canonicus & archidiaconus in ecclesia Bellovacensi.

XXXVI. Johannes VII *Mazile*, clericus Bellovacensis, senatorque Parisiensis & archiater regis Caroli IX, ab eodem nominatus, commendæ possessionem accepit anno 1572. Memoratur anno sequenti 21 Febr. ad annum 1578.

XXXVII. Nicolaus II, *du Val de Fontenai*, senator & ipse in curia Parisiensi, commendatarius Hami & Fonteneti atque S. Vincentii anno 1580, mortuus est die Veneris 5 Septembris an. 1603.

XXXVIII. Johannes VIII, *Berthier*, Rivensis episcopus abbatiæ possessionem nactus est anno 1604 per procuratorem Philippum *Roussel* loci priorem, vicarium suum generalem. Anno 1610 21 Aprilis Johannes pro cardinale *de la Rochefoucaut* cepit possessionem ecclesiæ Silvanectensis. Ejus temporibus canonici S. Vincentii labentem revocarunt disciplinam, quos aliorum monasteriorum æmulatis canonicis, conflata est Gallicana canonicorum regularium congregatio, de qua vide-sis tom. VII. col. 776. Obiit Johannes episcopus & abbas S. Vincentii ac Loci-restaurati mense Julio an. 1620, sepultus in ecclesia Rivensi.

XXXIX. Johannes Philippus *Berthier* Tolosas, superioris ex fratre nepos, fraterque Johannis Ludovici episcopi Rivensis, canonicus & archidiaconus ecclesiæ Tolosanæ, prior S. Beatæ, quondam cleri agens & comitiorum promotor, patruo mortuo successit anno 1620. Deputatus 1641, 11 Jan. ad cœtum cleri generalem ab Ausciensi provincia, testamentum condidit mense Maio anni 1667 quo bona omnia mobilia, libris exceptis, nosocomio S. Lazari Silvanect. reliquit, ubi & sepultus est, mortuus eodem anno die 28 Decembris.

XL. Ludovicus-Maria-Armandus *de Simiane de Gordes*, episcopus Lingonensis, abbas de Rota Andegavensis prior sancti Laudi Rotomagensis ac reginæ primus ab eleemosynis, commenda Cagiæ dimissa, Vincentianam assecutus est, cujus bonorum partitio solenni decreto 4 Augusti 1670, sancita est & in commentarios Parlamenti relata 1 Augusti 1673. Permutavit cum sequenti anno 1682.

XLI. Laurentius *de Bergerat*, mortem oppetiit anno 1693.

XLII. Carolus-Alexander *de Saillant d'Estain*, nobilis Arvernus, frater episcopi S. Flori, canonicus & comes Lugdunensis, prior *de Chat* Claromont. *de Chassagne* Ruthenensis, *d'Ussel* & *Prunel* S. Flori diœceseon, & *de Pominiac*, prope Aureliacum, regia demum schedula factus abbas S. Vincentii Silvanectensis anno 1693 mense Novembri, vivere desiit 14 Januarii 1717.

XLIII. N. *de Fourille*, designatus est a rege 1717 mense Novembri, superstes an. 1750.

VICTORIA.

LA VICTOIRE.

Victoriam in honorem B. Mariæ non procul a Silvanecto, ob insignem victoriam apud Bovinas in Flandria 27 Julii 1214 reportatam fundavit Philippus Augustus. Hujus fundamenta jecit regis nomine Garinus Silvanectensis episcopus 1222 in capite jejunii, cui exædificandæ præpositus est Menandus canonicus S. Victoris, in eadem abbatia pœnitentiarius Universitatis. Omnibus apparatis, misit Johannes abbas S. Victoris duodecim canonicos, quibus Johannem præfecit abbatem, qui feria IV Cinerum 1224 loci possessionem adierunt. Ludovicus autem Philippi filius, qui fundatam a patre Victoriam confirmarat anno 1223, religionem & consuetudines ordinis S. Victoris Paris. in ea constituit anno 1225, ita ut abbas sancti Victoris plenariam haberet potestatem corrigendi quidquid tam in abbate, quam in fratribus emendandum judicaret, eumque etiam a regimine amovendi. Absolutam eodem anno ecclesiam dedicarunt VII cal. Novembris, Garinus Silvanectensis & Petrus Meldensis episcopi. Novis hanc instauravit ædificiis an. 1472, Ludovicus XI, rex ob memoriam victoriarum, quam denuo consecravit Johannes *Calueau* episcopus Silvanectensis 6 Maii 1519. Jam diu est quod Victoria S. Victoris excussit jugum, totusque Victorinus ordo dissipatus est.

Charta L. col. 233.

Abbatum Series.

I. Johannes-Baptista I, Alemannus patria, & professione canonicus S. Victoris Paris. ex antiquitatibus Parisiensibus, primus fuit ab abbate S. Victoris destinatus abbas Victoriæ

anno 1224. Insequenti, mense Julio ratam A habuit ordinationem ecclesiæ a Garino episcopo factam & a rege Ludovico VIII confirmatam. Ineunte anno 1234 emit ab Hermesinde & Cecilia sororibus domum sitam in vico Balantum. Reperitur anno 1238 mense Julio in tabulario S. Victoris. Rexit per annos 22 & amplius, ad annum 1246, defunctus VII idus Junii ex necrologio S. Victoris, quo die fit ejus anniversarium.

Chart. LI. col. 234.

II. Adam canonicus & ipse S. Victoris, Victoriæ præfuit quatuor annos, mortuus 1250 IV idus Octobris.

III. Henricus I, Sanvictorinus quoque canonicus quindecim diebus rexisse dicitur.

IV. Raimundus, villam acquisivit, quam ad censum dare Johannes *de Barre* dominus *d'Oissery* ei permisit. Obiit anno 1266 post sexdecim annos regiminis, pro quo defuncto res divina decantatur die 5 Octobris.

V. Jacobus I, annis undecim gubernato monasterio, vivere desiit anno 1277.

VI. Joubertus *al.* Isembertus filius Galteri & Sibillæ, quorum exstat memoria VII cal. Augusti in necrologio, Victoriam exemit a jurisdictione sancti Victoris. Mense Decembri anni 1278, emtionem fecit ab Ansello Buticulario domino de Luzarchiis. Quum rexisset annis 32, cessit C e vita 1309 die 14 Septembris.

VII. Henricus II, ab Isemberto decessore successor designatus obiit anno 1310.

VIII. Jacobus II, dictus abbas octavus tribus annis rexisse videtur, fato functus 8 Octobris.

IX. Reginaldus I *de Hermencourt*, post quindecim annos regiminis mortem oppetiisse legitur 1328, die Lunæ ante Purificationem, hoc est 1329. Illi hoc appositum est epitaphium:

Hermencourt *dictus Reginaldus, funere cujus*
Tristatur mundus, fuit hic nam crimine mundus,
Præfuit huic domui bis sexies & tribus annis; D
Hunc fac, Christe, frui Baptistæ sorte Johannis.

X. Reginaldus II, moritur anno 1338 29 Januarii, quo die fit ejus anniversarium. Humatus est ante pulpitum sub tumba marmorea.

XI. Johannes I, legitur in tabulario B. M. de Cagia, Victoriæ abbas anno circiter 1346 & die 22 Junii 1353. Mortuus est anno 1358.

XII. Johannes II, pepigit anno 1361, cum Jacobo abbate S. Vincentii Silvanectensis.

XIII. Jacobus III de Rulliaco, vix uno integro præfuit anno, defunctus 1362 VIII idus Octobris. E

XIV. Johannes III, reperitur annis 1379 & 1380, die 5 Febr. in charta Remensis archiepiscopi. Vineis *d'Asnieres* acquisitis, decessit 1382.

Ch. CLV. col. 497.

XV. Stephanus, abbas memoratus 1388, die 8 Febr. devixit anno 1390, XII calendas Octobris, anniversario singulis annis celebratus 14 Septembris.

XVI. Guillelmus *de Heuleu*, occurrit abbas 1392, cujus obitus dies notatur in necrologio 20 Octobris.

XVII. Radulfus *Caguet*, vixit ad annum 1411, dono majoris campanæ commendatus, qui pulpitum inter & organa sepulturam accepisse dicitur.

XVIII. Johannes IV *Caguet*, oriundus ex *Borrez* in Valesia, obiit 27 Septembris anno 1412, ex ipsius tumba sita intra portam collateralem navis ecclesiæ a latere epistolæ.

XIX. Johannes V *Laloe* al. *Paris*, electus abbas confirmatur a Petro *Plaoul* episcopo 1412 die 14 Januarii, hoc est 1413.

XX. Simon *de Crespi*, sic dictus a natali loco, rexisse dicitur annis 16. Adstitit concilio B Constantiensi anno 1415, & cœtui habito apud Dominicanos cum Johanne *d'Achery* episcopo, ubi uterque suppressionem annatarum propugnavit. Sponte cessit oculis captus, obiitque 21 Januarii 1428.

XXI. Johannes VI Gaulus, quo defuncto, facta est electio successoris in prioratu S. Mauricii Silvanect. die Veneris 22 Maii an. 1422, quia jam quinque anni effluxerant, quibus adire Victoriam tutum non erat.

XXII. Johannes VII *Sallé*, electus modo, die & anno, quibus supra, confirmatus fuit a Petro de Chisseio episcopo eodem anno 1422 die Veneris post festum SS. Sacramenti 12 Junii. Præfuit abbas triginta & amplius annis, quo sedente, sic abbatiam diripuerunt Angli, ut agere vicarium in parochia *de Baron* coactus fuerit Johannes.

XXIII. Simon *Bonnet* ecclesiæ Silvanect. archidiaconus & abbas, seu administrator abbatiæ de Victoria 1447 4 Novembris, abbatiam episcopatui uniri tentavit an. 1448, quum jam tunc esset episcopus Silvanectensis. Anno 1461 21 Febr. a Dionysio *Pontiart* regis ordinario apud Silvanectum exactore 119 libras, 9 solidos & 15 denarios pro anno 1459 recepit. Æmulum passus videtur Girardum *Marcsiot*, qui canonicus S. Victoris, prior de Braio 1445 & abbas Victoriæ 1458, cessisse postea in manibus Simonis episcopi, factus Cartusianus legitur in bulla Calixti III. Obiit Girardus an. 1468.

XXIV. Johannes VIII *Neveu*, ordinis S. Augustini alumnus, regi Ludovico XI a confessionibus & eleemosynis, commendatarius Josaphati ab anno 1472, reperitur abbas de Victoria die 11 Junii 1474 in tabulis domus Dei Meldensis, & 28 Martii 1488 in commentariis parlamenti. Convenit cum Simone *Bonnet* de abbatia episcopatui unienda post alterutrius obitum; quod Innocentius VIII bulla data 5 Martii 1486 confirmavit. Simoni Silvanect. episc. defuncto 1496 successisse Johannem diximus col. 1437.

Philippus *Cousin*, abbas S. Genovefæ Paris. electus & Victoriæ regi sacramentum dixit 12 Junii 1499. Minime tamen hac abbatia potitus videtur: nam quum a pluribus controversa esset, S. Victoris abbas, jubente senatu Parisiensi, illuc misit duos e suis canonicis, qui disciplinam regularem, lite durante, inibi tuerentur, illicque duobus annis substiterunt.

XXV. Stephanus II *Parigot*, e gremio interea

sumtus, unionem abbatiæ cum episcopatu Silvanectensi, sua intercessione impedivit. Non nisi tamen anno 1501 pacifice abbatiam possedit, cujus mox plurimos deperditos reditus recuperavit. Cessit e vita calendis Junii an. 1512 pro capituli foribus sepulturam nactus.

XXVI. Johannes IX *Bordier*, Stephani successor, anno 1517 abbatiam reformavit, seu potius reformare intendit. Non igitur alio titulo, quam quod non ita pridem abbatia episcopatui visa esset unita, Carolus *de Blanchefort*, qui mortuus est episcopus Silvanectensis anno 1515 dictus est aliquando abbas Victoriæ.

XXVII. Nicolaus I *le Fevre*, ultimus abbas regularis, cui electo quum munus benedictionis Silvanectensis episcopus recusaret, illud accipiendi a quocumque vellet præsule facultatem obtinuit a Roberto Remensi archiepiscopo. Post decem & octo regiminis menses a Johanne Silvanectensi episcopo suspensus ab omni administratione tam spiritali, quam temporali, ultima Aprilis 1519, cessit in gratiam sequentis ob infirmitates. Pridie idus Martii e vita migravit.

XXVIII. Arnulfus I *Ruzé* dictus *Scholasticus*, senator Parisiensis, frater Martini etiam senatoris, primus commendam obtinebat 1520, altero post novam ecclesiæ dedicationem anno pridie nonas Maii. Inter probationes libertatum ecclesiæ Gallicanæ pag. 1219 laudantur Paris. senatus decreta die 13 Septembris 1524, & mense Martio anni 1526, pro reformando Victoriæ monasterio. Et certe, Arnulfo superstite, juridica monasterii facta est visitatio, cura & studio præpositi Victorinæ congregationis. Obiisse legitur Arnulfus anno 1540, v. cal. Octobris, quum Sanvictorino canonico non semel abbatiam resignasset.

XXIX. Johannes X *Dambry*, is esse videtur canonicus Sanvictorinus, cui jamdudum, permittente rege, Arnulfus abbatiam certis resignaverat conditionibus, quibus non observatis posset Arnulfus absque novo titulo abbatiam repetere. Quum igitur has Johannes conditiones toto quinquennio non observasset, jure suo usus Arnulfus, amoto Johanne, postea tamen revocando, sequenti resignasse videtur.

XXX. Arnulfus II *de Ligny*, Parisinus, monachus Benedictinus & Prior *de S.t Gond*, Victoriæ commendatarius, anno 1537 pridie cal. Januarii jus pontificalium obtinuit a Paulo III, pontificatus anno quarto, & omnimodam jurisdictionem, spiritualem scilicet ac temporalem. Adstitit anno 1539, 17 Augusti reformationi consuetudinis Silvanectensis. Sed quum summa hæc abbatis extranei potestas Victoriæ canonicis displiceret, exoptatus ab eisdem Johannes *Dambry*, nova cum Arnulfo *Ruzé* inita conventione, de reformanda scilicet abbatia consilio capituli generalis S. Victoris, iterum ad regimen vocatus est. Arnulfus autem factus an. 1547 prior Regalis-loci dioecesis Suessionensis, moriens anno sequenti 20 Aprilis totam librorum supellectilem Victoriæ legavit.

XXXI. Carolus *de Mineray*, commenda Nicolao transcripta, clero valedixit.

XXXII. Nicolaus II *de Courtagnon*, successit an. 1552, nec multo post abbatis mensam a conventuali secrevit. Defunctus est anno 1559 die 2 Martii sepultusque in choro cum hoc epitaphio : *Cy gist M.e Nicole* de Courtignion, *chevalier, seigneur de Miautre, abbé de ceans, prieur de Reallieu, ... de S.t Martin de Longueeaue & de S.te Gemme, qui trépassa le 2 Mars MV.CLIX.*

XXXIII. Thomas *de Ham*, abbas Victoriæ anno 1564 interfuit concilio Remensi.

XXXIV. Johannes XI *de Brouilly*, nobilis Laudunensis delegatus legitur a Silvanectensibus ad generalia regni comitia Blesis coacta die 6 Decembris an. 1576. Mortalitatem exuit anno 1600.

XXXV. Michaël *de Brouilly*, superioris ex fratre nepos cessit an. 1605 die 27 Aprilis.

XXXVI. Petrus *de Reveilles*, subdiaconus Monspeliensis, abbas Auriliaci bulla Clementis VIII, data III idus Febr. 1598, cedente Michaële, a D. *de Noailles* commendatus, Victoriæ renunciatur commendatarius a Margarita regina quondam uxore Henrici IV ducissa Valesiæ, mense Aprili 1605. Auriliaco cessit 6 Maii 1606 in gratiam Caroli *de Noailles* clerici Lemovicensis. Decessit an. 1616.

XXXVII. Balthasar *de Budos*, coadjutor Castrensis sub titulo episcopi Augustopolitani, & abbas Victoriæ permutavit cum Ludovico Agathensi episcopo an. 1622, ut diximus tom. VI, col. 700.

XXXVIII. Ludovicus *de Valois*, filius Caroli Arverniæ comitis & ducis Engolismensis, qui nothus erat regis Caroli IX, episcopus Agathensis designatus, post annos decem non consecratus cessit anno 1622, commendamque Victoriæ consecutus, cessit adhuc 1628, ut uxorem duceret, factus Gallo-provinciæ prorex, torquatus eques, dux Engolismæ & Alesiensis comes.

XXXIX. Claudius *du Val*, dominus *de Coupanville*, commendatarius Victoriæ 5 Decemb. 1639, 1642, 1650 & 1672, 20 Julii, simulque prior S. Laudi de Bosco-achardi obiit anno 1676 die 8 Decembris, ex necrologio Bosciachardi, fundatis pluribus lectis apud fratres a Caritate Silvanecti.

XL. Ludovicus-Henricus *de Bourbon*, Marchiæ comes natu minor filius ducis Enghiani, & Condæi principis nepos tertio post mense quam abbas renunciatus fuerat, defunctus est Parisiis 21 Februarii 1677.

XLI. Bernardus *Lenet*, Divionæus, filius procuratoris generalis in senatu Burgundiæ, commendatarius 1677, moritur anno 1692.

XLII. Claudius-Maurus *d'Aubigné*, nominatus a rege 1 die Novembris 1692, biennio post cum conventu transegit. Adhuc abbas erat 1701, quando renunciatus est Noviomensis episcopus, qui deinde factus archiepiscopus Rotomag. anno 1707, demum e vivis excessit mense Aprili 1719.

XLIII. Johannes-Baptista II *du Moustier*, clericus Bajocensis, duci Borbonio, quem juniorem instituerat, ab eleemosynis & epistolis, jam abbas S. Salvatoris de Blavia & prior *d'Huriel*, commendatarius Victoriæ a rege designatus 8 Januarii 1721, obiit Lutеciæ mense Februario an. 1734, conditus in æde parochiali S. Sulpicii.

XLIV. Franciscus-Firminus *Trudaine*, episcopus Silvanectensis, commendam obtinuit a rege mense Martio anni 1735, dimisso quem possidebat Bosci-achardi prioratu.

CAROLILOCUS.

CHAALIZ.

CHAALIZ, ordinis S. Benedicti prioratus olim erat, prioratui de Merloto ecclesiæ Vezeliacensis membro subjectus, cujus domum Albericus Vezeliaci abbas Pontiniaci abbati pro annuo decem solidorum censu concessit ad collocandos monachos suos, quibus Ludovicus VI fundator anno 1136 IV idus Februarii, pro anima fratris sui Caroli defuncti largitus est tres domos, seu grangias, *de Fay*, *de Comelles* & de Valle Laurentii, cum amplissimis libertatibus & privilegiis; unde Caroliloci Latinum nomen inditum loco, qui prius Calisium dicebatur. Paternæ munificentiæ heres Ludovicus VII patris dona confirmavit anno 1138, quibus addidit grangias Caroli-pontis & Choisiaci, concessitque monachis, ut in manu mortua tenerent quidquid datum eis jam fuerat vel deinceps donaretur in regno Franciæ. Optime quoque de Caroliloco meriti sunt Aëlidis uxor Ludovici VI & Philippus filius Ludovici, qui concessit culturam S. Georgii, ubi grangia de Traubleyo. Præcipuos etiam inter benefactores habentur Stephanus decanus S. Genovefæ Parisiensis & Guillelmus Lupus dominus Chantilliaci, Franciæ buticularius, qui Borretum Carolilocensibus largiti sunt; quorum ecclesia dedicata fuit 20 Octobris 1219, a Garino Silvanectensi, Galtero Carnotensi & Fulcone Tolosano episcopis. Plures in ea diœcesani antistites suam elegere sepulturam. Gardum in diœcesi Ambianensi & Misericordiam Dei in Pictaviensi genuit ex se Carolilocus.

ELENCHUS ABBATUM.

I. ANDREAS *de Baudiment*, missis anno 1136, e Pontiniaco ab abbate duodecim monachis abbas præfectus, beneficum expertus est Stephanum S. Genovefæ Parisiensis decanum, qui fecit eis potestatem ligna cædendi in silva ad ædificandum monasterium. Pro sancto reputatus, obiit anno 1142, memoratus in necrologio Cisterciensi, III cal. Maii & IV idus Novembris.

II. Amalricus, anno 1142 bullam obtinuit ab Innocentio II, duasque ab Eugenio III annis 1150 & 1152. Beneficiis etiam Stephani Parisiensis episcopi & Odonis abbatis S. Dionysii recreatus est. Testis legitur in charta Petri episcopi Silvanect. ecclesiam S. Remigii, Hederensi monasterio concedentis circa 1146. Misericordiæ Dei in Pictonibus primum abbatem Guillelmum instituit anno 1151. Memoratur adhuc anno 1154. Fit inde Silvanectensis episcopus, ubi vide, de quo Carolus *de Visch*, in bibliotheca scriptorum ordinis Cisterc. pag. 282, editionis anni 1656.

III. Desiderius occurrit anno 1156, in tabulario Calensi, defunctus die 6 Aug. 1160.

IV. Humbertus, delegatur 1160, cum Radulfo abbate Vallis-claræ ad sopiendam controversiam de limitibus inter monachos Alnetenses & Belli-pratenses. Accepit a Johanne abbate Corbeiensi terras, vineas, hospites ac servos in territoriis *de Brenouille*, *de Villers* & *de Verderonne*, sub annuo censu centum solidorum Corbeiensis monetæ, vel duarum argenti marcharum anno 1161. Testis est 1163, in charta Amalrici episcopi de domibus, quas dederunt Caroliloco Gerardus canonicus & Odo Crassus sacerdos. Anno 1164, accepit ad censum a canonicis B. Mariæ Paris. 67 jugera terræ in territorio *Despier*. Memoratur præsens anno 1166, judicio lato ab Amaurico Silvanect. & Balduino Noviomensi episcopis de controversia inter ecclesias S. Richarii & Balantiarum. Guidonem Montis-Gaii dominum anno 1167, suffragiorum participem effecit. Memoratur 1171, in charta Guidonis buticularii de pace inter ipsum facta & Caroliloci conventum. Eodem anno jus canonicorum B. Mariæ certis in locis recognovit.

V. Ingelrannus, ex priore abbas an. 1174, munificum expertus est Hugonem Bellovacensis ecclesiæ decanum. Insequenti 1175 XI cal. Maii bonorum monasterii confirmationem accepit ab Alexandro III. Pepigit 1178, de silva Nigrævallis cum Philippo Bellovacensi electo & Lancelino ejusdem ecclesiæ decano, sequestris Odone Belli-prati & Guidone Ursicampi abbatibus. In historia MS. abbatiæ S. Vincentii vocatur Ingelrannus *coabbas Caroliloci* anno 1179; forte quia Humbertus antecessor adhuc superstes erat. Anno 1180, Ingelranno abbati Caroliloci Stephanus abbas S. Genovefæ Paris. confirmavit prius datum a canonicis secularibus nemus quoddam & ipsum nemoris solum ante abbatiam Caroliloci situm. Beneficum habuit eodem anno Guidonem buticularium. Vivere desiit 29 Martii anni ejusdem, qui nunc 1181. Ch. XXIX. col. 219. Ch. LXXIV. col. 435.

VI. Petrus I, reperitur 1182, in charta Radulfi comitis Clarimontis, assensu Aalidis comitissæ & liberorum, quidquid calumniabatur in silva Nigræ-vallis, Caroliloco dimittentis. Transegit anno seq. cum Alveredo Nigræ-vallis abbate, qui dedit illi ad censum, quidquid in eadem silva possidebat. Pepigit eodem anno cum Alveredo abbate Britulii. Testis est an. 1187, in charta Stephani B. Mariæ decani. Hoc anno defunctus est die 3 Aprilis.

VII. S. Guillelmus *de Donjeon*, ex abbate Fontis-Johannis abbas Caroliloci 1187, pepigit 1191 cum Stephano abbate S. Genovefæ Paris. Reperitur anno 1194, in chartario S. Luciani Bellovacensis, & anno 1197 in charta magni pastoralis Paris. Memoratur anno 1199, cum Philippo abbate de Valle. Factum diximus anno 1200 Guillelmum archiepiscopum Bituricensem

tom. II

tom. II col. 60, ubi adde, relatum fuisse Guillelmum in album sanctorum ab Honorio III ex chronico Guillelmi *de Nangis*, ad annum 1218. Qua de re sic habet calendarium Cisterciense ad nonas Maii: *Eodem die elevatio Corporis S. Guillelmi episcopi Bituricensis, quem cœlesti visione admonitus Honorius III, sanctorum catalogo adscripsit.*

Spicil. t. XI. pag. 504.

VIII. Adam anno 1202 abbas, se munificum præbuit anno 1204 erga monasterium Cameræ-fontis. Anno eodem bullam accepit ab Innocentio III. Pepigit anno 1205, cum capitulo Bellovacensi. Judex anno 1207 mense Septembri a summo pontifice delegatus cum Gaufrido Silvanectensi episcopo & Radulfo Meldensis ecclesiæ decano, initam de Argentolio compositionem inter Odonem episcopum Parisiensem & Henricum abbatem S. Dionysii comprobavit, & ratam habuit anno eodem transactionem initam cum abbatissa Malæ-noæ, de jure quod ea vindicabat in dictum Argentolii prioratum. Acquisivit domui suæ duos modios bladi a Galtero *de Crevecœur* in grangia *de Ratingi*, anno 1209. Emit an. 1212 pretio mille librarum decimam de Rulliaco. Ab Honorio III pontifice delegatus Corbeiense monasterium visitavit anno 1216. Præfuit ad annum 1217, de quo necrologium Cisterciense XVII calendas Januarii. Sepultus jacet ante majus altare. *Scripsit in lecturas Evangelicas, quæ per singulos anni dies in ecclesia leguntur, sermonum opus maximum, MS. in bibliotheca Caroliloci*, ita Carolus *de Visch* in bibliotheca scriptorum ordinis pag. 2.

IX. Odo cum episcopo Silvanectensi delegatus est ab Honorio III an. 1218, ut episcopum & clerum Suessionensem cum majore, juratis & communia ejusdem civitatis amice conciliarent. Permutationem fecit anno 1220 mense Junio cum Simone Lupo buticulario. Huic abbati dedit anno eodem Guido buticularius fontem situm in prato de Ermenonvilla. Moritur Odo an. 1221.

X. Johannes I Cadomensis, laudatur abbas 1223. De eo legitur in statutis capituli generalis anni 1227, tom. IV Anecdot. Martenii nostri col. 1347. *Monachi Caroliloci; qui minati sunt mortem nonno Johanni quondam abbati ejusdem loci, ultimi sint in domibus ad quas sunt missi, non reversuri, nisi per capitulum generale, nec suum ordinem habituri.*

XI. Milo ex monacho Cistercii abbas Caroliloci an. 1226, die 3 Januarii, hoc est 1227, centum jugera terræ cum manerio vendidit Garino episcopo pro septingentis libris. Reperitur eodem anno mense Febr. in chartis S. Reguli. Insequenti 1228, cum Adamo episcopo à Gregorio IX judex controversiæ inter capitulum Laudunense & quemdam nobilem virum delegatus est. Occurrit an. 1230, mense Aprili, in charta Johannis castellani Montis-Meliani & Isabellæ uxoris ejus; atque an. 1233, in chartis S. Reguli. Subscripsit ea tempestate literis ad omnes fideles pro restituenda Calensi abbatia, quæ incensa fuerat. Obiit an. 1238, ex necro-

Marten. t. I Amplis. collect. col. 1207.

A logio; de quo sic calendarium Cisterciense ad XVI cal. Octobr. *Caroliloci in Gallia B. Milonis abbatis, qui contemplationis studium quod Cistercii hauserat, inter præfecturæ sollicitudines non intermisit.*

XII. Johannes II de Arbona an. 1239, mense Julio tres solidos Parisienses annui census vendidit ecclesiis B. Mariæ & S. Reguli pro quadraginta solidis Parisiensibus. Anno 1242, mense Martio Johannem *de Raray* beneficum experitur. Occurrit & annis 1243, 1244, & 1253, quo ultimo duo jugera terræ in valle Lamberti vendidit Matthæo canonico Silvanectensi pro novem libris Parisiensibus. Fato concessit an. 1255, ex necrologio.

Ch. cx. col. 458.

B

XIII. Petrus II Thomas an. 1258, mense Febr. compositionem iniit cum abbate S. Victoris Paris. & communia villæ de Rulliaco. Laudatur an. 1261 mense Febr. in regesto XXXI regii chartarum thesauri & 1263 in tabulario S. Cornelii Compendiensis. Petro sedente, S. Ludovicus propriis humeris cum magno comitatu detulit ad Carolilocense monasterium duo corpora sancta, unum videlicet de sociis S. Mauricii & alterum de corporibus undecim millium virginum, quæ in majori altari requiescere dicuntur. Anno

C 1266, die 13 Decembris pepigit Petrus cum Johanne *de Chantilly*. Memoratur an. 1271, in tabulario Regalis-montis. Scripsit vitam S. Guillelmi archiepiscopi Bituricensis, ut auctor est Carolus *de Visch* in bibliotheca scriptorum ordinis pag. 213.

XIV. Johannes III Normannus 1270, ex Sammarthanis.

XV. Johannes IV *de Senlis* successit ab anno saltem 1273, ad an. 1280, quo tempore majoris aræ tabulam argenteam fieri curavit & capellas ecclesiæ a cœmeterii latere. Factum postea volunt abbatem Pontiniacensem; sed nulla ipsius

D est mentio in tabulis Pontiniacensibus, ait Martenius tom. III, Anecdotorum col. 1257.

XVI. Laurentius I de Marcellis, qui prior Caroliloci, meritis S. Ludovici regis ab infirmitate sanatus est, testis laudatur abbas in inquisitione de vita & miraculis S. Ludovici facta mense Maio anni 1282, in abbatia S. Dionysii, ubi dicitur natus annos 58 & amplius. Permutavit cum S. Reguli capitulo annis 1283 & 1285. Transegit eodem anno cum Silvanectensi capitulo de justitia domorum Caroliloci in claustro canonicorum & apud Rulliacum. Locum habet an. 1287, in tabulario Latiniaci, & in

Tom v. mens. Aug. Bolland. p. 626.

Ibid. pag. 572.

E Sandionysiano 1288. Mortem oppetiit 1290, ex necrologio.

XVII. Daniel al. David de Plailliaco expletis in præfectura sex annis, vivere desiit an 1296.

XVIII. Reginaldus *de Roquemont*, post annos 12 regiminis fato functus est an. 1308.

XIX. Jacobus de Thermis doctor theologus adfuit abbas 1311 concilio generali Viennensi, quo tempore scripsit librum contra impugnantes privilegia monachorum. De eo vide tom. III, hist. Universit. Parisi. pag. 511 & tom. IV, ad annum 1310, necnon bibliothecam scriptorum ordinis p. 144, ubi plurima ejus opera laudantur.

XX. Johannes V Picardi, dictus Probus, occurrit anno 1326, die Lunæ post festum Omnium Sanctorum.

XXI. Johannes VI de Gallonifontibus non aliunde innotescit, quam ex laudata scriptorum ordinis bibliotheca, ubi sic de illo pag. 167: *Johannes de Gallonifontibus abbas Caroliloci XX, scribitur a Philippo Seguino in bibliotheca sua composuisse doctissimam illam paginam, quæ dicitur* de Cœlitibus, *super evangelium Lucæ:* Missus est angelus Gabriel *&c. Obiit anno 1337.*

XXII. Ingerannus II *de Gournai*, annis duobus præfuit, defunctus 1339, 1 Januarii, hoc est 1340.

XXIII. Laurentius II de Marcellis, anno 1343, Sabbato in vigilia SS. apostolorum Petri & Pauli composuit cum Petro *de Cugnieres*, equite domino *de Saintines* & *de Brasseuse*, atque Johanna *de Nery* conjuge. Rexit Laurentius ad annum 1352.

XXIV. Johannes VII de Gallonifontibus, doctor theologus præfuisse dicitur annis 20, ad annum scilicet 1372, cujus obitus dies notatur in necrologio die 5 Martii. Idem forte est ac Johannes VI.

XXV. Galterus *le Comte*, doctor theologus, ex monacho recensetur abbas Caroliloci 1373, 1375 & 1376, die 14 Junii in charta authentica collectionis D. *de Gaignieres.* Sedit ad annum 1379.

XXVI. Johannes VIII de Bosco-Odelinæ haud prius abbas reperitur, quam anno 1391, qui nec ultra 1397, cœnobium moderatus est. Factam circa id tempus Caroliloci amplam descriptionem habes Amplissimæ collect. tom. 11, col. 1388.

XXVII. Laurentius III de Rua, doctor theologus in capitulo generali anni 1412, eligitur unus ex procuratoribus in conciliis seu generalibus, seu Gallicanis infra proximum triennium celebrandis, sicut in capitulo anni 1416, pro concilio Constantiensi. Castrum quod in medio majoris curiæ Caroliloci exstruxerat, postea decreto capituli generalis dirutum est. E vivis excessit anno 1418, post 21 annos regiminis, III idus Februarii, ex necrologio. *Tom. IV, Anecdotorum col. 1558 & 1563.*

XXVIII. Parisius de Belna, doctor theologus tres in præfectura exegisse annos legitur, ad annum scilicet 1421.

XXIX. Alanus de Sorello sedit ad an. 1438.

XXX. Johannes IX *de Senlis*, abbatia 17 annis potitus, occubuit anno 1455.

XXXI. Guido de Edua, monachus de Fontaneto, baccalaureus in theologia, anno 1456 21 Octobris jus pontificalium obtinuit ab Alano sedis apostolicæ legato. Tum electus abbas Pontiniaci, ab abbate Cisterciensi confirmatus est & installatus, cujus electionem, installationem & confirmationem confirmat, ratificat & approbat capitulum generale anni 1458. Factum inde diximus abbatem Cistercii tom. IV col. 1004. *Tom. III. Anecdot. col. 1260.*

XXXII. Petrus III de Vireio, monachus de Maceriis & cellerarius collegii S. Bernardi Parisiis, sacræ theologiæ professor, 12 aut 13 annis Caroliloco præfuerat, quando factus est abbas Clarevallensis anno 1471, ut diximus tom. IV col. 811. Vide Carolum *de Visch*, in bibliotheca scriptorum ordinis Cisterc. pag. 219.

XXXIII. Johannes X *le Fel*, Insulanus patria & professione Laudensis monachus, doctor theologus, primum fuit abbas Vallis B. Mariæ, inde Caroliloci, quo nomine litem composuit anno 1483, inter Isidorum Belli prati & Johannem Briostelli abbates. Interfuit anno 1493, comitiis generalibus ordinis Luteciæ celebratis. Biennio post 1495, adstitit translationi reliquiarum S. Reguli. Anno 1499, die Jovis 11 Aprilis electus fuit testis electionis futuri post obitum Johannis *Neveu* episcopi Silvanectensis. Cessit 1501 & decessit die 3 vel 30 Octobris anno 1504.

XXXIV. Robertus *de la Tourotte* loci alumnus, theologiæ professor, Johanni avunculo cedenti successit die 9 Decembris 1501. Quarto post anno 1505, a Silvanect. capitulo in causa, quæ vertebatur inter Bernardinum *de Vaudray* & Johannem *Thibault*, de abbatia S. Vincentii contendentes nominatus est recuperator cum Johanne *de Montmorency*, Herivallis abbate. Delegatus a Clarevallensi abbate, præfuit anno 1515, electioni Petri *d'Arragon* abbatis Longi-pontis. Ab Arturo *Fillon*, designato episcopo interrogatus, qualis esset episcopatus Silvanectensis, respondit epistola in appendice relata. Ceterum tanta prudentia Robertus Carolilocum gubernavit annis 21, ut ejus pervigili cura solertique industria multa fuerint acquisita bona, multa redemta. Exstruxit campanile & horologium, aliaque plurima hoc in cœnobio instauravit ædificia, cujus & studio Parisiense S. Bernardi collegium a fundamentis de novo excitatum est. Quum denique Robertus pro salute & augmento sibi commissi gregis sese sollicitum exhibuisset, quin & totius ordinis negotia fideliter ac strenue tractasset, fato functus 22 Januarii 1522, hoc est 1523, sepulturam accepit ante majorem aram basilicæ cum avunculo Johanne *le Fel*, decessore, hocque donatus est epitaphio: *Ch. CLXIV. col. 502.*

Sit licet ista brevis, magnum capit urna Robertum,
Promeritum studiis laurea sancta sacris.
Hunc domus ista patrem novit probitate coruscum,
Pascentem vigili sedulitate gregem.
Vos qui Carlilocum colitis, miserescite functo,
Ut Deus hunc summa syderis arce locet.
Obiit anno Domini 1523 die 22 Januarii.

XXXV. Simon *Postel* dictus *de Buyres*, asceta Caroliloci & doctor theologus, electus abbas 24 Januarii anno 1523, præfuit annis octodecim, quibus ecclesiam ornamentis, bibliothecam multis adauxit voluminibus, ac cœnobii chartas meliorem in formam redegit. An. 1529 8 Aprilis, a Guillelmo *Parvi* episcopo regiis negotiis impedito delegatur ad audiendas rationes exsecutorum testamenti Arturi *Fillon* episcopi, & anno 1530, a rege Francisco I, pro reformando S. Mauricii monasterio. Huic quoque & Grandis-prati coadjutori a senatu Parisiensi

parthenonis S. Antonii Parif. reformatio die 13 Aprilis anno 1538, demandata fuit. Burgundiam inferiorem, Angliam & Scotiam auctoritate capituli generalis visitavit & reformavit ultimus. Diem clausit extremum 13 Februarii an. 1540, id est 1541, conditus in capitulo Caroliloci cum epitaphio.

XXXVI. Hippolytus *d'Est*, cardinalis, episcopus Ferrariæ & archiepiscopus Mediolanensis, necnon Ausciensis in Gallia, primus fuit abbas commendatarius Caroliloci, quo nomine memoratur anno 1554 13 Augusti. Romæ decessit 2 Decembris 1572.

XXXVII. Aloysius *d'Est*, cardinalis Ferrariensis & archiepiscopus Ausciensis patruo successit, & obiit Romæ an. 1586 die 30 Decembris. De his duobus vide quæ diximus tom. I coll. 1003 & 1004.

XXXVIII. Julianus *de S. Germain*, doctor theologus, episcopus Cæsareæ & Henrico III regi a confessionibus, aut a concionibus, ab eo nominatus est Caroliloci commendatarius abbas anno 1586. Eidem principi annoque eodem aliquot sententias notabiliores, necnon preces & pias animi ad Deum elationes e libro psalmorum excerptas, Latine & Gallice obtulit. Mortuo Henrico rege anno 1589, Turones se recepit. Defunctum 1594 Carolum II *de Bourbon*, Rotomagensem archiepiscopum Gallione in ejus exsequiis e pulpito laudavit.

XXXIX. Achilles *de Harlai*, filius alter Nicolai domini *de Sanci*, regi a consiliis, summi ærarii præfecti & Mariæ *Moreau*, abbas Villæ-lupæ, Floriaci & de Castellariis, necnon episcopus Vaurensis designatus, Juliano cedenti successit, etiam commendatarius Caroliloci, sed fratre ipsius natu majore Nicolao in obsidione Ostendæ interemto 1601, omnibus abdicatis beneficiis, missus est Constantinopolim legatus, unde redux, inter Oratorianos sacerdotes allectus, evasit episcopus Macloviensis anno 1631, & obiit 20 Novembris 1646.

XL. Abel *de Montliard*, inter commendatarios recensetur mense Junio anni 1601.

XLI. Ludovicus I *de Lorraine*, cardinalis Guisius & archiepiscopus Remensis non sacratus, abbas Caroliloci anno 1601, occubuit 21 Junii anno ætatis 46.

XLII. Carolus-Ludovicus *de Lorraine*, Ludovici cardinalis a Guisia filius naturalis, Caroliloci commendatarius occurrit annis 1630 & 1642. Permutavit cum Johanne *d'Estrades*, episcopo Condomiensi anno 1658. Fuit etiam prior sancti Martini de Aleyraco, & Caritatis ad Ligerim, tandemque Parisiis obiit anno 1668, 1 Junii.

XLIII. Johannes XI *d'Estrades*, germanus Godefridi Franciæ Marescalli, designatus episcopus Petracoricensis anno 1646, & mox Condomiensis 1647, permutatione facta cum Carolo anno 1658, obtinuit commendam Caroliloci, de cujus reditibus cum monachis pepigit, hancque anno 1670 commutavit pro Redonensi S. Melanii, ubi vixit & obiit 12 Junii 1685,

A ac sepultus est cum epitaphio, quod vide-sis tom II col. 972.

XLIV. Julius-Paulus *de Lionne*, filius ex Paula *Payen* Hugonis *de Lionne*, marchionis *de Berny*, regni administri, commendatarius erat Caroliloci, anno 1670, Cari-campi, Majoris monasterii prope Turones & prior sancti Martini a Campis. Obiit 5 Junii anno 1721.

XLV. Ludovicus II *de Bourbon-Condé*, dictus comes Clarimontis, commendam obtinuit per obitum præcedentis, hactenusque illam possidet cum Beccensi & sancti Germani a Pratis commendis.

B

PARCUS-DOMINARUM.

Le Parc aux Dames.

VIRGINUM Cisterciensis ordinis fundata est non longe a Crispeio abbatia ab Alienorde comitissa S. Quintini & domina Valesiæ, cujus ad preces Philippus rex monialibus concessit Parcum de Thruilla juxta Crispeium, seu de Bovilla, ut alibi legitur, anno 1205, quem anno eodem eis contulit Alienor. Hermerus quoque decanus S. Frambaldi & Ivo decanus S. Reguli, annuente utroque capitulo, concesserunt eisdem dominium, terram & jus quod habebant in Parco an. 1207. Quæ omnia confirmavit Innocentius C papa III, bulla data 1210, pontificatus anno decimo tertio. De fundatrice hujus parthenonis sic habetur in necrologio: *XIII cal. Julii obiit Eleonor comitissa S. Quintini & Valesiæ, quæ nostram ecclesiam propriis sumtibus construxit.* Ejus mors consignatur 1213, al. 1214 21 Junii, seu XI cal. Julii, ut fert epitaphium, quod in claustro Longi-pontis commune habet cum fratre Radulfo.

Charta XXXVIII. col. 226. Ch. XXXIX. col. 226. Chart. XL. col. 226. Ch. XLIII. col. 227.

Post fundatricem inter præcipuos benefactores habentur Radulfus filius comitissæ *de Dammartin*, Elisabeth *de Vulenes*, Nicolaus *de Chaversy*, Bartholomæus *de Toripurum*, Margarita comitissa D Blesensis, Johannes *de Supin* Blesensis archidiaconus, Guillelmus *de Vincestre*, forte *Winchestre* miles, Isabellis soror S. Ludovici regis, Petronilla comitissa S. Quintini, Clementia comitissa *de Clermont*, Blancha regina Franciæ, Johanna comitissa Bellimontis, Garinus & Adam episcopi Silvanectenses, Gaucherius episcopus Suessionensis & Rainoldus episcopus Bellovacensis.

Ceterum tam male habitus fuit hic parthenon seculis 14 & 15, ut pene desertus fuerit, Anglis in regno Franciæ & maxime in Picardia & Valesia furentibus, militibusque omnia devastantibus & incendio consumentibus; quibus accessit orta ex E fame pestis, quæ moniales omnes, una excepta, sustulit; hinc mirum videri non debet, quod mutilus prodeat abbatissarum catalogus.

INDEX ABBATISSARUM.

I. ELISABETH I, filia Simonis militis & Hildeburgis, quæ facta ibidem est monialis anno 1214, mense Augusto debere se monasterio B. Mariæ de Cagia sex denarios censuales profitetur; de qua necrologium sic habet: *VI cal. Aprilis commemoratio domnæ Elisabeth primæ abbatissæ de Parco.*

II. Catharina I, reperitur an. 1224 in tabulario Caroliloci. Dedit hoc anno Odoni Farsito de Rulliaco tres arabiles terræ portiones pro decem minis bladi. Consignatur in necrologio VI idus Aprilis secunda abbatissa.

III. Eustachia I, notatur in necrologio XV cal. Octobris tertia abbatissa.

IV. Richildis ibidem III cal. Aprilis quarta abbatissa.

V. Maria I, ibidem XII cal. Octobris quinta abbatissa.

VI. Margarita I *la Rigaude*, sedebat anno 1230, cujus quondam abbatissæ meminit necrologium XIX cal. Decembris.

VII. Catharina II, an. 1233, mense Novembri vendidit abbati & conventui Caroliloci duo jugera terræ in campis Remboldi.

VIII. Maria II *de Voisins*, præerat annis 1243, 1252, 1254 & 1259, quo ineunte vendidit prioratui de Braio viginti jugera terræ arabilis, quæ proveniebant ex dote Elisabethæ filiæ quondam Simonis militis, majoris de Asichiaco. Defuncta legitur an. 1262 & sepulta in ingressu capituli, de qua necrologium VII idus Martii.

IX. Eustachia II, electa 1263, memoratur 1281, mense Augusto in tabulario Caroliloci. Sepelitur in capitulo, dicta in necrologio ad XII cal. Martii nona abbatissa.

X. Ala occurrit an. 1288, eadem sane ac Isabella virgo pietate conspicua, quæ hoc anno reperitur abbatissa in tabulario Caroliloci. Defuncta legitur Isabella 1296.

XI. Eustachia III, electa 1297, moritur 1315.

XII. Maria III, electa 1315 notatur in necrologio ad calendas Augusti duodecima abbatissa.

XIII. Maria IV *de Roquemont*, vivere desiit 1344. Decima tertia abbatissa recensetur in necrologio XIV cal. Aprilis, sepulta in capitulo.

XIV. Helindis, seu Helvidis numeratur in necrologio ad idus Martii decima quarta abbatissa.

XV. Ada ibidem ad VIII cal. Augusti decima quinta abbatissa.

XVI. Petronilla ibidem ad IV cal. Novemb. decima sexta abbatissa.

XVII. Johanna I *de Ver*, 1376.

XVIII. Agnes de Burgundia piæ memoriæ quondam abbatissa jacet in capitulo sine pedo.

XIX. Huguetta I *de Valinier*, 1426.

XX. Margarita II *de Bernemicourt*, 1487.

XXI. Johanna II *de Thieuvilliere*, al. *de Thuilliere* moritur anno 1505, retro chorum sepulta.

XXII. Antonia *Helin*, electa 1506 obiit 1525, notata in necrologio ad VI idus Junii vigesima quarta abbatissa.

XXIII. Johanna III *de Brion*, regimen auspicata 1525, reperitur hoc anno 15 Decembr. in charta authentica cameræ rationum Paris. Vitam amisit 1536, sepulta ante sacellum B. Annæ modo dirutum.

XXIV. Adriana *de Brion*, superioris germana dies absolvit suos an 1538, notata in necrologio ad V nonas Julii XXVI abbatissa.

XXV. Dionysia *de Barthelemi* electa 1539, sepulta jacet ante dormitorii gradus.

XXVI. Alienor, seu Eleonora *de Ligne*, reperitur annis 1579, 1580, 1583 & 1584, in chartis authenticis cameræ rationum Paris. Cessit an. 1594, tertioque post 1597, defuncta, ante gradus dormitorii sepulturam accepit.

XXVII. Maria V *le Bel*, Crispeiensis occurrit 1594, 15 Julii in charta authentica cameræ rationum Paris. Notatur in necrologio ad XV calendas Octobris XXXI abbatissa, quæ si defuncta est, ut volunt, 1598, cessit ante mortem; nam

XXVIII. Renata I *de Vieupont*, Pisciaci monialis, Mariæ successerat jam an. 1596, e schedis nonnullis. Intra cœnobii claustra sorores continuit & vitam communem induxit. Cessit ante mortem, quæ contigit an. 1613 ætatis 53. Sepelitur ante gradum chori, dicta in necrologio ad V cal. Septembr. XXXII abbatissa.

§ Renata II *de Thudert*, amita Petri *Seguier* Franciæ cancellarii, abbatissa de Parco nominata, mox secedens ad monasterium Villariense, ibidem priorissa decessit anno 1622.

XXIX. Huguetta II *de Vieupont*, reperitur 15 Junii an. 1609, in charta authentica cameræ rationum Parisiensis.

XXX. Susanna *de Morely*, monialis Saliceti prope Parisios, ad regendum Parcum evocata, huic jam præerat abbatissa 1615, 18 Junii. Reperitur 1618, die Lunæ 28 Maii in chartario S. Frambaldi; 1620, 1634, 1638 & 1644. Diem clausit extremum septuagenaria major 1647 & in ecclesia Parci tumulata est.

XXXI. Margarita III *de Maupeou*, alumna Montis-martyrum, Susannæ primum coadjutrix annis 14, huic deinde successit abbatissa ad annos quinque cum sex mensibus; quo tempore claustrum inchoavit. Silvanecti, quo se, bellis cogentibus receperat, mortem oppetiit anno 1652, XI cal. Septembris, unde corpus delatum est Parcum.

XXXII. Maria-Elisabeth *Fouquet*, filia Francisci ex Maria *de Maupeou*, materteræ primum coadjutrix per biennium, eidem successit abbatissa 30 annis. Fratrem habuit Nicolaum Vicecomitem *de Vaux*, prope Melodunum, in supremo regni senatu procuratorem generalem & summum regii ærarii præfectum, qui altare Parci anno 1658, ædificavit; ipsa vero, eodem adjuvante, claustrum perfecit, abbatiamque in castellaniam erexit. Diem obiit 27 Augusti 1682, ætatis anno 63, sepulta ante clathros chori.

XXXIII. Maria-Anna *Rouxel de Medavy de Grancey*, filia Jacobi Franciæ Marescalli ex Carlotta *de Mornay* altera conjuge, successit ad annos 13, defuncta 3 Jan. 1696, ætatis anno 46.

XXXIV. Carlotta *Rouxel*, &c, germana superioris, exactis in regimine 27 annis, obiit 26 Martii 1723, annos nata 62, cum dimidio.

XXXV. Margarita IV *le Pelletier*, germana protopræsidis in senatu Parisiensi, monialis Altæbrueriæ ordinis Fontebraldensis, abbatissa Parci

renunciata, & adepta possessionem 15 Augusti 1723, cessit paulo post.

XXXVI. Margarita V *de Mornay de Montchevreuil*, ex priorissa sancti Antonii Parisiensis, a rege Parci nominatur abbatissa sub finem anni 1724, cujus adepta possessionem 3 Maii 1725, chartis ejusdem in ordinem redactis, obiit 20 Augusti 1744, ætatis 57, professionis 37, regiminisque 18, cum aliquot mensibus.

XXXVII. N. *de Renansart*, ex priorissa parthenonis Maurinianæ vallis a rege Parci abbatissa renunciata fuit mense Decembri anni 1744.

S. NICOLAUS DE ACIACO.

SAINT NICOLAS D'ACY.

ECCLESIAM B. Nicolai sitam in villa, quæ dicitur *Acy* secus Silvanectum, terramque a Roberto vicedomino, B. Petro Cluniacensi & S. Martino de Campis donatam, & a Letaudo episcopo Silvanectensi, de cujus beneficio ecclesiam & terram tenebat Robertus, confirmatam, confirmavit quoque Hubertus successor anno 1106, intercedente Ludovico *jam in regem designato*, & Widone de Turre amico suo. Plurima hic ecclesiæ eidem largitus est, quam & construxisse dicitur in diplomate Ludovici VI, dona Guidonis regia auctoritate munientis an. 1124. Unde & fundator ecclesiæ dicitur cum in antiquo sepulcro, tum in necrologio, ubi cum Isabella uxore memoratur VII idus Martii. Martinianis quoque S. Nicolai monachis præbendam in ecclesia cathedrali dedit Clarembaldus episcopus & confirmavit Petrus successor anno 1138. Ecclesiam de Derenciaco Stephanus Parisiensis episcopus concessit anno 1138, aliique alia donavere, quibus etiamnum gaudent ascetæ S. Martini apud S. Nicolaum degentes.

Marrier, p. 286.
Idem, p. 288.

PRIORUM INDICULUS.

I. WALTERIUS prior erat S. Nicolai de Aciaco, ex probationibus historiæ domus de Montemorenciaco pag. 43, tempore Theobaldi prioris S. Martini a Campis. Fuere autem duo hujus nominis priores S. Martini; primus sedit ab anno 1106 ad 1113, & alter ab anno 1133 ad 1142. Walterium proinde conjicimus primum fuisse S. Nicolai de Aciaco priorem; de quo intelligendum fortasse necrologium domesticum sic: *VIII cal. Maii obiit Galterius Torel prior hujus loci.*

II. Petrus I, anno 1138 obtinuit a Petro episcopo bonorum omnium, quæ prioratui collata fuerant, nominatimque præbendæ in ecclesia cathedrali concessæ a Clarembaldo decessore, confirmationem. Eidem Petro priori decimam horti sui retro ecclesiam petenti Silvanectenses canonici annuerunt in præsentia Petri episcopi anno 1139. De Petro sic necrologium B. M. Silvanectensis recentiori manu: *VIII calendas Octobris, seu 24 Septembris 1163, obiit vir religiosus D. Petrus prior S. Nicolai de Aciaco super Onetam, qui dedit nobis 20 solidos, al. 20 libras Parisienses.*

III. Alelmus, anno 1164, reperitur in charta Bartholomæi Bellovacensis episcopi pro sancto Nicolao *de Aci*. Pater Alelmi vocatur Bernardus in necrologio.

IV. Giroldus, cujus ad preces anno 1166, Amalricus Silvanectensis episcopus laudavit dona omnia, quæ collata fuerant ecclesiæ S. Nicolai.

V. Galterius, hîc forsan inserendus est, de quo sic necrologium domesticum: *VII idus Septembris Galterius abbas Cluniaci & prior hujus loci.* Hunc enim esse conjicimus Galtherum abbatem Cluniacensem, quem diximus tom. IV col. 1142, adeptum fuisse hanc primariam ordinis sedem anno 1176, defunctumque VIII idus Septembris.

VI. Theobaldus, inter quem anno 1180, & Johannem Torchardum de quadam decimatione novalium de Braisilva pax reformata fuit. Pepigit anno seq. 1181, cum Guidone buticulario, testante Guillelmo Remensi archiepiscopo. Emit 1183 decimas *de Moussy*.

VII. Helias cum Hugone sancti Vincentii Silvanectensis abbate judex a Cœlestino III delegatus anno 1194, profitetur quosdam homines de Cholliaco jus ecclesiæ sancti Frambaldi recognovisse; iidemque rursus anno seq. 1195, delegati judices ab eodem summo pontifice, decreverunt uxorem Gaufridi de villa, quæ dicitur *Vaisin*, ancillam esse sancti Frambaldi.

VIII. Leodegarius prioratum, ut videtur, obtinebat anno 1205, quum Gaufridus episcopus de præbenda sancti Nicolai in ecclesia B. M. Silvanect. nonnulla constituit. Sane Leodegarius circa id temporis de conventus assensu, concessit Hugoni abbati Cluniacensi, quondam abbati Radingensi, ut post ipsius obitum, non exspectato nuncio Cluniacensi, offertorium solenne fieret pro eo, & ipsa die tredecim pauperes reficerentur; unusquisque sacerdos tres missas ultra consuetudinem celebraret, ceteri psalterium unum, conversi centum *lipantnias*, pauper unus procuraretur per annum, & tria tricenaria fierent per monachos, vel per capellanos; anniversarium ejus fieret solenne in perpetuum, & tres pauperes reficerentur, sacerdotes missas, & ceteri quinquaginta psalmos, &c. Is autem est Hugo V, abbas Cluniacensis ab anno 1199 ad 1207.

IX. Andreas de Curceyo incerta præfuit ætate.

X. Gaufridus, reperitur anno 1211, in charta G. episcopi & P. sancti Vincentii abbatis arbitrorum inter eum ex una parte, & Rogerium de Verberia, Robertum *de Saci*, & venatores *de Vilers*, atque Hugonem militem de Longaqua, de molendino Henrici apud *Robertval.* Idem est fortasse ac G. prior anno 1234 mense Augusto. Gaufridus vero memoratur in necrologio III nonas Junii.

XI. Johannes I, prior anno 1260.

XII. Nicolaus I *de Montreuil*, anno 1263, cappam speciosam dono dedit ecclesiæ S. Martini a Campis, in cujus antiquo martyrologio notatur obitus ejus die 8 Junii, in necrologio autem domestico V idus Junii.

XIII. Stephanus de Cariloco vel de Caroloco, *de Chairlieu*, sepultus est ad sanctum Martinum de

Hist. S. Martini, p. 569.

Campis cum hoc epitaphio: *Hic jacet Stephanus de Caroloco prior quondam sancti Nicolai....... qui obiit....... trecentesimo secundo, &c.*

XIV. Hugo occurrit 1305, de quo necrologium ad idus Februarii.

XV. Reginaldus anno 1337, convocatur Cluniacum adfuturus capitulo, quod habendum erat pro reformatione, quam intendebat Benedictus papa XII. Idem fortasse ac Rainaldus Pagani *Payen*, quem rexisse volunt ad 1369, memoratum in necrologio VIII idus Junii.

XVI. Natho successisse dicitur Rainaldo 1369.

XVII. Guillelmus I *Rochon*, præerat anno 1371.

XVIII. Johannes II *Lespe*, sedebat annis 1375 & 1376, de quo necrologium: *XVII cal. Octobris obiit domnus Johannes* Lespe *prior S. Nicolai, qui dedit conventui ejusdem loci viginti quatuor solidos apud fontem S. Firmini supra domum quam tenet Johannes* le Charbonnier, *pro anniversario faciendo annuatim.*

XIX. Johannes III *Bouffard* & *Brouffard*, reperitur 1403 & 1416.

XX. Minetus *de Chorigniaco*, obiit an. 1458, ex necrologio.

XXI. Johannes IV *du Plessis*, successisse dicitur & post abdicasse, Parisiis defunctus ad S. Martinum a Campis, ubi dies obitus notatur 5 Octobris.

XXII. Johannes V *Mathon*, prior an. 1476 19 Augusti, ex tabulario S. Frambaldi, & 1477 e schedis domesticis, obiit 29 Augusti 1487, cui hoc epitaphium dicatum est: *Hic jacet religiosus vir frater Johannes* Mathon, *in theologia baccalaureus, prior hujus prioratus, qui anno Domini 1487, die vero 29 Augusti diem clausit extremum, cujus anima in pace Christi requiescat, amen.*

Fama, genus, mores, sapientia, census, honores
Morte ruunt subita, sola manent merita.

XXIII. Nicolaus II *Huré*, Johannis successor dictus ipso ejusdem obitus anno 1487, de prioratu contendisse videtur cum sequenti, nam

XXIV. Benedictus *de Chaumery* & *de Chammery*, ipso quo Johannes *Mathon* exstinctus est anno 1487, prior legitur, de quo nihil amplius occurrit; unde conjicimus, præter illos duos de prioratu contendentes, tertium decertasse Johannem qui sequitur & prævaluisse.

XXV. Johannes VI *d'Espinai*, senator & canonicus Parisiensis, qui & posthac episcopus Valentiæ, commendam obtinebat anno saltem 1495, quo ad preces Simonis *Bonnet*, episcopi annis gravati, transtulit reliquias S. Reguli novam in capsam. Decem post annos defecit Johannes 1505.

XXVI. Robertus *d'Espinai*, cantor ecclesiæ cathedralis Redonensis, Johannem consanguineum excepit commendatarius S. Nicolai ad annum 1525.

XXVII. Franciscus I *de l'Estrange*, primo suæ promotionis anno defunctus legitur.

A XXVIII. Guillelmus II *Josse*, doctor theologus mense Januar. 1526, cessit seq. an. 1528.

XXIX. Germanus *Nicolas*, superioris cessione prior effectus regularis an. 1530, alter fuit delegatorum a rege Francisco I, qui reformationi prioratus S. Mauricii vacarent. Anno 1545 die 25 Augusti præsentavit Gaufridum *Heron* ad curam SS. Gervasii & Protasii de Cultroio. Restauratam a fundamentis & de novo exstructam hanc domum rexit Germanus 36 annis, domumque Parisiensem S. Martini a Campis 26. Mortuus I die Augusti an. 1563, conditur in capitulo S. Nicolai cum epitaphio, quod edidimus

B tom. VII col. 540.

XXX. Antonius *Vialart*, ex illustri familia togata Germano successit an. 1564. Fuit inde prior S. Martini a Campis, uti tom. VII loco citato diximus, & post archiepiscopus Bituricensis, ubi vide tom. II col. 99.

XXXI. Claudius I *de Lorraine*, dictus eques *d'Aumale*, commenda fruebatur anno 1572.

XXXII. Georgius *Guerin*, 1576.

XXXIII. Petrus II *Delbene*, 1578 claustra ruinam minitantia suis expensis restituit.

XXXIV. Claudius II *Suret* aut *de la Curée*, 1581.

C XXXV. Franciscus II *Chappellier*, licentiatus in jure canonico, prior S. Martini per quadriennium, & S. Nicolai ab anno 1586. Collapsam die 3 Januarii an 1597 ecclesiam reparavit, & dedicari ab Antonio *Rose* episcopo curavit 28 Octob. 1609, in honorem B. Mariæ Virginis. Eamdem quoque reædificavit, decoravitque, qualis hodie visitur, fecitque dedicari a Nicolao *Sanguin* episcopo 19 Julii 1626. Mox vero cessit Franciscus in gratiam nepotis cognominis, quem in possessionem misit 5 Novembris ejusdem anni, præsentibus episcopo & plurimis cathedralis ecclesiæ canonicis, necnon Philippo

D *Loysel* regis consiliario & locum generali tenente in ballivia & curia præsidiali Silvanectens. &c. E vivis tandem excessit Franciscus patruus die 3 Decembris ejusdem anni 1626, ætatis 56 priorque ab annis 40. Sepultus est biduo post infra sanctuarium sub majori tumba lapidea, a Martino *Marrier* priore claustrali S. Martini a Campis, cum epitaphio, quod vide-sis tom. VII col. 541.

XXXVI. Franciscus III *Chappellier* loci alumnus, prior B. Mariæ de Grandi-campo diœcesis Meldensis, prioratum S. Nicolai modo, quo supra diximus, assecutus est mense Novembri

E 1626. Obiit anno 1662 XI cal. Januarii ætatis 56, sepultus prope patruum decessorem a sinistris sub æquali tumba lapidea, utraque affabre sculpta, cum epitaphio sequenti: *Hic jacet reverendus in Christo pater domnus Franciscus* Chappellier *junior, reverendi patris Francisci* Chappellier *restauratoris hujus oratorii, quondam prioris hujus cœnobii ex fratre nepos, necnon prior hujusce domus, quique & præfuit annis circiter triginta quinque, & hoc oratorium picturis, organis & quamplurimis ornamentis decoravit. Obiit XI cal. Januarii anno Domini 1662, ætatis suæ 56. Requiescat in pace, amen.*

XXXVII. Franciscus IV *Molé de Champlastreux*, libellorum supplicum magister, defuncto Francisco *Chappellier*, prioratum in commendam tenuit ad annum obitus 1712, simul abbas sanctæ Crucis Burdegalensis, tom. II, & Herivallis tom. VII col. 827.

XXXVIII. Carolus *de Seigliere de Boisfranc*, cessit anno 1721, in gratiam sequentis, simul abbas Columbarum, tom. VIII col. 1257.

XXXIX. Johannes-Paulus *Bignon*, regi a sanctioribus consiliis, regiæque bibliothecæ præfectus, cessit & ipse anno 1736, in gratiam pronepotis. De illo vide tom. VII coll. 278 & 558.

XL. Johannes-Paulus *Brunet d'Evry*, clericus, proavunculi cessione possidet hunc prioratum ab anno 1736.

Sequuntur aliquot priores ætatis incertæ, noti solummodo ex necrologio domestico.

Umbaldus, prior hujus loci *VII cal. Aprilis*.

III nonas Maii, obiit Petrus *de Bosco-roger* prior istius loci.

Calendis Octobris, obiit Petrus de Fonteneto, prior hujus loci, qui dedit........ sexdecim solidos Parisienses solvendos annuatim in die sancto Paschæ pro emendo tunicas de sargia.

PRIORATUS S. MAURICII.

SAINT MAURICE.

HAS de primaria hujus loci fundatione Sammarthani tomo IV, veteris Galliæ Christianæ, Agaunensis abbatis Guillelmi III literas e veteri codice MS. referunt.

Universis Christi fidelibus, G. miseratione divina humilis abbas B. Mauricii Agaunensis, totusque ejus loci conventus salutem. Divina providentia disponente, venerandam sanctorum Agaunensium martyrum legionem in regno Franciæ specialiter honorari cupidus excell. rex Francorum Ludovicus, & devotionem suam, quam ad præcipuam ipsorum Christi martyrum venerationem gerebat, implere, petiit a nobis humiliter & instanter, de sacra legione prædicta, sibi corpora pretiosa transmitti, quatenus tot & tantæ reliquiæ, quæ quasi lucernæ Christi sub modio, videlicet in monasterii nostri modicitate latebant, in diversis ecclesiis regni sui super candelabrum positæ, & ad divini nominis gloriam exaltatæ, Gallicani populi devotionem amplius excitarent. Nos autem piis ejus petitionibus annuentes, plura de thesauro ecclesiæ nostræ sanctorum martyrum corpora regis devotioni exhibuimus, & ad ipsum regem nos abbas cum quibusdam ex fratribus nostris ea personaliter duximus, una cum solennibus ejus nunciis deferenda. Qui tantas tamque venerandas reliquias religiosa veneratione pertractans, eas assumta secum prælatorum ac secularium nobilium, ac popularium personarum venerabili comitativa, processionaliter deportatas in Silvanectensem intulit civitatem, & ibidem ad perpetuam susceptarum reliquiarum honorificentiam, ecclesiam, seu capellam juxta regale palatium ædificare disponens, in eadem plura de prædictis sanctorum corporibus, ceteris in diversas ecclesias & monasteria regni sui ad amplioris honoris cumulum distributis, honorifice collocare proposuerit, certum canonicorum nostrorum numerum statuendo, qui Deo & præclaris ejus martyribus ibidem perpetuo famulentur. Verum ne super ipsorum institutione posset aliquatenus eos inter & Silvanectensem ecclesiam quæstionis materia suboriri, de regis assensu super his cum venerabili patre R. Silvanectensi episcopo diligenter tractavimus & amicabiliter convenimus in hunc modum: Canonici ordinis nostri, quos dominus rex positurus est in ecclesia, vel capella constituenda ad honorem Dei & B. Mariæ & sanctorum martyrum Mauricii & sociorum ejus, usum Parisiensis ecclesiæ, quem capellani capellæ ipsius domini regis Parisius observant, in divinis officiis observabunt. Actum anno Domini MCCLXI, die Dominica post festum Purificationis B. Mariæ Virginis.

Triennio post, alia addidit statuta Robertus Silvanectensis episcopus Dominica post Purificationem B. Mariæ 1265, quæ Clemens IV confirmavit bulla data Perusii tertio nonas Maii pontificatus anno primo. Hanc habes in appendice, sicut & fundationis literas Ludovici IX, qui susceptis sacris reliquiis, juxta domum regiam, basilicam in honorem B. Mariæ & sanctorum martyrum Agaunensium construi fecit ad eas collocandas, & ædificia competentia 13 religiosis ordinis sancti Augustini, congregationis Agaunensis, qui missam de B. Maria quotidie celebrarent pro eo, & post mortem, missam de defunctis. Dedicata est hæc basilica 1 Junii 1264 a Roberto Silvanectensi episcopo. Canonici vero anno 1530, jussi a rege, Victorinæ adhæserunt congregationi, qua exoleta, cum Gallicana coaluerunt anno 1643.

Ch. LIII. col. 235. Ch. CXVI. col. 462.

PRIORUM S. MAURICII CATALOGUS.

I. JACOBUS I, obiit 14 Maii 1278.

II. Guido de Gonessia, quo sedente anno 1284 mense Martio Philippus II rex, huic ecclesiæ testamento reliquit 50 libras Turonenses pro suo in perpetuum celebrando anniversario. Defecit Guido 14 Febr. anno 1304.

Spicil. tom. IX. p. 269.

III. Eustachius de Halla, moritur 5 Decembris 1321.

IV. Stephanus mense Junio anni 1324 memoratus, occubuit die 19 Januarii anno 1327.

V. Johannes I de Nova-villa, 21 Maii 1339.

VI. Oudardus de Lagniaco sicco 4 Augusti 1342.

VII. Remigius I de Platea, 30 Octobris 1373.

VIII. Adam I de Muratto. Anno 1376, die ultima Novembris Amedeus Sabaudiæ comes, huic ecclesiæ dedit partem ossis brachii S. Mauricii, olim, inquit, acceptam ab Agaunensi abbate ex illustri gente *des Barthelem*, præsente Carolo imperatore, & abbatiæ secretario Girardo *de Beve*, vel *de Veue*, nunc abbate. Obiit Adam 28 Decembris anno 1392.

IX. Adam II de Cassossis, 6 Januarii 1400.

X. Petrus I *le Borgne*, 16 Augusti 1402.

XI. Felix Bayardi, 4 Maii 1418.

XII. Petrus II Homini, 9 Augusti 1435.

XIII. Reginaldus *le Sergent*, occurrit 1439 & 1443.

XIV. Johannes II *de Beauvais*, electus est prior 13 Januarii 1453.

XV. Jacobus II de Murato, 22 Junii 1457.

XVI. Natalis *de Coursieux*, 2 Sept. 1460.

XVII. Petrus III *Chardel*, in inquisitione juridica anni 1484, natus erat annos 72, & prior ab annis 24, ex tabulario S. Frambaldi. Obiit 29 Augusti anno 1485.

XVIII. Johannes III *Taboeurin*, Petro successit 1485, die 16 Septembris.

XIX. Johannes IV *de Gournay*, 29 Septemb. 1513.

XX. Simon de Londa, 20 Julii 1521.

XXI. Johannes V *Cornouaille*, electus est 1521 8 Septembris. Ejus temporibus, volente rege Francisco I, anno 1530, accessit hæc domus ad Victorinam congregationem, & missus est prior ad S. Victorem Parisiensem, qui novæ congregationis usus & consuetudines addisceret. Anno 1534 15 Febr. seu 1535, dignitate cesserat in gratiam sequentis, sub annua ducentarum librarum pensione, seque receperat ad S. Victorem.

XXII. Lambertus *Hotman*, die 9 Martii 1534, seu 1535, & penultima Novembris an. 1544 cum conventu de nonnullis convenit. Adfuit anno 1539, 16 Augusti reformationi consuetudinis Silvanectensis. Cessisse fertur grandævus viginti ante obitum annis, obiisse vero 27 Jan. 1568. Attamen Claudius *Malingre*, antiquitatum Paris. pag. 481, fuisse illum asserit priorem S. Victoris ante annum 1548, quo tunc prioratum S. Mauricii obtinebat.

XXIII. Johannes VI *Hotman*, Lamberti nepos ex fratre, S. Victoris alumnus & congregationis præpositus generalis, prior erat S. Mauricii 24 Maii an. 1549. Laudatur adhuc 1555, 1566 & 1568, quo ultimo anno die 13 Decembris defunctus est.

XXIV. Nicolaus *Paulmier*, an. 1569 8 Maii promisit obedientiam capitulo generali habito Meldis apud Cagiam, in quo definitor electus est. Biennio post 1571, 13 Maii Dominica IV post Pascha habitum est capitulum alterum generale apud S. Mauricium, & aliud 1608, quo anno die 11 Julii reperitur Nicolaus in tabulario S. Reguli. Obiisse legitur 4 Junii 1616, quum jamdudum regimen abdicasset in gratiam sequentis.

XXV. Johannes VII *Paulmier*, prior Nicolai cessione, cessit & ipse annis ante obitum sex.

XXVI. Remigius II *Gallopin*, memoratur in capitulo generali habito apud S. Victorem Paris. an. 1595. Mortuus est 28 Aprilis an. 1619.

XXVII. Abraham *Langlois*, ex eremita S. Augustini electus prior, mox in capitulo induit ordinis & congregationis vestes. Obiit 20 Septembris 1625.

XXVIII. N. *Picot*, primus fuit prior commendatarius, ejusque vel sequentis tempore Victorina desiit congregatio. Sexdecim ante obitum annis, sequentis in gratiam dicitur abdicasse.

A

XXIX. Jacobus III *Branchion*, præerat 1643, quo anno ne reditus conventus unirentur collegio urbis, in domum Gallicanæ canonicorum regularium congregationis inducta est disciplina 27 Aprilis 1643.

XXX. Claudius *Vireilly*.

XXXI. Carolus *le Goux de la Berchere*, de quo jam diximus seu in archiepiscopis Albiensibus & Aquensibus, seu in Narbonensibus tomo sexto pag. 123, prioratum obtinebat in commendam anno 1708, posseditque ad mortem, quæ contigit anno 1719.

XXXII. Michaël de Bancalis *de Pruines*,

B decanus ecclesiæ Silvanect. S. Mauricii prior innotescit ex epitaphio, quod ei defuncto 1732 26 Aprilis appositum est in ecclesiæ cathedralis sacello SS. Gervasii & Protasii.

XXXIII. Philippus *Drouin*, e societate Navarrica doctor theologus, in S. Martini Turonensis ecclesia S. Spani præpositus ac dominus, necnon senatus Parisiensis consiliarius, a rege prioratum obtinuit anno 1733. Statimque amisit morte intercedente, die Mercurii 4 Martii ejusdem anni.

XXXIV. Urbanus *de Noé*, canonicus & archidiaconus Ausciensis, nominatus est a rege

C prior commendatarius 10 Maii 1740.

PRIORATUS HOSPITALARIUS S. MICHAELIS *apud Crispeium, virginum ordinis S. Augustini.*

HOSPITALIÉRES DE S. MICHEL.

ALIENOR comitissa Valesiæ & vir ejus Matthæus comes de Bellomonte, seculo XII exstruxerant & dotaverant ecclesiam, seu capellam hospitalem in honorem S. Michaëlis juxta publicam pauperum domum, intra fines ecclesiæ S. Thomæ; qua de re conquerentes hujus ecclesiæ canonicos, beneficiumque ejusdem ecclesiæ reclamantes Henricus Silvanectensis episcopus anno 1184, ita conciliavit cum comitissa, ut

Charta LXXXIII. col. 440.

D pars major redituum ecclesiæ B. Michaëlis cederet capitulo, altera minor hospitali, cujus sacerdos foret S. Thomæ canonicus. Hanc tamen ecclesiam titulo prioratus obtinebat cessione Albouzinæ *de Vezine*, seculo XVII ineunte Magdalena *Sutil*, aut *Sutile*, ordinis S. Benedicti alumna, qua similiter cedente, Margarita regina tanquam Valesiæ domina contulit & capellam & vicinum valetudinarium, cujus ei quoque administratio dimissa fuerat, Petronillæ *de Hanique*, literis datis mense Junio anni 1608. Idque rex Henricus IV suo ejusdem anni diplomate confirmavit, modo divinum ibi servitium ageretur, & exciperentur

E peregrini pauperes, quibus omnia subsidia exhiberentur tam spiritualia quam corporalia. Hujus abhinc loci priorissa nominatur a rege & a summo pontifice confirmatur.

PRIORISSARUM INDICULUS.

OMISSIS duabus in superiori proœmio laudatis hunc incipimus ab ea quæ monasterio formam dedit.

I. Petronilla *de Hanique*, hæc est, quæ dono reginæ Margaritæ literis datis mense Junio anni 1608, quas eodem anno rex Henricus IV approbavit,

approbavit, possessionem hujusce domus accepit 24 Augusti 1610, cum Margarita de *Hanique* sorore, N. *de Chanteloup*, & Claudia *Gallois*; quæ quidem quatuor assumtæ fuerunt ex domo Dei S. Nicolai Pontisarensi. Confirmata est Petronilla ab eminentissimo cardinali *de la Rochefoucault*, & a Nicolao *Sanguin*, Silvanectensibus episcopis, ab Urbano VIII summo pontifice & a rege Ludovico XIII, diplomate quod in commentarios majoris consilii relatum est anno 1627. Obiit prima domus institutrix 24 Octobris 1635.

II. Ludovica *de Hanique*, neptis superioris & coadjutrix ex alumna loci, vestem albam mutavit in atram, quam hucusque gerunt moniales, de superiorum consensu. Moritur 10 Augusti 1644, ætatis anno 32 cum sex mensibus.

III. Magdalena *de Hanique*, soror præcedentis, loci professa, priorissa 11 Decembris 1644. Defecit die 6 Octobris 1647, annos nata 33 cum uno mense.

IV. Eleonor *Devie*, professa Hederensis abbatiæ prope Parisios, ab Aurelianensi duce nominata & bullis obtentis ab Innocentio X papa, cepit possessionem 25 Maii 1648. Obiit prima die Junii 1676, anno ætatis 79.

V. Maria I *Devie*, superioris soror monialis professa in abbatia S. Stephani Remensis, sororis ejusdem coadjutrix nominata 6 Julii 1654, A ei defunctæ successit. Obiit ipsa 1677 19 Junii, anno ætatis 74.

VI. Carlotta *Devie*, duarum præcedentium neptis, & alumna loci, quum necdum annos 22 attigisset, antiquior rexit donec assequeretur triginta. Decessit 26 Augusti 1684, ætatis anno 27.

VII. Maria II *de Vertamont*, ex moniali filiarum Dei apud Parisios ordinis Fontebraldensis, successit nominatione regis statim ab obitu superioris. Bullas quidem Innocentius XI, denegavit ob nimium ordinis discrimen, sed instituta est superiorissa a Dionysio *Sanguin* episcopo B Silvanectensi, quæ tandem acceptis bullis ab Alexandro VIII, mortem oppetiit 14 Novembris 1727.

VIII. Francisca-Henrica *de Gouy d'Arsi*, monialis Præsentationis B. Mariæ Silvanectensis, munita regio diplomate 30 Maii 1728, ac pontificio Benedicti XIII, mense Augusto, possessionem accepit 22 Septembris ejusdem anni. Defuncta est sub finem anni 1749.

IX. Maria-Angelica-Paula *le Roy de Valanglart*, monialis professa abbatiæ sancti Pauli Bellovacensis, priorissa nominatur a rege anno C exeunte 1749, bullisque donata pontificiis III cal. Januarii, quas promulgavit officialis Silvanectensis 23 Febr. 1750, sabbato sequenti 28 ejusdem mensis missa est in possessionem.



ECCLESIA MORINENSIS.

MORINI a *Mor*, quod est Celtis mare, quasi maritimi dicti, Belgicæ secundæ populi, inter Scaldim & Samaram fluvios, Menapiis & Ambianis finitimi, a Julio Cæsare pluries memorantur. Hos Virgilius extremos hominum appellavit, quos Mela ultimos Gallicarum gentium & Plinius ultimos hominum existimatos, quod e littoribus suis nullam continentem terram sibi adversam, nullam insulam saltem magnitudine notabilem, nihil præter oceanum suum immensæ vastitatis & profundæ altitudinis vident, quod denique terram a sua parte claudunt.

De Morinorum portubus frequens apud Cæsarem mentio, de urbibus nulla, quæ paulo post duæ a subsequentibus recensentur, Tarvanna mediterranea & Bolonia maritima. Verbo dicam, quidquid terrarum vetus sedes Boloniensis & duæ recentes diœceses ex Tarvannensi ortæ, Audomarensis in comitatu Atrebatico ac Iprensis in Flandria continent, Morinorum est ac Morinis accensendum: unde Morinorum comites nonnunquam pro Flandriæ comitibus a Latinis scriptoribus usurpati, quippe qui Morinorum partis non contemnendæ imperium obtinebant.

Morinorum urbs mediterranea ad ortum Tarvanna, quæ haud dubie caput illorum fuit, ad flumen Letiam sita, inter Viroviacum & Nemetacum in tabula Peutingeriana, in veteri nummo colonia Morinorum, in antiquissima notitia provinciarum & civitatum Galliæ in provincia Belgica secunda undecimo ponitur loco, quæ in recentioribus inter sedes metropoli Remensi subjectas melius ponitur sexto ante Atrebates, Ambianos, Noviomum, Silvanectas, Bellovacum & Laudunum, quos Morini viribus olim longe præcessere. A Tarvanna Tarvannensis pagus nomen habet, cujus pars est pagus Tarnensis seu Toënensis a Terna flumine cognominatus. Ab imperatore Carolo ejus nominis V capta percelebris civitas, diruta atque ex pacto reparari vetita est anno 1553, ut dicemus postea.

Bolonia Morinorum urbs maritima eadem quæ antiquis in ora Galliæ extima ad septentriones conversa, notissimus juxta ac celeberrimus portus Icius, qui & Gesoriacus ad fretum Gallicum sive Britannicum, unde commodissimus & brevissimus, Gallisque & Romanis tritissimus erat in Britanniam trajectus. Neque enim repugnat, inquit Cellarius, tria unius loci, sed progressu temporum, non simul, fuisse nomina, quamquam & duo sæpe simul inhærere non dubitamus. Claudius Ptolemæus in tertia Europæ tabula insignibus ac claris Belgicæ urbibus adnumerat Gesoriacum cum Durocortoro. Eumenius autem in panegyrico Constantino Augusto dicto qui Gesoriacum oppugnavit, Boloniensis

oppidi littus vocat, quod prius Gesoriacense littus appellaverat : unde patet Constantini maximi principatu Gesoriacum mutato nomine Boloniam ab ebullitione arenæ vocari cœpisse. Et certe in tabula Peutingeriana legitur *Gesoriaco, quod nunc Bononia.* Id quoque docet vita Constantini magni, qui *venit apud Boloniam, quam Galli prius Gesoriacum vocabant ;* utrumque autem nomen Gallicum est, Bolonia enim appellatio quoque fuit coloniæ Gallorum in octava regione Italiæ. Ammianus in libro 27, orbis extrema Boloniæ littus appellat, ut pote quod ex ea parte extrema est pars continentis. Ammianus autem nusquam Gesoriacum, Boloniam semper nuncupat, unde solvere in Britanniam trajecturos ait, ut appareat tum vetus nomen urbis exolevisse & novam Boloniæ appellationem solam in usu esse cœpisse. Boloniæ littus olim illustrabat pharus, seu turris, Ordinis dicta, ad navigantium cursus dirigendos antiquitus constituta, quæ a Caio Caligula condita, præterito seculo diruta est. Veteres notitiæ civitatem Boloniensium ultimam statuunt inter 12 civitates provinciæ Belgicæ secundæ, recentiores omittunt. Cum ergo Bolonia eadem sit ac portus Gesoriacus qui non differt ab Icio, inde sequitur, cum tam portus Icius quam Gesoriacus sit tam urbs quam portus Morinorum, Boloniam alteram urbem esse ac portum Morinorum, ac proinde Bolonienses a Morinis non distingui, quod forsan hic observasse abs re non erit.

Eadem est apud Morinos Christianæ religionis origo & antiquitas ac apud plerasque alias civitates. Ab apostolicis viris ab initio sicut & ceteri lumen veritatis hauserunt, suos apostolos, puta Fuscianum & Victoricum, præcones, quales Patricium, Victricium, Maximum habuerunt : sed ceteris ferociores, de quibus quidam cecinit :

Gens fera sunt Morini, sunt intractabile vulgus,
Ferre jugum renuunt, mutantur & omnia mutant ;

sicut homines barbari & Romanorum consuetudinis imperiti, bellum populo Romano prius fecerant, ita gens moribus incomposita, magis armis quam consiliis utens, multum eloquentiæ, sapientiæ parum avida, indomita barbarie & semper ad malum proclivi, collum Christo detrectabat facileque restringi non poterat : hinc frequentes ecclesiasticorum virorum missiones & conatus, hinc perpetui Morinorum ad vomitum reditus. Hanc inconstantiam an primus fixerit S. Remigius addicto eis episcopo qui Morinorum episcopus, Tarvannæ & Boloniæ Morinorum urbibus sederet, unde Jonas in vita S. Eustasii Audomarum, Boloniæ & Tarvannensis oppidi præsulem appellat, qui nempe modo Tarvannæ ut plurimum, modo Boloniæ sedebat, quis dixerit, nisi simul contra Valesium communemque opinionem probaverit non ideo civitates fuisse dictas quod episcopales erant, sed hæc non sunt adhuc hujus loci. At si episcopales fuerint, quinam tam Tarvannæ quam Boloniæ sederint ante Antimundum episcopi? pervulgato doctis & scriptoribus utendum erit perfugio, nempe eorum nomina profunda & caliginosa oblivione sepultos fuisse. Mirum profecto notos apostolicos viros, notos præcones, ignotos tantummodo qui a fundatione ecclesiarum rexere episcopos.

Morinorum autem civitas primaria Morinum vel Morini, aliter Tarvanna, undecima in notitia numerata, in qua celebris ecclesia cathedralis virgini Deiparæ consecrata, 35 canonici & beneficiati numerum canonicorum excedentes, a Danis & Normannis, necnon semel & iterum ab Anglis diruta fuit. Denique ab Hispanis anno 1553, die 23 Junii, Morinum captum & a fundamentis cum ecclesiis, monasteriis ceterisque ædificiis funditus eversum est, tantæque civitatis præter inane solum tristesque ruinas nihil superest. Diœcesis Morinensis paulo post in tres partes divisa est, quæ Boloniæ in Gallia, Sancto Audomaro in Belgia & Ipræ in Flandria distributæ sunt. De duabus postremis diximus tomis III & V.

In veteribus notitiis provinciarum & civitatum Galliæ inter provinciæ Belgicæ secundæ civitates duodecim, civitas Boloniensium post civitatem Morinum sive Tarvannam ultima numeratur. Historici qui de pharo Boloniensi referunt ante annos octingentos Boloniam civitatem maritimam omnes appellant. Hincmarus Remensis archiepiscopus opusculo 55 capp. 1 & 16 dicit metropolim Remensem XI civitates sub se habuisse antequam B. Remigius auctoritate Africani concilii ordinaret episcopum Laudunensem. Idem præsul epistola 6 ad suffraganeos civitatem Boloniensium annumerat inter duodecim civitates quas præcedentibus temporibus habuit metropolis Remensis. Civitates autem non alias urbes appellitabant, inquit Valesius, quam quæ sedes episcopatus erant aut saltem aliquando fuerant. Et certe in charta Johannis episcopi de fundatione S. Vulmari Boloniensis anni 1113, ecclesia B. Mariæ in urbe Boloniæ sita, sedes episcopalis & ecclesia cathedralis ab antiquis temporibus posita dicitur, nisi forte id intelligendum tam de S. Audomaro quam de episcopis Morinensibus qui toto integro seculo Boloniæ sederunt ad Balduinum qui sedem Tarvannam revexit. At quum anno circiter 1160, circa ordinationem Milonis II episcopi excitati essent tumultus a clericis civitatis Boloniæ, qui, ut ait Robertus de Monte, volebant suum proprium episcopum habere, *sicut antiquitus habuerant*, horum pervicaciam compescuit Alexander III, summus pontifex, Boloniensi ecclesia in eo statu in quo ad hoc tempus fuerat relicta. Perdiu enim erat quo Boloniensis portus episcopo carebat. Audiendus adhuc hac de re Hincmarus : Bolonia, Atrebatæ, Veromandis antiquæ sedes cum episcopis propriis in Remensi provincia exstiterunt, sed a longo tempore certis causis accidentibus illæ aliis subjectæ civitatibus suum privilegium perdidere. Notitiæ quoque episcopatuum Galliæ recentiores sub Remensi quidem metropoli Morinensem suffraganeum ponunt, sed Boloniensis mentionem nullam faciunt. Hæc forte omissio a S. Audomaro repetenda, qui primus Tarvannæ

& Boloniæ simul dictus episcopus ambas simul occupabat sedes, ut Acharius Viromanduos, Noviomagum ac Turnacum, Rachnacarius Augustodunum & Basileam, Vedastus Cameracum & Atrebatas, cum eo tamen discrimine quod suum quæque postea obtinuerint episcopum hæ civitates, Tarvanna & Bolonia non item, quibus Audomari successores omnes ad unum simul præfuere ad interitum Tarvannæ, qua ad solum diruta, episcopatus trifariam divisus est, ita ut non tam novam tum primum Boloniæ constitutam, quam veterem episcopatus sedem quodammodo restitutam fuisse melius ac verius dici possit. Septemdecim enim e canonicis a ruina sospites Boloniam aufugerunt, quæ cathedra episcopali est nobilitata v non. Martii 1566. Pro abbate B. Mariæ Boloniensis episcopus est constitutus & pro regularibus canonicis quatuor seculares sunt creati, qui juncti eis qui Tarvanna confugerant, 21 numerum effecerunt (Præceptoria comprehensa) qui nominantur ab episcopo. Inter eos titulo dignitatum gaudent decanus electus a capitulo, duo archidiaconi, cantor, thesaurarius & pœnitentiarius; e 17 quoque creatis capellaniis duæ a rege conferuntur. Ludovicus XI Galliæ rex Boloniam regio addictam imperio anno 1478, subjecit Deiparæ virgini sub onere cordis aurei ecclesiæ Boloniensi solvendo a successoribus, e quibus Ludovicus XIV, tam pro se quam pro parente Ludovico XIII, dedit 12000 libras. Hanc ædem miraculis famosam reddidit imago B. Mariæ virginis huc appulsa mari septimo seculo, ad quam ex universis Europæ partibus infinitus olim confluebat populus.

Bolonia civitas est partim in vertice, partim in radice collis juxta oceanum Britannicum posita, oppida duo conficiens, superius nempe cum castro munitissimo, in quo episcopi sedes, cathedralis ecclesiæ Deiparæ virgini consecrata, in qua est parochia B. Josephi, patres oratorii Jesu, moniales Annunciatæ & S. Ursulæ. Inferius ad Lianam flumen jacet & a superiori 5 aut 600 passibus distat; in eo sunt parochia S. Nicolai, fratres Minores, Capucini & Minimi, moniales Anglicanæ ordinis S. Benedicti & hospitale S. Ludovici.

Diœcesis mari oceano terminata, & diœcesibus Audomaropolitana, Atrebatensi & Ambianensi, dividitur in duos archidiaconatus, Franciæ a dextris & Flandriæ a sinistris, qui duo simul decanatus 17 continent, in quibus reperiuntur duæ ecclesiæ collegiatæ, una S. Salvatoris ad sanctum Paulum fundata olim a comitibus sancti Pauli pro 12 præbendis, altera B. Mariæ octo præbendarum ad *Fouquemberg*. Duodecim abbatiæ, 11 prioratus, 10 personatus & 424 ecclesiæ tam parochiales quam succursales, quarum 144 parochiæ & 89 succursus in archidiaconatu Franciæ, 133 parochiæ & 58 succursus in Flandrensi. Præterea sunt Caleti Capucini, Minimi, moniales S. Benedicti & hospitalariæ S. Dominici: Ardeæ Religiosi Carmelitæ & Benedictinæ Moniales: apud S. Paulum sorores griseæ & nigræ: Pernæ Recollecti & sorores tertii ordinis S. Francisci: Cartusiani apud Novam villam prope Monsteriolum.

De abbatiis seorsim more nostro quod scimus loquemur post episcoporum seriem, quam ex Sammarthanis, variis ecclesiæ tabulis aliisque ex monumentis, quantum maxima tulit penuria, desumsimus.

EPISCOPI MORINENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Antimundus.

Morinis aliqua olim a SS. Fusciano & Victorico fidei luce imbutis, primus apud Tarvannam a S. Remigio Remensi episcopo, seculo sexto ineunte datus est episcopus Antimundus vel Aumondus, qui Christi fidem eis promulgaret. Novemdecim ei tribuuntur anni regiminis.

II. Athalbertus.

Defunctus dicitur Athalbertus anno 552. De eo Fortunatus pene coætaneus.

Athalbertus erat Morinis grandævus & ardens
Pastor, pascebat verbo factoque fidelis.
Regi cœlorum Radegundem semine verbi
Reddit namque Deo caram, regique potenti,
Qui Morinos sceptro premebat.

III. S. Audomarus.

Ad idolorum cultum reversis Morinensibus præfectus est S. Audomarus. Is autem prope Constantiam urbem ad Rhenum in vico Aurea-

A valle, *Guldindal*, Friulfo & Domitta nobilibus & piis ortus parentibus, ab iisdem pie educatus est. Mortua matre, cum Friulfo patre Luxovium profectus, brevi sub Eustasio præceptore vir perfectus evasit. Unde pastore destituta Tarvannensi ecclesia, Acharius Noviomensis episcopus Dagoberto Francorum regi, qui anno 638 die 15 Februarii vita functus est, auctor fuit, ut Audomarum accerseret, qui paganorum reliquias, quæ apud Morinos ad id usque tempus supererant, aboleret, Boloniæque & Tarvannensis oppidorum curam gereret. Has quippe duas urbes complectebatur Morinorum episcopatus, in quarum alterutra promiscue sedebat horum
B populorum antistes, & utriusque urbis Audomarus dicitur episcopus a Jona, in actis S. Eustasii abbatis, quo tempore, sub initia scilicet regni Chlodovæi junioris, jam episcopus erat Audomarus. Quantum laboraverit in exstirpandis idololatriæ reliquiis, quantumque verbo, exemplo, miraculisque profecerit, narrat ejus vitæ scriptor noni saltem seculi, cujus opus edidit Mabillonius tom. II Act. SS. Bened. pag. 559. S. Vandregisilum procurante Audoëno Rotomagensi

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

pontifice ad sacerdotium promovit paulo ante- A
quam Fontanellense monasterium conderet Van-
648. dregisilus, qui illud cœpit anno XI Chlodovæi regis. Eodem anno Audomarus opitulantibus Bertino, Mummolino & Ebrertramno piissimis monachis, quos in sui laboris subsidium Luxovio accersiverat, Sithiense vetus monasterium ædificavit. Tempore eodem in monte proximo amni Agnioni assurgente basilicam in honorem virginis Mariæ construxit ad suam & monachorum sepulturam, quæ postea in monasterium, ac demùm in cathedralem Audomaropolis ecclesiam conversa est. Huic autem ecclesiæ quam sub patrocinio & gubernatione S. Bertini & succes- B
sorum ejus posuit, privilegium concessit anno 6 Chlotarii regis, quem Mabillonius in Anna-
660. libus illigat anno Christi 660, illudque privilegium a multis præsulibus subscribi curavit, cui ipse licet abocellis seu oculis orbatus nomen adscripsit, alio manum ejus regente. Audomaro uti & multis aliis Galliarum præsulibus Berthefridus Ambianensis episcopus inscripsit privilegium quo donavit Corbeiense cœnobium rogante Chlotario III, regni ejus anno VII. Audomaro quoque inscriptum est privilegium, quod Drausius Suessionensis episcopus parthenoni B. Mariæ
666. Suessionensis indulsit an. 666. Circa id tempus C
translationi S. Vedasti Atrebatensis adfuit, qua in celebritate, ut fertur, quum amissum jamdudum oculorum lumen recepisset, precibus a Deo petiit & impetravit ut illud denuo amitteret. S. Austrebertam virginem velavit & monasterium Pauliacense ædificavit & dedicavit. Denique post diutinos labores, triginta scilicet annorum spatium, decumbens in villa Waurantis, quæ a Sithiensi loco distat fere tribus millibus, accersito suo sodali D. Bertino cum monachis, postquam corpus Christi & sanguinem in ecclesia pronus ad altare percepisset, spiritum reddidit
667. die 9 Septemb. anni circiter 667 aut 668, D
juxtà Cointium. Corpus ejus, prout ipse testamento mandaverat, in Sithiensem B. Mariæ basilicam ab ipso exstructam solenni pompa delatum, a Bertino abbate ac Sithiensibus monachis ibidem magna cum veneratione conditum est. Ad v id. Septembris in martyrologiis Usuardi & Adonis ejus memoria consignatur sub nomine S. Autmari apud Adonem, qui Audomarus ab Usuardo appellatur. Sacræ ipsius reliquiæ in Sithiensi S. Bertini basilica asservantur præter caput & ossa nonnulla, quæ in illa B. Mariæ ecclesia nunc episcopali habentur.

Non me latet mortem Audomari a plerisque E
auctoribus qui Malbranco fucum fecere, ad an. 695 differri, sed hi omnes a Cointio & Mabillonio refelluntur, quibus auctorum solus non placet numerus.

IV. DRAUCIUS.

B. Audomari successor Draucius, ejusdem coadjutor sicut & duo sequentes, dicitur in chronico S. Bertini; quo autem fundamento non satis liquet, nisi quod falso opinatus sit auctor S. Audomarum vitam ad annum 695 protraxisse, præsulesque qui ad annum hunc sederunt, datos fuisse Audomaro adjutores, licet vere fuerint episcopi Morinenses, quod repugnat.

V. S. BAINUS.

Draucium excepit Bainus, quem Theodoricum cognominat Malbrancus, quo auctore ex monacho Fontanellensi factus est episcopus Morinensis circa annum 685 & duodecim annos rexit. Romam Sergio sedente profectus, cum reliquiis S. Silæ discipuli S. Pauli revertitur. Corpus S. Amati Sedunensis episcopi defuncti an. 690, Brogli in ecclesia S. Petri sepulti, in ecclesiam Deiparæ non procul a priore constructam transtulit. SS. Luglium & Luglianum fratres Hibernos & oppidi Lilleriensis tutelares in pago Tarvannensi occisos honorifice condidit. Abdicatis infulis, Fontanellam repetit anno 697, ubi triennio post fit abbas. Ita enim chronicon Fontanellense: *Bainus episcopus de civitate Tyroanda quintus ab almifico Wandregisilo regimen assumit cœnobii*, ubi auctor non dicit ex monacho, sed ex episcopo factum fuisse abbatem Bainum. Nec est quod dicat Mabillonius in instrumento Pippini pro monasterio Floriaco Bainum rectorem monasterii Fontanellensis vocari, quasi verò episcopi dignitas in diplomatibus nusquam omissa fuerit, semperque episcopi qui ex episcopis monachi, ex monachis abbates fuerunt, episcopi dicantur: contrarium evincunt ipsa diplomata. S. Wlfranni Senonensis episcopi vita a Jona monacho Fontanellensi reverentissimo atque sanctissimo præsuli urbis Tarvannæ abbatique cœnobii Fontinellæ Baino dicata fuit. Sancti Baini reliquiæ anno 846, metu Danorum Frisiam infestantium in castrum S. Audomari translatæ memorantur.

VI. RAVENGERUS.

Subscripsit Ravengerus qui & Gravengerus, sicut & decessor Bainus, pro more illorum temporum privilegio S. Audomari pro basilica S. Mariæ, de quo supra. Subscripsit & venditioni factæ monasterio Sithiensi VI non. Maii an. XIV Childeberti regis, Christi 708. Sanctus a nonnullis habetur. 708.

VII. S. ERKEMBODUS.

Ravengero episcopo Tarvannensi suffectus est Erkembodus abbas Sithiensis monasterii, cujus curam ac regimen etiam episc. retinuit. Edita est a Malbranco charta cujusdam Rigoberti villas suas vendentis domino & apostolico patri Erkembodo episcopo atque emptori & ejus congregationi ibidem consistenti, data Sithiu monasterio publice IV cal. Sept. anno III regni Theoderici, qui 723.
Erchembodi episcopatus primus erat. Cetera quæ ad ipsum spectant vide in abbatibus Sithiensibus tom. III, col. 487. Obiit anno ipso quo Theodericus Calensis, 737, episcopatus XV. Corpus 737.
S. Erkembodi cum plurimis sanctorum reliquiis super majus altare in ecclesia S. Audomari colitur. Caput vero in capsa honorifice reconditum est an. 1466. Dies depositionis ejus pridie idus Aprilis annua festivitate celebratur.

ANNI CHRISTI

Supervixit autem Erkembodus Silvino nulli addicto ecclesiæ episcopo, qui diu apud Morinos apostolicis muniis maxime in suscipiendis confluentium populorum confessionibus functus, migravit in cœlum: unde nonnulli eum in episcoporum Tarvannensium seriem perperam retulerunt. Vita ejus extat seculo III Benedictino part. I, pag. 297, & Bolland. t. II Aprilis p. 92.

VIII. Adalgerus.

IX. Gumbertus.

X. Ætherius.

Nominatur inter episcopos Galliæ ac Germaniæ, quibus Zacharias papa scribit epistolam XI
748. anno 748.

XI. Radwaldus.

XII. Athalfus.

XIII. Wicbertus.

XIV. Theodoinus.

Unus est ex episcopis qui adfuerunt dedicationi ecclesiarum Centulensis monasterii calendis
798. Januarii an. 798 peractæ.

XV. Erembaldus.

Erembaldus, melius forte Grimbaldus, inter-
814. fuit synodo Remensi an 814.

XVI. S. Folcuinus.

Hieronymi comitis & Ercensendæ filius Folcuinus, avum habuit Carolum Martellum Majorem Palatii Francorum, germanos vero Fulradum abbatem S. Quintini & Odwinum comitem. Ad cathedram Tarvannensem an. 816
817. vel 817 assumtus fuit; quippe qui an. 839,
839. indict. II Ludovici Augusti XXVI, sui vero ipsius præsulatus XXIII, XII cal. Martii custodiam seu præfecturam basilicæ S. Mariæ, quam Fridugisus abbas canonicis secularibus tradiderat, monachis S. Bertini restituit, statuens ut monachi quater in anno ibidem missarum solennia celebrarent, eisdemque S. Mariæ canonicos subjugavit. In Apologetico Ebonis Remensis præsulis nominatur Folcuinus inter episcopos qui ejus restitu-
840. tioni consenserunt an. 840. Corpus S. Audomari
843. ab Hugone abbate an. 843 suffuratum Sithiensibus restitui curavit & juxta S. Bertini sepulcrum in basilica S. Petri sub terram recondidit. Corpus quoque S. Bertini Normannorum metu sub ara
846. S. Martini abdidit an. 846. Subscripsit privilegio
847. Corbeiensi in synodo Parisiensi an. 847. Adfuit
849. concilio apud Carisiacum an. 849, in quo Gothescalcus iterum damnatus virgisque cæsus & in ergastulum retrusus est. Ad conventum Sues-
853. sionensem deputatus est anno 853, quo anno inter missos Caroli calvi numeratur in ejus capitulari. Hincmarus Remorum pontifex epistolam teste Flodoardo hist. lib. 3 cap. 21, scripsit Folcuino Morinensi pro quodam presbytero ipsius ordinato, qui clamabat injuriam se pati ab Immone præsule Noviomagensi, petitque simul reliquias sanctorum in Morinensi ecclesia quiescentium sibi mitti, quia in consecratione ecclesiæ Dei genitricis altare ab ipso Folcuino consecrandum & ex ipsius parochiæ reliquiis honorandum præparabat. Quadragesimum in episcopatu fere exegerat annum, quum successori sibi a rege propter ætatem longævam contra canones misso, missam celebrans benedictionis loco maledictionem intulit. Paulo post dum Eklesbekam ecclesiam in Mempisco sitam visitaret, obiit anno Caroli XV, episcopatus XL, XIX cal. Januarii, feria septima vesperascente indict. III anno Christi 855. Corpus ejus, ut 855.
rogaverat adhuc vivens, ad Sithiu monasterium delatum est, atque in basilica S. Bertini humatum cum pontificalibus ornamentis, quæ ibidem etiamnum asservantur: in his cappa ejus processionalis, quæ capitium habet annexum loco posterioris illius ornamenti quod ejusmodi vestibus recentiori more assutum videmus. Libellum de S. Folcuini vita scripsit Folcuinus Laubiensis abbas sub finem seculi insequentis. Hunc habes sec. IV Benedict. part. I pag. 622. Ibi autem tale legitur Folcuini epitaphium:

Folcuini veneranda patris hic membra locantur,
Antistes dudum qui fuerat Morinûm.
Quique quater denis vitæ dux exstitit annis,
Mente actuque pio jussa operando Dei.
Atque die quarto decimo Decembris ab orbe
Sumtus, apostolicum gaudet adire chorum.

B. Folcuini corpus sacrum solenni ritu Stephanus episcopus e sepulcro extulit idibus Novembris anno 928, & loco tumuli altare construxit. Idem de scrinio veteri in novo reconditum est anno 1097, adstantibus ipsa comitissa Flandriæ, & Norberto abbate Alciacensi, Normanno abbate Monasterioli & Giraldo abbate Hamensi.

XVII. S. Humfridus.

Post obitum Folcuini Hincmarus Remorum pontifex Pardulo Laudunensi episcopo scripsit pro ecclesia Morinensi vacante, ut de futura electione rite peragenda cum rege loqueretur. Electus autem est Humfridus filius Albrici & Hunæ, frater Herericі viri illustris, ex monacho Prumiensi, vir sanctus & in omni bonitate conspicuus, pro cujus ordinatione, quæ anno 856 856.
facta est, idem Hincmarus scripsit Theoderico episcopo Cameracensi. Quod autem subscriptus legatur concilio Suessionensi II anno 853 post Folcuinum, perperam quis autumaret eum jam episcopatu potitum fuisse hoc anno: occurrunt quippe plurimæ tam in conciliis quam in aliis chartis subscriptiones episcoporum, quæ tantum post plurimos annos a celebratione concilii fuerunt factæ. Utrum vero synodo Carisiacæ XVI cal. Martii 856 adfuerit, incertum; bene autem quod hujusce capitula ei miserit Carolus calvus. Sigillum apposuit suum actis synodi Dusiacensis anno 860, in quibus apud Labbæum tom. VIII 860.
Concil. col. 706, præter Humfridum Morinorum ecclesiæ episcopum, subscriptus legitur Stabilis Tarvannensis sedis episcopus privilegio S. Martini

Bb iij

ANNI CHRISTI

Turonensis, sed error est librarii, qui loco Arvernensis legit Taravanensis, quum Stabilis Arvernensium episcopus prius legatur pag. 705.

861. Anno sequenti ineunte Tarvannensi pago toto a Danis devastato fugatus & pulsus Humfridus de abdicando episcopatu cogitat, seseque Prumiam recipere meditatur, quod inconsulto Romano pontifice facere non ausus, Nicolaum papam hac de re consulit. Negavit pontifex id illi licere: quippe si perniciosum est proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus? licere tamen ait fuga saluti suæ consulere, ut reducta serenitate populum sibi commissum recolligere possit. Quod Nicolai responsum retulit Gratianus, cujus caput 8 dist. 50 de clerico qui paganum occiderat, Humfrido, non Guifredo, ut apud Baluz. Miscellan. tom. v pag. 486, inscriptum esse debet. Paruit sententiæ pontificis Humfridus, & in sua sede ad obitum usque perseveravit. Nam subscripsit synodis Aquisgranensi &
862. Suessionensi anno 862. Eodem festum Assumtionis B. Mariæ, quod ante hunc annum necdum feriabantur Morinenses, ab omnibus parochianis suis Humfridus cum debito cultu observari præcepit. Huic post Adalardi obitum Sithienses abba-
864. tiam suam anno 864 idibus Martii, episcopatus ejus nono regendam commendarunt, quam quum biennio toto episcopus & abbas tenuisset, huic cum dedecore abstulit Carolus calvus XIII cal.
866. Julii 866. Anno eodem XV cal. Septembris in synodo Suessionensi firmavit suo chirographo privilegium Solemniacensis monasterii. Ibidem legitur ejus nomen in serie episcoporum, qui scripserunt ad Nicolaum papam de Britonum
868. infestationibus. Subscripsit anno 868 donationi factæ monasterio Prumiensi ab Henrico ejus fratre, qui ad limina apostolorum devotionis gratia Romam tendere cogitabat. Idem meditabatur iter Humfridus, quum anno eodem VI cal. Augusti, episcopatus ejus XIII in manu ejus S. Bertino facta est donatio. Migravit a seculo VIII idus Martii anno episcopatus XV, Caroli regis Francorum
870. XXX, Incarnationis 869 nunc 870; de quo in vetusto martyrologio Morinensi hæc leguntur: *Civitate Tarvanna transitus S. Humfridi episcopi & confessoris, qui cum XV annis per multas tribulationes Tarvannensem rexisset ecclesiam, migravit ad Dominum.* Colitur eo die in ecclesiis Boloniensi & Sithiensi. S. Humfridi corpus ab Johanne Morinorum episcopo e tumulo levatum anno 1108 idibus Aprilis, ut tradit Jacobus Meierus, & sub altare B. Mariæ reconditum, addit Johannes Bucelinus, postea in argentea capsa inclusum est ab Henrico de Muris. Demum excisa Tarvanna, Ipras translatum est anno 1553, cum reliquiis S. Maximi Regiensis episcopi, cujus utriusque sancti reliquias communi theca inclusas ibidem hactenus adservari ait Miræus in fastis, alii vero hæreticorum rabie fuisse dissipatas.

Nescio autem quis sit Argdus Morinensis episcopus, quem Baluzius in editione 3ª Concordiæ sacerdotii & imperii Parisiis 1704 pag. 332, inseruit inter episcopos qui subscripserunt privilegio monasterii Atrebatensis in concilio Vermeriensi anno 869, ad fidem vetustissimi codicis MS; deest enim in prioribus editionibus & apud Labbæum &c. Nec est quod dicant loco Argdi legendum Actardum, Actardus enim Nannetensis episcopus privilegio inter alios subscripsit.

XVIII. Adalbertus.

Defuncto Humfrido, Hincmarus Remorum archiepiscopus, Ragenelmo Noviomagensi episcopo scripsit pro visitatione Morinensis ecclesiæ post obitum Humfridi episcopi juxta dispositionem regis apud Flodoardum lib. III cap. 23. At quum Actardus Nannetensis episcopus tum a Salomone tyranno e civitate sua expulsus esset, huic ad preces Adriani II summi pontificis, consensu episcoporum Remensis provinciæ & favore Caroli regis in vacante ecclesia Morinensi locum sacrificandi & episcopalia munia peragendi concessit Hincmarus, necnon immorandi licentiam dedit, & de rebus & facultatibus hujus ecclesiæ vivendi, donec aptus & conveniens locus inveniretur, ubi juxta mandatum pontificis posset incardinari. Aliquandiu itaque in ecclesia Morinensi immoratus est Actardus Nannetensis, non vero Morinensis episcopus, annis videlicet 870 &
871, quo ultimo in vacante metropoli Turonica fuit incardinatus, ut scribit Hincmarus in opusculo 45 cap. 12, & in sede Tarvannensi substitutus Adalbertus, qui ab Hincmaro Remorum archiepiscopo ordinatus, hujus in manibus professus est observaturum se canones usu receptos & privilegium metropolitani. Professionem hanc habes concil. Labb. tom. VIII col. 1881. Concilio Pontigonensi adfuit Adalbertus anno 876. 876.
Adfuit anno 880, elevationi corporis S. Eleutherii Nerviorum antistitis. Cessit ante obitum, 880.
si revera mortuus fuerit anno 914, ut in psalterio infra chorum cathedralis Tarvannensis repertum est.

XIX. Herilandus.

Adfuit Herilandus consecrationi Dodilonis Cameracensis episcopi 17 Martii 887. Adstitit 887.
synodo Remensi anno ineunte 893. Circa id 893.
tempus quum suam ecclesiam a Normannis depopulatam invenisset, confugit ad Fulconem suum metropolitanum ut haberet unde victitare posset, qui ecclesiam Catalaunensem beneficiali more ei contulit, eumque huic ecclesiæ, dum episcopus ibi ordinaretur dedit visitatorem, quod minime approbavit Formosus papa, renuitque ejus translationi ad hanc sedem consentire, quam Fulco cupiebat tum ob prioris ecclesiæ paupertatem, tum ob Tarvannensium ferocitatem, quorum etiam linguam nesciebat Herilandus. Adfuit synodo Remensi, in qua ordinatus Hervæus anno Ch. VIII. col. 17.
900 pridie nonas Julii & excommunicati sunt 900.
Balduini comitis Flandriæ homines ob interfectum Fulconem Remensem archiepiscopum. Defunctus dicitur anno 920.

XX. Stephanus.

Concilio Trosleiano subscripsit Stephanus
anno 909. Corpus S. Folcuini e sepulcro extulit 909.

ANNI CHRISTI

928. anno 928, ut diximus supra. Piæ recordationis A episcopus vocatus a Lamberto Ardensi, obiit ex chronico Iperii temporibus Rodulfi Burgundiæ ducis regis Francorum circa annum 935, sepultus est Boloniæ in ecclesia cathedrali, ubi ipse & tres proxime sequentes episcopi resederunt propter excidium, quod a Normannis passa fuerat Tarvanna. Bolonia autem, inquit auctor vitæ S. Bertulfi scriptæ anno 1073, erat munita tunc temporis civitas, mari Morinorum propinqua, mercibusque maximis præcipua, sede insuper episcopali & benedictione consecrata.

Dissimulare tamen nequeo Stephani Morinorum episcopi nomen subscriptum privilegio B quod Transmarus Noviomensis episcopus in episcoporum procerumque conventu Lauduni clavati sanctimonialibus Humolariensibus dedit anno 947 IV id. Aprilis indict. V. Illud ex chartulario Humolariensi edidit Mabillonius sec. V Benedictino pag. 213. Hanc difficultatem qui potest solvere, solvat.

XXI. Witfridus.

Ex monacho & præposito monasterii Sithiensis Tarvannensis ecclesiæ præsul ordinatus est
935. Witfridus X cal. Julii 935 ab Artaldo Remensi metropolita. Adalam conjugem Arnulfi comitis C & abbatis primam mulierum una cum Fulberto Cameracensi episcopo introduxit ad altare sancti
938. Bertini anno 938, ut ab infirmitatibus suis liberaretur. Ægre licet, consensit tamen ut corpora SS. Vandregisili abbatis, Ansberti & Wulfranni pontificum, quæ Boloniæ refugii causa servabantur, Blandinium transferrentur III non. Sept. an.
944. 944. Gerardum abbatem Sithiensem consecravit anno eodem, sextoque post Hildebrandum
950. 950 & Regenoldum anno 954. Concilio Tre-
954. virensi adfuit anno 948. B. Maximi Regiensis episcopi corpus apud Vimam inventum Tarvannam transtulisse dicitur anno 954. Adstitit D
959. supplicationibus anno 959 factis pro deprecando crucium portento in vestibus hominum hoc anno impressarum. Fatis cessit anno eodem die quinta ab Assumta virgine.

XXII. David I.

David, alias Bauco nuncupatus, ex monacho S. Petri Corbeiensis episcopus Tarvannensis Wit-
964. frido successit & obiit an. 964.

XXIII. Lindulfus.

Subscripsit Lindulfus cum comprovincialibus episcopis ac Adalberone archiepiscopo Remensi E concilio habito apud Montem S. Mariæ pagi
Ch. XIII. col. 18. Tardanensis mense Maio an. 972, pro monachis in cœnobio Mosomensi canonicorum loco posi-
972. tis. Vide archiepiscopos Remenses in Adalberone.

XXIV. Framericus.

Elevationi corporis S. Florberti primi Gandensium abbatis factæ pridie calendas Octobris an.
975. 975, adfuit Framericus, qui subscripsit chartæ Balduini marchionis & Susannæ reginæ matris in monasterio Gandavensi apud Blandinium an. 988. Adstitit conciliis Silvanectensi an. 990 & Remensi circa annum 993. Neptem habuit magni nominis Adelam de Selvessa, sic dictam a toparchia ejus nominis ad eam pertinente, nobilibus ortam parentibus, quæ nulla cognationis carnalis habita ratione avunculo suo omnia quæ habebat in manu alodia cessit, quæ mox ab eodem in feudum resumsit. De eo legitur in veteribus membranis, quod Framericus reverendæ memoriæ pater & dux ecclesiæ, servus domini ut alter Abdias propheta, tempore domni Olberti abbatis piæ recordationis S. Bertini pro remuneratione cœlestis præmii altaria in *Brourburg* & *Loen* cum capellis pertinentibus absque ulla synodali ratione perpetualiter possidenda contradiderit. Non ergo obiit an. 989, sed nec anno 999, ut dicitur; si quidem anno tantum 1000 cœpit regere Odbertus, ut diximus ex Locrio t. III col. 493. Obiit anno 1004 idibus Martii, ex Malbranco.

ANNI CHRISTI 988. 990. 993.

XXV. Balduinus.

Inter vetera historiæ Sandionysianæ instrumenta legitur n. 109 præceptum Roberti regis pro monasterio S. Dionysii datum VIII cal. Febr. indict. XI anno I regni ejus, hic est 998, cui inter alios subscripsit Balduinus. Mirum nullam a Mabillonio in Annalibus factam hujus præcepti mentionem, cui præterea adaptari vix queunt episcoporum subscriptiones, qui iidem omnes synodo Calensi adfuerunt an. 1008; 1008.
unde forsan concluderet quis merito hac in synodo datum fuisse quo de agitur præceptum. Concilio Remensi adstitit an. 1015. Subscripsit 1015.
chartæ Helecini præpositi pro monasterio S. Bertini an. 1016. Adstitit coronationi Hugonis 1016.
filii Roberti regis apud Compendium an. 1017. Ch. III. col. 361.
Subscripsit diplomati Roberti regis pro monachis Flaviniacensibus anno 1018. Rodericum abba- 1018.
tem Sithiensem benedixit anno 1021. Sacellum 1021.
sancti Quintini in *Forly* dedicavit IV calendas Sept. 1023. Cum eodem Roderico commuta- 1023.
tionem fecit an. 1026 præsentibus Germano 1026.
S. Winoci & Alfrido S. Vulmari abbatibus. In epistola 3 Johannis papæ, qua mandat episcopis ut curent restitui monasterio S. Richarii ablata, Concil. t. IX. col. 731.
appellatur Balduinus Terganensis civitatis episcopus. Et certe urbem Tarvannam a Normannis jam pene destructam, dirutam, dilaceratam pro posse restauravit, eoque sedem reduxit, quæ toto integro seculo Boloniæ velut in diversorio fuerat. Decem & sex præbendas in ea posuit. Ecclesiam omnimoda libertate insignivit, barones instituit, altaria quæ ipse ecclesiæ donaverat libera dimisit, defunctus, non anno 1025 ex MS. codice S. Petri juxta Selincurtem, sed ante annum, aut forte ipso anno 1030, ut apud Sammarthanos & martyrologium, & quidem VII id. Maii, ex pervetusto martyrologio Tarvannensi.

XXVI. Drogo.

Angelramni abbatis S. Richarii discipulus Drogo, ecclesiæ Ambianensis clericus, atque

ANNI CHRISTI

etiam æditnus, quum diu permansisset in ordine
presbyteratus, Fulconis Ambianensis episcopi
suffragio ad ecclesiam Tarvannensem regendam
1030. assumtus est anno 1030. Hic ille namque est
D. Tarvannensis episcopus, cui, Adalberoni Laudunensi hoc anno defuncto & aliis comprovincialibus inscripta est epistola Noviomensis ac Tornacensis ecclesiæ de electione Hugonis cameracensis archidiaconi post obitum Harduini episcopi Noviomensis. Sub ipsum præsulatus sui initium gravia passus est a comite Flandriæ Balduino & a sede sua pulsus. Injuriæ impatiens Gerardus Cameracensis episcopus ad Fulconem Ambianensem episcopum in aula regis gratia pollentem scripsit, ut archiepiscopo Remensi ceterisque episcopis convocatis, *ad suffragium fratris regem fortiter excitaret*. Quæ fuerit injuriarum causa, quidque inde secutum sit, ignoramus. Certum tamen est Drogonem sedi suæ paulo post restitutum fuisse; nam circa id tempus corpus S. Bertæ quod sanctimoniales tempestate Normannorum in Herestense Normanniæ monasterium detulerant, Blangiacum reportatum populis circumquaque confluentibus a Drogone Tarvannensi præsule ostensum est ad confirman-
1036. dam rei veritatem. Anno 1036 sacro ritu elevavit corpus S. Adalhardi abbatis Corbeiensis Fulcone tunc Ambianis sedente sub abbate Richardo, ut nos docet inscriptio inventa an. 1710, de qua in Richardo abbate. Subscripsit literis Balduini comitis Flandriæ pro Marcia-
1038. nensibus anno 1038. Ad preces Roderici abbatis confirmavit S. Bertino altaria, quæ decessor suus Balduinus monachis concesserat. *Acta autem hæc traditionum confirmatio anno Dominicæ Incar-*
1040. *nationis* MXL, *indictione* VIII, *anno vero episcopatus mei Drogonis* XI *in ecclesia sanctæ Mariæ* XVI *cal. Octobris*. Sigillum apposuit suum anno
1041. 1041 literis Ermentrudis pro Elnonensi cœnobio, ubi vir ejus Gualterus Cameracensis castellanus sepultus fuerat. Concilio in basilica S. Remi-
1049. gii Remensis an. 1049 interfuit, atque eleva-
1052. tioni corporis S. Bertini an. 1052 episcopatus
Sæc. III. Bened. p. I, p. 152. anno XXIX. Subscripsit literis Balduini comitis Flandriæ anno 1056, quibus sancti Bertini
1056. villam Archas a servitute advocatorum liberat. Has falsi suspicati sumus, in ecclesia Came-
Tom. III. col. 20. racensi propter subscriptionem Gerardi Cameracensis episcopi, quæ integræ leguntur apud Malbrancum tom. II, pag. 739. Dedicavit
1064. ecclesiam S. Petri Ariensis anno 1064. Insequenti adfuit sacramento quod præstitit Hugo Cameracensis castellanus pœnitens episcopo Camera-
1065. censi Lietberto. Anno eodem 1065 Messinensi in Flandria parthenoni plenam concessit libertatem. Subscripsit fundationi collegii canonico-
1066. rum Insulæ an. 1066, eorumque ecclesiam dedicavit. Eodem adstitit placito Philippi I, pro S. Medardi cœnobio adversus Albericum Cocia-
1067. censem. Confirmavit anno 1067 donationem factam monasterio S. Winoci a Balduino pio comite Flandriæ, decimæ videlicet Vormholti & aliarum tempore Reinoldi abbatis. Ejus consilio Ardeæ collegiatam ecclesiam condidit Arnulfus Tarvannensis comitatus præses & Ardearum dominus an. 1069, quam liberam concessit Drogo
anno 1073 sub annuo censu duorum solidorum. *Aubert. Mir. Diplom. t. I. p. 148.*
Canonicis Formosellensibus ab Isaaco & Gmergarda fundatis altare de Formosella ab omni
exactione liberum fecit in perpetuum an. 1069 1069.
indict. VII, Philippi regis II, episcopatus 40. Eodem anno ecclesiæ Morinensi attribuit Westaltare pro animabus Roberti & Henrici regum.
In synodo VI id. Junii 1072 Watinensi ecclesiæ 1072.
factas donationes confirmavit. Fundationem canonicorum Zunebechæ ratam habuit anno eodem *Gall. Christ. t. V. Instr. col. 375.*
episcopatus XL, ubi legendum puto 1069 vel XLIII. Nam quædam altaria Sithiensibus concessa manumisit, non anno 1070, sed 1075 *Malbranc. t. II. pag. 527.*
indict. XIV, XVI cal. Nov. in synodo episcopatus
XLVI. Cum Warnerio archidiacono fundavit 1075.
ecclesiam S. Nicolai Ambianensis anno 1073. De Drogone ita scribit Manasses Remensis archiepiscopus ad Gregorium VII anno 1078. *Restat mihi hoc vobis dicere quia dominus Hugo Diensis episcopus interdixit episcopum nostrum Drogonem sedis Tarvennicæ, qui tantæ est senectutis, ut cum ante episcopatum diu permanserit in ordine presbyterii, jam nunc ultra tempus* LX *annorum gradum tenuerit episcopi; & pene per singula momenta propinquat exitui. Quapropter volumus vos obnixius orare ut eum jussu vestro dignemini restituere ministerio suo, ne, quod magnopere formidamus, in hac moriatur interdictione.* Nihil de illo loquitur
Gregorius ad Manassem rescribens XI cal. Sept. *Lib. VI, ep. 2 & 3.*
1078, nec in literis ad Hugonem hujus diei: 1078.
de morte tamen ejus audire quidquam nondum potuerat, quippe quæ XII ejusdem calendas acciderat. Drogo enim quum decimas de *Pernes* & de *Floringhen* in Artesio, ecclesiæ suæ ad refectionem canonicorum & pauperum in die anniversarii sui reliquisset, defunctus est 21 Augusti anno 1078, episcopatus sui quinquagesimo, ex
chronico Watinensis monasterii, qui ad amussim, *Mart. Anecdot. t. III, col. 812.*
sicut nec in epistola Manassis accipiendus non est numerus. De Drogone auctore vitæ S. Godelevæ, &c. vide eruditissimos Bollandistas die 6 Julii ad acta hujus sanctæ.

XXVII. Hubertus.

Elegantis scientiæ vir Hubertus, dignusque *Anecd. t. III, col. 812.*
dominio, si sibi dominari potuisset, archidiaconus Morinensis ecclesiæ, apud Monasteriolum ab Hugone Romanæ sedis legato hæreticus pu- *Concil. t. X, col. 238.*
blice convictus est, tum postea antequam ab hac sese purgasset nota, simoniace, inquit Grego- Ibid.
rius papa, concorditer tamen ex Iperio, factus est post Drogonem episcopus anno ut putamus *Anecdot. t. III, col. 587.*
1078. Inde forte propter simoniam in concilio
Pictaviensi anni ineuntis 1079 judicatus est. 1079.
De eo enim loquitur Hugo in epistola ad Gregorium de concilio Pictaviensi: *Teuzo filius vester fidelissimus cooperator noster in Domino, de Tarvannensi episcopo cum Pictaviensi quid statuerimus, plenius* *Concil. t. X, col. 367.*
intimabit. Anno eodem in synodo Suessionica *Ch. VIII. col. 147.*
Hubertus subscripsit literis pro confirmatione bonorum abbatiæ S. Quintini Bellovacensis XVI cal. Maii 1079, Ingelramnique chartam pro monachis

ANNI CHRISTI

monachis Alciacensibus confirmavit anno eodem: A
haec quidem certa sunt. Mirum itaque Grego-
Ibid. col. 202. rium papam Huberto Tarvannensi *archidiacono* epistola data Romae VII cal. Decemb. indict. II 1079, villam Kessecam restituendam praecipere clericis S. Mariae & S. Audomari, qui tam in provincialibus synodis coram episcopo Tarvannensi, quam ad ultimum in concilio Pictaviensi eam sibi & ecclesiae suae auferri conquesti erant, & pro qua episcopus Tarvannensis tres terminos & provincialem synodum canonicis S. Pauli assignaverat, ut aut ablata clericis restituerent,
Tom. II. pag. 834. aut sua esse probarent. Nec est quod dicat Malbrancus Hubertum archidiaconum alium esse ab B
Huberto episcopo. Huic enim inter alia exprobrat
Concil. t. X, col. 238. Gregorius epistola data Romae VII cal. Ap. ind.
1080. III, quod jubenti sibi ut villam Kessecam canonicis S. Mariae & S. Audomari ablatam restituerent, ipse & canonici S. Pauli morem non gessissent, quod ob id pluries vocatus ab Hugone ad concilium, postea a se ipso ad synodum Romanam ut se purgaret, nec venisset, nec se excusasset. Quapropter ei praecipit ut quandocumque vocatus fuerit coram Diensi episcopo sedis apostolicae legato, se praesentet de objectis criminibus responsurus, ejusque canonicis, qui villam usurpaverant divinum interdicit officium C
& ab eo interdici vult. Constat praeterea concilii
Anecd. t. III, col. 812. Pictaviensis tempore Hubertum jam episcopum fuisse, nec illud ignorabat Gregorius. Anno eo-
Concil. t. X, col. 367. dem 1080, Hubertus ecclesiam S. Johannis prope muros civitatis Tarvannensis sitam in monte S. Fidei a Drogone antecessore Fiscanno donatam confirmavit. Graviorem aliam jam ab initio episcopatus sui cum comite Flandriae habuit controversiam, quae principem in perniciem
Anecd. t. III, col. 812 & seq. ipsius commovit: deposito enim in concilio Pictaviensi E. abbate Bergensi, alium e monasterio S. Ayrici Virdunensis assumtum & a comite approbatum quum consecrare renuisset Huber- D
tus, atque etiam excommunicasset, absolutumque ab Hugone legato anathematizasset, ita comitem permovit, ut communionem ejus deinceps declinaret. Hinc forte est quod a Morinen-
Ibid, col. 587. sibus magna confusione turbabatur, inquit Iperius, quibus dum acriter resisteret & semel cum paucis staret, lancea graviter vulneratus est, ita ut protinus mori videretur. Quare pastorali regimine posthabito, monasticum suscepit amictum in monasterio S. Bertini sub Heriberto abbate
1081. defuncto anno 1081. Sic vix triennio in episcopatu quietus permansit, ut scripsit Walterus ejus sedis archidiaconus. Postea de vulnere con- E
valescens apud vetus S. Mommoleni monasterium usque ad tempora Lamberti abbatis electi anno 1095, religiosissime vixit, ibique defunctus XVII cal. Octobris, prout postulaverat, sepultus est, indignum quippe se reputans qui cum fratribus in Sithiu tumularetur. Vacantis interea per secessum Huberti Morinensis episcopatus, cui tunc cura erat delegata, Gerardus Cameracensis episcopus benedixit anno 1081 Johannem abbatem Sithiensem successorem Heriberti.

XXVIII. Lambertus I.

ANNI CHRISTI

Lambertus de Bellolio, dictus Albertus *de Belle* ab Iperio in chronico, vir nobilis genere, De Bellolio.
a Roberto Frisone Flandrensium comite vacantem Ibid.
episcopatum mercatus, ipsiusque fretus auxilio, Charta I, II & III
repugnante licet clero invasit. Quinque clericos col. 393 & seqq.
ad Romanam synodum ire de malitia ejus conquesturos volentes cepit, & de ecclesia sua canonicae disciplinae vitandae ergo sine licentia fugitivus evasit. Quapropter excommunicatus anno
1082 in concilio Meldensi, ab episcopis officio 1082.
suo suspensis consecratus est diaconus, presbyter & episcopus. Deinde duce Roberto cum exercitu hostiliter & armata manu ad civitatem suam pergens, portas ecclesiae quas clerus & populus occluserat, in securi & ascia dejecit, crucem & ima- Gregor. VII.
ginem Salvatoris a portis abstraxit, cujus dexte- ep. XXXIV, lib. 9.
ram manum evulsit, & cum lanceis & gladiis clericos alios vulneravit, alios semivivos fugavit, omnesque ipsi communicare nolentes bonis privavit & ejecit. Paulo post, nisi forte ea in occasione, milites Tarvannenses ecclesiae januas infregerunt, ornamenta diripuere, sacras cruces com-
minuerunt, has, duas capellas & reliquias abstu- Ibid. ep.
lerunt, abstraxerunt episcopum ab altari, ubi XXX & XXXII.
prostratus orabat, linguamque & dexterae articulos ei detruncavit Eustachius Morinensis advocatus. Lambertus sic male a malis habitus, ignorans se aut ignorare simulans ad synodum vocatum, vel a synodo damnatum, seu etiam excommunicatum, a Gregorio VII absolutus est,
a quo paulo post a legatis suis melius consulto Ep. XXXII.
damnatus est, & cum dedecore postmodum ejec-
tus, rogatusque Robertus comes, ut ab eo defen- Ep. XXXIV
dendo desisteret. Sicque Morinensem ecclesiam & I. lib. II. Ch. I
per biennium non tam tenuit quam vexavit col. 393.
Lambertus.

XXIX. Gerardus I.

Adversus Lambertum favore Roberti comitis Tarvannens. episcopatum invadentem, a quadam parte cleri electus est R. eique mutato consilio
alter suffectus est, quem reprobavit Gregorius Greg. VII.
VII, nisi prior electio canonice fuisset improbata. ep. XIIII, lib. 9.
Quid inde acciderit incompertum, nisi quod G. canonice electum approbavit & comiti Roberto commendavit ep. I lib. II. Hic ipse est Gerardus Cameracensis archidiaconus, qui a clero quidem electus & a plebe Morinorum expetitus, non tamen sine data ipso licet inscio pecunia,
ordinatur episcopus an. 1083, aut saltem 1084, 1084.
quem primum praesulatus sui annum subindicat in charta, qua ad preces Balduini comitis *de Guisnes* altare villae d'*Andernes*, ad opus monachorum S. Salvatoris Carrofensis in Pictonibus ibidem Deo famulantium donavit. Eodem anno
concessit monachis Majoris monasterii altare de Chart. IV.
Nepeglisa, & altare villae *Wlfraimcourt* ecclesiae col. 396.
Hamensi liberum dimisit. Subscripsit literis
Philippi regis pro erectione monasterii sancti Ch. III.
Nicolai a comite de Ribodimonte fundati. Sub- col. 190.
scripsit anno 1085 diplomati Philippi regis 1085.
pro ecclesia S. Petri Cassletensis, & 1086 chartae 1086.

ANNI CHRISTI

Rainaldi Remensis archiepiscopi ecclesiam sancti
Hilarii de Marolio donantis Agneti abbatissæ
Aveniaci. Altare S. Petri Evershamensis libertate
1091. donavit anno 1091, episcopatus 8. Concilio
1093. Remensi adfuit anno ineunte 1093, ubi actum
Miscellan. Baluz. t. V. p. 245. de ecclesia Atrebatensi. Eodem sigillum apposuit
suum donationi factæ ab Hugone Suessionensi
Charta XI. col. 104. episcopo monachis S. Theobaldi de Basilicis, &
literis Elinandi Laudunensis episcopi pro monasterio S. Theoderici Remensis. Cum Milone
1094. decano memoratur anno 1094, in tabulis sancti
1095. Audomari. Adfuit anno 1095, consecrationi
Ch. XXVIII. col. 32. factæ Remis Philippi Catalaunensis episcopi.
Lambertum abbatem Sithiensem ordinavit anno
Miscellan. Baluz. t. V. p. 282. eodem, & cum Richerio Senonensi & Lamberto
Atrebatensi ad concilium Claromontanum accessit XV cal. Decembr. 1095. Insequenti Gerardo
1096. scripsit Urbanus II, IV non. Martii 1096, ut
Ibid. pag. 292. ad consecrationem Manassis electi Remensis accurreret. Huic tamen IV cal. Aprilis peractæ
293. adfuisse non videtur; sed in concilio Turonensi
Tom. II. p. 216. XII cal. mensis ejusdem subscripsit confirmationi
ecclesiæ S. Mariæ de Rota. Circa id tempus apud
Urbanum papam simoniæ insimulatus, forte in
concilio Nemausi mense Julio habito, quum se
purgare non posset, ab episcopali officio suspensus
est, cujus in gratiam tunc & post concilium scri-
Miscellan. t. V. pag. 306. psit Urbano Lambertus Atrebatensis episc. Neque tamen ab officio statim destitit Gerardus, qui
post concilium ecclesiam Iprensem clericis Iprensibus dedit, quam successori restituit Lambertus
Ibid. pag. 323. Atrebatensis, cujus epistola est ad Gerardum ut
324. 300. nec ordinet, nec retineat Achardum præpositum
Atrebatensem, qui apud Morinum secesserat.
Eodem tempore quia consecrationis faciendæ
305. potestas concessa non erat Gerardo, hanc provinciam demandavit Manasses Remensis Lamberto
Atrebatensi pro ecclesia Watinensi consecranda.
Synodum tamen adhuc habuit XV cal. Novembr.
1097. anno 1097 indict. IV, in qua Lamberto abbati
S. Bertini firmavit altaria, quæ Lambertus a summo pontifice tempore quo apud Arvernam urbem concilium celebravit, impetraverat. Denique
quum quindecim & amplius annis præfuisset, ab
Urbano papa suspensus, episcopatu cessit, & ad
monasterium Montis S. Eligii se contulit, ubi
in pace consenuit. Defunctus apud Patheram urbem sepultus est. Exstat ad Gerardum ep. XLIX
lib. 2 S. Anselmi, ut abbatem S. Vulmari a
monasterii regimine absolvat.

Non modicum splendoris ecclesiæ Morinensi
turbulentissimis his temporibus attulere duo insignes eruditione & virtute viri, Lambertus patria Ghisnensis ex archidiacono Tarvannensi primus Atrebatensium post separationem a Cameracensi sede episcopus, Romæ ab Urbano II licet
invitus sacratus 1094, & Baldericus canonicus
& cantor Morinensis ex archidiacono electus
episcopus Noviomensis 1098, chronico Cameracensi illustris & in choro Tarvannensis ec-
Ch. XIX. col. 304. clesiæ tumulatus anno 1112. Scripserat is chronicon Morinense sicut & Cameracense, ut constat ex epistola Godefridi Ambianensis episcopi
eum rogantis ut & Ambianense scriberet. Chro-

A nicon autem illud asservatum fuit in archivis
ecclesiæ Morinensis a temporibus Balderici ad
Philippum *de Luxembourg*, qui illud Morinis
ad collegium S. Benedicti Cenomannos transtulit, ubi deperiisse existimat Georgius Colvenerius.
Vide Malbrancum tom. I pag. 685. Eadem
tempestate Godefridus, e civitate Boloniensi illustrissimo comitum sanguine progenitus, christianæ
militiæ antesignanus in expeditionem Jerosolymitanam proficiscitur 1096, rexque communibus
votis creatur 15 Julii 1099.

XXX. Johannes I. De Comm…

B A temporibus bonæ memoriæ Drogonis episcopi 20 circiter annis continuis sere fuerat tribulationibus vexata Morinensis ecclesia, inquit
Petrus de Collemedio in vita Johannis episcopi,
quum remoto Gerardo electus est Erkemboldus
S. Audomari canonicus vir nobilis & prudens,
qui decessorum suorum sorte edoctus, quum pertinaciter reniteretur, nec instanter peteretur,
nullo negotio missus est. Substitutus in ejus locum a clericis Aubertus Helchinensis canonicus
Ambianensis, qui canonicatum ecclesiæ Morinensis contra canones nuper adeptus fuerat, cedere coactus est Johanni archidiacono Atreba-
C tensi ab abbatibus electo, ad quos accessere laïci.
Johannis enim electionem ratam habuit & confirmavit Urbanus summus pontifex in concilio
Romæ habito anno 1099, hebdomada tertia
post Pascha. Johannes autem in pago Tarvannensi & villa Ganerstano patre Gillelino & matre Phagala natus, celeberrimos hac ætate magistros audivit Lambertum Trajectensem &
Ivonem Carnotensem episcopos. In ecclesia S.
Petri Insulensis aliquanto tempore demoratus,
ad montem S. Eligii secessit, ubi regulam sancti
Augustini amplexatus, omnibus verbo profuit
& exemplo. Restaurata anno 1093 sede Atreba-
D tensi, accitus est a Lamberto episcopo archidiaconus, quicum domi familiarissime vixerat &
sub Ivone scripturarum studio insudaverat. Ad
vacantem, ut diximus, cathedram Tarvannensem
æmulo Autberto major, ab abbatibus & laïcis
appellatus, a summo pontifice & Romano concilio confirmatus est anno 1099 post Pascha. 1099.
Presbyter ordinatus pridie nonas Junii anni ejusdem a Lamberto Atrebatensi de mandato Manassis archiepiscopi Remensis, a quo episcopus
Remis consecratus XVI cal. Augusti, IX cal.
mensis ejusdem solenniter Tarvannæ receptus est.
Eodem anno adfuit concilio Audomarensi quod
E Manasses Remensis cum suffraganeis in ecclesia
B. Mariæ celebravit pridie idus Julii de pace servanda. Primis ordinationis suæ temporibus ecclesiam suam intus & extra reparare studuit, cujus
fabricam a fundamentis incipiens consummavit.
Loënsem ecclesiam sacravit anno 1100, & mo- 1100.
nasterium privilegio donavit anno 1, in synodo Malbranc. tom. III.
quam celebravit. Exstat ad Johannem Morinen- p. 700.
sem & Lambertum Atrebatensem, Ivonis Carnotensis epistola 97 hoc fere tempore data adversus Stephanum de Garlanda, qui Bellovacensem episcopatum invaserat, in qua uterque laudatur

ANNI CHRISTI

ceu qui lupos in ovilia Dei subintrantes perfecto odio reprobarent, & eos sicut fideles in domo Dei canes ubi licebat impugnarent. Hos hortatur ut Remensem metropolitanum suum moneant, quatenus secundum literarum tenorem quas domnus papa misit Bellovacensibus, Bellovacensis ecclesiæ clericos ad faciendam canonicam electionem pro officii sui debito cohortentur. Subscripsit chartæ Roberti Flandriæ comitis, abbatiam S. Bertini Hugoni Cluniacensi abbati reformandam concedentis VI idus Februarii anno 1100,
1101. hic est 1101. Paulo post Romam tendit maxime pro Manasse Remensi archiepiscopo: hoc
Miscell. Baluz. t. V. p. 325. autem in itinere tantam cum summo pontifice obtinuit familiaritatem, ut eum inter carissimos deinceps habuerit. Roma reversus sacerdotes ambitiosos & avaros propter simoniam aliaque
1102. vitia expulit ex oppido Iprensi anno 1102, rogatuque civium Gerardum spectatæ vitæ sacerdotem SS. Martini & Petri ecclesiis præposuit, qui statim exstructo in pratis cœnobio, sodales sibi adscivit, qui juxta regulam sancti Augustini viverent doctrinisque evangelicis populum imbuerent. Ratam habuit factam anno eodem S. Bertino donationem a Claremberto. Subscripsit chartæ Balduini comitis monasterium S. Salvii in diœcesi Cameracensi, Cluniaco subjicientis
1103. anno 1103, eodemque literis Ingelranni Laudunensis altare Corbiniaci donantis. Adstitit Re-
1104. mis anno 1104, consecrationi Godefridi Ambianensis episcopi. Circa id tempus conditum Burburgensem parthenonem confirmavit. Sub-
1105. scripsit anno 1105, chartæ Gertrudis conjugis Roberti Frisii pro ecclesia Evershamensi. Ecclesiam & atrium S. Bertini consecravit anno eodem. Insequenti, aliis præcedenti, Hermetem priorem S. Bertini abbatem Bergensem ordinavit. Aroasiensem novam ecclesiam Cononis industria ædificatam everso ligneo oratorio, cum S. Godefrido Ambianensi permissu & rogatu Lamberti Atrebatensis dedicavit IX calend. Octobris anno
1106. 1106. Hugoni Cluniacensi abbati cum Eustachio Boloniæ comite abbatiam S. Vulmari ordi-
1107. nandam commisit anno 1107. Corpus S. Humfridi episcopi transtulit & recondidit sub altari
1108. B. Mariæ anno 1108, idibus Aprilis. Canonicos Tornacenses & monachos sancti Martini auctoritate apostolica conciliavit XVI cal. Augusti
Chart. VII. col. 397. anni ejusdem, quo fundationem S. Vulmari Boloniensis approbavit & canonicos regulares apud Falempinum instituit, quibus Lambertum clericum suum abbatem præfecit. Initam inter Lambertum abbatem S. Bertini & Manassem comitem
1109. Ghisnensem concordiam confirmavit an. 1109. Baldericum Noviomensem episcopum Tarvannæ morbo sublatum intra templi chorum terræ man-
1112. davit anno 1112. Dedit eodem monachis sancti Martini a Campis ecclesiam de *Freveuz*, & Aquicinctinis prioratum S. Georgii prope Hes-
Chart. IX. col. 398. dinium. Canonicis S. Vulmari regulas præscripsit
1113. anno 1113. Literas accepit a Paschali papa
1114. anno 1114, quibus jubebatur Herbertum Morinensem archidiaconum a Tornacensibus electum episcopum tradere: fecit extemplo quod jubebatur,

A

B

C

D

E

sed incassum. Subscripsit anno eodem commutationi factæ inter Balduinum comitem & Lambertum abbatem S. Bertini. Concilio Bellovacensi adfuit VIII idus Decembris anni ejusdem, & Remensi anno 1115, in quo cum aliis episcopis subscripsit literis Cononis cardinalis de 1115.
permutatione inter Balduinum Flandriæ comitem & Bovonem juniorem sancti Amandi abbatem; pauloque post Catalaunensi synodo interfuit. Bertiniensibus anno eodem dedit altare de Oxelare. Memoratur adhuc in charta Balduini comitis Flandriæ & Clementiæ ipsius matris monasterio Hamensi pro anima patris sui Roberti concedentis quidquid habebat in parochia S. Martini de *Lanz*. Cum Balduino comite, matre Clementia & Roberto abbate Bertiniano monasterio Blandiniensi reformando operam dedit an. 1117. Donationes 1117.
Loanis factas confirmavit anno 1119, præsulatus 1119.
20. Eodem tria ecclesiæ Iprensi attribuit altaria, Bertiniensibusque ecclesias Warnestunensem & Haveskerkanam. Testis anno eodem donationum a Lamberto Tornacensium episcopo factarum, subscripsit chartæ Balduini Flandriæ comitis in monasterio Sithiensi sepulturam suam eligentis. Cum Carolo comite arcta fuit amicitia conjunctus, cujus armis ab iniqua advocati Tarvannensis oppressione liberatus est anno 1119. Concilio Bellovacensi interfuit anno 1120, canonicos regu- 1120.
lares in abbatia Chocquensi constituit & Nicolaum abbatem S. Nicolai de *Buttemburch* ordinavit, cui hanc ecclesiam cum appendicibus dedit. Thomam monachum S. Bertini Bergis novum abbatem instituit anno 1121. Andrensi monas- 1121.
terio privilegium concessit anno 1122 & sub- 1122.
scripsit diplomati Eustachii comitis Boloniensis pro S. Bertino. Monasterium Dunense anno eodem in abbatiam erexit, & Ligerium primum abbatem constituit. Subscripsit chartæ Guillelmi Iprensis pro Loensi cœnobio anno 1123, cum 1123.
Gerardo fratre ejus præposito Loensi. Anno eodem Nonnenbosci ecclesiam consecravit & ab omni exactione exemit. Johannem abbatem Sithiensem consecravit anno 1124, cujus deces- 1124.
soris Lamberti exsequias celebravit anno 1125. 1125.
Occurrit anno 1126 in charta Cluniacensi. B. 1126.
Caroli Flandriæ comitis quam auctor fuerat ut scriberet vitam ei dicavit Walterus anno 1127. 1127.
A rege Francorum & Remorum antistite Insulas missus, secundum ecclesiam & canonicos illius urbis contra comitem Guillelmum Normannum pronunciavit anno 1128. Adstitit VI idus Maii 1128.
anni ejusdem Atrebati habito episcoporum con- Ch. VII. col. 193.
ventui, in quo agitata & definita est reformatio S. Johannis Laudunensis. Institutum S. Leonardi Ghisnensis parthenonem privilegio suo confirmavit anno 1129. Insequenti an. 1130 1129.
indict. VIII, obiit VI cal. Februarii hora diei 1130.
tertia feria secunda, & quarta post a Roberto Atrebatensi episcopo terræ mandatus est pone principale altare B. Mariæ cum epigraphe plumbea supra caput mortui veteri more intra sepulcrum apposita his verbis: *Anno verbi incarnati millesimo centesimo trigesimo, indictione octava, sexto calendas Februarii obiit vir venerabilis, totius amator*

ANNI CHRISTI

religionis, D. Johannes episcopus, qui Romæ in A
generali concilio Urbano II pontifice præsidente &
approbante, in episcopum hujus Morinensis ecclesiæ
pridie nonas Junii presbyter, XVI cal. Augusti epi-
scopus consecratus, VIII cal. ejusdem mensis sede
pontificali inthronizatus, præfuit ecclesiæ annis XXX,
mensibus VI diebus III. Hic quum viveret multa bona
fecit, monasteria regularium clericorum sive monacho-
rum octo fundavit. In hujus quoque ecclesiæ fabrica,
quam pene eversam funditus & nudatam invenerat,
multa expendit, libros optimos, ornamenta altarium,
utensilia in usum plurima contulit. Fuit autem a cuna-
bulis vitæ mundissimæ, castus, sobrius, humilis, pa- B
tiens, misericors, super humanum morem innocens,
liberalis, hospitalis, & in senectute bona plenus dierum
migravit ad Dominum, in catalogo Morinensium
episcoporum trigesimus IV calend. Februarii, sepul-
tus in ecclesia sua abbatum manibus, Herbertique
& Johannis de Collemedio archidiaconorum,
quorum alter, qui 14 annis sancto antistiti coha-
bitavit, vitam ejus scripsit, quam habes apud Bol-
landum ad diem 27 Januarii. Johannes autem
episcopus, ut erat in scribendo egregie peritus,
historiam rerum gestarum Roberti Frisii comitis
Flandriæ condidit. C

XXXI. MILO I.

Johanne defuncto, populi maxima pars Bal-
duinum Theoderici Flandriæ comitis fratrem natu
minorem episcopum conclamavit, quem utpote
huic muneri imparem Remensis metropolita &
provinciales refutarunt. Aliquandiu tamen in ec-
clesia Morinensi commoratus, multa fecit mala
Balduinus, donec a duobus archidiaconis nonnul-
lisque clericis vocatis Milonem abbatem S. Judoci
in Nemore electum episcopum Morinensem & ab
Innocentio II confirmatum consecravit Rainal- D
dus Remensis archiepiscopus die 15 Februarii
1131. anno 1131, post annum fere, tandiu enim du-
ravit animorum in electione dissensio. Anno eo-
dem Milo benedixit Simonem abbatem S. Ber-
tini, cum Drogone fratre & Gualtero *Tirel* prin-
cipe *de Poix*, ecclesiam Selincurtensem construxit
& fundavit S. Augustini canoniam, in qua Præ-
monstratenses e Selincurte accitos collocavit. In-
Ch. XII. col. 400. sequenti canonicos ejusdem instituti e S. Martino
Laudunensi evocavit, & apud Liskam instituit
1132. in synodo idibus Aprilis 1132, fundationem
Ch. X & XI. col. 399 & 400. S. Vulmari Boloniensis confirmavit anno eodem,
& quædam Andrensi monasterio asseruit. Eccle- E
siam Tarvannensem cum Alviso Atrebatensi,
Guarino Ambianensi & Simone Noviomensi
1133. episcopis consecravit anno 1133. Literis suis
Ch. XIII. col. 401. confirmavit anno 1134, pontificatus IV omnes
1134. monasterii S. Judoci supra mare possessiones sitas
in sua diœcesi. Eodem anno caput S. Maximi
Bolonia Tarvannam referri curavit III idus Dec.
Furnensi monasterio duo altaria cum decimis
1135. concessit anno 1135. Subscripsit anno eodem
Ch. XXIV. col. 306. chartæ Rainaldi archiepiscopi Remensis pro Se-
lincurte. Eodem ecclesiam sancti Nicolai con-
cessit fratribus monasterii *de Buttemburch*, ad
exemplar Johannis decessoris, testibus Henrico
abbate de *Liskes* & Gozelino decano. Alvisum
episcopum Atrebatensem & Hugonem Blangiaci
abbatem de altari de *Chiri* disceptantes in cœtu
episcoporum Remis conciliavit anno 1137. 1137.
Confirmavit anno eodem factas a Theoderico
Flandrensi comite monasterio Furnensi donatio-
nes. Subscripsit adhuc literis Sugerii S. Dionysii
abbatis anniversarium suum instituentis. Cister-
ciensibus in Pontivo degentibus dedit an. 1137 Ch. XXVI. col. 307.
fer. VI hebdomadæ I Quadragesimæ id quod
apud Mosultram dederat ei Rob. de *Ally*. Cum
Gosslino decano subscripsit chartæ Theoderici
Flandriæ comitis translatos Præmonstratenses e
Soleghem ad Truncinium confirmantis 1138. 1138.
Corpus S. Winoci in novum feretrum transtulit
anno eodem, & canonicos regulares in ecclesia
Warnestonensi instituit, & testis cum Otgerio
præposito, magistro Odone, Balduino decano sub-
scripsit chartæ Theoderici Flandrensium comitis
dispensatori suo Rotgerio jubentis, ut centum
solidos Flandrensis monetæ a decessoribus suis
assignatos Hamensi persolveret monasterio. Anno
1139 literas excepit ab Innocentio II in favo- 1139.
rem Sithiensium ut Leonem abbatem honoraret
& diligeret. Solenni interfuit cum rege & epi-
scopis supplicationi, quum capitii ecclesiæ S. Dio-
nysii fundamenta posita sunt anno 1140, & 1140.
subscripsit literis quibus Sugerius abbas annuum
200 librarum reditum ad perficiendam quam
inchoaverat sancti Dionysii basilicam assignavit.
Subscripsit anno eodem concordiæ initæ inter
Leonium S. Bertini & Ranulfum Hamensem
abbates. Male erga Cluniacenses affectus erat,
forte ob Sithienses monachos, ut constat ex
epistola VIII, libr. 4, Petri Venerabilis; multo
melius erga Monsterolense S. Salvii monaste-
rium, cui partem altaris S. Mariæ de *Darneslal*,
conferri curavit anno 1141. Obtinuit anno eo- 1141.
dem a Theoderico Flandrensium comite ut caf- Ch. XIV. col. 402.
tellum quod Arnulfus advocatus Tarvannæ ædi-
ficaverat exstirparetur, nec ullum amplius absque
consensu episcopi, capituli & baronum ædifica-
retur. Novellæ abbatiæ de Dunis Brugis nunc
existenti benefecit anno 1142, capellas sanctorum 1142.
Andreæ & Jacobi in ecclesia Tornacensi conse-
cravit eodem, canonicorum Warnestunensium
bona confirmavit, litemque inter abbatem B.
Mariæ de Bosco & Clarum mariscum composuit,
præsente Hermanno decano. Gosfridum abba-
tem Andrensem confirmavit & benedixit anno
1143. Eodem restitutum monasterio S. Judoci 1143.
supra mare altare de Marla, a Guiffredo milite
injuste prius usurpatum, confirmavit. Subscripsit
chartæ Balduini Ardensis ecclesiam Ardensem
monachis B. Mariæ de Capella concedentis anno Ch. XV. col. 403.
1144. Cum Sansone Remensi archiepiscopo & 1144.
Josleno Suessionensi præsule ecclesiam Cartusiæ
Montis Dei consecravit anno eodem, ecclesiam
quoque Discasinutensem dedicavit XI cal. Augusti.
Adstitit anno eodem dedicationi basilicæ sancti
Dionysii, & consecravit altare SS. Xisti, Feli-
cissimi & Agapiti. Ratam habuit anno 1145, 1145.
transactionem initam inter Odonem abbatem S.
Dionysii & Gilam de Nehelis super malis con-
suetudinibus, quas Gila monasterio inferebat.

ANNI CHRISTI
Confirmavit anno eodem monasterio Clari ma-
risci donationem factam ab Arnulfo Ghisnensium
comite præsente Leonio abbate S. Bertini &
Hermanno decano Morinensi. Ecclesiæ S. Au-
gustini altaria de *Nielles*, de Zualquesla, de
Bayenghem, de *Haringues* & *Rincq*, concessit an.
1147. 1147. Eodem fundationem & dotationem Ca-
ri campi confirmavit. Concilio Remensi adfuit
1148. anno 1148, in causa Gilberti Porretani Picta-
viensis episcopi delegatus cum Hugone Autissio-
dorensi ac Sugerio abbate sancti Dionysii, ut
Gilberti capitula pontifici summo exhiberent.
Ecclesias Vallicellensem & Hasnoniensem con-
1149. secravit anno 1149. Capellam apud *Oderfele*
1150. Andrensibus confirmavit anno 1150. Eodem
querelam habuit cum Theoderico Flandriæ co-
Ch. XVI. col. 404. mite pro juribus reciprocis, quæ personarum
ecclesiæ ac baronum examine discussa est. Liti-
gium quoque habuit pro ecclesia de Hesdinio,
quam Theodericus comes ei & canonicis dedit
1151. anno 1151. Testis anno eodem in literis ejus-
dem Theoderici pro S. Bertino. Chartam pro
1153. Dunensi cœnobio dedit anno 1153. Occurrit
1155. anno 1155 in tabulis S. Audomari. Altare de
Holthem canonicis Furnensibus dedit anno eodem.
Delegatus a summo pontifice motam inter Theo-
dericum episcopum Ambianorum & Nicolaum
abbatem Corbeiæ de ecclesia S. Thomæ in vico
1157. litem secundum monachos definivit an. 1157.
1158. Insequenti 1158, postquam sedem Morinensem
rexerat annis 27, die 16 Julii hominem exuit,
ob religionem & scientiam laudatus a Baronio,
ob humilitatis virtutem a Nangio, inter pios re-
censitus a Claudio Saussayo in martyrologio.
Memoratur die 15 Julii in necrologio S. Justi.
Miloni Lucas S. Cornelii ad Indam abbas dicavit
commentarios in Cantica canticorum, quos habes
tomo XIV Bibliothecæ Patrum.

XXXII. Milo II.

Miloni Milo patria Anglus succedit, ex cano-
nico S. Mariæ de Bosco archidiaconus, ex ar-
chidiacono episcopus, de cujus ordinatione Ro-
bertus de Monte in appendice ad Sigebertum ad
1160. annum 1160, sic loquitur: *Mortuo venerabili
Milone episcopo Tarvannensi, electus est Milo ar-
chidiaconus, ejusdem ecclesiæ canonicus regularis,
sicut decessor ejus fuerat, quem cum Sanson archi-
episcopus Remensis vellet sacrare, clerici civitatis
Boloniæ, qui diu sub episcopo Tarvannensi fuerant,
volentes amodo suum proprium episcopum habere, sicut
antiquitus habuerant, prohibuerunt archiepiscopum sub
appellatione apostolica ne eum sacraret, nisi tantum-
modo ad titulum Tarvannensis ecclesiæ. Quod præ-
dictus electus refutans, insacratus contra illos clericos
Romam perrexit, & ibi sacratus est* ab ipso sum-
mo pontifice, ad quem primus episcoporum
occidentalium accessit, electusque a Boloniensi-
bus a causa defecit, & ecclesiam Boloniensem in
statu in quo ad hoc tempus fuerat servavit Ale-
Ch. XVII. col. 405. xander III, ut discimus ex ipsius literis datis
pridie nonas Januarii anno 1161. Insequenti
1161. Milo recensetur ab Alexandro III, inter episco-
1162. pos, qui cum eo in die Ascensionis Domini

A publice excommunicarunt Octavianum schisma-
ticum. Mimatam usque summum pontificem
comitatus videtur, a quo eo loci datas obtinuit
ad Henricum Remensem archiepiscopum literas
commendatitias x cal. Augusti. Reversus partem
decimæ altaris de *Briast* Claro marisco concessit
anno 1162 & Herberto abbati Montis sancti
Martini confirmavit quidquid in parochia de
Vulpen & in castellania de *Furnes* possidebat.
Consecravit anno 1163, Godescalcum abbatem 1163.
Sithiensem & monasterio Dunensi confirmavit
terram, quam Erembaldus *Bandekin* ipsi dederat,
teste Balduino abbate Boloniensi. Caput S. Ro-
B trudis virginis populo demonstravit & totum
corpus feretro inclusit anno 1164, Arnoldo 1164.
comite Ghisnensi præsidente, tempore Petri ec-
clesiæ Andrensis abbatis, qui de ea libellum
scripsit. Anno 1165, corpus S. Maximi populo 1165.
demonstravit VI non. Octobris, adstantibus Bal-
duino Noviomensi & Roberto Ambianensi epi-
scopis. Thomam Cantuariensem hoc anno in
Gallias adventantem usque Suessiones perduxit.
Confirmavit anno eodem pactum initum inter
Godescalcum abbatem S. Bertini & Ellembertum
de *Ellingentun*, occasione terræ concessæ domui
leprosorum Boloniensium ab ipso Ellemberto,
C quam tenebat in feodo ab abbatia S. Bertini.
Mariæ abbatissæ Strumensi dedit altare de *Magni-
cort*, sub unius marchæ argenti annuo censu an.
1166. Bona & jura ecclesiæ S. Augustini con- 1166.
firmavit anno 1168. Eodem statuit ut in capella Ch. XVIII. col. 405.
& cœmeterio de *Broburg*, pro leprosis tantum eis- 1168.
que servientibus divinum celebraretur officium,
atque ad conversionem nullus reciperetur, nec in
cœmeterio sepeliretur nisi leprosus. Altare de *Glo-
minghen* ecclesiæ sancti Augustini concessit anno
1169 ea lege, ut in anniversario mortis suæ 1169.
fratribus vinum administraretur. Capitulo quo-
que suo legavit altaria de *Wavrans* & de *Pierre-
D mont*, ad vinum emendum in omnibus festivita-
tibus B. Mariæ. Denique quum aliquandiu pro-
pter minas Philippi Flandriæ & Veromandiæ
comitis apud Monasteriolum delituisset, ad pro-
priam sedem reversus, exspiravit XVIII calend.
Octobris 1169, qua die memoratur in necro-
logio S. Evodii de Brana.

XXXIII. Desiderius.

Rogeri Cortracensis castellani filius Desiderius
& Saræ sororis Hugonis Insulensis castellani, fra-
tres habuit Robertum Insulensem præpositum,
& Rogerium qui patrem in castellania Cortracensi
E excepit, ipse vero præpositus primum S. Petri
Insulensis, tum ecclesiæ Tornacensis cancellarius
& archidiaconus, ob insignem animi virtutem
electus est episcopus Tarvannensis magno cano-
nicorum desiderio jam anno 1168, si chartulario
Majoris monasterii fides, in quo hujus anni data
exstat ejus charta pro cella de *Renti* a Majore mo-
nasterio dependente, melius sane 1169. Bona Ch. XIX. col. 406.
ecclesiæ Liskensis confirmavit an. 1170. Literis 1170.
suis asseruit anno 1171, decimam parochiæ de 1171.
Lambres donatam monasterio S. Judoci a nobili
viro Pharamundo de *Tingri*, præsente Everardo

ANNI CHRISTI

decano. Subscripsit anno 1173 literis Philippi A
Flandrensis comitis decem libras Pruvinensis mo-
netæ monasterio S. Judoci concedentis. Testis
nominatur cum Gualtero archidiacono in charta
1174. ejusdem pro eodem monasterio an. 1174. Bona
ecclesiæ S. Augustini eodem confirmavit anno,
& ortam inter Hugonem abbatem Corbeiensem
& Heinfridum abbatem de *Clairfai* querelam cum
Martino abbate S. Vedasti ab Alexandro papa
delegatus definivit. Exstat ad Desiderium Gerardi
Clarevallensis abbatis interfecti anno 1175 epi-
stola, monachos Clari marisci commendantis pro
immunitate decimarum, quas juxta bullam Ale-
xandri III solvere non debent de terris proprio B
1176. labore excultis. Ratam habuit anno 1176, do-
nationem S. Remigio factam a Balduino majore
villæ de Nehellis. Testis anno eodem cum Petro
abbate Andernensi & Hugone abbate S. Quintini
in literis Philippi Flandrensium & Veromanduo-
rum comitis pro S. Bertino. De mandato summi
1177. pontificis composuit anno 1177 litem inter
abbatem S. Bertini & abbatissam Broburgensem
de decimis ortam. Subscripsit anno eodem literis
Philippi Alsatii Flandriæ comitis possessiones ca-
pituli sancti Petri Casletensis confirmantis. Sub-
1178. scripsit anno 1178 literis Philippi ejusdem pro
salute animæ Matthæi quondam Boloniæ comitis C
apud S. Judocum sepulti eidem benefacientis.
Testis fuit anno eodem concordiæ initæ inter
Simonem abbatem S. Bertini, Alexandrum præ-
positum Watinensem & Mathildem Broburgen-
sem abbatissam. Synodo Lateranensi interfuit
1179. anno 1179, & Philippo Flandriæ comiti privi-
legia S. Bertini confirmanti. Dedicavit anno eo-
dem novam ecclesiam Andrensis monasterii.
1180. Subscripsit privilegio concesso anno 1180 a
Philippo Flandriæ comite abbatiæ S. Bertini pro
solutione decimæ halecum quam habebat mo-
nasterium Casleti Gravelingis aliisque locis ma-
ritimis. Cum Petro Telonensi episcopo transtulit D
1181. mense Junio 1181 corpus S. Folcuini apud S.
Bertinum eodemque anno corpus S. Winoci,
& consecravit ecclesiam Chocquensem. Blendekæ
1182. factas donationes laudavit anno 1182, donatam
Ch. xx. tertiam partem dicimæ parochiæ de *Norhem*,
col. 406. approbavit anno eodem. Andernensi ecclesiæ
1183. nonnulla confirmavit anno 1183. Mathildi ab-
1184. batissæ Strumensi relaxavit anno 1184 marcham
argenti quam pro altari de *Magnicort* exegerat
Milo. Willelmo Remensi archiepiscopo annuente
monasterium S. Columbæ in Blendeka juxta
1186. Audomaropolim exædificavit anno 1186, mox-
que advocatis Cisterciensis ordinis virginibus in- E
colendum tradidit, quibus dotandis ditandisque
Balduinus de *Fraye* Morinensis ecclesiæ canoni-
cus personatum contulit, quem in dicta Blende-
ka possidebat. Abs olim hic asservatur B. Vir-
ginis imago, cui abs Lætitia cognomen est, quæ
variis signis in hanc ætatem inclarescit. Decimam
de *Baillol* monasterio Blangiaci asseruit an. 1186,
& de consensu abbatis S. Bertini dedit licentiam
construendi capellam in parochia de *Aquin* ad
preces parochianorum. Hic autem abbas Simon
1187. nomine Desiderii in manibus cessit anno 1187,

qui eodem Johannem successorem benedixit die
11 Julii, & canonicis oppidi S. Pauli decanum
præfecit aliaque pro bono regimine ordinavit.
Factas donationes Blandekensi parthenoni eodem
anno confirmavit. Initam inter Corbeiensem ec-
clesiam & Balduinum militem de *Vainnes* tran-
sactionem confirmavit anno 1189. Johanni 1189.
abbati S. Bertini concessit parochias in nova ca-
pella de Novo-portu & *Graveninghe* anno 1190. 1190.
Annis fractus & laboribus episcopatui sponte
cessit anno 1191, moriensque 20 Januarii, al. 1191.
IV non. Sept. 1194, sepulcrum accepit in ec-
clesia monasterii Camberonensis tertio ab urbe
Montensi lapide, in sanctuario ecclesiæ, cum hoc
epitaphio:

Dat Desiderio cathedram Tarvanna, sepulcrum
Hic locus, omne bonum dat Paradisus, amen.

Beatus ab Arnoldo Raisio nuncupatur & a
Molano, qui legendus ad diem 20 Januarii.
Ceterum Desiderius capellaniam fundavit apud
Morinum & dotavit, quæ anno 1206 in ho-
norem S. Antonii consecrata est.

XXXIV. LAMBERTUS II.

Lambertus, qui & Lambinus, Rolino patre
Burgis oriundus, ex cancellario Remensi Tar-
vannensium adlectus episcopus anno 1191, dedit
anno 1192 mense Octobri, Johanni primo 1192.
abbati S. Bartholomæi Noviomensis altare de
Mauritania, testisque subscripsit pactis initis in-
ter abbatem S. Bertini & Casletenses pro percep-
tione decimæ halecum, & chartæ Reinaldi &
Idæ comitum Boloniæ abbatem & monachos
S. Bertini a teloneo de *Witsant* eximentium.
Adfuit 1193 Ambiani coronationi Ingelburgis 1193.
uxoris Philippi Augusti, quicum permutavit eo-
dem anno hominium pro feodo de *Hesdin* cum
procuratione regi ab episcopis Tarvannæ debita.
Testis fuit anno eodem in literis Idæ comitissæ
Boloniensis pro S. Bertino. Donum factum fra-
tribus de Brana approbavit anno 1194. Circa 1194.
id tempus de ipsius & Willelmi Remensis assensu
Arnoldus Ghisnensis comitis Balduini filius Bea-
tricem Broburgensem castellanam uxorem duxit.
Prædia abbatiæ Liskensis confirmavit an. 1196. 1196.
Ecclesiæ S. Judoci supra mare decimam de *Ploiz* Ch. XXIII.
confirmavit anno eodem, ea lege ut aliquid ce- col. 408.
deret ecclesiæ de Longovillari. Una cum Wil-
lelmo Remensi pollicitus est anno eodem excom-
municaturum se Reginaldum comitem Boloniæ,
si contra hominium suum regi fidem non teneret.
Cum abbate Cluniacensi de mandato Willelmi
Remensis archiepiscopi conciliavit hoc adhuc
anno R. comitem Boloniensem cum ecclesiis
S. Judoci supra mare, S. Salvii de Monsterolo,
S. Andreæ & S. Austrebertæ, quas injuriis affe-
cerat, pro quibus excommunicatus fuerat. Con-
cordiam inter monachos Andrenses & Arnulfum
de *Kaieu* confirmavit anno 1197, confirmavit 1197.
anno eodem possessiones Cartovorin. Anno se- Ch. XLIV.
quenti fundati fuere Cartusiani Audomarenses a col. 128.
Johanne de sancta Aldegunde. Cum Balduino 1198.
Tarvannensi decano monasterio Clari marisci

ANNI CHRISTI

asseruit an. 1199 donationes Willelmi de Monte A
capreoli, & monachis Andrensibus decimam de
1199. *Landertun*. Innocentii III bullæ assensum præbuit
1200. mense Januario 1201 pro legitimis habentis
1201. filium & filiam quos ex Agnete filia ducis Moraviæ habuerat Philippus Augustus. Factam Blandekæ donationem ratam habuit anno eodem. Lambertus episcopus Morinensis, præpositus ecclesiæ S. Salvatoris de S. Paulo, cum Balduino decano ratum habuit concambium factum ab Hugone comite S. Pauli & Yole uxore de molendino apud Manilium mense Januario 1201. In instrumento chartularii S. Andreæ prioratus
1202. prope Ariam anno 1202 dato Lambinus voca- B
1203. tur; Lambertus vero confirmavit anno 1203 donationem, quam nobilis vir dominus *de Kerseke* homo ejus ligius fecerat fratribus de S. Andrea juxta Ariam quam de episcopo Robertus tenebat. Eodem anno Petrum abbatem Dunensem benedixit, acta ab Hugone comite S. Pauli in gratiam monasterii Blangiacensis confirmavit, & resignatam sibi a Gaufrido de Marla tertiam partem decimæ de Marla concessit monasterio S. Judoci & de ea investivit Florentium abbatem. Circa id tempus Stephanus episcopus Tornacensis ad Lambinum scripsit epistolas 184, & 269 ex qua discimus eum juxta ecclesiam S. Bartholomæi in C
urbe Burgensi natum & educatum fuisse. Sigillo
1204. suo firmavit anno 1204, pactum inter Dunenses monachos & capitulum Furnense. Reperitur
1205. adhuc annis 1205 & 1206 in chartulario An-
1206. drensi. In archivis S. Columbæ de *Blandeq* ratas habet donationes Ghisonis de Aria dictæ abbatiæ fundatoris, necnon Guillelmi de Aria & M. uxoris ejus. Naturæ debitum solvit XII cal. Junii
1207. 1207 & sepultus est in monumento juxta altare B. Mariæ.

XXXV. JOHANNES II.

Morinensi ecclesia episcopi solatio destituta, D
canonici Adæ presbytero, Goscelino diacono & Theobaldo subdiacono concanonicis suis potestatem eligendi episcopum contulerunt, polliciti hunc se recepturos, qui de gremio ecclesiæ eligeretur. Illi autem singulorum votorum rationem habentes, elegerunt Johannem archidiaconum, qui a capitulo admissus, a metropolitano confirmatus, regalia a rege obtinuit, & presbyter ordinatus ab Atrebatensi episcopo, liberam & pacificam in ecclesia Morinensi tam in spiritualibus quam in temporalibus administrationem aliquandiu tenuit, sed non statim consecratus fuit: ab ejus enim electione ad summum pontificem ap- E
pellatum est, nec prius archiepiscopo illum sacrandi data facultas, quam in eum majorem capituli Morinensis partem convenisse juxta canonicorum vota constitisset, ut liquet ex epistolis 43 & 226 lib. XI Innocentii III datis Laterani IV non. Aprilis & IV cal. Februarii, pontificatus XI, qui de eo edidit decretalem *cum dilectus filius* &c. de electo & electi &c. Itaque Johannes Lamberti nepos, ex archidiacono electum se dicit Morinensem in literis pro S. Judoco
1208. ad mare anno 1208 mense Julio, cui sibi resi-
gnatam tertiam partem decimæ de Rumbiliaco contulit. Episcopus autem consecratus est anno 1209, ut putamus. Reperitur cum Bernardo decano in chartulario Hamensi anno 1210, & 1210.
minutas decimas altaris de *Poperingues* ecclesiæ 1211.
S. Bertini confirmavit. Insequenti asseruit venditionem quam fecit vir nobilis D. Johannes de *Liesses* ecclesiæ S. Andreæ de decima de *Norren*, præsentibus Gerardo thesaurario Morinensi, Thederico episcopi capellano, Roberto de Kerseka & Roberto filio ejus XV cal. Junii anno 1211. Eodem benedixit Willelmum Andrensem abbatem, ecclesiæ Corbeiensi confirmavit acquisitionem medietatis majoratus villæ de *Ausnes*, & notam fecit initam inter Johannem S. Bertini & Lambertum de Claro marisco abbates concordiam. Sublatus est e vivis VIII idus *Anecdot. t. III. col. 1386.*
Februarii anno 1212, ex brevi chronico Clari marisci, ætatis anno 34, melius VIII cal. Februarii 1212.
anni 1213; cujus ossa ex ecclesia B. Mariæ Morinensis ad Sanaugustinianam magno & pio apparatu translata sunt anno 1631. Sequenti inscriptione tumulum exornavit Jacobus *Corbaut* abbas.

Hic jacent ossa Reverendissimi Domini
Johannis II episcopi Morinensis,
Inventa in ecclesia B. Mariæ Morinensis,
Solo adæquata
Vigesimo Martii anno MDCXXXI,
Die sequenti huc translata
Permissu Reverendissimi D. Petri Paventii
Audomarensis episcopi.
Obiit anno MCCXII
Die B. Vincentii lucescente.
Requiescat in pace.

XXXVI. ADAM.

Ex canonico & archidiacono ecclesiæ Parisiensis, Morinensis episcopus eligitur & consecratur Adam anno 1213, ex chronico Andren- *Spicil. t. IX. pag. 605.*
sis monasterii. Reliquias sancti Maximi ecclesiæ 1213.
Vernonensi dedit anno 1214, quo reperitur 1214.
mense Decembri in chartulario S. Andreæ prope Ariam & Januario in Calensi. Chartam dedit *Ibid. 618.*
pro Andrensibus anno 1215 mense Martio. 1215.
Eleemosynam factam Branæ approbavit anno 1216. Patronatum capellæ de *Dirlinghetun* An- 1216.
drensibus restituit mense Augusto, initamque *623.*
inter ecclesiam S. Bertini & Gillebertum de Haverskerka concordiam confirmavit mense Decemb. Stagnum de *Bukerdes* Andrensibus asser- *624.*
tum significavit mense Septembri 1217, aliisque 1217.
calendis Martii datis literis hominem suum Robertum dominum de *Kreseke* in præsentia sua constitutum pro salute animæ suæ, & patris sui D. Roberti & patrui sui D. Willelmi quamdam decimam contulisse in eleemosynam ecclesiæ S. Andreæ, assensu etiam D. Mathildis matris prædicti Roberti, quæ jus habebat in dictam decimam ratione dotalitii. In synodo anno 1218 1218.
mense Octobri discordantes ecclesias Andrensem *630.*

ANNI CHRISTI

& de Belloloco super patronatu ecclesiæ de *Terdinghem* cum Willelmo de Capella & Egidio B. Mariæ de Bosco abbatibus conciliavit, privilegiaque & possessiones canonicorum S. Petri in monte Casleti confirmavit. Exsecutor testamenti Mathildis Flandriæ comitissæ apud Claramvallem sepultæ, multam pecuniam monasteriis, xenodo-
Ch. xxiv. col. 408. chiis & ecclesiis erogavit anno eodem. Insequenti decimam parochiæ de *Mallinghem* monasterio
1219. Hamensi restitutam contulit. Sopit & terminat
1220. anno 1220 litem agitatam inter monasterium S. Augustini & Willelmum de Bethunia atque Elisabetham de Ponte Rohardi ejus uxorem super capella Rohardi. Agnovit anno eodem abbatem de Blangiaco habere super totam terram suam libertatem, dominationem & comitatum, & censuris subjicit turbantes hanc libertatem. Adstitit adhuc hoc tempore elevationi corporis S. Thomæ Cantuariensis. Bona ecclesiæ S. Augustini
1221. eodem anno confirmavit. Transtulit anno 1221 in cœnobio S. Winoci corpus S. Oswaldi regis & S. Idabergæ virginis in novam capsam. Eleemosynam decem mensurarum terræ factam sancto Bertino a Gileberto de *Nielles* confirmavit mense Januario, subscribente Petro de *Doy* canonico
1222. Morinensi. Sigillo suo munit anno 1222 donationem a Johanne milite domino de *Contes* & Aghelina ejus uxore, & a Willelmo de *Contes* milite cognato ejusdem Johannis assensu Julianæ uxoris suæ factam monasterio S. Andreæ de Ne-
Spicil. t. IX. p. 642 & 644. more. Restitutam Andrensi monasterio decimam de *Ales* mense Martio confirmavit, & Aprili monasterio S. Augustini decimam de *Lienghem*. Monachis B. Mariæ de Valle concessit ut tenerent sex jugera & dimidium terræ in censiva ipsius
1223. in territorio de Luperis mense Maio 1223.
Ch. xxv. col. 408. Domum & furnum apud Parisios monachis S. Martini a Campis dedit mense Nov. Possessiones & privilegia abbatiæ Liskensis stabilivit mense Februario, & Martio factas S. Andreæ donationes a nobili juvene Anselmo domino de *Kreseke*. Casleto burgo maritimo in oppidum munitum ac portum Philippi comitis Boloniensis munificentia assurgenti duos ad curandam plebem presbyteros
1224. præfecit anno 1224, & parochiarum terminos pontificali auctoritate descripsit. Lilerii canonicos capitulo & potestate eligendi decanum donavit anno eodem, & Beatricem comitissam de *Ghisnes* & castellanam de *Bourbourg* defunctam sepelivit
Spicil. t. IX. p. 651. in monasterio de *Bonhem*. Restitutiones factas Andrensi monasterio laudavit anno 1225 mense
1225. Maio, & Januario redditam ab Elizabeth comi-
Ch. xxvi. col. 409. tissa S. Pauli Majori monasterio domum de *Oos*, & Februario donum factum prioratui S. Martini
1226. de Belloramo. Memoratur anno 1226 in char-
1227. tulario S. Judoci. Anno 1227 hospitale leprosorum de Gravelinga ordinavit, ecclesiæ Aquicinctensi datam eleemosynam a Balduino de Bethunia literis suis significavit, & sigillo suo munivit mense Januario transactionem inter monasterium S. Augustini & Johannem de *Folkestin* militem, dedit adhuc hoc anno literas de jurisdictione & justitia seculari quas habet ecclesia
1228. S. Bertini in villa Arquensi. Dedit anno 1228,

A Willelmo abbati S. Bartholomæi Noviomensis decimam de Rebrevieltis. Dedit eodem anno 20 solidos Parisienses in censu de Campellis ecclesiæ Ch. xxvii. col. 410.
Caroliloci pro fratre suo Gualtero de *Monstereul* qui inibi elegerat sepulturam: ædem quoque hoc anno sacravit in pago de *Bignicourt*. Annis jam gravis senioque fatiscens, *generalis pater Adam* Spicil. t. IX. p. 660.
Morinensis episcopus in crastino sanctæ Resurrectionis anno 1229 clero suo & populo valedicens cessit, 1229.
& apud Claramvallem non sine dolore multorum recessit: suam quippe ecclesiam domibus decoravit, reditibus ampliavit, & nulli unquam onerosus exstitit, eleemosynis deditus, ore pius, corde benignus, in B *omnibus congregationibus suæ diœcesis pecuniam dispersit & ad anniversarium suum delegavit.* Morinensis quondam episcopus dicitur anno 1230 in veteri charta Trium fontium. Ferreolus Locrius in catalogo scriptorum Artesiensium ad calcem chronici Belgici tradit Adamum Atrebatensem fuisse & canonicum Lileriensem ante episcopatum, & factum Cisterciensem monachum scripsisse historiam sui ordinis. Inter piæ memoriæ viros in martyrologio Gallicano recensetur, assignata ad 18 Augusti obitus die, an. 1250 apud Malbrancum.

XXXVII. PETRUS I.

De Doy. Ibid.

C *Statuta a Morinensi capitulo electionis die, magistrum Petrum de Collemedio natione Campanum, Morinensem canonicum, in partibus Tolosanis auctoritate apostolica occupatum concorditer elegerunt, & duos pro eo canonicos transmiserunt. Sequenti die post electionem Tarvannensis capituli canonici Audomarenses eumdem Petrum in patrem & pastorem nominaverunt. Comperta idem Petrus utraque electione, qui Turonensem metropolim & alias sedes cathedrales recusaverat, cathedram Morinensem abjecit, & ecclesiæ S. Audomari adhæsit. Morinensis vero ecclesia dominum Petrum Flandrensem archi-* D *diaconum, præsente eodem Petro & singulis approbantibus, solenniter elegit, sed antequam consecraretur, per annum integrum sedes vacavit*, quoad in Claravalle tyrocinium suum complesset Adamus. Ibid. pag. 664.
Anno enim MCCXXX dominus Petrus in Morinensem episcopum consecratus in Ramis Palmarum 1230.
cum magna gloria cleri & populi in sede propria recipitur, & die sequenti D. Jacobus in abbatem S. Bertini ab eo benedicitur. Ita chronicon Andrense, cui ad verbum accinit chronicon sancti Bertini. Anno eodem Petrus in vigilia Ascensionis confirmaverat monasterio sancti Augustini decimas de *Lienghem*, & die Martis post festum E S. Matthæi una cum Philippo decano S. Audomari auctor fuerat compositionis inter episcopum Meldensem & capitulum de observandis a capitulo statutis. Corpus S. Bertini ad preces Jacobi abbatis cum Assone Atrebatensi episcopo e veteri in novam capsam transtulit fer. IV XVII cal. Augusti 1231 & in ea inclusit rescriptum Gregorii 1231.
IX privilegium S. Audomari confirmantis VI Malbranc. tom. III. p. 488.
idus Maii pontificatus anno V: alii hanc translationem ad annum 1234, alii ad 1237 assignant. Anecdot. tom. III. col. 717.
Cum Petro præposito S. Audomari composuit an. 1232 litem inter monasterium S. Augustini & Rainaldum

ANNI CHRISTI

& Rainaldum de Aria. Petro episcopo donationem a fratre Balduino de *Lens* factam in nemoribus de Resbeka confirmavit Renaudus de *Lens*
1232. anno 1232 2 Februarii. Fernandum comitem Flandriæ cum aliis episcopis juxta Insulam in parthenone nuper ab uxore ipsius fundato sepelivit
1233. anno 1233. Confirmavit anno 1234 literas
1234. Marchi de *S. Pierre maisnil.* Occurrit an. 1236
1236. in chartis prioratus de Belloramo. Simonem ab-
1237. batem S. Bertini consecravit circa annum 1237. Apud *Montrimert* adfuit hebdomada ante Pente-
1239. costen anni 1239, quando combusti 183 Bulgari. Comprobavit mense Martio venditionem fratribus S. Andreæ factam a Willelmo de *Enkinegatte* filio & herede D. Gilberti de *Enkinegatte* militis de consensu uxoris ipsius Aëlidis.
1241. Convenit mense Maio 1241 cum capitulo S. Audomari ut ad synodum venirent. Commutationem fecit cum monasterio S. Augustini anno
1242. 1242. Insequenti mense Junio cessit in posterum
1243. procurationem quam episcopi Morinenses percipiebant apud S. Crispinum in Cavea dioec. Suessionensis ratione juris patronatus apud *Houvin.* Omnes decimas villæ de *Resbech* monasterio S. Augustini asseruit, eidemque confirmavit venditionem factam a Willelmo *Haves* & Elizabetha
1244. ejus uxore mense Februario 1244. Ratam ha-
1249. buit anno 1249 donationem ab Aëlide relicta Willelmi *Trost* factam eidem monasterio. Gilbertum abbatem Sithiensem confirmavit & con-
1250. secravit anno 1250. Occurrit adhuc mense Februario anni ejusdem, modo 1251, in chartulario Hamensi, ubi laudavit collationem duarum terræ mensurarum primum ab Anselmo homine suo domino de *Kreseke* nobili viro, deinde ab ipsius filio Roberto fratribus S. Andreæ factam. Hominem exuit die 23 Martii anni 1250 aut 1251, pro diverso computandi more, & sepultus est in choro ecclesiæ suæ ante majus altare sub tumba lapidea: sedes enim vacabat mensibus Julio & Novembri, quo Gilbertus abbas S. Bertini sede Morinensi vacante litem judicio dirimit inter abbatem & conventum Berghensem ex una parte & abbatem conventumque Hamensem ex alia. Petrus autem inter præcipuos benefactores ab ecclesia Morinensi semper adscriptus est, etiam in pluribus collectis Missalium propriorum ultimo editorum, ubi expresse nominatur cum Henrico, Jacobo pontificibus, & Johanne decano *quondam benefactoribus nostris.*

DE CALA.

XXXVIII. RADULFUS.

Prudens & industrius antistes Radulfus missus
1253. est anno 1253 a Margarita Flandriæ comitissa in Hollandiam, inde Vormatiam ad Guillelmum Cæsarem, ut una cum Waltero Tornacensium episc. de redemtione Guidonis & Johannis prin-
1254. cipum ageret. Literis datis mense Aprili 1254
Ch. XXVIII. col. 410. confirmat chartam Ludovici primogeniti regis Claro marisco asserentis donationes factas a parentibus suis, aliasque facientis 1218 mense Nov. Agnovit anno eodem nullam sibi in monasterio S. Andreæ deberi procurationem, duodecimque libras ab abbate B. Mariæ Boloniensis acquisitas. Sexaginta dies de injunctis pœnitentiis relaxavit anno 1255 iis qui ad reparandas ecclesiæ S. 1255. Ch. XXIX. col. 411.
Wlmari Boloniensis ruinas quidquam conferrent. Adstitit synodo Parisiensi pridie cal. Augusti
1256, cujus literarum publicum instrumentum 1256.
concessit Academiæ Paris. in crastino Inventionis S. Stephani. Interfuit XV cal. Octobr. anni ejusdem translationi S. Fursæi Peronæ, & 1257 1257.
die 2 Septembr. S. Quintini martyris, cui adfuit Ludovicus rex Francorum. Monasterio S. Augustini factam a Roberto de *Kreseke* milite donationem eodem approbavit anno. Subscripsit
anno 1259 literis episcoporum S. Ludovico 1259.
concedentium, ut quæ ignotis restituere non poterat, pia in opera impenderet. Sigillo munivit
suo anno 1260 venditionem factam monasterio 1260.
S. Augustini a Johanne filio Egidii de *Pipemont.*
Ratam habuit anno 1261 aliam eidem mona- 1261.
sterio factam venditionem ab Elizabetha domina de *Enkinegatte* uxore quondam Guillelmi domini de *Enkinegatte* militis defuncti, tum autem Ingerranni de *Journi.* Ecclesias monasteriorum Du-
nensis & Cari campi sacravit anno 1262. Sedes 1262.
autem vacabat mense Decembri anni ejusdem, ac proinde cessit Radulfus hoc anno, si obierit, ut volunt, anno 1264, quo Boloniæ concilium celebratum, in quo Angli regi suo rebelles excommunicati. Recolitur dies obitus Radulfi in calendario Morinensi IV nonas Januarii.

XXXIX. HENRICUS I.

DE MURIS.

Quo præcise anno episcopatum auspicatus sit Henricus incertum, illud tantum constat canonicos Morinenses eligendi episcopi a rege facultatem petiisse anno 1268 in vigilia S. Martini hiemalis, sedem vacasse mense Maio 1271 ex chartis Corbeiensibus, & temporalia hujus ecclesiæ in manibus regis fuisse ab anno 1272 ad 1277. Attamen Henricus recensetur Morinen-
sis episcopus anno 1270 post Pascha in archivo 1270.
Pontis-Dominarum. Concilio Lugdunensi adfuit cum Johanne de Bosco Bertiniensi abbate
anno 1274. Nondum autem regi fidem dixerat, 1274.
quam ex cantore factus episcopus, & a Johanne
XXI confirmatus, præstitit anno 1277, statim- 1277.
que ei petenti ad preces Johannis summi pontificis post diuturnam contentionem regalia hujus ecclesiæ concessa sunt apud Gisortium die Lunæ ante Ascensionem. Circa id tempus convenit cum capitulo Morinensi medietatem emolumentorum sigilli & emendarum tempore vacantis sedis post obitum sui decessoris sibi ut successori cedendam, aliamque medietatem ecclesiæ pro reditibus ad augmentationem præbendarum & distributionum; sed hæc concordia mutata est tempore Johannis de *Vienne,* de quo infra. Anno 1277 cum primo in nativitate sua villam Corbeiæ intraret, bannitos qui banniti erant pro levioribus delictis in villa Corbeiensi libertate donavit petita prius licentia die Martis ante festum S. Michaëlis. Hoc quoque anno interfuit concilio provinciali apud Compendium habito. Anno sequenti vacantis sedis reditus percepit ab Egidio *la Chaussée* regaliorum custode.

ANNI CHRISTI

E suo prædio instituit sacellaniam clericorum an.
1280. 1280, parochias Halinarum & Wesernæ eodem divisit anno. Capellam S. Laurentii infra limites B. Mariæ de Novo portu in parochiam erexit an.
1281. 1281. Memoratur anno 1282 mense Maio in
1282. tabulis domus Dei Meldensis. Adamum abbatem S. Faronis Meldensis testamenti sui exsecutorem nominavit anno 1283. Occurrit adhuc anno
1285. 1285. Magnificam corpori S. Humfridi condendo ex argento capsam fieri curavit. Defunctus
1286. anno 1286 ex chronico Clari marisci, sepultus est in parte sinistra chori Morinensis, ubi legitur evangelium, cum hoc epitaphio Latina & Gallica linguis exarato :

Anecd. tom. III. col. 1386.

Vado mori præsul, baculum, sandalia, mitram,
Nolens sive volens desero, vado mori.

Henri de Murs reverend pere en Dieu
Au temps jadis evesque de cest lieu,
Gist & repose en terre chy devant;
Long temps pour lors y ot siege vacant,
Dont grans deniers receups & conservés,
Convertis furent & par lui exposés
En la faction des deux fiertres lassus
Du grant portal, du pavement cha jus.
Moult d'aultre biens fit digne de memoire;
Prions Jesus qu'il lui ottroit sa gloire.

Obiit autem venerabilis iste Henricus Morinensis episcopus sexto idus Aprilis. Necrologium Meldensis ecclesiæ hujus meminit ad diem 7 ejusdem mensis.

XL. Jacobus.

De Bouloone.

E nobili prosapia Boloniensi, unde forte de Bolonia cognomen, parentibus Willelmo *le Moute*, al. Roberto *le Moiste*, regi a consiliis, & Margareta *du Bucquet* ortus Jacobus, fratres habuit Robertum Madidum præpositum Iprensem, dein abbatem Russelli villæ & Guillelmum urbis Boloniensis majorem, patriæ defensorem.
1287. Adfuit anno 1287 concilio provinciæ Remensis, cui præerat Petrus *Barbet* archiepiscopus. Parochiam S. Bertini in *Poperinghes* propter multitudinem crescentis populi in tres divisit anno
1290. 1290. Concilio Remensi adfuit anno 1291,
1291. adversus Mendicantium privilegia. Fundavit an.
1293. 1293 unam capellam in ecclesia Boloniensi, dictam Capellam episcopi. Eustachium abbatem
1294. Sithiensem consecravit anno 1294. Interfuit
1296. consilio regis 21 Januarii 1296. Capellam B.
1300. Mariæ de Miraculis fundavit anno 1300 in ecclesia Tarvannensi cum decantatione solenni antiphonæ *Salve regina* ante imaginem B. Virginis in area singulis Sabbati diebus. Fundavit adhuc 15 obitus per annum ad defunctorum
1301. salutem. Obiit idibus Septembris anno 1301 vir magnæ apud se frugalitatis & profusæ in egenos ecclesiamque suam liberalitatis, inter primarios capituli benefactores jure nominandus.

Jacobo defuncto, episcopatus Morinensis *fuit in regalia* a vigilia B. Matthæi usque ad festum
A B. Luciæ, ex schedis D. *du Fourni*. Et certe mense Novembri die Mercurii ante ferias divi Clementis anno 1301, vacante adhuc sede Morinensi, coacta est apud Compendium synodus provincialis ab archiepiscopo Remensi, in qua excommunicati abbates quicumque conspiraverant in suos episcopos.

XLI. Ingelrannus.

De Crequi.

De Ingelranno diximus in episcopis Cameracensibus tom. III. col. 39, illam enim sedem tenuit ad annum circiter 1285,* sed ob civium a
B seditiones & tumultus abdicavit. Itaque petita a 1285.
capitulo Tarvannensi in locum J. defuncti eligendi facultate, electus est Ingelrannus, cui 22 Nov. anni 1301 concessa sunt regalia. Synodo Compendiensi adfuit anno 1304. Adstitit an. 1304.
1306 translationi capitis S. Ludovici regis ad 1306.
Sacram capellam, ceterisque cum episcopis concessit unum annum & dies 20 de injunctis pœnitentiis singulis qui huic solennitati vere pœnitentes & confessi interfuerant. Occurrit anno
1307 in charta E. abbatis S. Bertini, anno 1307.
1309 11 Julii indict. VII, Clementis V anno 1309.
IV, & anno 1311 in regestis cameræ computorum. Flandros rebelles qui ante annum 1303
C Morinensem civitatem ejusque ecclesias incenderant excommunicavit excommunicatosque denunciavit 24 Augusti 1314. Concilio Silva- 1314.
nectensi adfuit anno 1317. Probavit institutam 1317.
in ecclesia Montis S. Eligii per Mariam comitissam S. Pauli capellaniam anno 1320 mense 1320.
Decemb. Sub ejus temporibus fundata est Car- *Ch. XXX. col. 411.*
tusia B. Mariæ a Pratis anno 1325. Capellam 1325.
B. Mariæ in puerperio in ecclesia Tarvannensi ipse fundavit anno 1327. Refossum cadaver 1327.
Jacobi Peytæ Berghensium plebeiorum præfecti, sacrilegi & seditiosi hominis, cremari publice jussit anno 1329. Eodem Petro militi conces- 1329.
D sam a summo pontifice in parochia *d'Estrées* capellæ construendæ facultatem ratam habuit mense Decemb. Sepultus est in ecclesia sua, defunctus 29 Nov. anni 1330. Ab hac autem 1330.
die ad 19 Februarii sequentis, episcopatus bona fuere in manibus regis.

XLII. Johannes III.

De Vienne.

Apostolicæ promisit cameræ ex Abrincensi sede translatus Johannes die 4 Febr. 1331, & 1331.
quindecim post diebus temporalium ecclesiæ Morinensis in possessionem est missus. Orator a Philippo rege legatus est 20 Martii 1332 ad 1332.
E sedem apostolicam de Asiatica expeditione suscipienda, & in publico consistorio cui adsuit VII cal. Augusti 1333 apud Avenionem cum aliis 1333.
oratoribus jurejurando affirmavit regem vel ejus filium Johannem iturum ultra mare. Traductus

* Id constat ex charta, quam in ecclesia Cameracensi tom. III. col. 36, male ad annum 1236 exscripsimus, quæ data est anno 1286 a Guillelmo. Hujus autem chartæ occasione sic in antecessum restituendus locus eadem columna 36. Nihil jam impedit quominus mors Godefridi n. XLIX notata anno 1238, eodem permaneat. Guillelmus I n. L expungendus : quæ enim de eo ad annum 1242 retulimus, ad G. ut legitur in authentico, id est ad Guiardum n. LI pertinent. Charta autem spectat Guillelmum I *de Hainaut*, qui proinde hoc anno 1286 saltem Ingelrannum II n. LIII. exceperat.

ANNI CHRISTI

est anno sequenti ad metropolim Remensem, quo nomine cameræ apostolicæ promisit die 4.
1334. Nov. 1334. Dum autem esset Morinensis episcopus, mutavit pactionem Henrici *de Muris*, de qua ad annum 1277, ac novam condidit cum capitulo, ut medietas prædicta emolumentorum in usus episcopi cederet & alia fabricæ ecclesiæ, quæ quidem compositio auctoritate apostolica fuit confirmata.

XLIII. RAIMUNDUS. SAQUET.

Senator Parisiensis Raimundus, electus est episcopus Morinensis mense Nov. 1334, ex libro obligationum Vaticani. Confirmavit anno eodem Alelmum abbatem S. Bertini. Pacis conciliandæ ergo inter principes Christianos legatus est a rege ad Eduardum Angliæ regem, qui eum in fidem
1335. suam accepit die 16 Sept. 1335. Querelam habuit cum Balduino de *Chanterane* decano & capitulo pro jurisdictione quam sibi vindicabat capitulum, cujus finiendæ causa arbitros elegerunt cardinales Petrum S. Praxedis presbyterum & Bertrandum S. Mariæ in Aquiro diaconum, qui compositionem fecerunt apud *Wissant* 26
1337. Nov. 1337, ab ejus nomine dictam Raimundinam, quam confirmavit Clemens papa XVI cal. Aprilis anno 1344. Ratam habuit Raimundus
1340. anno 1340 concordiam inter priorem de *Framecourt* & rectorem de Alta cloca. Eodem anno ad castra regis accessit cum tribus equitibus & 23 scutiferis ad expeditionem Bonivensem. Nepotem habuit Raimundum de Cartanhaco, quem rex avunculi ejus intuitu instituit castellanum & capitaneum castri de *Penne* in Aginnensi pago
1342. die 10 Novembris 1342. Adstitit consistorio
1344. publico die 16 Januarii 1344, in quo Ludovicus Bavarus imperator per legatos Clementi VI sese subjecit. Sedit in concilio Remensis provinciæ 26 Julii anni ejusdem. Creatus est in
1345. Asia legatus a Clemente VI, XV cal. Aprilis pontificatus anno III, cum potestate tractandæ inter Gualterium ducem Athenarum & Catalanos concordiæ, quo viribus conjunctis Turcarum impetus eliderentur; sed Philippi regis precibus revocatus est V idus Maii. Raimundi tem-
1346. poribus Caletum ab Anglis capitur anno 1346, & civitas Morinensis septimum diripitur & concrematur: templum quoque cathedrale spoliari cœptum erat, sed quum Anglus quidam jactu sagittæ coronam Deiparæ virginis quæ sublimi quodam stabat pegmate, conatur dejicere, fractus arcus circumstantes graviter fragmentis suis vulneravit: tum parcitum templo creditumque divinitus direptionem prohiberi, religiose supplicatum ac dona certatim ab Anglis virginis aræ
1350. collata. Raimundus autem a Clemente VI nuncius missus est IX cal. Junii pontificatus anno IX in Siciliam ad Ludovicos & Johannam reginam Siciliæ, quem legatum a latere creavit ibidem pridie idus Augusti. Raimundo apostolicæ sedis legato Clemens VI commendavit fratrem Petrum Fanensem milites ducentem ad-
1351. versus Saracenos bulla data Avenione V non.
1354. Martii anno IX. Anno 1354 missus est orator

a rege Francorum ad partes regni Castellæ una cum Reginaldo abbate S. Johannis de Falesia & Guillelmo *de la Barriere* milite. Ad metropolim Lugdunensem translatus est anno IV Innocentii VI, vide tom. IV col. 168.

XLIV. EGIDIUS. AICELIN.

Patria Arvernus Egidius filius Egidii II domini Montis acuti & Malcaronæ *de Turre*, dominus de *Listenois* in Arvernia juxta Billionum, frater Petri Laudunensis episcopi & cardinalis, canonicus Lugdunensis Raimundo successit anno 1357, ex actis consistorialibus Vaticani, quæ 1357.
laudant Sammarthani. Eodem anno Petro de *la Forest* cancellario cancellarius successit, quo nomine ex Anglia ubi Johanni regi adstabat, ad cameram computorum Parisiensem scripsit 21 Sept. Ab Eduardo III licentiam obtinuit 14 Octobr. 1357 morandi in Anglia ad pacem tractandam cum Francia. Sigilla deposuit & Arverniam repetiit ante Pascha 1358. Attamen 1358.
Egidius Morinensis episcopus & Franciæ cancellarius Nemausi die 14 Martii 1359 misit Vin- 1359.
centium *Halin* qui cognosceret & referret quo in statu essent hostes. Egit de pace cum rege Angliæ anno 1360. Insequenti Innocentius VI 1360.
ad eum scribens VI cal. Maii anno 1361 seu 1361.
anno IX sui pontificatus, Egidium appellat Franciæ cancellarium. Paulo post absens creatus est presbyter cardinalis ab Innocentio VI 17 Sept. 1361, vulgo dictus cardinalis Morinensis. Cum cardinali Bononiensi die 10 Februarii 1363 Avenione Narbonam proficiscitur missus a rege Francorum pro habendo ibidem tractatu cum rege Navarræ. Urbanus V ei & Johanni de Blandiaco curam reformandæ Universitatis Parisiensis commisit anno 1366. Postea episcopus Tusculanus factus est ac legatus Gregorii papæ XI in Hispaniam, ut controversiam componeret inter regem Aragonum & Ludovicum ducem Andegavorum. Regi Carolo duos equos generosos dedit anno 1377. Obiit paralyticus Avenione die 5 Decemb. 1378. Exstat tom. II Anecd. col. 1081 epistola cujusdam familiaris ad eum lectu digna de schismate tunc exorto.

XLV. ROBERTUS. DE GENEVE.

De Roberto jam diximus in episcopis Cameracensibus. Ex canonico Parisiensi electus episcopus Morinensis, pro Egidio antecessore promisit die 1 Decemb. 1361, ex libro solutionum prælatorum sub Innocentio VI. Translatus ad ecclesiam Cameracensem, promisit pro Morinensi cui præfuerat, 13 Octobris 1368, vide 1368.
tom. III col. 45. Factus summus pontifex Clementis VII nomine, in suos magnificus, Morinensem quoque ecclesiam cohonestavit muneribus, multa largitus indulta apostolica, insuper cappam pretiosam & vas seu ciborium inauratum ad deferendum corpus Dominicum die festiva Sanctissimi sacramenti anno 1386.

XLVI. GERARDUS II. DE DAINVILLE.

Morinensi ecclesiæ per translationem Roberti

ANNI CHRISTI

ad Cameracensem vacanti Gerardum ex Atre- A
batensi præfecit Urbanus V bulla data Viterbii v idus Octobr. pontificatus anno VI. Gerardus autem promisit die 1 Febr. sequentis & recognovit pro Roberto & Egidio decessoribus, ex regestis Vaticani. Vir pius & doctus ad Cameracensem ecclesiam translatus est mense Maio
1371. 1371, ut diximus tom. III col. 46 & 339.

ROBERT.

XLVII. ADEMARUS.

Ex Atrebatensi quoque ecclesia translatus Ademarus, ut prælibavimus tom. III col. 339, promisit 9 Augusti 1371 & recognovit pro Gerardo decessore. Temporalia tamen episcopatus bona a rege ei tantum concessa sunt die 29 Julii
1372. 1372. Solenniter ingressus villam de *Poperinghes*
1373. anno 1373, bannitos libertate donavit. Discordantes canonicos & parochos S. Pauli pro defe-
1374. rendo SS. Sacramento conciliavit 20 Maii 1374.
1375. Ad metropolim Senonensem transiit anno 1375. Plura sancivit decreta synodalia ad honorem SS. Trinitatis, ad augmentum devotionis, & 20 dies indulsit iis qui genua flecterent ad hæc verba Missæ: *Gratias agamus domino Deo nostro.* Annua illius memoria die 26 Februarii in choro Morinensi perennavit.

D'ORGEMONT.

XLVIII. PETRUS II.

Petrum exsecuti jam fuimus in ecclesia Parisiensi, ad quam e Morinensi traductus est. Morinensis autem electus promisit 30 Maii & recognovit pro Ademaro decessore anno 1375
1376. & promisit ultima Februarii 1376, in regestis Vaticani. Die qua inauguratus fuit, dedit ei rex annulum aureum pontificalem gemmis decoratum pretio 300 librarum, quas quæstoribus suis ut solverent jussit rex die 13 Martii anno 1383. Petrus occurrit in chartis authenticis D. de *Gaignieres* episcopus Morinensis & regi a consiliis
1377. annis 1377 & 1378. Præses autem cameræ
1378. computorum annis 1380, 1381, 1383 sub
1380. pensione annua 1000 librarum, insuper ser-
1381. vitiorum suorum intuitu alias 1000 libras ac-
1383. cepit a rege 25 Novembris 1383. Translatus
1384. anno 1384 ad ecclesiam Parisiensem, ut diximus tom. VI col. 140, quædam legavit capitulo Tarvannensi ad duos obitus 30 Junii & 1 Augusti perpetuo celebrandos, & dedit ecclesiæ ornamenta rubri coloris.

§ N. de *Waurin* filius Petri de *Waurin* & de *Lillers* defuncti anno 1383, & Mariæ d'*Arleux*, episcopus Tarvannensis memoratus in historia magnatum Franciæ tom. VI pag. 705, nullibi reperitur.

TABARI.

XLIX. JOHANNES IV.

Ortu Lemovix Johannes, natus quippe in villa Stirpensi, clericus medicus & a secretis Carolo V regi, ad quem scripsit sex libros de Medicina, qua in arte versatissimus erat, beneficiis ecclesiæ ab eo impinguatus est: fuit enim canonicus Parisiensis, Ambianensis, Carnotensis, Cameracensis, Tornacensis, Atrebatensis ac collegiatæ S. Petri Insulensis, demum ab eo quoque promotus ad sedem Morinensem 21 Februarii anno 1384, ut nunc loquimur, cameræ apostolicæ promisit die 25 mensis ejusdem, & recognovit pro Petro decessore, consecratus episcopus die 13 Martii anni ejusdem. Solvit autem 15
Junii & 19 Decembr. 1391. Interfuit transla- 1391.
tioni reliquiarum S. Ludovici in monasterio S.
Dionysii anno 1392, & concilio Parisiis ad 1392.
sedandum schisma habito 1394. Celebravit offi- 1394.
cium in die depositionis S. Bertini in monasterio Sithiensi die Sabbati 5 Septembr. anni ejusdem absque præjudicio immunitatum monasterii. Filium comitis Regitestensis in ecclesia S. Vedasti
B Atrebatensis pontificalibus indutus baptizavit 11
Februarii 1402, datis literis quibus privilegiis 1402.
abbatiæ cautum volebat. Prætorium episcopale & aquæ ductus subterraneos urbis Tarvannensis construxit. Testamenti sui tabulis 7 Martii 1402 constituit sepulturam ante altare ecclesiæ Morinensis, in qua duas capellanias Parvi crucifixi, alias de *Tabari* fundat, legat ecclesiæ Parisiensi 12 libras super domibus suis Lutetiæ sitis: ecclesiis quoque cathedralibus, in quibus præbendas obtinuerat, sacrificia celebrari mandat, uti & anniversario die obitus sui in monasterio villæ Stirpensis, in quo capellaniam fundavit ut prior
C claustralis ei deserviret. *Ordino*, inquit autographum originale, *quod in missis celebrandis pro* *Sammarth.*
animabus regis quondam Caroli defuncti & reginæ ejus consortis quidquid rex de benignitate sua, uti suus secretarius pro me tractavit, omnibus modis & de ejus immensa clementia nutrivit, & faciendo dictum officium sui secretarii defectus meos caritative supplevit, centum franci presbyteris de bonis meis assignentur, licet a decessu suo citra orationes ac preces quas potui feci, & pro salute sua continuari procuravi, & faciam Deo dante quamdiu vixero non immerito obligatus. Legat item quædam bona maritandis pauperibus puellis, ac quibusdam suis pro-
D pinquis. Confratriam S. Sebastiani, quam de novo incœperat in villa Morinensi propter mortalitatem grassantem, quibusdam missis dotat. Exsecutores hujusce testamenti nominat Hugonem S. Flori episcopum, Henricum de Marla & Jacobum de *Rully* præsides in parlamento Parisiensi, tum sub finem subjungit: *Devotissime supplico excellentissimo principi Carolo Francorum regi, per cujus preces & scripta promotus fui ad Morinensem ecclesiam, necnon strenuissimis principibus dominis meis metuendis Johanni Bituriæ & Philippo Burgundiæ ducibus, quorum regum atque ducum servitor fui, me existente in officio secretarii*
E *præfati regis genitoris moderni regis, ac germani prædictorum ducum, intuitu servitiorum præfatis regibus ac ducibus per magna tempora fideliter impensorum, de liberalitate cujuslibet ipsorum magnificæ clementiæ mei testamenti custodes, protectores ac defensores adesse dignentur, & submitto tuitioni excellentis ac in toto orbe terrarum famosi in omni justitia ac semper laudabilis curiæ Parisiensis parlamenti.* Parisiis autem animam exhalavit XIV cal. Februarii, al. 15 Februarii, alias XV cal. Octobris,
anno 1403. Corpus delatum Tarvannam, se- 1403.
pultum est ante chorum cum tumba in cathedrali,

ANNI CHRISTI

cujus in tabulario anniversarium perpetuum habet. De eo martyrologium ecclesiæ Parisiensis: *XV cal. Februarii obiit Reverendus in christo pater D. Johannes* Tabari *episcopus Morinensis & prius canonicus hujus ecclesiæ, qui dedit huic ecclesiæ pro anniversario faciendo 12 libras cum sedecim solidis Parisiensibus.*

5 Nescio autem quis sit ille Simon, qui ad Clementem VII defecit anno 1390, & episcopatu Morinensi privatur a Bonifacio IX anno 1392, de quo Reginaldus tom. XVII ad annum 1391 n. 4; sicut & Petrus qui Morinensis memoratur episcopus die 18 Maii anno XI Bonifacii IX, hic est 1400, in regestis Vaticani.

RENAULD.

L. Matthæus.

E Bapalmis in diœcesi Atrebatensi oriundus Matthæus, doctor theologus, Carolo VI regi a confessionibus & canonicus Parisiensis, Morinensis electus & confirmatus legitur die 8 Julii
1404. 1404 in regestis Vaticani. Johannem *le Blicqure* abbatem Sithiensem confirmavit & ordinavit an.
1407. 1407. Hospitatus aliquandiu apud Arkas, literas dedit abbati & monachis S. Bertini 27 Maii
1409. 1409, quibus significabat nolle se præjudicare libertatibus monasterii. Concilio Pisano per procuratorem eodem anno adfuit. Huic indulsit anno
1411. 1411 Johannes XXIII, ut quædam beneficia posset conferre, & hoc anno 6 Februarii, certe 1412, contulit prioratum Ardensem dependentem a Capella tunc destructa, ne nimia vacatione laboraret. Vitas summorum pontificum scripsit. Tarvannæ fato functus est XIII calendas Aprilis
1414. 1414. Jacet in cathedrali, institutis duobus capellanis ad altare S. Matthæi prope locum sepulturæ, quod per Johannem *de Wissocq* decanum testamenti exsecutorem construi ordinavit.

DE LUXEMBOURG

LI. Ludovicus.

Matthæo defuncto, Guillelmum sedis apostolicæ camerarium e Lausanensi ad Morinensem ecclesiam transtulit Johannes XXIII bulla data Constantiæ IV non. Januarii pontificatus anno V,
1415. hic est 1415; at quia erat alienigena Guillelmus, huic Aquitaniæ dux Delphinus Viennensis temporalia ecclesiæ denegavit die 25 Martii. Itaque inter Ludovicum de *Luxembourg* & Egidium de Campis præcipuum Caroli VI regis eleemosynarium scissis canonicis, ecclesiæ Morinensi prælatus est Ludovicus B. Petri de Luxemburgo nepos, Johanne domino de *Beaurevoir* & Maria Anguiana Briennæ comitissa parentibus ortus, canonicus ecclesiæ Morinensis. Huic quidem electioni intercessit Guillelmus, at frustra; dux enim Aquitaniæ mandavit nullam intercessionis Guillelmi habendam rationem. Et certe Ludovicus electione admissa, a Reginaldo Remensi archiepiscopo confirmatus consecratusque est, & regimini ac administrationi ecclesiæ Morinensis sese admovit statim. Benedixit enim cœmeterium in quo sepulti qui in prælio ad Azincurium castrum hujus diœcesis in Picardia occubuere 25 Octobr. 1415, & diœcesim suam visitans anno
1416. 1416 solenni pompa Ipram receptus fuit ban-

A nitosque omnes libertate donavit favente Burgundiæ duce. Neque tamen pacifice possedit, priusquam translationem Guillelmi revocaverit Martinus V pontificatus anno 1. Quin immo 1417.
electus adhuc dicitur Ludovicus 12 Decembris 1418 in regesto Benedicti XIII, & factus episcopus Morinensis a Martino V IV cal. Decemb. 1418.
1418 in regestis Vaticani. Eodem anno factus est protopræses cameræ computorum Parisiensis, & in Flandriam & Picardiam profectus est ad pacem inter Delphinum & ducem Burgundiæ conciliandam. Insequenti indulsit ei Martinus V ut octo ejus familiares obsequiis ipsius insistentes
B possent per quinquennium percipere fructus beneficiorum suorum, datum Florentiæ VI idus Aprilis pontificatus anno 2, id est 1419. Non- 1419.
dum quiescebat Guillelmus, quem hoc anno ad Lausanensem revocavit Martinus V, volens ipsum remanere in ecclesia Lausanensi, mandavitque episcopo Atrebatensi, ut de persona Ludovici ecclesiæ Morinensi provideret, faceretque ipsi de fructibus integre responderi. Datum Mantuæ IX cal. Decembris pontificatus anno 3. Ludovicus autem adfuit Petro *Cauchon* episcopo Bellovacensi ecclesiam suam solenniter ingredienti anno 1420. Biennio post in Angliam cum aliis 1420.
C proceribus missus est, qui novas adversus Carolum VII regem copias cogeret, ibique mansit a die 19 Nov. 1422 ad 28 Martii sequentis. 1422.
Ludovico rex Angliæ donavit anno 1423 domum Parisiensem episcopi Laudunensis, qui a 1423.
partibus Caroli VII stabat; ab eodem ærario regio præfectus est 21 Junii 1424, Franciæque 1424.
cancellarius declaratus literis Henrici VI regis Anglorum, qui se Franciæ regem jactitabat, datis Luteciæ 7 Februarii 1425. Plurima Lu- 1425.
dovico & Martiali episcopo Ebroicensi dona largitus est Johannes dux Bethfordiensis 14 Junii 1429, eique mandavit ut super Parisienses 1429.
D invigilaret. Ludovicus autem die 26 Augusti anni ejusdem in curia parlamenti renovari fecit pactum Trecense. Nuptias magna pompa Tarvannæ ineunte anno 1430 celebravit in ædibus 1430.
pontificiis inter Johannem ducem Bethfordii & Jacobam de *Luxembourg* neptem suam, filiam Petri comitis S. Pauli, quarum in memoriam donavit Bethfordius ecclesiæ Tarvannensi quinque campanas magni ponderis & pretii, quas propriis impensis afferri curavit ex Anglia. Henrici Angliæ regis coronationi in æde Mariana Luteciæ interfuit anno 1431, & judicio lato 1431.
a Petro Bellovacensi adversus Johannam Aure-
E lianensem Rotomagi penultima Maii, & 21 Decembr. adstitit parlamento Paris. in quo regi Angliæ jurata obedientia. Hunc inter alios excusavit dux Bethfordiæ literis ad concilium datis 7 Maii 1432, quod concilio Basileensi adesse 1432.
non posset. Ducis Bethfordiæ regni gubernatoris vices ei commisit Henricus rex, regnique eo absente regimen die 29 Maii 1433. Jussu con- 1433.
silii ejusdem regis Ludovico solutæ sunt 5000 marchæ die 15 Junii anni ejusdem. Memoratur in chartis authenticis D. de *Gaignieres* episcopus Tarvannensis & Franciæ cancellarius sub annua

ANNI CHRISTI

2000 librarum Turonensium pensione ab anno A 1429 ad 1436. Ab Henrico VI delegatus est
1436. 20 Junii 1435 ad tractandum de pace cum commissariis Caroli de Valesia avunculi regis, & anno sequenti ad contrahenda sponsalia cum primogenita seu alia de filiabus ejusdem Caroli. Anno 1436 cum Parisios intrassent Caroli VII Francorum justi regis homines, quam urbem ad arbitrium gubernabat Ludovicus, inde deturbatus est die 13 Aprilis; sed & episcopatu Morinensi totius regni pinguissimo & opulentissimo privatus, ad metropolim Rotomagensem XIV calend. Sept. anni 1436 postulatus transiit. Tarvannensi autem ecclesiæ testamento legavit terram de B Hermanvilla prope Atrebatum, quam emerat pro fundatione sex capellanorum in cathedrali Morinensi. Johannem Piscis episcopum Eguinensem habuit suffraganeum Ludovicus quandiu Morinensem tenuit ecclesiam.

LE JEUNE.

LII. JOHANNES V.

Ludovico ad metropolim Rotomag. translato, Johannes ex Ambianensi ecclesia translatus ab Eugenio IV IX cal. Nov. 1436, moram obtinuit
1437. 29 Aprilis 1437 ad præstandum regi fidei sacramentum. In concilio Florentino introductus est Philippi Burgundiæ ducis orator 27 Nov. C
1448. 1438. Hujus principis favore cardinalis creatus
1439. est 18 Decembris 1439, primum tituli sanctæ Praxedis, tum S. Laurentii in Lucina, ab Eugenio IV, cujus vitam scripsit, ex Locrio. Per archiepiscopum Lugdunensem procuratorem suum
1444. regi fidem juravit 6 Martii 1444, ex regestis cameræ computorum. Præsens erat cum G. cardinali Andegavensi, quum Bernardus *Fraire* Odonis episcopi Dertusensis a Felice antipapa creati cardinalis procurator, ejus nomine coram summo pontifice falsos pseudocardinalatus apices
1445. deposuit 13 Aprilis 1445. Post excessum Eugenii Romæ galero condecoratus, parum adfuit D quin in summum pontificem postulatus sit, omnium sui seculi purpuratorum patrum ditissimus. Cum aliis autem cardinalibus elegit Nicolaum V
1447. die 6 Martii 1447. Eodem anno Ferrariam missus est pacis componendæ gratia. Præmatura
1451. morte Romæ ereptus 9 Sept. 1451, ætatis anno 40, quibusdam ecclesiæ Morinensi quam nusquam intraverat ad perpetuam sui memoriam relictis, sepultus est in suo S. Laurentii in Lucina titulo cum hac epigraphe: *Hic jacet corpus Reverendi patris & Domini domini Johannis titulo S. Laurentii in Lucina S. Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis, Morinensis nuncupati, qui obiit anno* E *1451 die 9 mensis Septembris.*

Johannis temporibus Franciscani religiosi de Observantia Boloniæ admissi anno 1449.

DE BOURGOGNE.

LIII. DAVID II.

Post obitum Johannis cardinalis Morinensis electus est idibus Septembris 1451 David filius naturalis Philippi boni Burgundiæ ducis & Flandriæ comitis ex Coleta castellana dicta *du Bosquiel*, nupta deinde Stephano de *Bours*, dicto *Maillotin*. Germanos ex patre habuit Philippum episcopum Ultrajectensem, Raphaëlem abbatem Aldenburgensem & Johannem præpositum S. Donatiani apud Brugas, cui præpositus S. Donatiani successit David. Dein episcopus Morinensis sacramentum regi dixit die 8 Aprilis anno 1452, 1452.
quum prius Carolus VII Francorum rex literis datis 14 Februarii declarasset temporalia episcopatus Tarvannensis, quæ concesserat cardinali Morinensi, qui clientelam ipsi per procuratorem professus fuerat, non extendi ad beneficia, quæ sede *in regalia* vacante vacaverant, donec episcopus per se ipsum obsequium regi pro temporalibus jurasset. Dionysium *Grieten* decretorum doctorem archidiaconum & officialem Morinensem instituit procuratorem ad concilium anno 1455 1455.
in provincia Remensi celebrandum. Eodem anno electus Ultrajectensis, possessionem non adeptus est ante annum 1457. Ædium sacrarum dotator, sumtuosa ornamenta ecclesiis suis contulit. Obitus ejus annotatur in necrologio Morinensi ad diem 21 Novembris.

¶ Quis sit Hieronymus de Monteneio olim episcopus Morinensis, si bene legitur, memoratus anno I Pauli II in regestis Vaticani, hic est annus 1464, prorsus ignoramus.

LIV. HENRICUS II.

DE LORRAINE.

Antonii comitis Vaudemontii & Mariæ Harcurianæ Elbotii dominæ filius Henricus apud Tullum educatus fuit. Morinensis episcopus regi juravit fidem 20 Septembris 1456, ex regestis cameræ computorum. Tarvannam Dominica secunda Paschæ anno 1457, solenni pompa invehitur, biennioque post ecclesiam S. Audomari, 1457.
cujus erat canonicus, primo ingressus est 14 Maii 1459. Regi Ludovico XI fidei sacramentum 1459.
præstitit 12 Septembris 1461 in eisdem regestis. Parochiam de *Loisons* Petro de *Buigni* contulit die 11 Junii 1465. Coadjutorem habuit Guil- 1465.
lelmum de *Clugny* tertiogenitum Guillelmi de *Clugny* & Perenettæ *Coulot*, non de *Chalonge*, ut diximus tom. II col. 1201, archidiaconum ecclesiæ Morinensis, cui a rege commendata est administratio perpetua episcopatus Morinensis an. 1470, ut volunt, quo nomine pensionem 200 librarum nepoti suo Guillelmo super episcopatus reditibus assignavit: & certe Guillelmus de Clugniaco archidiaconus ecclesiæ Morinensis, coadjutor Henrici episcopi Morinensis 8 Octobris 1474 & VI cal. Novembris 1477 legitur in regestis Vaticani, ubi ab Ebroicensi, nisi sit error pro Morinensi, ad Pictaviensem translatus dicitur ecclesiam VI calend. Novembris 1479, retenta nihilominus administratione Morinensis episcopatus, cujus dicitur commendatarius in computo die ultima Septembris anno 1480 in camera computorum Divionensi. Triennio ante a Gandensibus cum ducissæ Burgundiæ cancellario *Hugonet* & domino d'*Hymbercourt* captus fuerat anno 1477. Henricus vero Morinensem ecclesiam, cujus aëris intemperies & ventorum frigiditas ejus saluti plurimum adversabantur, cum Tullensi aliquando permutare meditatus est, qua de re Renatus rex ad summum pontificem scripsit die

ANNI CHRISTI
1471. 4 Julii 1471 literas, quas in ecclesia Tullensi exhibebimus. Renato Lotharingiæ duci filio Frederici fratris sui cessit toparchiam de *Bores* literis datis sub sigillo vicecomitatus Pontis Arcuensis in Normannia die 3 Aprilis ante Pascha
1472. 1472, ut fidem faciunt literæ Jacobi abbatis &
1477. comitis Corbeiensis datis 15 Aprilis 1477. In
1484. literis Renati supra dicti datis anno 1484 mense Novembr. de duodecim millibus scutorum aureorum ab ipso sibi mutuo datorum Henricus adhuc appellatur episcopus Tarvannensis, & in testamento quo ecclesiæ Tarvannensi ex qua multa bona se percepisse profitetur, decem millia librarum Turonensium legavit, annos circiter 29 præfuisse se dicit. Antonio nepotulo suo plenarie cum pensione cessit, & translatus est ad
1485. ecclesiam Metensem XVII cal. Junii 1485, ex regestis Vaticani. Proventus annuos erogavit ecclesiæ Morinensi pro solenni obitu & pro decantatione strophes *O salutaris hostia* singulis diebus in elevatione Corporis Christi, necnon antiphonæ *Ave regina cælorum* in processione & statione matutina Dominicarum.

LV. Antonius.

De Croy.

Philippi comitis Porceani, dynastæ de *Renty* & Jacobæ de *Luxembourg* filius Antonius, ex illustrissima apud Belgas familia, aviam habuit Margaritam a Lotharingia uxorem Antonii de *Croy* regii palatii magistri & sororem Henrici episcopi Morinensis, quo ad ecclesiam Metensem translato, Antonius canonicus Leodiensis electus est Morinensis episcopus XVII cal. Junii 1485, ex regestis Vaticani, ubi electus adhuc dicitur pridie calendas Martii 1487. Regi fidem juravit Meloduni 5 Decemb. 1485, ex regestis cameræ computorum, in quibus dicitur administrator perpetuus episcopatus Morinensis. Consecratus est apud Castrum Porceanum mense Nov.
1486. 1486, quo anno Tarvanna civitas a Burgundis capta fuit die 10 Junii, sed a Gallis Philippo Crevecurio duce Boloniensium prorege recupe-
1487. rata mense Julio 1487. Capitulo Remensi sacra-
1489. mentum præstitit Antonius 28 Aprilis 1489. Jacobum *Duval* abbatem Sithiensem confirmavit
1492. circa annum 1492. Canonicus S. Audomari
1493. ecclesiam primo ingressus est die 5 Dec. 1493. Cum Vindocinensi comitissa convenit die 16 Junii 1494 de juribus quæ mater sua habebat in hereditate Catharinæ de *Luxembourg* ducissæ Aremoricæ. Profectus ad terram sanctam, in
1495. Cypro insula exspiravit 21 Septembris 1495 sepultusque est in ecclesia sancti Lazari, quæ est partim Latina, partim Græca apud Salaminam, ut scribit Philippus *Lobel* canonicus & cantor Morinensis in libro peregrinationis prædictæ. Obiit autem anno ætatis 28 post decem regiminis annos.

LVI. Fredericus.

De S. Severin.

Defuncto Antonio, commendatus a Carolo VIII, & postulatus a capitulo Philippus de *Luxembourg* 3 Februarii 1495, nunc 1496, repulsam primo passus est, electusque a summo pontifice Morinensis die 8 Februarii 1496 Fredericus, qui Malleacensis nonis Sept. 1481, cardinalis tituli S. Theodori 1489, Rotomagensis archiepiscopus 1493, Morinensem ecclesiam Philippo cedere coactus est, factus postea Viennensis archiepiscopus, ubi de eo plura. 1496. Tom. II. col. 1374.

LVII. Philippus.

De Luxembourg.

De Philippo jam diximus in Atrebatensibus tom. III col. 347. Jam erat Cenomannensis episcopus & cardinalis, quum postulatus est a capitulo Morinensi 3 Februarii 1495 nunc 1496, missusque die 4 Johannes Gosseti decanus cum aliis qui ei vota capituli deferrent. Repulsam tamen passus a summo pontifice, pro bonis temporalibus fidem juravit regi die 8 Maii 1497 & ite- 1497.
rum die 4 Maii 1498 in schedis cameræ com- 1498.
putorum, ubi instrumenta litis inter Philippum & Carolum de *Crequi*, qui se electum Morinensem indigitabat, continentur, simulque judicium curiæ Remensis die 24 Januarii anno 1499. Præcedenti enim anno virtute cujusdam dispensationis a summo pontifice obtentæ iterum postulatus admittitur & confirmatur per cessionem cardinalis S. Severini 12 Nov. 1498. Legatus in Francia anno eodem interfuit funeri Caroli VIII. Memoratur 15 Februarii 1499 in archivis 1499.
sancti Audomari. Ecclesiam suam & civitatem Morinorum ingressus est penultima Maii 1502 1502.
Dominica infra octavam SS. Sacramenti cum indulgentiis anni Jubilæi, ubi æstimantur interfuisse plusquam 100000 homines. Oppidum quoque S. Audomari intravit die Jovis 9 Junii 1502, & Franciscanorum Audomarensium ecclesiam consecravit anno eodem. Factus est adhuc episcopus S. Pontii anno 1509. Celebravit ex- 1509.
sequias Annæ reginæ anno 1513, quo Mori- 1513.
nensi civitate ab Anglis obsessa & capta, ecclesiæ cathedrali condonatum est cura Jacobi de *Luxembourg* domini de *Fiennes* fratris Philippi, qui Morinensem cum Atrebatensi ecclesiam permutavit anno 1516 eamque pretiosis ditavit orna- 1516.
mentis. Suffraganeos habuit in diœcesi Morinensi Johannem Vassoris sacræ theologiæ professorem & doctorem scholæ Parisiensis, episcopum Gibeldensem vita functum 17 Februarii 1507 atque Audomaropoli in odeo novo fratrum Prædicatorum ab eo dedicato, cujus ordinis fuerat, tumulatum; & Ludovicum *Widebien* Dominicanum, qui cœnobium Audomaropoli in alto monte S. Catharinæ nuncupavit anno 1511 & obiit 17 Februarii 1515.

LVIII. Franciscus I.

De Melun.

De Francisco quoque nonnulla prælibavimus tom. III col. 346. Præpositus S. Audomari receptus est 15 Februarii 1499, B. Mariæ Brugensis 1505, necnon S. Petri de Insulis & S. Walburgis Furnensis. Ex Atrebatensi ecclesia, cujus possessionem iniit 27 Februarii 1513, reservata sibi pensione 50 ducatorum auri de camera super fructibus mensæ episcopalis & alterna collatione omnium beneficiorum, retentaque S. Audomari, in qua residere proponebat,

ANNI CHRISTI præpositura, facta permutatione, transiit ad cathedram Morinensem & regi fidem juravit 16 Decembr. 1516. Jucundum fecit ingressum una
1517. Dominicarum mensis Julii 1517, & qua episcopus Morinensis canonicus S. Audomari receptus est 8 Augusti anni ejusdem, quo 17 Maii Bethuniæ sacraverat parthenonem Annunciatarum a gentilibus suis Elisabetha de *Luxembourg* & Francisco de *Melun* Espinoii comite ejus filio, velleris aurei equite ac Flandriæ connestabili instauratum. Sacravit apud sanctum Audomarum duos suffraganeos episcoporum Cameracensis & Trajectensis, qui erant ordinis Carmelitarum. Dissolutos clericos, lubricos & infrunitos correxit. In ecclesia S. Audomari abolevit festum stultorum mense Decembri celebrari solitum. Festum sancti Francisci in ecclesia Morinensi solenne fundavit. Supervenientibus bellis inter regem Franciæ, Carolum imperatorem & regem Angliæ, quum apud S. Audomarum residentiam facere intenderet, quasi in exilium missus est Furnas, ubi multo tædio affectus infirmitatem incurrit, qua obiit die festo S. Ceciliæ 22 Nov.
1521. 1521, sepultus ante majus altare S. Audomari, ad cujus exsequias tres missas solennes celebrarunt canonici.

§ In historia magnatum Franciæ tom. VI pag. 783 Carolus de *Crequy* dominus de *Flechin*, de *Blecourt* & de *Tonlieu d'Aire*, decanus Tornacensis, tum episcopus Tarvannensis 1518, testamentum condidit 12 Decemb. 1527. Ipse procul dubio est Carolus de *Crequy* de quo ad annum 1499 locuti fuimus.

§ In regestis Vaticani legitur Robertus Morinensis episc. per obitum Petri die 11 Jan. 1520.

LIX. JOHANNES VI.

DE LORRAINE.

Defuncto Francisco, Johannes cardinalis de *Lorraine* ex Metensi fit Morinensis episcopus 29 Octobris 1521, in regestis Vaticani. Possessionem per procuratorem adeptus est annos natus
1522. 22 vel circiter in crastino Epiphaniæ an. 1522. Regi fidem juravit 22 Nov. anni ejusdem. Suffraganeos habuit Danielem *Laisxel* episcopum Gibeldensem, qui anno 1526 Dominica *Cantate* post Pascha sacramentum confirmationis contulit, Petrum episcopum Sabbatensem & Guillelmum Damascenum. Ipse vero Thomam cardinalem & legatum in Anglia in Franciam venientem cum Georgio Rotomagensi, Ludovico Laudunensi & Francisco Ambianensi gratanter excepit apud
1527. Boloniam 21 Julii 1527, & sequenti anno per
1528. obitum Aimardi de *Poissy* episcopi Albanensis & abbatis Cluniaci & S. Dionysii Cluniacum dono regio obtinuit. Morinensem vero ecclesiam
1535. in gratiam sequentis cessit an. 1535. De Johanne pluries jam diximus, aliæque de eo loquendi recurrent occasiones.

Johanne sedente an. 1525 in Ariensi oppido congregatio Beghinarum, quæ ab anno 1261 nullo religionis voto adstrictæ, sub communi domicilio convixerant, arctiori vitæ genere coercentur, curante Morinorum pontifice & Clemente VII missis anno 1528 literis approbante. Harum cœnobium a Præsentatione B. Virginis nomen habet sub patrocinio B. Josephi. ANNI CHRISTI

Sub Johannis quoque temporibus tres ex hac diœcesi multiplicis scientiæ viri renascentibus in Gallia literis facem præferebant, Jacobus Faber Stapulensis celeberrimus sui seculi philosophus, Bertinus *le Comte* in eodem agri Boloniensis ad oceanum oppido natus, regius linguarum Hebraicarum Parisiis post Vatablum professor & Petrus Gallandius Ariensis politioris eloquentiæ Romanæ professor quoque regius, ac restaurator Becodiani collegii a Petro domino de *Boncourt* milite Tarvannensi pro hujusce diœcesis studiosis jam ab anno 1353 fundati.

Philippus de *la Chambre* post Johannem a Sammarthanis recensitus, nullo nixus fundamento missus abibit. Quod enim dictus sit cardinalis Boloniensis, in causa fuit mater Anna de *la Tour* filia Bertrandi de *la Tour* comitis Boloniensis, non vero qui nondum erectus fuerat episcopatus Boloniensis.

LX. FRANCISCUS II.

DE CREQUY.

Johanne domino de *Crequy* & de *Canaples*, fratre Philippi baronis de *Bernieulles* Tarvannæ gubernatoris & Jossina de *Soissons* domina de *Poix* parentibus ortus Franciscus, patruus Antonii cardinalis Ambianensis episcopi, ex protonotario apostolico & abbate S. Petri Sellncurtis, cedente Johanne fit episcopus Morinensis 3 Novembris 1535, eodemque consecratur anno. Biennio post Morinum obsidione cinctum, pactis inter Franciscum regem & Carolum V imperatorem in Bomiensi arce induciis 15 Julii 1537 feliciter liberatur. Hanc itaque urbem Franciscus 1537.
episcopus ingressus est Dominica 15 Junii 1539. 1539.
Bolonia alterum gentis Morinorum caput anno 1544 post bimestrem oppugnationem Henrico 1544.
VIII Anglorum regi subditur, direptis a victore augustissimi templi ornamentis ad eam diem intactis, omnibusque sacris conculcatis. In hoc alternantium bellorum turbine pontificatum annis circiter 18 gessit Franciscus, suffraganeo usus eodem quo decessor ejus Guillelmo, sed & postmodum Antonio, episcopo etiam Damasceno. Dies clausit & seriem Tarvannensium antistitum die 28 Februarii 1552 juxta antiquatam in- 1552.
choandi anni rationem. Antonius de *Crequy* frater ejus in successorem quidem nominatus, necdum tamen confirmatus fuerat, quum die 20 Junii 1553 perantiqua & insignis civitas Tarvanna 1553.
a Cæsariano exercitu expugnata fuit totaque a fundamentis una cum celeberrima B. Virginis cathedrali, cunctisque munitionibus eversa & solo adæquata. Sic supremo excidio DeLetIs MorInIs reditus ecclesiæ curatoribus delegati fuere ab Henrico II die 1 Februarii 1554.

§ Qui de cardinalibus scripsere auctores, Hieronymum de Capite ferreo Morinensibus episcopis annumerant, huncque ad hanc sedem evectum fuisse circa annum 1553 scripsit Petramellarius a rege, de quo pluries benemeritus fuerat. Idem diximus tom. IV col. 667; nulla tamen suppetit idonea, quæ illud probet auctoritas.

EPISCOPI

ANNI CHRISTI

EPISCOPI BOLONIENSES.

TARVANNA a Carolo V imperatore funditus eversa, canonici Morinenses supplices deprecati sunt Carolum a Lotharingia archiepiscopum Remensem & cardinalem, ut ipsis in aliqua regni parte locum idoneum habitationemque assignaret, ubi sua possent munia obire. Quibus benigne annuens metropolita auctoritate qua fungebatur, ab urbe Morinensi Boloniam eos transtulit, mandavitque abbati & canonicis S. Wlmari Boloniensis, ut illis domos, templum, locumque idoneum ad habitandum gratis commodarent & concederent, donec aliter auctoritate apostolica & sua definitum decretumque fuisset:
Ch. XXXIII. col. 420. datum compendii anno 1553 die 14 Julii; & die 28 Henricus II eisdem canonicis pollicitus est abbatiam quæ prima vacaret. Sexennio post pace inter reges Hispaniæ & Galliæ inita anno 1559 die 3 Aprilis in castro Cameracesii, Paulus IV summus pontifex quæcumque in Arthesia & comitatu Flandriæ diœcesis Morinensis prius, jure victoriæ ditionis Philippi Hispaniarum regis & Belgarum principis facta fuerant, a jurisdictione archiepiscopi Remensis & episcopi Morinensis sejunxit, recensque erectis ad preces Philippi II Hispaniarum regis ecclesiis Audomarensi pro Arthesiis, & Iprensi pro Flandris attribuit IV idus Maii 1559. Pars vero illa, quæ in divisione bonorum Morinensis ecclesiæ Franciæ evenit, Gallis remansit assignanda episcopatui Boloniensi, quem Pius V Caroli Francorum regis precibus
Ch. XXXIV. col. 420. adductus instituit V non. Martii 1566, indicta
1566. pro cathedrali ecclesia monasterii B. Mariæ Boloniensis ordinis S. Augustini, Morinensis olim diœcesis, quod penitus exstinxit.

DORMY.

I. CLAUDIUS ANDREAS.

FRANCISCI *Dormy* Matiscone oriundi in supremo Galliarum senatu regis primo consiliarii, tum Inquisitionum præsidis nepos Claudius Andreas, quam ope patrui ob eximias ingenii dotes principibus viris carissimi novam sedem episcopalem in civitate Boloniensi erectam sive e Morino translatam suis stipendiis ab apostolica sede impetraverat, hanc primus ascendit nominatus a rege anno 1566. Episcopus anno se-
1567. quenti inauguratus est, sed ne pastorale munus præsens obiret impeditus propter cathedralis basilicæ tunc temporis direptionem ab hæreticis factam & omnimodam pene ruinam. Tandem
1570. ingressum jucundum fecit 3 Aprilis 1570 insolita civium gratulatione exceptus, quos jam virtutum fama conciliaverat & gaudium de restituta intra muros Bolonienses pontificia sede magnopere commoverat. Tutela filiorum minorum Francisci *Dormy* ejus patrui ei commissa est die 17 Augusti anni ejusdem. Johannam de *Boulehard* abbatissam Portus regii benedixit Parisiis
1574. in ecclesia Mathurinorum 26 Novembris 1574. Orthodoxæ fidei zelo incensus frequentes in suo palatio conventus contra novatores egit anno 1585 eorumque conatus in omnibus fregit. 1585.
Comitiis Blesensibus regni præsens anno 1588, 1588.
a Thuano præside in historia sui temporis celebratur inter præcipuos a sacro ordine, qui post ducis Guisii cædem diligenter investigati, nec inventi, qua potuere saluti consuluerunt. In hoc maxime enituit illius erga diœcesanos amor & publicæ rei studium, quod anno 1595, 3900 1595.
librarum summam Boloniensium nomine marescallo Bullionio apud Monsterolum tunc degenti & exercitum ducenti de suo ære numerari fecerit. Mortalitatis debitum Boloniæ solvit 15 Februarii 1599, depositus die 19 mensis ejusdem in medio 1599.
chori cathedralis ecclesiæ, ubi duos solennes obitus instituit.

II. CLAUDIUS I.

DORMY.

Francisci *Dormy* superius memorati in classe Inquisitionum Parlamenti Parisiensis præsidis filius Claudius, Claudii Andreæ ex fratre nepos, ac germanus Caroli Francisci de *Vinzelles* regi a consiliis & secretis, Cluniaci vota invitus emisit, quæ facto episcopo summus pontifex remisit. Juris sacri ac pontificii doctor, prior regularis S. Martini a Campis, quem votis ejuratis commendæ subjecit, & vicarius generalis Claudii a Guisia abbatis Cluniacensis ordinis ejusdem capituli electus est definitor anno 1600 23 Aprilis, unaque cum abbate Balmensi visitator monasterii Cluniacensis, promovetur ad episcopatum Boloniensem a Clemente VIII die 26 Junii 1600 1600.
sacraturque in ecclesia S. Martini 13 Augusti a Leonardo archiepiscopo Auscitano, assistentibus Renato Bellovacensi & Carolo Noviomensi episcopis. Gaufridi de *Billy* Laudunensis episcopi consecrationi adstitit Parisiis 6 Maii 1601, Ca- 1601.
pucinorum de Abbatis-villa ecclesiam dedicavit anno 1616. Capucinos Boloniæ benigne excepit 1616.
anno 1618 primumque lapidem in ecclesiæ eo- 1618.
rum fundamentis solenniter posuit die 22 Julii anni sequentis. Moniales etiam S. Ursulæ ad me- 1619.
liorem puellarum institutionem admisit an. 1624. 1624.
Paris. aqua intercute exstinguitur 30 Novemb. 1626, funeratus apud Dominicanos S. Jacobi, 1626.
quibus nonnulla pro anniversario legavit, in gentilitio Dormiorum sepulcro, ubi sub effigie ad vivum expressa marmoreæ tabulæ hoc epitaphium prostat:

D. O. M. V. Q. M.

Adsta paululum, viator, & clarissimos manes adverte. Cubat hic Claudius Dormy *dignissimus Morinorum episcopus, quem nusquam gregi suo indormientem, curis tandem fessum tertius supra sexagesimum annus rebus humanis exemtum cælo ad meliorem vitam locavit. Mortales exuvias frater major natu Carolus Franciscus* Dormy *regi ab epistolis, communis parentis undesexagesimo ante anno defuncti cineri apponendas gentilitio monumento curavit. Obiit pridie calendas Decembris 1626.*

ANNI CHRISTI

III. VICTOR.

LE BOUTHILLIER. Dionysii *le Bouthillier* comitis consistoriani & Claudiæ Franciscæ *Macheco* filius Victor, frater autem Claudii quatuorviri regiis ab epistolis & diplomatibus scribendis, ærario Franciæ præfecti ac torquatorum equitum thesaurarii, necnon Sebastiani Adurensis episcopi, Gastonis Johannis-Baptistæ Aurelianensium ducis primus eleemosynarius, ejusdemque capellæ & oratorii magnus magister, abbas Aquæ vivæ & canonicus Parisiensis, a Ludovico XIII ad episcopatum Boloniensem vocatus cal. Decembris 1626, inauguratur 9 Aprilis 1628, in ecclesia Carmelitarum 1628.
virginum suburbii S. Jacobi a Johanne Francisco Gondio archiepiscopo Parisiensi, sacro operam navantibus Aginnensi & Silvanectensi episcopis. Urbem solenniter ingreditur die Dominica 13 Augusti anni ejusdem, comitantibus duce Elbotio provinciæ gubernatore ac multis nobilibus, statimque accingitur ad synodum Boloniæ 17 Octobris celebrandam. Eodem anno interfuit cœtui cleri Fontaneti in Pictonibus. Ædes sacras per suam diœcesim bellis grassantibus passim dirutas in Arthesii ac Galliæ finibus rursum excitari curavit, & ecclesiæ cathedrali quædam ornamenta pro solenniori altaris officio liberaliter impertivit. Collegium Oratorii presbyteris in abbatia sancti Wlmari cujus erat commendatarius, 16 Julii
1629. 1629 stabilivit, iisque annuos proventus ordinavit instituendæ literis juventuti. Franciscanis sanctimonialibus etiam Boloniæ regulam strictiorem Annunciatarum Bituricensium præscripsit & Ardearum moniales Dominicanas sub habitu S. Benedicti ad meliora revocavit. Cum autem B. Virginis Boloniensis imago miraculis inclyta, novatorum bello ingruente fuisset deperdita, iterum reperta suo loco reponitur in cathedrali a
1630. Victore die 30 Martii 1630 & eodem cultu quo a multis seculis claruerat condecorata est, signis plurimis ad Sanctæ aram paulo post patratis. Demum Bertrandi *d'Eschaux* in archiepiscopatu Turonensi adlectus coadjutor 12 Dec. 1630, non semel a rege in varias regni partes, maxime in Picardiam rerum gerendarum prudentia præstans delegatus est, ut dissidia exorta componeret & bono publico consuleret. Primus a sede translata cum capitulo statuta condidit de divino
1631. officio die 2 Januarii 1631. De eo in metropoli Turonensi reliqua exsequemur.

IV. JOHANNES.

DOLCE. De Johanne jam diximus tom. I col. 1322 & tom. VI col. 700. Episcopus Boloniensis a rege nominatus, ab avunculo Bertrando Turonensi archiepiscopo consecratur, adstantibus Carnotensi & Andegavensi episcopis. Possessionem iniit 1
1633. Martii 1633. Capucinorum ædes sacras in infe-
1635. riori Bolonia dedicavit 29 Maii 1635. Cœtui cleri Gallicani Meduntæ ad Sequanam interfuit
1641. anno 1641. Minimos admisit 25 Aprilis 1642,
1642. primamque in eorum hospitio missam celebravit 24 Junii, ecclesia nondum ædificata, & ad annum tantummodo 1658 a successore episcopo

A 12 Maii solenniter inaugurata. Episcopi Massiliensis a Victore decessore tunc archiepiscopo Turonensi inuncti sacro manus admovit 5 Octobris anni ejusdem. Insequenti ad cathedram Agathensem a Ludovico XIV die 13 Junii 1643 1643.
translatus, possessionem nondum adeptus fuerat, quum permutationis causa cessit Francisco *Fouquet* pro Baionensi ecclesia, quam Bertrandus avunculus per 25 annos tenuerat. In ea patriæ sede hoc Johannes habuit incrementum seu culmen honoris, quod tom. I omisimus, ut inter regem Ludovicum & Mariam Theresiam Austriacam nuptias sacro ritu celebraverit in fano S. Johan-
B nis Luisii die 9 Junii 1660. Fuit quoque abbas S. Vincentii de Luco, S. Evodii de Brana & B. Mariæ de Buxeria.

V. FRANCISCUS.

PERROCHEL. Carolo *Perrochel* magno Franciæ Audientiario & Maria *Charlet de Gibercourt* parentibus ortus Franciscus Parisiis die 18 Octobris 1602, ob perspectam meritorum præstantiam & impensos magno cum fructu labores in missionibus apostolicis, præcipue S. Germani suburbii Parisiensis & ad hæreticos Sedani, ex abbate S. Crispini Suessionensis renunciatur episcopus Boloniensis a Lu-
C dovico XIV adhuc impubere 27 Junii 1643. Bullas obtinuit ab Urbano VIII VIII id. Febr. 1644, atque Parisiis consecratur in ecclesia S. 1644.
Lazari die Dominica SS. Trinitatis 11 Junii 1645 a Johanne Francisco-Paulo Gondio ar- 1645.
chiepiscopo Corinthio & coadjutore Parisiensi, sacro operam navantibus Catalaunensi & Agathensi episcopis. Possessionem iniit solenni pompa eodem anno die 6 Augusti. Capitulo Remensi sacramentum præstitit die 11 Aprilis 1655. Quo 1655.
sedente in Bolonia inferiori moniales Anglicæ ordinis S. Benedicti stabiliuntur, & Ludovicus Rex ex debito suo parentisque sui cognominis 12000
D libras cathedrali Boloniensi persolvit. Pius autem antistes Franciscus totus in his quæ pastorem optimum decent, verbo & exemplo ecclesiam sibi creditam per 32 annos moderatus est, in pauperes munificus, missarum solenniis quotidie ad primarium cathedralis altare celebrandis assiduus, in peragranda pedibus universa propemodum diœcesi indefessus, sacris concionibus tum ad clerum tum ad populum vehemens ac disertus, ad omnium confessiones quovis tempore excipiendas paratus & caritate ardens, laborum ubique & corporis afflictionum tolerantissimus, iisque & quot virtutis munia sunt, tot nominibus in tota Gallia
E notus, facie vix ulli præterquam diœcesanis; Ruthenensem ecclesiam sibi a rege oblatam renuit, ut dudum desponsatæ perennem illibatamque perfectæ fidei ac devotissimi obsequii constantiam præstaret. Provecta demum ætate gravis, onere pastorali deposito, tranquillioris vitæ cupidus in domum Boloniæ inferioris quinquennio ante mortem secessit, ubi cœlo maturus ab hominibus demigravit 8 Aprilis 1682, in ecclesia cathedrali infimo loco quem sibi præ foribus cœmeterii in tumulum elegerat conditus, relictis ædibus ad instaurationem seminarii & proventibus nonnullis ad

missionum in diœcesi sive excursionum sacrarum A institutionem. Sequens ei epitaphium dicavere cognati.

Passant, arrête & considere que celui qui gist en ce lieu, est Messire François Perrochel *evesque de Boulogne, qui après avoir gouverné cette église l'espace de 38 ans, déceda le 8 Avril 1682, âgé de 80 ans & demi. Comme son mérite l'avoit fait connoître pendant sa vie, & l'avoit élevé à la dignité épiscopale, son humilité voulut l'anéantir dans sa mort, sans qu'il restât aucune marque qu'il eût jamais été. Mais sa pieuse famille a cru qu'il ne falloit pas jetter dans l'oubli un homme si saint & si apostolique,* B *& qui dans l'obscurité du tombeau pouvoit encore éclairer ceux de ce diocese par le souvenir de ses vertus. C'est avoir fait son eloge que de l'avoir nommé. Retire-toi, Passant, & va demander à Dieu la grace de pratiquer ce qu'il a enseigné pendant toute sa vie, & de remplir par là tes devoirs, comme il a fait les siens d'une maniere si chrétienne, & avec une fidélité & une exactitude qui ne s'est jamais démentie. Requiescat in pace.*

L'AVOCAT BILLIAD.

VI. NICOLAUS.

Parisiis natus Nicolaus 25 Martii 1620 parentibus Ludovico in suprema rationum curia tri- C buno & Magdalena *Billiad*, filia Caroli Inquisitionum præsidis ac Johannæ *de Fortia*, avum habuit è sacro fonte in ecclesia S. Pauli susceptorem Nicolaum *L'Avocat*, magni consilii senatorem & decanum, tum regi a sanctioribus consiliis. Togatæ familiæ primogenitus, bonis literis sedulo ab ineunte ætate instructus & in academia Parisiensi cum maxima laude versatus, primam doctoris Sorbonici lauream necdum presbyter adipiscitur. Parisiensis ecclesiæ canonicatu post Franciscum *L'Avocat* patruum B. Mariæ de Humbleriis abbatem, anno 1646 donatus, cardinali de *Rets* archiepiscopo, cujus per plures annos vicarius generalis partes D egregie sustinuit, in primis carus, ejus omnium arcanorum particeps, laborum socius & itinerum ad Romanam urbem comes, episcopus Boloniensis
1675. nominatur 11 Martii 1675 per cessionem Fran-
cisci. Bullas gratuito ab Innocentio XI accepit
1676. die 8 Febr. 1676. Sacro tinctus oleo in eccle-
sia monialium de Calvaria suburbii S. Germani a
Francisco de *Harlay* archiepiscopo Parisiensi,
adstantibus Constantiensi & Atrebatensi episcopis
1677. 30 Maii 1677, festiva Boloniæ excipitur pompa
27 Augusti anni ejusdem. Statuta a capitulo de
priscis reducendis fundationibus approbavit 30 Ja-
nuarii, & capitulo Remensi sacramentum præsti- E
tit die 14 Martii 1680. Ecclesiasticæ disciplinæ
& sinceræ pietatis retinentissimus synodos cele-
1678. bravit 12 Julii 1678, 17 & 22 Maii 1679
1679. & 1680, in quibus inter plurima perite pruden-
1680. terque sancita, in diœcesi congregationes menstruas instituit, ut de rebus quæ ad scientiam aut vitæ rationem pertinent, inter se parochi convenirent. Sacerdotes & studiosos liberalissime fovens, omnibus ipse quibus accepta erat virtus & eruditio venerandus, diœcesim pene totam intra biennium lustravit & omnia quæ ad proximam seminarii in urbe episcopali instaurationem requirebantur disposuit ac etiam de suo promovit. Sanctissimæ Dei genitricis obsequio religiose addictus, cujus se strenuum defensorem *Vindiciis parthenicis* de ejus corporea in cœlum Assumptione adhuc canonicus Parisiensis præstiterat, ejusdem cultus ampliandi studio stationes solennes ab universo clero ante imaginem B. Virginis Boloniensis omnibus pervigiliis festorum ejus & primarum Dominicarum ordinavit. Tandem morbo
diuturno Boloniæ consumtus 11 Aprilis 1681, 1681.
devixit ætatis 61, legatis capitulo centum libris annui proventus pro celebriori ac perpetuo anniversario, in ecclesia Mariana humatus juxta cathedram pontificiam, cui apposita sequens è nigro marmore sepulcralis tabula.

Nicolaus L'Avocat Billiad *theologus Parisiensis ex Parisiensi canonico & vicario generali episcopus Boloniensis, hic resurrectionem expectat. Obiit anno Christianorum* MDCLXXXI, *die 11 mensis Aprilis. Vixit annos* LXI *& dies* XVII. *Franciscus* de Chaliveau *abbas S. Johannis in Monte & Johannes* Timoleon de Chaliveau *sororis filii monumentum hoc PP. Requiescat in pace.*

LE TONNELIER DE BRETEUIL.

VII. CLAUDIUS II.

Paris. quoque natus est Claudius patre Ludovico jam senatore, qui mox libellorum supplicum magister, post administratas Occitaniam, Catalauniam & Ruscinonensem provincias, Insulæ Franciæ præfectus est, tum regendarum pecuniarum & ærarii moderandi minister, dies in sanctioribus consiliis clausit, & matre Maria-Christiana *le Court*. E septem filiis natus sextus Claudius avorum sparsas & divisas in singulis virtutes ingenii laude, dicendi facundia & morum suavitate omnes in se uno a primo juventutis flore expressit. Insula Boloniensi a Ludovico magno donatus 9 Maii 1681, bullas calendis Decembris ab Innocentio XI obtinuit. Doctoris Sorbonici gradum assecutus est 23 mensis & anni eorumdem. Insequenti Parisiis in ecclesia Minimorum Plateæ
regiæ consecratur die 2 Febr. 1682 a Carolo 1682.
Mauricio *le Tellier* archiepiscopo Remensi, assistentibus Catalaunensi & Laudunensi episcopis. Ad cathedralem ecclesiam suam solenniter accessit 18 Martii omnium plausu receptus. Initio pontificatus seminarium Boloniense posuit ad exactam clericorum cum in scientia tum in pietate per presbyteros congregationis sancti Lazari probationem. Ovium suarum salutis sollicitus vindicandis ab hæresi Ghisnensibus & aliis Ardeæ finitimis populis multum laboris
& impensæ dedit anno 1683. Iteratisque mis- 1683.
sionibus in quibus ceteris præluxit ad opus seipsum verbo, conversatione, caritate Caleti &
Ghisnis superimpendit annis 1685 & 1687. 1685.
Capitulo Remensi fidei sacramentum præstitit 1687.
die 30 Aprilis 1685 eodemque anno comitiis cleri generalibus interfuit in castro novo S. Germani in Laya. Martyrologium recens editum ab canonico ecclesiæ Boloniensis approbavit 22 Ja-
nuarii 1694. Pleraque pontificii palatii ædificia 1694.

ANNI CHRISTI

restituit, eaque ad suam ac successorum commoditatem non mediocriter amplificavit hortis, fontibus, aliisque ornamentis elegantibus decoravit.
1698. Parisiis obiit die 8 Januarii anno 1698, & sepultus est in ecclesia parochiali S. Johannis in Gravia. Cor ejus in ecclesiam Boloniensem translatum & conditum est cum hoc epitaphio:

Hic appositum est cor illustrissimi DD. Claudii le Tonnelier de Breteuil. *Boloniensis episcopus obiit ætatis LIV, die 8 Januarii. Ei bene apprecare.*

Defuncto Claudio, Antonius *Girard* abbas Pontilevienſis, qui episcopus Tullensis nominatus a rege fuerat 25 Decembris 1697, translatus ad Boloniensem 8 Febr. 1698, antequam bullis pontificiis munitus fuisset, ad Pictaviensem transiit schedula regia designatus 29 Martii, al. 20 Aprilis 1698. Vide tom. II col. 1211 & tom. VIII col. 1388.

DE LANGLE.

VIII. PETRUS.

Gente Ebroicensis Petrus, professione Oratorianus, scientia doctor Navarræus a die 29 Maii 1670, dignitate archidiaconus major in ecclesia Burdegalensi, tum canonicus, pœnitentiarius, vicarius generalis & officialis in Ebroicensi, pædagogus serenissimi Tolosatum comitis, & subsidiarius præceptor regiorum liberorum, scilicet ducis Burgundiæ, Philippi V regis Hispaniarum & ducis Bituricensis, deputatus est ad comitia generalia cleri Gallicani anno 1682. Abbas S. Laudi Constantiensis 24 Decembris 1694. Agens cleri Gallicani generalis nominatus a provincia Normanniæ, fidem juravit 2 Maii 1697, coram plurimis prælatis apud Augustinianos Parisienses congregatis, & die 8 mensis ejusdem salutavit regem Ludovicum XIV, a quo episcopus Boloniensis nominatus est 22 al. 26 Aprilis 1698. Romæ proclamatus 22 Julii, consecratur Parisiis a Carolo-Mauricio *le Tellier* archiepiscopo Remensi in ecclesia Fuliensium vici S. Honorati 14 Decembris anni ejusdem, adstantibus Blesensi & Laudunensi episcopis, & die 18 regi fidem dixit.
1699. Ad ecclesiam suam accessit anno 1699, feria quarta Cinerum, & die sequenti possessionem ejus nactus est. Capitulo Remensi obsequium præstitit die 23 Maii anni ejusdem. Ecclesiasticorum sui temporis negotiorum pars maxima fuit, justus & propositi tenax vir, ac antiquæ disciplinæ retinentissimus. Obiit in sua diœcesi mense Aprili 1724. 1724.

HENRIAU.

IX. JOHANNES-MARIA.

Parisiis natus Johannes-Maria parentem habuit parlamenti procuratorem. Doctoris lauream in facultate Paris. assecutus est 19 Martii 1701. Regia schedula designatus Bolon. episcopus 6 Maii 1724, proclamatur & proponitur Romæ 26 Junii & 11 Septembris anni ejusdem. Inungitur autem 28 Octobris in ecclesia parochiali Fontis-Blaudi ab Andrea-Hercule *de Fleury* cardinali quondam episcopo Forojuliensi, assistentibus Nemausensi & Carcassonensi episcopis, & die sequenti sacramentum fidei regi dixit. Comitiis generalibus cleri Gallicani Parisiis a provincia deputatus adstitit anno 1730. Donatus abbatia de Berdona 5 1730.
Aprilis 1733, hanc cessit pro abbatia de Vallo- 1733.
riis 27 Februarii 1735. Heredes ex asse instituit 1735.
seminarium & hospitale Boloniense, quæ impensis suis exstruxerat. Obiit in sua diœcesi 25 Januarii
1738 annum agens 77. 1738.

D'HERVILLY DE DEVISE.

X. AUGUSTINUS-CÆSAR.

Ex canonico & archidiacono metropolitanæ ecclesiæ Cameracensis Augustinus-Cæsar nobilis Picardus, nominatus est a rege præpositus ecclesiæ collegiatæ S. Petri Insulensis mense Julio 1731. Tum defuncto Johanne-Maria, commendam Valloriensem a rege obtinuit mense Januario 1738, sedemque ipsam Boloniensem die 4 Martii anni ejusdem. Ab episcopo Laudunensi, assistentibus & Noviomensi & Ambianensi præsulibus inunctus die 14 Septembris, regi fidem dixit apud Fontem-Blaudi 12 Octobris. Defunctus est apud Dievallem prope Bethuniam biennio post, die scilicet 11 Octobris 1742 annos na- 1742.
tus 40.

DE PARTZ DE PRESSY.

XI. FRANCISCUS-JOSEPHUS-GASTO.

Augustini-Cæsaris vicarius generalis Franciscus-Josephus-Gasto nominatus est a rege 20 Decembris 1742 episcopus Boloniensis & abbas Vallo-
riarum. Romæ proclamatus mense Aprili 1743, 1743.
inunctus est Ambiani, & regi fidem dixit apud Fontem-Bellaqueum 10 Octobris 1743. Commendam Clarifageti pro Hamensi commutavit 3
Julii 1745 a rege nominatus, quo anno depu- 1745.
tatus fuit ad comitia generalia cleri Gallicani.

DECANI ECCLESIÆ MORINENSIS.

I. WEREMBOLDUS decanus subscripsit chartæ Drogonis episcopi Messinensi ecclesiæ libertatem concedentis anno 1065. Idem fane est ac Geroldus qui subscripsit chartis ejusdem episcopi pro ecclesia Ardensi annis 1069 & 1073, pro Zunebeka anno 1072, & pro Sithiensibus anno 1075.

Ch. XVI col. 396.

II. Milo reperitur anno 1084 in charta Gerardi episcopi, & 1094 in tabulis S. Audomari.

III. Guarinus subscribit chartæ Gerardi episcopi Lamberto abbati S. Bertini quædam altaria confirmantis anno 1097. Memoratur in literis Johannis episcopi anno 1100.

IV. Folcardus decanus erat temporibus Johannis episcopi circa annum 1113.

V. Goscelinus subscribit chartæ Johannis episcopi pro Andrensi monasterio anno 1122. Adhuc memoratur 1130 in literis ejusdem Johannis. Testis est in chartis Milonis I episcopi anno 1132 pro abbatia Lisquensi, & 1134 confirmantis cœnobio S. Judoci omnes possessiones sitas intra suæ diœcesis fines, in alia Furnensis

Ch. XII. col. 400. Ch. XIII. col. 402.

monasterii 1135, & Ardensis 1137; & in charta Theoderici Flandriæ comitis pro Truncinio 1138.

VI. Balduinus I testis est cum Milone I episcopo Tarvannensi in charta Theodorici Flandrensium comitis anno 1138, qua jubet persolvi Hamensi monasterio pecuniam a suis decessoribus assignatam.

VII. Hermannus occurrit anno 1141 in charta Theodorici Flandriæ comitis pro ecclesia Tarvannensi; 1142 in charta Milonis episcopi pro Warnestunensibus. Præsens fuit anno 1145 donationi factæ in synodo plenaria Claro marisco ab Arnulfo Ghisnensium comite. Testis 1150 concordiæ inter Milonem episcopum & Theodericum comitem Flandriæ.

Ch. XIV. col. 403.

Ch. XVII. col. 405.

VIII. Guillelmus I in literis Milonis pro Andrensibus anno 1150.

IX. Petrus I quoque sub Milone I floruit, & super canticum *Magnificat* & Angelicam Salutationem, & de reductione Capitis S. Maximi scripsit.

X. Erembaldus in literis Milonis pro S. Nicolao Furnensi 1155, & pro Claro marisco anno 1162.

XI. Evrardus 1165 in chartulario Mareolensi, 1167 testis in instrumento Hugonis abbatis S. Nicolai Furnensis pro monasterio S. Augustini, 1168 in charta Milonis episcopi pro eodem, 1171 in charta Desiderii episcopi pro S. Judoco, & 1173 in charta Andrensi.

Ch. XVIII. col. 406.

XII. Richerus testis in literis Desiderii episcopi.

XIII. Arnulfus in literis Petri Andrensis abbatis, forte qui circa hoc tempus florebat.

XIV. Thomas reperitur anno 1185 in chartis sancti Eligii Fontis, & mense Augusto in obituario.

XV. Clarembaldus in chartis Desiderii episcopi pro S. Augustino, & pro Claro marisco an. 1186, quo reperitur adhuc cum Lambino archidiacono, & Johanne cantore in charta fundationis abbatiæ de Blandeka.

XVI. Petrus II subscripsit chartæ Desiderii episcopi pro Sithiensibus anno 1190. Occurrit adhuc anno 1195.

XVII. Balduinus II notus ex chartis Lamberti episcopi annis 1196, 1197 pro S. Augustino, & 1199 pro Claro marisco. Confirmavit anno eodem ecclesiæ S. Augustini altare de Morbeka, quod Goscelinus canonicus Morinensis nepos Milonis I dimiserat in manu L. episcopi. Occurrit anno 1202 in chartis ejusdem pro eodem monasterio, & 1204 pro Claro marisco. Arbiter est anno 1206 inter ecclesiam S. Augustini & Simonem *Maliarth*. Testis anno eodem in charta Willelmi domini de Ponte Roardi pro S. Augustino. Occurrit adhuc anno 1208 in chartis S. Bertini.

XVIII. Bernardus anno 1210 in charta Johannis domini de *Liesses* & de *Ray*, Johanne episcopo absente.

XIX. Willelmus II facultatem monasterio S. Augustini tribuit construendi molendinum ad petitionem Adæ episcopi anno 1215. Reperitur adhuc anno 1218 in chartis S. Bertini. Unam de costis S. Maximi misit capitulo Vernonensi anno 1216 in crastino post Quasimodo.

XX. C. decanus ac canonicus occurrit an. 1233 mense Octobri cum P. episcopo Morinensi. Is est forte Christianus memoratus mense Maio in martyrologio Boloniensi.

XXI. Johannes I de Lauduno, dictus *Coulon*, ratam habet an. 1260 venditionem factam monasterio S. Augustini a Thoma de *Froitmontel*; legitur in martyrologio mense Junio.

XXII. Balduinus III *de Chanterane* an. 1329 mense Dec. una cum capitulo Petro militi concedit facultatem capellæ construendæ in parochia *d'Estrée*. Convenit cum Raimundo episcopo de jurisdictione an. 1337.

Ch. XXXII. col. 412.

XXIII. Wido decanus tempore Egidii episcopi, factus episcopus Verulanensis legitur t. I Italiæ sacræ in appendice.

XXIV. Guerardus de *Pinqueny* decanus, capitaneus castelli & villæ Pontis Audomari 24 Sept. 1368 sub annua pensione 500 librarum, 1369 16 Janu. & 1370 18 Octobr. dicitur in chartis authenticis D. *de Gaignieres*.

XXV. Johannes II de *Wissocq*, exsecutor testamenti Matthæi episcopi an. 1414, memoratur mense Maio in martyrologio.

XXVI. Johannes III *Monissart* decanus Morinensis, decretorum doctor & scriptor apostolicus, electus est Tornacensis per obitum Ferrici tit. S. Vitalis presbyteri cardinalis VI id. Octobr. 1483 in regestis Vaticani, ut diximus tom. III col. 235.

XXVII. Johannes IV *Gosset* fundavit super fabrica ecclesiæ Morinensis distributiones ad singulas horas in festivitatibus S. Johannis ante portam latinam, apostolorum Petri & Pauli, Jacobi apostoli, Petri ad vincula, decollationis S. Johannis B. Natalis S. Johannis evangelistæ faciendas in choro singulis habituatis qui horis omnibus interessent, & alias fecit fundationes. Præfuit an. 1495 electioni seu postulationi Philippi de *Luxembourg*. Licentiatus in decretis, decanus & canonicus Morinensis subscripsit instrumento de quo in Guillelmo de *la Pasture* abbate S. Salvii de Monstrolio.

XXVIII. N. *de Rhedes* decanus erat anno circiter 1526, ex schedis D. *Ledé* abbatis S. Andreæ in nemore in serie abbatum S. Augustini Tarvannensis, cujus loci abbas erat ejusdem decani frater an. 1526, quo obiit.

XXIX. Quintinus *Coquel* decanus stipulante antistite Tarvannensi benedixit sacrarium virginum sancti Francisci apud oppidum S. Pauli 23 Aprilis 1551. Ita Locrius ex tabulis S. Pauli. At Quintinus decanusne S. Pauli erat, an Tarvannensis?

Præter hos recensentur in libro obituum, quibus assignari non potest locus,

Nicolaus *Clabant* mense Januario.

Antonius Godefridus mense Januario.

Johannes *Days* mense Februario, filius Idæ memoratæ ibid. mense Aprili.

Johannes de *Douy* mense Martio.
Petrus *Doby* mense Martio.
Johannes de Aurelianis mense Aprili.
N. *de Griboval* mense Aprili.
Willelmus de *Mamès* mense Aprili.
Christianus mense Maio.

A Johannes *Fœuillet* mense Augusto. Hic autem canonicus, perprius scholasticus & post decanus dedit lampadem subtus organis.

Hugo tempore Willelmi abbatis S. Augustini, sed cujus?

DECANI ECCLESIÆ BOLONIENSIS.

I. Petrus I *d'Argues* decanus Morinensis & vicarius generalis episcopatus an. 1559, apud Ariam interfuit divisioni diœcesis Morinensis factæ a deputatis regum Franciæ & B Hispaniæ. Occurrit adhuc annis 1565 & 1567.

II. Florentius *Brunel* electus an. 1571, florebat adhuc an. 1587.

III. Petrus II *le Barbier* præfuit capitulis generalibus 1599, 1608.

IV. Achilles *Disque* 1610, 1638.

V. Natalis *Gantois* 1640, 1644.

VI. Ludovicus I *Macquel* 1645 cum titulo decani reperitur in duobus capitulis generalibus.

VII. Johannes *Moncque* 1646, 1661.

VIII. Gabriel *Rogeau* 1675.

IX. Ludovicus II *Chastillon* 1679, 1680.

X. Carolus *Papin du Fresnel* doctor & socius Sorbonicus, canonicus Noviomensis, tum C Bellovacensis, aliquot post defunctum N. de *Buzanval* episcopum Bellovacensem annis electus decanus Boloniensis, possessionem adeptus est 26 Febr. an. 1688. Detentus est per mensem in bastilia & obiit Bellovaci die 20 Februarii 1693, annos natus 70. Obitum habet in ecclesia Boloniensi eadem die.

XI. Ludovicus-Maria *le Roy du Quesnel* doctor Sorbonicus, admissus est 16 Martii 1693.

XII. Odoardus *Hache* doctor Sorbonicus electus decanus, possessionem iniit 20 Dec. an. 1708. Fato functus 28 Februarii 1711, jacet in inferiore parte navis prope Franciscum *Perrochel* episcopum, cum hoc epitaphio: D

Hic jacet ad pedes illustrissimi ac reverendissimi domini Francisci Perrochel
Hujus ecclesiæ episcopi nunquam satis laudati, patroni sui benignissimi,
Magister Odoardus Hache,
ipsius per septemdecim & amplius annos capellanus, ejusdem ecclesiæ canonicus & thesaurarius, postmodum archidiaconus, ac tandem decanus.
oCCIdIt
Ipso febrVarII terMIno;
requiescat in pace.

XIII. Nicolaus-Henricus de *Monchy* filius Caroli Baronis de *Visnes*, & Margaritæ de *S. Lo*, doctor theologus, electus est decanus anno 1711, & possessionem apprehendit die 9 Octobris.

XIV. Paulus *d'Acquebert* admissus est 9 Octobr. 1716.

XV. Johannes *Girard* in possessionem immissus est 9 Aug. 1717.

XVI. Guillelmus *Derigson* electus est decanus 15 Febr. 1729.

XVII. Franciscus *Abod* possessionem iniit 26 Junii 1729.

XVIII. Claudius-Henricus *Fusée de Voisenon* possessionem apprehendit, cedente Francisco ejus in gratiam 18 Julii 1731. Donatus est a rege mense Sept. 1740 prioratu de *la Bloutiere* Constantiensis diœcesis.

VETERA MONASTERIA.

I. S. Jean au Mont.

Recte ne an secus abbatiam S. Johannis Tarvannensis abbatiis Iprensibus præfiximus? Quin a regibus Francorum in patrimonio regio fundata fuerit, quin in diœcesi nunc Boloniensi condita fuerit, res est extra dubium; ac proinde cum nulli supersint monachi, neque etiam semper abbas S. Johannis in hac diœcesi, inter vetera monasteria diœcesis Boloniensis merito accensenda foret: quippe quæ in publicis quoque E regestis accensetur. At quum monachorum sancti Johannis pars ad præceptoriam S. Antonii Iprensis, tumque Ipram confugerit, ubi abbati parent, quem nominat rex Francorum, quoties Ipra potitur, quique tunc reditibus in Gallia sitis gaudet, recte ubi abbas & monachi abbatiam collocavimus. Non sit amplius abbatia sancti Johannis in Monte, quando Ipræ dominus non est rex Francorum, per me licet; sed certe abbatia est monachorum S. Johannis in Monte; ac proinde utrobique repetenda quæ in Iprensibus diximus.

Ida Boloniensis comitissa filia Godefridi *d'Ardenne* ducis inferioris Lotharingiæ, Eustachii II Boloniensis comitis vidua parensque Godefridi Bullonii comitis de Marchis anno 1076, inferioris Lotharingiæ ducis anno 1089, & regis Jerusalem defuncti anno 1100, necnon Balduini comitis Edessæ & regis Jerusalem qui obiit anno 1118, & Eustachii III Boloniæ comitis mali nuncupati, in confinio Mercuricii in villa *Bruchan* olim dicta in honorem B. Mariæ fundavit ecclesiam circa annum 1090, monasteriumque instauravit. Ecclesiam locupletavit undecim capillis B. Mariæ, quos ab Ibero rege Ausculpho impetraverat, aliisque Sanctorum reliquiis, monachos vero ex Hamensi asceterio ab Engelranno Lileriensi an. 1084 constructo petiit, II. Capelle.

qui brevi virtutum suarum odore tantam sui apud omnes existimationem conciliarunt, ut nobiles vicini quas habebant ecclesias, vel beneficia absque ullo subjectionis titulo eis contulerint. Fundationem confirmavit anno 1100 Eustachius Boloniæ comes amplo diplomate quod habes apud Miræum diplomat. edit. secunda pag. 1311. Liberrimus ille locus Capella summi pontificis hanc ob rem dictus fuit, cujus libertatis perennem ad memoriam duodecim denarios quotannis Romanæ debet ecclesiæ, in qua hac gaudebat prærogativa abbas, ut missæ papæ præsens librum subdiaconi epistolam legentis teneret. Institutum sic monasterium usque ad annum circiter 1346 perseveravit, quo deleto ab Anglis oppido Caleto secundo a Capella lapide, funditus quoque eversa est Capella, dissipatique monachi post paululum temporis nulli fuere. Celeberrimi hujus olim monasterii sortem miseratus abbas sancti Johannis in Monte, qui supererant proventus abbatiæ suæ ut unirentur a summo pontifice petiit & obtinuit. Et certe Martinus V anno 1419 suppresso Capellæ titulo, prioratum in abbatia S. Johannis erigit a monacho loci possidendum, quem anno 1569 Martinus I Iprensis episcopus suppressit quoque & abbatiæ univit. Neque tamen propterea defecerunt Capellæ abbates. Quum enim ut S. Johannes in Monte, ita Capella primitus in Francia condita fuerit, Franci quoque maxime recuperato Caleto regias quidem schedulas per totum id tempus obtinuere, bullas vero pontificias non item: at residuis proventibus potiti sunt, vacuasque ad ecclesias nominarunt usque ad annum 1708, quo regii consilii decreto S. Johanni Iprensi unita est Capella. Hi autem sunt abbates quos in hac rerum confusione collegimus.

I. Ravengerus e monasterio Hamensi assumtus primus abbas Capellæ, subscripsit an. 1097, instrumento Manassis comitis pro cœnobio Andrensi, idem forte ac Rengerus prior S. Mariæ de Capella memoratus in charta Adalaiz pro Andrensi monasterio anno 1099, & Meingerus seu Maugericus qui subscripsit literis Eustachii comitis Boloniensis pro S. Bertino anno 1112, & Johannis episcopi Tarvannensis pro monasterio Andrensi.

II. Johannes I recensetur anno 1133 in literis Alexandri episcopi Leodiensis pro sancto Dionysio.

III. Parvinus anno 1135 transigit cum Bruxellensi S. Gudilæ capitulo. Parvinus abbas sancti Sepulcri Cameracensis circa id tempus memoratur.

Ch. xiv. col. 402. IV. Theodoricus cum Helmaro Iprensi recensetur anno 1141 in charta Theodorici Flandriæ comitis pro ecclesia Tarvannensi, & 1142 in charta Mathildis Anglorum reginæ pro Claro marisco. Ch. xv. col. 403. Balduinus Ardeæ dominus Ardensem ecclesiam ei largitus est anno 1144. Eidem Jerosolymam proficiscenti Theodoricus beneficiorum acceptorum memor & maxime Ardensis ecclesiæ quædam largitus est mense Maio 1146. Ad regendum Bergense monasterium unde assumtus

A fuerat accitus 1149, locum sequenti cessit.

V. Caradochus primus Ardeæ prior a Theodorico constitutus, mox ut in Ardea manere cœpit, de consilio ejusdem & Milonis I episcopi Arnaldum juniorem a Bramis apud Ardeam transtulit, & reduxit eum in cœmeterium in claustro sub macerie ex australi parte templi honorifice sepelivit. Postea Theodorico abbati facto Bergensi abbas Capellæ successit, ipsique apud Ardeam Basilius.

VI. Algerus subscripsit chartæ Milonis episcopi pro Dunensibus anno 1166. Interfuit, imo cum aliis celebravit exsequias Christianæ B uxoris Balduini comitis Ghisnensis apud Andrense monasterium VI non. Julii 1177, ad pedes matris suæ sepultæ.

VII. Hugo I querelam habuit cum Balduino Ghisnensi comite, & filio ejus Arnoldo pro Ardensi ecclesia quam in pristinum statum reducere volebant; hanc definierunt apostolici legati Hugo Cameracensis & Johannes Atrebatensis decani, & Giraldus canonicus Cameracensis pridie cal. Novembris 1190, ea lege ut Ardeæ remanerent monachi. Reperitur adhuc 1197 in charta Andrensi, & 1207 in Bertiniensi.

VIII. Willelmus I de Capella cum Willelmo C de Andria ne villa Ardensis comburatur pretio 250 librarum cavet anno 1214. Cum Egidio abbate B. Mariæ de Bosco, & Adamo Morinensi episcopo definiit querelam ortam inter ecclesias Andrensem & de Belloloco super jure patronatus ecclesiæ de *Terdinghem* mense Octobri 1218.

IX. Simon Jacobi abbas de Capella in charta S. Bertini mense Novembri 1219, vide Malbranc. tom. III pag. 439.

X. Willelmus II adstitit anno 1221 translationi corporum Oswaldi & Idabergæ virginis.

XI. Johannes II memoratur annis 1229 & 1230 23 Augusti.

D XII. Hugo II abbas de Capella Vizeliacensis evasit anno 1245, vid. tom. IV col. 473.

XIII. Laurentius bullam ab Urbano V obtinuit anno 1363, qua a solutione servitiorum eximitur propter destructum ab Anglis monasterium anno 1346; quod post ad beneficium simplex redactum est & unitum abbatiæ S. Johannis de Monte. Bulla data est a Martino V anno 1419, quæ suum tamen non est effectum sortita nisi anno 1708, quo hæc unio a Majori consilio fuit confirmata. Hinc mirum non est quod toto hoc temporis intervallo nonnulli adhuc reperiantur abbates, ac 1.° ante assecutam bullam.

E XIV. Nicolaus *d'Ardres* ex monacho Bertiniensi sub abbate Jacobo *de Condé*, legitur abbas de Capella sub finem XIV seculi.

XV. Franciscus *Merard*, cui successit

XVI. Guillelmus III *Dorley*; abbas erat die 1 Augusti 1538, quum Paulus III bullas concessit, quibus apparet tunc substitisse abbatiam.

XVII. Guido *de Laubier* divisis inter se monachis S. Johannis in Monte, abbatiæ de Capella a rege obtinendæ ansam arripuit anno 1558; at bullas obtinere non voluit, sicut nec

XVIII. Egidius *de Cherolle*.

XIX. Franciscus *de Berne*.

XX. Michael *le Vasseur* monachus S. Johannis bullas postulavit anno 1584.

XXI. Johannes III *d'Alencé* monachus sancti Johannis, 1586.

XXII. Claudius I *Dormy* episcopus Boloniensis abbas Capellæ annis 1602, 1609, ex computo ipsi ut abbati reddito.

XXIII. David *Godequin* bullas obtinuit an. 1624, memoratur 1627.

XXIV. Ludovicus *du Bois* absque bullis ut sequentes, per cujus cessionem,

XXV. Johannes Albertus *de Belin* monachus Benedictinus, doctor in theologia, nominatus a rege abbas Capellæ 30 Maii 1656, possessionem per procuratorem iniit 2 Januarii 1657. Benedictus est 6 Maii ejusdem anni ab episcopo Ambianensi Parisiis in ecclesia monialium Visitationis.

XXVI. Petrus *du Laurent*, major prior Cluniacensis, tom. IV col. 1172, abbas Capellæ benedictus est ab episcopo Ambianensi Parisiis 9 Octobris 1661. Factus episcopus Bellicensis, obiit in sua diœcesi 13 Januarii 1705, ætatis 92.

XXVII. Antonius *Boussier d'Estouilly*, doctor & socius Sorbonicus, canonicus sancti Quintini, abbas erat Capellæ anno 1664.

XXVIII. Claudius *Boucher*, licentiatus in decretis, nominatur a rege abbas Capellæ 24 Decembris 1695, possessionem per eleemosynarium in capella Majoris consilii iniit 6 Aprilis 1696, tituloque potitus est ad annum 1708, quo S. Johanni in Monte unita est Capella decreto Majoris consilii, confirmataque Martini V. bulla 16 Novembris 1708.

III. NOTRE DAME DE BOULOGNE.

Duas olim in Morinis fuisse sedes superius diximus, Tarvannam scilicet & Boloniam: Boloniam appulsa circa annum 635 imago Beatæ Mariæ collocata fuit in sacrariolo, ubi brevi postmodum templum, quod pro cathedrali episcopis Morinensibus deinceps fuit. Hoc multoties seu igne, seu alio quolibet casu eversum, toties restauratum, undecimoque seculo maximam partem refectum fuit, donisque locupletatum ab Ida comitissa Lotharingiæ, cujus filius Eustachius III Boloniæ comes Johanni Morinensi episcopo si non auctor, saltem instinctor fuit & adjutor, ut in ecclesiam B. Mariæ Boloniensis reformationem recentem Arroasiæ introduceret. Reformatæ sic ecclesiæ multa bona largitus est Eustachius comes, quæ primum Boloniæ, tertium vero in congregatione Arroasiensi semper obtinuit locum, donec in Flandriæ bellis ingruentibus, S. Victori Parisiensi adunata fuit. Hoc erat in statu, quum funditus deleta Tarvanna, canonici Boloniam translati sunt in ecclesiam B. Mariæ, cujus monasterium exstinxit Pius V anno 1553. Hi autem ad illud tempus rexere abbates, quos ubi ubi sparsos collegimus.

I. Johannes I bullam obtinuit ab Innocentio II; subscripsit anno 1132 literis Reginaldi Remensis episcopi pro monasterio S. Wlmari. Reperitur annis 1133 & 1137, in literis Milonis episcopi, 1141 in charta Theodorici Flandriæ comitis pro ecclesia Tarvannensi, & 1142 in charta Mathildis pro Claro marisco. Sedente Johanne aut altero Matthæus Boloniæ comes expulit tam abbates S. Mariæ & S. Wlmari, quam canonicos, quibus seculares substituit; qua de re ad Henricum archiepiscopum Remensem scripsit Alexander III Turonibus IV id. Decembris, & XV cal. Januarii 1162, ut comites & seculares excommunicaret, & religiosos revocaret.

Ch. XI. col. 400.
Ch. XIV. col. 402.

II. Balduinus cum Roberto abbate S. Wlmari in confirmatione donationis factæ an. 1171 monasterio Branensi occurrit.

III. Fulco reperitur in instrumento S. Eligii Fontis ann. 1185, 1188 & 1196.

IV. Osimundus vixit sub Lamberto Tarvannensi episcopo & Framerico S. Wlmari abbate anno 1202. Consignatur in necrologio Belliloci ad 28 Julii.

V. Richardus anno 1207. Bullam protectionis & confirmationis prædiorum & possessionum obtinuit ab Innocentio III anno 1208 VI id. Julii; hanc habes inter epistolas Innocentii III tom. II pag. 191.

VI. O. anno 1220 dedit literas pro renovanda capsa S. Austrebertæ. Ch. LXVII. col. 341.

VII. Thomas anno 1228 Johannam Flandriæ comitissam benefactricem expertus est. Th. abbas S. Mariæ, & W. S. Wlmari scribunt literas anno 1230 de patronatu parochiæ de Balliolo.

VIII. Bartholomæus consignatus in necrologio Russellivillæ, vivebat anno 1264.

IX. Balduinus 1272 recensetur in veteri charta S. Bertini, cujus mentionem faciunt necrologia Belliloci & Russellivillæ.

X. Laurentius I vixit tempore Jacobi a Bolonia episcopi Tarvannensis; memoraturque in charta fundationis cujusdam ab eo factæ. Fundavit capellam mense Martio 1281, ut ibi anniversarium suum celebraretur.

XI. Johannes II *de Sedelot*, 1323 tempore Johannis papæ XXII.

XII. Matthæus oriundus ex oppido Montis Desiderii, sedebat anno 1353. Acquisivit clausum Montis Desiderii anno 1360. Reperitur adhuc 1363, 1365 & 1369.

XIII. Walerandus I *le Mire* 1369 in libro obituum memoratus, thecam argenteam particulam veræ Crucis continentem reparavit.

XIV. Petrus de Alliaco canonicus S. Genovefæ Parisiensis, & abbas B. Mariæ de Bolonia, æqualis erat Johannis de *Bassemain*, abbatis sanctæ Genovefæ Parisiensis defuncti anno 1380.

XV. Ludovicus abbas B. Mariæ de Bolonia confitetur se 200 libras pro anniversario ducis Roberti accepisse mense Maio 1381 ex regestis cameræ computorum Divionensis.

XVI. Simon de *Granetot* 1383 & 1395, sequentem nactus est successorem.

XVII. Jacobus I *des Marquets* electus circa annum 1398, & a Johanne *Tabary* episcopo confirmatus, occurrit etiam in vetustis literis an. 1402 & 1413.

XVIII. Jacobus II *Lescaut* interfuit dedicationi reliquiarum S. Wlmari anno 1433.

XIX.

XIX. Walarandus II procuratores instituit ad concilium Suessionense in proximo celebrandum die 5 Junii 1455.

XX. Johannes III *du Poul* memoratur in chartis authenticis D. *de Gaignieres* 1 Maii 1457, 3 Novembris 1461, 28 Martii 1462, & in quibusdam chartis Franciscanorum Boloniensium annis 1464 & 1465. Occurrit adhuc 1468.

XXI. Laurentius II annis 1478 & 1479.

XXII. Johannes IV *de Tilly* 14 Januarii 1484 & 1497.

XXIII. Walerannus III *de Tilly* 1499 & 1503.

XXIV. Johannes V *de Gouy*, vulgo dictus bonus abbas, cujus mentionem facit necrologium B. Mariæ de Nemore. Regi fidem juravit die 11 Augusti 1506; præerat anno 1513; cessit sequenti anno 1538, superstes ad annum 1542, quo vitam cum morte commutavit.

XXV. Johannes VI *de Rebinghes* in sacra facultate baccalaureus, egregius concionator, & reginæ Catharinæ *de Medicis* ab eleemosynis, abbas Prati Benedicti Lemovicensis, per cessionem Johannis *de Gouy* a Paulo III anno 1538 factus est abbas. Ejus temporibus B. Maria Boloniensis ab Henrico VIII Angliæ rege anno 1544 diruta fuit, ipse vero pedum tenuit ad annum 1557, quo obiit. Post ejus mortem omnino suppressa fuit abbatia, & unita mensæ episcopali.

Hos præter in necrologio Russellivillæ reperiuntur Reginaldus & Thomas abbates B. Mariæ Boloniensis.

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Ordinis S. Benedicti.

Blangiacum *Blangy.*
S. Vulmarus *Samer.*
Alciacum *Auchi-les-Moines.*
Andra.
S. Leonardus Ghisnensis feminarum.

Ordinis S. Augustini.

S. Maria de Nemore *Russeauville.*
S. Johannes *Doudeauville.*
S. Vulmarus Boloniensis.
Bellus-locus.

Ordinis Cisterciensis.

Longumvillare *Longvillier.*

Ordinis Præmonstratensis.

Liskia *Licques.*

BLANGIACUM.

Blangy.

Blangiacense monasterium anno Theoderici regis 12, Berta nobilis matrona pro virginibus apud Morinos condidit secus fluvium Toënam, haud longe ab Hesdino oppido ad Quantiam posito, in pago agri Tarvannensis Blanziaco, a quo monasterio inditum est nomen. (Le Ternois.) Parthenonem & basilicam in modum crucis exstruxit, quæ in honorem B. Mariæ dedicata est ab episcopis v id. Januarii 686. Defuncta Berta circa annum 725 inibi sepulta est; novamque A Blangiaco dedit patronam. Normannorum tempestate monasterio in favillas redacto, sanctimoniales errabundæ cum patronæ suæ reliquiis in Germaniam profugerunt, in parthenone Herasteno humanissime hospitio exceptæ a Rotrude loci abbatissa; Blangiacusque parthenon a paucis clericis inhabitatus est ad seculum XI, quo post reportatum a duobus clericis Blangiacum sanctæ Bertæ corpus, ab Hersende nobili juxta ac pia femina restaurato monasterio, Benedictini monachi illic instituti, restitutaque prædia, quæ ab invasoribus occupata fuerant. Hujus instaurationis princeps auctor fuit Rogerius comes castri B S. Pauli, in cujus ditione locus iste situs est, qui Fiscannensibus in Normannia monachis Blangiacense monasterium circa annum 1031 commisit subjecitque. Fiscannensis abbas ejus acceptis literis, abbatem è suis Blangiaco præfecit. Chartas habes apud Miræum editionis novæ pag. 1131. Quamdiu Blangiacum monasterium Fiscannensi subjectum remanserit incertum, adhuc subjiciebatur desinente seculo XIII. Hodie vero libertate sua gaudet, sub eodemque ac prius instituto perseverat, abbatesque loci comites & barones toto in Ternesio rerum domini sunt, sedentque in comitiis Arthesiæ.

C

Abbatissæ.

I. Berta Rigoberti comitis Palatini, & Ursanæ filia Sigifrido primum nupsit, ex quo filias quinque, Gertrudem, Deotilam, Hemmam, Gesam, & Gestam procreavit, quarum duæ postremæ in albis decessere. Viro orbata monasterium in loco amœnissimo oppidi Blanziaci secus fluvium Toënam exstruxit, ubi sacrum ipsa velamen cum duabus filiabus suis suscepit. Violatæ fidei falso apud regem accusata, secura in monasterium redire jubetur, ubi novis ædificatis ecclesiis, quarum duæ in honorem S. Martini D Turonensis, & septem aliæ in prædiis suis, Deotilaque in ejus locum instituta, ab episcopis solenni ritu in cellula prope majorem basilicam reclusa usque ad finem vitæ perseveravit. Obiit annos nata 69 IV non. Julii anno 725. Corpus in Blangiaci templo sepultum est, quod urgentibus Normannis Moguntiam translatum, ineunte seculo XI Blangiacum revectum est. At seculo XVI dum bellum inter Carolum V imperatorem & Franciscum I regem Francorum exardéret, corpus ejus delatum Audomaropolim anno 1555 in refugium monachorum sancti Johannis in Monte, Blangiacum postea reportatum est, E ubi hactenus servatur cum reliquiis sanctarum ejus filiarum Gertrudis & Deotilæ, præter mandibulam S. Bertæ, aliasque Gertrudis aut Deotilæ monachis sancti Johannis concessas. Colitur sancta Berta duplici festo quotannis in suo monasterio, nempe die depositionis 4 Julii, & translationis 11 Octobris. Vitam S. Bertæ edidit Mabillonius seculo III Benedictino, tom. I pag. 451.

II. Deotila Bertæ filia vivente matre abbatissa, post cujus obitum rexit annis 29. Sed nihil de gestis ejus ad nos pervenit, sicut de abbatissis quæ ei successere.

III. Hersendis circa annum 895 cum sanctimonialibus suis ob persecutionem Normannorum venit *Ersteim*, quibus Roctrudis abbatissa Herastenensis ad honorem sanctæ Bertæ & filiarum ejus Gertrudis & Deotilæ in proximo loco Alsiaco cœnobium ædificari curavit. Hujus temporibus reliquiæ SS. Vandregisili & Ansberti Blangiacum delatæ sunt circa annum 858, ubi Fontallenenses cum patronis suis viginti annos hospitati dicuntur. A

Abbates.

UNdecim numerantur a restauratione anno videlicet 1032 ad annum 1097, nulla temporis nota designati: B

I. Guillelmus.
II. Henricus.
III. Johannes.
IV. Durandus.
V. Rogerius.
VI. Theodoricus.
VII. Balduinus.
VIII. Andoinus.
IX. Egidius.
X. Lambertus.
XI. Martinus.

XII. Hugo I subscripsit chartæ Gerardi Morinensis episcopi pro Bertinianis an. 1097 in synodo. Bullam protectionis a Paschali II obtinuit an. 1113 IV id. Novembris, ad preces Johannis episcopi. Idem ne est Hugo qui querelam habuit super altari de *Chiri* cum Alviso Atrebatensi episcopo, quam terminavit Rainoldus Remensis archiepiscopus anno 1137? C

XIII. Gislebertus I florebat annis 1137 & 1140. Cum Godescalco abbate de Auceio testis memoratur in charta, qua Hugo Candavenæ comes S. Pauli Henrico Fiscannensi abbati amico & cognato suo confirmat jus antiquum & pristinam dignitatem quam decessores ejus habebant in ecclesia Blangiacensi anno 1141, Milone episcopo Tarvannensi. Reperitur adhuc Gislebertus anno 1142 in chartis Fiscannensibus. D

XIV. Gaufridus testis occurrit anno 1148 in charta sancti Salvii Monstroliensis.

XV. Urbanus 1167, decessit 3 Aprilis 1182.

XVI. Nicolaus I mortuus 3 Martii.

XVII. Richardus incommodo corporis sui nimium aggravatus, de voluntate propria pastoralem baculum resignavit, ut aiunt literæ capituli Blangiacensis ad abbatem & capitulum Fiscannense anno 1193. (Ch. xxi. col. 407.) E

XVIII. Robertus *Arsie* monachus Fiscannensis, prior de Villaribus anno 1189, electus est abbas a Blangiacensibus anno 1193. Ad id fere tempus revocari posse videtur epistola H. comitis S. Pauli ad R. Fiscannensem abbatem, quem rogat ut tres monachos Blangiacenses ad nutum R. abbatis sui remittendos suscipiat, & tres Fiscannenses ad Blangiacum transmittat, ut dissoluti forte Richardi abbatis adversa valetudine monachi Blangiacenses in meliorem formam restituantur. Robertus autem testis adhuc dicitur anno 1197 in charta Hugonis comitis S. Pauli Blangiacum Fiscanno confirmantis. Occurrit anno 1199 in chartis Bellibecci. Forte hic est, de quo dicitur in catalogis Blangiacensibus: *obiit 1201.* (Ch. xxii. col. 407.)

XIX. Etardus scripsit R. abbati Fiscannensi, ut R. de Locellis monachum Fiscannensem, qui perdiu apud Blangiacum pœnitentiam egerat, tandem reciperet. Testis restitutionis quam fecit Hugo comes S. Pauli apud *Erin* an. 1201. Reperitur adhuc anno 1208. Defunctus 15 Septembris 1211.

XX. Eustachius I extinctus est 9 Septembris 1228.

XXI. Radulfus, quo sublato 8 Julii,

XXII. Gislebertus II de *Esletot* monachus & prior Fiscanni subrogatus est, ut patet ex epistola Henrici prioris de Blangiaco ad W. abbatem Fiscannensem, ut electum Gislebertum ad ipsos mittat quantocius, feria VI ante festum B. Magdalenæ 1229. Humana reliquit 7 Junii 1240.

XXIII. Hugo II in fata concessit 22 Maii 1272.

XXIV. Reginaldus I excessit 20 Junii 1296.

XXV. Stephanus ereptus 19 Sept. 1304.

XXVI. Richardus vitam amisit 28 Junii 1308.

XXVII. Nicolaus II jam abbas anno 1308, ad Deum migravit 1 Maii 1320.

XXVIII. Gerardus supremum obiit diem 2 Octobris 1339.

XXIX. Hugo III mortalitatem explevit 10 Augusti 1365.

XXX. Bertrandus I precum societatem iniit cum Hamensibus anno 1366, quibuscum paciscitur de utriusque monasterii monachis, quibus male cum abbatibus suis conveniret invicem hospicio recipiendis, donec ipsis reconciliarentur. Interiit 25 Februarii 1370.

XXXI. Bertrandus II dormiit 7 Jan. 1392.

XXXII. Gilbertus III hominem exuit 30 Octobris 1400.

XXXIII. Hugo IV vivere desiit 30 Martii 1404.

XXXIV. Bertrandus III vitam cum morte commutavit 30 Martii 1417.

XXXV. Petrus I occubuit 11 Octob. 1436.

XXXVI. Petrus II *Rouget* vita cessit 3 Julii 1447.

XXXVII. Reginaldus II *le Bignoteur* procuratores ad concilium provinciale instituit anno 1455. Naturæ debitum solvit 11 Augusti 1466.

XXXVIII. Alanus *de Bresme* vita functus est 28 Aprilis 1467.

XXXIX. Eustachius II *Dice* ad superos evolavit 4 Novembris 1480.

XL. Johannes II *Dice* mortalitatem reliquit 20 Julii 1490.

XLI. Johannes III *Desmons* è vivis abiit 20 Maii 1501.

XLII. Martinus *Renauld* permutavit cum Matthæo sequenti priore de Rumilliaco 2 Novembris 1521.

XLIII. Matthæus *de Themery* animam Deo reddidit 8 Novembris 1523.

XLIV. Carolus *le Cellier*, al. *le Sellier*, vel *Seillier* defuncto Matthæo eligitur 20 Novembris 1523 sede apostolica vacante. Exspiravit 22 Junii 1524.

XLV. Franciscus I *de Zuorghe* dicitur factus abbas per obitum Matthæi de Themariaco ultima Januarii 1526.

XLVI. Franciscus II *de Sarcus* electus episcopus Aniciensis, donatur Blangiaco bulla Clementis VII data Romæ die 2 Februarii 1526, pontificatus ejus anno 3. Ita legitur in tabulis Lotharingiæ *de subsidiis cleri*. Electus autem hic dicitur episcopus Aniciensis, eo quod qui defuncto Antonio *de Chabannes* successit episcopus Aniciensis, Augustino Trivultio cardinali 15 Septembris 1525, facto Abrincensi 11 Maii 1526, Franciscus per cessionem Antonii *de Chabannes* Aniciensis legitur episcopus 4 Julii 1526 in regestis Vaticani.

XLVII. Johannes IV *Renauld* transiit 4 Augusti 1548.

XLVIII. Johannes V *le Clerc* ex monacho S. Vedasti Atrebatensis humanis rebus exemtus est 23 Januarii 1557, sepultus Audomari ad fratres Prædicatores.

XLIX. Michael *Penel* subprior S. Bertini, electus 29 Martii 1557, reddidit spiritum 21 Novembris 1578.

L. Petrus III *Loeurin* electus 23 Januarii 1579, a Gregorio XIV pontificalibus insigniis utendi facultatem obtinuit anno 1591, de quo hoc legitur epitaphium:

Cy gist Reverend prelat Domp Pierre Loeurin *natif & religieux* de Blangy, *fait abbé premier mitré l'an 1591, qui après avoir laissé à cette abbaye plusieurs bienfaits, & gouverné l'espace de 23 ans, alla de vie à trespas l'an 1601. Priez Dieu pour son ame.* Obiit autem die 13 Decembris.

LI. Balduinus *l'Allemand* ex cantore abbas an. 1602, societatem init cum Martino *Tiraune* abbate beatæ Mariæ de Claro marisco anno 1615, & cum Caricampensibus anno 1616. Reliquias obtinuit anno 1622 a Vincentio *de Bur* abbate S. Johannis in Monte. Vitæ finem dedit 22 Martii 1630.

LII. Matthias *Le Roy* a carne solutus est 3 Octobris 1639.

LIII. Johannes-Josephus *de Calone* germanus Francisci abbatis Aquicincti, monachus S. Vedasti & prior *d'Haspre*, regiis a Philippo Hispaniarum rege munitus literis anno 1640, benedicitur in parochia S. Amandi die 10 Junii anni ejusdem a Christophoro episcopo Audomaropolitano, assistentibus Johanne *de Vauchel* Aquicincti & Antonio *de Roore* S. Martini Tornacensis abbatibus, & confirmatur die 15 Junii. De monasterio optime meritus mundo decessit 2 Octobris 1671. Attamen alicubi legitur Robertus *de Buleu* abbas Blangiaci annis 1644 & 1645 annos natus 49, qui querelam habuit cum PP. Capucinis quos interdixerat anno 1653.

LIV. Franciscus III *Volant de Berville*, cujus est hoc epitaphium:

A *Universæ carnis resurrectionem exspectans hic jacet corpus perillustris ac reverendi admodum domini domini Francisci* Volant de Berville *nobili genere nati, hujusce regalis monasterii Blangiacensis per multos annos abbatis meritissimi dictique loci comitis & baronis. Obiit 17 Augusti 1695. Grati animi beneficio reverendus admodum dominus dominus Ludovicus* Charpentier *ejusdem monasterii abbas immediate successor hoc posuit epitaphium. Siste, viator, bene precare ut requiescat in pace.*

LV. Ludovicus *Charpentier* monachus congregationis S. Mauri, prior S. Goberti, fit abbas mense Septembri 1695. Quinque annis pacifice rexit, dignitatisque onere oppressus cessit anno 1700. Blangiacum reversus, pauloque post asthmate & febri fatigatus vivere desiit 7 Julii 1719, ætatis anno 66.

LVI. Johannes-Franciscus *du Crest de Montigny* designatus abbas 22 Septembris 1700, humana reliquit mense Septembri 1723.

LVII. Philippus *Doyé* Duacensis ex priore S. Georgii, & coadjutore Blangiacensi a die 31 Octobris 1714, possessionem iniit anno 1723, vitam clausit 18 Octobris 1728.

LVIII. Franciscus III *de le Fosse* Bethuniensis Philippo subrogatus est anno 1729.

S. VULMARUS.

SAMER.

POSITUM est S. Vulmari monasterium in agro Boloniensi, tribus ab urbe millibus Gallicanis in villa Silviaco primitus nuncupata, quæ Vulmaro natale solum præbuit, ejusque truncato nomine modo *Samer* pro *S. Vulmer*, recentioribus Salmerium vocitatur. In declivi collis erectus hic locus aperto gaudet cœlo, frequentesque vicini maris injurias aut ventos acerbiores patitur. Hunc Vulmarus fratris ac parentis ope adjutus, in paterno fundo condidit anno 688, piique operis fautorem alterum sensit Ceadwallam Saxonum occidentalium regem, qui triginta solidos contulit. Ibi Vulmarus construxit in honorem S. Dei genitricis Mariæ & B. Petri Apostolorum principis ecclesiam cum adjuncto monasterio. Parthenonem ædificavit eodem tempore, cui Bertanam neptem suam abbatissam constituit. Uno lapide distabat a Silviacensi monachorum cœnobio parthenon, qui Vileria dictus, *Wiere aux bois*, jam pridem excisus est. Nec audiendi qui tertium itidem puellarum monasterium Silviaci conditum a Vulmaro secus monachorum ædes existimant. Id enim penitus reticet vitæ scriptor coætaneus, qui virorum habitationem a sexu fragili semotam dicit. Vulmari curis procerumque opibus ditatum Silviacense monasterium circiter annos 300 sanctitatis laude floruerat, quum emergentibus Normannis, Hernequino sive Alfonso Boloniensium comite, Balduini Flandrensis nepote capta Boloniensis civitas, necatique vel in fugam acti monachi, vacuum deinceps clericis locum permisere. Hugone Francicum regnum auspicante, lux serenior Vulmarensibus affulsit, pristinasque sedes recuperarunt monachi. Meliorem utcumque formam, qualem certe ferebat rerum status, basilica

cum cæteris ædibus tunc induit, Boloniensium A comitum recipiendis corporibus adhibita. Falluntur qui monasterii restitutionem primam Idæ Boloniensium comitissæ ferunt acceptam: reversos enim prius monachos & Eustachium seniorem Idæ conjugem sepulturæ mandatum docet anonymus Wastensis, quam Ida loci parens altera renovandis omnibus incumberet. Quippe post annum 1082, adveniens illuc venerabilis Ida tunc vidua, piissimi Gerardi Tarvannensis episcopi assensu consilioque roborata, redemit quæ fuerant ejusdem loci calumniata, dirutam ecclesiam reparavit, ornamentis & codicibus adornavit, claustra quoque & domus reædificavit, reditibusque & multis opibus ditavit. Maternæ sollicitudinis in partem venit anno 1107, Eustachius junior Boloniæ comes, Godefridi Bullionensis & Balduini Flandrorum comitis germanus cum uxore Maria, locumque Hugoni Cluniacensium abbati commendarunt.

Chart. v. col. 396. Annum 1155 Vulmarenses infaustum experti sunt, quo flammis absumta est eorum basilica. Subsecutam instaurationem prosperosque vel adversos ad nostra usque tempora rerum eventus memoriæ nemo prodidit. Sed post diuturnos bellorum impetus, post commendarum invectionem vergebat ad interitum locus, dum Franciscus *Perrochel* Boloniensium episcopus, Carolum abbatem invitavit, ut restituendis rebus idoneos congregationis S. Mauri monachos acciret. Assensit abbas, idque die 15 Junii an. 1658 completum est. Primum post episcopum locum tenet cænobii Vulmarensis abbas, sive quod illud pro communi conditorio velut altera post mortem sede, sive quod ob Vulmari cultum & miracula locum amplissimis honoribus & latifundiis comites Bolonienses extulerint. Etsi enim facultatum partem longe maximam amiserit, ipsi tamen tertia pars comitatus adhuc tenetur obnoxia. Abbatum quoque fere omnium gesta pariter atque nomina exciderunt: hi tantum superstites.

Abbates.

I. S. Vulmarus natus in pago Boloniensi non longe ab oceani littore, parentibus non ignobilibus Vulperto & Duda, desponsatam sibi puellam alteri cedere coactus, in Altimontense Hannoniæ cœnobium se recepit, ubi primum pascendis bobus ac ligno comportando fuit addictus: at quum eum addiscendarum literarum cupidum probasset abbas, consensit ut scholas frequentaret, & postea clericus factus etiam ad presbyteratum conscenderet. Nec tamen in hoc presbytero E solitudinis amor intepuit: quapropter secessit in eremum, Ipram inter & Audomaropolim, unde in natali solo silvam incoluit Silviaco adjacentem, quo quum plurimi discipuli confluxissent, basilicam ædificavit, ad quam ornandam contulit triginta solidos Ceadwalla rex occidentalium Saxonum in Britannia quum illac transiisset, Romam baptismi suscipiendi causa petens. Non longe ab hoc monasterium aliud puellare construxit etiam vir sanctus, Vileriense nuncupatum, cujus nulla nunc supersunt vestigia. Ejus mors ex mera conjectura notatur anno 710, sepultus est in propria hereditate, hoc est, in suo monasterio, quamvis Malbrancus eum dicat Boloniæ sepultum. Ejus tamen reliquiæ istuc postea translatæ fuere ob metum Normannorum, ac demum in Blandiniense apud Gandavum cœnobium, ubi seculo XVI flammis consumtæ sunt Calvinistarum impio furore. Inscribitur martyrologiis 17 Junii, licet mortuus sit 20 Julii. S. Vulmari vitam habes in actis SS. ordinis, tom. III p. I. p. 237.

II. Alfridus occurrit anno 1026 in commutatione Balduini episcopi cum Roderico abbate S. Bertini. Cum pluribus abbatibus & episcopis B præsente Adela, Roberti Francorum regis filia uxore Balduini Insulani marchionis Flandriæ interfuit revelationi corporis S. Bertini abbatis Sithiensis anno 1052.

III & IV. Lanfridus & Heribertus. S. Anselmus adhuc erat abbas Beccensis, quum Girardo Morinorum episcopo scripsit ab anno 1084 ad 1093 pro monacho Beccensi, qui factus abbas S. Vulmari, quum inibi nec in pace consistere, nec quidquam proficere ob interiora & exteriora bella posset, aufugit & reclamavit: quapropter ut alius ejus in loco constituatur abbas Girardum rogat Anselmus epistola XLIX lib. 2, nisi pacem inibi ædi- C ficare malit. Petitionis suæ effectum assecutus non est abbas, si ipse sit Lanfridus S. Vulmari abbas (ut opinatur Mabillonius) cui Anselmus archiepiscopus exeunte anno 1093, scripsit epistolam XXXI libri 3, ne gregem suum desereret ob varias quas ab inordinatis monachis patiebatur, molestias. Hic ille est Lanfridus qui rem habuit cum Heriberto pro abbatia S. Vulmari, cujus ergo uterque Romam petiit; at Lanfridus infirmitate præpeditus Romam pervenire non potuit. Itaque Paschalis II 1099, negotium discutiendum commisit Atrebatensi & Tarvannensi episcopis. Quid sit illud negotium & quid judicatum fuerit D nescimus, nisi quod Heribertus qui de monasterii sui abbatia a Boloniensi comite expulsus summum pontificem cum literis capituli Tarvannensis adiit, & inde cum literis summi pontificis rediit, subscripsit literis Johannis episcopi Morinensis pro Loënsi monasterio datis anno 1100. Ex his saltem omnibus intelligitur non bene moratos tunc fuisse S. Vulmari monachos, quos proinde anno 1107 Eustachius comes Boloniensis Hugoni abbati Cluniacensi reformandos commisit, quod confirmavit Paschalis II literis Hugoni datis anno eodem. Baluz. Miscell. t. V pag. 324. Malbranc. tom. III, p. 700. Chart. v. col. 396. Chart. VI. col. 397.

V. Balduinus I subscripsit an. 1122 privilegio comitis Boloniæ de libertate *de Merk*, & pro monasterio S. Bertini 1125. Subscripsit adhuc chartis Milonis episcopi 1133, & Stephani comitis Boloniæ, qui anno 1135 exeunte Angliæ regno potitus est.

VI. Willelmus abbas S. Vulmari cum Folberto Longivillaris abbate inter barones & regionis Bolonicæ dynastas, primus subscripsit literis Stephani comitis Bolon. pro monasterio S. Judoci.

VII. Henricus I subscripsit anno 1142 libello supplici capituli Tarvannensis Theodorico Flandriæ comiti exhibito.

VIII. Balduinus II occurrit anno 1142 in charta pro Warneſtunenſibus. Præſens fuit anno 1145 donationi factæ Claro mariſco ab Arnulfo Ghiſnenſium comite. A

IX. Onoardus abbas S. Vulmari *de Boſco* ſubſcripſit literis Milonis epiſcopi pro canonicis regularibus ſancti Amandi & ſanctæ Bertinæ in diœceſi Atrebatenſi cum Hugone abbate Belliloci & Petro S. Vulmari Bolonienſis.

X. Petrus I anno 1165 in charta Mareolenſi. Anno 1173 pontificias ab Alexandro III literas accepit, in quibus tota monaſterii ditio deſcribitur ac confirmatur. Eodem anno Matthæi comitis Bolonienſis diplomati ſubſcripſit, quo Judocenſes bonis aliquot augentur; aliis quoque rebus publicis præſens interfuit. Reperitur adhuc Petrus anno 1188 in chartulario ſancti Evodii Branenſis. B

XI. Gerbodo, ſeu Grebindus, aut Grebinus, cui minime nominato, ut ferunt, alteram bonorum & eccleſiarum confirmationem Cœleſtinus III anno 1193 indulſit. Teſtis legitur anno 1192 in literis Idæ comitiſſæ pro S. Bertino. Reperitur anno 1196 in chronico Andrenſi. Quædam prædia vendidit monaſterio Clari mariſci, approbante Lamberto Morinenſi epiſcopo anno 1199. Occurrit adhuc anno 1210 in chartulario ſancti Judoci. C

XII. Thomas I 1214 in veteri charta ſancti Bertini.

XIII. Erebaldus anno 1219 teſtis in charta Sibillæ dominæ *de Tingri* pro monaſterio S. Judoci.

Ch. LXVII. col. 342. XIV. G. dedit literas pro renovanda capſa ſanctæ Auſtrebertæ anno 1220.

XV. Balduinus III anno 1239 una cum Giſleberto Blangiaci abbate patrati a ſancta Berta miraculi teſtis oculatus legitur in ejuſdem abbatiſſæ miraculis.

XVI. Johannes I *Gales* innoteſcit ex vetuſtiſſimo hoc epitaphio: *Chi giſt* Simons Gales *qui fu frere l'abbé Jehan, priez pour leurs ames.* Seculum XIII aut initium ſequentis præfert hæc inſcriptio. D

XVII. Thomas II 1298.

XVIII. Balduinus IV, cujus ad preces Stephanus comes Boloniæ & Moretonii exemplo deceſſorum ſuorum Euſtachii junioris, Euſtachii ſenioris, & Ern. comitum Bolonienſium, quorum ſcripta authentica viderat, monaſterium S. Vulmari cum tota villa & foro, & conſuetudines fori ab omni juriſdictione ſecularis dominatus excepit menſe Decembri 1299, prob. hiſt. Alver. Baluz. p. 138.

XIX. Galterius *de Gamaches* tumulatur retro altare B. Mariæ Infirmorum apud S. Martinum a Campis cum hoc epitaphio: E

Hic jacet frater Galterius de Gamachiis monachus Cluniacenſis, doctor ſacræ theologiæ actu regens Pariſius, abbas quondam S. Vulmari in Nemore, qui obiit anno Domini MCCCXXXVII quarta decima die menſis Octobris, cujus anima requieſcat in pace, Amen.

XX. Petrus II 25 Februarii 1377, 6 Julii & 8 Septembris 1378, ex chartis authenticis D. *de Gaignieres.*

XXI. Petrus III *de le Planque* 8 April. 1434.

XXII. Ludovicus I *d'Oignies* abbas erat ſancti Vulmari de Nemore, quum a Gemblacenſibus poſtulatus eſt abbas menſe Maio 1440.

XXIII. Robertus *de Wetermille* monachus ſancti Bertini in locum Ludovici poſtulatus abbas ſancti Vulmari in literis Philippi ducis Burgundiæ & Brabantiæ ad ſummum pontificem datis 19 Maii 1440. Has habes in inſtrumentis eccleſiæ Namurcenſis tom. III col. 131.

XXIV. Henricus II *de Monthery* 1485.

XXV. Adrianus *de Framezelles* fundavit 12 obitus. Obiit 1509 abbas S. Launomari.

XXVI. Carolus *de Framezelles* 27 Jun. 1504.

XXVII. Petrus IV *Diſque* nobili Bolonienſes inter ſtirpe editus, monachus ſancti Vulmari, regularium poſtremus, monaſteriis quoque beatæ Mariæ de Arciſſiis & ſancti Johannis in Monte præfuit. Johanni *Diſque* fratri ſuo oppidi ſancti Vulmari præſidium ſeu tuitionem ac totius ditionis ballivatum conceſſit, & Franciſco *Diſque* conſanguineo dignitatem conſignavit.

XXVIII. Franciſcus *Diſque* ſenator Pariſienſis anno 1508, tum Inquiſitionum præſes, regi a conſiliis, & reginæ Eleonoræ cancellarius, protonotarius apoſtolicus, & archidiaconus major in eccleſia Carnotenſi, cedente Petro abbatiæ commendam obtinuit, memoratus jam 25 Januarii 1539. Johannem *Diſque* fortalitii Vulmarenſis ducem ac gubernatorem, magnumque ditionis abbatiæ ballivum denuo conſtituit anno 1540 menſe Julio. Monaſterii jura pro virili tueri non deſtitit, memoratus adhuc anno 1548.

XXIX. Bertinus *de Mornay de Buhi* decanus Bellovacenſis, Franciſci ſucceſſor occurrit annis 1551, 1555.

XXX. Antonius *d'Eſtrées* ſacræ capellæ Pariſienſis theſaurarius, anno 1555 Vulmarenſem abbatiam capeſſivit, quam tenebat annis 1556 & 1558.

XXXI. Johannes II *de la Veiſſiere de Cantonet* ab anno 1569 ad 1578 rerum potitur.

XXXII. Johannes III *Le Dois* preſbyter Rotomagenſis, ab eleemoſynis fratri regis, bullas obtinuit die 3 Januarii 1579. Cadeleucorum prædia in Vulmarenſi territorio ſita anno 1583 diſtraxit.

XXXIII. Nicolaus *le Chevalier* ab anno 1587 ad 1605 legitur in tabulis.

XXXIV. Ludovicus II *Gaucher* a 1606 ad 1612, cujus nomine N. *d'Eſtrées* Boloniæ gubernator totos aut majorem redituum partem percipiebat. Abbatiam abdicavit, Romæ ſedente Clemente VIII.

XXXV. Gabriel *de Momtluc Balagny* Mareſcalli filius, regi a conſiliis & eleemoſynis, abbatiam tenuit ab anno 1612 ad 1623, quo cum ſequenti permutavit.

XXXVI. Carolus *le Prevoſt* decanus conſiliariorum parlamenti Pariſ. Vulmarenſem abbatiam cum deceſſore commutavit, bullaſque obtinuit anno 1623. Factus quoque abbas Bonævallis, utrumque cœnobium congregationi S. Mauri ſociavit anno 1658. Obiit 3 Julii 1661.

XXXVII. Ludovicus-Augustus *de Thou* parentes habuit Jacobum-Augustum *de Thou* baronem *de Meslay*, præsidem in prima Inquisitionum curia, regisque apud Batavos oratorem, & Mariam *Picardet* filiam Hugonis *Picardet* procuratoris generalis parlamenti Divionensis, & Mariæ *le Prevost* sororis Caroli præcedentis. A rege dictus abbas, non impetratis pontificiis bullis excessit.

XXXVIII. Jacobus-Augustus *de Thou* Ludovici-Augusti germanus, ejusdem cessione nominatus, reditibus fruitur jam ineunte Martio 1666. Bullas obtinuit VI calend. Julii 1667, annos natus 14. Possessionem per procuratorem arripuit die 5 Martii 1673. Simul abbas B. Mariæ de Soliaco, de utroque monasterio optime meritus est. Obiit Parisiis 17 Aprilis 1746, annum agens 92, nusquam sine laude memorandus abbas, Thuanorum ultimus, qui in se uno nobilissimæ & integerrimæ gentis pretiosas reliquias complectebatur.

XXXIX. Tanguidus *du Chatel* regi ab eleemosynis, ab eo nominatus est 25 Junii 1746.

ALCIACUM.

AUCHY-LES-MOINES.

S. SILVINI Alciacense ordinis S. Benedicti monasterium non longe ab Hesdino Arthesiæ oppido ad Ternæ fluvii marginem, qui in Quantiam illabitur, fuit antiquitùs prædium, quod Adroaldus vir illustris prole carens sancto Bertino contulit anno 654. Quumque illic Bertinus orationis domicilium condidisset, Adalsgnarius quidam & conjux Aneglia nobiles Franci templum Alciaci sub invocatione beatæ Mariæ circiter annum 700 construxerunt, ubi eorum filia Siechedis Deo dicata virginibus nonnullis ante adventum sancti Silvini episcopi præfuit. Quo vivis exemto XIII cal. Aprilis circa annum 717, postquam funus ejus curavere monachi Centulenses, qui non longe distabant ab Alciaco monasterio, ubi sancti Silvini corpus humatum est, sepulcrum ejusdem, nunc patroni monasterii, præfata virgo gemmis & auro exornavit. Ipsa quoque ibidem jacet cum suis parentibus, cui virgines aliæ in præfectura successerunt, sed solius *Leutewith* nomen innotescit ex prologo vitæ sancti Silvini, quam ante medium seculum IX fecit emendatius rescribi. Hoc autem desinente seculo Alciacensis parthenon solo æquatus est a Normannis circa annum 881, nec usquam postea sanctimonialibus sed monachis restitutus; unde Alciacum monachorum vulgo appellatum, ut distinguatur ab Alciaco castro vicino. Primum quidem instauratum fuisse a Gerardo Broniensi abbate, suadente & adjuvante Arnulfo comite, qui etiam sancti Silvini corpus ad sancti Bertini monasterium transtulerit, testatur Meyerus in annalibus ad annum circiter 950; at nulla ubivis tum abbatum, tum ipsiusmet monasterii fit mentio ad annum 1072. Certius itaque ab hoc anno sumenda hujus loci restitutio ab Ingelranno Hesdiniensi comite facta, qua tamen superiorem aliam innuere videtur comitis epitaphium: *Hic jacet Ingerannus comes, qui hanc ecclesiam Alchiacensem ab exercitu Wermondi & Isambardi dirutam restauravit anno Verbi incarnati 1072.* Idem Ingelrannus abbati & monachis sancti Silvini Alciacensis donationes a se factas confirmavit anno 1079. Ipso instaurationis anno Heribertus abbas Sithiensis primum in Alciaco abbatem constituit Suelgerum monachum, cui successere Gervinus, Norbertus, Odo, Simon, & sic alii è monasterio Sithiensi assumti: talis enim erat Alciacensium conditio, ut abbatem sibi proprium è monasterio Sithiensi S. Bertini eligere tenerentur, quod ratum esse jusserunt Paschalis II, Calixtus II, Eugenius III, Alexander III, Clemens III, & Innocentius III. Viget etiamnum hæc lex, & vigebit tam diuturno innixa fundamento. Abbates sedent in comitiis Arthesiæ.

La Ternes. La Canche.

Secul. III Bened. p. I p. 294.

ABBATUM INDEX.

I. SUELGERUS, quem Fulgerium Gazæus vocat, monachus sancti Bertini, primus ab Heriberto abbate Alciacensibus datus abbas anno 1072; vix duobus annis præfuit.

II. Gervinus, dictus a Locrio Germanus, monachus sancti Bertini, Suelgero defuncto subrogatus ab eodem Heriberto, post annos quatuor deponitur.

III. Norbertus, al. Robertus, monachus sancti Bertini, ab Heriberto sufficitur in locum Gervini, non vero Suelgeri, ut ait Iperius in chronico. Huic anno 1079 Ingelrannus Hesdiniensis comes quidquid Alciacensibus monachis dederat confirmavit charta, quam Carolus Flandriæ comes ratam habuit anno 1112. Adfuit Norbertus an. 1097 indict. V nonis Septembris translationi corporis S. Folcuini Morinensis episcopi, è veteri in novam capsam factæ a Lamberto abbate sancti Bertini. Lambertum nescio quem cognominem Norberto sufficit Miræus tam in originibus cœnobiorum Belgicorum, quam in chronico ordinis Benedictini contra aliorum fidem, puta ipsummet Miræum in diplomatibus Belgicis pag. 403, & Iperium in chronico, qui Norberto 24 regiminis annos assignant, ipsumque ad introductum apud Alciacenses Cluniacense institutum, ad annum scilicet 1101 superfuisse volunt.

IV. Odo monachus Cluniacensis, a Lamberto abbate Sithiensi accersitus ut Alciacenses ad severiorem Cluniacensium disciplinam redigeret, abbas effectus est an. 1101. Multa dura & aspera perpessus est a nonnullis laxioribus monachis, quibus fuga lapsis, collapsum ordinem in integrum restituit. Cœnobium toto quo rexit tempore honorifice rexit, defunctusque est anno eodem quo Carolus Flandriæ comes, 1127. Ejus tempore Balduinus Flandriæ comes Alciacensem abbatiam in custodia sua retinuit anno 1112.

V. Simon I successit ex procuratore Bertiniano. Testis occurrit anno 1130 in Andrensi chronico. Assumtus paulo post in abbatem Bertiniensem, quum Alciacum annis fere quatuor egregie gubernasset, a Milone episcopo consecratus est anno 1131.

Ch. VIII, col. 398.

VI. Godescalcus Godescalci abbatis Sithiensis patruus & patrinus Simoni successit. Literis Guarini episcopi Ambianensis pro Bodinicurte anno 1134 subscripsit aliisque ejusdem 1135. Testis

adducitur anno 1137 in charta Milonis episcopi A Morinensis pro monasterio Balantiarum. Dicitur abbas de Auceyo in tabulis Hugonis Candavenæ comitis S. Pauli anno 1141 jus abbatis Fiscannensis in monasterium Blangiacense confirmantis. Occurrit adhuc 1148 in chartis sancti Salvii Monstroliensis. Legitur apud Locrium sedisse annis 40, mortuus circa annum 1170. Magis arridet sententia quæ totum ejus regimen intra viginti annos circumscribit.

Ch. xxvi. col. 307.

VII. Warinus Alciacensis monachus inconsultis Bertiniensibus eligitur abbas, at iisdem reclamantibus ab episcopo non confirmatur; donec apud sanctum Bertinum in manibus abbatis professionem emisisset. B Factus sic monachus sancti Bertini, ab Alciacensibus iterum electus est abbas, sed eodem anno depositus traditur ab Iperio, cui tamen alii quatuor regiminis annos attribuunt, fortasse ab electione prima numerandos.

VIII. Willelmus I hospitalarius sancti Bertini Alciaco præerat anno 1155, quo præsens memoratur in charta Milonis episcopi Morinensis. Laudatur anno 1166 in transactione inter Idesbaldum Dunensem & Walterium Bergensem abbates, arbitro Milone Morinensium antistite. Occurrit adhuc anno 1175 in charta Martini abbatis sancti Vedasti, & 1177 in tabulis sancti Bertini. C Obiit anno 1179, postquam annis 26 præfuisset, nonnullaque Claro marisco dedisset.

IX. Walterius monachus Bertiniensis, sedisse fertur annis novem.

X. Simon II monachus Bertiniensis, ab anno 1198 gubernavit. In abbatem de Marchianis assumtus, ex Iperio, alteri locum cessit.

XI. Johannes I de Bethunia monachus sancti Bertini, vir honestus & sanctæ vitæ, Simoni datus successor, paulo post, al. post annos tres Simonis revertentis in gratiam renunciavit.

XII. Simon ad Alciacum iterum assumtus quinquennio præfuit, ac mortuus est calendis Maii D 1207.

XIII. Johannes II Alardi è gremio Bertiniensium monachorum abrogata Romæ cujusdam sui monachi ab Alciacensibus facta electione assumtus, sedere cœpit anno 1209, rexitque annos quatuor supra quadraginta, al. 38. Interfuit anno 1221 apud sanctum Winocum translationi reliquiarum S. Osvaldi regis & martyris. Arbiter fuit anno 1224 cum Bartholomæo Longivillaris, & Nicolao S. Johannis Ambianensis abbatibus inter Balantiarum fratres & S. Judoci de Nemore. Adfuit anno 1231 translationi S. Bertini factæ precibus Jacobi abbatis a Petro Morinensium episcopo. E Permutavit cum Ludovico Franciæ rege anno eodem. Reperitur annis 1235 & 1245 in tertio chartulario S. Bertini. Præ senectute post modum visum amisit & cessit.

XIV. Willelmus II *de Nieles* monachus Bertinianus electus anno 1246, duobus annis regimen obtinuit.

XV. Arnoldus *de Guisnes* tribus annis cum dimidio præfuit, dein abdicavit.

XVI. Willelmus III de Furnis memoratur an. 1269 in charta Roberti Arthesiæ comitis Alciaci prædia ut hujus loci advocati in suam defensionem suscipientis. Occurrit anno sequenti in die Purificationis beatæ Mariæ. Animam exhalavit VIII cal. Aprilis anno 1289 regiminis 38.

XVII. Egidius I *de Cochove* pedum gessit duobus annis, mortuus 1291 calendis Novembris, ex necrologio sancti Leonardi de Ghisnis.

XVIII. Willelmus IV *Sanders* ex tertio priore S. Bertini electus est ipso die S. Nicolai mense Decembri 1291, defecitque anno administrationis suæ vigesimo secundo.

XIX. Guido de Maserinii traducitur a summo pontifice ad abbatiam *de Moesourgeim*, postquam annis septemdecim Alciacum gubernasset.

XX. Johannes III *Dillois* reperitur mense Augusto 1359 in regestis Caroli V.

XXI. Bernardus de Meleto Innocentii papæ VI auctoritate promotus, rexit 27 annis, quumque propter intestina bella in remotis ageret, è medio sublatus dicitur anno secundo pontificatus Clementis antipapæ die 8 Octobris.

XXII. Jacobus I *de Condé* monachus Bertiniensis electus abbas 1280, non admittitur propter schisma, nec usquam pacifice rexit, sed factus est Bertiniensis anno 1383, ut diximus.

XXIII. Jacobus II *Moisnel* Clementis antipapæ fretus auctoritate abbatiam obtinuit annis circiter 23. Obiit autem anno 1403 die 24 Junii, sepultus intra septa monasterii.

XXIV. Petrus I *Bourgois* electus continuo cessit.

XXV. Johannes IV *de Elemecourt* tribus annis & sex mensibus præfuit. Fatis concessit anno 1407.

XXVI. Johannes V *d'Arthem* monachus sancti Eligii Noviomensis, promotus a Petro de Luna pseudopontifice, Alciaci fit abbas ad tres annos & dimidium, deinde abdicavit, factusque tandem est abbas sancti Eligii, ut diximus.

XXVII. Balduinus *de Crequy* Bertinianus monachus, cedente Johanne electus est abbas.

XXVIII. Johannes VI *Glachon* monachus Alciacensis obnitentibus incassum Sithiensibus, tum assensum præbentibus electus, obiit IV idus Decembris, postquam sex annis & totidem mensibus præfuisset.

XXIX. Alardus *Trubert* S. Bertini granatarius, octodecim mensibus apud Alciacum exactis, fit abbas sancti Bertini v cal. Decembris 1420.

XXX. Firminus *Couplet* monachus S. Bertini bulla Martini papæ V abbas declaratur. Nonnulla prædia dedit ad censum die 15 Novembris 1432. Præfuisse dicitur annis 18.

XXXI. Jacobus III *Anesart* sancti Bertini monachus, uno tantum anno gubernavit.

XXXII. Egidius II *Trubert* monachus Bertiniensis, electus anno 1440, misit procuratores ad concilium Suessionense die 23 Junii 1455, ex archivis ecclesiæ Remensis. Sedit annis 28.

XXXIII. Johannes VII *de Launois*, al. *Lannoy*, S. Vedasti tum S. Bertini monachus, eligitur abbas die 24 Novembris 1467. Præfuit sex annis, ac deinde translatus est ad regimen S. Bertini anno 1473.

XXXIV. Amandus *Oudegherst* post regimen annorum triginta naturæ debitum solvit anno 1501.

XXXV. Oliverius *Gobert* ex coadjutore cum assensu Alexandri VI papæ anno 1516 unam S. Rotrudis costam ab abbate S. Bertini dono accepit. Quum autem sedisset annis 23 & mensibus quinque, abdicavit circiter annum 1524, quo anno dicitur mortuus VI id. Julii.

XXXVI. Petrus II *Hellin* dimissam ab Oliverio præfecturam obtinuit bulla Clementis papæ data anno 11 ejus pontificatus, Christi 1524 VI cal. Decembris, ex tabulario Lotharingiæ. Reperitur anno 1529 die 16 Januarii, obiitque IX cal. Novembris 1530 ordinationis suæ quinto.

XXXVII. Guillelmus V *d'Orlay* post diuturnam disceptationem Bertinianos inter & Alciacenses de successore eligendo, fit abbas per translationem Gerardi *de Americourt* electi primum Alciacensis, ad abbatiam Bergensem sancti Winoci. Anno 1551 missus est a rege Catholico ad regendum Gorziense monasterium. Cedenti in manibus papæ 18 Maii 1555 successit

XXXVIII. Antonius I *de la Cressonniere* monachus Bertinianus, quem tradunt quinque annis sedisse.

XXXIX. Franciscus *de Tormelerne* electus anno 1559 obiit 3 Octobris 1565.

XL. Antonius II *Reversé* monachus sancti Bertini diem clausit extremum 4 Octobris 1578, postquam annis 13 & uno die præfuisset.

XLI. Adrianus *Poullain* ex eodem S. Bertini monasterio assumtus, successit a rege Catholico nominatus 16 Martii 1580. Præerat adhuc anno saltem 1585 die 12 Julii.

XLII. Eustachius *Grugeot* viam universæ carnis ingressus est anno 1610.

XLIII. Antonius III *Gonzale de Alveda* annis 25 præfuisse dicitur.

XLIV. Placidus *de Brandt* electus die 12 Octobris 1677, è vivis excessit 19 Martii 1702.

XLV. .... *Marconne* nobilis Ariensis fato fungitur mense Octobri ejusdem anni 1702.

XLVI. Bertinus *Portebois* nominatus a Ludovico XIV die 1 Novembris 1702, obiit Parisiis apoplexia 24 Decembris 1726.

XLVII. Georgius *Marissal* Audomaræus, a Ludovico XV denominatus est anno 1728 Februario ineunte.

XLVIII. N. *de Frevier* renunciatus est a rege abbas Alciaci 7 Septembris. 1748.

ANDERNES vulgo ANDRES.

S. SALVATOR & S. ROTRUDIS ANDRENSIS.

B. ROTRUDIS cœnobii Marcianensis fundatricis corpus in Ghisnensi territorio repertum, ubi ab Anglico Marcianensi æditui, qui illud in patriam delaturus furtim abstulerat, occultatum fuerat, fundandæ abbatiæ Andrensis occasionem dedit. Ad capellam enim sancti Medardi super clivum prope Andernas sitam superno nutu devehitur, ubi novam ecclesiam construxit Balduinus I princeps terræ comes baronum & A optimatum donis locupletatam, favente Gerardo Tarvannensi episcopo, qui sanctæ Rotrudis cultum approbavit. Balduinus I interea cum Ingelranno Lileriensi ad sanctum Jacobum profectus, in reditu ad Carrofense in Pictonibus monasterium ad usus & consuetudines Majoris monasterii informatum divertit, ibique aliquandiu infirmatus, loci religione & humanitate adeo captus est, ut monachos secum inde adduxerit, inter quos eminebant Gilbertus Uberio prope Corbeiam oriundus, Everardus & Hemfridus de Berthberga. Hos comes in nova S. Salvatoris & S. Rotrudis collocavit ecclesia, quibus Gerardus episcopus Tarvannensis altare villæ, quæ vulgo *Andernes* tunc dicebatur, concessit anno 1084 fundationis primo, B multaque bona fecere barones & nobiles terræ illius. Non multo post conditum monasterium mortua Balduini comitis uxor Adela, in capitulo monasterii humata fuit, ad quam post annos circiter septem Balduinus ipse honorifice sepelitur cum filiis suis; & sic deinceps Ghisnensium comitum utpote fundatorum pro sepultura fuit Andrensis ecclesia. Horum & aliorum benefactorum chartas exhibet chronicon monasterii, quod habes tomo IX Spicilegii. Illud Guillelmus Andrensis abbas ad annum 1234 perduxit, qui, quum C Carrofensibus amplius subdi moleste ferrent Andrenses monachi, his obtinuit a summo pontifice anno 1211 privilegium eligendi abbates de suo gremio sicut & de Carrofensi, servata nihilominus abbatibus Carrofensibus tanquam primariis obedientia. Seculo sequenti tempore Raimundi Tarvannensis episcopi Andrense & de Capella monasteria a Flammingis, & Anglicis, & aliis regni inimicis incendio cremantur, & ita desolata & vastata fuere, ut abbates & monachi ibidem securi morari non possent. Utrum postea resurrexerit, & a monachis inhabitatum fuerit, desunt hactenus nobis monumenta. Nunc vero reditibus monasterii solus a rege designatus potitur abbas. D

ABBATES.

I. GILBERTUS de Uberio juxta Corbeiam oriundus, è monasterio Carrofensi a Balduino I comite Ghisnensi adductus, Andrensibus prior præficitur: quo quidem in munere quum per annos novem præfuisset, postmodum exigentibus meritis superiorum auctoritate & concordi fratrum electione factus abbas circa annum 1097, officium suum strenue & viriliter per annos 15 exercuit. Jam abbas erat, quum Adelam comitissam, & septennio post Balduinum comitem ipsius E conjugem in capitulo honorifice tumulavit. Horum filius Manasses multa a patre datis adjecit ad petitionem Gilberti primi abbatis. Hospitali a se instituto Everardum commilitonem eleemosynarium præfecit. Adhuc occurrit anno 1107 in chartis Andrensibus. Quædam commutavit cum Lamberto abbate Sithiensi anno 1112, post cujus obitum quatuor fere annis sedes vacavit, diversa jam tum Pictaviensibus tum Flandrensibus sentientibus.

II. Reinaldus natione Pictaviensis, monachus Carrofensis, canonice electus abbas, a Johanne Morinensi

Morinensi episcopo benedicitur. Jam occurrit anno 1114 in chronico pag. 387. Huic Manassès de Bredenarda dedit anno 1116 comitatum omnis terræ Guffridi avunculi sui. Bulla a Paschali II donatus, chartam confirmationis prædiorum monasterii a Johanne episcopo obtinuit anno 1122. Subscripsit anno eodem privilegio Eustachii comitis Boloniensis pro sancto Bertino. Limina apostolorum bis visitavit, quo in itinere pedes incessit in habitu peregrini. Privilegium a Callisto papa consecutus est. Memoratur adhuc anno 1126. Rexit annis 14, & labore Romani itineris attenuatus obiit, post quem vacavit sedes per annos quatuor.

III. Petrus I Charbonellus natione Pictaviensis, professione Carrofensis monachus, corpore decorus, sanguine generosus, post diutinam vacationem electus, confirmationem obtinuit prædiorum a Manasse filio Balduini, & a Johanne episcopo anno 1130, quo prædium in *Hottingehem* Andrensibus ab Henrico *de Campanies* donatum scripto significavit. Comitatum *de Bokerdes* acquisivit. Hujus tempore concremata ecclesia, a Cantuariensibus monachis plurimum adjuti sunt Andrenses. Chartam obtinuit Petrus a Milone episcopo an. 1132. Milonem comitem sepelivit. Equo dejectus & ipse moritur, & in antiqua ecclesia tumulatur post 13 & amplius annos regiminis. Quatuor annis post eum vacat locus, & a rectitudinis via deviat.

IV. Gusfridus, cognomento Bertra, monachus Carrofensis, electus abbas anno VI Ludovici regis, Christi 1146, a Milone episcopo confirmatus est & benedictus. Subscripsit anno 1144 chartæ Balduini Ardensis pro monachis S. Mariæ de Capella. A suis male habitus, ab eodem Milone petiit absolvi: quod quum impetrasset, ad Leonem S. Bertini abbatem accessit, a quo factus prior, per annos sex ibidem vixit: at pessimo crimine accusatus, ad Carrofenses suos rediit; a quibus honorifice receptus, post annos aliquot obiit & ante ostium capituli sepultus est, quia in ecclesia nullus abbas consueverat tumulari.

Ch. xv. col. 403.

V. Gregorius filius Eustachii *de Bavelingahem* & filiæ comitis Manassis, professus Andrensis, ad Carrofense monasterium missus est, ut aliquando tanquam professus Carrofensis Andrensibus facilius præfici posset. Post aliquot annos regressus, defuncto Petro, a dyscolis quidem electus est, sed a Milone episcopo ob juvenilem ætatem repulsus. Absoluto vero Gusfrido, iterum a fratribus omnibus electus est anno 1158, & a Carrofensibus confirmatus. Sed quum multæ essent querelæ de ejus insufficientia, inertia, simplicitate atque etiam prodigalitate, ab episcopo non fuit benedictus. Quin & de nimia licentia anno electionis tertio accusatus, fuit omnino dejectus. Sic totos quatuor annos insumsit, quibus sedes potius vacasse, quam abbas præfuisse dicendus est.

VI. Petrus II, cognomento *Mirmet*, id est parvus, post exactam in studiis ætatem juvenilem, in monasterio Allodiorum in Lemovicibus aliquandiu militavit; unde egressus, Africa & Hispania peragratis, in Habula civitate archidiaconatus officium exercuit. Sæpius visitatis apostolorum

A liminibus ad Carrofum rediit, ut patriæ suæ gloriosum se ostenderet. Ibi infirmatus monasticum habitum sumsit: inde factus prior de Fraxineto, Andrensibus ad Carrofum frequenter euntibus & redeuntibus innotuit; a quibus electus abbas an. 1161, a Milone II benedictus est in festo S. Thomæ apostoli. Laudatur maxime ob zelum circa literas, cantum & regularem observantiam. Tertio præsulatus anno expleto, corpus beatæ Rotrudis in feretro recondidit, de cujus gestis & miraculis tractatum edidit, quæ labefactare conatus fuerat Balduinus *Bochard* Andrensis dominus. Invidorum malicia Carrofum repetere coactus
B fuit: reversus, S. Thomam Cantuariensem ad ecclesiam suam septimo exilii anno redeuntem, a monasterio S. Bertini usque ad Ghisnas circumduxit jussu Balduini comitis. Privilegium ab Innocentio III obtinuit quo decimæ novalium & animalium indulgentur V cal. Mart. an. 1172. Testis fuit an. 1174 in charta Balduini comitis Ghisnensis pro Claro-marisco, & 1176 in literis Philippi comitis Flandrensis & Veromanduorum. Christianam uxorem Balduini comitis Ghisnensis ad pedes Adelinæ matris suæ sepelivit VI non. Julii 1177. Nova constructa ecclesia, a Philippo Flandriæ comite Constantinopoli redeunte, cui apud S.
C Bertinum obviavit, reliquias petiit & impetravit, ecclesiamque suam a Desiderio Morinensi episcopo dedicari curavit anno 1179. Romam petiit anno 1181 pro Philippo Flandriæ comite, qui relictam comitis Campaniensis ducere volebat uxorem. Quædam recuperavit an. 1183: nonnulla excepit ab Eustachio de Calquilla anno 1193, quem ad habitum monasticum excepit. Defunctus ineunte anno 1195, sepultus est ante altare a Johanne abbate S. Bertini, licet in porticu ecclesiæ, ut ab omnibus conculcaretur, sepulturam modeste elegisset. Vir prudens, discretus & literatus per annos 32 & amplius rexit.

D VII. Iterius natione Petracoricensis, Bernardi Hamensis abbatis germanus, Carrofensis eleemosynarius, vir literatus, electus est an. 1195, ex chronico. Hinc errorem licet suspicari in charta Hugonis Cluniacensis, conventionem inter Simonem priorem de Wasto & Iterium abbatem *de Andres* confirmantis anno 1194, pro quo legendus forsan 1196. Electus autem Iterius primum visus est reniti, sed a fratre suo adscitus & a Gaufrido abbate Carrofensi per sententiam publicam venire coactus, in die Pentecostes Lamberto episcopo Morinensi est præsentatus, a quo primum quod literas a Carrofensi capitulo non
E attulisset, refutatus est, dein melius habitus, a monachis receptus est feria quinta Pentecostes. Decimam acquisivit in parochia *de Bocsin* anno 1196. Occurrit adhuc annis 1200, 1202, 1203 & 1206, quo mense Septembri ab Hamensibus abbas postulatus, Andrenses dereliquit, quibus per tredecim fere annos præfuerat.

Malbranc. tom. III. p. 388.

§ Iterio translato, Simon prior de Wasto a Cluniaco dependente, Boloniensis comitis ballivus & consiliarius, abbas eligitur post obitum Lamberti episcopi Morinensis anno 1207, eodemque renunciavit minime benedictus.

VIII. Guillelmus electus est anno 1208, die Martis ante Cineres; at propter dissidium Andrenses inter & Carrofenses, post confirmatam a summo pontifice Andrensibus e gremio suo eligendi facultatem, iterum electus, a Johanne Morinensi episcopo in die Assumtionis B. Mariæ anno 1211 benedictus est. Interim Henricus prior bullam confirmationis bonorum ab Innocentio III obtinuit XII cal. Januarii 1208, qui episcopo & capitulo Morinensi biduo post inhibuit, ne quid pro benedictione exigerent ab abbate. Procurante *Adam* Morinensi episcopo, a capitulo Hamensi postulatus abbas Guillelmus an. 1220, Romam ire cogitur adversus procuratores Carrofensis monasterii. Eodem anno ab omnibus ordinis abbatibus in provincia Romana destinatus est ad curiam pro celebrando annuo generali capitulo. Roma reversus, adstitit anno 1221 translationi S. Oswaldi regis & Idabergæ virginis apud S. Winocum; sedit ad annum 1234, quo chronicon monasterii sui clausit.

IX Thomas ex priore Andrensi electus est abbas an. 1234, ut constat ex literis hoc anno datis, quibus ab abbate Carrofensi ejus est confirmatio postulata. Commutavit an. 1240 cum monasterio S. Augustini.

X. Nicolaus *de Blangy* memoratur 13 Junii 1343 in regesto V thesauri chartarum.

XI. Anselmus procuratores misit ad concilium Remense anno 1455.

XII. Petrus *le Marchans* presbyter & commendatarius procuratores instituit & misit ad concilium Remense an. 1564.

XIII. Ludovicus *Thiberges* unus e rectoribus seminarii Missionum externarum, abbas erat Andrensis die 15 Augusti 1691 & 1698: cessit in gratiam sequentis mense Augusto 1722, retenta cum regis permissu annua 1200 librarum pensione.

XIV. Jacobus *Bosredon* presbyter Lemovicensis, per cessionem præcedentis factus est abbas mense Augusto 1722.

XV..... *de Lussan* nominatus est mense Novembri 1730.

XVI. N. *de Montagu de Beaune* renunciatus est a rege 28 Aug. 1748.

S. LEONARDUS DE GHISNIS.

MANASSES Ghisnensium comes, ad exemplum patris sui Balduini qui Andriam condiderat, & Emma comitissa uxor ejus fundarunt in suburbio Ghisnensi monasterium virginum in honorem S. Trinitatis & S. Leonardi an. 1117, quibus ecclesias de Niguentonia, *de Alschot* & *Celpham* donarunt an. 1120. Ita habent chartæ. Lambertus tamen Ardensis presbyter in historia comitum Ghisnensium, cui accinit Iperius in chronico S. Bertini, propositum comiti, rei vero executionem viduæ comitissæ adscribunt; quod tamen quomodo intelligant, non video; si enim anno 1129, ut volunt, de consilio Matthæi sedis apostolicæ legati, duorumque Morinensium archidiaconorum prope castrum de Ghisnis monasteriolum construere proposuerint, cujus virgines ex Astromensi ad Atrebatum parthenone assumtæ juxta ordinem & consuetudines Marchiliaci viverent, quas monachis S. Bertini regendas commiserunt anno 1132, quomodo quod defunctus anno 1137 Manasses comes perficere non potuerit, hoc Emma vidua absolverit monasterium, ubi defuncto conjuge monialis effecta sepulturam accepit? Sensit pugnantiam Andreas *Duchesne*; ideo chartarum auctoritate pressus, utrique Manassi & Emmæ fundationem sancti Leonardi de Ghisnis attribuit, quam soli Manassæ acceptam refert Guillelmus abbas in chronico Andrensi. Processu temporis, quum moniales mores Marchiliaci mutavissent, monachi sancti Bertini harum curam abjecere, quam sibi sumserunt episcopi. Aliquando quoque Broburgum translatas fuisse innuit Andreas *Duchesne*. Bellis denique desolato parthenone, monialibus ejusdem ordinis Ardrensibus aggregantur. En aliquot abbatissæ.

I. SIBILLA, Adelæ Ghisnensis comitissæ cognata, monialis Lotharinga, prima sancto Leonardo a fundatoribus præficitur abbatissa, cui successit

II. Mathildis Campaniensis, & huic

III. Adela de Merdica, quam excepere

IV. Eufemia filia Arnoldi comitis Ghisnensis, monialis S. Leonardi, & post eam

V. Luthgarda Eufemiæ germana, monialis quoque Ghisnensis. Hæc sepulturam obtinuit a Bertiniensibus pro Willelmo filio Oliverii *de Ghisnes* in excommunicatione mortuo an. 1210. Præerat adhuc mense Martio 1211.

Maria *Froment* decreto regii consilii servatur an. 1635 in possessione abbatiæ S. Leonardi Ghisnensis adversus abbatissam Broburgi.

BEATA MARIA *in Nemore*, seu RUSSELLIVILLA.

Ruisseauville.

IN pago Sanpaulano non multo plus lapide a Fressinio, nativa, vel a Cresekio toparchica sede, in vacuo arboribus spatio nemoris, quod ad fluviolum qui in Legiam manat exporrigebatur, B. Mariæ canonicorum ordinis S. Augustini congregationis Arroasiensis ædem condidere Ramelinus *de Crequy* nobilis Picardus & *Alix* uxor, cui postea Russellivillæ obtigit nomen. Quo autem anno id contigit, hic dissident Malbrancus Morinorum scriptor & historiæ genealogicæ magnatum Franciæ auctor. Hic chartularium laudat, ubi sic legitur: *Ramelinus secundus nomine, dominus* de Krequi, *Fressinensis, fundavit hanc ecclesiam suam sub Ludovico quinto, anno Domini nongentesimo octogesimo sexto, ex fide tabularum nostrarum.* Citat ille fundatoris epitaphium repertum an. 1349, in quo monasterium an. 1099, fundasse legebatur Ramelinus. Et certe si ab initio congregationis Arroasiensis fuerit Russellivilla, ante ipsam Arroasiam, quam fundatam diximus anno 1090, fundari non potuit: deinde tam ex tertio, quem in congregatione obtinuit loco, ubi subpriorem agebat Russellivillæ abbas, quam ex serie abbatum constat hoc circiter tempore conditam fuisse. Illud quoque libens peterem utrum jam

Tom. VI. pag. 777.

fundatæ ante Arroasiam abbatiæ ad hanc postea A accesserint. Quantus seculo decimo sexto ineunte Russellivillæ esset splendor, è regesto computorum cameræ Paris. anni 1522 12 Julii, discimus: *Abbas S. Mariæ in Nemore ad Russellivillam possidet emortui mancipii jure ecclesiam suam seu abbatiam, ædificia, hortos, agrosve trecenta septuaginta septem arabilis terræ jugera muris clausa cinctaque complectentes, & pascuæ telluris quatuordecim, sex vero exclusa muris.* Præter enim Ramelinum alios numerat benefactores, Galonem *de Pas* militem, Arnulfum *de Renty*, Galonem *de Berguincheve*, Hugonem *d'Asincourt*, Hadellidem uxorem Guidonis *d'Alenbon*, Johannem B comitem S. Pauli & Elisabetham uxorem. At jam anno 1542 quantum ab illa mutata esset Russellivilla, melius edocebit Malbrancus tom. II pag. 887. Abbas etiamnum regularis in comitiis Atrebatensibus sessionis jure gaudet.

Abbates.

Hoc leguntur ordine in pluribus catalogis, necnon apud Locrium & Sammarthanos.

I. Henricus
II. Fulbertus.
III. Thomas.
IV. Mattæhus *de Domard.*
V. Gerardus.
VI. Vuillelmus.
VII. Walterus.
VIII. Stephanus.
IX. Robertus.
X. Johannes.
XI. Willelmus.
XII. Emerardus.
XIII. Egidius *de Froideval.*
XIV. Walterus.
XV. Gillebertus.
XVI. Milo I, Morinensis episcopus.
XVII. Balduinus Noviomensis episcopus.
XVIII. Lambertus.
XIX. Walterus.
XX. Petrus.
XXI. Oudardus, &c.

Ordinem sic reformamus.

Ch. XIV. col. 402. I. Ricardus memoratur primus abbas sanctæ Mariæ de Nemore pridie calendas Septembris in necrologio Marchasii Radulfi.

Ch. XXVI. col. 307. II. Henricus reperitur anno 1137 in charta Milonis episcopi pro monasterio Balantiarum, 1141 in charta Theodorici Flandriæ comitis, pro ecclesia Tarvannensi, & 1142.

III. Fulbertus.

IV. Thomas subscripsit chartæ Fulconis abbatis Hasnoniensis nonnulla Furnensi abbati concedentis anno 1159. Occurrit adhuc 1166 in chartulario S. Evodii de Brana, attamen

V. Everardus in chartulario Mareolensi reperitur anno 1165 cum Baldewino de Mareolo, Petro S. Vulmari & Hugone de Belloloco abbatibus. Postea fit abbas Arroasiensis an. 1172, ubi vide tom. III, col. 435.

VI. Matthæus *de Dommart* bonæ memoriæ dictus in necrologio.

VII. Fulco sedebat 1185 ex chartis S. Eligii Fontis.

VIII. Gerardus.

IX. Willelmus I.

X. Walterus I.

XI. Stephanus.

XII. Egidius *de Froideval* ecclesiam igne fulmineo combustam anno exeunte 1212, industria sua & fidelium eleemosynis elegantiorem postea fecit. Præerat abbas 1218 mense Octobri, & 1227 mense Februario, ex tabulario Strumensi.

XIII. Hugo recensetur in necrologio Marchasii Radulfi III id. Julii anno circiter 1230.

XIV. Robertus I an. 1234 in charta Godefridi *de Pierremont.*

XV. Johannes I.

XVI. Willelmus II.

XVII. Walterus II.

XVIII. Gillebertus bonæ memoriæ.

XIX. Lambertus.

XX. Walbertus, al. Walterus.

XXI. Petrus.

XXII. Oudardus a Bonifacio VIII creatur abbas anno 1292.

XXIII. Robertus II frater Jacobi Morinensis episcopi, de quo sic in tabulis: *Dominus Robertus* C *Madidus piæ memoriæ, de Bolonia natus, vicesimus secundus abbas hujus ecclesiæ, & præpositus ecclesiæ sancti Martini Iprensis, emit cum domino* de Crequy *justitiam hujus loci Ruissellivillensis, & crevit justitiam religiosorum, qui obiit circa annum Domini 1302.*

XXIV. Johannes II *de Chauny* obiit anno 1359.

XXV. Vedastus *Polon* Ariensis defecit 1385. Veteres reparavit campanas.

XXVI. Balduinus *de Hericourt* natus *de Caullers*, germanus Antonii abbatis Chocquensis, reparavit ecclesiæ suæ campanile quod secundum D nuperis bellis conciderat. Mortuus est anno 1416.

XXVII. Michael *de la Verdure* natus in comitatu Boloniensi, depositus a rege Francorum, cessit sequenti, decessit anno 1460.

XXVIII. Guillelmus III *Gloriant* religiosus de Ondellivilla, defunctus est anno 1476, de abbatia bene meritus.

XXIX. Reginaldus *Venand* natus *d'Avondenches*, rexit mensibus novem, & obiit anno 1500.

XXX. Johannes III *Maubaillay* Asincurius, parochus erat *de Crequy.* Hanc ecclesiam pretiosa E auxit supellectile, ædificiaque ruinam minitantia decenter reparavit. Vivere desiit 17 Octobris 1506, sanctæ memoriæ dictus abbas.

XXXI. Hector *Selingués* Audomarensis, curatus erat *de Lisbourg.* Vir optimus ante obitum cessit, qui contigit 1 Martii 1515.

XXXII. Nicolaus *des Prés* Bethuniensis, religiosus sancti Johannis Chocquensis, mortem oppetiit 4 aut 5 Martii 1531.

XXXIII. Philippus I *de Marchennelles* Insulensis, religiosus Montis sancti Eligii, ex priore Albiniaci abbas Russellivillæ obiit 27 Octobris

1556 post 26 regiminis annos, sub cujus imagine subscripti sunt hi duo versus :

Quum caderet, studui templi reparare ruinam :

Erige plasma tuum, sis mihi vita, Deus.

XXXIV. Hadrianus *de Harlin* Paulinas, præfuit cum laude 34 annis, plurimis interim Martis fortunis exercitatus. Is templo suo, quod Alenconii ducis milites pene everterant, instaurando non segnem impendit operam, qui tandem morbis & senio fractus, dignitatem transcripsit Philippo *de Lannoy*, accedente regis consensu, & exinde annos sex & menses octo supervixit. Devixit autem anno 1596 18 Januarii, & sepultus est ad Prædicatores Audomarenses.

XXXV. Philippus I *de Lannoy* Betunæus, Wathenensis præposituræ decanus, religiosus Russellivillanus, creatus abbas possessionem apprehendit 24 Junii 1590. Obiit 21 Octobris 1633, ætatis 88, præfecturæ 43.

XXXVI. Jacobus *Cousin* Betunæus, ex priore & coadjutore factus abbas, rexit 5 annis, defunctus Ariæ 11 Septembris 1638.

XXXVII. Philippus II *le Roux* Betunæus, tertio regiminis anno defecit 9 Octobris 1641, ætatis 38.

XXXVIII. Augustinus I *des Mons* Audomaræus, licentiatus in theologia, creatus abbas a Philippo IV Hispaniarum rege 17 Februarii 1642, reperitur anno 1664 19 Julii in regesto Balliviatus Ariensis. Obiit 6 Aprilis, al. 17 Julii 1677, ætatis 80, præfecturæ 35.

XXXIX. Augustinus II *de Neufville* Gandavensis, post administratas per sexennium parochias Russellivillanam & Lisburgensem electus abbas 3 Septembris 1677 annos natus 34, a Ludovico XIV est confirmatus 1 Novembris sequentis. Febri rheumati juncta correptus, obiit 29 Octobris 1683, anno ætatis 40, professionis 15, regiminis 6.

XL. Ambrosius *Thery* Fontanus in Hasnonia, occurrit abbas 1 die anni 1684. E vivis excessit 18 Jun. 1696, al. 29 Dec. 1698: rexit enim 15 annis.

XLI. Gregorius *Campion* Ariensis, creatus abbas 24 Novembris 1698, a rege vero confirmatus 1 Januarii 1699, præfuit 27 annis. Abdicavit anno 1725 in gratiam sequentis, pensione retenta.

XLII. Stephanus-Maria *Loiselle* Audomarensis, a rege Ludovico XV denominatus diplomate dato 7 Novembris 1725, jus mitræ sibi & successoribus impetravit a Benedicto XIII summo pontifice anno eodem.

DUDELLIVILLA.

DOUDEAUVILLE.

FUIT olim in Bolonica diœcesi monasterium Arroasianæ sancti Augustini disciplinæ subditum, cujus reditus universos hodie absorbet commendatarius, sed origo atque initia ignorantur. E suo suorumque prædiorum situ a Dudellivillæ baronibus videtur fluxisse, aut certe a Bolonicis; Dudellivilla enim altera è 12 baroniis a Boloniæ comite pendentibus censebatur. Sunt qui putant, quum villa & abbatia nomen idem retinuerint, piam feminam nomine Dudellam natu secundam Dudæ Wilberti Bolonici uxoris pium aliquod, Audomaro episcopo agente, dedisse institutum, quod sub Normannis collapsum subsecutus baro suscitarit, sibique fundatoris nomen compararit. Abbatia itaque, cujus solus superest titulus, sub divi Johannis Evangelistæ patrocinio a barone Dudellivillensi, quisquis sit, anno 1099, ut ferunt, prodiit fundatore; sed hodie ad nihilum, ut ita dicam, redacta, quippe bellis desolata, nec canonicos alit, nec habet ubi reclinent caput. En aliquot abbates.

Framericus legitur in necrologio Belliloci, uti & quatuor sequentes,

Anselmus.

Johannes.

Erardus.

Stephanus.

Petrus natione Anglus è canonico Arroasiæ abbas Dudellivillæ, translatus est anno 1197 ad abbatiam sancti Johannis Valencianensis, & inde 1201 ad Mareolensem, ubi vide.

Godefridus *Hardi* Vallis-scholarium alumnus, erat abbas Dudellivillæ, regi a consiliis & eleemosynis, quum electus prior Vallis-scholarium Parisiis anno 1593, a Majori consilio reprobatus est anno 1594. Sedebat adhuc anno 1600.

Valerannus *Brenet* anno 1615 ad restaurandam ecclesiam aliquot quercus impetravit a Gabriele *de Montluc* abbate S. Vulmari. Cessit sequenti, sed ante admissam Romæ cessionem obiit.

Franciscus *d'Estrées* clericus Parisiensis per cessionem Valeranni a rege nominatur, & post ejusdem obitum ab eo commendatur regio apud summum pontificem oratori comiti *de Noailles* 5 Junii 1636.

Stephanus *Danche* 1673.

Justus *Bergerat* 1682.

N. *Dance* 1698.

Augustinus *Nadal* Pictaviensis, commendatarius ab anno 1716, socius emeritus Academiæ Inscriptionum, pluribus doctis operibus notus, cessit ante mortem, quæ obtigit Pictavi 7 Augusti 1740, ætatis 82.

N. *Fourdinier de Remortier* abbas jam erat anno 1737.

S. VULMARUS.

S. VULMAR.

SVULMARI in urbe Boloniensi ordinis sancti Augustini monasterium primam sui originem debet Eustachio comiti Boloniensi, Idæ matri & uxori Mariæ, qui jure omni quod in ecclesia S. Vulmari habebant super altare oblato, juxta patrum præscripta, qui laïcos quamvis religiosos de facultatibus ecclesiæ disponere vetuerunt, ecclesiam illam liberam concesserunt, ut canonici sancti Augustini in ea Deo deservirent, & communiter viverent. Hanc ratam habuit Johannes Morinensis episcopus anno 1108, qui canonicis regulas præscripsit anno 1113, quibus cum canonicis B. Mariæ uterentur. Defuncto Eustachio comite, qui successit Stephanus comes præbendas a patre concessas usurpare cœpit, &

Ch. VII. col. 397.

Chart. IX. col. 398.

ad eas nominare præsumsit. Verum curis Milonis A episcopi a præsumtione destitit, præbendas regularibus fratribus dimisit, ac factam a patre fundationem confirmavit. Donationem simul & fundationem ratas habuere Milo episcopus Tarvannensis & Rainaldus archiepiscopus Remensis datis anno 1132 literis, quibus admissam a canonicis sancti Vulmari Arroasiæ religionem gratam habent. Grave videtur infortunium passa domus, cujus ut ruinas relevent hortatur fideles Radulfus episcopus anno 1255. Præcipuos benefactores semper habuit S. Vulmari monasterium comites comitissasque Bolonienses, Philippum comitem & Mathildem ejus uxorem, quorum donationes exstant B factæ annis 1130, 1138, 1153; Idam comitissam, quæ 1188 terram apud *Capesonte* ad construendam capellam ipsis concessit; Rainaldum comitem, qui cum præfata Ida comitissa aliam donationem fecit anno 1199; Johannem Bituricensem & Boloniensem comitem, ac Johannam comitissam, qui etiam anno 1407 beneficos se præbuerunt. Nec minora ab episcopis Morinensibus experti sunt beneficia canonici, qui ecclesiam sancti Vulmari ad annum 1617 tenuerunt, quo patres Minimi sancti Francisci de Paula die sancto Marco sacra in eam admissi, hanc biennio post, anno scilicet 1619, deseruerunt. C Sed tandem presbyteris Oratorii collegium moderantibus anno 1632 cessit hæc domus, cujus unus superest abbas commendatarius.

Chart. x. col. 399. Chart. x i. col. 400. Ch. xxix. col. 411.

INDEX ABBATUM.

I. PETRUS I ad quem exstant Milonis Morinensis episcopi, & Rainaldi Remensis archiepiscopi literæ anno 1132, de quibus supra, bullam protectionis & confirmationis obtinuit ab Innocentio II anno 1139. Occurrit anno 1142 in charta Mathildis pro Claro-marisco. Subscripsit etiam literis Milonis episcopi pro canonicis regularibus S. Amandi & sanctæ Bertinæ in diœcesi D Atrebatensi cum Hugone Belli-loci & Onoardo sancti Vulmari de Bosco abbatibus. Exstat etiam ad eum bulla Alexandri papæ III anno 1162. Reperitur adhuc in chartulario Mareolensi anno 1165.

II. Robertus memoratur in confirmatione donationis factæ monasterio Branensi anno 1171. Privilegium obtinuit ab Alexandro III anno 1177.

III. Odo præerat anno 1185, ex chartulario sancti Eligii Fontis. Bullam obtinuit ab Urbano III anno 1186.

IV. Framericus fuit arbiter cum H. abbate Lon- E givillaris inter monachos Andrenses & Arnulfum *de Cayeu* anno 1196. Pactum iniit cum Osimundo abbate B. Mariæ anno 1202 & 1213, cujus jura & privilegia agnovit. Consignatur in necrologio Belli-loci 11 Martii Framericus abbas S. Vulmari in Bolonia.

V. Vualterius memoratur anno 1226 in literis Eustachii *de Sellis* & Mathildis ejus uxoris.

VI. Petrus II 1264.

VII. Nicolaus 1276.

VIII. Thomas de Villaribus 1327, Johanni *de Sedelot* abbati beatæ Mariæ synchronus.

IX. Adam in quadam inquisitione an. 1330 occurrit abbas sancti Vulmari in Bolonia.

X. Vedastus post octo regiminis annos ad beatam Mariam de Nemore, seu Russellivillam, unde assumtus fuerat, revertitur.

XI. Johannes I Petri, cui successit

XII. Antonius Rastasii auctoritate apostolica institutus. Is abbatiam acceptare renuit, cessione facta in manu Tarvannensis episcopi, a quo religiosi intacto jure suo eligendi abbatem deposcunt 11 Septembris 1398.

XIII. Johannes II *le Vert* canonicus B. Mariæ Boloniensis, a Johanne episcopo abbas creatur anno 1398, qui cum Jacobo *de Marquette* abbate B. Mariæ contendebat anno 1402.

XIV. Ludovicus 1423.

XV. Johannes III *de Vendosme* relicto prioratu Rebroviensi fit abbas. Memoratur in veteri instrumento Montis sancti Eligii anno 1432, mortuus circa 1436.

XVI. Hugo procuratores instituit ad concilium provinciale anno 1453.

XVII. Petrus III sancti Nicolai hospitalem domum una leuca a Bolonia distantem, & bellis subversam tanquam suæ jurisdictioni subjectam reparare intendit anno 1484.

XVIII. Guillelmus *Supplande* vivebat tempore Johannis *de Pouil* abbatis S. Mariæ. Successorem habuit nepotem suum, cujus nomen ignotum.

XIX. Johannes IV *Caillette* doctor theologus sedebat an. 1497, quo contendebat cum Johanne *de Tilly* abbate beatæ Mariæ.

XX. Johannes V *l'Est* 1529, 1530.

XXI. Johannes VI *Baconel* anno 1535 cum Petro *d'Erables* abbate Belli-loci in synodo Tarvannensi ambigebat uter utrum præcederet.

XXII. Renatus *de Joigny* 1595 in literis Henrici regis comitia ad Meduanam convocantis.

XXIII. Victor *Bouthillier* episcopus Boloniensis, dein archiepiscopus Turonensis, abbas anno 1639.

XXIV. Nicolaus *Sevin* abbas sancti Vulmari, tum episcopus Sarlatensis & Cadurcensis, defunctus 9 Novembris 1678, vide tom. I col. 152, & tom. II col. 1529.

XXV. Johannes VII *de Lingendes* episcopus Sarlatensis, tum Matisconensis, obiit 1665.

XXVI. N. *Baragne de Moyssi* typographi filius, ab eleemosynis reginæ Annæ Austriacæ, abbatiam obtinuit paulo ante reginam defunctam, cujus in dominio sita erat. Obiit mense Octobri 1688.

XXVII. Claudius-Carolus *Genest* Parisiensis, a consiliis & eleemosynis ducissæ Aurelianensi, nominatus abbas 1 Novembris anno 1688, occurrit adhuc 1691 mense Martio. Unus è quadraginta viris academiæ Gallicanæ obiit 19 Novembris 1719, ætatis 82.

XXVIII. N. *de Chastenet* 8 Januarii 1721.

XXIX. N. *de S. Aubin* doctor Sorbonæ, designatur a rege abbas mense Octobri 1735. Obiit 1742.

XXX. N. *le Maire* regis Franciæ ad regem Daniæ internuncius, nominatus est a Ludov. XV

commendatarius S. Vulmari 25 Octobris 1742. A

Præter præfatos in necrologio Russellivillano memorantur Nicasius & Henricus, Johannes *le Fevre* ejusdem monasterii alumnus, & Bartholomæus.

Albadus.
Alardus.
Theodericus.
Eustachius.
Gualterius.

BEAULIEU.

BELLUS-LOCUS.

Ch. xxxii. col. 419.

ABBATIA est ordinis S. Augustini congregationis Arroasiensis, quam, ineunte seculo XII, construxit Eustachius dictus senex, dominus *de Fiennes*, filius Cononis memorati in historia Cameracensi ad annos 1099, 1107, 1112, in paternis ruribus, in vallis atrio quæ jam Bellus-locus nuncupabatur. Fundandi monasterii juxta B alios occasio fuit, tum calix in quo Christus in cœna novissima cum discipulis suis bibit quem ei e terra sancta ad sua revertenti dedit Godefridus Bullionius rex Jerusalem, tum votum quod emiserat. Lambertus vero Ardensis in historia manuscripta comitum Ghisnensium refert Bellum-locum constructum ab Eustachio sene de Fielnis tempore Guillelmi comitis Boloniensis & Manassis comitis Ghisnensis, ad exemplum nobilium qui in terris suis tunc temporis monasteria condebant, & pro salute animæ suæ, & maxime pro redemtione cujusdam militis de Pontio in Pontivio domini quem in torneamento C interfecerat, accitosque ab eo è monasterio B. Mariæ de Nemore canonicos Arroasiensis ordinis, quibus Willelmum præfecit. Anno 1390 ab Anglis monasterium omnino vastatum fuit, ut docet nos vetus hoc fragmentum, quod legitur ad calcem martyrologii ejusdem monasterii. *Anno 1369 fracta fuit pax, & guerra incœpta inter reges Franciæ & Angliæ. Anno vero 1390 in vigilia B. Mariæ Magdalenæ capta fuit & destructa abbatia de Bello-loco per Anglicos.* E tanta vastatione, quam alia forte subsecuta sunt incommoda, resurgere nequivit Bellilocense cœnobium, cujus hodie canonicis destituti reditus omnes devorat D abbas, substitutis horum in locum ad officium peragendum presbyteris, quos ad arbitrium amovet.

Ex abbatibus, quorum nomina ad nostram devenere notitiam, alii certa temporis nota designantur, alii indistinctim in necrologio recensentur. Hi autem sunt:

Vuillelmus.
Johannes.
Richowardus.
Ingerannus.
Lambertus.
Humbertus.
Johannes piæ memoriæ.
Folcuinus de Bolonia piæ memoriæ.
Eustachius *de Hannebus.*
Laurentius *Paquentin.*
Petrus *Josel.*
Robertus.
Alulfus.
Sigerus.
Arnulfus.
Galterius.
Anskelinus.
Hugo.

Abbates quorum notum est tempus.

Willelmus è monasterio B. Mariæ in nemore, alias de Russellivilla, primus desumtus est abbas.

Hugo anno 1148 ab Eugenio papa III, & ab Adriano IV an. 1156, bullas protectionis accepit. Subscripsit anno 1165 chartæ Milonis episcopi.

Fulco abbas de Bello-loco memoratur cum Desiderio episcopo Morinensi, Verrico abbate de Brana, Alulfo archidiacono Morinensi & Balduino abbate B. Mariæ de Bolonia circa 1171.

Richowardus commemoratur in quodam instrumento S. Eligii Fontis an. 1185.

Walterus recensetur in chronico Andrensi annis 1208, 1215, 1222 mense Januario.

Petrus procuratores instituit ad concilium provinciale 25 Junii 1455. Petiit a Paschasio Arroasiensi abbate ut, quoties Bellum-locum vacare contingeret, electio die præfixa celebrari posset, non exspectata ejus licentia, 2 Junii 1460.

Folcuinus de Bolonia 22 Februarii 1468. Ch. xxxii, col. 419.

Petrus *d'Erables* 1535.

Ludovicus *de Bethune* abbas Belli-loci clero valedixit, eratque marchio de Chabris, & gubernator Andrensis ac comitatus Ghisnensis an. 1577.

Rogerius *d'Aumont* filius Jacobi baronis de *Chappes* & Carlottæ-Catharinæ *de Villequier*, episcopus Abrincensis, necnon abbas de Userchiis, Barzellæ, Belli-loci & Longivillaris, obiit 25 Martii 1653.

Carolus *d'Aumont* præcedentis nepos, filius Antonii Franciæ marescalli & Catharinæ *Scarron de Vavres*, natus 13 Nov. 1634, baptizatus 4 Martii 1635, abbas post patruum Uzerchiæ, de Barzellis, Belli-loci & Longivillaris, obiit mense Januario 1695.

N. *de Cauret de Tagny*, germanus marchionis *de Tagny*, toparchæ *de Coignieres*, a rege nominatus abbas 8 Aprilis 1695, obiit mense Febr. 1707.

Franciscus *Madot* episcopus Bellicensis, abbatiam jam obtinuit 24 Decembris 1706, de quo vide in episcopis Cabilonensibus, tom. IV, col. 948.

N. *de Courteille* nominatur abbas exeunte Nov. E 1730.

LONGUMVILLARE.

LONGVILLIERS.

AD Ediviniam fluvium Monstrolium inter & Corminium in comitatu Boloniensi cœnobium ordinis Cisterciensis Longumvillare dictum a Stephano comite Boloniæ & post Angliæ rege & Mathilde ejus uxore fundatum est 26 Mart. anno 1135, eo forte tempore quo Boloniam venit S. Bernardus. Desumti monachi è Saviniaco. Sequentes abbates è diversis tabulariis expiscati sumus.

ABBATES.

I. FOLBERTUS cum Balduino abbate sancti Vulmari memoratur in charta Stephani Boloniæ comitis pro monasterio S. Judoci ad mare.

II. Willelmus I interfuit an. 1158 transactioni inter Rogerium Balantiarum abbatem & Adamum abbatem sancti Judoci de nemore. Testis quoque legitur in charta Matthæi comitis Boloniæ pro Claro-marisco, & cum Erembaldo decano transactionis initæ inter Gaufridum Clari-marisci abbatem & canonicos Tarvannenses.

III. Girardus I memoratur an. 1165 in literis Bartholomæi episcopi Bellovacensis pro monasterio de Alneto. Arbiter fuit an. 1166 querelæ inter monachos S. Winoci & Dunarum.

IV. Petrus 1177 in charta Laurentii abbatis S. Richarii pro monasterio Balantiarum.

V. Simon testis an. 1177 in charta Theobaldi Ambianensis episcopi pro monasterio Balantiarum.

VI. Girardus II abbas Longivillaris cum Widone abbate Gardi anno 1180 in charta Theobaldi Ambianensis, de dono Guillelmi *Caeu* pro Balantiis.

VII. Hugo reperitur anno 1192 in literis Idæ comitissæ Boloniensis pro S. Bertino. Cum F. abbate S. Vulmari Boloniensis arbiter fuit an. 1196 inter monachos Andrenses & Arnulfum *de Cayeu*. Hujus interventu anno eodem Lambertus Morinensis episcopus monasterio sancti Judoci ad mare concessit decimas novalium de *Plais*. Anno sequenti interfuit pacto quod Stephanus abbas Balantiarum iniit cum Widone de Argovia. Testis fuit an. 1199 in charta Willelmi domini *de Fiennes* pro Claro-marisco, an. 1203 in charta sancti Judoci, & anno 1206 in literis Vuillelmi domini de Monte capreoli. Transegit anno 1211 cum monachis S. Bertini, & sancti Salvii anno 1215 pro quadam decima. Dedit literas pro renovanda capsa S. Austrebertæ.

Ch. XXIII. col. 408.

Ch. LXI. col. 338.

Ch. LXVII. col. 342.

VIII. Bartholomæus cum Johanne Alciaci & Nicolao S. Johannis Ambianensis abbatibus arbiter fuit inter fratres Balantiarum & cœnobium S. Judoci de nemore anno 1224.

IX Bertinus an. 1224 confirmat donationes factas Claro-marisco a Willelmo de Monte capreoli & a Willelmo filio ejus confirmatas.

X. Stephanus ex monacho Clari-marisci abbas Longivillaris circa annum 1366 ex Jungelino pag. 49.

XI. Arnulfus memoratur an. 1367 in veteri instrumento monasterii S. Salvii.

XII. Egidius ibidem occurrit anno 1425.

XIII. Laurentius *Teffere* transegit an. 1471 cum monasteriis S. Salvii & S. Justi. Præerat adhuc anno 1483.

XIV. Johannes reperitur 14 Januar. 1484. Monstrolii interfuit an. 1495 translationi reliquiarum S. Guengaloei, & 1493 articulis Paris. edendis.

XV. Jacobus *de Buymont* obiit an. 1510.

XVI. Guillelmus II *Teffere* al. *Teffiet*, ab abbate A Clari-marisci, nomine episcopi Abrincensis commendatarii Saviniaci confirmatus anno 1510, æmulum passus est Antonium *de Chatillon* doctorem Parisiensem & professorem in collegio S. Bernardi, qui postea fuit abbas Frigidimontis, qui Longumvillare per *devolutum* obtinuit ab abbate Loci Dei vicario generali abbatis Cisterc. qui ad electionem vocatus non fuerat, quum abbatibus commendatariis id jus non competeret, & Johannem de Burreyo priorem Clarævallis an. 1516. At Guillelmus sententia Castelleti confirmatus, regebat anno 1523, quo adstitit Parisiis consecrationi Petri *Disque* abbatis sancti B Johannis in Monte 25 Septemb. Occurrit adhuc 1526 in chartis D. *de Gaignieres*.

XVII. Renatus *de Mailly* filius Renati baronis *de Mailly* & Mariæ *de Hangard* quam duxerat uxorem anno 1527, abbas simul Omnium Sanctorum, ecclesiæ Longivillaris navim & claustrum bellorum impressione subversum restauravit, ac pro domo sua plurimum laboravit. Erga Cartusienses prope Monsteriolum etiam beneficus exstitit, quorum in vetustis monumentis hæc leguntur: *Renatus de Mailly abbas Longivillarensis huic domui devotissimus dedit aliquot scamna quæ prostant in choro conversorum, & quercus tredecim.* C Obiit anno 1618, sepultus in choro Longivillaris cum hoc epitaphio: *Cy gist Reverend Pere en Dieu Dam René* de Mailly *en son vivant abbé de Longvillier, lequel après avoir regi cette maison par cinquante deux ans rendit son ame à Dieu le 10 Nov. 1618. Priez Dieu pour son ame.*

XVIII. Carolus *de Mailly* præcedentis nepos, natus est anno 1585 parentibus Theobaldo *de Mailly* & Francisca *de Belloy*. Chori subsellia curavit confici. Cessit sequenti, & obiit 1625.

XIX. Antonius *de Bourbon* comes *de Moret*, natus anno 1607 Henrici IV Francorum regis D ex Jaquelina *de Bueil*, abbas simul Saviniaci, sancti Stephani Cadomensis, sancti Victoris Massiliensis & Signiaci, obiit 1 Septembris 1632.

XX. Claudius *de S. Bonnet de Thoiras* episcopus Nemausensis, obiit 4 Maii 1642, vide tom. VI, coll. 460 & 507 c. ac 829. d.

XXI. Rogerius *d'Aumont* episcopus Abrincensis, abbas de Uzerchiis, Belli-loci & de Barzellis, filius Jacobi baronis *de Chappes*, & Carlottæ-Catharinæ *de Villequier*, obiit 25 Martii 1653.

XXII. Carolus *d'Aumont* præcedentis nepos, filius Antonii Franciæ marescalli & Catharinæ *Scarron de Vavres*, natus 13 Novembris 1634, E obiit mense Januario 1695.

XXIII. Antonius-Franciscus *de Montlezun de Busca* nominatus a rege die 3 al. 8 Aprilis 1695, filius Antonii ex Maria-Magdalena *Amart*. Sedebat adhuc 1746.

LISKÆ.

LICQUES

ABBATIA Liskensis quinque leucis distans Bolonia, sesquileuca vero Ardea, primariam sui debet originem Roberto de Liskis Barbato dicto, contemporaneo seu conscholari Ardensis ecclesiæ fundatoris Ernulfi, seu Ernoldi.

Robertus enim apud Liskas in honorem B. Mariæ quatuor instituit canonicos seculares, quibus seipsum præpositum præfecit, & totidem præbendas contulit. Has Balduinus ejus successor, cum quatuor filiis clericis & ibidem canonicis Jerosolymam proficiscens, canonicis Watinensis ecclesiæ assignavit, quibus post desertam & dirutam ecclesiam assensum præbentibus, Milo Morinensis antistes, qui primus ex hoc ordine ad infulas assumtus fuerat, in synodo canonicos Præmonstratenses è cœnobio sancti Martini Laudunensis evocavit, iisque ecclesiam Liskensem custodiendam & gubernandam commisit anno 1132. Brevi elapso tempore in celeberrimam excrevit abbatiam, ita ut parens & mater omnes genuerit Præmonstratenses in Anglia abbatias. At bellis Hispanias inter & Gallias obnoxia, belli fructus multoties experta est. Ultimum flammis absorpta anno 1674, è ruinis surrexit ab anno 1702, quo operi manum admoverunt canonici Præmonstratenses.

Ch. xII. col. 400.

Hos collegimus abbates.

ABBATES.

I. HENRICUS Ludovici Crassi Francorum regis consanguineus & capellanus, è sancto Martino ubi vota emiserat Viconiam cum aliis missus, aliquandiu vice prioris eis præfuit, a quibus post electus abbas, dum stata consecrationis die episcopus non adesset, Laudunum reversus in canonia sancti Martini priorem egit ad annum 1132, quo a Milone episcopo Morinensi evocatus abbatiæ Liskensi primus abbas datus est. Subscripsit chartæ Theodorici Flandriæ comitis pro ecclesia Tarvannensi anno 1141, & chartæ Milonis episcopi pro Warnestunensibus anno 1142, & 1144 instrumento Balduini Ardensis pro Capella. Vir vitæ venerabilis & amator religionis obiit anno 1150.

Ch. xIv. col. 402.

Ch. xv. col. 403.

II. Gosvinus subscripsit anno 1159 venditioni territorii de Septemvilla inter Guillelmum abbatem conventumque sancti Nicolai Furnensis, & conventum sancti Johannis Ambianensis, ex annalibus ordinis.

III. Godescalcus cum Drogone abbate sancti Augustini, Philippo & Milone archidiaconis, & Erembaldo decano subscripsit chartæ Milonis episcopi pro Claro-marisco anno 1162, forte idem ac

IV. Godefridus abbas probatæ conversationis ac singularis pietatis, qui obiit anno 1163.

V. Robertus bullam obtinuit ab Alexandro papa anno 1164. Chartam confirmationis prædiorum a Desiderio episcopo anno 1170, bullas iterum ab Alexandro III 1173, & a Lucio III 1183. Christianæ comitissæ Balduini comitis Ghisnensis uxoris exsequias in Andrensi asceterio celebravit VI nonas Julii 1177. Testis adfuit concordiæ initæ anno 1183 inter Galterum abbatem S. Martini Laudunensis & conventum Veromandensem. Memoratur in necrologio Marchasii Radulfi VII idus Julii.

Ch. xIx. col. 406.

VI. Rogerus obtinuit anno 1184 bullam a Lucio III. Exitus ejus annum consignant 1196 tabulæ domesticæ, annal. ordinis.

VII. Willelmus obtinuit an. 1196 chartam a Lamberto episcopo, & 1198 terram apud *Berteberg* a Roberto *Malvoisin*, & 1224 confirmationem bonorum ab Adamo episcopo. Hisce temporibus Innocentius III bulla data Lugduni XII cal. Septembris pontificatus anno 1202 concessit 5 canonicis Liskensibus adire hereditates paternas.

Ch. xxv. col. 408.

VIII. Philippus benefactorem sensit anno 1218 Manassen *de Ghisnes* militem, ab eoque recepit totum nemus quoddam decem circiter mensurarum; ita Annalista ordinis, quem in anno lapsum puto, nisi duo distinguendi sint & Guilelmi & Philippi. Philippus enim chartam a Radulfo episcopo impetravit, qui sedit ab 1253, ad 1264.

IX. Balduinus cognomento Hircus, electus ante annum 1283, litis inter abbates Præmonstratensem & S. Martini Laudunensis occasio fuit, quæ secundum Laudunensem definita est in capitulo generali an. 1286, ubi Balduinus confirmatus.

X. Hugo notatur in necrologio Branæ III cal. Octobris.

XI. Jacobus I, annal. ord.

XII. Gillebertus, annal. ord.

XIII. A. memoratur an. 1299 in Hamensi S. Salvatoris chartulario.

XIV. Johannes de Lauduno an. 1300.

XV. Jacobus II transegit anno 1328 cum Agnete abbatissa sanctæ Claræ juxta Audomaropolim cœnobii dicti de Bono loco.

XVI. Jaqueminus 1332.

XVII. Johannes II 1332.

XVIII. Johannes III 1362, & 18 Dec. 1378 ex chartis authenticis D. *de Gaignieres*.

XIX. Egidius I 1418.

XX. Willelmus, annal. ord.

XXI. Nicolaus, 1441.

XXII. Egidius II *Marchand* cessit an. 1500; 18 Februarii in gratiam sequentis.

XXIII. Carolus *de Recourt*, è familia baronum *de Licques*, filius Johannis *de Recourt* & Johannæ *de Stavelles*, canonicus Dommartini, tum abbas per cessionem Egidii, cessit & ipse sub pensione creata a Johanne Præmonstratensi abbate 1505.

XXIV. Dominicus *Carnisien*.

XXV. Franciscus *d'Auchoult* dictus *d'Helfaut*, ex primaria nobilitate Arthesiæ, monachus Benedictinus S. Petri Gandavensis, factus abbas Liskarum a summo pontifice, sub annua pensione cessit sequenti IV cal. Nov. 1541, ad plurimas posteà translatus abbatias, S. Johannis in Monte, sancti Winoci & Blandiniensem, post recusatum episcopatum Gandavensem.

XXVI. Gabriel *de Calogne* primus commendatarius horrea aulæ inferioris exstruxit. In puteum *de Bouvelinghem* fortuito lapsus, misere periit 5 Maii 1568.

XXVII. N. *de Widosson*, domum & prata infra abbatiam sita uni è suis domesticis ad censum dedit, & alienavit villam *du Mast* an. 1577. Hunc servi repererunt exanimem in cubiculo.

XXVIII. N. *Hureau*.

XXIX.

XXIX. N. *le Grand* subita morte exstinctus est.

XXX. Gilbertus *de Clerambault de Palluau*, Pictaviensis posteà episcopus, transegit cum priore & canonicis hujus abbatiæ an. 1661. vid. tom. II, col. 1208.

XXXI. N. *de Megrigny*, filius Johannis comitis Consistoriani & Renatæ Hubertæ *de Bussy d'Inteville*, germanus N. *de Megrigny* gubernatoris arcis Tornacensis, nominatus est a rege commendatarius 19 Januarii 1680.

XXXII. Renatus *de Bruc*, dominus *de Monplaisir*, filius domini *de Monplaisir*, regii subpræfecti Atrebatum, al. Johannis procuratoris generalis ordinum Britanniæ & Mariæ *Venier*, germanus autem Henrici *de Bruc* abbatis Bellifontis Rupellensis diœcesis, designatus abbas 23 Februarii 1680, Henrico quoque abbati Bellifontis successit; at abbatiis suis cessit, ut uxorem duceret, 19 Octobris 1702.

XXXIII. Marinus *Gravelle de Reverzeaux* doctor in decretis, protonotarius apostolicus, regi ab eleemosynis, factus abbas Liskensis 3 Novembris 1702, possessionem per procuratorem iniit 3 Martii 1703. Nominatus fuerat abbas sancti Leonardi de Calmis Rupellensis diœcesis per obitum Johannis *Guillepin* 5 Aprilis 1692. Defungitur Parisiis 1 Julii 1725, ætatis 78.

XXXIV. Augustus-Josephus *de Monthullé* doctor Sorbonicus & decanus honorarius ecclesiæ Bellovacensis, a rege nominatus est abbas 10 Augusti 1725.

XXXV. N. *d'Inteville* ex abbate Blancælandæ Constantiensis factus est a rege abbas Liskarum anno 1748.

Addenda duobus Tomis, & corrigenda.

Col. 28. A. 2. 745. *lege* 743.

Col. 83. C. 12. concessu. *lege* confessu.

Col. 158. E. 3. prioratu *lege* prioratus.

Col. 258. C. 4. Johannes-Philippus *d'Orléans* obiit Parisiis 16 Junii 1748, annum agens 46.

Col. 284. D. 4. Fulco præerat adhuc Sparnaco anno 1141, ex chartis S. Petri-montis.

Col. 295. C. 12. XXVIII. Guillelmus *Chuquelin* confirmatus a G. episcopo Leutevensi, vicario generali cardinalis Remensis, a Johanne Parisiensi episcopo benedictus est 16 Febr. 1500 (1501) in capella superiori, adstantibus abbatibus S. Victoris Paris. & Mosomensi.

Col. 296. D. 5. XXXIX. N. *de S. Exupery* decanus ecclesiæ Parisiensis, nominatus est a rege abbas S. Dionysii Remensis mense Novembri 1747.

Col. 300. C. 8. *sic lege* Carlotta-Polixena *de Thibergeau* ex adjutrice abbatissa, obiit 10 Januarii 1749, annos nata 70.

Ibid. XXVIII. Ludovica-Francisca-Amata *de Grieu*, ex moniali parthenonis Andeciarum in diœcesi Catalaunensi, nominata est a rege abbatissa sancti Stephani 15 Februarii 1749, cujus possessionem iniit 10 Maii anni ejusdem.

Col. 302. D. 2. XVI. Johannes I abbas Igniaci anno 1256, in chartis Fusniaci.

Col. 309. A. 5. Ludovicus-Abraham *d'Harcourt* dux & par Franciæ, obiit 27 Sept. 1750, annum agens 56.

Col. 323. A. 11. Bonævallis, *lege* Bellævallis.

Col. 330. E. 7. XXIII. N. *de Bragelongne* vicarius generalis episcopi Bellovacens. nominatus est a rege commendatarius Longivadi 3 Octobris 1749.

Col. 405. B. 13. Claudius *Pinguet de Belinghan* commendatarius S. Crispini Majoris apud Suessiones, obiit Parisiis 13 Septembris 1751, annum agens 81, & sepultus est in ecclesia cathedrali, cujus erat canonicus honorarius.

Col. 427. D. 5. Petrus *de Montsoury* obiit 17 Martii 1751.

XLIII. N. *du Bourg* vicarius generalis episcopi Cadurcensis, qui primum nominatus fuerat abbas Solemniacensis, a rege postea designatus est Orbacensis mense Maio 1751.

Col. 432. D. 6. XIX. Odo abbas Casiaci 1259, in chartis Joyaci.

Col. 449. C. 8. 1137, *lege* 1127.

Col. 453. E. 13. XXXIII. N. *de Chanut* nominata est a rege abbatissa mense Junio 1749.

Col. 462. D. 9. VII. Gaufridus Pruvinensis abbas erat Sosmensis anno 1169.

Ibid. E. 9. XI. Odo præerat an. 1206, ex chartis Joyaci.

Ibid. R. erat abbas Sosmensis anno 1229 ex chartis sancti Quiriaci Pruvinensis.

Col. 470. D. 1. 1535 *lege* 1553.

Col. 472. D. 4 Elizabetha-Eleonora Parisios secessit ad Portum regium.

Col. 486. D. 4. Eugenium III recens electum pontificem, *lege* Eugenio III recens electo pontifici.

Col. 494. A. 13. Balduinus Clarofonti præerat anno 1191 ex chartis Boheriarum.

Col. 550. A. 11. *Dele tres lineas, & sic lege :* Petrus *Ayssefin de Montaigu* ordinis S. Benedicti, diœcesis Claromontensis, electus Nivernensis promisit pro Reginaldo prædecessore 7 Septemb. 1361, decennioque post olim Nivernensis, tunc vero Laudunensis, promisit 16 Januarii 1370, ex regestis Vaticani.

Col. 554. B. 7. *Dele* id est 1525.

Col. 610. D. 7. XXXVIII. Antonius *de Montazet* nominatus est a rege episcopus Augustodunensis, & commendatarius monasterii in Argona mense Martio 1748.

Ibid. XXXIX. Ludovicus *Poulle* regi a concionibus, ab ipso nominatus est commendatarius Novigenti 7 Septembris 1748.

Col. 624. B. 11. Liegardis abbatissa Oriniaci memoratur 1233 in chartis Boheriarum.

Col. 633. B. 12. XXXVI. Armandus-Gasto *de Rohan-Soubise* cardinalis presbyter SS. Trinitatis de Monte, episcopus Argentoratensis, &c. obiit Parisiis 19 Julii 1749, annum agens 76, & sepultus est die 21 in ecclesia Religiosorum de Mercede Captivorum.

Col. 636. E. 1. Odo primus abbas obiisse dicitur anno regiminis 25, ac proinde anno 1165, quo Godefridus nobis quartus abbas bulla ab Alexandro III donatus est exeunte Aprili, ex documentis Boheriarum, in quibus exulant Mainardus & Petrus nobis secundus & tertius abbates.

Col. 721. A. 11. *post* annus, *adde* quartus.

Col. 747. B. 4. acquisivit monialibus, *lege* a monialibus.

Col. 776. C. 5. Patri, *lege* Petri.

Col. 807. c. 2. 1610. *lege* 1710.

Ibid. c. 6. Ludovicus *d'Apremont* obiit Parisiis 19 April. 1751, annos natus 92, & die crastina sepultus est ad sanctum Sulpitium.

Col. 829. c. 2. XXXVII. Guido *de Baudereuil* abbas sancti Martini in Bosco vendit domum Parisiis 13 Aprilis 1535, *forte* quondam abbas, &c.

Col. 835. A. 9. territorio, *lege* territorium.

Col. 853. A. 6. catalogus, *lege* catalogum.

Col. 891. B. 7. post idus, *adde* Novemb. nempe fer. 3. post festum Omnium SS.

Col. 903. E. 10. Gerardus *Peineré* decanus erat Catalaunensis 27 Aprilis 1431 ex regestis Parlamenti Parif.

Col. 941. E. 9. Th. priorissa Andeciarum 1243 mense Junio, ex chartis domesticis.

Col. 954. Johannes *de Bruyere* abbas Castriciarum in necrologio S. Petri Remensis.

Col. 974. A. 1. *post* Valcheri, *lege* abbatis.

Col. 1018. D. 13. Philippus *de Molins* episcopus Noviomensis episcopo Parif. hominium fecit 12 Julii 1396 pro feodo de Pissiaco sito Parisiis.

Col. 1034. E. 5. XXVI. Johannes *de la Riviere* decanus erat Noviomensis 4 Decembris 1413 ex chartis Autissiodorensibus.

Col. 1118. D. 11. *dele* cardinalis.

Col. 1165. A. 10. Aprilis, *lege* Augusti.

Col. 1226. A. 3. Nicolaus *de Lestocq* canonicus, vicarius generalis & officialis episcopi Ambianensis, electus a capitulo decanus 7 Februarii 1725, possessionem iniit 21 eorumdem mensis & anni, non 1715. Cessit in gratiam nepotis.

LV. Adrianus-Antonius *de Lestocq de Louvencourt*, Nicolai ex sorore nepos, doctor & socius Navarræus, necnon canonicus Ambianensis, cedente avunculo decanus, a summo pontifice confirmatur, & a capitulo in possessionem immittitur 22 Octobr. 1750.

Col. 1229. B. 10. *post* episcopus Trecensis, *dele reliqua*.

Col. 1239. C. 10. coaptatus, *lege* cooptatus.

Col. 1263. A. 7. præsulis, *lege* præsidis.

Col. 1274. C. 2. Henrico, *lege* Philippo.

Col. 1300. D. 7. ordinis, *lege* ordinibus.

Col. 1341. E. 12. A. *lege* E.

Col. 1367. B. 4. XXXIX. N. *d'Estourmel* obiit anno 1750.

Ibid. XL. N. *de Chanterac* vicarius generalis episcopi Noviomensis, nominatus est a rege commendatarius Seriaci mense Junio 1750.

Col. 1377. B. 11. XXXVII. N. Crespin nominatus est a rege abbas S. Andreæ in Bosco, 4 Aprilis 1751.

Errata in Instrumentis.

Col. 1. C. 8. quieto, *lege* quiete.

Col. 206. Ch. VI. lin. 5. Frollandi, *lege* Rollandi.

Col. 274. B. 8. domini, *lege* dominii.

Col. 292. E. 4. annue, *lege* animæ.

Col. 354. C. 10. petitione, *lege* petitio.

Col. 360. E. ch. III. *in margine*, 1016. *lege* 1017.

Col. 382. C. 1. Societatis, *lege* sociatis.

Col. 423 A. 2. Caletaldus, *lege* Letaldus.

Col. 424. C. 11. Martinus, *lege* Matthæus.

Col. 425. B. 2. Dedullivillæ, *lege* Bedullivillæ.

Col. 469. E. 1. A. *lege* N.

Col. 470. A. 2. extra *lege* infra. 11. derelictis, *lege* dicti militis. D. 1. habeat, *adde* & plebis, & populi Mortuifontis & Montis-abyssi habeat, & prædictorum &c.

Col. 493. lin. ult. quinta-decima, *dele* decima.

Col. 501. D. 13. Silvanectensis, *lege* Silvanectensi.



INSTRUMENTA
GALLIÆ CHRISTIANÆ
IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTÆ
SPECTANTIA,
QUÆ PERTINENT AD ECCLESIAM REMENSEM

EJUSQUE SUFFRAGANEAS.

INSTRUMENTA

INSTRUMENTA
AD TOMUM IX.
GALLIÆ CHRISTIANÆ
IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTÆ
SPECTANTIA,
QUÆ PERTINENT AD ECCLESIAM REMENSEM.

I.

Ex Sammarthanis. *Privilegium a sancto Nivardo concessum monasterio Altivillarensi.*

Circiter 662. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. Ego Nivo, sive Nivardus, etiamsi peccator, episcopus, dum omnes episcopi fratres mei etiam & de viris christianis, & de bonis hominibus, monasteria secundum regulam sanctorum patrum ædificare non cessarent, petiit nos Bercarius abbas cum fratribus suis, ut ubi talem locellum eis perquirere deberemus in nostra proprietate, ubi ipsi secundum regulam patrum sancti Benedicti & S. Columbani vivere deberent, & pro nobis die noctuque misericordiam Domini debeant deprecari, ut in futurum veniam de peccatis merear obtinere; sed cum minime hic talem locellum in nostra proprietate invenniremus, qui ipsis monachis ad monasterium faciendum placuisset, repertus est nobis una cum ipsis locellus qui dicitur Altivillaris in fine Remensi, super fluvium Maternæ prope villam Disiacum, quem a Bavone & Theoderamo de villis ecclesiæ nostræ concambivimus, unde & ipsa instrumenta ex hoc in archivis ecclesiæ retinentur; villam quoque Disiacum cum ecclesia & altari B. Timothei martyris, in cujus parochia situs est Altivillaris locus, eidem monasterio legaliter confirmavimus. Sed sic pensitavit ipse Bercharius una cum fratribus suis pro novissimis temporibus, ut dum advivimus, ipsum monasterium quod dicitur Altivillare, quod ego pro æterna beatitudine, vel pro remedio animæ nostræ ad sanctam regulam conservandam ædificavi, in honore sanctorum Petri & Pauli, seu etiam S. Joannis & ceterorum martyrum & confessorum, quorum pignora ibidem venerari noscuntur, in nostra potestate debeat esse, ut ipsos monachos melius delectet secundum disciplinæ ordinem & regulæ vivere, vel quieto residere: & taliter nobis consenserunt de fratribus meis coepiscopis etiam, & de comitibus nostris, archidiaconis, seu & abbates, vel etiam clerus noster Remensis, etiam & de viris illustribus, quorum manibus subscriptiones vel signacula subter tenentur inserta.

II.

Ex Flodoardo, lib. 2. cap. 17. *Literæ Adriani I. papæ ad Tilpinum archiepiscopum Remensem, quibus confirmat jura ecclesiæ Remensis.*

Circiter 775. HADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Tilpino ecclesiæ Remensis archiepiscopo. Quia ad

A petitionem spiritalis filii nostri & gloriosi regis Francorum Caroli, præbente tibi bonum testimonium de sanctitate & doctrina Fulrado amabilissimo abbate, Franciæ archipresbytero, pallium secundum consuetudinem tibi transmisisse nos cum privilegio, ut metropolis ecclesia Remensis in suo statu maneret, bene memoramus. Tua vero fraternitas nobis retulit, quia faciente discordia inter Francos, archiepiscopus Remensis nomine Rigobertus, a sede contra canones dejectus & expulsus fuit sine ullo crimine, & sine ullo apostolicæ sedis consensu vel interrogatione; sed solummodo quod antea non consensit in parte illius, qui postea partem illam de regno in sua potestate accepit, in qua parte Remensis civitas est; & donatus, atque magis usurpatus, contra Deum &
B ejus auctoritatem, fuit ille episcopatus, simul cum alio episcopatu & aliis ecclesiis, a secularibus potestatibus, Miloni cuidam sola tonsura clerico, nihil sapienti de ordine ecclesiastico; & alii episcopatus de ipsa diœcesi Remensi diverso modo essent divisi, & aliqui ex magna parte sine episcopis consistentes, & ad alios metropolitanos episcopi & clerici ordinationes aliquando accipientes erant, & refugia indebita habebant, & a suis episcopis judicari & distringi non sustinebant; & clerici & sacerdotes, & monachi & sanctimoniales, sine lege ecclesiastica pro voluntate & licentia vivebant. Deinde sanctæ memoriæ Bonifacius archiepiscopus & legatus sanctæ Romanæ ecclesiæ, & præfatus amabilissimus Fulradus Franciæ archipresbyter, tempore antecessorum nostrorum Zachariæ, & Stephani successoris illius, multum la-
C boraverunt, ut bonæ memoriæ prædecessor noster domnus Zacharias pallium archiepiscopo Remensi, Abel nomine, per deprecationem suprascripti Bonifacii transmitteret. Qui ab illo constitutus fuit, sed ibi permanere permissus non fuit; sed magis contra Deum ejectus est, & Remensis ecclesia per multa tempora & per multos annos sine episcopo fuit, & res ecclesiæ de illo episcopatu sunt ablatæ, & per laïcos divisæ sunt, sicut & de aliis episcopatibus, maxime autem de Remensi metropolitana civitate, & tua fraternitas jam ex magna parte res ipsas apud gloriosum filium nostrum Carolum, & ante ad Carolomannum gloriosissimum fratrem ejus, impetratas habes, & ordinem ex aliqua parte, & in episcopis & in aliis, secundum canonicam & sanctæ sedis Ro-
D manæ auctoritatem directum habes. Propterea petisti a nobis tibi & ecclesiæ tuæ fieri privilegium, & auctoritate B. Petri principis apostolorum, & sanctæ sedis Romanæ ac nostra, ut quod perfectum non habes, per nostram auctoritatem possis, auxiliante Deo a B. Petro apostolo, ad perfectionem perducere.

Pro quo & nos ardenti animo, & divino juvamine, apostolicaque fulti auctoritate, non solum vetera secundum sacros canones & apostolicæ hujus sanctæ sedis decreta statuimus, sed & nova tibi pro tuo bono studio concedimus; atque auctoritate B. Petri principis apostolorum, cui data est a Deo & Salvatore nostro Jesu Christo ligandi solvendique potestas, peccata hominum in cœlo & in terra, confirmamus atque solidamus. Remensem ecclesiam, sicut & antiquitus fuit, metropolim permansuram, & primam suæ diœceseos sedem esse, & te, qui in eadem sede, operante Deo, ordinatus es, primatem ipsius diœcesis esse, cum omnibus civitatibus quæ ab antiquo tempore Remensi metropoli ecclesiæ subjectæ fuerunt, atque etiam perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis sit confirmatum, & hoc interdicentes ut nullus audeat, juxta sanctorum canonum traditionem, ex alio episcopatu ibidem translatare aut constituere episcopum post tuam de hoc seculo evocationem. Neque aliquis tuas parochias, aut ecclesias, aut civitates subtrahere, neque diœcesim Remensem ullo unquam tempore dividere; sed integra maneat, sicut antiquitus fuit, & sacri canones, & prædecessorum nostrorum firmavit & nostra firmat auctoritas, & te, aut futuris temporibus Remensem episcopum & primatem illius diœcesis, non præsumat neque valeat unquam aliquis de episcopatu dejicere sine canonico judicio, & neque ullo judicio sine consensu Romani pontificis, si ad hanc sanctam sedem Romanam, quæ caput esse dignoscitur orbis terræ, appellaverit in ipso judicio. Sed in sola subjectione Romani pontificis permanens, diœcesim & parochiam Remensem, adjuvante Domino, & nostra atque B. Petri fultus in ista sancta sede auctoritate, secundum sanctos canones & hujus sanctæ sedis præceptiones, tibi subjectas ita certes & studeas gubernare, ut illam desiderabilem vocem Domini nostri Jesu Christi valeas cum electis ejus audire : *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Et quod ad nostram notitiam perduxisti, quia ad alios episcopos de ipsa diœcesi Remensi quidam accipiebant ordinationes & habebant indebita refugia, & hoc per omnia prohibemus: sed sicut sacra decet auctoritas, & in synodis comprovincialibus convocandis & faciendis, & in ordinationibus ac dijudicationibus, Remensis ecclesia & archiepiscopus qui in ea constitutus fuerit, talem habeat auctoritatem, sicut sacri canones & hujus sanctæ ecclesiæ constitutiones docent. Et nullus per ullum unquam tempus tibi vel Remensi ecclesiæ, de rebus ad illam debite pertinentibus divisionem vel violentiam, sicut antea factum fuit, facere præsumat. Nam si quod non credimus, si quis ille fuerit, qui contra hanc nostram præceptionem temerario ausu venire tentaverit, nisi se cito, & maxime post commonitionem correxerit, sciat se æterno Dei judicio anathematis vinculo esse innodatum, si quis vero apostolica servaverit præcepta, & normam rectæ & orthodoxæ fidei fuerit assecutus, benedictionis gratiam consequatur. Hæc a nobis definita per hujus nostræ confirmationis paginam in tua ecclesia perpetuis temporibus pro sui confirmatione conservanda esse mandamus. Injungimus etiam fraternitati tuæ, ut quia de ordinatione episcopi, nomine Lulli, sanctæ Moguntinæ ecclesiæ ad nos quædam pervenerunt, assumptis tecum Viomago[a] & Possessore episcopis, & missis gloriosi ac spiritalis filii nostri Caroli Francorum regis, diligenter inquiras omnia de illius ordinatione, & fidem ac doctrinam illius, atque conversationem, & mores ac vitam investiges; ut si aptus fuerit & dignus ad episcopalem cathedram gubernandam, expositam & conscriptam, & manu

a Cointius legendum censet *Wiomado*, qui fuit archiepiscopus Trevirensis; *Possessorem* vero credit episcopum fuisse Tullensem.

A sua propria subscriptam, catholicam & orthodoxam fidem per missos suos cum literis ac testimonio tuo, seu aliorum episcoporum quos tecum esse mandavimus, ad nos dirigat, ut pallium illi secundum consuetudinem transmittamus, & ordinationem illius firmam judicemus, & in eadem sancta ecclesia Moguntina archiepiscopum constitutum esse faciamus. Bene vale.

III.

Præceptum Ludovici Pii imperatoris pro ecclesiâ Remensi. *Ex Flodoardo, lib. 2. cap. 19.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri J. C. *Circiter* Ludovicus divina ordinante providentia impera- 816. B tor augustus. Si locis venerabilibus ea quæ exinde a prædecessoribus nostris regibus vel imperatoribus ad rei publicæ usus exigebantur religiosa liberalitate in utilitatibus & necessitatibus eorumdem sanctorum locorum expendendis remittimus, & fidelium nostrorum saluberrimis pro hac eadem re suggestionibus ac petitionibus benignum commodamus assensum, maximum & animæ nostræ & regi ac regno providemus consultum, quia nihil cernitur rei publicæ imminutum quidquid ex eadem re publica piis actibus & locis religiosis ac ecclesiarum Dei utilitatibus seu servorum Dei fuerit commoditati indultum. Quapropter notum esse volumus omnibus Dei fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, præcipue quoque successoribus nostris in potestatis culmine in quo sumus C auctore Domino constituti, ab eodem' dominorum Domino constituendis, quia Ebo venerabilis archiepiscopus Remensis ecclesiæ, & reverentissimæ sedis sancti Remigii gloriosissimi pontificis & specialis patroni nostri præsul, clementiæ nostræ innotuit quia vetustatis senio contrita jam dictæ metropolis urbis sancta mater nostra ecclesia, in honore sanctæ semperque Virginis ac genitricis Mariæ constructa existeret. In qua auctore Deo & cooperatore sancto Remigio gens nostra Francorum cum æquivoco nostro rege ejusdem gentis sacri fontis baptismate ablui, ac septiformis Spiritus sancti gratia illustrari promeruit. Sed & ipse rex nobilissimus ad regiam potestatem perungi Dei clementia dignus inventus est. Ubi etiam & nos per manus domni Stephani Romani summi pontificis ad nomen & potestatem D imperialem coronari meruimus. Quam pro tantis beneficiis nobis ibidem a Deo collatis renovare cupientes, & ad id exequendum loci incommoditatem cernentes, concedimus ad hoc opus & ad cetera quæque pro servorum Dei ibidem degentium necessitatibus ædificanda, murum omnem cum portis ipsius civitatis, & omnem operam cum cunctis impendiis quæ ex rebus & facultatibus ipsius ecclesiæ & episcopatus Remensis Aquis palatio nostro regio peragi & exsolvi solitum fuerat, in eleemosyna videlicet nostra & pro remedio animæ domni ac genitoris nostri atque ceterorum prædecessorum nostrorum, qui eumdem episcopatum contra salutem suam aliquandiu tenuerant, & in suos usus contra ecclesiasticas regulas res ac facultates ecclesiæ ipsius ex- E penderant, & ob hoc minus quam debuerat utilitatis sacris locis in eodem episcopatu constitutis exinde provenerat. Volumus etiam ut vasalli, & quicunque fideles nostri ex rebus ejusdem episcopatus aliquid habent, eidem operi inserviant, sicut constitutum est a bonæ memoriæ domno & genitore nostro; & sicut decretum est a piæ recordationis domno & avo nostro Pippino, decimas & nonas eidem ecclesiæ sanctæ ex rebus quas inde habent, persolvant. Vias etiam publicas omnes quæ circa eamdem ecclesiam vadunt & impedimento esse possunt ad claustra & servorum Dei habitacula construenda, ut transferri atque immutari possint, concedimus. Et si aliquid ibi de fisco nostro habetur, per hoc nostræ auctoritatis

præceptum perpetuo æque concedimus; ut nullus judex, comes, aut missus, sive aliquis ex judiciaria potestate ullam inde eidem sanctæ Dei prædictæ Remensi ecclesiæ inquietudinem aut ullum calumniæ impedimentum inferre unquam præsumat. Obsecrantes successores nostros ut salutis suæ memores præsentis scilicet & æternæ, memores etiam beneficiorum quæ nobis & genti nostræ ac prædecessoribus nostris in eodem sancto loco per B. Remigium meritis sanctæ Mariæ collata sunt, sicut sua bene gesta a suis successoribus conservari voluerint; ita quæ pro amore Dei & sanctæ ejus genitricis, ac beati protectoris nostri Remigii sæpefato sancto loco contulimus, perpetuo inviolabiliter conservare procurent. Et ut hæc nostra concessionis auctoritas per futura tempora in Dei nomine pleniorem obtineat firmitatis vigorem, anuli nostri impressione subtersignari decrevimus.

I V.

Ex Flodoardo, lib. 2. cap. 19.

Præceptum Ludovici Pii & Lotharii imperatorum, pro ecclesia Remensi.

Circiter 818.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus & Lotharius divina ordinante providentia imperatores augusti. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, & necessitates ecclesiasticas nostro relevamus juvamine, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquidò credimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, quod sanctam Remensem ecclesiam in qua prædecessores nostri, reges videlicet Francorum, fidem & sacri baptismatis gratiam perceperunt, in qua & nos per impositionem manuum domni Stephani papæ imperialia sumsimus insignia, ob reverentiam fidei christianæ, & ob animæ nostræ salutem, ab imo construi fecimus, eamque in honorem Domini nostri Jesu Christi Salvatoris mundi, simul & in honorem ejusdem sanctæ & intemeratæ genitricis Mariæ consecrari decrevimus. Itaque divina inspiratione compuncti, & cœlestis patriæ amore succensi, quædam prædia quæ eidem sanctæ sedi quondam ablata fuerant, devota mente restitui jussimus, id est in suburbanis ipsius ecclesiæ titulum sancti Sixti, necnon & titulum sancti Martini, cum appenditiis eorum: exterius etiam in eadem parochia, in castro Vonzensi, titulum baptismalem, & titulum in eadem parochia sancti Johannis similiter baptismalem, suis cum appenditiis, & Bretiniacum: villam quoque Sparnacum cum appenditiis suis; & in villa quæ vocatur Lucida, necnon & in Proviliaco, in eodem pago Remensi. In pago vero Dulcomensi, villam quæ vocatur Cavera; necnon & in villa quæ dicitur Verna, in pago Vertudense. Vel si forte deinceps de rebus prædictæ sanctæ ecclesiæ temporibus nostris adhuc superaddendum decrevimus, statuimus per hoc nostræ auctoritatis præceptum, ut non tantum de istis restitutis, sed etiam restituendis quidquid de ipsis vel in ipsis rectores & ministri præmemoratæ ecclesiæ elegerint, ita debeant perpetualiter possidere atque ordinare, vel etiam facere, proutcunque sibi propensius voluerint; ut absque ullius injusta contradictione ordinent atque disponant, & faciant quidquid utilitati prædictæ ecclesiæ congruere & convenire prospexerint. Et ut hæc nostræ auctoritatis confirmatio præsentibus futurisque temporibus firmiorem in omnibus semper obtineat vigorem, manibus propriis subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

V.

Edictum Lotharii imperatoris, quo restituit Ebonem in sede Remensi.

Ex Flodoardo, lib. 2. cap. 20.

840.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Lotharius divina ordinante providentia imperator augustus. Quia confessio delictorum non minus in adversis necessaria est quam in prosperis, & cor contritum & humiliatum Deus non despicit; gaudium etiam esse Angelorum in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente non dubitamus, nos mortales in terris eos nequaquam despicimus pro quibus gaudere Angelos in cœlo divino testimonio non ignoramus. Accusantes & reprehendentes in excessibus semetipsos divina nos benignitas non condemnare sed recreare docuit, qui meretricem non solum a legali damnatione eripuit, verum etiam Publicanum humiliatum & accusantem se non condemnavit, sed magis justificando exaltavit. Qui non dixit omnis qui se humiliat condemnabitur, sed exaltabitur. Potestatem ergo quam pro causa nostra raptus perdidisti, repetentibus ecclesiæ tuæ filiis, præsentibus quoque adstantibus ac decernentibus præsulibus, sedem ac diœcesim Remensis urbis tibi, Ebo, restituimus: ut pristino sanctæ largitatis apostolicæ pallio indutus, concordiam atque gratiam divini officii nobiscum, humili satisfactione expleta, solenni nostra a largitate recipiendo exerceas. Drogo episcopus assensi, Otgarius archiepiscopus, Hetti archiepiscopus, Amaluvinus archiepiscopus, Audax archiepiscopus, Joseph, Adalulfus, David, Rodingus, Giselbertus, Flotharius, Badaradus, Hagano, Hartgarius, Ado, Samuel, Rambertus, Haiminus, episcopi, &c. Actum in Engilenheim palatio publico in mense Junio VIII. cal. Julii, regnante & imperante Lothario Cæsare, anno reversionis ejus primo, successor factus patris in Francia, indict. III.

V I.

Narratio clericorum Remensium in causa Ebonis archiepiscopi Remensis.

Ex Sammarthanis.

Circiter 840.

REmissus est Ebo a dicto imperatore Lothario, seu a præfato concilio ad sedem propriam Remensem. Ad quam veniens VIII. idus Decembris, receptus est ab episcopis suffraganeis suis, Rothado, Simeone, Lupo, una cum legatis omnium aliorum episcoporum Remensis diœceseos, qui variis detenti infirmitatibus illuc corporali præsentia advenire non valentes, suam tamen per ecclesiasticos legatos, & excusatorias literas, illi exhibuerunt præsentiam. Insuper etiam a canonicis & monachis, atque corregionalibus presbyteris totius diœcesis, atque infinita multitudine utriusque sexus. Qui omnes cum ramis palmarum & cereis ardentibus, laudesque Deo intimis cordibus & excelsissimis vocibus proclamantes, longe ei ab ecclesia obviaverunt, & usque ad ecclesiam indesinenter psallentes eum perduxerunt. Tunc oratione completa silentioque imposito, ascendit Rothadus episcopus ambonem: & primo allocutus est gaudente plebe de desiderabili reversione proprii pastoris, & qualiter restitutus a sancto concilio, seu ab imperatore Lothario, eis remittebatur; & jussit Ingobertum monachum ejus restitutionem legere. Dederunt etiam, præsente omni ecclesia, legati episcoporum unusquisque assensum proprii sui episcopi & plebis scriptum, qui omnes ab Ingoberto monacho publice relecti sunt. His ita peractis, iterum reboantibus signis & vociferante omni ecclesia *Te Deum laudamus,* ductus est Ebo episcopus in vestiarium, & indutus episcopalibus vestimentis; similiter etiam alii episcopi, & processerunt cum eo ad celebrationem missæ. Nam Rothadus episcopus

dextra manu eum sustentans, habuit suæ partis Lupum Catalaunensis ecclesiæ episcopum, & Hirminfredum presbyterum, postea Belvacensis ecclesiæ episcopum: sinistra autem manu sustentans eum Simeon episcopus, similiter suæ partis habuit Erpuinum episcopum, & Vitaum Cameracensis ecclesiæ chorepiscopum. Et sic ad sanctum altare cum eo procedentes, ad propriam sedem eum deduxerunt, atque cum eo consedentes in omni pontificali officio ipsa die ei communicaverunt.

VII.

Ex Sammarthanis, & concil. Sirmond. t. 3.

866.

Litera Caroli Calvi regis Francorum ad Nicolaum I. papam.

DOmino & reverentissimo patri Nicolao, catholicæ & apostolicæ sedis summo pontifici & universali papæ, Karolus gratia Dei rex, & spiritalis filius vester. Quamvis omnium Deo ministrantium sacerdotum sint exposcenda suffragia & veneranda fastigia, congruum decentissimumque, pater sanctissime, antistitumque excellentissime, nostra comperit liberalitas, vestræ præ ceteris reverentiæ pontificatus regia colla submittere, vestrisque saluberrimis monitis aurem cordis ad obtemperandum humillima devotione subdere. Quippe quem luce clarius cernimus, ecclesiæ inter mundi turbulentam voraginem fluctuantem solidissimam ancoram constitutum, paxillumque immobilem, in quo sarcinam dependere nostrorum valeamus peccaminum, Dei gratissima clementia credimus attributum. Tanto namque erga benevolentiam pietatis vestræ nostra serventius ardescit humanitas, quanto vos perspicimus unicum ad defensionem crudelium belluarum ecclesiam Christi infestissime lacerare volentium extitisse. Igitur quoniam sanctitatis vestræ literis episcopis regni nostri mandastis, ut de causa Ebonis vobis scriberent quicquid secundum veritatem comperire possent: nobis vero non literis, sed per servum vestrum Ansigisum monachum, quando hoc anno infirmato Egilone archiepiscopo secundò Romam ad vestram paternitatem rediit, mandastis ut vobis veritatem rei scriberemus, & scripto nostro signaremus. Ut vero vestræ sanctæ paternitati in omnibus pareamus, quæ de ipso vidimus & scimus, fideliter vobis significamus, nam nullus episcoporum jam superest, præter Rothadum, qui tunc ipsius causæ interfuerit. Ac ne quid præterire patiamur intactum, primo de natalibus ipsius censuimus exequendum. Ipse igitur Ebo regii fisci familia oriundo progressus, regia pietate pii ac gloriosi avi nostri Karoli Magni susceptus, palatinis negotiis non mediocriter adnutritus, libertate donatus, ob nobilitatem vehementis ingenii, in sacris ordinibus gradatim promotus, genitori nostro Hludovico piissimo augusto Aquitanicum regnum regenti, ab eodem glorioso est ad serviendum deputatus. Quem ipse servitio strenuum, ingenioque agilem comperiens, non post multum temporis bibliothecarium constituit. Post obitum vero divæ recordationis avi nostri Karoli excellentissimi imperatoris, genitor noster Hludovicus piissimus augustus, Deo donante, paternum adeptus imperium, Remorum venit ad urbem, ubi prædecessor vester sanctæ memoriæ Stephanus summus pontifex ei obviam venit, atque in imperii honorem, eum Deo inspirante, consecravit. Eo tempore Vulfarius præfatæ urbis venerabilis archiepiscopus, valida vexabatur infirmitate, qua & mortuus est. Eo autem defuncto, & ab imperatore secundum sacrorum canonum institutionem, plebi electione concessa, contigit eos quemdam virum, Gislemarum nomine, ad pontificatus honorem elegisse. Qui dum ante episcopos discutiendus adsedisset, oblatus est ei textus evangelicus. Cum autem ipsum aliquatenus legere,

A nihil tamen intelligere omnes pariter cognovissent, reprobatus ac velut insipiens, ab omnibus est dejectus. Tunc vero domno imperatori visum est, ut præfatus Ebo pro scientiæ capacitate meritorumque reverentia, ad jam dictum promoveretur episcopatum. Quod cum plebi atque omnibus sane sapientibus esset relatum, placere sibi omnes unanimiter adfirmavere: ac sic secundum canonicam institutionem est archiepiscopus ordinatus. Prima vero vice, quando instigante diabolo Francorum populus imperatorem sibi a Deo ordinatum, & ab apostolica sede coronatum, suo sunt moliti propellere imperio, ipse Ebo in ipsius fidelitate immobilis perstitit, & ut rectum erat, usque ad recuperationem perseveravit. Secunda vero cum hortatu & molimine Hlotharii fratris nostri omnis populus a piæ recordationis

B genitore nostro recessit, & eum, uxore ipsius in Italiam, Tardonem scilicet civitatem, abducta, custodia mancipavere, nos quoque non adhuc decennem quasi multorum criminum obnoxium, pari custodia Prumia monasterio mancipandum delegavere. Abducto autem imperatore a Hlothario Suessionis monasterium sancti Medardi, ipse Ebo, cum aliis pene omnibus episcopis, quibusdam volentibus, quibusdam invitis, jam dictum imperatorem nec confessum, nec ab aliquo convictum uxore & filio & omnibus fidelibus, dignitate privatum, ab ecclesiæ communione removerunt. Tandem vero clementia miserantis Dei, humilitatem pii imperatoris respiciens, tetigit corda quorum voluit, & ut eum cu-

C stodia educerent & imperio restituerent, sua inspiravit misericordia. Quem in monasterio beatissimorum martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii a custodia reducentes, archiepiscopi & episcopi, ut dignum erat, se in eum humiliter deliquisse confitentes, veniam ab ipso suppliciter postulaverunt, Hlotharium vero ab imperiali potestate secedere hortati sunt. Unde ipse & qui cum eo erant, ab illo in alias partes recesserunt. His Ebo compertis, dum Remis moraretur territus Parisiacam fugit ad urbem ad quemdam reclusum, ut saltem cum eo delitescens, imperatoris iram evaderet: imperator namque hoc audiens, quia non longe erat, strenuos & fideles nuncios dirigens eum comprehendi & custodia mancipari jussit. Ecclesiam vero Remensem Fulconi venerabili abbati commendavit. Inde Metis

D civitatem est ductus, ubi in ecclesia S. Stephani ambonem coram omnibus conscendens, professus est non æquum in gloriosum imperatorem domnum suum intulisse judicium. Ibi etiam idem piissimus imperator ab omnibus episcopis, clero & populo, est honorabiliter coronatus, & pristino restitutus imperio. Hinc iterum placito generali convocato, præfatum Ebonem sibi jussit exhiberi, & eum pro inlata injuriarum contumelia, ac nonnullis episcopis præsentibus, episcopi siquidem imperatori satisfacere, & pontificalem reverentiam servare cupientes, obtinuerunt apud eumdem imperatorem, ut non coram laïcis, sed in sacrario ipsius Ebonis causa disponeretur. Ebo autem omni temporali privatus subsidio omnique humano destitutus solatio, tem-

E pori consulens, accersito quodam recluso, nomine Framegaudo, misit per eum genitrici nostræ Judith gloriosæ imperatrici anulum, quem ab ea quondam acceperat, quem etiam quotiescumque aliquo tangebatur incommodo mittere solebat, & ut sui misereretur flebiliter peroravit. Eumdem vero anulum genitrix nostra in ipso nostræ nativitatis articulo, quia archiepiscopus erat, pro sua religione & sanctitate ut nostri jugiter in suis orationibus memor esset, ei miserat. Tunc ipsa horum reminiscens, ejusque lacrymabilia suspiria agnoscens, pio suasu apud episcopos qui illuc convenerant, obtinere curavit, quatenus & imperatoris animum satisfaciendo lenirent, & leges divinas transgrediendo non

violarent, ne forte vindictam severitatis exercentes in eum qui in eos deliquerat, non viderentur dignam Deo reddere vicissitudinem, qui eos a tanto periculo misericorditer liberaverat. Statuerat enim animo, ut pro reverentia tanti ministerii nullatenus in depositionem cujusquam episcopi præberet assensum : & ob hoc apud pium imperatorem obtinuit, ne in ejus depositionem amplius impelleret, quod & secundum moderatissimum ejusdem genitricis nostræ gloriosæ imperatricis consilium satisfacerent piissimo imperatori, & in eumdem Ebonem non aliam sententiam intulissent, nisi quam ipse scripto ediderat. Hanc autem authenticam scriptionem a præfato Fulcone venerabili abbate, cui tunc ecclesia Remensis commissa fuerat, Hincmarus venerabilis archiepiscopus accepit, & vobis eam, ut ipse nobis retulit, transmisit : sed utrum pure ac simpliciter vobis sit directa, ignoramus. Hoc tamen verissime novimus, quod nullus episcoporum eam propria manu subterfirmaverit. Nam idem Ebo comperta inevitabili sui discriminis causa, protulit tres testes tamquam suos confessores, Aïulfum videlicet archiepiscopum, Moduinum & Badaradum episcopos; qui vicem illius obtinentes dicerent, si ita verum est, ut ipse Ebo eis confitebatur, consilium ei darent, ut a pontificali ministerio abstineret. Qui etiam sibi alios tres adsciverunt, qui eum illis confitentem viderunt, Notonem scilicet archiepiscopum, Theudericum & Actardum episcopos: quibus expletis, reductus est in custodiam. His autem ab episcopis taliter definitis, domnus imperator per Godefridum monasterii sancti Gregorii venerabilem abbatem suæ dignitatis literas prædecessori vestro domno Gregorio venerando papæ dirigit, ejus adsensum, si fieri posset, in depositione ipsius Ebonis expostulans. Ipse vero per præfatum abbatem suæ auctoritatis literas ei remisit, sed quid in ipsis insertum fuerit, omnibus episcopis & cunctis regni nostri ordinibus habetur incognitum. Sed sanctitatis vestræ solertia per scrinia dignitatis vestræ investigare poterit quid iisdem prædecessor vester senserit inde. Credimus tamen, quia si in abjectionem prædicti Ebonis domnus imperator ipsum prædecessorem vestrum fautorem habuisset, continuo vacanti ecclesiæ illi alium pontificem subrogasset. Quod quidem moderatissimo consilio agere differens efficaci egit sagacitate, ut & sic audacia in hujusmodi viris temerariis deinceps comprimeretur, & ecclesiæ status non labefactaretur. Post obitum vero domni imperatoris, præfatus Ebo ab illo qui eum custodiebat fratri nostro Hlothario ductus est. Quem isdem frater noster venerabiliter & benigne suscipiens, cum episcopis qui cum eo tunc juncti erant, quorum ipse Ebo usus consilio, dudum libellum suæ confessionis, ut imperatori satisfaceret, communi eorum consensu suis gradibus est restitutus. Nobis autem pro imminentibus negotiis in Aquitanicæ partes secedentibus, ab universo Remensis ecclesiæ clero & populo avidissime expetitus, sicque demum a coepiscopis & suffraganeis suis sedi pristinæ est restitutus. Cui tunc omnes qui adfuerunt, communicaverunt, omnesque suffraganei qui eo absente ordinati fuerant, anulos & baculos, & suæ confirmationis scripta more Gallicarum ecclesiarum ab eo acceperunt. Universis autem quibus ad eum præstabatur accessus communicantibus, Vulfadum & alios quosdam ipsius ecclesiæ filios ibi ordinavit. Hæc de Ebonis dejectione & restitutione breviter prælibavimus, ut ex his vestræ sagacitatis decernat prudentia, utrum hæc ad Vulfadi pertineant depositionem, necne, &c.

VIII.

Excommunicatio hominum Balduini-Calvi comitis Flandriæ.

Ex Sammarthanis.

900.

ANNO D. CCCC. Dominicæ Incarnat. pridie nonas Julii, primo scilicet die quando ordinatus est Heriveus in archiepiscopatu Remensi episcopus, lecta est excommunicatio hæc quæ sequitur in ecclesia S. Mariæ Remis, præsentibus episcopis infrascriptis. Heriveus nomine non merito Remorum archiepisc. ac plebis Dei famulus, Wido Rotomagensium archiepiscopus, Riculfus Suessionum episcopus, Heidilo Noviomagensium episcopus, Dodilo Cameracensium episcopus, Helinandus Morinensium episcopus, Otgarius Ambianensium episcopus, Honoratus Belvacensium episcopus, Mancio Catalaunensium episcopus, Rodulfus Laudunensium episcopus, Otfridus Silvanectensium episcopus, Angelrannus Meldensium episcopus. Notum sit omnibus ubique sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, tam clericis quam laïcis, quod nos & commissa nobis ecclesia nimia perturbatur tristitia, pro inaudita re post persecutionem temporis Apostolorum eorumque successorum, de occisione nimirum patris & pastoris nostri Fulconis, ab impiis impie perpetrata, qui pro regni utilitate & totius sanctæ ecclesiæ statu, pro viribus die noctuque desudans, ac se ipsum in defensionem omnium ecclesiarum in hoc regno consistentium muro protectionis opponens, res enim earum a Balduino comite filio Balduini ac Judith citra omnem legem & divinam & humanam pervadebantur, ideo ab ipsius Balduini hominibus Winemaro, Euverardo & Ratfrido, cæterisque eorum complicibus interfectus crudelissime occubuit. De cujus morte totius ecclesiæ ordo atque professio merito contristatur, & lamenta compassionis ex intimis cordium suspiriis emittit. Quia igitur tale scelus nostris in temporibus perpetrare non timuerunt, quod antea nisi forte a paganis in ecclesia non auditum, quia non est actum: in nomine Domini & in virtute sancti Spiritus, necnon auctoritate episcopis per B. Petrum principem apostolorum divinitus conlata, ipsos a sanctæ matris ecclesiæ gremio segregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate eos condemnamus; ut eorum aliquando per hominem non fiat recuperatio, nec ulla inter christianos conversatio, sintque maledicti in civitate, maledicti in agro, maledictum horreum eorum, & maledictæ reliquiæ eorum, maledictus fructus ventris eorum & fructus terræ illorum, armenta boum suorum & greges ovium suarum; maledicti sint ingredientes & egredientes, sintque in domo maledicti, in agro profugi, intestina in secessum fundant sicut perfidus & infelix Arius, veniantque super illos illæ maledictiones quas Dominus per Moysen in populum divinæ legis prævaricatorem intentavit; sintque anathema maranatha, pereant in secundo adventu Domini; insuper quicquid maledictionis sacri canones & apostolicorum virorum decreta decernunt super homicidis & sacrilegis, nam illo sacrilegorum nomine notamus, qui in hunc Christum Domini manum mittere ausi sunt, omne super illos in perpetuum interitum, per justissimam divinæ animadversionis sententiam congeratur. Nullus ergo christianus eis vel ave dicat, nullus presbyter missas aliquando celebrare, nec si infirmati fuerint confessiones eorum recipere, vel sacrosanctam communionem eis, ni resipuerint, & jam in ipso fine vitæ suæ præsumat unquam dare; sed sepultura asini sepeliantur, & in sterquilinium super faciem terræ sint, ut sint in exemplum opprobrii & maledictionis præsentibus generationibus & venturis: & sicut hæ lucernæ de nostris projectæ manibus hodie extinguntur, sic eorum lucerna in æternum extinguatur.

IX.

Ex Flodoardo, lib. 4. cap. 35.

Literæ Artaldi archiepiscopi Remensis ad concilium Engelheimense.

948. SAnctæ Romanæ & apostol. sedis vicario domno Marino, universæque sanctæ synodo apud Engelenheim congregatæ, Artaldus divina propitiante clementia Remorum archiepiscopus. Domnus Agapitus papa literas nobis & ceteris coepiscopis nostræ diœceseos direxit, in quibus præcepit ut ad hoc sanctitatis vestræ concilium convenire studeremus, ita instructi de omnibus ut rei veritas de miseriis nostræ sedis, quas patimur, coram sanctitate vestra manifesta fieri posset. Quocirca propalare prudentiæ vestræ commodum duximus, qualiter res exordium cœperit litis hujus, quæ adhuc inter me & Hugonem miserrime ventilatur. Defuncto siquidem Heriveo archiepiscopo, Seulfum qui archidiaconatus urbis nostræ tunc officio fungebatur, ad præsulatum ejusdem sedis elegimus. Qui pontifex ordinatus assumens zelum contra proximos prædecessoris sui, cum eos per semet a loco depellere non valeret, consilio inito cum quibusdam laïcis, scilicet consiliariis suis, amicitiam quæsivit Heriberti comitis, quam dato jurejurando per eosdem consiliarios obtinuit, eo tenore ut post obitum ipsius ad electionem pontificis milites ecclesiæ nullatenus aspirarent sine consilio ipsius Heriberti; idem vero comes fratrem Herivei præsulis, & nepotes ipsius a participatione rerum Remensis episcopii separaret. Quibus patratis insimulati sunt iidem propinqui Herivei præsulis a consiliariis Seulfi episcopi de infidelitate ipsius senioris sui, accersitoque Heriberto comite cum pluribus suis jubentur ad rationem reddendam coram ipsis venire, & quia contra eos a quibus accusati fuerant, singulari congredi certamine noluerunt, sublatis ab eis rebus quas ex episcopio possidebant, comprehensi sunt atque deducti per Heribertum comitem ad Robertum regem, a quo etiam sub custodia sunt detenti usque ad mortem ipsius Roberti. Tertio demum sui episcopatus anno Seulfus episc. ut plures asserunt, ab Heriberti familiaribus veneno potatus defungitur. Mox itaque comes Heribertus urbem Remensem adiit, & ecclesiæ milites clericorum quoque quosdam de rectoris electione ad suum consilium, ceu juratum fuerat, intendere fecit; cum quibus ad Rodulfum regem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo ut sibi committeretur idem episcopium, eo tenore ut tam clericis quam laïcis debitum honorem concederet & conservaret, nec injustitiam alicui faceret: sed ipsum episcopium æquo jure gubernaret, donec talem clericum eidem regi præsentaret, qui ad episcopale ministerium exequendum rite ordinari valeret. Qui comes ad eamdem urbem regressus, res episcopii, prout sibi placuit, fautoribus suis divisit, ceteris abstulit, & absque ullo judicio vel lege, quos voluit, rebus expoliavit vel ab urbe propulit. Odalricum denique Aquensem episcopum in eadem urbe suscipiens, episcopale inibi ministerium celebrare præcepit, sicque annos sex & eo amplius idem episcopium suo dominio vindicavit pro libitu proprio illud tractans, & in sede præsulis residens, tam ipse quam conjux sua, donec septimo tandem anno ortis inter ipsum & regem Rodulfum atque Hugonem comitem quibusdam simultatibus, Rodulfus rex cum Hugone & Bosone fratre suo, ceterisque pluribus tam episcopis quam comitibus, Remorum obsidet urbem, succensentibus sibi episcopis & conquerentibus adversus eum, quod tam diuturno tempore contra divinæ legis auctoritates hanc urbem permiserit vacare pastore. Quorum querimoniis permotus rex admonet clerum & populum de pastoris electione, dans eis id agendi facultatem ad Dei honorem & sui fide-

A litatem. Sicque concordantibus cunctis, tam clericis quam laïcis, qui extra obsidionem erant, pluribus etiam eorum qui clausi tenebantur, in id ipsum faventibus, eligitur humilitatis nostræ persona in hoc magis onere quam honore subeundo. Aperientibus tandem, tam militibus quam civibus, portas urbis regi Rodulfo, & episcopalem benedictionem mihi tradentibus episcopis qui erant decem & octo, & suscipientibus nostram humilitatem tam clero universo, quam reliquis civibus, inthronizatus ab episcopis nostræ diœceseos, impositum mihi, prout Deus concessit, ministerium per annos ferme novem tractavi, ordinans per diœcesim episcopos octo, & in episcopio multos, prout competens videbatur, clericos; quousque nono postmodum anno, post-

B quam Ludovicum regem, favente Hugone, cunctisque regni principibus, Gerbergam quoque reginam benedixeram & sacro perfuderam chrismate, instigatus Hugo comes iracundia, quod ei consentire vel conjungi noluerim ad ipsius regis infidelitatem, adhibitis secum Heriberto comite & Willelmo Normanorum principe, Remensem obsidet urbem. Nec longum, sexta scilicet obsidionis die, deseror ab omni pene cœtu laïcalis militiæ: sicque derelictus ab his, ad Hugonem & Heribertum compellor exire; a quibus coarctatus & conterritus cogor memet episcopali procuratione abdicare, & ita me propellentes in cœnobio sancti Basoli habitare constituunt: Hugonem vero filium Heriberti, qui Autissiodori diaconus ordinatus fuerat, in urbem intro-

C ducunt & civitate potiuntur. Ludovicus autem rex a Burgundia rediens, me apud S. Basolum reperit, & assumens secum simul cum propinquis meis, quorum res Heribertus comes abstulerat, Laudunum deducit, quod castrum obsidebant tunc Heribertus & Hugo: solutaque obsidione oppidum ingredimur, nobisque metatus degendi disponitur. Interim clerici nostri loci, sed & laïci quidam pessime ab Heriberto tractantur, & quidam clericorum in custodiis retruduntur, res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam urbem licite perpetrantur. Interea convocantur episcopi nostræ diœceseos ab Hugone & Heriberto, satagentibus & quærentibus ab eis de ordinatione Hugonis filii Heriberti: qui Suessionis congregati, mittunt ad me Laudunum

D Hildegarium episcopum cum aliis quibusdam legatis, mandantes ut ad eos venirem ad consentiendum scilicet hujus ordinationis perversitati. Quibus remandavi quod non esset mihi competens ad eos illo proficisci, ubi adversarii & inimici mei cum ipsis erant aggregati; quod si loqui mecum vellent, ad talem locum devenirent, ubi sine periculo ad eos accedere possem: quibus advenientibus in locum ab eisdem delectum, profectus sum ad eos, veniensque prosternor coram ipsis, obsecrans ut propter amorem & honorem Dei, tam mihi quam sibi competens consilium dare studerent: qui me de ordinatione prædicti Hugonis interpellare cœperunt, & hoc omnimodis persuadere, ut eis in hac ordinatione consensum præberem, promittentes res nonnullas episcopii mihi se impetraturos. At ego post-

E quam responsum diu distuleram, videns eos cunctos in proposito quod cœperant perseverantes, surgens interdixi palam cunctis audientibus, excommunicans auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, ut nullus eorum ad eamdem ordinationem accederet, nec alicui in episcopali honore, me vivente, manus imponeret; sed nec ullus eamdem benedictionem suscipere præsumeret; quod si forte fieret ad sedem apostolicam eos provocabam. Illis inde furentibus, ut possem exire de medio eorum & Laudunum reverti, temperavi responsum, dicens ut mitterent mecum, qui eis renunciaret, quid consilii reperire valerem super hac re in domina mea regina & fidelibus ejus, quia rex non aderat: ad hoc

illi mittunt Deroldum episcopum, putantes me esse mutaturum consilium. Quo veniente & coram regina & fidelibus ejus inde me interpellante, iterum exurgens præfatæ modum excommunicationis in eosdem episcopos jaculatus sum; vocationem quoque ad sedem apostolicam iterare curavi, excommunicans ipsum hunc Deroldum ut id eis omnino non taceret, sed cunctis manifeste proferret. His ita gestis, parvipendentes illi nostram excommunicationem, Remis accedunt, & quidam eorum ordinationi huic manus applicuerunt, quidam vero se subduxisse sciuntur. Ego vero cum rege manens, quas ille scitur angustias pertulisse, secum pertuli, & quando eum bello aggressi sunt Hugo & Heribertus, cum ipso eram, & vix mortis evasi periculum. Prolapsus itaque auxilio & protectione Dei, de medio inimicorum profugus & vagabundus loca invia quæque silvasque perlustro, non ausus certo consistere loco. Comites autem Hugo & Heribertus affati quosdam nostros amicos sibi subditos, suadent ut me requirentes ad ipsos deducant, pollicentes se mihi benefacturos, & rebus quas ipsi petiissent ditaturos. Requirentes ergo me amici reperiunt per diversa vagantem, & ita perducor a fratribus meis & amicis ad præfatos comites: qui postquam me in potestate sua conspiciunt, quærere cœperunt ut eis pallium a sede Romana mihi collatum traderem, & sacerdotali me ministerio penitus abjurarem, quod ego nullatenus me facturum, neque pro amore hujus vitæ præsentis attestor. Districtus igitur & coangustiatus ab eis, episcopii tandem rebus abrenunciare compellor: sicque rursus ad sanctum Basolum, quasi vacans, habitaturus deducor. Mansi denique paucis diebus in ipso cœnobio, quoadusque comperiens per certos ex familiaribus Heriberti comitis nuncios, quod ab eo male de mea tractabatur perditione, iterum iterumque nunciis hujusmodi pavefactus & impulsus locum deserui, & abdita lustra silvarum vagabundus repetii; horisque silentibus & itinere devio Laudunum revertor, ibique susceptus a rege, secum manere constituor. Mansi vero ibidem cum ipso vel fidelibus ejus, expectans & deprecans misericordiam Dei, donec ipse dignatus est in cor domni regis Ottonis mittere, ut ad subventionem senioris mei regis, & nostram properaret in Franciam. Denique postquam domina nostra regina Laudunum propter absolutionem domni regis reliquerat, egressus inde ad domnum regem Ottonem cum seniore meo deveni rege, simulque Remos accessimus: cingitur itaque urbs exercitibus, & episcopi qui aderant me sedi nostræ restitui censent. Mandatur ergo Hugoni a rege Ottone, ut egrediatur & pervasam deserat urbem; at ille nutans aliquandiu, & pro posse, ubi vidit ad resistendum penitus sufficere se nequaquam valere, nec amicorum sibi præsidia subvenire, decernit exeundum, quærens ut liber cum suis dimittatur abscedere. Permittitur itaque sanus exire cum omnibus qui secum voluere comitari, & quæcumque secum voluit ferre, nullo contradicente asportavit, sicque cum regibus introgressus urbem, præcipior loco nostro & honori restitui. Susceptus igitur a domnis archiepiscopis Rotberto Trevirensi & Frederico Mogontiacensi, comitantibus ceteris & congratulantibus, tam clericis ecclesiæ nostræ quam reliquis civibus, ab ipsis restituor cathedræ episcopali. Hugo vero Remis egressus Mosomum castrum cum suis occupat, & muniens contra fideles regis senioris nostri detinet. Habito denique colloquii placito inter reges seniorem meum videlicet ac Ottonem super Charam fluvium, convenimus ad illud tam ego, quam ipse Hugo cum ordinatoribus suis; ibique res litis hujus ab episcopis auditur. Protulitque literas ad sedem Romanam, quasi ex nostra persona datas excusationis meæ, ac si vacationem petentes administrationis

A episcopii nostri: quas me nunquam dictasse, neque vel subscribendo aliquatenus corroborasse protestatus sum atque protestor, & quia tunc synodus convocata non fuerat, id opponentibus fautoribus ipsius Hugonis, altercatio nostra determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Novembris habenda Virduni, utriusque partis episcopis annuentibus, denunciatur. Interim vero sedes Remensis mihi regenda decernitur, idem vero Hugo Mosomi commorari permittitur. Nec longum, instante scilicet vindemiæ tempore, hic noster æmulus Hugo assumens secum Theobaldum regis inimicum & regni nostri, cum aliis pluribus malefactoribus in villas Remensis episcopii contiguas urbi devenit, & omne pene vinum ex his colligens in diversos pagos abduci

B fecit. Tum multa mala inibi perpetrata, & ecclesiæ nostræ homines captivi abducti, & ad redemtionem variis sunt adacti tormentis. Synodus autem circa medium mensis denunciata, Virduni celebratur, præsidente Rotberto præsule Trevirensi præcepto papæ Romani, præsente quoque Brunone cum episcopis & abbatibus nonnullis, ad quam præfatus Hugo evocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum episcopis, Adalberone & Gozlino, venire contemsit. Universa vero synodus mihi Remense regendum decernit episcopium, indiciturque iterum synodus habenda die iduum mensis Januarii, quæ & aggregatur, ut denunciatum fuerat, in ecclesia S. Petri ante prospectum castri Mosomi a Rotberto, convenientibus ceteris quoque Trevirensis diœceseos episcopis

C & aliquibus Remensis. Veniens autem illuc æmulus noster Hugo, & locutus cum Rotberto synodum noluit ingredi; literas vero quasi ex nomine papæ direxit ad episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulisse ferebatur, nihil auctoritatis canonicæ continentes, sed hoc tantum præcipientes ut Hugoni Remense redderetur episcopium. Quibus recitatis, ineuntes episcopi consilium cum abbatibus & ceteris qui aderant sapientibus, responderunt non esse dignum vel congruum, ut mandatum legationis apostolicæ quam dudum Rotbertus archiepiscopus, deferente Frederico præsule Mogontiacensi coram regibus & episcopis tam Galliæ quam Germaniæ, susceperat, & partem jam præceptionis ipsius exegerat, propter illas literas intermitteret quas insidiator noster exhibebat: immo quod regulariter

D cœptum fuerat, ut canonice pertractaretur, unanimiter censent; præcipiturque recitari capitulum Carthaginensis concilii XIX. *de accusato & accusatore:* quo recitato judicatum est juxta diffinitionem ipsius capituli, ut communionem & parochiam Remensem me retinente, Hugo qui ad duas jam synodos evocatus interesse contemserat, a communione & regimine Remensis episcopii abstineret, donec ad universalem synodum quæ indicebatur, sese purgaturus, vel rationem redditurus præsentaret. Ipsumque capitulum mox in charta episcopi coram se describi fecerunt, subnectentes hanc etiam definitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem chartam eamdem Rotberto præsuli remisit, hoc verbis remandans: quod ipsorum judi-

E cio nequaquam obediturus esset, sicque absoluto concilio, ipse Mosomum contra mandata regum & episcoporum retinet, & ego Remos regressus reclamationis meæ querelas ad sedem Romanam per legatos regis Ottonis destinavi, præstolans mandata ipsius sanctæ sedis, ejus decretis & universalis hujus sancti concilii vestri judiciis parere paratus.

X.

Ex Marlot. hist. metrop. Rem. tom. 1. pag. 581.

Præceptum Ottonis Germaniæ regis pro monasterio sancti Remigii Remensis.

952. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina concedente clementia rex. Noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum industria, quod Artoldus Remorum archiepiscopus reddens ad ecclesiam beati Remigii quamdam abbatiam nomine Cossam intra fines regni nostri sitam, misit ad nostræ præsentiæ clementiam Hincmarum cœnobii ejusdem sancti Remigii abbatem, petens ut quoniam terra ipsa imperii nostri ditione clauditur, nostræ auctoritatis præcepto concessionem ipsius episcopi confirmare deberemus. Cujus legationi clementer annuentes & benignam super hac re Conradi ducis nostri petitionem suscipientes, pro animæ nostræ remedio supra nominatam Cossæ abbatiam monachis sacro loco sub regula S. Benedicti deservientibus, cum villis, silvis . . . . reddidimus. Præterea quidquid intra Vosagum ad ipsam abbatiam pertinere videtur, sicut ipsi videlicet beatissimo adhuc superstiti Remigio a Chlodomiro rege primi Francorum regis Ludovici filio, aliisque Francorum regibus nostris sane antecessoribus traditum dignoscitur, decreto nostræ regiæ auctoritatis renovamus, & redditum esse confirmamus. Unde ex hoc nostræ corroborationis præcepto tam præscripti abbatis Hincmari, monachorumque sub illius regimine degentium, ad petitionem fieri jussimus prout volumus atque sancimus, quatenus nostris successorumque nostrorum temporibus præfatæ res ad præscriptum sanctissimi Remigii locum perpetua stabilitate inviolabiliter permaneant. Nullusque habeat licentiam eamdem terram de nostra liberalitatis dapsilitate ad prænotatum, sicut ante exaratum est, sic firmiter concessum monasterium subtrahere, vel sibi aliquid inde amplius usurpare. Et ut hæc nostræ auctoritatis (præceptio) perfectissimam perpetualiter accipiat firmitatem, & verius ab omnibus credatur, ac diligentius observetur, manu propria subter eam firmavimus, annulique nostri impressione consignari jussimus. S. Ottonis serenissimi regis. Othertus cancellarius ad vicem Brunonis archiepiscopi capellani recognovi, & subscripsi. Data quinto idus Septembris anno Incarnat. D. N. J. C. 952. indictione X. anno regni Ottonis serenissimi regis XVII. Actum in loco Paterbon. Amen.

X I.

Ex tabular. S. Basoli.

Lotharius rex confirmat restitutionem monachorum in abbatia sancti Basoli.

954. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Lotharius divina ordinante clementia Francorum rex. Quum antecessores nostros, &c. . . . . Quapropter ad notitiam omnium tam præsentium quam futurorum pervenire volumus, quod a venerabili Artaldo Remorum archiepiscopo . . . . interpellati sumus de quodam monasterio in vico Virziaco sito, antiquis temporibus ad religionem bene instructo, sed vetustate quidem temporis deficiente cultu justitiæ ad nihilum pene deducto; quem scilicet locum prædictus venerabilis Artaldus Remorum archiepiscopus ad honorem Dei & sancti confessoris Basoli ibidem corpore quiescentis restaurare cupiens, per voluntatem & consensum antecessoris nostrique genitoris domni Ludovici Francorum regis, præsente & confirmante genitrice nostra domna Gerberga regina, quosdam canonicos seculariter viventes, qui ibi post monasticam conversationem resederant, inde eliminans ejecit, pro eis viros regulares collocavit, quibus & abbatem regularem præfecit virum justum & monasticæ institutioni fidelissimum, nomine Odeleum,

A cui & locum ex integro ad regularem dominationem tradidit, & terram quæ prius sub manu canonicorum fuerat ei delegavit, & ex rebus propriis eisdem fratribus . . . providit, insuper & ex eo quod ipse sub manu sua tenebat, alios sexaginta mansos addidit per diversa loca in circumjacentibus villis sitos, id est in Viriziaco, in curte Vizana, in Carnoco, in Marcedonno, in Circumeleno. Quumque hæc omnia fideliter & devote pro amore Dei & . . . salute complevisset, nostram regiam celsitudinem adiit, & ut nostra auctoritate votum suum confirmaremus, humiliter expetiit. Quod & nos libenter audientes, & summa alacritate collaudantes, nostræ regiæ præceptionis stabili decreto constituimus atque confirmamus quidquid idem venerabilis archiepiscopus ad laudem & gloriam Dei B fecit, sit ratum, stabile, firmum, & tam nostris quam succedentibus temporibus immutabile, incorruptum: totus vero locus, & quidquid ibidem deputatum est ad victum monachorum, sub providentia & gubernatione abbatis sit constitutum; nullusque ex succedentibus pontificibus Remensis ecclesiæ habeat licentiam exinde aliquid minuere vel auferre, sed quieta pace monachi regulariter sub tutela sanctissimi confessoris Basoli Deo serviant, & sub regulari abbate per futura tempora vivant, & pro nobis Domini pietatem secura tranquillitate exorent. Ut autem hoc nostræ auctoritatis regale decretum in futuras ætates more præcedentium regum custodiatur, illud sub manu nostra corroborari placuit, & annuli nostri impressione signari collibuit. Signum domni C Lotharii gloriosi Francorum regis. Ego Wido, regiæ majestatis notarius, ad vicem Artaldi archiepiscopi scripsi & recognovi. Datum XII. kalendas Junii indict. XIV. anno primo regnante domno Lothario Francorum rege. Actum Compendio palatio.

X I I.

Ex Sammarthanis.

Charta Evæ matris Odolrici archiepisc. Remensis.

965. IN nomine sanctæ Trinitatis. . . . . Notum sit ergo præsentium & futurorum solertiæ, qualiter ego Eva comitissa, & filius meus Udelricus Dei gratia Remorum archiepiscopus, in eleemosyna dilectissimi conjugis mei Hugonis nobilissimi comitis, filiique nostri dulcissimi æque strenui comitis Arnulfi, ab impiis & inimicis sanctæ ecclesiæ a primævo juven- D tutis suæ flore pro justitia Dei, quam exequebatur, impie trucidati, ad basilicam beatissimi confessoris Christi Arnulfi villam meam Layam a prædicto seniore meo mihi datam dotis jure, sitam in comitatu Calvimontense condonaverim & confirmaverim perpetuo possidendam, una cum appenditiis ejus omnibus, ecclesia scilicet, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, rectitudine pontis super fluvium Muri siti, aquarumque decursibus, piscatura bannali, molendinis, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus. Forestam nihilominus quæ dicitur Heis, cum integro banno eidem loco concedimus in omnes usus, cum redditibus suis, id est croada & suffusa quas debent solvere quicumque de adjacentibus exinde voluerint focariam de mortua silva E habere, & plaustra ad aratra sua, stabula etiam facere. Decernimus etiam ut quinque mansi separatim cum decimis suis ad luminaria ecclesiæ habeantur ministranda. Quam villam specialius ipsi beatissimo pontifici Arnulfo idcirco volui delegare, quod isdem venerandus antistes, de cujus germine Francorum strenuissimi prodiere, in eadem villa præsentis exordium suscepit vitæ, & quia filii mei ab ipso ducebant originem ex paterno genere. Quapropter placuit mihi & amicis fidelibusque nostris, prædictum Arnulfum filium meum in præfati confessoris basilica tumulari, ut a quo ducebat originem carnis, ejus protegeretur & meritis, ceterisque ejus parentibus proveniret munus æternæ salutis. Utque hoc efficeretur,

efficeretur, venerabilis Adelberonis Metensium episcopi meique consanguinei, devotio me provocavit, qui in eodem loco auctoritate & præcepto domini Othonis imperatoris monachos sub regula sancti Benedicti primus instituit conservari. Itaque prædictam villam Deo & bono Arnulfo famulantibus perpetualiter absque ulla contradictione concedo possidere; eo tamen tenore, ut dum advixerimus, ego & filius meus Udelricus archiepisc. Remorum, nostris serviat usibus, libramque argenti singulis annis vitæ nostræ in festo prædicti sancti Arnulfi persolvamus. Post decessum vero nostrum ea lege qua & nos eamdem villam possedimus, ad monasterii redeat usus, scilicet cum omni integritate, absque ullius hominis, nisi solius Dei advocatione, &c. Et ut hæc donatio firma permaneat, subnixa stipulatione nobilium regimini * consignavimus, filiique nostri domini Udelrici archiepisc. Remorum, sigillo corroboravimus. Actum Metis publice sub die XVII. kalend. Septemb. in præsentia Adelberonis Metensium episcopi, anno ab Incarnat. Dom. D. CCCCLXV. indictione VIII. regnante gloriosissimo rege Othone, anno imperii ejusdem XXX. Ego Adalbero sanctæ Metensis ecclesiæ sedis episcopus, subscripsi anno præsulatus nostri XXIV. & anathemate roboravi. S. Friderici ducis, S. Sigisfridi comitis, S. Gisleberti comitis, S. Thieberti Palatini comitis, S. Folmari.

* Sic apud Sammarth.

XIII.

Fundatio abbatiæ Mosomagensis.

Ex Sammarthanis, & Spicil. t. 7. pag. 657. 972.

ADALBERO divina propitiante clementia sanctæ Remensis ecclesiæ archiepiscopus. Notum fiat universis cum præsentibus tum etiam futuris fidelibus, quondam nobis episcopio gratia Dei ac benignitate regia contradito, sanctorum quoque loca quædam honore integro reperisse plurimum valentia, quædam vero pristinæ dignitatis statu deficiente prorsus neglecta. Inter quæ, etiam ille Mosomi cœnobialis locus, antiquitatis studio certatim constructus, ab exordio scilicet sanctimonialium vitæ aptatus, postmodum vero canonicorum ordine ab Heriveo prædecessore nostro melius informatus, atque in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ digne consecratus, sed nefandis usibus utrobique negligenter incultus, rebus quidem partim subtractis, partim vero intercurrentibus malis, sinistræ cessit fortunæ. Quo igitur comperto, adhibito fidelium nostrorum diligenti consilio, liquido perpendens eumdem locum, pro mundi infelicitate, in canonicali ordine stare non posse, æternorum spe, prout opportunum extitit, ibidem monasticæ religionis vitam ordinato abbate Ledaldo constitui, ut ejusdem loci religiosi cultores, tam rebus delegatis, quam etiam forte delegandis utentes, continua vota Deo solventes, sint pro nobis, pro posteris nostris, ceterisque ordinibus jugiter orantes. Quocirca paternitatem loco nostri subrogandorum in illa caritate enixius imploramus, quo sub divini amoris respectu hujus rei gestæ conducibili negotio consentaneæ pietatis faveant zelo, idque liberalis auxilii indeficienti base dignentur curriculis consolari atque fulcire: ut ex eo gratiam Dei feliciter adipiscentes, hujus præstantioris emolumenti mereantur fore consortes. Sed & hoc ex decretis sanctorum patrum sub auctoritate pastorali omnimodis inhibemus, imo etiam cum divini nominis obtestatione omnino interdicimus, ne unquam hujuscemodi statutum qualibet temeritate ab ullo vestri ordinis violetur: quin potius in reliquum stabile & inconcussum jure perpetuo idipsum venerabiliter conservetur. Si per laïcos in rem hanc injuria invehatur, in eos proculdubio excommunicationis jaculum cum anathemate intorqueatur. Anno igitur Incarnat. Jesu Christi Domini nostri 972* provinciali synodo mense Maio generaliter congre-

* Male in editis quibusdam, 983.

A gata apud Montem S. Mariæ in pago Tardanensi, hoc decretum solenniter recitatum est coram venerandis episcopis, abbatibus, ceterisque nonnullis fidelibus, huic nostræ institutioni pro assensu faventibus, imo etiam collaudantibus atque confirmantibus. Quorum videlicet primus ego Adalbero jam præscriptus archipræsul, eidem concilio, Deo auctore, pontificatus auctoritate præsidens, manu nostra subscribens idem corroboravi. Sed & ceteri non secus censuerunt manibus impositis solidari. Hoc ipsum pontificale statutum apostolicæ auctoritatis privilegio petitionis nostræ obtentu undecunque subnixum, ac per hoc summo honori omnibus reverenter habendum. Ego Adalbero sanctæ Remensis ecclesiæ archipræsul, subscripsi & corroboravi. Ego Wido B Suessionensis ecclesiæ episcopus. Ego Hildricus Belvacensis ecclesiæ episcopus. Ego Thebaldus Ambianensis episcopus. Ego Haidulfus Noviomensis episcopus. Ego Theudo Cameracensis episcopus. Ego Adalbero Laudunensis episcopus. Ego Gipuinus Catalaunensis episcopus. Ego Constantius Silvanectensis episcopus. Ego Liudulfus Tarvanensis episcopus. Signum Alberti Remensis archidiaconi. . . . . S. Rodulfi abbatis sancti Remigii, Odelei abbatis sancti Medardi, Ratoldi abbatis Corbeiensis, Berlandi abbatis sancti Vincentii, Adzonis abbatis sancti Basoli.

XIV.

Præceptum Lotharii regis pro monachis S. Theoderici in clericorum locum suffectis.

Ex Marloto, hist. metrop. Rem. t. 2. pag. 19. 974.

C IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Lotharius divina propitiante clementia Francorum rex. Si fidelium nostrorum, &c. . . . Idcirco cunctorum sanctæ Dei ecclesiæ fidelium industria noverit, pia devotione petente sanctæ Remensis ecclesiæ archiepiscopo Adalberone fideli nostro, suadente benigno hortatu Emma regina, carissima conjuge nostra, per deprecationem ipsius archiepiscopi regiæ auctoritatis nostræ præceptum a nobis liberali munere actum super quadam abbatia cœnobii tertio milliario ab urbe disparata, in honore B. Bartholomæi apostoli, beato disponente Remigio sub divina revelatione constituti, in quo venerabilis confessor venerabiliter requiescit Theodericus, primus ejusdem loci D sanctitatis merito ab eodem sancto Dei pontifice monachorum abbas institutus; qui etiam sacer locus, ubi quum jam malis vel quibusdam sinistris undique irruentibus a monastico ordine negligenter deficere, & in canonicalem quæ omnino pessum negligenter viluit, cœpisset devenire, tandem divino respectu, procurante eodem archiepiscopo, in pristini ordinis dignitatem est reportatus. Igitur ut hujusmodi perfectio vigore muniatur, perpetuo habenda conservetur, regiæ majestatis roboratur sigillo, sicque regali potentia id ipsum decenter stabilitur, quo præscripto loco Emma jampridem sibi forte adquisita, vel divina miseratione olim adquirenda inviolabili jure perpetuo habenda conservetur. Insuper & illa quæ sunt mansi septem in pago Veromandensi cum duabus ecclesiis E principalibus, & una capella, quarum duæ id est mater ecclesia in honore sanctæ Mariæ, cum capella memoriæ S. Radegundis dedicata in villa Attheyas, alia vero in honore sancti Medardi in villa Emmæ, jamdudum Remensi ecclesiæ per annos quinquaginta subtracta, sed præfati archiepiscopi obtentu recepta, & eidem monasterio pro salute nostra & dilectæ conjugis Emmæ reginæ, dulcissimæque prolis nostræ, imo & pro remedio sui suorumque successorum ab ipso jure tradendi delegata sententia. Itaque diffinitionis nostræ hac ratione concludetur, ut in locis omnibus vel facultatibus quas idem possidet locus, nemo unquam vel comes, vel vicecomes, vel judex, vel quælibet secularis potestas præsumat placita,

leges, vel cujuslibet districtionis judicia ullatenus exercere; sed omnis lex, justitia, atque judicium manu regularis abbatis contineatur, vel cujus arbitrio hæc eadem teneatur, honore archiepiscopi servato. Dignum etiam ducentes ut quia inviolabiliter præfatis regiæ majestatis firmitate corroborationeque contulimus, libertati, pariter rebus monasticis pro necessario provideamus. Hoc juxta domni archiepiscopi petitionem, assensu vero & favore Noviomensis episcopi, ex sententia & auctoritate nostraque præceptione firmiter affixum annexumque fuit, quatenus pro altari & ecclesiis illis & capella abbas & monachi quotannis, semel tamen in anno, solidos 13. & 6. denarios solvi facerent; & sic altare, & ecclesiæ, & capellæ ab omni inquietudine, ab omnibus consuetudinibus, ab locationibus, rogatu, & exactionibus secure, quiete & libere permaneant. Ut autem hoc præceptum inviolabiliter inconcussum jugiter permaneat, manus nostra regali more idem dignanter confirmat, nonnullis fidelibus nostris coram adstantibus. Actum palatio Compendii sub die VII. kal. Junii anno Incarnat. Domini DCCCC. LXXIV. indictione II. vigesimo anno regnante ipso gloriosissimo rege domino Lothario. Si autem quisquam, quod minime credimus, repertus fuerit, qui hanc nostræ præceptionis sententiam ullatenus infringere ausus fuerit, æternæ maledictionis anathemate damnetur, ut dignas perpetuæ ultionis pœnas luat, qui regale simul & pontificale decretum violare non metuit. Adalbero Remorum archiepiscopus manu nostra confirmo. Ego Wido Suessorum episcopus interfui & firmavi. Ego Theobaldus Ambianensis episcopus interfui & firmavi. Ego Gilbertus comes confirmavi. Ego Manasses comes confirmavi. Ego Rogerus comes confirmavi. Ego Wido comes confirmavi. Ego Albertus comes confirmavi. Ego Ragenerus vicedominus confirmavi.

X V.

Ex vita Gerberti.

Formula electionis Arnulfi archiepiscopi Remensis.

988. SAnctæ ac universali ecclesiæ catholicæ salutem dicunt filii Remorum metropolis diœcesis. Divæ memoriæ patre nostro Adalberone sensus corporeos relinquente, clarum lumen pastoris amisimus, præda hostium facti sumus. Itaque dum molimur, conamur tanti viri resarcire ruinas, elapsa sunt canonica tempora, violatæ sunt leges, quibus cavetur nullam sedem amplius triginta dierum spatio vacare licere. Nuncque tandem pulsantibus divina lux apparuit, & quid sequeremur ostendit, depulso Antichristo, & simoniaca hæresi damnata. Nos, inquam, qui dicimur episcopi diœceseos Remorum metropolis, cum omni clero diversi ordinis, populo acclamante, orthodoxis regibus nostris consentientibus, eligimus nobis in præsulem virum pietate præstantem, fide insignem, constantia mirabilem, in consiliis providum, rebus gerendis aptum; in quo hæ virtutes, quæ sic clare relucent, indicio sunt ceteras abesse non posse, Arnulfum dicimus regis Lotharii filium; quem etsi altus sanguis, vitio temporis, sub anathemate positus, aliquo infecit contagio; sed tamen hunc mater ecclesia purificans mysticis abluit sacramentis: hunc, inquam, dicimus Laudunensis ecclesiæ filium, & ut verius fateamur, Remensis. Ea quippe civitas Remense territorium, Remensis parochia est; nec sic a beato Remigio divisa, ut fieret aliena. Nimirum ille vir Deo plenus unitatem appetens, non scissionem affectans, sic scidit ut cohæreret velut pars in toto. Et quis & quantus futurus esset intelligens, natale solum beavit sacerdotii dignitate. Eligimus ergo hunc Arnulfum, hinc ortum, hic educatum, simoniacæ hæresis expertem, a factione tyrannica remotum, sua cuique debita jura reddentem, sanctuarium Dei non dissipantem. Sint procul ab electione nostra dolus & fraus, nec putent eum ad se pertinere filii Belial; filii pacis & concordiæ, stabilem & solidam in perpetuum faciant confirmando, corroborando, subscribendo.

X V I.

Electio Gerberti archiepiscopi Remensis.

Ex vita Gerberti.

SEmper quidem, dilectissimi fratres, judicia Dei justa sunt, sed interdum occulta. Ecce enim post dissolutionem beatæ memoriæ patris A.* quemdam ex regio semine prodeuntem nobis ecclesiæque Remensi præfecimus*, & clamore multitudinis impulsi, scriptura dicente, vox populi, vox Dei: & sanctorum canonum institutis desiderium ac vota cleri ac populi in electione episcopi perquirentium, caligavit acies mentis nostræ, literam incaute sequendo, concordem sententiam divinarum scripturarum parum investigando: non erat quippe vox Dei, vox populi clamantis, *crucifige, crucifige;* ergo non omnis vox populi, vox Dei est, nec omnia cleri & populi vota & desideria in electione episcopi perquirenda sunt: sed tantum simplicis & incorrupti, id est spe quæstus minime illecti. Sententiæ Patrum exponendæ: *Non liceat*, inquit, *turbis electionem facere eorum, qui ad sacerdotium vocantur, sed judicium sit episcoporum, ut eum ipsi qui ordinandus est, probent, si in sermone & fide & in episcopali vita edoctus est.* Nos igitur episcopi Remorum diœceseos secundum has constitutiones Patrum favore & conniventia utriusque principis nostri, domni Ugonis augusti, & excellentissimi regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in clero & populo, elegimus nobis archiepiscopum abbatem Gerbertum ætate maturum, natura prudentem, docibilem, affabilem, misericordem; nec præferimus illi vagam adolescentiam, ambitionem se extollentem, omniaque temere ministrantem; imo nec talibus subjugari patienter auditu perferimus, quorum sapientia & consilio, ecclesiastica ac civilia jura administrari non posse scimus. Cumque in uno quoque episcopo sit hoc speculandum, maxime tamen in eo qui ceteris præest metropolitano. Eligimus itaque hunc Gerbertum qui ** fuit. Hujus vitam ac mores a puero novimus, studium in divinis ac humanis rebus experti sumus; hujus consiliis ac magisterio informari quærimus, ejus electionem subscribendo confirmamus, stabilimus, corroboramus communi omnium bonorum consultu.

992.

* Adalberonis.

* Arnulfum.

X V I I.

Privilegium ecclesiæ Remensi concessum a Silvestro II papa.

Ex Sammarthanis.

SILVESTER episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Arnulfo sanctæ Remensis ecclesiæ archiepiscopo. Apostolici culminis est non solum peccantibus consulere, verum etiam lapsos erigere & propriis privatos gradibus reparatæ dignitatis insignibus informare, ut & Petro solvendi libera sit potestas, & Romanæ gloriæ ubique fulgeat dignitas. Quapropter tibi Arnulfo Remensi archiepiscopo quibusdam excessibus pontificali honore privato, subvenire dignum duximus, ut quia tua abdicatio Romano assensu caruit, Romanæ pietatis munere credaris posse reparari. Est enim Petro ea summa facultas, ad quam nulla mortalium æquiparari valeat felicitas. Concedimus ergo per hujus privilegii nostra statuta, tibi baculo & annulo redditis, archiepiscopali officio fungi, & omnibus insignibus quæcunque ad sanctæ metropolim Remensis ecclesiæ pertinent, solito more perfrui. Pallio solemnitatibus statutis utaris, benedictionem regum Francorum & tibi subjectorum episcoporum obtineas, & omne magisterium quod tui antecessores habuisse visi sunt, 999.

nostra auctoritate apostolica geras: præcipimus etiam ut nullus mortalium in synodo, ut in quacunque parte abdicationis tuæ, crimen tibi quoquomodo opponere præsumat, vel hac occasione in improperii contra te verba exardescat; sed nostra te ubique auctoritas muniat, etiamsi conscientiæ reatus accurrat. Confirmamus insuper tibi & concedimus archiepiscopatum Remensem in integrum, cum omnibus episcopatibus sibi subjectis, seu cum omnibus monasteriis, plebibus, titulis & capellis, atque cortibus, castellis, villis, saltibus & cum omnibus rebus ad ecclesiam Remensem pertinentibus, salvo & inviolabili testamento beati Remigii Francorum apostoli; statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione & anathematis interdictione, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum, vel alii cuilibet magnæ parvæque personæ, hoc nostrum privilegium infringere liceat. Si quis vero, quod absit, hoc Romanum decretum violare tentaverit, anathema sit.

XVIII.

Ex chartario S. Remigii.

Privilegium Widonis archiepisc. Remensis, sepulturam in monasterio sancti Remigii eligentis.

1053. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Wido divina favente clementia Remorum archiepiscopus, notum esse cupio tam præsentibus quam futuris sanctæ Remensis ecclesiæ fidelibus; quia cum animo revolverem quanta devotione prædecessores mei sedis hujus pontifices, cœnobium beati patris Remigii Francorum apostoli excolentes possessionibus augmentaverint, quibusque necessariis rebus pro spe retributionis æternæ locupletaverint, & ob hoc a cœnobitis ibidem Deo militantibus perennis memoriæ titulum promeruerint; decrevi & ipse pro modulo virium mearum eorum imitari vestigia, & eumdem locum pro tam gloriosi patroni amore debita venerari reverentia, ipsique famulantibus liberalitatis meæ impertiri beneficia. Ubi etiam sepulturæ meæ locum, quandocumque me Deus ab hac fluctivaga & labili vita evocaverit, delegi; & ut fratres memoriam mei tam in vita quam post mortem in orationibus suis habeant, anniversariumque depositionis meæ diem quotannis agendo animæ meæ congruum adjutorium impendant, altare villæ quæ dicitur Basilicæ curtis eis perpetualiter possidendum sub clericali persona cum consilio totius cleri mei tradidi, ea conditione, ut si eadem persona aliquid criminis commiserit, unde judicetur personatum amittere, sive morte interveniente, subtracta erit vitæ, ab abbate ipsius loci Remensis ecclesiæ pontifici altera præsentata, absque aliqua conventione seu pecuniæ largitione substituatur, cui animarum committatur diligentia, quique in synodo quotannis XVIII tantum denarios persolvat. Huic igitur traditioni si quis refragari contemserit, aut eam in posterum aliqua temeritate convellere tentaverit, iram Dei incurrens præsumtionis suæ supplicia luat, & beatæ Dei genitricis Mariæ gloriosique Remigii, utpote ejus honori invidens, sanctorumque omnium meritis perpetuæ excommunicationis cum apostata angelo ultionem subeat. Id vero statutum, ut per succedentia temporum curricula inconvulsum maneat, placuit ad posterorum memoriam literis commendare, easque archiepiscopalis auctoritatis sigillo cum clericorum & laïcorum qui affuerunt testimonio, corroborare. S. Odonis archidiaconi, S. Odalrici præpositi, S. Richardi decani, S. Odonis cantoris, S. Herimanni, S. Bernachri, S. Gerardi, S. Hugonis, S. Gibuini, S. Lescelini, S. Leudonis diaconi, S. Ascelini subdiac. S. Arnulfi presbyteri, S. Johannis, S. Gunteri, S. Rodulfi presbyteri, S. Rainoldi presbyteri, S. Rodulfi diaconi, S. Roberti subdiaconi, S. Tasselonis, S. Richardi, S. domni Herimari abbat. A S. Erleboldi decani, Hainrici, Harduini, Widrici, Adalberonis, Petri, Rainerii, Roberti, Fulconis, Herleboldi, Achardi. Laïcorum vero Manasse comitis, Rogeri comitis, Rainoldi Suessonici comitis, Hamonis, Widonis, Joffridi, Milonis, Aleranni, Warini, Rotfridi, Wiboldi, Haimonis, Petri, Rodulfi, Warneri, Grivonis, Hugonis. Actum Remis anno Incarnationis Dominicæ M. LIII. indict. VI. regnante Henrico rege Francorum anno XXIV. archiepiscopatus autem domni Widonis anno XX. Odalricus cancellarius scripsit & subscripsit.

XIX.

Ex chartul. monasterii S. Remigii.

B *Charta Guidonis I archiepiscopi Remensis, in gratiam monasterii sancti Remigii.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Est in confinio castri sancti Remigii terra adjacens vicinitati terrarum adjacentium in villa sancti Remigii, ex parte quæ a viridate dicitur, de possessione cujusdam vicedomini Remensis, qui dicebatur Manasses Calvus, nepos Vidonis archipræsulis. Volens ergo domnus abbas Herimarus quoddam mansionile ibi prope memoratam villam construere, nomine Tollensviam, pro eo quod viam abstulerit, quæ perinde solita erat fieri, quia contigua & immixta erat ipsa terra reliquis terris sancti Remigii, ne aliquando paterentur aliquod scandalum homines easdem colentes, a domino possessore ipsius terræ, C de qua supra retulimus, petivit in præsentia domni archipræsulis Widonis, ab ipso Manasse Calvo dari sancto Remigio eam pro remedio animæ suæ, & animarum filiorum suorum. Ipse autem noluit hoc facere, nisi ea conditione, ut darentur sibi centum solidi quotannis vitæ suæ, & post mortem suo heredi. Herimarus autem abbas consilio habito cum Manasse comite, qui tunc præsens aderat, & cum reliquis casatis, ex præcepto ejusdem memorati archipræsulis, noluit assentire, ut daret ei memoratum pretium, scilicet centum solidos, nisi quamdiu adviveret. Denique hortatu omnium qui aderant, imo prece & imperio avunculi sui suprataxati archipræsulis, ad ultimum consentit, ut haberet centum solidos quoad viveret; post mortem vero suam, & terram & denarios sanctus Remigius jure quieto D possideret. Hanc igitur conventionem in præsentia sua literis commendare præcepit domnus Wido archipræsul, & ut per succedentia temporum curricula inconvulsa maneret, archiepiscopalis auctoritatis sigillo, cum clericorum & laïcorum qui affuerunt, testimonio corroboravit. Signum domni Widonis archipræsulis, S. Odonis archidiaconi, S. Herimari abbatis, &c. Laïcorum vero, Sig. Manassæ comitis, S. Rogeri comitis, S. Rainoldi Suessionici comitis, S. Vidonis militis. Acta est hæc Remis in ecclesia sanctæ Mariæ, anno Incarnationis Domini M. LIII. indictione VI. regnante Henrico rege Francorum anno XXIV. archiepiscopatus autem Vidonis anno XX. Odalricus cancellarius scripsit.

1053.

E

XX.

Ex tomo IX. Conc. Labb. pag. 1107.

Consecratio Philippi I Francorum regis.

ANno Incarnationis Dominicæ M. LIX. indict. XII. regnante Henrico rege anno XXXII. eadem die completo, X. kalendas Junii, episcopatus Gervasii anno quarto, in die sancto Pentecostes, Philippus rex hoc ordine in majori ecclesia ante altare sanctæ Mariæ a Gervasio archiepiscopo consecratus est. Inchoata missa, antequam epistola legeretur, domnus archiepiscopus vertit se ad eum, & exposuit ei catholicam fidem, sciscitans ab eo utrum hoc crederet & defendere vellet; quo annuente delata est ejus professio, quam accipiens ipse legit, dum 1059.

adhuc septennis esset, eique subscripsit. Erat autem professio hæc. *Ego Philippus, Deo propitiante, mox futurus rex Francorum, in die ordinationis meæ, promitto coram Deo & Sanctis ejus, quod unicuique de vobis commissis canonicum privilegium, & debitam legem atque justitiam conservabo, & defensionem, quantum potero, adjuvante Domino, exhibebo, sicut rex in suo regno, unicuique episcopo & ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet; populo quoque nobis credito me dispensationem legum in suo jure consistentem nostra auctoritate concessurum.* Qua completa posuit eam in manus archiepiscopi, astante Hugone Bisonticensi, Nicolai papæ legato, & cum eo Ermefredo Sedunensi; archiepiscopis quoque Mainardo Senonensi & Bartholomæo Turonensi, necnon episcopis Heidone Suessionensi, Rogero Catalaunensi, Elinando Laudunensi, Balduino Noviomensi, Frollando Silvanectensi, Letberto Cameracensi, Guidone Ambianensi, Aganone Eduensi, Harduino Lingonensi, Achardo Cabillonensi, Isembardo Aurelianensi, Imberto Parisiacensi, Galtero Meldensi, Hugone Nivernensi, Gaufrido Autissiodorensi, Hugone Trecassino, Itero Lemovicensi, Guillelmo Ecolimensi, Arnulfo Sanctonensi, Wereo Nannetensi. Et de abbatibus Herimaro sancti Remigii, Rainero sancti Benedicti, Hugone sancti Dionysii, Adroldo sancti Germani, Gervino sancti Richarii, Guattone sancti Walerici, ** S. Wingaloei, Guarino S. Judoci, Fulcone de Foresti-monasterio, Gerardo S. Medardi, Henrico Humolariensi, Gotizzone Florinensi, Fulcone sancti Michaelis Laudunensis, Archanveo Laudunensi, Guidone Marcianensi, Rodulfo Mosomensi, Alberto sancti Theoderici, Varino Altovillarensi, Werrico sancti Basoli, Hugone Orbacensi, Odilardo Catalaunensi, Wandelgero Dervensi, Waleranno Virdunensi, Adalberone Divionensi, Arnoldo Pultariensi, Guillelmo Trenorcensi, Hugone Carrofensi, Avesgaudo Cenomanensi, Hugone Crispinensi: *Accipiens baculum sancti Remigii disseruit quiete & pacifice quomodo ad eum pertineat maxime electio regis, & consecratio regis, ex quo sanctus Remigius Hludovicum regem baptisavit & consecravit: disseruit etiam quomodo per illum baculum hanc consecrandi potestatem, & totius Galliæ primatum Hormisda papa dederit Remigio, & quomodo papa Victor sibi & suæ ecclesiæ concesserit.* Tunc annuente patre ejus Heinrico, elegit eum in regem. Post eum legati Romanæ sedis (cum id sine papæ nutu fieri licitum esse disertum ibi sit, honoris tamen & amoris gratia tantum ejus ibi affuerunt legati) post hos archiepiscopi & episcopi, & abbates & clerici. Post Wido dux Aquitaniæ, post Hugo filius & legatus ducis Burgundiæ, post legati Balduini marchionis, & legati Gaufridi comitis Andegavensis; deinde comites, scilicet Rodulfus Vadensis, Herbertus Vermandensis, Wido Ponticensis, Willelmus Suessionicus, Rainaldus, Rogerus, Manasses, Hilduinus, Willelmus Arvernensis, Heldebertus de Illa Marchia, Folco Ecolismensis, vicecomes Lemovicensis, post milites, & populi tam majores quam minores, uno ore consentientes, laudaverunt res, proclamantes laudamus, volumus, fiat. Tunc fecit ipse Philippus præceptum, sicut antecessores sui fecerunt de rebus S. Mariæ & Remensi comitatu, & rebus S. Remigii, & de ceteris abbatiis, quod firmavit eique subscripsit. Subscripsit etiam archiepiscopus, nam ibi constituit eum summum cancellarium, sicut antecessores sui antecessores suos fecerant, & ita consecravit eum in regem. Revertente autem archiepiscopo in sedem suam & sedente, delatum est privilegium quod papa Victor ei dederat, lectumque est circumstantibus & audientibus episcopis. Facta sunt hæc omnia cum omni devotione & alacritate quam maxima, sine omni disturbatione, & nullatenus alicujus contradictione, vel aliquo reipublicæ damno: hos omnes Gervasius archiepisc. libenter excepit, & de sumtibus suis eis plenissime erogavit; nulli tamen ex debito præter regem, sed honoris causa ecclesiæ & liberalitatis suæ.

XXI.

Fundatio collegiatæ S. Timothei ecclesiæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti. Gervasius Dei gratia Remorum archiepiscopus, sanctæ ecclesiæ tam præsentibus quam futuris fidelibus. Si utilitati & honestati ecclesiæ nobis ab eo commissæ diligenter intendimus & quæcumque in ea, ad divinæ religionis cultum provida prædecessorum nostrorum vigilantia, ordinata sunt, inconvulsa servamus; & quæ ex his negligentia vel aliquibus infortuniis deperierunt, reparare contendimus, patri familias nostro de credito nobis talento multiplex lucrum reportaturos, & euge certissimæ remunerationis nos credimus audituros. Unde considerantes ecclesiam sancti Timothei martyris in municipio hujus sanctæ sedis, cui, Deo auctore, præsidemus sitam, quondam clericorum numero & honestate religionis viguisse, sed partim adversis casibus, partim incuria ad titulum unius presbyteri esse redactam: ideoque ab archiepiscopo Adalberone ut ex ejus redditibus hospitalitatis suppleretur utilitas, beati Remigii monasterio ad possidendum concessam, piæ sedulitatis opera adhibere curavimus, ut eam in antiquæ honestatis statum repararemus. Quapropter id notificantes Herimaro abbati, injunximus ut hoc nostræ voluntatis propositum commendaret effectui, & ipsam ecclesiam S. Timothei cum suis redditibus stipendiariam faciens Deo famulaturis inibi clericis, ex aliis possessionibus sancti Remigii in suo cœnobio supplementum repararet hospitalitatis, qui libenter nostræ ordinationi paruit, & sub nostræ auctoritatis privilegio duodecim canonicos in eodem loco aggregavit, utque regulariter ibidem divino insisterent servitio, canonicam præbendam eis instituit. Hæc ergo constitutio ut fieret efficacior, nos quoque ipsius altare ecclesiæ ad augmentum stipendii eorum, perpetualiter ipsis esse proprium constituimus; & quandiu illic fuerint canonici, ne quisquam successor noster eis illud auferat, sub divina auctoritate interdicimus. Præterea notum esse volumus ut sint immunes ab omni archidiaconorum & archipresbyterorum exactione positi tantum sub sancti Remigii dominatione, sub nostra tamen potestate & abbatis subjectione quemadmodum & monachi ipsius sancti Remigii, ut sicut curam ex eorum animabus abbas de nostra manu suscepit, eodem modo de eorumdem clericorum animabus curam suscipiat, ipseque eamdem decano quem sibi ad eorum custodiam fidelem substituerit, manu sua committat. Ipse vero abbas & necessaria victus eis provideat, & si quid in eorum conversatione reprehensibile invenerit, emendare satagat, ut securus in die judicii Deo de eis rationem reddere valeat. Quod nostræ ordinationis decretum ne quis convellere vel aliquatenus temerare præsumat, sub anathemate prohibemus ad posterorum memoriam id commendantes, cyrographo sub episcoporum & abbatum majorumque nostri cleri & ceterorum fidelium nostrorum qui interfuerunt testimonio. Prandium autem quod canonici sanctæ Mariæ Remensis ecclesiæ ibi accipiebant in festivitate sanctorum Timothei & Apollinaris pro Dei amore & nostro condonaverunt perpetualiter abbati Herimaro & supradictis clericis ut sint eorum fratres ipsorumque memoriam faciant in orationibus suis. Quam donationis largitatem ne quis convellere audeat futuris temporibus, cum coessentibus nobis episcopis & omni clero sub divini nominis obtestatione communimus. ✠ Signum domni Gervasii archiepiscopi. ✠ Signum Elinandi Laudunensis episcopi. ✠ Sig.

1064.

Adelardi Suessionensis episcopi. ✠ Flotlandi Silvanectensis episcopi. ✠ Signum Widonis Belvacensis episcopi. ✠ Signum Odonis archidiaconi. Signum Herimari abbatis sancti Remigii. Actum Remis publice anno Incarnat. Dominicæ millesimo sexagesimo quarto, indict. secunda, regnante rege Philippo anno quinto, idus Junii.

XXII.

Ex Sammarthanis.

Diploma Philippi I Francorum regis, pro monasterio S. Nicasii Remensis.

1066. IN nomine Dei summi & Salvatoris mundi Jesu Christi, Philippus divina dispensante clementia Francorum rex. Quoniam fovendis ecclesiis Dei, B exaltandis & protegendis operam dare regalis est excellentiæ, nosque ad hanc dignitatem divina clementia sublimare dignata est, si quid pro earum incolumitate patimur, id eis, prout tempus exigit, regali nostra liberalitate debetur. Noverit igitur fidelium nostrorum tam præsens, quam futura posteritas, Gervasium venerabilem Remensem archiepiscopum quandam abbatiam in archiepiscopatu suo construxisse, & quæ ei suo labore & industria acquisita sunt, ut eidem confirmationis nostræ scripto corroboremus, nostram regiam serenitatem sedulo postulare. Est enim ecclesia in suburbio Remensi posita miro opere quondam a Jovino præfecto ædificata, quæ in primordio archiepiscopatus sui ab eo inventa est, vetustate & incuria magna ex parte consumta : & C quia de nomine sancti martyris Nicasii appellabatur, quanquam qui primo fundaverat, sub titulo eam S. Agricolæ condidisset, ob amorem Dei & sancti prædecessoris sui studuit, quæ in ea omnino corruerant a fundamentis restaurare, quæ semirupta pendebant artificio quodam reintegrare, & in speciem novi operis ruinosam ecclesiam decentissime reformare. Ad hæc refectorium, dormitorium & cetera habitacula servorum Dei usibus necessaria, quæ antea ibi nunquam fuerant, insigni opere superaddidit, fratresque sub abbate & regula S. Benedicti Domino militantes ibidem congregavit, & reditus unde viverent, sufficientes delegavit. Quibus ita peractis, nunc tandem ut dictum est, nostram petit regalem celsitudinem, ut suo operi quasi extremam manum apponentes, D præcepti nostri solenni confirmatione roboremus. Quod ut ejus precibus annuamus, a prædecessoribus nostris Francorum regibus per suos antecessores, ceteris abbatiis ad Remensem ecclesiam pertinentibus, simile robur confirmat esse impetratum. Nos igitur piam ejus ac religiosam petitionem intelligentes, adquievimus, & nostræ auctoritatis præcepto quæ sequuntur perpetuæ ecclesiæ perpetuo possidenda firmamus. Comes Theubaldus veterem abbatiam (fuit enim in hoc loco abbatia) in beneficio de manu Remensis archiepiscopi habuit, & quamvis res modica esset, idem tamen comes centum libris a venerabili Gervasio acceptis, de jure suo, in jus & dominium sanctæ Mariæ & ipsius Gervasii transferens, se omnino ab ea alienavit, & pontifex E loco sancto reddidit, & ut hoc factum regali confirmatione roboraremus, serenitatem nostram adiit: hanc itaque abbatiam isti loco regalis vigore mandati restituimus, & perpetualiter habendam roboramus. Claustrum vero & suburbia quæ circa monasterium sunt ad ipsam pertinentia, ita ab omni exactione sint libera, ut ab eis nemo quicquam exigat nisi abbas loci, aut cui ipse præceperit : porro Hundiliacam curtem cum ecclesia, piscatorio, ceteris appenditiis, mancipiis utriusque sexus hujus ecclesiæ usibus perpetualiter profuturum statuimus, cujus villæ donationem huic loco ante hoc quinquennium ob animæ patris nostri & nostræ salutem fecimus, & literas super hac donatione editas sigillo nostro A insignitas firmavimus, &c. Signum Philippi regis Francorum. S. Gervasii archiepiscopi. S. Adelardi Suessionum episcopi. S. Elinandi Laudunensis. Sig. Rogeri Catalaunensis. Sig. Bauduini Noviomensis. S. Widonis Belvacensis. S. Leiberti Cameracensis. S. Walberti Meldensis. Actum Remis anno Incarnat. M. LXVI. Philippi regis VII. Gervasii archiepiscopi nono, in ecclesia sanctorum Agricolæ & Nicasii martyrum, IV. calendas Octobris. Balduinus cancellarius ad vicem Gervasii archiepiscopi subscripsit.

XXIII.

Fundatio monasterii sancti Dionysii Remensis. *Ex Marloto, alicubi correcto.*

NOtum volo præsentibus, nec ignotum sit posteris, quod ego Gervasius, hujus sanctæ sedis 1067. Remorum antistes, post aliarum restaurationem ecclesiarum, quæ tam vetustate quam negligentia destitutæ ac desertæ ab antiquis apparebant temporibus, beati Dionysii, quæ jam pene annulata fuerat, ecclesiam renovare apposui, quam olim celeberrime ditatam, ingruente malitia ad summam devenisse paupertatem frequenter transeundo miseratus condolui, adhibitaque tandem vigilantia restaurationis opus operosiore structura Dei præsente gratia non distuli, destructa reædificans, quæ fundata non erant a fundamentis construens. Et quia ad mensam canonicorum dominæ meæ sanctæ Dei genitricis pertinebat, ab ipsis filiis meis eam sub censu sex solidorum omnium voluntate accepi perpetua libertate donandam; hac consuetudine retenta, ut servientes eorum tam familiares quam communes, sicut antea solebant, absque omni exactione alicujus pretii ibi sepulturæ traderentur; & si ipsa ecclesia processu temporum aliquo casu, rediviva calamitate, ad eam quæ prius erat decideret, eorum sicut prius erat potestati subjiciatur, nisi culpa vel studio eorum acciderit. Ecclesia itaque meo sumtu & labore ad integrum restituta cum diversis ædificiis ad necessitatem fratrum accommodatis, canonicos ibidem ad honorem & laudem Dei constitui, beati Augustini regulam ordinemque profitentes; quorum usui hanc bonorum meorum partem designavi, eisque possidendam jure perpetuo contradidi, omnium redituum meorum decimas ad domum meam & civitatem pertinentes, quas antecessor meus ad hospitium pauperum in eodem loco situm concesserat, eidem & ego concessi ecclesiæ; beneficium quoque ministerialium feminarum majoris ecclesiæ, quas oblatrices dicunt, quæ satis inhoneste vivebant, melius ordinandum judicans, servitioque Deo servientium in eadem ecclesia deputavi, pro cujus recompensatione altare de Curceio thesaurario dedi, ecclesiam de Monte sanctæ Mariæ, quæ ab antiquis temporibus ad thelonii beneficium pertinebat hujus sanctæ matris ecclesiæ; sed per multa jam tempora violenta manu abalienata fuerat, laïcorum potestate emancipavi, eique sanctuario, volente & concedente Odone archidiacono & thesaurario, donavi. Altaria pariter de Calmisiaco & Campiniaca villa prædictam ecclesiam habere concessi; suburbiis vero quæ circa eamdem sunt, eam nihilominus volui esse donatam. Quatuor in locis vineta acquisivi in monte scilicet Ledulphi, Canculæ, Camerei, in Monte-ferrato. Præter hæc autem in villa Campiniaci, alodia insuper de Archeio & Aculiaca curte, necnon juxta viam Herbosam eidem largitus sum ecclesiæ; terram quoque Olorificam juxta pomerium episcopale sitam huic loco dedi. Quæ omnia pie & studiose disposita, meo jure & labore adquisita, ne unquam violentorum manus aliqua occasione violare & dissipare præsumat, Romanæ auctoritatis privilegio muniri, regiæque majestatis adstipulatione confirmari feci. Hanc ergo ecclesiam Dei visitatione sicut hactenus digestum est recuperatam, his omnibus quæ

præordinata sunt copiose ditatam, placuit bonumque mihi visum est fratri Odalrico sanctæ Mariæ præposito commendare regendam; quem quia in multis fidelem inveni, super hanc eleemosynarum mearum oblationem procuratorem dominumque constitui, qui ad ipsius ecclesiæ tuitionem defensionemque invigilet, contra insurgentes manum fortitudinis opponat, consilii curam, pastoris providentiam in omnibus quæ poterit huic ecclesiæ impendat, & quæcunque ad eam pertinent regat & custodiat. Quam sic ei tribui, ut a præpositi tamen officio removemus, ne propter hoc unquam aliquis ejus successor in eamdem prælationem jure præposituræ aliquo modo obrepere, sed eam in vita sua in munere possideat. Deinde quoniam sibi ad utilitatem ecclesiæ melius visum fuerit, consilio canonicorum ejusdem loci heredem constituat; alioquin in manum archiepiscopi dispositionemque redeat. Post hæc autem omnia, bene mihi placitum fuit molendina, quæ juxta citeriorem hujus aquæ pontem fieri feci pro celebranda anniversarii mei commemoratione sanctæ Mariæ ad usum concedere canonicorum; quorum decimam huic ecclesiæ habendam sicut olim decrevimus modoque decernimus, quod de omni bonorum meorum substantia indifferenter statuimus, cujus constitutionis nostræ decretum ut ratum inviolatumque perpetuis valeat temporibus, nostræ auctoritatis scripto præsenti roboramus, sigillique nostri impressione consignamus. Actum Remis anno Incarnationis Dominicæ M. LXVII. indict. V. regnante Philippo rege anno VII. episcopatus mei anno duodecimo. Odericus cancellarius scripsit atque subscripsit.

XXIV.

Testamentum Odalrici præpositi Remensis.

Ex ms. cod. bibliothecæ cathedralis. *Circiter 1075.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Odalricus sanctæ Remensis ecclesiæ præpositus, ita testamentum meum in vita statui ordinare, sicque lites vel controversias quæ possent exoriri, desfinire. Notum volo fieri tam præsentibus quam futuris, quod alodium de Olchiniaco quod ego tenebam a canonicis sanctæ Mariæ ad trecensum scilicet pro solidis VI. augmentavi quam melius potui, acquirendo ad incrementum illius terras videlicet de campo qui vocatur Limaz, cum ceteris aliis multiplicando censum necnon vinatica, in quo etiam construxi vicariam meam; quod ita auctum atque vestitum relinquo cum vinea indominicata canonicis sanctæ Mariæ Remensis ecclesiæ, atque ut sit in custodia illius qui erit præpositus de mille fagis dispono, qui persolvet canonicis quotannis prædictum trecensum, scilicet solidos sex, & dabit vacario mercedem suam de censu & vinaticis quæ inibi debentur, & quod residuum fuerit, servabit ad detinendam vacariam; de caseis vero dabit canonicis quotannis in prima Dominica Adventus Domini ad dividendum inter se 72. dabit etiam in secunda feria & septima totius Adventus canonicis in refectorio caseos; quod si incurrerit festivitas vel jejunium, non dabit nec restaurabit; ex omnibus autem quos habebit per totum annum de vacaria persolvet decimam sancto Dionysio, sicut & ego feci in vita mea; residuum vero si quod fuerit, servabit ad detinendam vacariam. Unde oro hanc a canonicis retributionem, ut in sequenti feria post acceptam prædictam benedictionem animæ meæ faciant commendationem. Quod si, exigentibus peccatis, vaccæ illæ omnes mortuæ vel deprædatæ fuerint, quod sæpe contingit, oro canonicos tam præsentes quam futuros, pro Deo & pro remissione peccatorum suorum, ut non adnullare permittant hoc commune commodum illorum, quod pia devotione ordinavi; sed quod ille minister de redditibus illius alodii redin-

A tegrare non poterit, concedant fieri de communi. Volo etiam & dispono ut canonici sancti Dionysii in custodia habeant & excolant alodium de mutationibus quod ego emi auxilio Dei atque piissimæ genitricis, pro quotannis persolvant canonicis sanctæ Mariæ solidos XVIII. in anniversario meo, necnon super sepulturam meam distribuant pauperibus panes de sextariis duobus de sigilo, & de vino modium unum. Alodium vero quod ego redemi a fratribus & nepotibus meis, scilicet de Roureio & stogia, similiter habeant & excolant, atque pro eo quotannis in primo die lunæ Quadragesimæ dent in refectorio sanctæ Mariæ scutellas novas C. cultellos X. valentem unumquemque denarios duos Remensis monetæ. Unde suppliciter oro canonicos ut ipso die

B post versum in refectorio & post benedictionem prandii dicant pro anima mea, *Levavi oculos meos*, usque in finem psalmi, quo finito dicat decanus vel hebdomadarius *Requiescat in pace*, cum collecta; illi etiam clerico qui præsentabit scutellas & cultellos, dent ipso die præbendam unam; hoc vero ideo ita ordinavi ut hoc tantum modo persolvant de stogia & de Roureio quatenus si quid demutationis defuerit ad persolvendum quod proposui, saltem ab isto supplere possint, quod si super abundaverit, ipsi habeant. Volo etiam huic præscripto operi aliud apponere per quod possim opuscula nostra mentibus posterorum memoriæ revocare. Constat quod salutiferum sidus scilicet papa Leo ad illuminandam totam Galliam quondam visitavit Remensem provinciam, qui

C post dedicationem ecclesiæ & pretiosi corporis beati Remigii elevationem in præsentia ejusdem piissimi confessoris synodum celebravit, in qua divinam religionem nimium tepefactam studiose reparavit, in qua etiam de simoniaca hæresi & de ecclesiasticis ministeriis astantes . . . . . . admonuit & viriliter perterruit: tunc ego cum quibusdam ex nostris tanta comminatione judicii perterriti, domno Widoni archiepiscopo ministeria nostra reddidimus, ne divinam ultionem quam domnus papa comminabatur, incurreremus: sed domnus papa qui circa hoc officium me fidelem cognoverat, rogavit Widonem archiepiscopum ut mihi illud idem officium sub nomine obedientiæ injungeret, quod archiepiscopus libenter implevit, nec minus domnus papa hoc idem

D mihi summa obedientia injunxit, qui si circa res fratrum prius fui fidelis; deinceps attentius fidelior esse studui. Sed cum animus circa multa honesta & utilia in rebus fratrum infatigabili desiderio æstuaret, reparavi quædam vetustate attrita & inter alia in claustrum quædam necdum inchoata erexi a fundamento, & inter alia hiemale refectorium. Ordinavi etiam in præbenda canonicorum unum quod & regula præcipiebat & necessitas expetebat. Nam cum hoc in nostra regula habeatur, ut unusquisque canonicus habeat quatuor libras panis & nostri non haberent nisi tantum duas & dimidiam, cepi laborare attentius ut nostris temporibus illud certum pondus panis quod præcipit regula, compleretur, quod ut posset fieri, in curia & in villis S. Mariæ nonnullas ordinavi carrucas, ex quarum proventu tandem per-

E feci ut haberent canonici cum illo pane qui est ponderis solidorum L. & alium minorem panem ponderis solidorum XXX. & ne post decessum nostrum hæc nostra institutio ad nihilum laberetur, feci meo sumtu consilio & auxilio domni Gervasii venerabilis archiepiscopi ad pontem sancti Remigii duos molendinos quos beatæ Mariæ concedo, & ad opus minoris panis quem accrevi dispono, quos dedi ad trecensum . . . . cum asinis & vanno, & ponte, tali pacto ut & pontem detineat, & in horreo sanctæ Mariæ de frumento modios octo quotannis persolvat. In hospitio vero pro decimo de sigilo sextarios sex, de tremisse sextarios sex. Dedi etiam ad opus minoris panis molendinum quod ex meo

construxi in lancia, & quod dedi ad trecensum pro modiis duobus de frumento quotannis. Illud etiam summopere studui ad summum perducere, ut sicut ex meo perfeceram lectos in dormitorio, ita & culcitra cum pulvinari in unoquoque supponeretur, ex meo disponens, ut quotiescunque aliquis ex nostris morietur fratribus ex præcepto decani culcitra cum pulvinari ad hospitium sanctæ Mariæ deportetur; alia vero cum pulvinari ex alodio de corte Salonis quod dedi beatæ Mariæ, restauretur, quod ut posset fieri taliter ordinavi libras septem quas accepi de domo mea, cum vino de Risleio quod librarum IV. pretii esse æstimo, posui in manu domni Herimanni magnæ fidei & utilitatis viri, atque hoc officium ex hiis nummis prædictis, lectis, culcitris & pulvinaribus superinduantur pro Deo & remedio animæ suæ injunxi quod prædictum alodium volo ut sit in custodia illius qui erit præpositus de hominibus sancti Martini. Iccirco quod si duo canonici vel tres vel eo amplius in uno anno moriantur, quod ex alodio non poterit, ex ministerio suo suppleat, & quod ibi dabit cum ex alodio exierit, recipiat. Unde hoc tantum oro a fratribus ut quoties commendationem animæ defuncti canonici facient, me in illa commendatione apponant, scilicet quod dicerent singulariter, dicant pluraliter.

XXV.

Ex Miscell. Baluz. t. 6. pag. 372. 1089.

Privilegium Urbani II papæ pro ecclesia Remensi.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, Rainoldo carissimo fratri Remorum archiepiscopo, ejusque successoribus legitimis, in perpetuum. Potestatem ligandi atque solvendi in cœlis & in terra beato Petro ejusque successoribus auctore Deo principaliter traditam illis ecclesia verbis agnoscit quibus Petrum est Dominus alloquutus: *Quæcunque ligaveris super terram erunt ligata in cœlis, & quæcunque solveris super terram erunt soluta & in cœlis.* Ipsi quoque & propriæ firmitas & alienæ fidei confirmatio eodem Deo auctore præstatur quum ad eum dicitur: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, Petre, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Oportet ergo nos, qui licet indigni Petri residemus in loco, prava corrigere, recta firmare, & in omni ecclesia ad interni arbitrium judicis sic disponenda disponere, ut de vultu ejus judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem. Fraternitatis igitur tuæ justis petitionibus annuentes, ex antiquo Remensis ecclesiæ usu, apostolicæ sedis auctoritate ac benevolentia concessum tibi pallium hujus decreti nostri pagina confirmamus, primatemque totius secundæ Belgicæ provinciæ secundum antecessorum tuorum dignitatem esse censemus. Statuimus etiam ut nulli nisi solummodo Romano pontifici subjectionem & obedientiam debeas, omnisque causæ tuæ judicium solius Romani pontificis diffiniatur arbitrio. Primam præterea præcipuamque tibi tuisque successoribus potestatem contradimus Francorum reges consecrandi; ut sicut B. Remigius ad fidem Clodoveo converso primum illi regno regem christianum instituisse cognoscitur; ita tu quoque tuique successores, qui ejusdem S. Remigii vice in Remensi ecclesia Domino disponente fungimini, ungendi regis & ordinandi sive reginæ prima potestate fungamini. Statuimus etiam præsentis nostræ paginæ auctoritate firmantes, ut sicut primum diadematis insigne per vestræ manus impositionem Francorum reges suscipiunt, ita quoque in solennibus processionibus quibus eosdem reges fuerit coronari, te præsente vel tuorum catholicorum quomodolibet successorum a nullo alio archiepiscopo vel episcopo coronetur. Vestram ergo dilectionem apostolicæ sedis gratiæ vicem debita subjectione rependere, ejusque decreta inviolabiliter observare, ut a subjectis tibi Franciæ populis ut observentur, pro viribus exigere. Nos si quidem antiquam omnem vestræ ecclesiæ dignitatem servare speciali devotionis intuitu cupientes, totum honoris, totum dignitatis & excellentiæ tibi tuisque legitimis successoribus manere decernimus, quidquid beato Remigio prædecessor noster Ormisda legitur contulisse. Itaque dilectionis tuæ reverentia, frater carissime Rainolde, secundum antecessorum tuorum consuetudines pallio uti noveris ad missarum solummodo celebrationes diebus tantum determinatis, videlicet Dominicæ Nativitatis, Circumcisionis & Epiphaniæ, Sabbato sancto, Resurrectione & secunda feria, Ascensione, Pentecoste, in solennitatibus sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ, natalitiis quoque Johannis Bapt. atque omnium Apostolorum, & festis sanctorum Nicasii, Remigii, Martini, in commemoratione etiam omnium Sanctorum, in consecratione chrismatis, ecclesiarum, & tam episcoporum quam aliorum clericorum, in benedictione regis ac reginæ, in anniversario tuæ consecrationis, & ecclesiarum sanctæ Mariæ sanctique Remigii dedicationis die. Cujus indumenti honor quoniam modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Quamobrem, carissime frater, quem pastoralis curæ constringit officium, dilige fratres, ipsi quoque adversarii propter mandatum dominicum tuo circa te copulentur affectu, pacem sequere cum omnibus, sanctimoniæ sine qua nemo videbit Deum, piis vaces operibus, virtutibus polleas, fulgeat in pectore tuo rationale judicii cum superhumeralis actione conjunctum. Ita procedas in conspectu Dei, & totius Israel hujusmodi gregi commisso præbeas exempla, ut videant opera tua bona & glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est. Sit in lingua sermo, sit zeli fervor in animo, creditum tibi agrum dominicum exerce dum licet; semina in timore dum tempus est, bonum faciendo ne deficias, tempore suo metes indeficiendo. Vigilanter itaque terrena negotia relinquendo cœlestibus anhela, quæ retro sunt obliviscens, in ea quæ ante sunt temetipsum enixius extende. Mens tua in seculari vanitate non diffluat; in unum currat atque confluat finem, quem mira suavitate David respexerat, quum dicebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Sancta Trinitas fraternitatem tuam gratiæ suæ protectione circumdet, & ad finem qui non finitur pervenire concedat. Datum Romæ per manus Johannis S. R. E. diaconi cardinalis anno Dominicæ Incarnationis M. LXXXIX. indictione XIII. octavo kalend. Januarii, anno pontificatus domni Urbani II. papæ secundo.

XXVI.

Donatio altaris de Turri super Matronam monachis Cluniacensibus. *Ex Sammarthanis.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti. Ego Rainoldus nomine, non meritis Remorum archiepisc. universis beatæ vere matris ecclesiæ filiis, tam his quorum nos præsentialis existentia attingit, quam his quorum nos posteritas subsecutura expectatur, intimatum esse studui, quum primum nos ad dispensationem Remensis ecclesiæ divinæ pietatis vocatio accersivit, circa hoc solertiæ nostræ studium potissimum desudasse, ut altaria quæ antecessorum nostrorum negligentia in laicorum jura concesserant, quavis occasione ad ecclesiasticas personas revocarentur, & ab injusta secularium hominum servitute emancipata, quibuslibet servis Dei juxta canonicam sanctionem erogarentur. Quia ergo altare super Madernam, quorumdam 1091.

potentium de plangaiotri violenta usurpatio occupaverat, post plerosque incassum consumtos labores, id demum ab eisdem, Spiritus sancti suffragante consilio, impetravimus, ut nobis illud redderent, si redditum ecclesiæ sancti Petri Cluniacensis impertiremus. Sane cum fratres loci hujus amplissimo semper coluerimus & amore & honore, ut eos nobis ex devotis devotiores redderemus, altare hoc illis religiosæ hujus conventionis pactione interposita absque persona perpetualiter tenendum concessimus, ut quotannis anniversarium nostrum in ecclesia Cluniacensi cum pleno officio missa videlicet & vigilia, in fratrum conventu celebretur, & ut eadem die duodecim pauperes de cibo, qui diei competat, reficiantur. Quod si quidquam quod animæ nostræ expediat fratribus adnectere placuerit, inde nos & gratias referemus, & si qua a nobis beneficia expostulabunt, ea longe facilius assequentur. Denique placuit ut & hoc stabiliretur quatinus de omnibus successoribus nostris hoc fieret, ut cum eos obiisse fratres acceperint, pro eis plenum officium celebrarent. Ceterum cum quempiam canonicorum Remensium ad vocem pulsantis judicis carnis universæ viam ingredi contigerit, cum primum de transitu canonici fratres Cluniacenses certi effecti fuerint, missam unam generalem, & vigiliam pro anima canonici celebrantes fontem misericordiæ Dominum deprecentur. Postremo, ut nostræ hujus donationis pagina imposterum non cassanda prorogetur, testamentalibus auctoritatis nostræ literis eam inrefragabiliter corroboratam cum sigilli nostri additamento astipulavimus, & ne quis eam ausu temerario violare præsumat sub anathemate interdiximus. S. domni Rainaldi archiepiscopi. S. domni Rogeri Catalaunensis episcopi. S. Elinandi episcopi Laudunensis. S. Rabodi Noviomensis episcopi. S. Manasse archiepiscopi archidiaconi. S. Arnulfi archidiaconi. S. Manasse præpositi. S. Levini decani. S. Hugonis. S. Mainardi. S. Dudonis presbyteri. S. Hermanni. S. Ermenrici. S. Godefridi diaconi. S. Fulconis. S. Adæ. S. Widonis subdiaconi. Actum Remis in archivo pontificali anno Incarnati Verbi M. XCI. indictione XIV. regnante gloriosissimo Francorum rege Philippo anno XXXII. archiepiscopatus autem domni Rainoldi anno VII. Godefridus cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

XXVII.

Absolutio Hugonis comitis Regitestensis. Ex Sammarthanis.

1094. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Rainoldus nomine, non merito Remorum archiepiscopus notum facio, quod ipse ego & clerus Remensis, & Henricus abbas sancti Remigii, & tota congregatio ejusdem loci excommunicaveramus comitem Hugonem pro injuriis quas faciebat in villis sancti Remigii, & etiam omnia castella ejus sub interdicto posueramus. Quoniam ergo idem comes longo tempore in excommunicatione jacuerat, ductus pœnitentia ad nos venit, & ut eum absolveremus in curia nostra ante nos & ante eumdem Henricum abbatem, præsentibus etiam clericis nostris & monachis S. Remigii, & optimatibus nostræ urbis Deo & beato Remigio nobis dimisit, & vuirpivit exactiones, quas tallias vulgo vocant, quas in villa sancti Remigii exercebat & omnia carropera & opera castellorum, & omnes alias injustas consuetudines. Affuit etiam ejusdem comitis filius Manasses huic commutationi, & ea ipse concessit, literæ etiam comiti sunt expositæ & eas laudavit. Præterea ne hæc conventio deinceps violetur, literis suis testimonialibus & sigilli nostri impressione clarorum etiam virorum testimoniis eam corroboravimus. Interfuere Manasses præpositus de monachis & de militibus Ernaldus, &c. Actum Remis anno Incarnati

A Verbi M. XCIV. indictione secunda, regnante Francorum rege Philippo, pontificante Rainaldo anno decimo. Godefridus cancellarius recognovit & subscripsit. Igitur idem comes Hugo discedens a nobis ad eumdem B. confessorem nudis pedibus una cum filio suo & hominibus suis profectus est, & ante sanctissimum B. Remigii corpus accedens, & utraque genua in terra figens, caput in venerandi confessoris* humiliter intromisit, & literam istam super sanctissimum corpus, conventionem hanc servaturus ipse manu sua imposuit.

* Sic apud Sammarth.

XXVIII.

Translatio corporis sanctæ Helenæ ab abbate Nochero scripta. Ex Sammarthanis.

B ANno Verbi M. XCV. indict. IV. anno XXXV. regis Francorum Philippi filii Henrici regis; XII anno Reginoldi Remensis archiepiscopi, acta est Remis consecratio solennis Philippi episcopi in Catalaunensi sede fratris Stephani comitis Palatini, ad quam canonice administrandam adfuerunt Remensis diœceseos suffraganei, scilicet Hugo Suessionensis, Girardus Morinorum, & Gervinus Ambianensis episcopus. Inter quos cum in præsentia archiepiscopi Reginoldi multa laude digna, ecclesiastica sanctione auctorisarentur, ego Nocherus humilis Altivillarensium abbas relationem feci, ut revelatio corporis sanctæ Helenæ digna translatione fieret, & C dubitantibus Francigenis certæ fidei testimonium appareret. Diu itaque, ut in tali negotio solet sacerdotali reverentia consultum est, & decretum apostolica auctoritate, ut in superventuro festo apostolorum Simonis & Judæ omnimodis transferretur. Verum quoniam pro negotiis regni statuendis octavo die occursuri erant glorioso regi Philippo cum aliis Galliarum coepiscopis, in vico Suessionicæ sedi subjecto, qui vocatur Mons sanctæ Mariæ, placuit ut tantæ rei consensus in conspectu regis & procerum ejus referretur, & edicto ipsius, sive omnium aulicorum & episcoporum qui venturi ibi erant, authentica confirmatione corroboraretur. Quod ita & factum est. Divina enim dispositione credimus contigisse, quod ibi totius Galliæ majores metropolitæ affuerunt, dominus noster Reginoldus Remensis, Rodul- D fus Turonensis, & Richarius Senonensis archiepiscopus, singuli cum aliquantis suæ diœceseos suffraganeis & abbatibus. Itaque auctoritatis edicto divulgaverunt, ut absque intermissionis excusatione, illud corpus sanctissimum gloriosæ Helenæ reginæ in supradicto festo apostolorum Simonis & Judæ deberet transferri. Interea pro statu ecclesiarum Galliæ reformando, dominus apostolicus urbe Roma advenerat: inter eundum autem aliquandiu commoratus, ut ecclesiasticam dignitatem, quæ ea tempestate satis miserabilis erat, recuperaret, legationem apostolicam per omnes Galliæ provincias direxit, ut omnes metropolitæ cum suffraganeis, singuli cum abbatibus & ceteris ecclesiæ ordinibus, rex cum totius regni viribus convenirent ad decretalem synodum in urbe E quæ dicitur Clarusmons, sita in pago Arvernensi. Huic tantæ auctoritatis edicto obstrictus Reginoldus archiepiscopus iterum alio urgetur negotio, scilicet ut regi Philippo occurrat Cabilonis in supradicto festo apostolorum; itaque vices suas delegat magni testimonii viro Hugoni Suessionensi episcopo & Philippo Catalaunensi episcopo, ut ipsi fungerentur officio suæ auctoritatis in hoc pio opere translationis. Igitur diu desiderata celebritas Apostolorum illuxit in die Dominica, &c. Convenerant archiepiscopi & Philippus Catalaunensis episcopus, inter hos etiam affuerunt magna normæ monachalis luminaria Burchardus abbas sancti Basoli, Petrus abbas Orbacensis, Rodulfus abbas sancti Theoderici, Lambertus

1095.

Lambertus abbas sancti Petri de Monte Catalaunensis, Philippus abbas Resbacensis; secularis vero potentiæ affuit Stephanus comes Palatinus & uxor ejus Adelais filia Guillelmi regis Anglorum, & filia Philippi regis Francorum Constantia, uxor comitis Trecassinensis Hugonis fratris ejusdem Stephani, & Dudo vicecomes Marogiensis, & aliæ innumerabiles personæ satis spectabiles, &c. Consulentes qua hora sanctissimam glebam oporteret transferri, inspiratione Dei omnipotentis omnes unanimi consensu aspirant, ut prius ab Hugone episcopo Dominicæ Resurrectionis mysterium celebraretur; & sic initiatis absoluta expletione divini officii digniore devotione meritum adcresceret, ad tam pium opus digne exequendum. Quod ut factum est piæ gravitatis fratres electi sunt, qui lipsanum tam gloriosæ glebæ ad locum usque translationis qui Monticola dicitur, evexerunt, &c.

XXIX.

Ex Marloto, hist. metrop. Rem tom. 2. pag. 214.

Urbani II papæ rescriptum, quo confirmat privilegia capituli Remensis.

1096. URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Remensis ecclesiæ canonicis, salutem & apostolicam benedictionem. Petitionem vestram quam per confratres & canonicos vestros Rodulfum præpositum, Richerum cantorem, Odalricum scholasticum, nostræ clementiæ suggessistis, nos paterna affectione suscepimus. Optamus enim & vos & vestra omnia tuta semper & quieta persistere, ut omnipotenti Deo valeatis liberius deservire. Omnes autem consuetudines vobis, seu prædecessoribus vestris per Remenses episcopos concessas, quia SS. canonibus minime adversantur, nos præsentis decreti pagina confirmamus, & tam vobis quam successoribus vestris integras illibatasque manere statuimus, ut & vestri claustri immunitas, & tantæ congregationis status, & ei servientium libertas nullorum deinceps æmulorum astutia vel violentia perturbetur. Data per manum Johannis diaconi cardinalis, XVIII. kalend. Maii, indictione IV. anno pontificatus domini papæ Urbani decimo.

XXX.

Ex eodem, ibidem.

Summa privilegiorum capituli Remensis, ab archiepiscopis olim jurandorum.

UT immunitatem mansionum nostrarum infra claustrum, & eas invicem dandi, vendendi seu commutandi liberam licentiam absque ullius personæ contradictione habeamus. Et si ibi, quod absit, aliquo casu criminale aliquod inciderit, vel etiam si seditio qualibet ex causa orta, aliquod delictum incurrerit, ut inde justitia in manu præpositi ceterorumque canonicorum absque ulla contradictione habeatur.

Ut in mansionibus nostris quas extra claustrum in civitate habemus, etiam in mansionibus nostris servientium nostrorum, seu in alodiis nostris, nulla redhibitio seu pensio inde exigatur, non vini, non annonæ mensura, non publica urbis placita, non alicujus rei inde exigatis obsequium.

Ut penitus nullum a nobis, nec a servientibus nostris bannum vel infracturam, seu pro excommunicatione pecuniæ exactionem ullo modo exigatis.

Ut servientes nostri, quos in commune seu privatim in domibus nostris habemus, etiamsi vestri capite censi fuerint, ab omni exactione, tamen præter capitalitium suum, liberi habeantur: eadem vobis de hominibus nostris servata conditione, si vestri fuerint servientes.

Et si aliquos de clero habuerimus in domibus nostris, quod genus decentissimum est servientium, præsertim in isto ordine, ut omnino nullam exactionem timeant, nisi forte vestra vel altaria tenuerint, vel alia beneficia.

Ut excommunicandi quoscunque hujus episcopii malefactores nostros, eos denique rursus absolvendi liberam habeamus potestatem.

Ut commonitus a nobis quos excommunicavimus, canonica tamen vocatione præmissa, nisi infra vocationem commissam correxerint, excommunicetis, eosdemque de commissis satisfacientes absolutos a nobis sine omni exactione absolvatis commonitus a nobis.

Quod si quempiam nostrum abesse synodo contigerit, nisi invitatus fuerit certe causa proclamationis vel negotii alicujus, ut nulla justitia inde ab eo exigatur.

Ut majori præposito sit libera facultas ex consilio canonicorum committendi præposituras & cuncta beneficia servientium, tam clericorum quam laïcorum, quæ ad nostram pertinent communitatem.

Ut altaria quæ in communi obtinemus absque personis in providentia præpositi habeantur, nec in ejus, seu in his quæ privatim possidemus, divinum interdicatur officium, nisi synodali & canonicorum consentiente decreto.

Ut in possessionibus & villis S. Mariæ, & nostris etiam, & in terris quæ nostræ ditionis sunt infra urbem & infra banni leugam, videlicet in Ausomno, in Tendente-cauda, in curcellis, in atriis & in terris sancti Martini in suburbio a porta Vidulæ usque ad duos pontes, cum tota insula quæ vulgo dicitur Morillis, necnon etiam in aliis villis & terris, sive hominibus ubicunque sint, nullam redhibitionem, nullam pensionem exigatis. Et si causa inciderit ibi agendi placita ex aliquo negotio, præpositus inde in eadem potestate causam audiat, atque justitiam faciat.

Si autem in tantum controversia prævaluerit ut res in judicio ad duellum traducatur, ut illud in civitate, si ita præpositus constituerit, in curia sanctæ Mariæ transigatur, absque eo quod vos nullum jus ibi, neque ministeriales vestri ullam potestatem habeant.

Quod si forte aliquis de hominibus nostris, quod absit, aliquem vestrorum hominum flagellaverit, vulneraverit, occiderit, vel aliud aliquid commiserit unde ministeriales vestri conquesti fuerint, ut præpositus & ministeriales nostri inde justitiam faciant infra potestatem, ad quam ipse pertineat, & non penitus a ministerialibus vestris intercipiatur, quem nostro jussu ad nos venire probare poterimus; sed nec ipse qui spontanea voluntate ad nos venerit, siquidem hoc probare potuerit, sed liberam veniendi & abeundi habeat potestatem.

Quod si ab hominibus sanctæ Mariæ ac nostris aliquos vobis ministeriales facere complacuerit, vel mediatores, ut non ab hoc amittamus in eis pensionem consuetudinum nostrarum, nisi tantum in his quos infra civitatem habueritis.

Ut ministeriales vestri nullatenus insequantur quem forte sua vel culpa vel crimine in claustrum confugisse compulerint, sive in mansiones nostras quas extra claustrum habemus.

Ut non statim cui libitum fuerit vobis absque scitu præpositi ceterorumque magistratuum stipem canonicam conferatis. Quod si forte in quempiam nostrum vel occasione vel justa querimonia super aliquo negotio contenderitis, & de eo referendum postulaveritis, ut inde justitia in capitulo in examinatione canonicorum habeatur vobis præsente si volueritis.

Ut postica quæ est ante porticum sancti Dionysii nostræ ditionis sit, ut eam cui voluerimus servientium nostrorum servandam committamus, ut portarum civitatis aditus intrandi & exeundi, bona nostra adducendi vel abducendi quocumque tempore immunis nobis pateat & servientibus nostris.

Ut in Cœna Domini beneficium quod a Gervasio archiepiscopo & prædecessoribus vestris accepimus nobis & vos conferatis absens æque ut præsens, quemadmodum in nostro capitulo sancitum fuit generali omnium decreto.

His igitur & ceteris consuetudinibus nostris, quas nos obtinuisse per multos annos vel per nos vel per ministeriales nostros comprobare poterimus, nobis talem obligationem a vobis fieri postulamus, unde libertatem & securitatem perpetuo obtineamus; quatenus inde Deo liberioribus animis servire studeamus, & vobis vestræ subjectionis debitum læti semper exsolvamus.

XXXI.

Ex tabulario Majoris-monasterii.

Charta Manassis II archiepiscopi Remensis.

1097. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti ✠. Ad notitiam universorum sanctæ matris ecclesiæ filiorum pertrahere studuimus, domnum Manassem venerabilem Remorum archiepiscopum altare de sancto Obotdo monachis Majoris-monasterii qui apud Roceium in ecclesia sancti Nicolai incessanter & devote deserviunt, tradidisse. Excussis autem manibus suis ab omni munere Dei servis altare hoc tribuit, & pro remedio animæ tam suæ quam prædecessorum successorumque suorum, & ut sancta Remensis ecclesia a Deo in perpetuum conservetur absque persona præsentialiter tenendum largitus est. Sane ut hæc largitio rata inconvulsaque in tempora perseveret, manu propria . . . . clarissimis . . . . . . testamentaliter adstipulare curavit. S. domni Manasse archiepiscopi. S. Rotgerii archidiaconi. S. Manasse archidiaconi. S. Rodulfi præpositi. S. Leuvini decani. S. Richerii cantoris. S. Fulchradi cancellarii, &c. &c. Actum Remis anno Incarnationis Dominicæ M. XCVII. indictione IV. regnante Philippo Francorum rege anno XXXIV. archiepiscopatus vero domni Manasse anno secundo. Fulcradus cancellarius scripsit & subscripsit.

XXXII.

Ex Sammarthanis.

Restitutio ecclesiæ Regitestensis in gratiam monasterii sancti Remigii Remensis.

1118. RODULFUS Dei gratia Remorum licet indignus sacerdos, omnibus qui se & dici, & se Remensis ecclesiæ gloriantur esse filios. Ab antiquitate temporum notissimum esse constat ecclesiam S. Mariæ quæ sita est extra muros castelli cui Registestis vocabulum, laïcorum cessisse dominio, & heredum successorum eorum violentæ subjectum fuisse ditioni: considerans autem prædicti castelli comes Hugo, qui omnia sibi usurpaverat, non modici fore periculi alienigenam ad sanctuarium Dei accedere, & hereditate illud possidere, animæ suæ consultum esse volens, quod male gesserat corrigere curavit. Interventu igitur Azenarii abbatis præsentiam nostram adiit, & se errasse pœnitens, jam dictam ecclesiam in manus nostras, hac religiosa pactione interposita, ut eam videlicet B. Remigio concederemus, præfatus comes abdicavit; voluit præterea ut tres præbendæ quas quibusdam clericis suis jam dederat, eis in eadem ecclesia habere permitterentur; decedentibus vero illis & aliis quibusdam, deputati sunt in arbitrio abbatis esse, aut monachos substituere, aut canonicos, ut adhuc sunt, ibi dimittere. His ita a nobis & abbate concessis, sæpefatam ecclesiam de manu comitis suscepimus, & hac testamentali charta cum omnibus ad eam pertinentibus beato Remigio perpetuo tenendam contulimus. Quam, ut temporum prolixitate donatio ista aboleri non possit, idoneis testibus & nostræ imaginis auctoritate roborari jussimus. Sig. Rodulfi archiepiscopi, S. Azenarii abbatis sancti Remigii, S. Odonis *postea abbatis S. Remigii*, S. Hugonis Altivillarensis, S. Josfridi sancti Theoderici, S. Hugonis sancti Basoli abbatis, S. Joranni sancti Nicasii abbatis, &c. De laïcis, Hugo comes, & ex parte ejus Haimo castellanus, Rainaldus de Burgo, Joannes de Altomonte, &c. Actum Remis anno Incarnati Verbi M. CXVIII. indictione XI. regnante Ludovico rege anno X. archiepiscopatus domini Rodulfi anno XII. Fulcardus cancellarius recognovit & subscripsit.

XXXIII.

Ex Sammarthanis.

Confirmatio privilegiorum ecclesiæ collegiatæ sancti Symphoriani Remensis.

RODULFUS licet indignus superna disponente clementia Remorum archiepiscopus, congregationi ecclesiæ sanctorum Apostolorum & sancti Symphoriani, tam his quorum tempora nostra præsentialis existentia attingit, quam his quorum posteritas subsequutura expectatur, in perpetuum piæ postulatio voluntatis effectu prosequente debet compleri. 1119. Quamobrem nos postulationem dilectionis vestræ benigne suscipientes, postulatum vobis accommodamus effectum: vestri itaque desiderii petitionibus annuentes, ecclesiam prænominatam, quæ episcopalis cathedræ dignitatem temporibus primorum novem Remensium pontificum habuisse dignoscitur, in qua ad Deo serviendum attitulati estis, præsentis privilegii auctoritate munimus. Universam enim ecclesiam vestram, & pertinentia vobis vestrisque successoribus perpetualiter tenenda confirmamus, videlicet mansum indominicatum de Wistereyo cum tota villa, cum vicecomitatu, banno, & omnibus aliis appenditiis ejusdem villæ; altare de Wistereyo cum tota ecclesia & cum capellis suis, quæ sunt apud Matreium, Buriniacum & Marconeicurtem; altare de Fraxina cum tota ecclesia & capellis suis, quæ fuerunt apud Bauseyum & Ausilerias; item altare de Beruco, altare sanctæ Genoveíæ cum capellis suis, quæ sunt apud Bisannas & *Lut;* item altare de Mearco cum capellis suis, quæ sunt apud Burgum & Corveyum; altare de Columnis, altare de Marcheneyo, altare de Frasneyo, altare de Maura, altare sancti Hilarii, domus vestræ, ac suburbia quæ sita sunt ante portam carceris, ab omni exactione & jure ministerialium nostrorum successorumque nostrorum, libera prorsus habeantur, sicut & hactenus habita sunt. Centum etiam jornalia terræ arabilis de dote altaris sancti Symphoriani, quæ jacent in territorio de Curte-monasterioli, cum censu & decima, & decimam terræ quæ similiter est de dote altaris quæ jacet in territorio de Nantolio, thesaurarius ecclesiæ vestræ ad facienda quæ necessaria erunt in eadem ecclesia perpetuo possideat. Si quis vero de quolibet vestrûm clamorem fecerit, nulli personæ licitum sit, vos extra capitulum vestrum in causam trahere, sed in capitulo vestro per decanum vel per abbatem vestrum justitiam exequamini canonicorum vestrorum judicio. Præterea quæcumque eadem ecclesia inpræsentiarum juste possidet, quæcumque etiam in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium legitime poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Ad hoc decernimus ut nulli omnino hominum liceat eamdem ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel oblata retinere, minuere vel temerariis exactionibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Ut autem hujus nostri privilegii pagina rata permaneat & inconvulsa, sigilli nostri impressione ac probabilium personarum testimoniis eam muniri ac roborari præcipimus. Signum Odonis abbatis beati Remigii, Hugonis abbatis

Altivillarensis, Haiderici abbatis Mosomensis, Josfridi abbatis sancti Theoderici, Odonis abbatis S. Petri Orbacensis, Joranni abbatis sancti Nicasii, Hugonis abbatis S. Basoli, Duranni abbatis de Maurimonte, Ursionis abbatis S. Dionysii; canonicorum Nicolai archidiaconi, Ebali præpositi, Josfridi decani, Lamberti cantoris, Gerardi, Elberti, Adæ, Odonis presbyterorum; Fulcrani, Ermonici, Fulchradi, Richardi diaconorum; Simonis, Gerardi, Thomæ, Rodulfi subdiaconorum. Actum Remis anno Incarnati Verbi M. CXIX. indict. XI. regnante Ludovico gloriosissimo rege Francorum anno XII. archiepiscopatus autem Rodulfi anno XIII. Fulcradus cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

XXXIV.

Ex tabulario Floriacensi.

Datur Floriacensibus monachis altare Sorbonæ.

1119. RODULFUS Dei gratia Remensis ecclesiæ licet indignus minister & servus, dilecto sibi in Christo Bosoni Floriacensis monasterii abbati venerabili ejusque successoribus in perpetuum. Nos quos propitia divinitas ecclesiæ suæ ministros ordinavit, ecclesiarum ac monasteriorum utilitatibus compellit suscepti regiminis cura debita sollicitudine providere, ac piis bonorum desideriis assensum præbere. Eapropter dilectionis vestræ justis petitionibus annuentes, altare *de Sorbonne* absque personarum successione monasterio vestro perpetuo tenendum concedimus. Ut autem hujus nostræ concessionis pagina rata permaneat ac inconvulsa, sigilli nostri impressione ac probabilium personarum testimoniis eam muniri ac roborari præcepimus. Signum Odonis beati Remigii Remensis abbatis. S. Hugonis Altivillarensis abbatis. S. Joffridi sancti Theoderici abbatis. Sig. Hugonis S. Basoli abbatis. S. Haiderici Mosomensis abbatis. Sig. Odonis Orbacensis abbatis. Sig. Joranni beati Nicasii abbatis. S. Duranni abbatis de Maurimonte. S. Nicolai archidiaconi. S. Ebali præpositi & aliorum. Actum Remis anno Incarnati Verbi M. CXIX. indictione XI. Hludovico rege Francorum anno XII. archiepiscopatus autem domni Rodulfi anno XIII. Fulcardus cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

XXXV.

Ex Marlot, tom. 2. pag. 867.

Charta fundationis monasterii Igniacensis.

1126. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Rainaldus ecclesiæ Remensis licet indignus minister, omnibus qui se sanctæ ecclesiæ filios esse cognoscunt bravium supernæ hereditatis. Quum primum ad regimen ecclesiæ Remensis dispositio divina nos evocaret, honestorum virorum cura nobis fuit consortium eligere & eorum contubernio delectari. Visum igitur fuit Spiritui sancto & nobis monachos de Clarisvallibus ascisci, & ut in parochia nostra illius ordinis abbatiam construeremus totis nisibus elaborare. Ad hoc siquidem faciendum libere contulimus eis totam terram *de Montaum* cum valle sua, & totam costam qua ascenditur versus Curvam-villam, & usque ad silvam quæ est versus Longam-villam cum ipsa silva, cum aqua & pratis, terris cultis & incultis. Contulimus etiam eis quidquid habebamus Igniaci cum circumjacentibus silvis, videlicet *Forest* & *Beleis;* quidquid etiam juris nostri erat in communi silva, & quidquid a Pontio de Arceio emimus. Hæc supradicta ob nostrorum recordationem peccatorum signis & probabilium personarum testimoniis absque ulla retentione eis contulimus. Signum totius capituli Remensis ecclesiæ, cujus sigillo hæc charta munita est. Signum Odonis abbatis sancti Remigii. Signum Joranni abbatis sancti Nicasii. S. Guillelmi abbatis sancti Theoderici. S. Ursionis abbatis S. Dionysii. Sig. etiam Sugerii abbatis sancti Dionysii Parisiensis. Sig. Nicolai archidiaconi. S. Hugonis archidiaconi. Sig. Joffridi decani. S. Leonis cantoris. Sig. Adæ, Sig. Alberti, S. Odonis presbyterorum. S. Bosonis, S. Gervasii, S. Drogonis diaconorum. Actum Remis anno Incarnati Verbi M. CXXVI. indictione V. regnante Ludovico Francorum rege anno XIX. archiepiscopatus autem domni Rainaldi anno III. Fulcradus cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

XXXVI.

Pactum inter Rainaldum II archiepisc. Remensem & Alberonem I episcopum Leodiensem, pro Bullionensi beneficio. Ex Marlot, tom. 2. pag. 294.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus præsentibus, & quorum futura posteritas expectatur hac præsenti pagina discat quid & quomodo de beneficio Remensis ecclesiæ quod ad castellum quod *Bullion* dicitur, pertinet, cum Alberone venerabili Leodiensium episcopo statuimus. 1127. Ego Rainaldus Remensis ecclesiæ licet indignus minister, beneficium quod Remensis ecclesiæ ab antiquo esse dignoscitur, quod etiam ad Bullionem pertinere nulli dubium est, Alberoni Leodiensium episcopo, & per eum successoribus suis conditione supposita contradidi. Si ob aliquorum infestationem Remensi ecclesiæ ingruerit necessitas, dominus Leodiensis episcopus equitatum trecentorum militum singulis annis mihi vel meo ducet cuilibet successori, si quadraginta dies ante præmonitus fuerit. Quod si taliter præmonitus habere se legale vel canonicum impedimentum monstraverit, de prædicta expeditione excusatus erit, ita tamen ut postquam fuerit expeditus, pactum exsolvat præfixum, eodem rursus termino revocatus. Hunc autem equitatum dominus Leodiensis suo conductu & propriis expensis ducet usque Mosomum, quò postquam pervenerit, Remensis ei cum suis omnibus, & in progressu, & in morando, & in revertendo usque ad Mosomum victus necessaria providebit. In quamcumque vero partem circa Remensem urbem & per decem leugas protrahere hanc militiam, vel habere secum ad obtinendam ecclesiæ utilitatem voluerit, per quindecim dies cum expensis eos retinebit, ita ut infra hunc terminum eos reducat usque Mosomum. Si vero eundo vel redeundo aliquid de suis amiserit, de his omnibus archiepiscopus nihil eis recompensabit; quidquid autem lucrati fuerint tam in equis quam in aliis rebus, præter captos milites sui juris erit. Si de prædicto beneficio violentia vel infestatio fuerit illata Leodiensi episcopo, Remensis ei consilio aderit & auxilio. Si quæ vero contradictio fuerit orta, vel proclamatio digna audiri, non alibi statuet diem audientiæ nisi Mosomi, juvabitque eum ad retinendum lege & sententia judiciali. Similiter ibidem & non alias alibi Remensi occurret Leodiensis episcopus, de neglectu hujus servitii, vel pacti prævaricatione tantum responsurus. Quia vero Leodiensis episcopus aliorum more casatorum hominum nobis facere non potuit hominium, octo de suis, quatuor videlicet de castellaniis de *Buillon*, Gualterum scilicet de *Buillon*, Ingonem de *Mirenvalt*, Manassem de *Herge*, Ingonem filium Lamberti, & quatuor de aliis casatis suis, Cingerum advocatum, Galterum castellanum de Hoio, Rainaldum de *Jupperi*, Lambertum de *Tiembeche*, a quibus hominium suscepimus, nobis produxit. Insuper hujus conventionis tenorem, & amicitiæ servandæ in manu nostra firmavit, quod etiam a successoribus suis Remensi archiepiscopo eodem modo observandum statuit, utrisque tandem episcopis Remensi scilicet & Leodiensi sublatis de medio, ab utriusque ecclesiæ successoribus pactum omne, ut prædiximus, observabitur perpetuo & irrefragabili jure. Item quod

Leodiensis episcopus veniens Mosomum firmata amicitia, renovata conventione, redditis hominiis baronum prænominatorum, si supervixerint, vel heredum sibi succedentium, a Remensi archiepiscopo gratis & absque ulla contradictione certum recipiat beneficium. Si vero quolibet accidente casu aliquando Leodiensis ecclesia prædicti castelli possessione caruerit, ita ut juste reclamare non possit, omnis præscripta conventio inter Remensem & Leodiensem episcopum cassa & annullata maneat. Quia ergo sicut scriptum est, *generatio præterit & generatio advenit*, & dictorum æque ac factorum nostrorum ætas interit, ne processu temporis deleri quod gestum est, aut ambiguitate mutari valeat, hanc nostram conventionem scripto mandavimus, probabilium personarum attestatione firmavimus, insuper additamento nostræ imaginis communiri jussimus. Sig. Odonis abbatis sancti Remigii. Sig. Joranni abbatis sancti Nicasii. Sig. Ursionis abbatis sancti Dionysii. Sig. Nicolai archidiaconi. S. Hugonis archidiaconi. Sig. Joffridi decani. S. Leonis cantoris, &c. De laïcis: Sig. Henrici de Castellione. S. Blihardi de Hercreio. S. Nicolai de Burgo. S. Radulfi de Radulfi-curte. S. Haimonis castellani de Alto-monte. S. Balduini dapiferi, &c. De Leodiensibus: Signum Alexandri archidiaconi. Sig. Dodonis archidiaconi. S. Arnulfi præpositi. Sig. Willelmi præpositi, &c. De laïcis: Signum Lamberti comitis, &c. Actum Remis anno Incarnationis Verbi M. CXXVII. indictione v. regnante Ludovico Francorum rege anno v. archiepiscopatus domini Rainaldi tertio. Fulchradus cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

XXXVII.

Ex Marloto, tom. 2. pag. 296.

Instituti in abbatia sancti Martini Sparnacensis canonici regulares.

1128. RAINALDUS miseratione divina Remorum archiepiscopus, notum facimus quod illustris comes Theobaldus divina inspiratione compunctus Sparnacensem ecclesiam ob remedium animæ suæ & prædecessorum suorum, Stephani videlicet patris sui, & avi sui comitis Theobaldi qui in eadem ecclesia sepultus est, in manu sua hujusmodi libertate donavit. Quum prædictus comes Theobaldus præfatam ecclesiam a primogenitoribus suis quasi hereditario jure sibi derelictam teneret, & abbatiam ipsius ecclesiæ Galeranno, domini Andreæ dapiferi sui filio, dedisset, incommutabili voluntate Dei, qui mutat omnia quando vult, eadem ecclesia ad meliorem statum mutata est. Præfatus namque Galerannus Spiritus sancti gratia divinitus inspiratus, & domni Bernardi Claræ-vallis prudenti consilio roboratus, jam dictum comitem adiit, sese seculo abrenunciaturum, & apud Claram-vallem monachum futurum enunciavit, petivitque ab eo quatenus ecclesiam Sparnacensem ad ordinem & regulam beati Augustini per manum dicti archiepiscopi permutari concederet. Cujus petitioni satis rationabili comes supradictus libenter annuens, Deo & præfato archiepiscopo ecclesiam supradictam liberam, & sub regula S. Augustini in perpetuum permansuram dimisit, &c. . . . Actum Remis anno Incarnati Verbi M. CXXVIII. &c. . . . .

XXXVIII.

Ex Sammarthanis.

Confirmatur fundatio monasterii Igniacensis.

1130. RAINALDUS divina dispensatione Remensis ecclesiæ humilis minister, dilectis in Christo filiis Roberto Igniacensis monasterii venerabili abbati, ejusque fratribus in eodem monasterio beatæ Mariæ monasticam vitam professis, eorumque successoribus in eadem observantia permansuris in perpetuum. Quia quæ ad religionis cultum pertinere dignoscuntur, æternam animabus salutem conferre credimus, quum primum ad regimen ecclesiæ Remensis dispositio divina nos evocaret, summa cura nobis fuit ac studium, honestorum ac religiosorum eligere consortium, & eorum contubernio delectari. Dignum igitur visum fuit Spiritui sancto & nobis, viros de monasterio Claræ-vallis adsciscí, & ut in parochia nostra vestri ordinis abbatia construeretur, eniti: ob hoc siquidem beatæ Mariæ matri misericordiæ quietum, & ab omni exactione liberum, quicquid Igniaci habebamus, contulimus cum circumjacentibus silvis, *Forest* videlicet & *Beleis* usque ad summitatem Montium, ubi divisio facta est; & metis, & fossato & viis. Ultra metas autem concessimus vobis quidquid vestro vestrorumque successorum usibus necessarium erit. Donavimus etiam eidem beatæ Mariæ & vobis liberam totam terram de Monte-Taonis, cum valle sua & aqua: in terra vero nostra ultra aquam concedimus vestris usibus necessaria, in silvis videlicet & pascuis, decimam quam dominus Henricus de Castellione apud Montem-Taonis tenebat, & quidquid ibidem habebat, guerpivit & reddidit, & uxor sua Ermengardis, & ipsorum filius Gualcherus; & nos illud totum beatæ Mariæ vobisque tradidimus. Præsentis itaque privilegii auctoritate tam vobis quam & successoribus vestris, quæ prædicta sunt firmamus, & ea quæ ab aliis fidelibus vobis jam collata & in posterum conferenda sunt. Ponzardus siquidem de Arceio & Albertus de Jarceio, annuente & plaudente filio suo, beatæ Mariæ & vobis donaverunt quidquid Igniaci proprium tenebant, in terris scilicet, pratis & pascuis; de silvis vero circumjacentibus tantum vobis dederunt, quantum sagitta ab arcu semel emitti potest: in reliquis autem silvarum suarum partibus, vobis & posteris vestris, quidquid vestro & illorum usui necesse fuerit. Pro terris vero quas rustici ab ipsis tenebant, Ponzardo pecuniam dedimus, & ipse alias terras agricolis illis reddidit. Guarinus autem Malus-privignus, de cujus feodo Ponzardus & Albertus terras illas tenebant, hoc totum concessit atque laudavit. Porro domnus Andreas de Baldimento & uxor ipsius Agnes, eorumque filii Guillelmus & Guido, monasterio vestro in eleemosynam contulerunt *Resson* quoddam mansionile de potestate Chehereii, & terram ei adjacentem a valle prati usque ad valliculas, cum fundo vallium, & latera usque ad summitatem Montium, ex utraque parte, sicut limitatum est. Hæc autem terra protenditur a via Chehereii & qua itur ad montem S. Martini, usque ad fines Villæ *Savoie*, & usque ad fines Montis-Taonis, & usque ad fines Avelereii: quidquid vero intra hos fines continetur, sive sit terra arabilis, sive prata, pascua vel aquæ, vobis in perpetuum collatum esse dignoscitur. Præterea omnia prata & alias terras quas idem Andreas circa Perreium habebat, quæ solent esse de potestate Avelereii, assentiente uxore sua & filiis, beatæ Mariæ & vobis libere donavit. Quamdam vero silvulam quæ erat de potestate Avelereii, ita vobis largitus est, quod nec ipse nec sua posteritas inde quicquam valeat dare, vendere, vel quoquomodo commutare; in omnibus etiam silvis suis vobis benigne concessit, ut inde absque omni contradictione habeatis, & successores vestri quidquid necessitas vestra, & ipsorum usibus suis expostulaverint. Domnus autem miles de Arceio & uxor sua Hildeburgis, & eorum filii Nicolaus, Ado & alii, beatæ Mariæ & vobis dederunt de terra Avelereii arabili, quæ est affinis & continua terræ de Monte-Taonis, quantum plene & abundanter sufficiat duabus carrucis omnibus anni partibus in quibus terræ arantur & excoluntur. Porro Egidius & Helias fratres filii Girardi præpositi de Castellione, beatæ Mariæ & vobis contulerunt terram illam quam apud Montem-Taonis habebant. Has profecto donationes super altare B. Mariæ offerri vidimus in die dedicationis

monasterii vestri, & approbavimus, easdemque hujus privilegii auctoritate corroboravimus, sub anathemate interdicentes ne qua persona secularis vel ecclesiastica, de prædictis donationibus vos vel successores vestros aliquando inquietare præsumat, &c. Signum Josleni Suessionensis episcopi. Sig. Ursionis Virdunensis electi. S. Bernardi venerabilis abbatis Claræ-vallis. S. Remensis ecclesiæ cujus sigillo hæc scriptura sigillata est. Signum Odonis abbatis S. Remigii. Sig. Ingelranni abbatis Altivillaris. Sig. Guillermi abbatis sancti Theoderici. S. Joranni abbatis sancti Nicasii. Sig. Gilberti abbatis sancti Dionysii. Sig. Fulconis Sparnacensis abbatis. Sig. Hugonis archidiaconi. Sig. Frederici præpositi. S. Leonis decani. S. Gervasii cantoris. Sig. Hugonis thesaurarii, &c. Actum Remis anno Incarnati Verbi M. CXXX. indictione VIII. regnante Ludovico Francorum rege gloriosissimo anno XXIV. archiepiscopatus autem Rainaldi II anno V. Drogo cancellarius scripsit & subscripsit.

XXXIX.

Ex chartul. ejusdem cœnobii. *Instrumentum fundationis monasterii Signiacensis.*

1135. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Quia ex officii nobis injuncti debito in ovilis Dominici cura laboravimus, licet omnibus in commune fidelibus, præcipue tamen illis providere debemus qui se totos Deo devoverunt, cui, ut liberius vacarent, servile seculi onus penitus abjecerunt. Ergo ut eorum necessitatibus concurramus, collata ipsis a fidelibus beneficia episcopalis officii auctoritate in quo gratia divina promoti conspicimur, roboramus. Notum ergo esse volumus tam posteris quam modernis, quod canonici beatæ Mariæ allodium quoddam quod Signeium appellatur, situm in Portuensi comitatu, cum silvis, pratis, molendino & terris adjacentibus ad construendam ibidem abbatiam monachis Igniacensibus libere & absolute possidendum dederunt, ut eorum bonis spiritualibus participarent, quibus sua communicarent carnalia. Gosfridus etiam de Ribodi-monte & Ansellus filius ejus, Henricus comes, Clarembaudus & Elisabeth uxor ejus, quicquid in territorio Signiacensi, & apud sanctum Petrum super *Veel, Libercei,* Membiis, Drezia & Harlivilla tenebant in campis, in silvis, in pratis & aquis cum appendentibus ad eadem loca mansionalibus libere, sicut hactenus juris ipsorum fuerat, dederunt fratribus in eleemosynam; addentes insuper ad cumulandam ipsius eleemosynæ gratiam, ut quidquid ipsi fratres intra prædictorum locorum terminos vel caperent vel invenirent, libere & absque calumnia ipsorum foret. Ad dilatandam quoque ipsam domum & possessionibus & hominibus concesserunt, ut si quas in toto comitatu ipsorum terras quæ de ipsis tenerentur, ab hiis qui eas tenebant possent acquirere, sine aliqua ipsorum contradictione id facerent; qui vero de hominibus suis ibidem converti vellent, nihilominus & ipsi & res ipsorum liberæ essent. Statuerunt etiam eisdem fratribus de omnibus quæ ipsorum essent, liberum per totam terram suam commeatum, salvum quoque ubicunque possent conductum, omnesque aisantias totius terræ suæ, verbi gratia in aquis, in viis, in silvis, in campis & in pascuis non tantum camporum, sed etiam silvarum, ut glandium & ceterorum similium, & ut in tota terra sua sine omni teloneo & vendere possint & emere, eos quoque qui in servitio ipsorum morarentur, salvos & tutos esse: quæ omnia præfatus Clarembaldus prædictis fratribus concessit etiam in suo proprio, scilicet in tota dominatione de Roseto. Hugo vero comes Novi-castri dedit eisdem fratribus in eleemosynam omnibus quæ ipsorum essent liberum & sine omni pedagio commeatum per totam terram suam. Alexander de Duno & soror ejus cum uxore

A sua & filiis alodium quod apud Signiacum habebant sub pretio decem solidorum concesserunt. Gillebertus de Calvo-monte terram quam ibi habebat quindecim solidis vendidit. Odardus de Ervileio & filii ejus terram quam ibi habebant quadraginta solidis vendiderunt. Galterus filius Gerardi cum matre sua & Oddina de *Tin* cum filiis suis, filii quoque Kaheri & participes eorum alodia quæ ibi habebant ob remedium animarum suarum prædicto loco tradiderunt. Hellinus de Alneto quicquid habebat apud Alnetum & tenebat apud Signiacum & apud sanctum Petrum super *Veel*, & quicquid ibidem de fratre suo expectabat, decem librarum pretio vendidit. Radulfus *Charrette* de Harduini silva quicquid in territorio de Liberceio habebat, & casam altaris sancti
B Petri super *Veel*, & quicquid in Rohevalle tenebat præfatis fratribus attribuit. Canonici de Calvo-monte decimam sancti Petri super *Veel* & sancti Medardi de Liberceio eisdem tradiderunt. Simon de Turno & filii ejus totum quod habebant apud Liberceium quatuor libris vendiderunt. Sigardus de Alto-monte & fratres ejus alodium quod ibidem habebant Deo obtulerunt. Abbas sancti Nicasii Ollonum pratum quod ibidem habebat, assensu Nicolai de Ruminiaco & fratrum suorum prædictis monachis concessit. Radulfus de Preia terram quam ibidem habebat XXXV. solidis vendidit. Hellinus de Berti-curte & participes ejus Galterus & Benzo frater ejus, Girardus quoque avunculus eorum alodia quæ habebant apud sanctum Petrum super *Veel*, prædictis fratribus tra-
C diderunt. Gillebertus de Castello & Rainaldus frater ejus quidquid apud Baldriseium tenebant, eisdem contulerunt, Gillebertus de Falvo-monte cum filiis & participibus suis, Ponsardus quoque Leprosus cum filiis & participibus suis, Rogerus de Berlesayo & mater ejus, Albertus de S. Lamberto & frater ejus, Girardus & Ernoldus alodia quæ apud Carnetum tenebant, ob remedium animarum suarum præfatis fratribus tradiderunt. Pontius de *Leschires* terram quam apud Liberceium habebat pro modio frumenti ad mensuram de Albeniaco singulis annis solvendo, fratribus ad trecensum dedit. Radulfus de Turno quicquid in eodem alodio habebat eisdem concessit. Odo de Guiseio & filii ejus Rainaldus de *Waci* & & Hugo Walechiis de *Taili* quidquid apud Dreziam
D possidebant, prædictis fratribus tradiderunt. Fratres vero domus Coxiacensis quorum est altare de Erwiseio ad quod pertinet Drezia, tam labores quam nutrimenta prædictorum fratrum infra terminos ejusdem altaris libera esse concesserunt; idipsum etiam concessit in eleemosynam Rogerus *Salmuns* cum uxore sua & filiis quorum erat casa ejusdem altaris. Ut autem hujus decreti pagina rata & inconcussa in posterum permaneat, tum imaginis nostræ impressione, tum etiam probabilium personarum adnotatione eam roborari censuimus: caventes omnino ne cujusquam de cetero aut inquietetur aut violetur malitia, quod quorumdam religiosa collatione, nostro vero partum est multo & labore & precibus; & ut si quis in res servorum Christi quicquam ausus fuerit, æterno sciat se anathemate obligari. Sign. Odonis
E abbatis sancti Remigii. Sig. Ingubranni abbatis sancti Petri Altivillarensis. S. Richardi abbatis Mozomensis. Sig. Guillelmi abbatis sancti Theoderici. S. Albrici abbatis sancti Basoli. S. Joranni abbatis sancti Nicasii. Signum Huberti abbatis Igniacensis. Sign. Ursionis abbatis sancti Dionysii. Sig. Fulconis abbatis Sparnacensis. Sig. Lucæ abbatis Coxiacensis. Sig. Albrici, Sig. Hugonis archidiaconorum. Sig. Frederici præpositi. Sign. Leonis decani. Sign. Gervasii cantoris. Sig. Henrici, Sig. Gregorii, Sig. Rogeri presbyteri. Sig. Bosonis, Raineri, Amalrici, Bernardi diaconorum. S. Sigardi, Amalrici, Guillelmi subdiaconorum. De laïcis interfuerunt Henricus comes, Clarembaldus de Roseto, Nicolaus de Ruminiaco, Guillelmus

de Monte-cornuto, Rodulfus *Charrette* de Harduini silva, Rigaudus & Guido filius ejus de Autu. . . . Actum Remis anno Incarnati Verbi M. CXXXV. indictione tertia, regnante Ludovico Francorum rege anno XXVII. archiepiscopatus autem domni Rainaldi anno XI. Drogo cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

X L.

Ex Sammarthanis.

Fundatio Cartusiæ Montis-Dei.

1137. UNiversorum Domino famulantibus, &c. Memoriæ tam præsentium quam futurorum fixum esse volumus, quod ego Odo humilis minister ecclesiæ beati Remigii, totumque capitulum ejusdem monasterii communicatum mecum labore, prompta voluntate & pia devotione benignum præbentes assensum, cœnobium in quo usus & sacras consuetudines Cartusiensium honesti moribus fratres teneant & custodiant in fundo ecclesiæ nostræ, videlicet in loco qui Mons-Dei nuncupatur (nam antiquitus vocabatur Mons-Bosonis) in honorem beatæ Mariæ virginis & sancti Johannis Baptistæ construximus. Hoc autem totum factum est consilio dom. Hugonis felicis memoriæ Gratianopolitani episcopi, necnon assensu reverendi Guigonis Cartusiensium pauperum prioris, qui & primos sacræ hujus institutionis magistros ad nos misit, & locus ille ut Mons-Dei vocaretur, præcepit & statuit. Venerabilis etiam Rainaldus secundus Remorum archiepiscopus, in hoc opere strenuus cooperator extitit, & ejus voluntate & consilio evocatio Cartusiensium fratrum facta est & constitutio loci. In hoc siquidem monte fratribus ibidem in ordine Cartusiensi Deo militantibus & secundum sacras hujus ordinis institutiones a sanctis eorum prædecessoribus datas, degentibus, prædictum cœnobium & quicquid ecclesia nostra in procinctu ejusdem cœnobii infra scriptos terminos possidebat, communi consensu, totius capituli nostri assensu gratanter, & ab omni censu & exactione liberum dedimus. Concessimus etiam ut terras quas rustici intra eosdem terminos possidebant, si dono vel pretio prædicti fratres acquirere potuerint, libere & absque ullo censu in perpetuum habeant: similiter de omnibus quæ ibi Richardus Mosomensis abbas cum suis fratribus, & domnus Ursio sancti Dionysii abbas, & ejus congregatio habebant liberam donationem & ab omni querela absolutam prompta devotione obtulerunt & dederunt. Willelmus etiam de Setona & Nicolaus de Burgo, & Guido de Altreio quicquid ibi tenebant, & quod usibus pauperum Christi utile & necessarium visum est, pro remedio animarum suarum jam dictis fratribus simili modo, pari libertate dederunt. Hi sunt termini quibus prædicta loca limitantur. Ab orientali plaga versus meridiem; ab Asia usque ad rivulum qui defluit in Armosias; ab Armosiis usque ad viam regiam; a via regia sicut tendit in *Forest;* de *Forest* per verticem montis *Rouel* sicut vergit in *Chermel;* de *Chermel* sicut vergit ad *Bonton* rivulum; a *Bonton* sicut defluit usque in Barrum fluvium; item ab Asia usque ad septentrionalem plagam usque ad rivulum qui dicitur Altrepa, sicut defluit in Barrum. Ut autem hæc munificentia nostra in perpetuum vires obtineat, & inconcussa illibataque in omne conservetur tempus & permaneat, auctoritate privilegii domini Innocentii papæ II muniri fecimus; sed & nos sigilli beati Remigii impressione, & honorabilium attestatione personarum ac testium roboramus & confirmamus; & quicunque hanc infringere tentaverit, eum anathematis sententia percutimus. Signum Gaufredi Catalaunensis episcopi. Sig. Alvisi Atrebatensis episcopi. Sig. Odonis abbatis S. Remigii. Sig. Ingelramni Altivillarensis. Sig. Richardi Mosomensis. Sig. Helini sancti Theoderici. Sig. Joranni sancti Nicasii. Sig. Alberici sancti Basoli. Sig. Ursionis sancti Dionysii. Sig. Fulconis Sparnacensis. Signum Willelmi abbatis de Mauri-monte. Sig. Alberici & Hugonis archidiaconorum. Sig. Leonis decani, Gervasii cantoris, Henrici, Gregorii, Rogeri presbyterorum. Sig. Bosonis, Raineri, Bernardi diaconorum. Testes Jossellinus tunc prior, Hugo subprior, Rainaldus præpositus, &c. Testes etiam hujus decreti & institutionis sunt de clericis Drogo decanus S. Timothei, Letardus, Thomas, Constantius. Actum Remis anno Incarnati Verbi M. CXXXVII. indict. XV. regnante Ludovico Francorum rege, archiepiscopatus autem Reginaldi anno XII. ordinationis vero nostræ anno octavo decimo.

X L I.

Ex Sammarthanis.

Sanson archiepisc. Remensis confirmat fundationem Cartusiæ Montis-Dei.

EGO Sanson divina miseratione Remorum archiepiscopus, dilectis in Christo fratribus in monasterio sanctæ Mariæ & sancti Johannis Baptistæ Montis-Dei Christo famulantibus, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. 1142. Pastoralis curæ sollicitudo nos admonet servorum Dei utilitatibus, in quantum valemus, providere, maximeque eorum qui a ceterorum hominum conversatione tam loco quam moribus & habitu longe se facere student, ut Deo liberius vacare, & quam suavis est gustare valeant & quieti operam dare. Idcirco summopere curandum nobis est, ut ea quæ usibus ipsorum a fidelibus collata sunt, quiete & sine molestia valeant possidere. Expropter, dilecti in Deo filii, beatæ Dei genitricis monasterium in quo divino vacatis servitio a domno Odone ecclesiæ beati Remigii abbate constructum, ut ordo monasticus secundum normam & institutionem fratrum Cartusiensium irrefragabiliter ibidem observetur, vobis vestrisque successoribus perpetuo possidendum præsentis decreti pagina confirmamus. Quidquid etiam in terris, silvis, aquis, pascuis, a præfato Odone, Ursione sancti Dionysii, Richardo Mosomensi abbatibus, Nicolao de Burgo, Guillelmo de Setona, Guidone de Alteio militibus, vobis traditum est, gratanter annuimus, laudamus & approbamus. Decernimus etiam quod quæcumque bona oblatione fidelium, concessione pontificum, largitione principum, usibus vestris profutura vobis collata fuerint, firma & illibata vobis vestrisque successoribus in perpetuum permaneant, &c. Actum Remis anno Incarn. Verbi M. CXLII. indictione V. regnante Ludovico Francorum rege anno VII. archiepiscopatus autem Sansonis anno sexto. Signum Sansonis archiepiscopi Remensis, Josleni Suessionensis episc. Bartholomæi Laudunensis episcopi, Simonis Noviomensis, Guarini Ambianensis, Alvisi Atrebatensis episcopi. Signum Odonis abbatis sancti Remigii, Richardi Mosomensis, Ingelramni Altivillarensis, Helluini sancti Theoderici, abb. Nicolai sancti Nicasii, Alberici sancti Basoli, Ursionis sancti Dionysii, Theoderici sancti Martini Sparnacensis, Guilielmi & Hugonis archidiaconorum. Leonis decani, Gervasii cantoris.

X L I I.

Ex autographo.

Charta fundationis monasterii Caherii.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod nos fratres sanctæ Mariæ Remensis ecclesiæ 1147. divino instinctu potestatem de Caherio, quam antiquo tenore possederamus, omnino liberam & ex integro possidendam, in terris cultis & incultis, in silvis, in pratis, in pascuis, in aquis & universis ad eamdem potestatem pertinentibus, præter homines capitalitios domno Guntero abbati de Chaladia, & fratribus ibidem sub regula beati Benedicti Deo servientibus, devota fide, & unanimi omnium nostrûm voluntate, in pleno capitulo ad abbatiam sui ordinis

ibi construendam concessimus: ita quidem quod singulis annis in secunda Dominica Adventus Domini quadraginta solidos Remensis monetæ fratres in eadem abbatia commanentes nobis in hac urbe censualiter persolvent, & idem plane suffragium singulis fratribus nostris defunctis misericorditer impendent, quod suis decedentibus impendere solent. Quod si aliquo eventu prædictus ille locus a fratribus hujus ordinis derelictus fuerit, tota ex integro ejusdem loci potestas ad jus nostrum, & ad antiquum tenorem libere revertatur. Ut autem hæc concessio nostra firma in posterum & inconvulsa permaneat, sub chirographo & fratrum nostrorum testimonio, sigilli nostri auctoritate firmare curavimus. Testes sunt Boso archidiaconus, Bartholomæus archidiaconus, Drogo præpositus, Leo decanus, Gregorius cantor, Henricus, Petrus, Rogerus, Haimo presbyteri. Simon Raginerus, Amalricus, Hugo, Joffridus diaconi. Vischardus, Rogerus, Guido, Fulco, Boso subdiaconi. Actum Remis anno Incarnati Verbi M. CXLVII. indictione VIII. regnante Ludovico Francorum rege anno XI. archiepiscopatus autem domni Sansonis anno VII.

XLIII.

Ex tabulario ejusdem monasterii. 1148.

Fundatio abbatiæ Vallis-regis.

EGO Hugo comes de Roceio sciens quidem me in multis graviter offendisse, sed nihilominus sciens peccata eleemosynis redimi posse, pro redemtione animæ meæ scilicet & uxoris meæ Richentiæ comitissæ, parentum quoque ac liberorum nostrorum, assensu ejusdem uxoris meæ ac filii nostri Wiscardi, sed & aliorum tam filiorum quam filiarum, dedi Deo & beatæ Mariæ Igniacensis ecclesiæ, quicquid in territorio Silvinii habere videbamur, id est medietatem totius territorii, tam in terra arabili quam in pratis & nemoribus, seu frugum decimationibus, ad hoc scilicet ut a monachis Igniacensibus abbatia sui ordinis inibi construatur, in qua pro salute nostra temporali & æterna Deo perpetua religione serviatur. In alia quoque medietate quam Odo & Reinerus fratres in feodo de me tenere videbantur, abbatiæ ipsius loci id juris concessimus, ut si quando feodum illud in manum nostram vel successorum nostrorum redire contigerit, sine ulla retractatione aut diminutione ecclesiæ, quæ Deo cooperante & nobis ibi ædificabitur, totum coadunetur. Quandiu vero prænominati fratres vel eorum heredes legitime illud tenuerint feodum, nobis quidem debitum reddent servitium; sed nihil de feodo licebit eis vendere, vel donare aut commutare, nisi eidem ecclesiæ. Sane quoniam tempore hujus donationis terra ipsa a nobis invadiata erat, & ecclesia Igniacensis redemit eam CXX libris Pruvinensis monetæ; ne quid tamen deesse videretur ad plenitudinem eleemosynæ nostræ, ob hoc ipsum concessimus eidem Igniacensi ecclesiæ quidquid redituum aut commodorum in villa sancti Quintini videbamur habere, donec videlicet valens CXX libras inde cognoscatur recepisse. Ut igitur donatio nostra tam præsentibus nota sit quam posteris, & tam apud nos quam apud successores nostros rata & inviolabilis jure & sanctitate vigeat perenni, voluimus eam per præsentem paginam memoriæ mandari, & sigilli nostri impressione muniri, testium quoque subscriptione roborari. Signum domni Bartholomæi Laudunensis episcopi. S. Roberti capellani. Sig. domni Petri abbatis, & domni Petri monachi de Valle-clara. Sign. Nicolai de *Curlandon*. Signum Gervasii de Roceio. Sig. Gerardi. Sign. Ebali. Item Sig. domni Sansonis Remensis archiepiscopi. Sign. Bosonis archidiaconi. Sign. Galcherii de Basochis. Sig. Stephani de Novo-castello. Sig. Stephani de *Echri*. Sig. Radulfi de Turno.

XLIV.

Ex tabulario ejusdem monasterii. 1153.

Confirmatur fundatio monasterii Boni-fontis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. Pias fidelium oblationes jugi firmaque memoria expedit retineri; & ne quo calumniatorum labefactentur incursu, pastorali solicitudine provideri. Propterea, dilecte mi fili Bernarde, abbas monasterii Signiacensis, quæ Nicolaus de Rumigniaco approbante filio suo Godefrido, quem de prima uxore suscepit, & uxore ejus Aelide, cum filiis suis Balduino archidiacono & Nicolao, villam quam Seri-fontes vocabant, cujus nomen in Bonum-fontem mutatum est, tibi cœnobioque tuo ad abbatiam loco ejusdem villæ construendam libere, sicut eatenus ipse tenuerat, tradiderunt possidendam, approbamus atque sancimus; & ne quilibet mortalium infirmare hoc aut evertere conetur, auctoritate metropolitana interdicimus. Hanc autem possessionem ne insufficiens esset, si prædictæ villæ terminis concluderetur, ampliaverunt eam qui prænominati sunt usque ad hos terminos: scilicet a campo Balduini secundum quod possessio ipsa conjungitur territorio mansionali, quod est Simonis de Tremuleto, usque ad Baii rivum; & ab ipso rivo usque ad territorium Hanapiæ; & usque ad territorium Monaldi de Boleto; & usque ad territorium altariorum; & usque ad territorium Baii. Sed & ipsam possessionem sicut eam liberam tenebant, ita in manus nostras reddiderunt cum omnibus aisantiis terræ suæ, hoc superaddito ut de venatione tantum capere possint vel retinere liceat fratribus quantum usus infirmorum exegerit. Rainaldus tamen de Roseto infra prædictos terminos vallem Adalelmi, & pratum quod eidem villæ contiguum est, aliaque quædam infra vallem & pratum, sua esse dicebat; sed eadem ipsi monasterio construendo sponte concessit, & cessit etiam fratribus ibidem futuris omnes aisantias terræ suæ in omni territorio castri Roseti donavit. Præterea cautum est, ut si animalia fratrum aliquid damni in culturis vel in pratis probarentur fecisse, prædicti fratres simpliciter damnum quod fecissent, recompensarent, remota omni emendatione. Concesserunt etiam prædicti domini, ut fratres monasterii construendi habitatores in stagno suo, quod est ante Rumigniacum, molendinum ædificare possent, ita tamen ne in eodem molendino alii præter ipsos molerent, & ut in ipso stagno, si necessitas infirmorum exigeret, piscari potuissent. Simon quoque de Tremuleto omnes aisantias terræ de mansionibus eidem abbatiæ contulit. Sciendum nihilominus quod ecclesia Signiacensis territorium quoddam quod vocant *Cuyir*, cujus medietas ab Herberto de *Janin*, altera a ..... de Petri-ponte & filiis suis ipsi collata fuerat, libere contradidit; similiter & Walapiam, quam ab Odone de Harbeniis, & Merulæ fontem quam a Godescaldo de Roseto sub trecensu accepit; ita tamen ut aisantiæ silvarum ad utrumque locum pertinentium, sicut hactenus, ita & in reliquum ei firme & illibatæ permaneant. Ne quis ergo convellere & infirmare & super hiis fratres Deo militantes vexare præsumat, præsentem paginam sigilli nostri impressione communimus, & testes idoneos adhiberi annuimus. Boso Catalaunensis ecclesiæ electus. Hugo abbas sancti Remigii. Aldricus abbas S. Theoderici. Odo abbas sancti Dionysii. Bartholomæus archidiaconus. Drogo præpositus. Leo decanus. Gregorius cantor. Henricus & Rogerus presbyteri. Boso, & Haidericus & Betoldus diaconi. Wido & Hilduinus subdiaconi. Præterea domini Nicolai de Rumigniaco. Robardus decanus de Prea. Herbrandus presbyter. Renso præpositus. Robertus miles. Johannes Pincerna; & Aszo de *Estrebais*. Item domini Simonis: Robardus decanus. Herbrandus presbyter. Gossuinus de Petri-ponte.

Guiardus & Theobaldus milites. Actum Remis anno Incarnati Verbi M. CLIII. indictione prima, regnante Ludovico rege Francorum anno XXIII. archiepiscopatus autem domni Santonis anno XIV. Robertus cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

XLV.

Ex tabulario ecclesiæ Rem.

Alexander III pacem ecclesiæ archiepiscopo Remensi & suffraganeis ejus abbatibusque significat.

1159. ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Willelmo Remensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, & suffraganeis ejus, & dilectis filiis abbatibus in Remensi provincia constitutis, salutem & apostolicam benedictionem. Cum per auxilium, potentiam & favorem carissimi in Christo filii nostri illustris Francorum regis, & regni sui sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ ac nobis recognoscamus gloriosa & magnifica beneficia provenisse, dignum est & consentaneum rationi, ut illi & vobis, quorum auxiliis potenter sumus in necessitatibus nostris adjuti, prosperos & felices pacis successus significemus, indubitata veritate tenentes, quod post Deum idem rex simul cum regno suo cooperatus est honori & exaltationi ecclesiæ, & ei magnum contulit incrementum. Quod quidem sicut verbo recognoscimus, ita opere & sermone, omni tempore, auctore Domino recognoscemus. Notum sit autem solicitudini vestræ quod carissimus in Christo filius noster Fredericus illustris Romanorum imperator, per inspirationem divinæ gratiæ, deposito vanitatis errore, ad viam veritatis conversus, ad obedientiam ecclesiæ & nostram reverenter & devote, sicut decuit, rediit, & illam beato Petro in nobis reverentiam & devotionem exhibuit, quam antecessores ejus nostris consueverunt antecessoribus exhibere, & se de cetero exhibiturum promisit. Super quo & digne laudes Altissimo agimus, & consequenter regi & regno gratias copiosas referimus, de eo quod ecclesiam & nos ipsos in tribulationibus & persecutionibus nostris nequaquam deseruit, sed usque in finem magnifice juvit atque defendit. Monemus itaque dilectionem vestram & hortamur attentius, quatinus ecclesiæ & nobis in prosperitatibus congaudentes, in devotione B. Petri & nostra firmiter sicut hactenus perstitistis, perseveretis, & regem ut in eodem cum regno suo persistat monere propensius, & inducere studeatis. Data Venetiæ in Rivoalto, sexto calend. Augusti.

XLVI.

Ex tabulario monast. Ursi-campi.

Charta Henrici I archiepiscopi Remensis.

1163. HENRICUS Remorum archiepiscopus. Notum . . . . . quod Bartholomæus *de Villers* concessione Johannis filii sui dedit ecclesiæ Ursi-campi pro quindecim libris, omnes consuetudines quas sui juris esse asserebat in nemore & omnibus terris totius territorii de *Magniviller*, &c. . . . . Acta fuerunt hæc, me adhuc Belvacensi urbi pontificante; sed postquam in Remensi archiepiscopatu promotus sum, volui sigillo archiepiscopatus nostri sigillare, eodem promotionis nostræ anno M. CLXIII.

XLVII.

Ex autograp. in archivis archiepiscopatus asservato.

Henricus Remensis archiepiscopus ob liberatam a se patriam prædonibus, a Petro sancti Remigii abbate donatur omnibus possessionibus quas apud Septem-salices & apud Marmoriacum possidebat.

1172. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. Quemadmodum in compage humani corporis membra sibi invicem adhærent & se ad invicem complectuntur; ita ut quædam præeminentia aliis provideant, alia inferius ordinata præeminentibus obsequantur: ita & in statu sanctæ ecclesiæ quidam præficiuntur, ut subjectorum vitam & actus disponant, alii qui reguntur rectoribus suis mutua benignitate & concordi devotione respondeant. Ego igitur Petrus Dei permissione B. Remigii Remensis abbas dispositum habens pro loco & tempore omnium mihi commissorum, & specialiter monasterii cui Deo auctore deservio, pastorali solicitudine utilitati providere, concessi & donavi assentiente & mecum donante capitulo meo, quidquid ecclesia nostra habebat in villa quæ dicitur Septem-salices, & in altera villa quæ dicitur Marmoriacum, venerabili domino Henrico Remorum archiepiscopo. Similiter & canonici nostri de S. Timotheo communi assensu donaverunt & per manum nostram ei resignaverunt quicquid in præscriptis villis habebant, perpetuo possidendum tam ab eodem archiepiscopo quam ab illis quibus illud donare voluerit: ita ut de omnibus quæ ibidem habebamus, vel habere debebamus, nihil prorsus in donatione illa exciperemus, præter homines nostros de suo ipsorum corpore. Hanc autem donationem eo respectu & eo emolumento libere & spontanee ei fecimus, quia cum quidam devastatores totius regionis illius in vicinia illa morarentur latrocinia exercentes, villas ecclesiarum supra modum gravantes, homicidia perpetrantes, itinerantes per viam publicam quæ ducit a Remensi civitate ad Catalaunum, indifferenter spoliantes, non deferentes ordini neque personæ, eos propulsavit in manu forti & brachio extento, munitionem de Sampegniaco penitus ad solum prosternens per quam tanta maleficia exercebantur, & aliam novam munitionem sibi ædificans in prætaxata villa de Septem-salicibus ad perturbationem inimicorum ecclesiæ Dei, ad salvationem totius patriæ, denique ecclesiæ nostræ & aliarum ecclesiarum tuitionem & pacem. Huic vero prælatæ donationi nostræ, & capituli nostri & canonicorum sancti Timothei, interfuerunt Fulco Remensis ecclesiæ decanus, Johannes cancellarius, Rainoldus cantor Compendii, Johannes succentor Belvacensis, Philippus canonicus sancti Symphoriani, Hugo de *Silleri*, Everhardus senescalcus. Ut autem donum istud ratum & inconvulsum permaneat, literarum apicibus fecimus annotari, & sigillis tam nostro quam capituli nostri roborari, cum subscriptione personarum ecclesiæ nostræ. Johannes prior, Baldovinus cantor, Boomundus, Theobaldus, Odo, Johannes, Girardus. Actum anno Incarnati Verbi M. CLXXII.

XLVIII.

Bulla Alexandri III de inunctione regum Francorum.

Ex Marlot. hist. Remen. tom. 2. pag. 411

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Willelmo Remensi archiepisc. 1179.
tituli S. Sabinæ cardinali, apostolicæ sedis legato, ejusque successoribus canonice substituendis. Quum sis per Dei gratiam nobilitate generis, honestate morum, & scientia literarum præditus, &c. auctoritate apostolica statuimus, ut nemini nisi Remensi archiepiscopo liceat regem Francorum inungere, vel ei primam coronam imponere, sicut antiqua consuetudine fuerat obtentum. . . . Pallium quoque, videlicet plenitudinem pontificalis officii, tuæ fraternitati apostolicæ sedis liberalitate largimur, &c. Datum Laterani anno pontificatus vigesimo.

XLIX.

Scabini Remorum restituti.

Ex Marlot. hist. metrop. Rem. tom. 2. pag. 417.

WILLELMUS Dei gratia Remorum archiepisc. sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Sabinæ 1182.
cardinalis, apostolicæ sedis legatus, dilectis filiis & fidelibus

fidelibus suis universis hominibus Remensibus in banno archiepiscopi constitutis, in Domino salutem. Sicut principes terrarum in observando jure & libertate subditorum dilectionem Dei & proximi valeant acquirere, ita in violandis vel immutandis consuetudinibus diutius obtentis indignationem Altissimi possint incurrere, & favorem populi amittere, & animabus etiam suis onus perpetuum imponere. Nos siquidem hac inducti ratione, & considerantes obsequium & devotionem quam vos, dilecti filii & fideles burgenses nostri, nobis libenter hactenus impendistis, consuetudines vobis ab antiquis retro temporibus collatas, sed mutatione dominorum aliquando minus servatas, auctoritatis nostræ munimine vobis & posteris vestris duximus restituendas & perpetuo confirmandas. Volumus igitur quod scabini civitati B restituantur qui communi assensu omnium vestrûm de bannalibus nostris duodecim electi nobis præsentabuntur, & singulis annis in capite jejunii renovabuntur, & jurabunt quod vos justo judicabunt judicio, & quantum ad ipsos pertinuerit, jus nostrum fideliter servabunt; & si quis forte communiter electus scabinus esse noluerit, nos illum faciemus stare scabinum, si tamen vires corporis sufficientes habuerit. Verumtamen si vos in eligendis scabinis concordes non fueritis, nos, prout civitati nostræ & nobis expedire noverimus, scabinos instituemus. Si vero iidem scabini, vel duo vel plures illorum, aliquod judicium fecerint quod non satis rationabile videatur, si errorem suum recognoverint, absque detrimento bonorum suorum illud nobis emendabunt. C Si autem perstiterint, & aliquis eos de falso judicio voluerit impetere, si comprobati fuerint vel convicti, illud per judicium curiæ nostræ nobis emendabunt; & si impetitor eos convincere non poterit, illud similiter nobis & ipsis scabinis emendabit. Concedimus etiam quod si burgensis in banno nostro constitutus aliqua occasione in causam tractus fuerit, quando ordine judiciario se tractari voluerit, neque ipse, neque res ejus capientur; sed nec domus ejus diruetur, si domum vel hereditatem Remis habuerit: sed fidem dabit quod pro exequenda justitia obsides interponet, si possit; & si obsides habere non possit, fidem similiter dabit quod judicio scabinorum stabit. Si vero nec domum nec hereditatem Remis habuerit, obsides dabit; si obsides non habuerit, corpus ejus detinebitur quousque justitiæ complementum pro- D sequatur. Ad hæc si quis bannalium nostrorum furtum, vel murtrum, vel proditionem commiserit, & forisfactum manifestum fuerit, ipse & res ipsius in voluntate nostra erunt; & si dubium fuerit, & ille super hoc impetatur, bonos obsides dabit, si dè banno nostro fuerit, quod judicio scabinorum stabit; & si obsides dare non possit, corpus ejus captum detinebitur. Si quis sesterlagium nostrum asportaverit vel detinuerit, forisfactum nobis per sexaginta solidos emendabit. Si quis cambierit, qui trecensum nobis sicut cambitores nostri non solvat, & ille, & alius qui cum eo cambium fecerit, forisfactum nobis per sexaginta solidos emendabit; forisfactum quoque de timonagio nobis per septem solidos & E dimidium emendabitur. Decernimus autem ut quicunque hereditatem, vel emtionem, vel alias quaslibet possessiones per septem annos & unum diem in pace possederit & tenuerit, tentaturam suam deinceps libere & quiete possideat, ita ut alius reclamare non possit, vel tentaturam calumniare, nisi possit probare quod interim absens a terra fuerit, & absentiæ suæ rationabilem prætenderit occasionem, vel infra spatium illud talis ætatis extiterit, quod jus suum dirationare non valuerit. Ne ergo super iis omnibus aliqua in posterum quæstio possit oriri, superiora, sicut prænotata sunt, firma & rata in posterum permaneant, eadem vobis & successoribus vestris, tam præsentis privilegii patrocinio, A quam sigilli nostri munimine corroboramus; statuentes, & sub anathemate prohibentes ne quis huic nostræ confirmationis paginæ contraire præsumat, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXII. Datum per manum Lambini cancellarii nostri.

L.

Cultura civitati Remorum concessa ad novum burgum ædificandum. *Ex Marloto, tom. 2. pag. 419.*

WILLELMUS Dei gratia Remorum archiepisc. S. R. E. & S. Sabinæ cardinalis, apostolicæ sedis legatus, dilectis filiis nostris hominibus in nova cultura Remensi manentibus, tam præsentibus quam futuris, in Domino nostro salutem. Ad hoc constituti sumus in sede pontificali, ut utilitati & augmentationi civitatis cui nos præfecit Dominus, ipso adjuvante, proficiendo provideamus, & providendo proficiamus. Inde siquidem enim est quod nos ad augmentum & honorem civitatis nostræ culturam quam habemus extra muros dedimus vobis, dilecti ac fideles burgenses nostri, ad domus construendas, & novum ibidem burgum pariter ædificandum, ea conditione quod de pertica terræ singulis annis in festo beati Remigii duodecim denarios persolvetis; similiter de pertica terræ jardi nostri eodem termino totidem reddetis denarios. Sciendum tamen quod tam in cultura quam in jardo sunt perticæ quæ tantum novem denarios solvere tenentur. Decernimus igitur ut nundinæ quæ fuerunt apud S. Lazarum, in burgo vestro celebrentur, & durent a Sabbato ante Dominicam in Ramis Palmarum, usque ad vigiliam Dominicæ Resurrectionis. Statuimus etiam ut carpentarii qui dolia & quadrigas faciunt, & in civitate non possunt operari, ibidem operentur; volumus siquidem ut omnia ligna & marinna ibi vendantur, & non alibi. Liceat autem vobis logias, gradus & puteos ante domos vestras absque licentia dominorum & servientium libere & quiete facere, & insuper majorem proprium habere qui pro posse supra forisfactum & excessus vestros emendabit, & quæ per ipsum emendari non poterunt, ad archiepiscopum transferentur. Quia vero dignum est ut ea quæ a nobis sunt juste & rationabiliter statuta suum perpetuæ robur obtineant firmitatis, nos hæc omnia, ne aliqua malignantium perturbatione violari valeant vel immutari, tam præsentis scripti patrocinio, quam sigilli nostri auctoritate vobis ac successoribus vestris concedimus ac confirmamus; statuentes & sub anathemate prohibentes, ne quis huic nostræ confirmationis paginæ ausu temerario contraire præsumat, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXIII. Datum per manum Lamberti cancellarii nostri. 1183.

L I.

Abbatia Caherii submittitur abbatiæ Trium-fontium. *Ex autographo.*

PRæsentes non lateat & ad futurorum perveniat notitiam, quod abbas Caladiæ per consensum capituli sui filiam domus suæ, scilicet domum Chaerii filiali jure quo sibi erat obnoxia absolvit, & ecclesiæ Trium-fontium concessit perpetuo disponendam. Quod ut ratum fieret, præsentis paginæ testimonio commendatur. Si vero domus Trium-fontium hanc conditionem immutandam censuerit, & cervicem præfatæ domus Chaerii ab hoc subjectionis jugo voluerit excutere, ad matrem cui debetur propinquitatis respectu, filia revertetur. Actum Incarnationis Dominicæ anno M. CLXXXIX. 1189.

L I I.

Ex biblioth. regia.

Diploma Philippi Augusti regis Francorum, in gratiam archiepiscoporum Remensium.

1190. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Quoniam Remensem ecclesiam in qua regalem suscepimus unctionem, diligere tenemur & ampliare, ad preces karissimi avunculi & fidelis nostri Willelmi ejusdem ecclesiæ archiepiscopi statuimus, ut de cetero quicunque fuerit Remensis archiepiscopus, si cesserit vel decesserit, omnia mobilia ejus cum vasis & omni domorum suarum supellectili, substituendo archiepiscopo integra reserventur, nisi ipse prædecessor aliter ordinaverit; ita quod servientes nostri vel successorum nostrorum in ea manus nullatenus extendant, nec extirpare nemora, nec rumpere vivaria præsumant: reservata tamen nobis & successoribus nostris omni auctoritate & jure, quod, vacante sede, habere debemus in redditibus, proventibus & justiciis. Ut igitur hæc omnia perpetuæ robur obtineant firmitatis, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate ac regii nominis karactere inferius annotato jussimus confirmari. Actum Vizeliaci anno ab Incarnatione Domini M. CXC. regni vero nostri XII. adstantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Sig. comitis Theobaldi dapiferi nostri. Sign. Guidonis buticularii. Sign. Matthæi camerarii. Sign. Radulfi constabularii. Datum vacante cancellaria.

L I I I.

Ex Marlote, tom. 2. pag. 428.

Scholarchæ dignitas in ecclesia Remensi instituta.

1192. WILLELMUS Dei gratia Remensis archiepisc. S. R. E. tituli sanctæ Sabinæ cardinalis, apostolicæ sedis legatus, universis S. M. E. filiis ad quos literæ istæ pervenerint, salutem in Domino. Notum fieri volumus quod quum dilecti filii nostri capituli Remensis magisterium scholarum Remensium dilecto clerico nostro magistro Garnerio ad preces nostras contulissent, nos unanimi omnium voluntate ei assignavimus stallum in choro, in perpetuum dignitatis & personatus titulum ipsi suisque successoribus obtinendum, jure electionis capitulo, sicut hucusque habuit, reservato. Nos vero attendentes quod prædicto personatui modici & minus sufficientes redditus antea fuerant assignati, tum intuitu ecclesiæ, tum honestate & favore personæ, eidem & omnibus in præfato honore substituendis liberaliter concessimus quinque modios frumenti in molendinis nostris Remensibus singulis annis libere & absque onere omnimode statutis terminis exsolvendos; tres videlicet in festo sancti Remigii in Octob. & duos in Pascha. Quod ut ratum permaneat, &c. Actum anno M. CXCII. Datum vacante cancellaria.

L I V.

Ex thesauro chartarum regiarum.

Charta Guillelmi I archiepiscopi Remensis, de electione abbatissarum Avenacensium.

Circiter 1200. WILLELMUS Dei gratia Remensis archiepisc. sanctæ Romanæ ecclesiæ titulo sanctæ Sabinæ cardinalis, carissimo nepoti suo Th. comiti Trecensi Palatino, salutem & sinceræ dilectionis affectum. Scimus & testamur quod ecclesia *de Avenay* quando abbatissam non habet, a comite Trecensi requirere debet licentiam eligendi, nec eligere debet aut potest, donec a comite Trecensi licentiam requisierit; nec ab archiepiscopo vel ecclesia Remensi licentiam eligendi requirere tenetur. Quod autem de matertera fidelis nostri Gaufridi de Joinvilla fecimus, propter necessitatem de Jotro & de Avencio ecclesiarum fecimus; & de dilectione vestra fiduciam assumsimus

A faciendi. Rogamus igitur vos, & cum affectu requirimus, ut propter honorem nostrum & amorem ecclesiæ & abbatissæ de Aveneio, vestram remittatis offensam.

L V.

Philippi Augusti liberorum quorumdam legitimatio. Ex Sammarthanis.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis 1201. per regnum Franciæ constitutis. Apostolica sedes quæ, Deo disponente, cunctorum fidelium mater est & magistra, prædecessorum nostrorum temporibus, diversis causis inspectis cum quibusdam minus legitime genitis dispensavit, etiam ex adulterio pro-

B creatis, quos ad actus speciales legitimans, in pontifices quoque promoveri concessit. Cum igitur major idoneitas in spiritualibus quam in secularibus requiratur, dubitari non debet, quin ipsa tales ad actus legitimare valeat seculares; præsertim ad petitionem eorum, qui propter Romanum pontificem alium si horum minime recognoscuntur habentem hujus potestatem*. Cum igitur carissimus in Christo filius noster Philippus rex Franciæ, præter primogenitum suum, quem de conjuge prima suscepit, aliam prolem non habeat, quam puerum & puellam; quos ei nobilis quædam mulier, filia nobilis viri ducis Meraniæ peperit nuper defuncta, de sua posteritate providere cogitans, a nobis humiliter postulavit ut eos legitimare per favorem sedis apostolicæ

C curaremus, vehementer affirmans, quod postquam venerabilis frater noster Guillelmus archiepiscopus Remensis, sanctæ Sabinæ cardinalis, tunc apostolicæ sedis legatus, inter eum ac carissimam filiam nostram Isabel. reginam Franciæ illustrem, divortii sententiam promulgavit, licet ipsa sententia per sedem apostolicam postmodum fuerit revocata, propter judiciarium ordinem non servatum; nulla tamen ad ipsum de alia non ducenda prohibitio facta pervenit, & propter probationes affinitatis exhibitas coram eodem archiepiscopo, quas idem rex veras esse credebat; inter eum ac præfatam nobilem putabat esse vinculum conjugale, quanquam nostra fuerit auctoritate compulsus, ut & ipsam dimitteret & reginam reciperet memoratam. Nos igitur attendentes in eo

D devotionis constantiam & fidei puritatem, quam a progenitoribus erga Romanam ecclesiam quondam hereditario jure contraxit, ut tam honori regiæ dignitatis, quam utilitati & necessitati regni Franciæ providere consulamus; prædictos puerum & puellam de speciali gratia legitimationis titulo, confratrum nostrorum consilio decoramus, ut nullus eis in natalibus defectus obsistat; ita videlicet ut per hoc nullum eidem regi vel præfatæ reginæ in matrimonium alicujus causa præjudicium generetur. Vos ergo quod super hoc a nobis est provida deliberatione statutum, & vos ipsi firmiter observetis & ab aliis faciatis per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari, & cum ab eodem rege fueritis requisiti, secundum formam præscriptam solenniter publicetis. Datum Anagniæ IV. nonas Novembris, pontificatus nostri

E anno IV. anno gratiæ M. CCI.

* Sic apud Sammarth.

L V I.

Nosocomium sancti Antonii Remensis exstruitur & dotatur. Ex Marlote, tom. 2. pag. 448.

WILLELMUS Dei gratia Remensis archiepisc. 1201. S. R. E. titulo sanctæ Sabinæ cardinalis, omnibus sanctæ matris ecclesiæ fidelibus ad quos literæ istæ pervenerint, in Domino salutem. Quoniam inter ceteros, &c. . . . . considerantes quod a B. Remigio, Remorum quondam antistite sanctissimo tredecim præbendulæ pauperum unicuique quotidianus panis

& denarius laudabiliter institutæ, plerumque per ignorantiam, quandoque per amicorum suggestionem indignis, inhonestis, & infamibus personis contra intentionem sancti institutoris indiscrete conferrentur: dignum intelleximus, meritoriumque reputavimus, ut beneficium quod de patrimonio Crucifixi periculose distribuebatur, secundum rationis & veritatis lineam deinceps pauperibus infirmis & ægrotantibus salubriter erogetur. Nos itaque glorioso confessori satisfacere desiderantes, ... quamdam domum hospitalem juxta grangiam nostram ad portam Bacchi pietatis intuitu fundari fecimus & superædificari, quatenus ibidem viginti pauperes languentes in perpetuum recipiantur & misericorditer foveantur; qui etiam fructum prædictarum tredecim præbendularum perenniter & incommutabiliter obtineant, & prout facultas & possessio pauperum, Deo annuente, dilatabitur, ita & eorumdem numerositas, & humanitatis exhibitio consequenter multiplicabitur. Recolentes siquidem terribilem Evangelii sententiam, &c. . . . . ad sustentationem prædictorum carcerariorum consilio & assensu totius capituli nostri superaddidimus & adjunximus octo modios frumenti in sexsterlagio Remensi annuatim requirendos. Et erit pondus præbendalis panis, viginti panes de cartello; & stabilivimus septuaginta modios vini de reditu nostro Montis-Valesii quotannis persolvendos; & erit mensura vini unicuique pauperi dimidia metreta, & etiam miseris & miserandis ægrotis de mensa Remensis pontificis quum præsens fuerit semel in hebdomada die Martis, aut in die Jovis reliquias & fragmenta decrevimus in æternum distribuenda. Verumtamen quia nobis a Domino injunctum est ut de bonis ecclesiæ quæ gratis accepimus, gratis egenis largiri debeamus, ad opus coquinæ memoratorum languidorum, & ad usum pannorum, & ad retentionem & ad necessaria sæpedictæ domus in hala nostra quam temporibus nostris fecimus & adquisivimus, etiamsi ipsa hala alibi transferatur, vel in quæcunque alia ædificia transmutetur, aut si forte de reditu aliquando amplius non valuerit, viginti quinque libras Remenses per singulos annos confirmavimus percipiendas; & quia miserandorum languidorum necessitas omnibus aliis negotiis præferenda est, in prima solutione denariorum ejusdem halæ recipientur. Ad calefactionem vero pauperum infirmorum, & ad pulmentorum præparationem quinquaginta duas quadrigas lignorum in nemore archiepiscopali apud Calmisiacum annuatim requirendas perenniter assignavimus; cujus videlicet nemoris quamdam partem in diebus nostris magno & sumtuoso pretio comparavimus. Constituimus autem ut quicunque de cetero grangiæ nostræ, quæ juxta præfatam domum sita est, custos & provisor extiterit, duas vaccas cum ceteris suis vaccis custodire & nutrire tenebitur, de quarum fructu omnem proventum pauperes infirmi obtinebunt. Similiter vero quisquis deinceps infra mansionem jardi episcopalis habitaverit, pannos & linteolos prædictorum infirmorum lavare & mundificare tenebitur. Hujus utique tam meritorii beneficii & commendabilis eleemosynæ perpetuo fiet dispensator quisquis procurationem domus cujuslibet domini Remensis in posterum exequetur; & unum servientem pauperibus concessimus ut eis provideat & ministret, qui assumto religionis habitu omnimoda gaudeat libertate, archiepiscopali procuratori tantummodo responsurus. Processu quoque temporis si quisquam filius Belial, quod absit, tam pium, tam necessarium opus a nobis devotissime institutum & solenniter confirmatum, per negligentiam aut avaritiam diminuere aut penitus abolere præsumptuose attentaverit, magnifici confessoris Remigii meritis intervenientibus iram & indignationem Dei omnipotentis incurrat, & deleatur de libro viventium, & cum justis non scribatur. Amen. Amen. Actum anno Incarnati Verbi M. CCI. Datum per manum Matthæi cancellarii nostri.

Literæ Philippi Augusti regis, de eodem argumento. *Ex eodem; ibid. p. 450.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod carissimus avunculus & fidelis noster Willelmus Remensis archiepiscopus domum quamdam hospitalem S. Antonii juxta grangiam suam sitam ad portam Bacchi de novo constituit, in qua cum tredecim præbendulis quas sanctus Remigius instituerat, alios redditus ad usus & refectionem pauperum ejusdem domus misericorditer assignavit. Nos igitur factum ipsius archiepiscopi super hoc plurimum in Domino commendantes, institutionem ab ipso factam in domo prædicta ratam & gratam habemus; eamque, sicut in ipsius archiepiscopi authentico continetur, auctoritate regia confirmamus. Quod ut firmum sit & stabile, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate, & regii nominis charactere inferius annotato præcepimus confirmari. Actum Remis anno Domini M. CCI. regni vero nostri anno XXIII. adstantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. Signum Guidonis buticularii. Sig. Matthæi camerarii. Sign. Drogonis constabularii. Data vacante cancellaria per manum fratris Guarini.

LVII.

Literæ Innocentii III papæ de electione Guidonis Paré *archiepiscopi Remensis.* *Ex Sammarthanis.*

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, 1204.
capitulo Remensi, &c. Prælatorum vota eligentium variantur; per hujusmodi tamen schismata, quæ interdum potius ex impetuosa levitate, quam bono zelo procedunt, ecclesiæ solent incurrere detrimentum, sicut ecclesiæ vestræ accidisse conspicimus & dolemus. Sane cum bonæ memoriæ Willelmus archiepiscopus vester universæ carnis debitum exsolvisset, quia non potuistis in unum omnes pariter convenire, sed contradicentibus quibusdam ex vobis, quidam venerabilem fratrem nostrum Belvacensem episcopum per impetuosam præsumtionem, ex indiscreto zelo, post appellationem ad nos interpositam, in archiepiscopum nominarunt. Laboravit Remensis ecclesia, & expensis se gravibus oneravit. Nos autem partibus in nostra præsentia constitutis, & inquisita plenius & cognita veritate, postulationem factam de episcopo Belvacensi exigente justitia repellentes, de gratia vobis electionem liberam duximus concedendam, per apostolica vobis scripta mandantes, ut infra mensem post susceptionem literarum nostrarum convenientes in unum, invocata Spiritus sancti gratia, canonice vobis eligeretis personam idoneam in pastorem, & faceretis quatenus fieri posset opportune in pontificem consecrari. Adjecimus etiam ut in examine districti judicii a vobis requireret Dominus, nisi humano favore ac mundano timore postpositis, personam in spiritualibus & temporalibus, secundum conscientiam vestram idoneam vobis præficere juraretis. Venerabili quoque fratri nostro Autissiodorensi episcopo, & dilecto filio abbati de Persenia, & magistro R. de *Corgen* canonico Noviomensi, dedimus in mandatis ut si negligeretis forsitan mandata apostolica adimplere, ipsi auctoritate nostra suffulti, causa qualibet cessante Deum habentes præ oculis, personam quæ tanto congrueret oneri & honori vobis in pontificem assignarent, & eum facerent per suffraganeos Remensis ecclesiæ consecrari. Vos autem receptis literis nostris loco convenientes eodem, sed animo discordantes, utpote, quia nondum ab oculis cordis vestri prioris rancoris nebulam terseratis, personas vobis

varias nominastis, quibusdam ex vobis, præpositum, quibusdam majorem archidiaconum eligentibus in pastorem. Quia igitur prædictorum executorum audientiam & præsentiam evitantes, maluistis ad sedem apostolicam provocare, discordantium partium concordia nostrum judicium eligente, dilecto filio T. de Porta carceris, procuratori partis illius quæ præpositum duxerat eligendum, & sociis ejus, & O. procuratori partis adversæ, ac collegii ipsius audientiam concedentes, propositiones partium, & confessiones audivimus, recepimus testes, & publicantes depositiones eorum, examinavimus omnia diligenter. Fuit ergo propositum coram nobis, quod pars illa quæ præpositum nominarat, non solum adversa parte contemta, sed neglectis etiam quibusdam ex illis qui cum eis postmodum in electionem præpositi concordarunt, in domo Hugonis de Sparnaco canonici sui, seorsum habuerant super electione tractatum, communiter statuentes, quod si non possent in personam eamdem omnes pariter convenire, illum ex compromisso reciperent in pastorem, quem decanus & prædecessor I. de Porta carceris, & Gervasius præpositi nepos, in quos compromiserunt communiter sub hac forma, eis in archiepiscopum nominarint; adjectum est etiam, quod cum vicedominus prædictum archidiaconum elegisset, appellans ne quis in præjudicium electionis ipsius aliquid attentaret, decanus velut in furorem conversus nullo prorsus consilio de præposito in capitulo habito, nec communi deliberatione præmissa, subito præpositum capiens, & non istum, inquit, sociis expiamus*, sicque capientes eum quidam alii cum decano intronisaverunt eumdem & laudes solitas decantarunt; sive igitur ex deliberatione in domo Hugonis extra capitulum habita fuisse repente in capitulo nulla deliberatione præmissa, decanus præpositum nominavit, patet eum præter formam electionis canonicæ nominatum. Objectum est insuper, quod præpositus erat super simoniæ vitio infamatus, quod abusus fuerat sigillo capituli, quod tanquam criminosus vitio rupturæ laborabat, & quod medio digito sinistræ manus fuerat mutilatus, licet testes super hoc varia retulissent, deponentibus quibusdam eorum, quod tantum extrema uncia digiti carebat ejusdem, & addentibus aliis, quod secundam integram non habebat. Canonibus igitur revolutis, inventi sunt diversi super hoc articulo non adversi. Nam & si aliqui habeant, quod quidam corpore vitiati, & hi specialiter qui casu partem digiti amiserunt, ad clericatus officium admittantur, aliqui tamen habent, quod qui membrorum sunt damna perpessi, sunt a sacris ordinibus prohibendi, qui super hoc sibi nullatenus adversantur, cum multi ad minores possunt ordines promoveri, qui ad superiores cum effectu non debent aliquatenus aspirare. Nam major sufficientia in iis requiritur, qui ad sacros sunt ordines promovendi, quam in iis qui sunt in minoribus ordinibus constituti, sicut & major in presbytero quam diacono, episcopo quam presbytero, archiepiscopo quam episcopo, primate quam archiepiscopo, & major iis omnibus est in summo pontifice perfectio requirenda. Quatuor igitur opposita sunt in factum, & quatuor in personam; in factum illicita compromissio, contemtus fratrum, canonica provocatio, & impetuosus processus. In personam, infamia simoniæ, abusus sigilli, rupturæ vitium, & digiti mutilatio. Licet autem contra personam archidiaconi nihilominus ostensum fuerit vel objectum; imo multipliciter a multis fuerit commendata, contra factum tamen electionis ipsius fuit propositum ex adverso, quod cum decanus ad sedem apostolicam appellasset ne quis sine communi, vel majoris & sanioris partis assensu ad electionem procederet celebrandam; vicedominus & sequaces ipsius pauciores numero, cum vix tertia pars capituli sequerentur eumdem, & dignitate minores, cum nulla persona Remensis ecclesiæ vicedomino consentiret, & inferiores ordine, cum nullus presbyterorum faveret eidem, eumdem archidiaconum nominarat, & quod ad hoc zelo processerat indiscreto, cum pars altera tam ad Remensem quam Carnotensem decanum, ecclesiæ Remensis canonicum, qui quondam in priori negotio eidem archidiac. faverat, eligendum, & quamplures viros providos & honestos postulandos a nobis duxerint nominandos, quorum nullum pars ipsius archidiaconi voluit acceptare, utpote quæ non ad utilitatem ecclesiæ, sed promotionem illius potius intendebat. Præterea ex utriusque confessione patebat, quod archidiaconus ipse in subdiaconatus erat ordine constitutus, canon autem subdiaconos qui & ipsi ministrant altaribus, exigente opportunitate concedit, si spectatæ religionis & scientiæ fuerint, ne tamen sine Romani pontificis vel metropolitani scientia in episcopos eligendos: verum quum Remensis ecclesia metropolitanum non habet alium quam Romanum pontificem, necnon conscii essemus electionis ipsius, constabat eam contra formam canonicam attentatam. Cumque super his & aliis coram nobis fuisset varie disceptatum, nos attestationibus, confessionibus & allegationibus diligenter auditis & plenarie intellectis, de communi fraternitatis nostræ consilio, exigente justitia electionem utramque curavimus reprobare. Verum quoniam officii nostri debitum & Remensis ecclesiæ commodum requirebat, ut ei provideremus personam idoneam in pastorem, ne si denuo restitueremus vobis licentiam eligendi, denuo apostolicæ sedis beneficio abutentes, Remensem scinderetis ecclesiam, & labores novos veteribus laboribus cumulantes, afflictionem adderetis afflictæ, ad venerabilem fratrem nostrum Guidonem Prænestinum episcopum, apostolicæ sedis legatum, virum providum & honestum, oriundum de regno Francorum, qui fuerat in Cisterciensi ordine primus abbas, & suæ religionis exigentibus meritis, a nobis assumtus fuerat in episcopum Prænestinum, virum utique coram Deo & hominibus potentem in opere ac sermone, oculos nostræ considerationis extendimus, & vobis & eidem ecclesiæ providimus in rectorem, dum tamen ejus super hoc accedat assensus, quem invictum cogere nolumus, sed consentientem assumi. Monemus igitur universitatem vestram & cohortamur in Domino, & per apostolica vobis scripta mandamus & districte præcipimus, quatenus si episcopus ipse dispositioni nostræ consenserit, ipsum sicut pastorem & episcopum animarum vestrarum suscipiatis, humiliter & honorifice pertractetis, debitam ei obedientiam & reverentiam impendatis; scientes nos venerabili fratri nostro Senonensi archiepiscopo, & dilecto filio Claræuallensi & sancti Victoris Parisiensis abbatibus dedisse firmiter in mandatis, ut si qui, quod non credimus, facto nostro se duxerint opponendos, eos per dispositiones ecclesiasticas sub apostolico impedimento compescant, eisdemque mandavimus, ut si forsan idem episcopus non pateretur ad Remensem ecclesiam se transferri, omni gratia & timore postposito, personam idoneam, & honori tanto & oneri congruentem solum Deum habentes præ oculis auctoritate nostra suffulti, vobis apostolica potestate præficiant in pastorem; contradictores modo simili compescentes. Datum Laterani pridie nonas Julii anno septimo.

* Sic apud Sammarth.

LVIII.

Litera de banno convocato ad subsidium regi præstandum.

Ex Sammarthanis.

1207.

ALBERICUS Remensis, Philippus Belvacensis, Steph. Noviomensis, T. Tornacensis, W. Noviomensis ecclesiarum Dei patientia ministri humiles, & R. ejusdem miseratione Laudunensis electus,

salutem. Noverit universitas quod M. præpositus, B. decanus, & alii canonici Remenses, in nostra præsentia constituti, super contentionibus quæ inter Philippum illustrem Francorum regem & capitulum Remense vertebantur, composuerunt in hunc modum: dicti canonici pro toto capitulo recognoverunt eidem regi, quod quando submonitio fiet, sicut solet fieri in regno Franciæ per christianitatem, pro defensione coronæ & regni, facere tenentur sicut alia capitula Franciæ, & pro faciendo hoc, recognovit dominus rex quod ipsi ab omni servitio liberi remanent in perpetuum; & tam dominus rex quam dicti canonici pro capitulo concesserunt quod quæcunque sive literæ, sive alia facta antea fuerint, occasione harum conventionum utrinque de cetero contra hoc nihil valerent, &c. Actum apud Compendium anno Dom. M. CCVII. mense Octobri.

LIX.

Ex Sammarthanis.

Sacramentum præstitum regi ab Alberico de Humbert *archiepiscopo Remensi, pro hominibus sancti Remigii.*

Circiter 1207. EXcellentissimo domino suo Philippo Dei gratia Francorum regi, Albericus divina permissione ecclesiæ Remensis minister humilis, salutem, cum debita fidelitate obsequium. Noverit excellentia vestra, quod audientibus & videntibus fidelibus vestris, ad nos propter hoc a nobis transmissis, A. Meldensis ecclesiæ archidiacono viro nobili, Alano de Rosciaco, & Guidone de Bestisiaco ballivo nostro, omnes homines Remenses, tam ad nos quam ad B. Mariæ & sancti Remigii ecclesias pertinentes, nobis jurarunt quod personam vestram & omnes vestros, quociescumque necesse fuerit, contra imperium & alia regna, quæ nos vel regnum Franciæ vellent impugnare, bona fide Remis recipient, & civitatem ad honorem vestri & totius regni bona fide defendent. Aliud etiam juramentum fecerunt in præsentia nostra, quod videlicet a proxima Purificatione beatæ Mariæ in unum annum, vobis reddent duo millia librarum Parisiensis monetæ, & ab illa Purificatione in alium annum proxime sequentem, alia duo millia librarum Parisiensis monetæ, quod ipsis ad firmitatem Remensem faciendam & accelerandam, regiæ serenitatis vestræ commodavit munificentia liberalis.

LX.

Ex Sammarthanis.

Albericus archiepiscopus Remensis confirmat fundationem parthenonis Pratellensis in diœcesi Lingonensi.

1212. ALBERICUS Dei gratia Remensis archiepiscopus, universis Christi fidelibus ad quos præsentes literæ pervenerint, in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod cum dilecta in Christo filia nobilis mulier Mathildis de Villari, domum quamdam juxta Ecreium de bonis propriis fundavit, in loco qui dicitur de Pratella, ipsam domum divino cultui dedicari voluit, divinitus inspirata, & sanctimonialium collegium ibi poni, ita ut essent ecclesiæ Molismensi subjectæ, & tam ejusdem loci ordinem quam ecclesiæ Juliacensis regulam & consuetudines observarent. Id etiam nobilis vir Gerardus dominus Ecreii advocatus loci ipsius confirmavit, locum cum suis appenditiis quantum pertinebat ad ipsum, Molismensi ecclesiæ liberaliter concedendo. Cum igitur cura susceptæ solicitudinis nos invitet pia vota desiderantium promovere, in his maxime quæ a rationis tramite non discordant, memoratæ nobilis Mathildis devotis precibus annuentes, eidem indulsimus quod tam humiliter implorabat. Concedentes quantum ad nos pertinet, memoratum locum eidem ecclesiæ Molismensi, & factum sicut præscriptum est libere confirmantes. Attendentes autem tam paupertatem quam novitatem prædicti loci, si quam nobis vel successoribus nostris procurationem deberet, vel debiturus esset, illam pietatis intuitu, & voluntate Remensis ecclesiæ in perpetuum acquitamus. Ad majorem igitur securitatem & cautelam locum eumdem divino cultui dedicantes, cum his quæ inpræsentiarum possidet, vel in futurum præstante Domino justis modis poterit adipisci, confirmamus ecclesiæ Molismensi, & sanctimonialibus in sæpedicto loco servientibus, &c. Ut autem hæc omnia supradicta firma illibataque permaneant, præsentem paginam tam nostro sigillo quam Remensis ecclesiæ, fecimus roborari. Actum anno M. CCXII.

LXI.

Fundatio parthenonis Clari-marisci.

Ex chartul. Claro-marisc. 1222.

MAgistri Guillelmus & Theod. canonicus & officialis Remensis, omnibus ad quos literæ istæ pervenerint, in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod Briardus aurifaber, civis Remensis, & Agnes uxor ejus, in præsentia nostri constituti, terram quam habebant in pratis juxta *Maittinosque*, & usque ad undecim perticas æstimatur, concesserunt in perpetuum & dederunt nomine eleemosynæ, ob remedium animarum suarum, monialibus ordinis Cisterciensis de Claro-marisco juxta Remis, tali videlicet conditione apposita, quod dictæ moniales ad præfatum locum se omnino transferent & facient ibidem domum suam religionis, & ecclesiam ad manendum ibi in perpetuum & morandum. Quod si forte dictæ moniales futuris temporibus absque voluntate dictorum Briardi & Agnetis omnino de loco recedent memorato, ita quod non vellent ibi ad serviendum Deo de cetero remanere, præfata terra ad dictos Briardum & uxorem ejus, vel eos quibus concederent & assignarent eamdem, libere reverteretur, sive etiam ad heredes ipsorum. Dicti autem Briardus & uxor ejus de præfata terra sub dicta conditione in manibus nostris nomine eleemosynæ se devestiverunt in modum præmissum pro monialibus supradictis; & nos de assensu & voluntate ipsorum de præfata terra nomine eleemosynæ in modum dictum moniales solenniter investivimus memoratas. In cujus rei testimonium præsentes literas sigillo Remensis curiæ fecimus communiri. Actum anno Domini M. CC. vicesimo secundo, mense Maio.

LXII.

Charta fundationis parthenonis sancti Stephani Suessionensis.

Ex tabulario ejusdem parthenonis.

JACOBUS Dei gratia Suessionensis episcopus, omnibus præsentes literas inspecturis, in Domino salutem. Notum fieri volumus quod nos de consilio & ad preces quorumdam bonorum virorum ad ampliandum divinum officium concessimus, ut in domo sancti Stephani, quæ est in suburbio Suessionensi, ponatur conventus monialium & instituatur abbatissa; & contulimus eisdem in perpetuum locum prædictum & omnes possessiones ad ipsum locum pertinentes, prout in chartis super hiis confectis continetur, ad sustentationem prædictarum monialium ibidem propter Dei obsequium mansurarum. Concessimus etiam eisdem, ut quicquid, Deo auxiliante, poterunt de cetero acquirere per emtionem, vel eleemosynam, vel alio justo modo, in territorio nostro, possint in perpetuum possidere, salva omnimoda justitia & redditibus nostris. In cujus rei testimonium præsentes literas sigillo nostro fecimus roborari. Actum anno gratiæ M. CCXXVIII. mense Junio. 1228.

LXIII.

Ex schedis D. Edmundi Martenne.

Societas inita inter utrumque parthenonem Premiaci diœcesis Cameracensis, & sancti Stephani diœcesis tunc Suessionensis, nunc Remensis.

1229. FIdelibus universis præsens scriptum inspecturis, Eusemia Primiacensis ecclesiæ dicta abbatissa & ejusdem loci conventus humilis, perpetuam in Christo salutem. Noverint universi quod ob religionis observantiam & ordinis nostri indissolubilitatem, de consilio bonorum constitutiones fecimus sub hac forma. Ecclesia Primiacensis prima erit & mater ecclesiæ sancti Stephani Suessionensis, & omnium aliarum ecclesiarum quæ de cetero in eodem ordine instituentur: ita quod abbatissa Primiacensis cum priorissa sua visitabit semel in anno, si viderit expedire, vel si priorissam secum præsentem non habuerit, cum alia ejusdem ordinis quam ipsa abbatissa Primiacensis viderit vel crediderit bonæ vitæ & fide dignam, omnes abbatias ejusdem ordinis; abbatissa vero sancti Stephani Suessionensis quamdiu sub Primiacensi ecclesia sola erit, cum priorissa sua & alia religiosa de gremio Primiacensis ecclesiæ ipsam matrem ecclesiam singulis annis in generali capitulo quod annuatim in octavis Trinitatis apud Primiacum celebrabitur, visitabit. Si tamen tertia ejusdem ordinis successerit abbatia, abbatissa illius loci cum abbatissa sancti Stephani, ut dictum est, Primiaci ecclesiam visitabunt: nec extunc priorissa sancti Stephani visitationis officium exercebit. C Præterea in annuali visitatione quam facient abbatissæ tam Primiacensis quam filiæ visitatrices, jurabunt utrimque in pleno capitulo quod fideliter sine acceptione personarum facient visitationem tam in capite quam in membris, & in omnibus personis correctionem facient, secundum qualitatem & quantitatem excessuum, secundum Deum & regulam, prout visitatrices viderint expedire. Si autem in persona abbatissæ, sive Primiacensis, sive alterius facta diligenti inquisitione inventa fuerit culpa, quæ sufficere debeat ad depositionem, visitatrices intimabunt episcopo loci vel gerenti vices ejus in spiritalibus culpam illam: de qua si episcopus loci vel gerens vices ejus dicat se dubitare, fidem facient visitatrices juramento suo, quod per fidelem inquisitionem talem culpam in ea D invenerunt, propter quam secundum ordinem eam ab officio credunt amovendam. Et tunc episcopus, si ei placuerit, eam amovebit. Si autem episcopus fidem visitatricum recipere noluerit, nec abbatissam infra mensem amovere, eadem abbatissa ad monitionem visitatricum elapso mense tenebitur cedere ex vi ordinis cum rigore. Si autem duas supradictas visitatrices in inquisitione super culpa depositionis abbatissæ contingeret discordare, vel abbatissam Primiacensis, priorissa sua vel ab illa quam secum habebit in visitatione, priorissa loci in quo fiet visitatio, vel alia ejusdem domus quam abbatissa Primiacensis, vel visitatrices crediderint fide dignam ad depositionem abbatissæ, eis associabitur: ita quod duarum concordia prævalebit, & abbatissa post amo- E tionem suam ad ecclesiam de qua sumta fuerit, ad stallum suum tenebitur remeare. Si contingat Primiacensem ecclesiam aliquo modo privari abbatissa, licebit conventui Primiacensi in quamcumque voluerit de ecclesiis ejusdem ordinis, sive abbatissam, sive aliam personam eligere & electam habere. Licebit similiter aliis ecclesiis ejusdem ordinis, si caruerint abbatissa, quamcumque personam voluerint in Primiacensi ecclesia eligere, præterquam abbatissam & electam habere. Si vero ob causam aliquam soror sive sorores alicujus ecclesiæ ejusdem ordinis ad aliquam aliam ecclesiam mittantur cum suæ literis abbatissæ, ecclesia ad quam missæ fuerint easdem suscipere & tenere tenebitur secundum quod in ordine A sancti Victoris Parisiensis dignoscitur constitutum. Item sciendum quod abbatissa vel ecclesia Primiacensis nihil temporale potest exigere ab ecclesiis istius ordinis sub prætextu aliquo, nisi gratanter ei fuerit oblatum & collatum, salva procuratione visitationis. Sciendum autem quod ad vinculum & statutum societatis istius nulla possit ecclesia sine consensu ecclesiæ Primiacensis de novo admitti. Singulæ personæ quæ deinceps ordini memorato se dederint, in professione quam facient expresse promittent se societatem eamdem cum institutionibus prænotatis inviolabiliter servaturas. Et si postmodum venerint contra eas, sicut transgressores suæ professionis & ordinis punientur. Porro singulæ abbatissæ ejusdem ordinis cum de novo institutæ fuerint in B primo generali capitulo, prædictas institutiones se promittent solenniter servaturas. Recognoscimus autem in harum institutionum observatione quod jus episcopi, in cujus diœcesi abbatissæ hujus ordinis instituentur, illæsum per omnia conservetur. Ut igitur ordinatio tam salubris perpetuo titulo consignetur, & ideo firmius ad multorum perduret salutem, eam fecimus propter perpetuum memoriale conscribi, & nostrorum testimonio sigillorum muniri. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono mense Septembri.

LXIV.

Literæ tres de tumultibus Remensibus.

Ex Sammarthanis.

GREGORII IX PAPÆ.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano & archidiacono Parisiensi, & magistro Ferrico canonico Lingonensi, salutem & apostolicam benedictionem. 1235. Non minus pro illorum peccato qui faciunt, quam pro eorum qui sustinent detrimento dolemus, & graviter conturbamur; quod sicut ad nos gravis & stupenda querela pervenit, cum venerabilis frater noster Remensis archiepiscopus civitatis Remensis sit dominus temporalis, & ipsius cives ejus fideles, & filii esse debeant speciales, ipsi, quod non absque amaritudine cordis referimus, degenerantes, ex filiis calcata divina reverentia & religione fidei, velut hostes iniqui non erubuerunt insurgere in parentes, in patrem exilium & in matrem excidium, ac detrimentum salutis propriæ nequiter operati, conculcando damnabiliter Remensem ecclesiam matrem suam, & ejecto patre ipsius, hereditatem sibi velut propriam vindicando, in quo excedunt tyrannidem viperarum, quæ alterius tantum dicuntur perniciem operari, in alterum nihil penitus machinantes. Iidem enim contra dictum archiepiscopum calcaneum erigentes, ab ecclesiis civitatis ipsius, earum divinitate & usu sacrilege violatis, quibusdam machinis quæ petrariæ & magnenoëlli dicuntur violenter extractis, cum eis domum suam quæ dicitur porta Martis, armata manu hostiliter impugnando, in familiam ejus existentem ibidem, immissis sagittis, & quibusdam ex eis lethaliter vulneratis, marescallum ipsius ausu diabolico ipsi occiderunt, & domum eamdem fortius impugnarunt, non solum muros exstruxerunt in via publica contra eum, sed etiam domum Fratrum Minorum quam iidem fratres habebant ibidem, per violentiam occupantes, in ea propugnacula construxerunt. Præterea dicti cives & quidam alii sub banno beati Remigii constituti, præter assensum ejus adversus præfatum archiepiscopum civitatem munientes eamdem, ac supra fossata ipsius muros in ejus circuitu extollentes, assumserunt pro munitione suarum materiarum publicarum, pavimenta viarum, tumbas cœmeteriorum, & lapides ad fabricam majoris ecclesiæ deputatos, ac destructis quibusdam domibus ipsius archiepiscopi, quæ halæ juxta vocabulum terræ

dicuntur, alia sibi & eidem ecclesiæ tot damna & tam graves injurias intulerunt, quæ non solum longum, sed etiam tædiosum est ea per singula recenseri. Quare idem archiepiscopus attendens quod hujusmodi excessus tam notabiles & enormes, adeo erant notorii, quod nulla poterant tergiversatione celari, tam in cives eosdem, quam in hoc participantes, eisdem excommunicationis sententiam promulgavit. Sed ipsi mallem * velut stipulam reputantes, nec ad pœnitentiam percutientem se curant cum humilitate redire, nec agunt pœnitentiam de commissis, quin potius majoris exinde audaciam præsumtionis assumunt: unde memoratus archiepiscopus nobis humiliter supplicavit ut in tot anxietatibus & angustiis suis paterno sibi compatientes affectu, salubre consilium & congruum remedium apponere dignaremur. Ne igitur, si diutius civium prædictorum malitiam, non tam in confusionem ipsorum quam Gallicanæ, immo universalis ecclesiæ detrimentum duxerimus sustinendam, tantæ perversitatis exemplum ad alios prorogetur, nolentes eos tantorum excessuum impunitate gaudere, imo illos tali castigatione compescere volentes, quod quibuscumque ipsorum culpa fuit in scandalum, pœna transeat in exemplum; discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus præmissam excommunicationis sententiam, rationabiliter promulgatam singulis diebus Dominicis & festivis, pulsatis campanis & candelis accensis, solenniter publicetis & faciatis per Remensem & vicinas diœceses, ac alia loca ubi expedire videritis publicari. Quod si nec sic ad mandatum ipsius archiepiscopi propria mente redire faciatis, redditus ac debita & alia bona ipsorum in nundinis ubicumque reperta fuerint, quandiu in excommunicatione perstiterint, detineri juramento, sed & interpositione fidei, si qua forte debitores pro debitis solvendis tenentur, aliquatenus nonobstante, invocantes ad eorum pertinaciam reprimendam, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, contradictores si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrûm ea nihilominus exequantur. Datum privilegium v. idus Octobris, pontificatus nostri anno IX.

* Ita apud Sammarth.

S. Ludovici regis.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus quod cum contentio esset inter dilectum & fidelem nostrum Henricum archiepiscopum Remensem ex una parte, & cives Remenses ex altera, super his quod dictus archiepiscopus dicebat quod forterecia facta Remis a burgensibus Remensibus tempore contentionis, debebat omnino cadere & destrui: dicebat etiam quod damna & deperdita aperta & non aperta debebant ei restitui, & domus suæ destructæ vel deturpatæ a dictis burgensibus debebant refici & reparari in statu in quo erant ante tempus dissensionis: dicebat etiam quod cives Remenses vocati sive citati ab eo ad domum suam, quæ dicitur porta Martis, debebant venire, & coram se & coram suo baillivo placitare & jus audire, & omnia facere, sicut debent facere in suo palatio: dicebat etiam quod non poterant vendere aliquos redditus super villam Remensem ad vitam cujuscumque personæ: dicebat etiam quod non possunt talliare nisi de mandato suo, & tantum usque ad illam summam quam nominaret eis, & si forte plus talliarent, volebat audire computum de talliatione facta: dicebat etiam quod non debebant habere sigillum, cum non habeant communiam: dicebat etiam quod injuriæ sibi illatæ debebant sibi emendari, & quod inde debebat levare emendam secundum quantitatem injuriarum sibi & suis illatarum: dicebat etiam quod ex variis & legitimis causis omnes cives Remenses excommunicaverat, & quod debebant ab eo petere absolutionem in forma ecclesiæ. E contrario burgensibus asserentibus, quod hæc supradicta jure petere non poterat nec debebat: dicebant etiam quod ipse debebat eis restituere damna quæ fecerat omnibus Remensibus in domibus suis & aliis rebus propter fortericiam suam, quæ dicitur porta Martis, & etiam alia damna quæ sustinuerant propter injusta alia sua gravamina, & asserebant se ab eo legitime appellasse, & pro omnibus his supradictis sopiendis. Nos de voluntate nostra & ad instantiam bonorum virorum, præcepimus quod tota fortericia facta Remis a tempore contentionis motæ, caderet & destrueretur, & remaneret firmitas civitatis in statu in quo erat ante dissensionem. Præcepimus etiam quod fortericia portæ Martis, domus & alia destructa sive deturpata per dictos cives, quæ ostenderentur illis quos ad hoc specialiter mittemus, reficerentur & reformarentur in statu in quo erant ante dissensionem, & damna aperta restituerentur. De damnis autem occultis fiet restitutio cum erunt probata secundum ordinationem dilectorum nostrorum abbatis sancti Dionysii in Francia, & magistri P. de Collemedio præpositi S. Audomari. Præcepimus etiam quod cives Remenses vocati sive citati a dicto archiepiscopo, vel ejus mandato, veniant ad domum suam quæ dicitur porta Martis, & ibidem placitent & jura audiant, & alia faciant quæcumque facerent in palatio Remensi, nisi forte illi de vicis, videlicet *de la cousture* & *de venice*, qui exhibuerunt in curia archiepiscopi privilegium & usum rationabilem, per quæ non debebant venire vel implacitare ibidem vel in palatio. Præcepimus etiam quod amodo non vendant redditus super villam ad vitam alicujus personæ, & quod etiam revocent redditus quos jam asserunt se vendidisse, & hoc faciant omnibus modis bona fide pro rationabili posse suo. Præcepimus etiam quod non talliant nisi de mandato archiepiscopi, qui illis summam talliæ nominabit, salvo in omnibus jure nostro & maxime vacante sede. Et si forte de tallia facta exiret clamor rationabilis, dictus archiepiscopus posset de tallia jus facere partibus auditis. Dedit etiam dictus archiepiscopus licentiam dictis civibus talliam faciendi ad redimendos reditus quos dicebant se vendidisse, & ad solvendas expensas quas fecerant. Præcepimus etiam quod de sigillo fiat inquisitio, quomodo usi sunt eo a retroactis temporibus, tempore archiepiscoporum prædecessorum istius, quæ inquisitio fiet per supradictos duos viros, qui si invenerint usum sigilli rationabilem, remanebit sigillum, alioquin ex toto destruetur. Absolventur autem dicti cives a dicto archiepiscopo in forma ecclesiæ, & emendabunt injurias eidem archiepiscopo illatas, de quibus isti duo videbunt emendandum esse & emendis, sive pro excommunicationibus, sive pro injuriis dicto archiepiscopo & suis factis, non poterit aliquid levari nisi de consilio & assensu dictorum duorum virorum a nobis electorum, qui assistent eidem archiepiscopo, quando inquiret, sive judicabit de excommunicationibus. Et si quæ excommunicationes inventæ fuerint injuste latæ, pro illis prorsus nulla fiet emenda, nec aliquid levabitur. Dicti etiam duo viri de damnis factis civibus a dicto archiepiscopo pro fortericia portæ Martis, sive pro aliis gravaminibus, diligenter inquirent & facient restitui dictis civibus a dicto archiepiscopo, sicut viderint expedire. In cujus rei testimonium præsentibus literis, salvo jure nostro & alieno, sigillum nostrum duximus apponendum. Actum Parisius anno Domini M. CCXXXV. mense Januario.

Recuperatorum regiorum.

OMnibus præsentes literas inspecturis, Odo Dei gratia beati Dionysii abbas, Petrus de Collemedio S. Audomari præpositus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum nos de mandato domini regis Remis venerimus pro emendis archiepiscopo faciendis, per consilium nostrum super injuriis, excommunicationibus & forisfactis omnibus, quæ inter cives Remenses & archiepiscopum acciderant a tempore dissensionis inter ipsos motæ, & pro damnis apertis & occultis, cum probata essent, restituendis dicto archiepiscopo a civibus memoratis, cum ut vellemus cum dicto archiepiscopo juxta formam literarum regis procedere ordine judiciario super præmissis servato. Placuit domino archiepisc. & civibus Remensibus supponere se altæ & bassæ ordinationi & dispositioni nostræ super prædictis, & singuli cives juraverunt servare & tenere inviolabiliter quod nos præfati ordinaremus & disponeremus, & qui non juraverunt, jurabunt stare mandatis ecclesiæ & servare a nobis ordinata, tam in pecunia quam in alia satisfactione, prædicto archiepiscopo similiter promittente nostram ordinationem, vel dispositionem servare inviolabiliter & tenere. Nos autem propter rancores & odia quæ suscitari poterant inter archiepiscopum & burgenses, qui est dominus eorumdem, ex propositione injuriarum quæ dicebantur illatæ, & excommunicationum factarum, & quod prædictorum stricta cognitio poterat mentem gravare, ipsorum consensimus voluntati, in nos recipiendo ordinationem omnium prædictorum, inter partes: itaque diligenter tractantes de consensu burgensium, qui nobiscum pro civibus de villa tractabant, præcepimus scabinis & burgensibus universis, quod emendarent domino archiepiscopo & ecclesiæ suæ, ut pro emendis injuriarum omnium archiepiscopo occasione defensionis illatarum, & emendis, forisfactis omnibus, occasione discordiæ ortis, solvent ipsi archiepiscopo decem millia librarum Parisiensium, quatuor millia in proximis nundinis sancti Augustini, & reliquum totum in festo S. Remigii venturo usque ad tres annos subsequentes, quolibet anno duo millia librarum in prædicto festo sancti Remigii apud Remos; ita quod pagamentum de tota pecunia ipsi archiepiscopo vel ejus successoribus, si ipse de eadem pecunia non disposuerit, infra dictum terminum integre sit completum. Præcepimus etiam quod pro honore ecclesiæ faciant tot omnes, quot & quos in literis nostris viderint contineri, tot processiones quot in eisdem literis mandabuntur. Præcepimus etiam quod ipsi reficiant domum portæ Martis, calceias, domum Fratrum Minorum & Prædicatorum, & halas, & sepulturas ad cœmeteria reportent, quas dicebantur asportasse: cives prædicti de summa prædicta deducent id quod restituetur per arbitrium electorum B. Jacobi Buiron, Droardi, de villa Domange & Vil. Crassi hominibus illis, quorum domus destructæ sunt occasione fortericiæ portæ Martis; deducetur etiam id quod expensum fuerit in reædificatione domorum portæ Martis & prædictorum. Et præcepimus quod prædicta infra mediam Quadragesimam & ante faciant, si possunt, reædificari & restaurari. Per hæc autem dictos burgenses quittamus ab injuriis omnibus & forisfactis, damnis apertis & occultis, emendis, excommunicationibus talliarum & collectarum factarum in illa discordia, & omnibus forisfactis usque ad hanc diem, qua burgenses forisfecerunt occasione discordiæ inter archiepiscopum & ipsos ortæ; omnes universi & singuli qui non sunt in banno archiepiscopi, tenentur ad summam prædictam, ut si ipsi morerentur, heredes eorum tenebuntur, exceptis viduis & bonis mulieribus, ac aliis qui in illa discordia a civitate discesserant; clericos remanentes in villa & absentes excommunicatos, burgenses & excommunicatos propter mercimonia cum burgensibus tempore excommunicationis contracta, & excommunicatos quos in suis hospitiis receperunt, operarios ipsorum, & eos qui habuerunt res ipsorum ad medietariam, absolvi præcipimus in forma ecclesiæ, juramento præstito quod alii præstiterunt, nec ab ipsis aliqua tenetur emenda; eos etiam qui in auxilio fuerunt, absolvi præcipimus in forma ecclesiæ, ita quod ab ipsis similiter nulla pecuniaria teneatur emenda; illos etiam absolvi præcipimus, qui burgensibus Remensibus solvent debita post excommunicationem, dum tamen sacerdotibus propriis confiteantur, quibus a domino Remensi concessa est potestas, ipsos ab excommunicatione hujusmodi absolvendi. Præcipimus etiam publicationem excommunicationis & aliarum pœnarum Lingonensium judicum, procurante domino Remensi, revocari; mortuos autem qui ante mortem juraverunt stare mandatis ecclesiæ, & eos in quibus signa pœnitentiæ legitime apparuerunt, & parvulos omnes infra XII. annum constitutos, in cœmeterio præcipimus reportari. Præcipimus etiam quod burgenses quittent dictum archiepiscopum & eos qui fuerunt in auxilio suo, ab omnibus damnis & expensis & injuriis quæ occasione dictæ discordiæ possent ab ipso & suis petere. Hæc autem omnia universa & singula præcepimus firmiter a partibus observari, in virtute præstiti juramenti; de sigillo autem cum vacare poterimus, vocatis partibus cognoscemus. In cujus rei testimonium has literas prædictis archiepiscopo & burgensibus Remensibus concessimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum Remis in palatio archiepiscopi, die Jovis proxima post Purificationem beatæ Mariæ virginis, anno Domini M. CCXXXV.

L X V.

R. abbas Altivillarensis concedit regi domum suam quæ dicitur Mesus *juxta Aillebauderias, ad fundandum ibidem monasterium.* Ex chartul. Campaniæ.

REverendo patri ac domino N. divina providentia Trecensi episcopo, Fr. R. Dei permissione de Altovillari dictus abbas, & ejusdem loci conventus, salutem & orationum participationem cum omni reverentia & honore. Paternitati vestræ tenore præsentium intimamus quod nos illustri regi Navarræ comiti Campaniæ domum nostram, quæ dicitur Mesus, juxta Ellebauderias, in diœcesi vestra sitam, concessimus ad fundandum ibidem & constituendum habitationem religiosarum personarum, constituto nobis ab eodem rege quodam annuo redditu in escambium pro eadem. Dictam vero concessionem fecimus, salvo omni jure, honore & reverentia vobis & episcopis Trecensibus in futurum, necnon assensu vestro, qui in præsenti, Deo auctore, Trecensi ecclesiæ præsidetis, ab ipso rege super hoc requirendo. Datum apud Altumvillare anno Domini M. CCXXXVI. in octavis Paschæ. Bene valeat paternitas vestra. 1236.

L X V I.

Fratres ordinis de Pœnitentia fundantur apud Remos. Ex Sammarthanis.

UNiversis præsentes literas inspecturis, Th. Dei gratia Remensis archiepiscopus, salutem & sinceram in Domino caritatem. Noverint universi quod cum fratribus ordinis Pœnitentiæ Jesu Christi, qui de Saccorum ordine vulgariter nuncupantur, pietatis intuitu dederimus & concesserimus locum unum in civitate Remensi in banno nostro, ad faciendum ædificium & construendum monasterium dictorum fratrum & mansionem ipsorum: videlicet locum qui dicitur 1261.

dicitur *aux Auches*, situm in exitu portæ quæ dicitur porta *Basez*, versus portam quæ dicitur porta nova, cum proprisio & appenditiis dicti loci qui dicitur *aux Auches*, certis metis & finibus contentum inter duos palos, quorum unus est fixus versus portam novam, & alius fixus est versus muretos domorum sitarum in barbaresto, prout ibi locus, seu terra arabilis archiepiscopi prædicti protenditur versus S. Nicasium, sub annuo censu duodecim denariorum Remensium, a dictis fratribus pro dicto loco nobis & successoribus nostris in palatio Remensi, vel in porta Martis, singulis annis in Nativitate Domini persolvendorum, tali conditione apposita a nobis, & a dictis fratribus recepta, quod ipsi fratres nullam exemtionem, aut aliquid aliud quod sapiat aliquam spem exemtionis, a domino papa vel ab aliquo alio impetrabunt contra nos vel successores nostros. Item quod nec aliquid aliud privilegium in præjudicium jurisdictionis nostræ vel successorum nostrorum, aut ecclesiæ Remensis, impetrabunt: tali etiam conditione apposita & recepta, quod parebunt mandatis & sententiis nostris, & officialium nostrorum, & ea ac eas tenebunt & observabunt. Item quod salvum erit jus ecclesiarum parochialium, & quod ipsi fratres de jure parochiali nichil sibi penitus poterunt vindicare, nec & vindicabunt. Item quod dicti fratres sine licentia presbyterorum parochialium in cœmeterio suo nullam personam, nisi de suo ordine fuerit, tradere poterunt ecclesiasticæ sepulturæ. Item quod prædicti fratres de prædicto loco ad aliquem locum alium in banno nostro existentem, vel successorum nostrorum, non poterunt se perpetuo transferre, nec postulare seu procurare transferri. Item quod nec poterunt dicti fratres a domino papa vel a quocumque alio aliquid impetrare in derogationem & præjudicium præmissorum, aut alicujus eorum; & si impetraverint, aut quoquo modo fuerit concessum, ipso jure non valebit, nec impetrato, seu indulto, seu concesso aliquatenus utentur. Nos concessionem sub modis & conditionibus prædictis, & renunciationes factas dictorum fratrum privilegiis sibi aut ordini eorum concessis & concedendis, & vallationem prædicti juramenti a dictis fratribus, & qui in dicto loco sub ordine eorum fuerint pro tempore præstandi, de tenendis & observandis modis & conditionibus prædictis, gratas habentes & firmas habituros promittentes, eas ad perpetuam rei memoriam roboramus; & in testimonium præmissorum hiis præsentibus literis sigillum nostrum apposuimus. Datum anno Domini M. CCLXI. mense Augusto.

LXVII.

De custodia sancti Remigii Remensis.

Ex Sammarthanis. 1262.

THOMAS Dei gratia Remensis archiepiscopus, H. præpositus, H. decanus, P. cantor, ceterique Remensis ecclesiæ fratres, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod super quæstione mota, quæ est inter excellentissimum dominum Ludovicum Dei gratia regem Francorum illustrem ex una parte, & nos Remensem archiepiscopum ex altera, super custodia sive gardia sancti Remigii Remensis, de eorum assensu, dicti regis & nostro consentiente capitulo Remensi, ordinatum est inter dictum regem & nos, quod Joannes de Trecis archidiaconus & Philippus scholasticus ecclesiæ Bajocensis, audiant rationes regis & nostras, & inquirant bona fide de possessione & proprietate dictæ custodiæ, ad quem pertineat, tam per testes quam per instrumenta. Et si per legitimam inquisitionem liqueat eis de proprietate, illi adjudicabunt proprietatem ad quem pertinebit, &c. De consensu regis & nostro ac capituli electus est mediator Odo archiepiscopus Rotomagensis, &c. Datum anno M. CCLXI. feria secunda post Dominicam qua cantatur *Reminiscere.*

LXVIII.

Literæ Alfonsi comitis Pictaviensis, in gratiam Johannis de Courtenai *archiepiscopi Remensis.*

Ex Sammarthanis. *Circiter* 1263.

SAnctissimo in Christo patri ac domino Urbano Dei gratia summo pontifici, Alfonsus filius regis Franciæ, comes Pictaviensis & Tolosæ, salutem & cum debita reverentia devota pedum oscula beatorum. Cum in Remensi ecclesia jamdudum pastoris solatio destituta, venerabilis pater G. tituli sancti Marci presbyter cardinalis, ex una parte, & dilectus consanguineus noster Joannes de Curtiniaco, pro quo alias vestræ sanctitati preces porreximus, ex parte alia sint electi: nos desolationi ejusdem ecclesiæ, ac vexationi dicti consanguinei nostri, qui in eadem electione a multis fide dignis creditur jus habere, compatientes ex animo, sanctitatem vestram duximus exorandam, quatinus negotium ipsius electionis, frustratoriis dilationibus & allegationibus amputatis, celeri fine velitis, si placet, concludere; & prædicti Joannis jus quod habere dicitur in eadem, illæsum observare, nostrorum precaminum interventu * * * prædicta ecclesia propter tractum longioris litigii diutius opprimatur. Creditur autem ab aliquibus via expediens, quod prius vestra sanctitas discutiat inter fratres, memorato cardinali dare velit licentiam transigendi, si tamen jus haberet in electione prædicta. Quod si non placuerit dare hujusmodi licentiam, non debet jus prædicti Joannis per ipsum cardinalem aliquatenus impediri.

LXIX.

De jure regalium in præbendas ecclesiæ Remensis.

Ex Sammarthanis. 1267.

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio regi Francorum illustri, salutem. Cum dilectus filius noster G. tituli sancti Marci presbyter cardinalis, auctoritate nostra sibi a nobis oraculo vivæ vocis commissa, præbendam quam in Remensi ecclesia per promotionem venerabilis fratris nostri Joannis archiepiscopi Remensis, tunc canonici ejusdem ecclesiæ, olim dinoscitur vacavisse, dilecto filio Joanni de Villarisicco Remensi canonico contulisset; nos collationem hujusmodi ratam habentes, eam auctoritate apostolica duximus confirmandam: verum quia tu ea ratione, videlicet quod vacantes confers in ea ecclesia præbendas, a tempore quo eamdem ecclesiam pastoris regimine contingit destitui, donec substitutus illi archiepiscopus regalia receperit a te, hujusmodi collationem in tuum præjudicium asseris esse factam, nos te, quem pro tuis clarissimis meritis internæ complectimur brachio caritatis, super hoc scandalizare nolentes, dilecto filio Dionysio canonico ejusdem ecclesiæ damus in mandatis, ut a dicto Joanne resignationem illius præbendæ liberam auctoritate nostra recipere non omittat, &c. Nos quod per præmissa usui quo * in præfata ecclesia circa collationem præbendarum ipsarum ulterius præjudicare non volumus, nec etiam intendimus, has literas in testimonium sublimitati regiæ duximus concedendas. Datum Viterbii idib. Septemb. pontificatus nostri anno tertio.

* Ita apud Sammarth.

LXX.

Charta Roberti I archiepiscopi Remensis.

Ex biblioth. regia. 1300.

UNiversis, &c. . . . . . Robertus Dei gratia Remensis archiepiscopus, dominus de Baillolis diœcesis Parisiensis. Noveritis quod quum religiosi de Valle haberent in dicto nostro dominio de Baillolio duos sextarios & duos boissellos bladi . . . . . nos concessimus ut teneant in manu mortua, &c. . . . . . M. CCXCIX. mense Martio.

E

L X X I.

Ex Marlot. tom. 2. pag. 607.

Augustiniani Eremitæ subrogati fratribus de Sacco apud Remos.

1320. ROBERTUS miseratione divina Remensis archiepiscopus, salutem. Literas sanctissimi patris ac domini Johannis divina providentia universalis ecclesiæ summi pontificis cum reverentia qua decuit, recepimus, formam quæ sequitur continentes:

» Johannes episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Remensi, ac Aurelianensi & Tornacensi episcopis, salutem & apostolicam benedictionem. Ex parte carissimi in Christo filii nostri Philippi, Franciæ & Navarræ regis illustris, nobis exstitit intimatum, quod loca quæ dudum fratres de Pœnitentia Jesu Christi, alias dicti *de Saccis*, in vestris diœcesibus obtinebant, jam sunt totaliter derelicta; quare nobis humiliter supplicavit, ut quum priores & fratres Eremitæ ordinis sancti Augustini in eisdem civitatibus proprias non habeant mansiones, dicta loca quæ secundum constitutionem concilii Lugdunensis sunt dispositioni sedis apostolicæ reservata, eisdem fratribus Eremitis concedere dignaremur. Nos igitur ejusdem regis supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus si vobis visum fuerit quod fratres prædicti ordinis sancti Augustini in locis prædictis debeant esse opportuni, loca ipsa auctoritate nostra eisdem fratribus concedatis, constitutione felicis recordationis Bonifacii VIII prædecessoris nostri super locis a religiosis ordinum Mendicantium sine licentia sedis apostolicæ de novo non recipiendis edita, non obstante. Datum Avenioni quinto non. Julii, pontificatus nostri anno quinto. »

Quia vero communicato bonorum consilio & deliberatione habita diligenti nobis visum exstitit quod dicti priores & FF. Eremitæ ordinis sancti Augustini, qui nec habebant, nec habuerunt hactenus in nostra civitate & diœcesi Remensi mansionem in loco quem dudum FF. de Pœnitentia J. C. alias dicti *de Saccis*, in nostra civitate prædicta obtinebant, jam totaliter derelicto, opportuni esse deberent; quodque si dictum locum eis concederemus, ex hoc cultus augeretur divinus, & populus nobis commissus per ipsos instrueretur tam verbo prædicationis, quam sanctæ conversationis exemplo: ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, & divini cultus augmentum, locum prædictum auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa, fratribus Eremitis concedimus, & concessimus ab ipsis perpetuo possidendum, &c. . . . In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCCXX. die Sabbati post octavas festi Trinitatis.

L X X I I.

Ex Sammarthanis.

Donatio facta Humberto archiepiscopo Remensi.

1352. NOtum sit quod nos Petrus dux Borbonii, comes Claromontis & Marchiæ, ac camerarius Franciæ, donamus, concedimus & largimur de consensu & voluntate domini mei regis, reverendo in Christo patri domino Humberto divina providentia patriarchæ Alexandrino, administratori perpetuo Remensis ecclesiæ, ac Delphino antiquiori Viennensi, dilectissimo consanguineo nostro, domos nostras sitas in nemore de Vincenis prope Parisius, contiguas in eodem nemore ecclesiæ, & domum Bonorum hominum ibidem existentium, ordinis Grandismontis, prout se comportant, tam in longo quam in lato, cum omnibus consuetudinibus & privilegiis quæ habemus ratione dictarum domorum, in toto nemore, & regressibus & progressibus universis, ac juribus & pertinentiis earumdem, quibus eas possidemus & possidebimus usque in præsentem diem, ad vitam duntaxat dicti Humberti consanguinei nostri: ita quod dictarum domorum proprietas & possessio post mortem dicti Humberti consanguinei nostri, cum omnibus melioramentis & reparationibus factis & faciendis in domibus prælibatis, revertatur ad nos vel ad heredes nostros, eo modo & jure quibus eas ante possidebamus, &c. Datum Parisiis anno Domini M. CCCLII. die XXII. mensis Septembris.

L X X I I I.

Moniales Clari-marisci transferuntur Durocortorum. Ex chartulario Clari-marisci.

JOANNES Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis præsentibus & futuris, quod cum propter factum guerrarum nostrarum omnia ædificia monialium monasterii de Claro-marisco Cisterciensis ordinis, prope Remis, adeo destructa & demolita fuerint, prout jamdiu fuerunt & adhuc sunt de præsenti, qui locus inhabitabilis omnino est effectus; & quia religiosa abbatissa & conventus monasterii prædicti locum alium in quo habitare possent non habebant, a Thoma *Jupin* civi Remensi emerunt quamdam domum cum uno jardino seu curtillo, retro dictam domum, sitam Remis in vico qui dicitur *Bourg de Veelle*, in vico *de Tilloy*, prout se comportant in longitudine, latitudine & transverso, contiguo domui Perrardi *Brullart* ex una parte, & ex alia parte cuidam masuræ Jaqueto *Cauchon* pertinenti: quam masuram idem Jaquetus in puram eleemosynam præfatis religiosis nuper donasse dicitur contiguam heredibus Stephani fabri. In qua quidem domo, masura seu jardino, religiosæ prædictæ ecclesiam seu oratorium construere, auxiliante Domino, proponunt, pro orando & divinum servitium ibi faciendo; nobisque supplicari fecerunt, ut dictam domum cum jardino seu curtillo retro, una cum masura prædicta admortizare vellemus. Nos vero laudabile propositum dictarum religiosarum in Domino commendantes, & ut de missis & orationibus, quæ ibidem celebrabuntur, participes efficiamur, eisdem religiosis auctoritate nostra regia, certa scientia & gratia speciali concedimus per præsentes, ut prædictam domum cum jardino seu curtillo prædicto, una cum dicta masura, absque tamen feodo & justitia, tenere, retinere & possidere valeant, tamquam rem suam propriam, in perpetuum pacifice & quiete, & ibidem oratorium seu ecclesiam, & alia ordini suo pertinentia ædificare, construere, seu etiam ordinare, absque eo quod teneantur seu possint compelli ea futuris temporibus extra manus suas ponere, & absque eo quod nobis seu successoribus nostris aliqualem financiam propter hoc solvere teneantur; quam siquidem financiam nos præfatis religiosis ex ampliori gratia quittamus & donamus. Et ut prædicta perpetuæ stabilitatis robur obtineant in futurum, præsentes literas sigilli nostri fecimus appensione muniri, nostro in aliis & alieno in omnibus jure salvo. Datum & actum Remis anno Domini M. CCCLXIII. mense Septembris die ultima. 1363.

L X X I V.

Testamentum Richardi de Bisuntio Remensis archiepiscopi. Ex schedis D. Edmundi Martene.

IN nomine Dei, amen. Tenore præsentis publici instrumenti cunctis pateat evidenter, quod anno Domini M. CCCLXXXIX. indictione XII. die vero XXII. mensis Septembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris, ac domini nostri domini Clementis divina providentia papæ septimi anno XI. in mei notarii publici, testiumque infrascriptorum 1389.

ad hæc vocatorum specialiter & rogatorum præsentia personaliter constitutus reverendissimus in Christo pater & dominus dominus Richardus, Dei & apostolicæ sedis gratia Remensis archiepiscopus, sana mente considerans & attendens quod nihil certius morte, nihil incertius hora mortis, nolens discedere intestatus, sed potius cupiens dum in bona viget memoria, suæ saluti animæ providere de bonis sibi a Deo collatis, nomine sanctæ & individuæ Trinitatis primitus invocato, dixit & asseruit quod testamentum suum seu suam ultimam voluntatis ordinationem faciebat & ordinabat, prout & quemadmodum in præsenti pagina seu instrumento continetur.

Inprimis omnia alia testamenta, seu bonorum suorum ordinationes per ipsum hactenus factas, revocando & annullando commendavit animam suam Altissimo creatori; deinde elegit sepulturam suam in ecclesia Remensi juxta altare magnum in dextra parte, super sepulturam bonæ memoriæ domini Ludovici quondam Remensis archiepiscopi.

Item voluit debita sua solvi, & forefacta restitui.

Item legavit cuilibet vicario ecclesiæ Remensis, qui intererit in dicendo psalterium die obitus sui, & continue leget in choro dictæ ecclesiæ dictum psalterium in vigilia obsequiarum suarum, quinque solidos Parisienses.

Item cuilibet sacerdoti in dicta ecclesia Remensi, die quo fient obsequiæ obitus sui missam de *requiem* pro ipso & suis parentibus ac benefactoribus devote celebranti, duos grossos Turonenses argenteos.

Item legavit canonicis dictæ Remensis ecclesiæ in vigiliis atque missa sui obitus continue interessentibus, viginti quinque florenos francos aureos, inter se æqualiter distribuendos & dividendos.

Item legavit conventui beati Remigii Remensis, decem florenos aureos francos, dum tamen veniant & intersint in dictis vigiliis atque missa die sui obitus processionaliter & cum cruce, & postea quantocius poterunt celebrare teneantur vigilias atque missam de defunctis cum nota, pro remedio animæ suæ, parentumque & benefactorum suorum.

Item donavit & legavit conventui beati Nicasii Remensis, sub dictis modo & forma, decem francos.

Item dedit & legavit similiter conventui sancti Dionysii Remensis, sub prædictis modo & forma, decem francos auri.

Item dedit & legavit fabricæ ecclesiæ Remensis, meliorem robam suam cum mantello & forraturis, eligendam arbitrio executorum suorum inferius nominandorum, quodque ponantur in pertica ante sanctum Lac, & fiat pulsatio more solito pro talibus legatis.

Item legavit curato de Curvilla decem solidos Parisienses, dum tamen vigilias & unam missam pro defunctis dicat pro remedio animæ suæ, parentumque & benefactorum suorum cum nota.

Item legavit pauperibus de Curvilla & de Montibus supra Curvillam, qui intererunt in missa ac vigiliis mortuorum, quatuor libras Parisienses.

Item dedit & legavit curato de Cormissiaco ac pauperibus ejusdem villæ, curato videlicet viginti solidos, & pauperibus quadraginta solidos, modo & forma prædictis.

Item curato & pauperibus de Bettonquilla, curato videlicet decem solidos, & pauperibus quadraginta solidos, modo & forma prædictis.

Item prædictis modo & forma, curato de Septemsalicibus decem solidos, & pauperibus quadraginta.

Item dedit & legavit curato de Attigniaco decem solidos, & pauperibus dictæ villæ quadraginta solidos.

Item curato de *Vailli* decem solidos, & pauperibus dictæ villæ quadraginta solidos, sub prædictis modo & forma.

Item dedit & legavit ecclesiæ beatæ Mariæ Remensis ad usum & opus ecclesiæ, paramenta sua alba, videlicet casulam, dalmaticam, tunicam, faldistorium; ita quod illi de capitulo teneantur orare pro ipso post mortem suam.

Item legavit hospitali B. Mariæ Remensis, decem francos aureos; ita quod teneantur orare pro ipso die obitus sui: quorum francorum quatuor distribuentur inter pauperes dicti hospitalis.

Item hospitali sancti Antonii Remensis viginti francos, quorum quatuor franci distribuentur inter pauperes dicti hospitalis, & residuum ad utilitatem dicti hospitalis convertetur.

Item cuilibet aliorum hospitalium Remensium, duos francos.

Item dedit & legavit Fratribus Prædicatorib. Rem. præsentibus in obsequiis suis, decem francos; ita quod teneantur celebrare unam missam de *requiem* pro anima sua & animabus parentum & benefactorum suorum.

Item legavit Fratribus Minoribus Remensibus sex francos, sub prædictis conditionibus & modis.

Item Fratribus Augustinensibus Remens. quatuor francos, & fratribus Carmelitis Remens. totidem, sub prædictis conditionibus & modis.

Item legavit ecclesiæ beati Stephani Bisuntinensis, cappam suam meliorem albam, & cappam suam nigram quam habuit de executione domni episcopi Lexoviensis; ita quod illi de ecclesia prædicta teneantur celebrare tres missas cum nota & vigilias mortuorum pro remedio animæ suæ, parentumque & benefactorum suorum infra tres hebdomadas, postquam eis nunciatum fuerit; & cuilibet canonico existenti continue in vigiliis & missa, quatuor solidos Parisienses, & cuilibet capellano dictæ ecclesiæ beati Stephani, qui consuevit ibidem facere residentiam, continue existenti in dictis obsequiis, ut supra, duos solidos Parisienses.

Item cuilibet canonico B. Johannis Bisuntinensis, qui consuevit facere residentiam ibidem, continue existenti in vigiliis & in missa, quatuor solidos Parisienses.

Item cuilibet capellano continue existenti ut supra, duos solidos Parisienses.

Item dedit & legavit Fratribus Prædicatoribus Bisuntinensibus, cappam suam nigram cum paramentis altaris, quæ habuit in executione quondam domini Lexoviensis episcopi: ita quod teneantur celebrare unam missam de *requiem* qualibet hebdomada usque ad annum, in capella parentum suorum.

Item ecclesiæ parochiali sancti Petri Bisuntinensis, duas cappas suas, albas minores suas factas cum broda, & incensorium de argento: ita quod capellani dictæ ecclesiæ teneantur semel in hebdomada usque ad unum annum, celebrare bis unam missam de *requiem* & vigilias mortuorum, pro remedio animæ suæ, parentumque & benefactorum suorum, quibus & curato dicti loci præsentialiter interessentibus in dictis vigiliis atque missa, legavit viginti solidos Parisienses semel duntaxat, distribuendos inter ipsos.

Item legavit dictæ ecclesiæ B. Petri Bisuntinensis, incensorium suum cum navicula.

Item collegio B. Mariæ Magdalenæ Bisuntinensis, beati Pauli, beati Vincentii collegiis & cordigerorum Bisuntinensium, cuilibet dictorum collegiorum XL solidos Parisienses: ita tamen quod quilibet eorum teneatur celebrare unam missam de *requiem* cum vigiliis mortuorum, pro remedio animæ suæ, parentumque & benefactorum suorum.

Item fratribus hospitalis S. Spiritus Bisuntinensis, viginti solidos Parisienses: ita quod teneantur dicere unam missam cum vigiliis mortuorum, & eisdem interesse.

Item legavit pauperibus hospitalis de Terrenis Bisuntin. viginti quatuor solidos Parisienses, distribuendos inter ipsos.

Item dedit & legavit magistro Johanni Vetulæ,

olim ballivo suo Remensi, suam tunicam, gallice *cote à armer,* forratam argento, bassinetum suum, meliorem mantum, gallice *camail,* & meliorem suam tunicam ferream, cum harnesio pro tibiis armandis, una cum gallice *les avant-bras.*

Item dedit & legavit domino Henrico de Vallibus unum harnesium, scilicet tunicam ferream, harnesium pro tibils, gallice *avant-bras.*

Item legavit Gerardo totidem, excepto harnesio tibiarum, quia non est.

Item Robino Leuriæ unum harnesium, videlicet tunicam ferream, bassinetum garnitum de gallice *camail,* & harnesio pro brachiis armandis, cum pecia ferrea.

Item voluit quod solvantur debita sua, videlicet decem franci heredibus & successoribus magistri Guidonis de Bisuntio quondam officialis Tornacensis.

Item voluit & ordinavit quod solvantur hospitali sancti Antonii Remensis, quæ ei debet.

Item ordinavit quod reddatur lectura archidiaconi Vi. . . abbati sancti Stephani Divionensis.

Item voluit & ordinavit quod solvantur capellanis capellaniæ suæ, quadraginta franci distribuendi inter eos, ultra ea quæ debet pro vadiis, secundum quod capiunt vadia sua.

Item Simoni domino de *Attigny,* in recompensationem laborum & servitiorum suorum, legavit crucem suam quæ portatur ante eum : ita quod nihil aliud possit reclamare in bonis suis.

Item Guillelmo *Pidel* ultra ea quæ sibi debentur, viginti francos.

Item Hussonio dicto *Picotin,* olim familiari cameræ suæ, unum lectum familiarium suorum, garnitum cussino, coopertorio & quatuor linteaminibus, ac decem francos.

Item dedit & legavit Johannino barbitonsori suo, unum lectum garnitum coopertorio & quatuor linteaminibus familiarium suorum.

Item Petro olim clerico capellæ suæ, ultra portionem quam debebat capere cum capellanis, dedit & legavit decem francos.

Item Johanni coquo suo, viginti francos auri & unum lectum secundum sufficientiam status sui, garnitum coopertura & quatuor linteaminibus.

Item Regnaudo famulo suæ coquinæ, viginti francos & unum lectum secundum sui status decentiam, garnitum coopertura & quatuor linteaminibus.

Item parvulis famulis decem francos aureos distribuendos æqualiter inter ipsos.

Item Guidoni *Gentiere* presbytero, famulo cameræ suæ, dedit & legavit quinquaginta florenos aureos francos.

Item Perrineto magno buticulario suo, ultra ea quæ sibi debentur pro vadiis suis, legavit x. francos.

Item Perrineto olim adjutori suo, quinque francos.

Item Odetæ filiæ magistri Roberti Gerardi filiolæ suæ, legavit seu donavit unum gobletum suum argenteum deauratum, cum coopertura.

Item magistro Roberto Gerardi compatruo suo, dedit & legavit suum alium godetum argenteum, rogans ipsum magistrum Robertum ut animam & executionem ipsius habere dignetur commendatas.

Item Guidoni *Picque* dedit & legavit suam robam de viridi, cum forraturis.

Item dedit & legavit Guillelmo Rondeti de Bisontio, robam suam de saigneto, cum forraturis.

Item Helvidi G. . . . Heloys de Beylleio, robam suam de Bruxellis de marbreto bruno.

Item dictæ *la Piteye,* quinque francos & robam suam de saigneto.

Item Pauletæ custodi hospitii sui Paris. suam clochiam de Cameraco, una cum capucio & forratura.

Item dedit & legavit domno Nicolao de Turribus præposito ecclesiæ Remensis, unum dragerium suum cum cocleari, & gobletum suum coopertum, factum

A ad modum tonelli ; & quia dictus gobletus alienatus est, legavit eidem domno Nicolao loco dicti gobleti, missale suum quod eidem dedit magister Paulus.

Item magistro Remigio de Sancto Hilario, unum cyphum mazareum cum pede de argento, una cum missali suo quotidiano.

Item magistro Guillelmo *Fillastre* alteri officialium suorum, dedit & legavit novellam suam Jo. Andreæ.

Item domino Egidio curato de Cormissaco, olim magistro hospitii sui, dedit & legavit unum de cyphis suis de mazareio, cum pede de argento.

Item Guillelmo Salomonis olim receptori suo, unum alium cyphum cum pede argenteo.

Item dedit & legavit domino Gaufrido Caponis socio suo, glossarium suum super Decretum.

B Item dedit & legavit dominis suis metuendissimis dominis ducibus Burgundiæ & de Borbonio, videlicet domino duci Burgundiæ, unum annulum gallice *bales,* quem dominus noster rex in sua consecratione sibi dedit, & domino de Borbonio suum anulum gallice *dyamant ;* recommendans eis & eorum cuilibet, quantum potest, animam suam & executionem, supplicans eisdem quod eas dignentur habere commendatas.

Item dedit & legavit Guidoni *Picque* fratri suo, trecentos francos aureos ac meliores duos lectos suos, & meliores duos alios familiarium suorum pro suis familiaribus, duas coopertures lecti, unam fourratam de minutis variis, & aliam forratam de griseis pennis, duas coopertures lecti familiarium suorum

C pro familiaribus dicti Guidonis.

Item legavit eidem Guidoni octo linteamina de melioribus pro corpore suo, & octo de melioribus familiarium suorum.

Item dedit & legavit domino Bisuntio nepoti suo, vestem suam de scarlata, quam dominus episcopus Parisiensis sibi dedit, una cum viginti francis aureis & equum quem equitat, quæ omnia sibi dari voluit.

Item dedit & legavit magistro Stephano fratri suo, duas pennas de griseis meliores suas, & unum de breviariis quod eligere maluerit, & suum parvum missale ad usum Rotomagensem.

Item eidem magistro Stephano dedit & legavit meliorem almussiam suam cum duobus superpliciis suis melioribus.

D Item voluit & ordinavit quod residuum robarum suarum de quibus in præsenti testamento non ordinavit, distribuatur & ordinetur ad voluntatem & ordinationem dicti magistri Stephani fratris sui.

Item magistro Stephano fratri suo dedit optionem de libris suis legalibus & canonum de quibus non ordinat in præsenti testamento, quod ipse quatuor eligat pro se quos maluerit, quæ volumina sibi legavit & remanere voluit pro omnimoda voluntate sua facienda.

Item dedit & legavit domno Johanni *Balderi* presbytero sigillifero curiæ Remensis, triginta francos aureos.

Item dedit & legavit domno Bertoldo Galteri secretario suo & Johanni de Sancto Egidio, cuilibet

E eorum quindecim francos aureos.

Executores autem hujus testamenti sui fecit & ordinavit suos executores venerabiles viros dominos & amicos suos carissimos, dominum Nicolaum de Turribus supra Maternam, magistrum Remigium de S. Hilario parvo, dominum Gauffridum *Chappon* socium suum, magistrum Guillelmum *Fillastre,* dilectum fratrem suum magistrum Stephanum *Picque,* magistrum Johannem Vetulæ olim ballivum suum Remensem, dominum Guidonem *Gentiere* familiarem suum, dominum Johannem *Balderi* prænominatum, & dominum Egidium curatum de *Cournissi* olim magistrum sui hospitii, & eorum quemlibet in solidum ; ita quod duo saltem exequantur præmissa, legans eis præmissa legata pro pœna & labore

executionis suæ prædictæ : voluit tamen quod si contingat eos vacare pro executione hujusmodi, quod expensæ factæ pro præmissis eis solvantur & deliberentur. In residuo vero bonorum suorum facit & restituit in quarta parte dicti residui heredes suos, videlicet fabricam ecclesiæ Remensis; in alia quarta parte pauperes scholares Parisienses & Aurelianenses; in alia vero quarta parte pauperes puellas; & in alia quarta parte pauperes sacerdotes bonæ vitæ & bonæ famæ pro missis celebrandis pro remedio animæ suæ, parentumque, amicorum & benefactorum suorum, ad arbitrium executorum suorum. Voluit insuper quod si alicui de prædictis teneatur in aliquo, videlicet prædictis legatariis quod legatum superius sibi factum cedat in solutionem debiti sui.

Item voluit & ordinavit quod si constet ipsum dominum testatorem aliquibus teneri, dicti sui executores solvere possint quod eis debitum apparebit.

Item voluit & ordinavit quod super omnibus & singulis bonis suis & negotiis quibuscunque per dilectum suum dominum Guidonem *Gontiere* presbyterum habitis, gestis & administratis, & usque ad diem obitus sui habendis, gerendis & administrandis, & de omnibus in quibus die obitus sui eidem tenere poterit quocunque titulo sive causa, credatur eidem per suum juramentum, absque eo quod heredes vel executores sui, aut alias ab eo causam habentes vel habituri, ultra quod juraverint, vel aliter quicquid possint petere vel exigere ab eodem, vel suis heredibus executoribus, aut alias causam habentibus vel habituris ab eodem, sed præfato per eumdem dominum Guidonem hujusmodi juramento voluit ipsum quietum penitus & liberum remanere, exceptis his duntaxat quæ per suum confessus fuerit juramentum, voluitque *** præsentis clausulæ dictus dominus Guido habeat signo mei notarii publici infrascripti signatæ.

Supponens hoc suum testamentum seu ordinationem, sua, & bona sua quæcumque submittens executores ipsos & ordinationem jurisdictioni ac omnimodæ voluntati & dispositioni curiæ Parlamenti domini nostri Francorum regis, supplicans dominis suis prædicti Parlamenti, quatenus hujusmodi intuitu commenda *** ac bona sua quæcunque & dictæ executionis suæ statim cum ab hac luce migratus fuerit, ad manum dicti domini nostri regis & suæ curiæ prædictæ ponere & tueri in eadem, juxta ipsius curiæ beneplacitum, & quousque dictum suum testamentum seu ultima sua voluntas fuerit executa & adimpleta quoad jurisdictionem, protectionem & defensionem.

Voluit insuper & ordinavit quod si aliquod præmissorum legatorum alienatum fuerit, quod æstimatio tradatur legatariis.

Volens istud præsens testamentum seu ultimam ordinationem suam talem jure testamenti seu ultimæ voluntatis, aut alio modo, quo melius valere poterit & debebit de consuetudine ac de jure; volens insuper & ordinans quod executores dicti testamenti sui seu ultimæ voluntatis possessiones bonorum suorum mobilium & conquestuum a modo habeant & de ipsis sint & maneant saisiti, quorum bonorum eosdem habere voluit & ordinavit saisitos, se de eisdem desaisiens, ipsisque dictorum bonorum suorum possessionem tradens per præsentes. Super quibus idem reverendissimus pater voluit & ordinavit per me notarium publicum infrascriptum, unum atque plura fieri publica instrumenta. Acta fuerunt hæc Remis in castro portæ Martis, ubi tunc residebat dictus reverendissimus pater, anno, indictione, mense, die & pontificatu quibus supra, præsentibus ad hæc discretis viris dominis Simone de Attigniaco, Petro *Guillemer* presbyteris, & Johanne de *Salieres* clerico Remensis & Bisuntinensis diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Johannes *Balderi* de Demicurte Remensis diœcesis, publicus apostolica auctoritate notarius, dum & quando reverendissimus in Christo pater & dominus dominus Remensis archiepiscopus suprascriptus, asseruit quod suum condebat testamentum modo & forma in præsenti instrumento seu pagina superius expressatis, una cum præscriptis testibus præsens fui, præsensque publicum instrumentum inde confectum aliena manu scriptum signo meo solito signavi in testimonium veritatis requisitus.

Ea quæ tangunt in præsenti testamento dominum Johannem *Balderi*, coram me Andrea de *Mersy* clerico curiæ Remensis notario, per dictum reverendissimum patrem concordata sunt & passata. Datum sub signo meo quo in talibus utor, anno & die, & præsentibus testibus suprascriptis.

L X X V.

Testamentum Guidonis de Roia archiepisc. Remensis.

Ex Sammarthanis. 1400.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. Per hoc præsens publicum instrumentum &c. . . . præsentia constitutus reverendissimus in Christo pater & dominus Guido Dei gratia Remensis archiepiscopus, sanus mente & corpore, considerans quam breves dies hominis sint, de bonis a Deo sibi collatis, & per eum justo titulo acquisitis, suum condidit & ordinavit testamentum & ultimam voluntatem in forma quæ sequitur. Imprimis revocavit omne testamentum, codicillum & aliam ordinationem per eum hactenus factam : item quando & quotiens contigerit ipsum ab hac luce subtrahi, animam suam commendavit Altissimo creatori nostro Jesu Christo : item pro expensis funeralium suorum ordinavit de bonis suis prædictis recipi mille libras Turonenses : item voluit omnia debita sua, de quibus notorie per legitimas conjecturas, aut per assertionem cum juramento notabilium personarum constabit, necnon & forefacta sua, seu injurias forsitan per eum illatas, & illas persolvi, emendari & restitui, & propterea voluit de bonis suis prædictis recipi mille libras Turonenses distribuendas in puras eleemosynas & pios usus : item ordinavit de bonis prædictis recipi mille libras distribuendas propinquis & consanguineis suis, quæ eis assignabuntur, si executoribus infrascriptis videatur utile, super debitis per nobiles aut magnates : ordinavit universis familiaribus suis, qui sunt, fuerunt & erunt, bene & debite satisfieri de servitio, prout executoribus suis per informationes sufficientes constare poterit : propterea voluit de bonis prædictis recipi mille libras semel tantum solvendas : item singulis familiaribus suis commensalibus, qui erunt tempore sui obitus, & qui soliti erant cum eo equitare, legavit & donavit equos quos soliti erant equitare : item propter caritatem ac in pura eleemosyna ordinavit quod singulis familiaribus suis commensalibus, qui tempore sui obitus sibi servient, provideatur de habitatione, &c. item legavit mensæ archiepiscopali Senonensi, ac de bonis prædictis recipi voluit mille libras Turonenses semel tantum solvendas, convertendas in emtionem reddituum : item de bonis prædictis voluit recipi septingentas & quinquaginta libras Turonenses, quas æquis portionibus distribuendas legavit mensis archiepiscopali Turonensi, ac episcopalibus Virdunensi & Dolensi convertendas : item ecclesiæ seu capitulo Remensi legavit totum & quidquid reperietur in quodam scrinio signeto dicti testatoris consignato, & in monasterio S. Remigii Remensis deposito, per manus executorum suorum eis tradendo, sic tamen quod se obligabunt facere & sustinere onera & alia per ipsum testatorem ordinata, juxta formam, modum & ordinationem in certis scripturis in eodem scrinio inclusis, designatam : item eidem ecclesiæ seu capitulo,

in casu quo providere voluerint de lapidibus ad faciendum circa chorum historiam pulchram & honestam, de sculptura, pro beata Virgine, prout est de alia historia circa chorum ecclesiæ Parisiensis, pro hujusmodi sculptura facienda legavit mille libras Turonenses semel tantum solvendas: item pro melioratione & fortificatione domorum seu castrorum mensæ archiepiscopalis Remensis, & maxime domus de Curvilla, legavit tres mille libras solvendas per manus executorum, quotiens constiterit meliorationem aut fortificationem fieri in toto vel in parte, juxta sumtus factos aut in proximo faciendos; & si post datum præsentis testamenti constaret dictum testatorem in dicta domo de Curvilla reparationes pro melioratione fuisse factas, voluit de dicta summa tria millia libr. per suos executores retineri & penes eos remanere tantum quantum juxta arbitrium bonorum virorum dicetur dictum testamentum in eisdem reparationibus exposuisse; & quia dictus testator, ut asseruit, in nullis reparationibus tenetur, tamen omnia loca sua, fortalitia & ædificia debite & optime reparavit: voluit & ordinavit, quod si unicuique judicialiter, vel alteri ad reparationes quascumque in castris, domibus & ædificiis mensæ prædictæ condemnaretur, dicta summa in toto vel in parte, pro hujusmodi condemnatione currat & exponatur, &c. item successoribus suis archiepiscopis Remensibus, seu mensæ archiepiscopali Remensi legavit omnia ornamenta capellæ & jocalia pontificalia quæ tempore sui obitus habebit, necnon omnes & singulos libros suos; sic tamen quod de duplicatis unum tantum percipient, ac etiam supellectilem & utensilia & sufficientia, necessaria & honesta, pro castro suo portæ Martis; ac domibus de Curvilla, & quam habet Parisius, & de illis quæ in eisdem reperientur, ac armatas pro custodia portæ Martis & de Curvilla necessaria. Quæ omnia post obitum testatoris per capitulum ecclesiæ Remensis aut deputatos ab eis, in executorum aut aliquorum ex eis præsentia tradent & deliberabunt successori suo, & sic aliis successoribus, quotiens in ecclesia novus archiepiscopus creabitur; sic tamen quod idem successor & successores se obligabunt & promittent ea manu tenere, & si aliqua consumerentur, ea reficere & reintegrare, & semper per cessum vel decessum eorum restituere, & restitui facere bona & sufficientia, & illa non vendere, impignorare vel alienare, cum hæc idem dominus testator, ut asseruit, pro usu successorum suorum, ac utilitate & honestate ecclesiæ legaverit: item eisdem successoribus & mensæ legavit redditus infrascriptos, pro supportatione onerum archiepiscopis incumbentium, videlicet XII libras Turonenses annui redditus super terram suam de *Dompmart* percipiendas: item quindecim libras Turon. super castro, terra & appenditiis de *Busancy:* item decem libras Turonenses super terra sua de *Launoy,* quas summas possessores terrarum prædictarum eisdem successoribus perpetuo solvere tenebuntur: item mensæ prædictæ pro emtione ducentarum librarum Parisiensium admortisatarum vel admortisandarum, sibi applicandarum, & sustentatione onerum infrascriptorum legavit quinquies mille libras Turonens. semel tantum solvendas per manus executorum, dum redditus reperientur tradendas; & si non reperirentur admortisatæ, quod non admortisatæ ad majorem summam quam ducentarum, emantur juxta quantitatem; pecuniæ & successores sui tradent hominem, si eas tenere noluerint, & lapsu temporis si usque ad dictam summam CC librarum possent admortisari restantes redditus, manente dicta summa ducentarum librarum possent vendi, & pretium in admortisationem hujusmodi converti; & quia possessores castri & terrarum prædictarum de præfatis reditibus perpetuis oneravit, idem testator ordinavit ut possessores alicubi, tantam vel majorem summam pro sui castri ac terrarum prædictarum relevamine possint acquirere, quod ille ad quem post obitum dicti testatoris spectabit, castrum, terra & appenditiæ de *Busancy* super dicta summa quinquies mill. libr. trecentas, & ad quem terra de *Dompmart* pertinebit super eadem summa ducentarum quadraginta, & ad quem terra de *Launoy* spectabit super eadem summa ducentas libras Parisienses per manus executorum aut successoris sui, si hujusmodi summa fuerit tradita, semel tantum persolvendas, percipiant in emtione redditiuum pro relevamine hujusmodi committendas; & insuper de redditibus hujusmodi de prædicta summa quinquies mille libr. pro mensa præfata acquirendarum, singuli successores dicti testatoris, duodecim singulorum capellano, presbyteris familiaribus, commensalibus, cuilibet capellano sexdecim libras Turonenses & duobus clericis capellæ, similibus familiaribus, cuilibet octo libr. Turonenses quolibet anno realiter tradere & solvere tenebuntur. Præfati autem capellani singuli tenebuntur omni die missam celebrare, & præter quam in festis annualibus facere specialem memoriam, collectam & orationem pro dicto domino testatore, pro archiepiscopo pro tempore existenti, ac toto clero & populo civitatis & diœcesis Remensis, ac aliis pro quibus testator tenetur orare: singuli autem ex capellanis ipsis qui ex aliqua causa rationabili non poterunt celebrare, solvere tenebuntur pretium pro missa per alium celebranda; clerici autem in missis prædictis servire tenebuntur, & ad præmissa complenda iidem capellani & clerici per juramentum & aliud astringantur, &c. Item Matthæo *de Roye* nepoti suo legavit castrum, terram & appenditias de *Busancy,* & terram de *Launoy:* item Joanni nepoti suo legavit terram de *Dompmart,* de *Bielarcy* & de *Maicy;* & si contingeret castrum & terram de *Brimetel* pro parte domini Petri de Credonio dominæ ejus uxori, aut heredum suorum, aut causam ab eis habentium ab eodem Joan. evinci, voluit & ordinavit idem testator, duo legata de *Busancy* & de *Launoy* facta hujusmodi non tenere, sed eo casu Matthæo terras de *Launoy,* de *Dompmart* & de *Bielarcy* solum, & Joanni prædicto castrum, terram & appenditias de *Busancy* duntaxat legavit, sic quod idem Matthæus contradicere aut se opponere non possit: at ordinavit per eos prout ad quemlibet pertinuerint, redditus prædictos super terris ipsis assignatos & mensæ Remensi legatos, perpetuo persolvi, & ad hoc castrum & terras ipsas perpetuo manere obligata. Insuper voluit quod Matthæus nepos mediantibus præmissis, ac portione quam in legato mille librarum propinquis & consanguineis distribuendarum percipiet, se teneat pro contento de omni successione, bonis mobilibus & immobilibus ipsius testatoris, quam petere posset aut deberet quovis modo, cum, ut idem testator asseruit, bona hujusmodi non ex successione parentum, sed potius ex beneficiis ecclesiasticis & prælaturis quibus præfuit, acquisierit. Item omnibus personis cujuscumque status fuerint, quæ pro spiritualitate sui archiepiscopatus Remensis sibi tempore sui obitus tenebuntur, remisit & quittavit medietatem debiti in quo tenebuntur, &c. In omnibus autem & singulis bonis suis mobilibus & immobilibus idem testator instituit heredem suum universalem .... Hujus autem testamenti idem testator fecit, nominavit & elegit executores dominos J. Atrebatensem & S. Suessionensem episcopos, præsentes & modernos, magistros J. de *Milly,* Philippum de Boscogiroudi, Matthæum de *Herleville,* G. de Camba, Girardum *le Jay,* Jo. *Descormain* religiosum, Jo. *Morelly,* Jo. de *Bolay* subpriorem S. Dionysii, & fratrem Joannem de *Denisi,* Joannem subpriorem Vallis-scholarium, & Hugonem de *Porcelli.* Et si qua forsan in præsenti suo testamento essent obscura aut interpretatione indigerent, ordinavit quod iidem executores habito

cum peritis, prout viderint consilio, ea declarent, interpretentur & exponant prout viderint faciendum, &c. In quorum executorum manibus ex nunc posuit omnia bona sua mobilia & immobilia, jura, proventus, & eos investivit : in testimonium voluntatis meæ circa præmissa, cum protestatione solita, ut potui pro tunc tam festine providere subscripsi, me hic manu propria die XV. Maii anno XIV. volens in publicam formam poni, quantum opus erit, per notarios infrascriptos, & cum consilio peritorum in forma competenti, pro debita executione, & complemento & perfectione voluntatis meæ, quam plus attendi & fieri volo, quam verba hæc complecti. Anno Domini M. CCCC. indictione VIII. mensis Maii die XV. in castro de Curvilla Remensis diœcesis, in nostrum Reginaldi Ginotelli & Stephani *Barnesse* Remensis diœcesis, apostolica & imperiali auctoritate curiæque Remensis notariorum, necnon venerabilium magistrorum Matthæi de *Herleville* & Guilelmi de Camba canonicorum ecclesiæ Noviomensis, testium præsentium, &c.

Codicillus ex Sammarthanis.

» Altero codicillo plura constituit nonnullis cœnobiis religiosorum & xenodochiis. Donat enim mille libras Senonensi ecclesiæ : item mensæ episcopali Virdunensi, ad quam dicit se promotum fuisse a Gregorio XI. antequam proficisceretur Romam, ducentas libras Parisienses : similiter ecclesiæ Dolensi, quam secundo obtinuit ad eam translatus a pseudopontifice Clemente VII. archiepiscopali Turonensi cui tertio, & mensæ Castrensis episcopatus totidem, cui quarto præfuit : præterea capitulis earumdem ecclesiarum, quibuscum profitetur nullas lites habuisse, largitur centum libr. & successoribus in cathedra Remensi omnia ornamenta pontificalia, palatium quoque Avenione emtum, ubi continuo diversatus est cum præfato antipapa; tandem ordinat sepulturas in cœnobio Longipontis diœcesis Suessionensis, pro germanis suis Joanne, Reginaldo & Drogone, quorum antecessores in capitulo monasterii jacent. »

LXXVI.

Ex Sammarthanis.

Testamentum Petri Troussel *archiepisc. Remensis.*

1413. IN nomine sanctæ Trinitatis. Ego Petrus Trousselli miseratione divina nuper episcopus Pictavensis, nunc vero eadem miseratione noviter Remensis archiepiscopus, Altissimo suffragante, mentis compos & nolens cum Dei placito ab hac luce decedere intestatus, sed affectans de bonis temporalibus a Deo mihi collatis, pro salute & remedio animæ meæ, testamentum meum condidi & ordinavi forma subsequenti. Imprimis vero ut verus catholicus memor Passionis ipsius Jesu Christi, animam meam summæ Trinitati intemeratæque virgini beatæ Mariæ, &c. recommendo : ordino quod forefacta mea emendentur omnibus de me juste conquerentibus, & debita mea legitime comprobata omnibus creditoribus meis legitime persolvantur : notifico quod non credo teneri nisi personis inferius declaratis, primo videlicet fratri meo Joanni Trousselli in mille quadringentis viginti & duobus scutis auri vel circa, quæ sui matrimonii occasione recepi, super quibus dicto fratri meo centum quinquaginta libras Turonenses tradidi : item matri ac fratribus meis in quatuor mille francis super quibus ex parte mea, tam per me quam per Guillelmum Imberti collectorem Bituricensem, Reginaldum Motini & alios nomine meo plures summæ pecuniæ ad usum, commodum & exonerationem dictorum matris & fratrum meorum fuerunt persoluti tres mille franci & ultra, prout per quoddam folium manu Jaquelini fratris mei scriptum liquere poterit : item Germano Paillardi episcopo

A Lucionensi in mille scutis auri, de quibus penes se habuit meam cedulam : item debeo fratri meo Joanni valorem decimæ de *Brecy*, quam mihi tradidit pro fundatione capellæ meæ per me constructæ in ecclesia Bituricensi : item debeo Germano Lucionensi episc. octogenas libras quas mihi mutuavit noviter pro solutione vacantis ecclesiæ Remensis, de qua summa de me habet cedulam, & quadringenta scuta quæ nomine suo recepi a Joanne *Bachelier* receptore nuper Pictavensi, de qua summa quadringentorum scutorum nullam habet cedulam : item debeo Joanni *Chanteprime* decano ecclesiæ Parisiensis, ducenta scuta : item Nicolao de Ordeomonte decano sancti Martini Turonensis, quingenta scuta; Joanni episcopo Malleacensi, quingenta, &c. item sepulturam meam eligo B in capella pro me noviter extructa, ædificata & fundata in ecclesia Bituricensi : item volo quod Jaquelinus frater meus habeat domum meam prope sanctum Joannem de Campis Bituricensis, & jus quod habeo & habere valeo in pyneta de *Beauregart*, ac vineis & aliis meis rebus de Caritate : item lego Joanni fratri meo, loca mea cum redditibus & pertinentiis de Quinciaco & de *Gyvresay* in Bituria : item volo quod in ecclesia Pictaviensi, si ibidem me decedere contigerit, sive non, fiat post mortem meam solenne anniversarium, cum decenti luminari arbitrio executorum meorum ; & donata publica prius solenniter fiat anniversarium, & donata die inhumationis in ecclesia & villa Bituricensi : item quod Mendicantes intersint Pictavis in funeralibus, & obviam veniant C cum dicta ecclesia Bituricensi, & habeant distributiones legitimas arbitrio meorum executorum : item pro anniversario habendo perpetuo in ecclesia Pictav. lego dictæ ecclesiæ ducenta scuta auri pro redditibus emendis pro dicto anniversario fundando, qui redditus inter canonicos & alios dictæ ecclesiæ capellanos, & servitores in dicto anniversario assistentes, dividantur : item ecclesiæ Parisiensi lego duas cappas nigras, &c. & centum libras Turonenses semel pro uno anniversario solenni in eadem ecclesia perpetuo annuatim mense Januarii in vigilia festi S. Juliani, sero & die ejusdem festi mane celebrando : item do pariter ecclesiæ collegiatæ sancti Audomari de sancto Audomaro Morinensis diœcesis, ducentas libras Turon. semel pro anniversariis in dicta ecclesia perpetuo annuatim habendis & celebrandis, prout per eosdem D meos executores cum capitulo ipsius ecclesiæ poterit melius conveniri : item lego ecclesiæ Bituricensi centum quinquaginta libras Turonenses pro redditibus habendis pro anniversario pro me faciendo inibi perpetuo annuatim, tam inter canonicos quam vicarios, ac modo & forma in fundatione anniversariorum Simonis Aligreti cancellarii dictæ ecclesiæ distribuendas : item do Joanni fratri meo, tam pro recompensatione decimæ de *Brecy* quam tradidit mihi pro fundatione capellæ meæ in ecclesia Bituricensi, quam etiam ut pro me Deum oret, domum meam de Corneliis, cum iis omnibus quæ prope Parisius habeo, & sexcenta scuta semel : do etiam dominæ matri meæ, ut pro me Deum oret & faciat orare, quingentas libras Turonenses semel : item Jaquelino E fratri lego omnem summam pro me realiter traditam : Guil. Odardi qui uxorem duxit Catharinam *Trousselle*, quæ in toto mille & trecentorum quinquaginta scutorum ; * volo tamen quod summa restituenda casu quo ipsa decederet sine liberis, prout in tractatu matrimonii continetur, ad executionem meam pertineat : & quia dicto Guilelmo Odardi sum obligatus pro residuo dicti matrimonii, volo quod Jaquelinus meam executionem liberet a dicta obligatione; & in hoc faciendo volo quod recuperet sexaginta libras reddituales quas habere solebat, & quas de præsenti habeo supra castrum de Prumeriis, quas cum noviter * ab eodem fratre & sorore mea Maria de Sancto Germano ejus conjuge; & si ipse

* Ita apud Sammarth.

* Ita apud Sammarth.

frater meus noluerit, vel plus debito distulerit in se obligationem sumere & executionem meam prædictam liberare, ipsum privo omni successione, ac omnibus donis per me sibi factis: item lego cuilibet servitorum meorum inferius nominatorum, mediam partem pensionis quam annuatim a me recipere consueverunt. In residuo vero bonorum meorum si quæ supersint, pauperes, Christi membra, heredes instituo, & executores facio reverendos in Christo patres Joannem Malleacensem & Germanum Lucionensem episcopos, ac fratres & servitores meos magnificos Guillelmum Ymberti Bituricensem, Anselmum *le Corgne* Laudunensem, & Reginaldum Motini Bituricensem canonicos, quorum cuilibet trium noviter nominatorum, lego centum francos acceptanti onus executionis meæ. Et quia dubito facultates meas ad omnia suprascripta adimplenda sufficere non posse, volo primitus & ante omnia, hoc præsens testamentum adimpleri usque ad legatum factum fratri meo Joanni, &c. Per hoc etiam testamentum revoco alia per me facta. Datum prima die Junii anno Domini M. CCCCXIII.

LXXVII.

Ex Sammarthanis.

Epistola Concilii Basileensis ad Reginaldum III archiepiscopum Remensem.

1432. SAcrosancta generalis synodus Basileensis, reverendo in Christo patri domino archiepiscopo Remensi, cancellario Franciæ. Rescripsit nobis venerabilis prior conventus Chamberiaci, ordinis Prædicatorum, ambassiator noster, quanto zelo huic sacro concilio afficiamini, ejusque profectum desideretis & cum diligentia quæratis; pro qua re, quia causam Dei agitis, ipse vobis in hoc & in alio seculo digne retribuat. Ecclesia vero pro hujusmodi favore quem sibi impenditis, suarum orationum & meritorum apud Deum participem facit, & ad omnia vestrum honorem & statum concernentia obligatam se vobis merito profitetur. In hac re quæ vestram paternitatem tanquam christianum & antistitem non minus tangit quam nos, nil aliud dicendum videtur, nisi ut solita diligentia opus hoc divinum prosequamini, ex quo cum extirpatio hæresum, pacificatio populi christiani, eradicatio vitiorum sequi sperentur, magnum apud Deum meritum & apud homines laudem accepturi sitis, optime intelligitis. Scribimus christianissimo regi Franciæ & suo Consilio, & quibusdam particularibus apud eum potentibus, prout idem prior ex vestro consilio nos advisavit, & literarum copias hic interclusas mittimus. Si quid illud ad prosecutionem istius rei, necnon ad pacem præclarissimi regni Franciæ, ad quam toto corde aspiramus, faciendum videtur, vos maxime deprecamur ut nobis significare velitis.

LXXVIII.

Ex chartulario Clari-marisci.

Monachi substituuntur monialibus in monasterio Clari-marisci.

1460. FRater Philippus abbas Clarævallis, Cisterciensis ordinis, Lingonensis diœcesis, insigni recolendæ memoriæ, venerando patri domino Theobaldo de Luxemburgo Igniacensis monasterii abbati, salutem & in agro dominico honorabile semen distillare. Quanta nos edoceat rerum experientia, quantaque ab insignibus & providis ecclesiæ Dei suppositis audiverimus de ruina spiritualis exercitii, honestatis morum & conversationis vilitate duarum religiosarum in monasterio de Claro-marisco Remensi, nobis immediate subjecto, victitantium; quarum altera abbatissam, altera priorissam, vocitari se faciunt, membrana non sufficeret verborum depicta scemate ad liquidum exprimere, adeo ut absque laboris ecclesiastici merito pauperum substantiam & fundatorum devotionem sua vanitate evacuare noscantur. Quapropter nos qui monasteria & loca nobis & ecclesiæ Claravallensi immediate subjecta, semper in melius reformare affectamus, de vestra benigna providitate confisi, visitationem & reformationem dicti monasterii præsentium serie mandatorum confidentissime injungimus; vos, quoad possumus, requirentes & rogantes, quatinus assumto vobiscum dilecto nostro filio fratre Joanne de Castellione, de vita, moribus & conversatione dictarum muliercularum a probis & fide dignis personis vocatis & vocandis vos informetis. Quas si impudice & inutiliter conversari deprehenderitis, illas auctoritate nostra memorata de dicto loco, assistente vobis illustris ac reverendissimi patris archiepiscopi Remensis, qui fundator loci asseritur a multis, favore & consensu, amoveatis, & ad alia ordinis nostri monasteria moraturas & professuras per vestram sententiam, ac transmigraturas declaretis. In quarum loco & monasterium alterum de fratribus nostris & professis Clarævallis, subrogetis, & priorem continuum seu perpetuum instituatis, nominetis, installetis & sublimetis; juramenta ab eodem de fideli administratione bonorum dicti monasterii, aut recuperatione deperditorum seu alienatione, & obedientia ad nos & ordinem recipiendo, & facto inventario de valore prætacti monasterii, & literarum originalium ejusdem, numerum religiosorum in vestro decreto taxatum relinquetis, quem teneatur infra præfigendum temporis spatium secum ad officia divina peragenda recipere. Mandamus igitur omnibus & singulis nostri antedicti ordinis personis, quatenus in præmissis omnibus & ab eisdem dependentibus, reverenter & promte vobis obediant tanquam nobis, nos certificando de singulis, ut moris est in ordine. Datum in monasterio Clarævallis memorato, sub appositione sigilli nostri, mensis Aprilis die XVI. anno Domini M. CCCCLX.

LXXIX.

Ex Sammarthanis.

Testamentum Johannis Juvenal des Ursins *archiepiscopi Remensis.*

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. 1472.
Ego Joannes Juvenalis *des Ursins* utriusque juris professor minimus, Remorum archiepiscopus & dux, revolvens in scrinio mei pectoris mortem esse certam, horam incertam, ordino testamentum meum in modo qui sequitur: primo animam meam commendo Deo creatori meo, beatæ Mariæ virgini, totique curiæ cœlesti, & dum me mori contigerit, ordino & supplico corpus meum sepeliri in ecclesia mea ante majus altare, in loco ubi presbyter missam celebraturus cum diacono se arrestat salutationem faciendo ante altare, & post versus chorum, cum tumba marmorea, & apponatur dies, mensis & annus obitus mei, &c. & fiat eleemosyna unius poti vini & unius panis, & habeat quilibet canonicus duodecim solidos, quilibet vicarius sex solidos, capellani & pueri chori tres solidos, dummodo servitio meo intersint; celebrentur etiam pro me in ista civitate infra octo dies sex centum missæ; cuilibet ordini Mendicantium septem solidos, dummodo faciant unum servitium, & supplico omnibus fratribus meis ecclesiæ Remensis, abbatibus & religiosis, tam civitatis quam diœcesis, & presbyteris, ut quilibet mihi det unam missam, &c. Rogo executores meos ut suffraganeis meis aut vicariis eorum, scribant, supplicando ut in diœcesibus faciant fieri quod ordinare poterunt in suis synodis; sim etiam comprehensus in orationibus omnibus Cisterciensium, Præmonstratensium, Carmelitarum & Augustinensium, ut pro more faciant orationes consuetas. Illi etiam de capitulo ecclesiæ Engolismensis

Engolismensis promiserunt mihi facere anniversarium perpetuis temporibus, die qua decessérim . . . . De reparationibus vero ecclesiæ meæ Remensis dominus prædecessor & ego fecimus quidquid paterfamilias potest & debet facere, &c. Et dum promotus fui, eram bene munitus auri, argentique vasis, & ex peculio meo plures conquæstus feci, & maxime quatuordecim librarum a domino de *Marcuil*, quas habebat super terram de *Vailly* & super terram d'*Artigny*, sex modia cum dimidio bladi, & centum solidos; quem processum incœperam contra heredes Guidonis quondam archiepiscopi Remensis, & reperi quod Simon Cramaudi quondam Remensis archiepiscopus contentus de his quæ petebam, fuerat. Et post Reginaldus de Carnoto petebat pro omnibus terram de *Bussi*, & ideo hanc terram habui, & cum iis vicecomitatum de *Vouilly*, & quatuor libras super quamdam domum a *Jonchery*, & poteram antedictam vendere. Incœperam etiam processum contra comitem de *Villars* heredem Reginaldi de Carnoto, poterit successor meus illum prosequi. Lego fabricæ ecclesiæ ducentos francos, cuilibet collegio sanctorum Remigii, Dionysii, Symphoriani, Timothei, Vallis-scholarium, quatuor libras, ut intersint funeralibus confratriæ beatæ Mariæ in ecclesia beatæ Mariæ Magdalenæ; ecclesiæ sancti Landerici totidem, &c. Habeo sigillatorem & receptorem temporalitatis, nolo eos fatigari; habeo unum pulchrum psalterium glossatum quod alias fuit abbatis sancti Geremari Belvacensis, sum contentus dummodo unum ad me faciant pro me quod illis tradatur.* Verum quia soror mea Joanna, quæ quondam fuit conjuncta cum Nicolao *Leschalart*, in suo testamento mihi dedit unum diamentum magni pretii, ut pro ea orarem, quod adimplevi secundum posse, volo quod vendatur plus offerenti, &c. & si residuum maneat, ponatur in augmentationem capellæ domini genitoris mei, in ecclesia beatæ Mariæ Parisiensis. Terram Trecensem quæ mihi competebat ex successione paterna, dedi fratri meo Guillelmo & suis heredibus: terram etiam de *Souppy* ex conquæstu meo, retento in antedictis terris, durante vita mea, usufructu, & de hoc dedi literas, antedictas donationes ad duos suos filios volo sortiri effectum, &c. Credo satis dedisse liberis domini cancellarii fratris mei, sunt enim bene collocati & notabiliter muniti: frater meus Michael dimisit sex liberos masculos & quatuor filias, & in vita sua sibi & liberis suis inter vivos donationes fecit. In his tamen donationibus non comprehendo neptem meam Annam uxorem Inguerrandi de *Coucy*, quia in suo matrimonio satis habuit, nec neptem meam Guyonam religiosam in Pisciaco, cui promisi viginti libras quolibet anno. Volo etiam antedicta donata esse obligata pro quatuor libris pro me promissis sorori meæ Mariæ, dum fuit reddita in Pisciaco, quæ in præsenti est priorissa. Dominus genitor meus, cujus animæ parcat Dominus, acquisivit ducentas libras Turonenses a Joanne de *Chalon*, super terras de *Crusy* & de *Ligny*, & super dominium de *Belleville* quinquaginta libras, in quibus habeo quartam partem, quam lego masculis fratris dicti Michaelis. Omnes imagines quas lego, volo & habeo in ecclesia mea Remensi, &c. Et debent liberi fratris mei Guillelmi esse contenti de antedictis, & si in aliquo faciant contra voluntatem meam, eos ingratos reputo, & donationes per me factas revoco, & donata dono liberis fratris mei Michaelis. Executores nomino magistros Eustachium, Joan. Jacobum Juvenalem de Ursinis nepotes meos, Ludovicum episcopum Trecensem officiales meos, sigilliferum Joannem *Chardon* baillivum meum, & Guillel. *Coquillart* procuratorem: & volo quod duo vel tres possint procedere ad executionem testamenti mei. Omnia alia testamenta mea revoco. Datum Remis anno Domini M. CCCCLXXII. die XVIII. Septembris.

* Ita apud Sammarth.

A

LXXX.

Extrait d'une lettre du Cardinal de Joyeuse au roi Henry III, touchant la mort de Louis de Lorraine cardinal de Guise, & archevêque de Reims.

Ex codice ms. biblioth. S. Germani a Pratis Paris. num. 640.

De Rome le 9 Janvier 1589.

LE troisieme chef de la plainte de ces passionnez consiste en la façon de proceder dont V. M. a usé, & disent qu'il falloit les faire prendre prisonniers, & faire faire le procès à M. de Guise, & envoyer le cardinal au pape pour le châtier. 1589.

B *A quoi je repons, & fais repondre que ces formes & procedures de justice se doivent garder quand on le peut faire avec seureté; mais quand il y a du danger évident qu'en voulant garder les formalitez des loix, on ne perde les loix & tout l'état, alors on n'y est point tenu; ains ce seroit follement & très-mal fait de s'y amuser.*

Les loix mêmes qui ont prescrit telles formes & procedures vous avertissant qu'il ne s'y faut point astreindre là où il y a du danger à differer la peine, & même quand il s'agit d'un fait de faction. Ains ces mêmes loix en certains cas permettent aux hommes particuliers & privez, de venger par voie de fait & par mort, le tort fait au public; comme quand elles permettent de tuer les soldats qui se debandent & s'en vont de l'armée sans la licence de leurs capitaines.

C *Et nous trouvons aux anciennes histoires que les hommes particuliers en danger, ou même en soupçon de sedition, sont allez tuer de leur autorité privée celui qui étoit prêt à emouvoir le peuple, dont ils ont été louez & recompensez; & leur memoire en est encore aujourd'hui celebre par les histoires.*

Qu'a donc pu & dû faire un si grand roi à ses propres sujets, qui lui entretenoient son royaume en un continuel & perpetuel trouble & rebellion, & qui enfin pour toute conclusion, lui vouloient oter son état, sa liberté & sa vie!

A un homme particulier & privé il est permis de tuer sur le champ tout homme qui voudroit ravir sa femme, sa fille, sa niece, ou même sa chambriere. Et un roi qui est le chef de la justice & des armées, se laissera ravir son état, sa liberté & sa vie sans oser rien dire ni faire de lui-même!

D *Oui, mais l'un d'eux etoit cardinal, & le falloit envoyer à Rome; & est chose sans exemple, disent-ils, qu'un roi ait fait mourir un cardinal.*

C'est une objection qui est facilement reçuë à Rome où est le pape & la pluspart des cardinaux de la chrestienté; c'est pourquoi j'ai été & suis plus soigneux d'y trouver des reponses, combien qu'ayant moi-même cet honneur d'être de ce college, je ne voudrois rien dire contre les droits & exemptions des cardinaux. Mais la verité est que la raison & les loix ci-dessus, alleguées, ont lieu aussi-bien aux cardinaux qu'aux autres; & n'est permis à un cardinal de troubler l'état, ni d'entreprendre de captiver & asservir son roi, non plus qu'aux autres; pource que le danger & la necessité est aussi-bien quand les cardinaux l'y apportent, comme quand d'autres l'entreprennent: & nous avons de nature même l'instinct & E *obligation de nous defendre de la violence des cardinaux, aussi-bien que des autres.*

Si un cardinal & si le pape même prend une souris par le bout de la queuë, la souris se tournera très-bien contre la main qui l'arrête, & mordra aussi-bien dans la main du cardinal & du pape même, comme de tout autre. Et toutefois ces beaux praticiens voudroient que le premier roi de la chrestienté se fût laissé mâtiner, asservir, ravir, ou même tuer par un cardinal.

S'il étoit vrai que jamais roi n'eût fait mourir de cardinal, ce seroit parce que les cardinaux, comme ils doivent montrer bon exemple aux autres, auroient été sages, & n'auroient conspiré contre leur roi, ni donné occasion d'être maltraitez d'eux; & non que les rois les

eussent voulu ou dû épargner quand ces cardinaux eussent entrepris de violer la majesté des rois, & de leur ravir leur liberté, ou de les enfermer dans un cloître.

Et quand ce cardinal de Guise seroit le premier qui auroit conspiré & fait quelque chose d'extraordinaire en son endroit. Et toutefois il n'est pas vrai que les princes seculiers n'aient jamais fait mourir un cardinal; car sans aller chercher plus loin cet exemple, il n'y a pas longtemps que le cardinal Georges du pays d'Hongrie fut tué à coups de poignard par le commandement de l'empereur Ferdinand dernier; & fut le sieur Sforce Palavicin qui fit cette expedition.

Au demeurant il ne faut tant regarder à la qualité d'un cardinal, qu'on ne regarde plus au devoir d'un cardinal; & qui veut être traité en cardinal, il faut qu'il fasse & qu'il vive en cardinal.

Il n'y a pas trois jours que le pape même disoit que le cardinal de Guise n'avoit rien de cardinal que le bonnet, & qu'il ne le tenoit point pour cardinal, tant pource qu'il ne vivoit point en cardinal, que pource qu'il n'étoit jamais venu à Rome prendre le chapeau.

Et de fait, quelque instance qui ait été faite à S. S. par diverses fois & par divers seigneurs, jamais elle ne lui a voulu accorder la moindre grace de celles qui sont dûës & acquises aux cardinaux. Et toutefois les choses dont S. S. se plaignoit, n'étoient que la negligence de son devoir & de sa vocation, & les debauches & profuses depenses en jeux, en femmes, & en telles autres dissolutions qui convenoient aussi-peu à sa profession, comme à l'entreprise qu'il faisoit de reformer le royaume & la personne de V. M. de laquelle la vie privée & domestique est plus honnête & sans comparaison plus reformée & plus reglée selon les commandemens de Dieu & de l'eglise, que d'un million de tels cardinaux qu'il etoit.

Mais c'est bien encore autre chose quand une personne ecclesiastique, à qui n'est permis d'assister à un jugement criminel où il va effusion de sang, prend les armes, fait sedition, assaille les villes catholiques, repand le sang humain, entreprend d'asservir son roi, & faire d'autres maux qui sont detestez même ès gens de robe courte. Et partant ce n'est point merveille, ains par dessus un juste jugement de Dieu, que celui qui n'a oncques vecu en cardinal, ne soit point mort aussi en cardinal.

S'il vouloit que la dignité de cardinal fût respectée en lui, il falloit qu'il la respectât lui-même le premier. Que s'il ne l'a en sa vie rien estimée, pourquoi V. M. contre qui il avoit conspiré, en eût-elle fait plus de cas à sa mort!

Je dis bien plus à ces beaux complaignans, qu'ils font une autre grande faute tout le long de leur plainte: c'est que comme d'un côté ils regardent à la dignité de cardinal sans en considerer l'office & le devoir, aussi de l'autre côté ils ne pensent pas à la dignité & majesté des rois de France, le premier de la chrestienté, & au respect, fidelité & obeissance, soumission & servitude qui lui est deuë.

Et toutefois il y a bien de la difference entre commander à un titre qui n'est souvent qu'une petite eglise, & commander à un royaume, & entre avoir voix au consistoire & au conclave, & entre avoir sous soi tant de millions d'hommes, avoir le maniement des armes, la confection de la paix & de la guerre, la protection de la religion & du clergé même, dont les cardinaux sont partie; la nomination des evechez & abbayes, la disposition des loix & de la police, l'administration de la justice tant civile que criminelle, la dispensation des finances, & autres infinies choses qui ne se pourroient toutes dire ni penser, & qui sont cependant qu'un roi de France a plus de moyen de profiter & de nuire à l'eglise & au saint siege en un jour, que tout le college des cardinaux n'a en cent ans.

Et pour ce qu'on voudroit dire que ces grandeurs royales ne sont que seculieres & temporelles, je leur dis que les rois de France sont oints & sacrez d'une huile miraculeusement envoyée du ciel; & qu'il y a plus de mysteres, & ceremonies & spiritualitez au sacre d'un roi de France, qu'il n'y en a en la creation de cent cardinaux, lesquels même ne sont pas sacrez, si d'ailleurs ils n'ont les ordres sacrez.

Et toutefois le cardinal de Guise n'a tenu compte de V. M. ains lui a fait des escornes, & dit des choses d'elle qu'il n'eût voulu faire ou dire du moindre de ses gentilshommes. Et s'il ne s'etoit comporté envers V. M. comme envers un roi, pourquoi V. M. seroit-elle tenue de se comporter envers lui comme envers un cardinal!

Et même qu'outre la rebellion il y avoit de l'ingratitude particuliere; car le cardinalat même dont maintenant on crie tant, il l'avoit eu par l'intercession de V. M. & entre ses benefices il avoit le premier archeveché de France, où les rois ont accoutumé d'être sacrez, & la premiere abbaye de France, où les rois ont accoutumé d'être enterrez; ce qui le devoit particulierement admonester de son devoir envers les rois, & sur-tout envers la personne de V. M.

Quant à renvoyer ledit cardinal à Rome pour y être châtié des maux qu'il a faits à V. M. & au royaume, outre que pour les raisons & considerations susdites il ne se pouvoit ni ne devoit faire, on sçavoit comme la ligue a été conçuë & couvée, pour le moins fomentée à Rome; on a oüi les louanges qu'on a données aux chefs d'icelle, qu'on y a extollez par dessus les Maccabées; on y oit les regrets qu'on y fait aujourd'hui. Au contraire on sçait combien on a defavorisé & calomnié V. M. A quoi faire leur eût-on envoyé ledit feu cardinal! afin qu'ils l'eussent recompensé de sa felonnie contre V. M. qu'ils appellent ferveur & zele de l'honneur de Dieu & de toute la religion catholique.

En somme je leur dis que qui considerera nonseulement qu'un cardinal est mort, mais quel cardinal, & ce qu'il avoit demerité, jugera qu'il n'y a pas un de tous ceux qui en parlent mal, ni des cardinaux, & moins du feu cardinal de Guise que tous autres, qui s'il eût été en votre place eût fait ledit renvoi ni rien de tout ce qu'ils disent, ni qui eût eu la moindre partie de l'extreme patience & moderation de V. M. laquelle pour chose qu'ils sçachent dire, ne se repentira jamais de s'être conservée, & assuré sa personne à son état.

LXXXI.

Extrait des registres de la Chambre des Comptes.

Entre messire Charles de Bourbon à present archevesque de Roüen, & ci-devant archevesque de Reims, demandeur & requerant la verification & enterinement des lettres patentes du don à lui fait par le roi, du seizieme de Septembre mil cinq cens quatre-vingt-dix-sept, d'une part; & les tresorier & chanoines de la Sainte Chapelle du Palais à Paris, opposans à la verification desdites lettres, d'autre part. Vû par la Chambre une procuration passée par ledit demandeur en la ville de Lectoure le huitieme Avril mil cinq cens quatre-vingt-douze, à Jehan de Cazebain l'un des gentils-hommes de sa maison & suite, pour aller vers sa majesté & le remercier du don par elle fait audit demandeur dudit archevesché de Reims, prendre possession en son nom dudit archevesché en la ville plus celebre & proche dudit Reims, etant en l'obeissance de sa majesté, & bailler à ferme le revenu. Copie collationnée du brevet dudit don, en date du vingt-huitieme de Decembre mil cinq cens quatre-vingt-onze. Un arrest de la cour de Parlement, lors seant à Chaalons, du quatrieme Aoust mil cinq cens quatre-vingt-douze, par lequel est permis audit demandeur de prendre, ou procureur pour lui, possession & saisine dudit archevesché en l'eglise cathedrale dudit Chaalons, & faire insinuer ledit brevet & prinse de possession, pour lui servir comme si fait avoit été, en vertu des provisions de Rome, en l'eglise Notre-Dame de Reims; au dos duquel arrêt l'acte de ladite insinuation du huitieme jour dudit mois d'Aoust. L'acte de ladite prinse de possession faite par ledit de Cazebain ledit jour, au dos duquel est aussi 1599.

l'insinuation. Copie collationnée à l'original d'un autre A *brevet du roi, du troisieme Avril audit an mil cinq cens quatre-vingt-douze, du don fait par sa majesté audit demandeur, du droit de regale des benefices vacquans ou qui viendroient à vacquer audit archevesché pendant l'ouverture d'icelle, pour i etre pourveu par sadite majesté à la nomination dudit demandeur & non autrement, revocquans tous dons faits au contraire. Les lettres patentes du roi dudit seizieme Septambre mil cinq cens quatre-vingt-dix-sept, signées Henry, & plus bas, par le roi, Friget, par lesquelles & pour les causes y contenues ledit sieur veut & entend que ledit demandeur jouisse entierement dudit droit de regale pour raison desdits benefices vacquans ou qui ont vacqué pendant ladite regale ouverte dudit archevesché de Reims, suivant le don qu'elle lui en auroit fait par ledit brevet ci-dessus datté,* B *& pareillement des fruits dudit archevesché de Reims pendant ladite regale, tant de ceux qui auroient été par lui & sondit procureur, receus & perceus, que de ceux qui restoient à recevoir & percevoir, nonobstant qu'il n'ait fait à sadite majesté le serment de fidelité pour raison dudit archevesché, comme il étoit tenu, dont attendu son absence pour son service, & le serment qu'il a depuis presté pour l'archevesché de Roüen, sadite majesté le dispense & releve, & de nouveau fait don du droit de regale, & entiere main-levée des saisies qui pourroient avoir été pour cela faites. Autres lettres patentes du roi du dix-huitieme jour de Janvier mil cinq cens quatre-vingt-douze, par lesquelles Germain Taffin ecuyer, sieur de Torsay, est commis & deputé par ledit sieur à l'economat dudit archevesché de Reims; les causes d'opposition* C *desdits opposans; reponses à icelle dudit demandeur; un cahier d'extrait du registre des insinuations ecclesiastiques du diocese de Chaalons, en la premiere page duquel appert d'un arrêt de la cour de Parlement, seant audit Chaalons, du vingtieme Novembre mil cinq cens quatre-vingt-treize, par lequel elle a commis & commet maitre Jehan Clement doyen de l'eglise cathedrale dudit Chaalons, pour faire & donner les collations & provisions des benefices vacquans & qui viendront à vacquer audit archevesché pendant l'absence dudit demandeur, & jusqu'à ce qu'il eût commis un grand vicaire pour ce faire; l'edit de declaration du roi sur la reduction de la ville de Paris en son obeissance; repliques fournises par lesdits opposans; dupliques dudit demandeur aux requetes de forclusions & commandement de fournir;* D *repliques des seize & vingt-neuvieme Decembre mil cinq cens quatre-vingt-dix-sept; l'appointement de produire & ouyr droit, du dix-huitieme jour de Novembre mil cinq cens quatre-vingt-dix-huit; requete & arrest du dernier Avril de communication accordée aux parties, de leurs productions; un arrest de ladite Chambre du douzieme Aoust dernier, intervenu sur une requete à elle presentée par ledit demandeur, par lequel est ordonné que les opposans fourniront des contredits dans trois jours; au dos de laquelle requete est la signification qui leur en avoit été faite; contredits & salvations respectivement fournis par les parties, & tout ce que par elles a été mis & produit par devers ladite Chambre; conclusions du procureur general du roi auquel le tout a été communiqué. Tout consideré, dit a été, que la Chambre ayant esgard à l'opposition formée par lesdits deffendeurs, a debouté* E *& deboute ledit demandeur de l'effet & enterinement desdites lettres du seizieme Septambre mil cinq cens quatre-vingt-dix-sept, sans despens toutefois, dommaiges ni interests d'une part ni d'autre, & pour cause a ordonné & ordonne qu'à la requete du procureur general du roi, les economes & commis au regime & gouvernement dudit archevesché pendant l'ouverture de ladite regale, seront adjournez en ladite Chambre pour venir compter d'icelle; & à ce faire ils seront contraints par toutes voies dües & raisonnables, & comme il est accoutumé faire pour les propres deniers & affaires du roi. Prononcé à maitre Jehan Meniot procureur dudit demandeur, & à maitre François Vairignier procureur desdits deffendeurs, le vingt-neufieme jour de Decembre mil cinq cens quatre-vingt-dix-neuf. Collationné par extrait, de la Fontaine.*

LXXXII.

Mutua commigratio canonicorum S. Pauli Remensium ad suburbium Suessionense, & canonicarum S. Stephani Suessionensium in urbem Remensem. *Ex tabulario S. Stephani Remensis.*

PAULUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio officiali Suessionensi, salutem & apostolicam benedictionem. Apostolicæ nobis desuper injunctæ servitutis officium nos excitat & inducit, ut circa ea quæ pro prospero statu & propagatione mona- 1617. B steriorum & religiosorum locorum quorumlibet, præsertim feminei sexus, in quibus æternæ beatitudinis amatrices, quæ habitu sacræ religionis assumto, sponso Jesu Christo voto celebri se desponsare, ac eidem ut prudentes virgines accensis lampadibus obviam ire properant, mundanisque propulsatis illecebris debitæ regularis observantiæ jugo se submittere, & divinis obsequiis coaptare proposuerunt ut commodius piæ vitæ studio assidue vacare & degere possint, per monasteriorum & religiosorum locorum hujusmodi superiores pio affectu procurari dignoscuntur, operosis studiis intendamus, & ea quæ propterea inter partes super hoc pro monasteriorum sanctimonialium hujusmodi utilitate & commoditate transacta fuisse comperimus, ut semotis impedimentis quibuslibet, C firmiori gradu subsistant, præsertim dum id a nobis mutuo partium consensu exigitur, apostolico mandamus munimine roborari. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Annæ de *Roucy* abbatissæ, & conventus monasterii monialium S. Stephani ordinis sancti Augustini, extra muros civitatis Suessionensis, & dilecti filii Claudii *Jabot* prioris prioratus conventualis, non tamen electivi, sancti Pauli Remensis ordinis Vallis-scholarium, sub regula ejusdem sancti Augustini, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias & de anno Domini proxime præterito, cum Anna abbatissa & conventus hujusmodi, ob ipsius monasterii a præfata civitate non parum distantis solitudinem, bellicosque tumultus & terrores in illis partibus tunc vigentes, non solum variis incom- D moditatibus, angustiis & necessitatibus afficerentur, sed etiam militum & facinorosorum hominum prædæ, injuriis & dispendiis expositæ essent, neque ibidem sine honoris, famæ & vitæ periculis diutius permanere posse sperarent : his & aliis rationalibus causis Anna abbatissa ex una, & Claudius prior præfati ex altera partibus, post frequentes tractatus ultro citroque per procuratores ad id ab eis specialiter deputatos, super transmigratione Annæ abbatissæ & monialium de monasterio hujusmodi ad prioratum præfatum, utpote incommoditatibus & periculis hujusmodi multo minus obnoxium, ac ipsis ut ibidem sub debita clausura & regularis disciplinæ observantia, cum majori quiete & tranquillitate Altissimo famulari, divinisque laudibus & officiis, tum etiam manualibus ac aliis honestis operibus & exercitiis earum sexui E convenientibus, sedulo incumbere possint, tutiorem & commodiorem : Claudii vero prioris, & aliorum religiosorum ejusdem prioratus ad monasterium præfatum, a populari strepitu & concursu remotum, ac monasticæ vitæ in humilitatis & divinæ contemplationis spiritu, juxta regularia eorum instituta, salubriter ducendæ magis congruum, facienda habitos. Tandem diversis articulis & capitulationibus desuper conceptis & formatis, ac prævia matura deliberatione & consultatione, de abbatis generalis totius ordinis Vallis-scholarium hujusmodi licentia, reservato tamen imprimis & non alias sedis apostolicæ, necnon si opus fuerit ordinariorum locorum beneplacito, ad concordiam, transactionem, conventiones & pacta

infra scripta, tam suis quam monialium & religiosorum hujusmodi nominibus devenerunt : videlicet quod ipsi monasterium & prioratum hujusmodi, quorum cujuslibet fructus, redditus & proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera, secundum communem existimationem, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, eorumque respective ecclesias, domos, claustra, dormitoria, refectoria, officinas & membra, ac omnia & singula prædia, tam rustica quam urbana, proprietates, terras, possessiones, census, canones, & quæcumque alia bona immobilia & stabilia, quomodolibet nuncupata, & ubicumque consistentia, cum juribus & pertinentiis suis universis, invicem permutare, ac jura, patronatus, fundationes, obitus, obligationes missarum, commissiones, pia suffragia, & quæcumque alia divini cultus servitia & onera, nempe monasterii ad prioratum, prioratus vero ad monasterium hujusmodi, nihil penitus omisso, transferri; ac Anna abbatissa & moniales, onera decimarum, necnon taxæ pauperum, & solutionis pensionis seu præstationis annuæ septuaginta quinque librarum Turonensium, & sexdecim solidorum, quæ alias ex dicti prioratus fructibus imminuta seu distracta erant, in se perpetuo suscipere, ac de earum monasterio ad prioratum; & vice versa Claudius & religiosi de prioratu ad monasterium hujusmodi, cum suis respective paramentis, ornamentis, jocalibus, supellectilibus & bonis mobilibus, transmigrare deberent, liberumque esset dictæ Annæ abbatissæ majorem campanam, necnon campanam claustralem, *le tymbre* vulgo nuncupatam, & horologium præfati monasterii asportare, ceteris campanis & organis in suis ecclesiis, prout tunc reperiebantur, remanentibus; & quod Claudius & religiosi præfati vineas in territoriis locorum de *Rilly, Sermiers* & Bena, Remensis diœcesis, ac villam seu coloniam de *Dixhenier* nuncupatam, in districtu seu territorio Remensi sitas, & ad prioratum præfatum spectantes seu ab eo dependentes, tanquam de bonis & proprietatibus prioratus hujusmodi existentes, eidem abbatissæ & monialibus hujusmodi realiter relinquere, relaxare & consignare: ipsæ vero Anna abbatissa & moniales, loco & in compensam vinearum, ac villæ seu coloniæ hujusmodi, Claudio & religiosis præfatis summam mille & quadringentarum librarum similium in emtionem alicujus fundi, seu proprietatis vel rei stabilis, integraliter & unico contextu, pro infra scripto novo prioratu, convertendam, necnon eidem Claudio pro ejus indemnitate, ac in relevamen & subsidium impensarum, ab ipso occasione migrationis vecturæ, viaticorum & aliorum præmissorum eatenus factarum, & imposterum faciendarum, aliam summam mille & ducentarum librarum similium, comprehensis in ea quingentis libris jam antea ad computum posterioris summæ hujusmodi numeratis, unica vice duntaxat persolvere & erogare : præterea reservationi pensionis annuæ trecentarum librarum hujusmodi, pro eodem Claudio consentire, & quascumque literas in præmissis & aliis infra scriptis, ac circa ea quomodolibet necessarias, etiam ratam partem, Claudium & religiosos præfatos concernentes, suis sumtibus & impensis expediri, ac perpetuis futuris temporibus, post earum ad prioratum hujusmodi translationem, in ecclesia ipsius prioratus annis singulis in festo sancti Ludovici, die videlicet vigesima quarta mensis Aug. unam missam majorem in cantu, juxta piam notariorum regiorum dictæ civitatis Remensis intentionem ac devotionem, celebrari facere. Denique ambæ partes prædictæ sese generaliter altera in alterius locum hinc inde & reciproce in omnibus juribus, creditis, actionibus & actionum nominibus, tam rescindentibus & rescissoriis, necnon reditibus, proventibus & emolumentis, ad eos respective, ratione monasterii & prioratus præfatorum spectantibus, subrogare & substituere, ac sibi mutuam & reciprocam omnium & singulorum titulorum, contractuum & documentorum, bona & reditus monasterii & prioratus hujusmodi concernentium, consignationem facere, illaque sibi vicissim in actu adipiscendæ possessionis eorumdem bonorum & redituum, realiter & cum effectu tradere, ac justa & legalia inventaria desuper conficere & confici curare, ac se mutuo de illis in calce eorumdem inventariorum liberare & absolvere, omniaque & singula præmissa, prout ad eorum quemlibet spectabit, exequi & adimplere, illisque satisfacere, & ad hunc effectum acta capitularia, procuratoria documenta & alios quoscumque actus, ad præmissorum executionem & ad implementum necessarios tradere, & ad id etiam sponte & voluntarie respective, alter in alterius favorem, omnia & singula eorum ac monasterii & prioratus præfatorum bona obligare, necnon locationes, affictus & arrendamenta bonorum monasterii & prioratus hujusmodi, illorumque affictuariis & conductoribus tunc existentibus, absque aliqua innovatione usque ad diem possessionis eorumdem monasterii & prioratus utrinque adeptæ, nisi ipsi affictuarii & conductores seu locatarii affictibus, locationibus & arrendamentis hujusmodi finitis & absolutis, sponte & voluntarie cesserint, manu tenere tenerentur, prout in uno seu pluribus instrumento seu instrumentis publicis, vel aliis scripturis desuper confectis, plenius dicitur contineri. Cum autem Anna abbatissa & moniales, ac Claudius & religiosi, per concordiam, transactionem, conventiones & pacta præfata, tanquam in eorum respective commoditatem ac prosperitatem, tum etiam decretorum concilii Tridentini executionem tendentia, apostolico præsidio communiri summopere desiderent, & ad hujusmodi effectum Anna abbatissa regimini & administrationi dicti monasterii, cui præesse dignoscitur, cesserit : Claudius vero prioratum hujusmodi, quem obtinet, ut etiam asserit, per dilectum filium Johannem *Marchant* clericum Pictaviensem, eorum respective procuratorem ad hoc ab eis specialiter, etiam respective constitutum, resignaverit in manibus nostris sponte & libere; nosque cessionem & resignationem respective hujusmodi duxerimus admittendas pro parte Annæ abbatissæ & monialium, ac Claudii & religiosorum præfatorum, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eorum votis annuere, ac desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur Annam abbatissam & Claudium, ac singulares personas monasterii & prioratus hujusmodi, a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus constito tibi prius legitime de præmissis, concordiam, transactionem, conventiones & pacta præfata, auctoritate nostra perpetuo approbes & confirmes, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis apostolicæ robur adjicias, omnesque & singulos tam juris quam facti, ac solennitatum etiam substantialium defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, suppleas, eaque valida & efficacia esse & fore, ac suos plenarios & integros effectus sortiri; necnon Annæ abbatissæ & monialibus, ac Claudio & religiosis præfatis, respective suffragari, ac per eos ad quos quomodolibet spectat & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, nec eos desuper a quoquam quovis prætextu impediri, perturbari vel molestari; sicque per quoscumque judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, & causarum palatii apostolici auditores, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, & de latere

legatos, dictæque sedis nuncios, judicari & diffiniri debere dicta auctoritate nostra decernas. Et nihilominus in monasterio nomen, titulum & denominationem abbatissæ & monasterii monialium, ac dignitatem abbatialem, & tam in illo S. Augustini, quam in prioratu præfatis Vallis-scholarium, ordines hujusmodi, illorumque statum, essentiam & dependentiam regulares, auctoritate nostra præfata perpetuo supprimas & extinguas; ipsumque prioratum, postquam ille ad decentem formam monasterii reductus & debita clausura munitus fuerit, in monasterium monialium dicti ordinis sancti Augustini sub invocatione ejusdem sancti Stephani, pro usu & habitatione Annæ abbatissæ & monialium præfatarum ac eis successurarum, eadem auctoritate nostra similiter perpetuo erigas & instituas: monasterium vero præfatum sic suppressum ad statum prioratus conventualis ordinis Vallis-scholarium, sub invocatione sancti Pauli hujusmodi, pro Claudio & religiosis præfatis, pariter perpetuo reducas, necnon Annam abbatissam & moniales ad novum monasterium sancti Stephani ex tunc, postquam ad decentem formam monasterii reductum & debita clausura munitum fuerit, Claudium vero & alios religiosos præfatos ad novum prioratum sancti Pauli hujusmodi, cum suis respective ornamentis, paramentis, jocalibus ac omnibus & singulis privilegiis, exemtionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, juribus, indultis, facultatibus, concessionibus, aliisque gratiis tam spiritualibus quam temporalibus, quibus ipsi in monasterio & prioratu primo dictis de jure vel consuetudine, seu ex privilegio aut alias quomodolibet, utebantur, fruebantur, potiebantur & gaudebant, ac uti, frui, potiri & gaudere poterant & debebant, juxta tenorem concordiæ, transactionis, conventionis & pactorum hujusmodi, præfata auctoritate nostra transferas; ita quod in vim mutuæ & reciprocæ permutationis, ut præfertur, ac translationis hujusmodi, Anna abbatissa, absque alia præfectione de ejus persona in abbatissam dicti novi monasterii S. Stephani facienda, illius vera abbatissa, & similiter Claudius præfati, nulla alia provisione sibi de novo prioratu sancti Pauli hujusmodi facienda, prior ejusdem prioratus, respective sint & esse censeantur; liceatque Annæ siquidem abbatissæ regiminis & administrationis ac bonorum novi monasterii sancti Stephani, Claudio vero præfatis novi prioratus sancti Pauli hujusmodi, corporalem, realem & actualem possessionem, per se vel alium seu alios, eorum respective nominibus, propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, illorumque fructus, reditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta percipere, exigere, levare, locare, arrendare, ac in suos necnon novorum monasterii sancti Stephani & prioratus sancti Pauli hujusmodi respective, ac prout ad eorum quemlibet spectat & pro tempore spectabit, usus & utilitatem convertere, diœcesanorum locorum & quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita: non obstantibus præmissis, ac nostra de exprimendo vero annuo valore secundum existimationem prætactam, aliisque apostolicis, ac in synodis provincialibus & universalibus conciliis, specialibus vel generalibus edictis & edendis constitutionibus & ordinationibus, necnon monasterii & prioratus primodictorum fundationibus, institutionibus, erectionibus & dotationibus, illorumque ac dictorum ordinum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & literis apostolicis, illis eorumque superioribus, conventibus & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis & decretis, etiam irritantibus, etiam per Romanos pontifices prædecessores nostros, ac nos & sedem præfatam, seu ejus legatos, aut etiam imperatores, reges & quoscumque alios principes, seu ad eorum instantiam, contemplationem & intuitum; ex quavis causa & occasione in genere vel in specie, ac etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, & alias quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda foret, & illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim si præmissa vigore earumdem præsentium per te debite executioni demandari contigerit, ut præfertur; ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, anno Incarnat. Dominicæ millesimo sexcentesimo decimo sexto, pridie nonas Martii, pontificatus nostri anno duodecimo.

LXXXIII.

Rescissio tituli abbatialis S. Theoderici in Monte Or.

Ex tabulario archiepiscopi Remensis. 1696.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio officiali venerabilis fratris nostri episc. Suessionensis, salutem & apostolicam benedictionem. Universalis ecclesiæ regimini, disponente Domino, præsidentes, etsi multis & arduis prægravemur negotiis & curis excitemur innumeris, ac cogitationibus plurimis distrahamur, circa id tamen nostræ operosæ solicitudinis studium impertimur, ut recisis radicibus dissidiorum, vepribus & litium anfractibus omnino subductis, inter ecclesiarum antistites ad curam & regimen dominici gregis deputatos, ceterasque personas quas ordo clericalis includit, pacis tranquillitas vigeat, ac concordiæ unitas invalescat, præsertim dum christianorum regum vota exposcunt, & salubriter in Domino conspicimus expedire. Cum itaque, sicut accepimus, monasterium sancti Theoderici in Monte Aureo prope Remos, ordinis S. Benedicti, Remensis diœcesis, quod quondam Guillelmus *Bailly* clericus seu presbyter in commendam, ad sui vitam, ex concessione apostolica, dum viveret, obtinebat; commenda dicti monasterii, in quam illud ex concessione apostolica ad vitam obtineri consuevit, per obitum dicti Guillelmi, qui extra Romanam curiam diem extremum clausit, cessante, adhuc eo, quo ante ipsam commendam vacabat modo, vacare noscatur ad præsens: cumque carissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum & Navarræ rex christianissimus exponi fecerit, & sicut exhibita nobis pro parte venerabilium fratrum nostrorum Caroli Mauritii *le Tellier* moderni archiepiscopi Remensis, primi ducis & paris Franciæ, necnon Francisci de *Salignac de la Mothe-Fenelon* moderni archiepiscopi & principis Cameracensis petitio continebat, a tempore quo felicis recordationis Paulus papa quartus & Pius similiter papa quartus prædecessores nostri, ecclesiam Cameracensem a jure metropolitico, quo ecclesiæ archiepiscopali Remensi tenebatur, segregaverunt & exemerunt, illamque in metropolim & illius sedem episcopalem in archiepiscopalem erexerunt & instituerunt, ac nomine & titulo ac honore archiepiscopali & metropolitano decoraverunt, necnon Atrebatensem, Tornacensem, Audomarensem & Iprensem ecclesias, quæ etiam simili jure metropolitico ecclesiæ Remensi prædictæ suberant seu subesse debebant, earumque omnium civitates & diœceses cum omnibus & quibuscumque territoriis earum & terminis,

singularumque civitates & earum clerum & populum universum a pro tempore existentis archiepiscopi Remensis subjectione, jurisdictione, correctione, visitatione ac omni & quacumque alia obedientia & superioritate diviserunt & separaverunt, atque Atrebatensem & Tornacensem ac Audomarensem dictæ ecclesiæ Cameracensi; Iprensem vero ecclesiæ metropolitanæ Mechliniensi subjecerunt, ipsasque & earum civitates & diœceses deinceps in Cameracensi & Mechliniensi provinciis, & illarum singularum præsules Cameracensis & Mechliniensis archiepiscoporum suffraganeos respective esse & censeri debere decreverunt quod dissidia & controversiæ inter pro tempore existentes Remenses & Cameracenses archiepiscopos excitata fuerint, & renasci comperiantur quoties ecclesiæ Cameracensi de novo præsule provideri contigit: tunc etiam archiepiscopus Remensis, una cum capitulo Remensis ecclesiæ de sui metropolitici juris læsione & substractione, & de aliis prætensis gravaminibus palam & publice, ac aliis omnibus modis, viis & formis, quibus licitum aut permissum videri potest, protestatur, exindeque rumores & nova dissidia nascuntur & repullulant; ad quæ tollenda & in posterum evitanda dictus Ludovicus rex indemnitati tam ecclesiæ quam dicti moderni & pro tempore existentis archiepiscopi Remensis, ut infra, provideri constituit, sub nostro & sedis apostolicæ beneplacito: ideo pro parte Ludovici regis, ac Caroli Mauritii moderni archiepiscopi Remensis, necnon Francisci moderni archiepiscopi Cameracensis prædictorum, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis de præmissis, paterna solicitudine providere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Ludovicum regem, ac Carolum Mauritium & Franciscum archiepiscopos prædictos, a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, cum, ut dictus Ludovicus rex, ac Carolus Mauritius & Franciscus archiepiscopi prædicti asserunt, venerabilis frater noster episcopus Suessionensis, ordinarius vicinior existat, per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis omnibus, qui fuerint evocandi, titulum collativum dicti monasterii, ac in eodem nomen & denominationem abbatis, jusque ad illud nominandi, quod dicto Ludovico regi, vigore concordatorum dudum inter sedem apostolicam & claræ memoriæ Franciscum olim eorumdem Francorum regem, super nominatione personarum certis inibi expressis modis qualificatarum, ad ecclesias & monasteria regni Franciæ privilegio eligendi non suffulta, pro tempore vacantia, promovendarum per regem Franciæ, pro tempore existentem, facienda initorum spectat & pertinet, de ejusdem Ludovici regis consensu, sine alicujus præjudicio, auctoritate nostra, perpetuo supprimas & extinguas, necnon mensæ abbatialis ejusdem monasterii fructus, reditus & proventus, qui ad florinos septingentos & quinquaginta in libris cameræ apostolicæ taxati reperiuntur, etiamsi dictum monasterium quovis modo seu per dicti Guillelmi vel cujusvis alterius cessionem de illo illiusque regimine & administratione in Romana curia vel extra eam, etiam coram notario publico & testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, commenda prædicta cessante, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus provisio juxta Lateranensis statuta concilii, aut alias canonicas sanctiones, ad sedem apostolicam legitime devoluta existat, illaque ex quavis causa ad sedem eamdem specialiter vel generaliter pertineat, ac super regimine & administratione prædictis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datæ præsentium eidem monasterio de abbate provisum, aut illud alteri commendatum non existat, cum illi forsan annexis ac omnibus juribus & pertinentiis suis, ac cum omnibus ejusdem mensæ abbatialis bonis, honoribus, prærogativis, præeminentiis, jurisdictionibus officiorum & beneficiorum, cessantibus reservationibus & affectionibus apostolicis tantum & non alias, collationibus, præsentationibus, institutionibus, terris, dominiis, pertinentiis, juribus, obventionibus & emolumentis universis, ita ut beneficiorum & officiorum hujusmodi collationes, præsentationes & institutiones eo modo, quo ad abbatem commendatarium dicti monasterii pro tempore existentem antea spectabat, ad & pro tempore existentem archiepiscopum Remensem duntaxat spectare & pertinere debeat, cessantibus tamen reservationibus & affectionibus apostolicis tantum & non alias, mensæ archiepiscopali Remensi sub infra scriptis conditionibus & cautelis, videlicet quod deinceps perpetuis futuris temporibus, quandocumque & quotiescumque dictæ ecclesiæ Remensis, etiam per obitum vel cessionem in manibus Romani pontificis pro tempore existentis, etiam ex causa permutationis, vel coadjutoriæ, seu alias quovis modo, pastoris solatio destitutæ de novo pastore provideri contigerit, omnes & singuli mensæ abbatialis hujusmodi fructus, reditus & proventus cujuslibet primi anni, post singulam vacationem ad præpositum, decanum, cantorem, canonicos & capitulum dictæ ecclesiæ Remensis, ut illos in capparum & aliorum ecclesiasticorum ornamentorum emtionem seu sartionem impendant, pertinere debebunt: ita tamen ut intuitu unionis hujusmodi & solutionis unius annatæ fructuum, ut præfertur, faciendæ, tam modernus archiepiscopus Remensis, quam præpositus, decanus, cantor, canonici & capitulum ecclesiæ Remensis hujusmodi, tam pro se quam successoribus suis, omnibus & singulis juribus, honorificis, utilibus, quibuscumque eis & eorum cuilibet forsan competentibus, seu per eos in & super ecclesiæ Cameracensi, & aliis illi, ut præfertur, jure metropolitico subjectis ecclesiis, quomodolibet & sub quovis prætextu, & quavis causa prætensis, renunciare omnino teneantur. Cujus quidem renunciationis actus authenticos dicto Francisco archiepiscopo Cameracensi, quatenus nondum tradiderint & consignaverint, tradere & consignare debebunt; ita quod liceat dicto Carolo Mauritio, & pro tempore existenti archiepiscopo Remensi, suo & mensæ archiepiscopalis Remensis nomine, mensæ abbatialis supradicti monasterii fructuum, redituum, proventuum, prærogativarum, præeminentiarum, jurisdictionum, jurium, obventionum, pertinentiarum & emolumentorum universorum corporalem, realem & actualem possessionem per se, vel per alium seu alios, ejus nomine, propria auctoritate apprehendere & apprehensam perpetuo retinere, illaque locare, dislocare, arrentare, exigere, percipere, levare & recuperare, ac in suos & mensæ archiepiscopalis Remensis usus & utilitatem convertere & erogare, cujusvis licentia desuper minime requisita, salvis tamen & illæsis remanentibus dicti monasterii mensa conventuali, illiusque juribus, & monachorum numero, ad hoc ut in illo divinus cultus nullatenus minuatur, & satisfactis omnibus prius & singulis dictæ mensæ abbatialis oneribus, juxta concilii Lateranensis novissime celebrati aliasque canonicas sanctiones, per pro tempore existentem archiepiscopum Remensem, & alias juxta decretum congregationis rebus consistorialibus præpositæ, sub die prima mensis Novembris anni millesimi sexcentesimi nonagesimi quinti, emanatum, expresse supradicti Ludovici regis ad id accedente consensu, auctoritate nostra perpetuo unias, annectas & incorpores. Nos enim si suppressionem, extinctionem, unionem, incorporationem prædictas per vigorem earumdem

A præsentium fieri contigerit, ut præfertur, easdem præsentes semper & perpetuo validas & efficaces existere, nullo unquam tempore, ex quocumque capite vel causa, quantumvis juridica, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, annullari, invalidari, in jus vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcunque juris, gratiæ vel facti remedium impetrari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus vel aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos & successores nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, & sedem prædictam, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis, etiam motu proprio & B ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine pro tempore factis & concessis, comprehendi vel confundi, sed semper ab illis exceptas; & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, per pro tempore existentes archiepiscopos Remenses & Cameracenses, seu eorum alterum quandocumque eligenda concessas, firmasque & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis ad quos spectat & pro tempore spectabit, inviolabiliter & inconcusse observari debere, sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. Romanæ ecclesiæ cardinales, C etiam de latere legatos dictæque sedis nuncios, judicari & definiri debere decernimus: & si secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, nonobstantibus præmissis, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum prædictarum ac ordinis & monasterii hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod taxa florinorum septingentorum & quinquaginta, quæ ad locum dictum monasterium S. Theoderici in libris cameræ apostolicæ taxatum reperitur, taxæ dictæ ecclesiæ Remensis adjecta, & proinde D eadem taxa dictæ ecclesiæ Remensis in dictis septingentis & quinquaginta florinis aucta sit & esse censeatur, & in quibusvis futuris ejusdem ecclesiæ Remensis vacationibus, illius taxa, etiam ratione augmenti hujusmodi persolvi omnino debeat; absque eo quod ullo unquam tempore & quavis de causa, etiam ex quo dum dictæ ecclesiæ Remensis deinceps vacaturæ de novo archiepiscopo provideri contigerit, omnes fructus, reditus & proventus mensæ abbatialis prædictæ cujuslibet primi anni, post secutam ecclesiæ Remensis hujusmodi vacationem, ad dignitates ac canonicos & capitulum ejusdem ecclesiæ Remensis, ut supra, auctæ, pertinere debebunt, taxæ hujusmodi, ut præfertur, seu illius augmenti prædicti non solutio, aut ejusdem taxæ auctæ hujusmodi reductio prætendi possit. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnat. Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto, idibus Septembris, pontificatus nostri anno sexto.


LXXXIV.

Rex christianissimus declarat conventum abbatiæ Vallis-Dei jus habere eligendi suos abbates.

Ex annalibus ordinis Præmonstr. t. 2. pag. 1022.

1716.

AUjourd'hui 23 du mois de Janvier 1716, le roi étant à Paris, il a été representé à S. M. par Nicolas Oudet religieux profès de l'abbaye de saint Remi de la Val-Dieu ordre de Premontré, au diocèse de Reims, située dans la souveraineté de Chateau-Renaud, appartenante à S. M. qu'en consequence des privileges & titres de ladite abbaye, les religieux ont droit d'elire leur abbé lors de la vacance; ce que le feu roi leur a confirmé par ses lettres patentes du 24 Aoust 1656, & encore par arrest de son Conseil d'etat du 9 Avril de l'année derniere 1715, qui a ordonné que lesdites patentes seroient executées selon leur forme & teneur; a maintenu les religieux de ladite abbaye dans le droit d'elire leur abbé, & leur a permis de proceder à la maniere ordinaire à l'election d'un sujet capable, à la place de celui qui étoit decedé. En consequence duquel arrest, ils auroient procedé à l'election le 9 Juillet suivant, & fait choix dudit Oudet; en sorte qu'il supplie présentement S. M. d'agréer ladite election. Et étant informé des bonne vie, mœurs, pieté, suffisance & autres bonnes & vertueuses qualitez dudit Oudet pour remplir cette place, S. M. de l'avis de M. le duc d'Orléans regent du royaume, a eu agreable l'election qui a été faite de la personne dudit Oudet, pour abbé de ladite abbaye, luy permettant de se retirer pardevers le superieur né d'icelle, pour obtenir la confirmation de ladite election; à la charge par ledit Oudet de garder & faire garder inviolablement les regles dudit ordre de Premontré, les statuts & constitutions de ladite abbaye, & de ne rien innover tant au spirituel qu'au temporel; & à condition qu'arrivant à l'avenir la vacance de ladite abbaye, par decès, demission ou autrement, les religieux d'icelle ne pourront s'assembler pour elire un nouvel abbé, sans en avoir eu préalablement une permission expresse de S. M. qui pourra, si elle le juge à propos, nommer un commissaire pour assister à l'election: m'ayant S. M. pour temoignage de sa volonté, commandé d'en expedier le brevet, qu'elle a signé de sa main, & fait contre-signer par moi conseiller secretaire d'etat, & de ses commandemens & finances. Signé *LOUIS.* Et plus bas, PHELYPEAUX.



INSTRUMENTA ECCLESIÆ SUESSIONENSIS.

I.

Ex chartul. S. Medardi. 827.

Cauciacum donatur sancto Medardo.

IN nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus divina ordinante providentia imperator augustus. Licet nichil ad augmentum gloriæ Sanctorum conferre possit id quod a fidelibus ad loca venerabilia, in quibus eorum corpora quiescere noscuntur, fuerit oblatum; certum tamen est multum eorum saluti proficere, qui sua propter nomen Domini ad memoriam Martyrum deferunt, quia de his oblationibus pauperes aluntur & egeni, quibus de suo non suppetit unde vivere possint; certumque est Christum illorum veneratione coli atque honorari, qui pro illo suam animam ponere non dubitarunt, & in quibus se futurum usque ad seculi consummationem veridica voce promisit. Igitur cum industria atque instantia viri venerabilis Hilduini abbatis monasterii sancti Medardi sacrique palatii nostri archicapellani, corpus beatissimi ac pretiosissimi martyris Christi Sebastiani per auctoritatem & largitionem domini Eugenii spiritalis patris nostri ab urbe Roma apud Suessionensem civitatem in monasterio sancti Medardi confessoris Christi, quod memoratus vir venerabilis Hilduinus abbas tempore præsenti regere cognoscitur, fuisset translatum, tanta ibi signorum & prodigiorum vis in omni genere sanitatum per ejusdem gloriosissimi martyris merita coruscant, ut merito ad venerationem illius cunctorum fidelium corda moverentur. Qua de re cum & nos orandi gratia ad memoratum locum venissemus, & ecclesiam ad venerationem sancti Medardi præfatique præclarissimi Christi martyris Sebastiani a fundamentis construere & ornare, atque ministeria aurea gemmisque ornata ad missarum solemnia celebranda conferremus, placuit nobis propter opus supra memoratum perficiendum, & ad luminaria concinnanda, sustentationemque pauperum atque receptionem hospitum, ad memoriam beatissimi martyris Christi Sebastiani aliquid de rebus nostris propriis solenni donatione conferre, & per intercessionem ejus præmia perennis vitæ percipere, ut regnum nostræ curæ commissum sub æterna protectione feliciter gubernare mereamur. Donamus igitur eidem beatissimo sancto Sebastiano martyri quoddam monasterium nostrum, cujus vocabulum est Cauciacum, quod est constructum in honore S. Stephani protomartyris, situm in pago Noviomensi super fluvium Auxonam, cum omni thesauro & supellectile sua, & cum ecclesiis, domibus, ædificiis, villis, terris cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve discursibus, molendinis, exitibus & regressibus, necnon & forestam quæ dicitur Veruga, cum suis ferminibus, & cum omnibus appenditiis, vel adjacentiis, vel quantumcumque prædicto monasterio antiquo & moderno tempore aspicere vel deservire videtur, totum ad integrum vel inexquisitum, prout superius dictum est, ad memoriam sæpedicti beatissimi martyris Christi ad luminaria concinnanda, & ad hospitum receptionem & sustentationem pauperum de nostro jure in jus & dominationem ejus transferantur; ita tamen ut rectores ejusdem monasterii, ubi illud sanctissimum corpus requiescit, non habeant potestatem prædictum monasterium Cauciacum vel appendentia ejus cuilibet in beneficium aut in usum mansi dare, sed tantum ad hoc semper permaneat, ad quod nos illud devovimus atque tradidimus, scilicet ad luminaria concinnanda, & ad A susceptionem pauperum & receptionem hospitum. Sed & hoc huic præcepto largitionis nostræ inserere placuit, ut abbates præfati monasterii beatissimorum sanctorum Medardi & Sebastiani in eorum providentiam habeant coram Deo & in prædicto monasterio Cauciaco quod memorato sancto Sebastiano martyri Christi contulimus, tanta congregatio ibi sit, quæ religionem sanctam tenere possit, & divinum officium plene Deo persolvere queant. Et ut auctoritas largitionis nostræ per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, ac de bulla nostra sigillari jussimus. Datum secundo nonas Augusti, anno Domini VIII^c vigesimo primo*, indictione quinta. Actum in monasterio S. Medardi & sancti B Sebastiani martyris Suessionensis, in Dei nomine feliciter, amen.

* f. septimo.

II.

Ex chartul. S. Medardi. 1047.

Charta Henrici regis pro monasterio S. Medardi.

ORDO rationis exposcit, ut quod per prolixiora tempora perdurare volumus, ad posteritatis memoriam literis & scriptis commendemus. Idcirco noverit omnium tam præsentium quam & futurorum industria, quod quidam vir illustris Hugo nomine, nulla pecuniæ cupiditate ductus vel necessitatibus adductus, sed magis pro remedio animæ suæ, & patris sui nomine Rainoldi, necnon & fratris sui nomine Alberti, omne beneficium abbatiæ sanctorum C Medardi & Sebastiani, atque Gregorii papæ, quod sibi hereditario jure pertinebat, a prædecessoribus suis divina præventus gratia, reddidit cum omni integritate, scilicet cum villis nomine dictis Villana, Villereisium, & quidquid in villa Curtis & Brochis possidere videbatur, totum & ad integrum Deo & præfatis Sanctis reddidit per manus domini Rainoldi abbatis, in præsentia domini Widonis Remorum archiepiscopi, & domini Beroldi Suessionum episcopi, & quorumdam optimatum palatii regis, videlicet Rainoldi comitis, & Hugonis cognomento Bardulfi, Ansoldi quoque, & Milonis fratris ejus, & Rotgeri Teste-viridis, & Rascelini, Odonis quoque & Maineri, in quorum præsentiam totum beneficium suum, sicut dictum est, in monasterio puella- D rum sanctæ Mariæ reddidit Deo & præfatis Sanctis ejus cum omnibus appenditiis, scilicet cum mancipiis & servis utriusque sexus, cum terris cultis & incultis, molendinis, pratis, silvis, pascuis, aquarumve decursibus, cum mobilibus & immobilibus, & omnibus adjacentiis sibi pertinentibus. Sed quum malitia & segnitia seculi hodie magis in multis prævalet, magna providentiæ industria quidam rationis conventus talis factus est, ut præfatus abbas Rainoldus præfato Hugoni pretium XL librarum concederet, ne beneficii redditi pœniteret, vel propter perfidiam vel insolentiam quorumdam insurgere volentium: a parte autem Hugonis tale decretum constitutum est propter utilitatem monasterii, ut si præfatus abbas Rainoldus, vel aliquis successorum E ejus præfatum beneficium cuicumque reddere voluerit, vel aliquo malo ingenio stipendiis monachorum subtraxerit, ipse prædictus Hugo vel successores sui in suum jus & donationem sæpedictum beneficium sine ulla contradictione & sine ulla retributione supradicti pretii, videlicet XL librarum cum omni integritate repetant. Actum in monasterio sanctorum Medardi & Sebastiani, atque Gregorii papæ; & Lauduno clavato, die Dominicæ Nativitatis, propriis

propriis manibus & sigillo gloriosi regis Henrici roboratum, & omnium episcoporum ibi convenientium manibus sub anathemate confirmatum, & optimatum palatii adstipulatione subnixum. Sig. Henrici gloriosissimi regis anno Domini M. XLVII. indictione XV. regni vero Henrici regis XIX. Signum Widonis archiepiscopi. Sign. Beroldi episcopi. Sign. Gibuini episcopi. Signum Fulconis episcopi. Sig. Drogonis episcopi. Signum Frotlandi episcopi. Signum Hetzelini episcopi. Signum Balduini episcopi. Signum Widonis archidiaconi. Signum Fulconis archidiaconi. Signum Harduini archidiaconi. Sign. Yvonis clerici de Perona. Signum Balduini clerici. Sig. Hermanni clerici. Signum Burchardi clerici. Signum Fulchradi clerici. Signum Hugonis qui hanc chartam fieri jussit. Signum Balduini comitis. Signum Eustasii comitis. Signum Lanberti comitis. Signum Ingelramni comitis. Signum Drogonis comitis. Signum Lestoldi militis. Signum Guarneri militis. Signum Evrardi militis. Sig. Walteri militis. Sig. Nivelonis militis. Signum Evrardi militis. Signum Widonis vicecomitis. Signum Hugonis militis. Sig. Gotfridi militis. Signum Drogonis militis. Signum Odardi. Signum Odelini.

III.

Fundatio sancti Johannis de Vineis.

Ex Sammarthanis.

1076. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Theobaldus Dei miseratione Suessionensis episcopus, &c. Cunctis christianæ religionis cultoribus, tam futuris quam præsentibus, prout decet, notum facimus quod quidam miles de Castro-Theoderici, nomine Hugo, præsentiam serenitatis nostræ humiliter adiit obnixe postulando deprecans, & precando postulans, ut altaria quæ de beneficio nostro, sed quemadmodum alii principes seculi hujus sacrilego more tenebat, sub tali tenoris adstipulatione recepissem, ut & cum de injusta eorumdem altarium tentura absolvissem, eadem altaria perpetuo ecclesiæ sancti ac venerandi Joannis Baptistæ in Monte subtitularentur, imo clericis inibi sub regula D. Augustini noctu diuque famulando viventibus, & vivendo famulantibus assignarentur. Cujus petitioni quia benigne condescendi, laïcorumque multitudine collecta, imo ipsum eumdem Hugonem manu tenens, ad ecclesiam merito Beati supradicti, ut ibi ab utrisque, videlicet a me & ab ipso stabile ratumque quod precibus a mea benevolentia impetraverat, fieret, festinavi. Tunc illuc, ut dictum est, veniens, ipsam eamdem, videlicet sancti Joannis Baptistæ ecclesiam cum omnibus appenditiis ejus, tam in terris quam aliis rebus, sed & ipsa altaria, quæ in loco præsenti subnotavimus, scilicet in Charliaco unum, secundum vero in Monte Tivonis, tertium sancti Aniani in pago Briacensi, quartum in Roseto, quintum in Arthesia, farinarios quoque duos, unum quod vocatur molendinum novum, & aliud quod vocatur *Toxar*, clericis ibidem regulariter viventibus contulit Hugo ita supra memoratus. Quo facto ad episcopalem rediens aulam, militi eidem de injusta & sacrilega altarium tenturâ ponderatam, sicut rogaverat, injunxi pœnitentiam, & ne forte quilibet subsequens episcopus assensum meum in hoc, eleemosynamque divæ memoriæ, temeritate vel ignorantiæ culpa in alios quam præfatos usus, ut ratio exposcit, diverteret, hanc, sicut usus & ratio expostulant, præcepi fieri chartulam cum sigilli mei impressione, & ante me & clericorum nostrorum præsentiam confirmavi retractam. De clericis vero, ut salvo jure ecclesiastico ab omnium personarum exactione vel inquietudine liberi permaneant, & ut res omniaque quæ ipsorum sunt, & hominum ad ipsos pertinentium a nemine pervaderentur, quatenus servi Domini ab omni oppressione immunes liberius Christo vacare possint, & pro totius populi christiani augmentatione & profectu Domini nostri clementiam exorare, & ut semper prælatum de eadem ecclesia sibi eligant, electumque canonice ab omnibus in nostri præsentiam adducant, atque a nostra manu eorum duntaxat curam suscipiat, non ignoret posteritas. Presbyter vero cardinalis ipsius ejusdem loci de more mihi & archidiacono de cura parochianorum rationem reddat. Excommunicatum vero auctoritate sanctorum Patrum & nostra, sed & a liminibus ecclesiæ sequestratum se noverit, quisquis huic nostræ liberalitati contrarius exstiterit, nisi eisdem ecclesiæ & clericis humiliter emendare studeat. Signum Theobaldi episcopi. Anjoranus archidiaconus, Fulco archidiaconus, Anculfus archidiaconus, Guido archidiac. Robertus Suessionensis matricis ecclesiæ decanus & cancellarius scripsit & subscripsit.

IV.

Confirmatio fundationis S. Johannis de Vineis.

Ex Sammarthanis.

1076. PHILIPPUS Francorum rex, &c. Quidam miles Hugo de Castello-Theoderici tenebat quædam altaria de beneficio Suessionensis episcopi, sed ipse divina miseratione compunctus, volens pro perituris commutare cœlestia, a domino Theobaldo tunc Suessionensi episcopo (cujus homo ligius erat) sub obtentu impetrationis expetiit, quatinus ipsa altaria pro quibus sibi timebat, episcopo redderet, & postmodum ex utriusque providentia altari D. Joannis in Monte attitularentur clerici sub regula S. Augustini in casto timore servientes Domino, & viventes de rebus ad illud altare pertinentibus, & alia altaria scilicet in Carliaco unum, aliud in Monte Tivonis, tertium sancti Aniani in pago Briacensi, quartum in Roseto, quintum in Arasia, molendinum quoque novum, & aliud quod vocatur *Toxar*, quæ Hugo ipse dimisit episcopo, ut in ipsorum canonicorum dono episcopi cederent usus. Episcopus siquidem ipse accipiens piam devotionem sui fidelis, culpam sui peccati terminare properantis, tam de altaribus quam de parte etiam sui beneficii, quam ipsi ecclesiæ traditurum se præelegit, petitioni ejus benevolus assensit. Exinde episcopus & Hugo utraque manu in ecclesia beati Joannis Baptistæ clericis regulariter viventibus contulerunt ipsam ecclesiam cum omnibus appenditiis ejus, tam in terris quam in aliis rebus, & præter hæc ipsa altaria quæ paulo ante retulimus, quatenus pauperes Christi ipsi devote affecti inde convescentes, militarent in ipsa ecclesia ad honorem Domini Jesu. Ne autem ipsam benignam voluntatem domini Theobaldi, & eleemosynam ipsius christiani Hugonis, quivis subsequens episcopus in rapinam & dissipationem ipsius loci converteret, hoc modo dispositum est, videlicet ut clerici salvo ecclesiastico jure ab omni exactione liberi permaneant, prælatum de eadem domo ipsi sibi eligant, & post electionem communi voto & assensu omnium in episcopi præsentiam electus prior deductus, eorum tantum curam suscipiat, & postmodum illis arguendo, increpando, obsecrando provideat. Presbyter vero cardinalis ipsius loci, sicut prius erat, episcopo & archidiacono parochianorum curam reddat: quod ut permaneret ratum, jam dictus episcopus & ipse Hugo mei præsentiam, de cujus manu illud beneficium pendebatur, adierunt, a me expetentes ut literis inde mea permissione compositis, ego ipse consignationi & confirmationi earum manum imponerem: ego siquidem, tum quia justa petierunt, tum quia etiam eleemosynæ ipsius particeps esse volui, benignæ petitioni eorum non defui, sed sicut usus postulat, devota cruce, & imposito meo sigillo regali, eorum ordinationem literis istis retractam confirmavi. Hoc autem factum est anno Incarnat. Domini M. LXXVI. indictione XIV. concurrente V. epacta XII. regnante

Philippo anno XVII. Theobaldo episcopatum tenente anno IV. Signum Manassæ Remorum archiepiscopi. Ego Gotredus Parisiorum episcopus, cancellarius regis Philippi, legi & relegendo laudavi. Hi sunt testes, Ingelardus Silvanectensis episcopus, Theobaldus Suessionensis episcopus, Wido Remensis archidiaconus, Tetbaldus comes & Stephanus filius ejus, Willelmus comes, Hugo de Castro-Theoderico, Albricus de Cosiaco, Evrardus miles, Gosridus miles, Wido de Castellione.

V.

Ex transsumpto Clusiaci.

Theobaldus episcopus altare de Bainson *donat abbatiolæ de Consiaco.*

1077. QUæcumque a rectoribus sanctæ Dei ecclesiæ jure aguntur, ut in posterum convalescant, necessarium & dignum valde videtur ea memoriæ scriptis commendare, & perpetua stabilitate corroborare. Unde ego Theobaldus Suessionicæ sedis episcopus notum esse volo tam futuris quam præsentibus, quod pro animæ meæ remedio, & post decessum meum pro anniversario meo quotannis commemorando, dedi canonicis & filiis Suessionicæ matris ecclesiæ, altare unum in isto episcopio, in villa vulgo dicta *Bainson*. Postea vero aliquanto tempore revoluto, Theobaldus comes major domus regiæ competiit a me & a clericis meis reddi & condonari idem altare cuidam suæ abbatiolæ nuper constructæ in villa Conciaco dicta seu nominata, ad censum viginti solidorum denariorum in festivitate S. Remigii persolvendum, & ita ut sacerdos altari deserviens ab omni vocatione, & placitis, & omni alia donatione, nisi monachi reclamarent de eo, liber haberetur. Si etiam ipse sacerdos in eis quæ ad altare pertinent aliquid offenderet, episcopali justitia liber ab ipsis monachis corrigeretur, nisi forte ab eis vel nolle vel non posse ipsa judicia fieri coram episcopo pro parte comprobetur; quod voluntate & assensu clericorum nostrorum annui & confeci, eo tenore ut post decessum meum perpetualiter anniversarius dies ab hiis duabus celebraretur canonicorum & monachorum congregationibus. Ut ergo firmum esset & ratum, per deprecationem prædicti comitis Theobaldi, meis annuentibus clericis, jussi supradictæ abbatiolæ monachis fieri hanc scripturam firmitatis, & annuatim in festivitate S. Remigii viginti solidos denariorum donent canonicis, & in vita mea pro me orent, & post decessum meum anniversarium celebrent, chartamque manibus meis firmavi, atque subscriptorum firmandam tradidi ac roborari præcepi. Actum in domo Suessionicæ matris ecclesiæ, anno Incarnat. Dominicæ M. LXXVII. regnante Philippo anno XVII. episcopatus vero domini Theobaldi anno quinto, indictione prima. Signum domini Theobaldi episcopi. Hoc autem sit omnibus notum quod perpetualiter decanus Suessionicæ matris ecclesiæ est persona hujus altaris, cumque moriente uno alter successerit. Sign. Ingeranni archidiaconi. Signum Ansculphi archidiaconi. Sign. Fulconis archidiaconi. Sign. Guidonis archidiaconi. Sign. Rothardi sacerdotis. Sign. Hilduini sacerdotis. Sign. Raynoldi levitæ. Signum Luonis levitæ. Sig. Fulcradi levitæ. Sig. Roberti subdiaconi. Sign. Garnerii subdiaconi. Sign. Petri subdiaconi. Sig. Vanelini acolythi. Sig. Petri acolythi. Signum Gerardi acolythi. Sig. Hugonis militis de Castello-Theoderici. Sign. Evrardi militis nepotis ejusdem. Sig. Theobaldi præpositi comitis Theobaldi Doulchi. Sig. Hesselini dapiferi episcopi Theobaldi. Robertus Suessionicæ matris ecclesiæ decanus cancellarius, scripsit & subscripsit.

VI.

Hilgotus episcopus dat altare S. Sulpitii Petræfontis monachis Majoris-monasterii.

Ex chartis Majoris-monasterii.

1085. QUoniam christianæ religionis caritas expostulat ut alter alterius ope & consilio sustentetur, non absonum & incongruum videtur, si una ecclesia beneficii alterius consolatione potiatur. Sunt enim hujusmodi ecclesiæ bona, ut sub specie caritatis impensa, plus accrescant liberaliter largiendo, quam cum aviditate optatæ retentionis colligendo. Cujus rei consideratione ego Helgotus gratia Dei Suessorum episcopus, a quibusdam religiosis edoctus gratia caritatis a Tetbaldo prædecessore meo beatæ memoriæ viro quiddam edidisse, sed illud non ad unguem expressisse, non fuit mihi ad consilium, ut in eo apparerem in toto inhumanus, in quo ipse me præcesserat devotus. Visum est enim suæ dispositioni ut altare sancti Sulpitii de Petrefonte, cui ipse ante præsulatum ut persona, in præsulatu vero ut episcopus præfuerat, S. Martino de Majori-monasterio ad refectionem fratrum in eadem ecclesia S. Sulpitii in quantum facultas suppeteret Deo servientium, habendum permitteret, in hoc quidem providendo deficiens, quia de persona oblitus est, cui cura animarum providenda subesset. Cui ego succedens in maximam sollicitudinem adductus sum in utroque dubius, ne & illa beata anima suæ eleemosynæ detrimentum pateretur, & ecclesiæ cura quasi neglecta & postposita persona titubare videretur. Tandem siquidem precibus abbatis S. Martini & fratrum sub eo degentium in hujusmodi sententiam descendi, ne etiam dicta ecclesia persona vacaret, neve S. Martinus post aliquam mei violentiam reclamaret, & ita ne illud ab ecclesia mea ex toto emitterem, quod apud eam incuriosius nequaquam retinerem. Ordinavi igitur illud altare assensu cleri mei in hujusmodi adstipulationem, ut decanus sanctæ matris ecclesiæ Suessionicæ, cui licet indignus præsideo, quicumque alius alii succedat, ipsius altaris persona semper existat, & quotannis censum quinque solidorum in solennitate sancti Gervasii ad usum canonicorum quibus præest ab illo altari suscipiat; residuum vero ususfructus illius altaris, favente & confirmante Ingelranno illius loci archidiacono & Hugone decano, beato Martino perpetuo tenendum permisi. Et hæc quidem firma fiant, salva mea & ministrorum meorum justitia, salva auctoritate synodi super illud altare & super sacerdotem vicarium illius ecclesiæ. Facta sunt autem hæc anno Dominicæ Incarnat. M. LXXXV. indictione VIII. concurrentibus II. & epacta III. Philippo regnante anno vigesimo quinto, & Helgoto episcopante anno primo. Eorum vero qui hujus scripti corroborationi interfuerunt, signa & nomina ✠ subscripta sunt. Sig. Lisiardi præpositi. Signum Ingelranni archidiaconi. Sig. Fulconis archidiaconi. Sig. Hugonis archidiaconi. Sig. item Hugonis archidiaconi. Sig. Rainaldi decani & cancellarii. Signum Hugonis præcentoris. Sig. Adæ sacerdotis. Signum Hugonis sacerdotis. Signum Hilduini sacerdotis. Signum Widonis diaconi. Sig. Rotberti scholastici. Sign. Rotberti diaconi. Sign. Wernerii subdiaconi. Signum Rotberti subdiaconi.

VII.

Hilgotus episcopus dat Consiaco altaria.

Ex transsumpto Clusiaci.

1085. CHristiana caritas ac dilectio hoc sane perpenditur, cum alter alterius vel locus vel persona beneficiis sustentatur: neque enim labentis possessio felicitatis quantum ad meritum decrescendo minuitur, cum una ecclesia de suis alteri ecclesiæ suppeditare contemplatur: sic enim amplificantur merita, cum sub specie veræ caritatis extenduntur beneficia. Quod

mecum recompensans ego Hilgotus gratia Dei Suessionensis episcopus, petitioni fratris Berengarii Conciacensis cœnobii prioris devotus acquievi, cujus petitionis forma talis subnectitur. Erant enim in episcopatu meo quædam altaria a laïca manu secundum abusum temporalem mancipata, altaria videlicet de vico Duromannensi, & altare de Curte Roberti, illud etiam de Gentonillari, & illud de villa quæ dicitur Sarmelia. Quæ quidem facta * visum est intentione ipse molitus in ecclesiasticos usus retorqueri a me expedit, uti ea Consiacensi ecclesiæ, cujus curam & prioratum ipse gerebat, secundum subditam determinationem firmiter obtinenda permitterem. In quo acto cleri mei consilio . . . . visum est ea ad ecclesiasticos usus retrahere, quam secundum priorem consuetudinem sub laïca ditione remanere. Ordinavi igitur ipsa altaria in hujusmodi adstipulationem, ut decanus sanctæ matris ecclesiæ Suessionicæ, cui licet indignus præsideo, quicumque alius alii succedat, ipsorum altarium persona semper existat, & quotannis in solennitate sancti Joannis, de altari de Sarmelia ad usum canonicorum matris ecclesiæ quindecim solidorum censum suscipiat, de reliquis vero tribus eadem die prænominata simili modo ad eosdem usus fratrum census quinquaginta solidorum receptor & communis distributor existat. Usumfructum vero ipsorum altarium supradicto cœnobio perpetuo obtinendum permisi, salva tamen mea justitia & successorum meorum, & ministrorum meorum, ita ut sacerdotes qui sunt & qui erunt altarium vicarii, in celebrandis synodis & calendis sicut antea, & in solvendis redhibitionibus prælatis suis usquequaque obediant. Ordinavi etiam ne propter personatum decani circa eum minuantur, sed præter supradictum censum ex usufructu altarium eodem in quo antea persolvantur. Concessi quoque ut chartula illa a Theobaldo prædecessore meo firmata de altari villæ quæ dicitur Baisona, sicut fuit facta, ita firma permaneat. Hæc quidem firmavi & corroboravi, favente & confirmante Ingelranno archidiacono, & Fulcone archidiacono, & Valterio decano, & Drogone decano. Hæc autem facta sunt anno Dominicæ Incarnationis M. LXXXV. indictione VIII. concurrentibus II. & epacta III. Philippo regnante XXV. & Hilgoto episcopante anno primo. Eorum vero qui hujus scripti corroborationi interfuerunt, signa & nomina subscripta sunt. Signum Ingelranni archidiaconi. Sign. Fulconis archidiaconi. Signum Lisiardi præpositi. Sign. Rainaldi decani cancellarii. Signum Hugonis archidiaconi. Sign. item Hugonis archidiaconi. Sig. præcentoris Hugonis. Sign. Adæ sacerdotis. Sign. Hugonis sacerdotis. Sign. Widonis levitæ. Sign. Roberti scholastici. Sign. Erbenoldi levitæ. Sign. Walnerii subdiaconi. Signum Roberti subdiaconi. Sign. Yvonis subdiaconi. Sig. Raynodi acolythi. Sig. Giraldi acolythi. Rainaldus cancellarius & Robertus scholasticus scripserunt & superscripserunt.

* Ita transsumptum.

VIII.

Ex Sammarthanis.

Hilgotus episcopus altare dat abbati de Castello-Theoderici.

1087. OMnibus sanctæ Dei ecclesiæ filiis in nomine Domini notificari volumus, quoniam Dudo abbas de Castello-Theoderici expetiit gratiam domini Helgodi Suessionicæ sedis episcopi, ut altare de villa quæ Basuacus vastata nuncupatur, quod Adam clericus tenuerat, & in manus episcopi & archidiaconi reddiderat, beatæ Mariæ de Castello-Theoderici ad usum canonicorum ibi Deo servientium perpetuo firmaret. Cujus petitioni dominus episcopus assentiens, in hujusmodi adstipulationem illud altare ordinavit, ut thesaurarius sanctæ matris ecclesiæ Suessionicæ, quicumque alius alii succederet, illius altaris persona semper existeret; & ob hoc quotannis in festivitate S. Gervasii de redhibitione ipsius altaris dimidiam libram incensi susciperet, ita quidem salva justitia in synodis & calendis; ut sacerdos illius loci prælatis suis obediat sicut antea. Hæc firmavit dominus Helgodus sub testimonio eorum quorum subscripta sunt nomina. Fulco ipsius loci archidiaconus firmavit hæc, & Drogo decanus. Signum Helgoti episcopi. Sign. Hugonis sacerdotis. Sig. Ingelranni archidiac. Sign. Roberti Sig. item Roberti. S. Lisiardi præpositi. S. Widonis Sig. Walnerii subdiac. Anselli. Sig. Hugonis præcentoris, Alexii, Hugonis acolythi. Hæc autem facta sunt anno Dominicæ Incarnationis M. LXXXVII. in dicta octava epacta III. concurrentibus III. regnante Philippo rege anno XXVII. Helgoto episcopante anno secundo. Rainaldus cancellarius & Rotbertus scholasticus, scripsimus & subscripsimus hæc.

IX.

Translatio Sudarii Compendiensis in aliam capsam.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, sanctæ & individuæ Trinitatis. Philippus Dei gratia Francorum rex piissimus, ammonitus divina Dei propitiatione & fratrum Compendiensis ecclesiæ supplici commonitione, & præcipue creberrima flagitatione christianissimæ Mathildis Anglorum reginæ; placuit nobis ut Domini & Salvatoris reliquias, quas imperator Carolus vir christianissimus, & totius orbis monarcha magnificus Compendii in loco regio & venerabili posuerat, & cum summa devotione in vase eburneo condiderat, inde in aliud vas quod prædicta Anglorum regina auro, gemmis & pretiosissimis lapidibus mirifice ornatum & decoratum ecclesiæ Compendiensi transmiserat, deponeremus. Factum est igitur hoc sicut ordinatum & dispositum fuerat ab episcopis & Christi fidelibus, die Dominica *Lætare Jerusalem*, quæ est media Quadragesimæ, & peractis triduanis jejuniis, exposita sunt illa sacrorum sacra, linteamen videlicet in quo Dominicum corpus in sepulchro jacuisse perhibetur, quod sindonem secundum Evangelistam nominamus, & ex eburneo in supradicto vase aureo deposita, cum gratiarum actione & votis fidelium, congregata innumerabili & infinita christianorum multitudine. Ad memoriam itaque tam præclaræ, tamque celeberrimæ solennitatis, statutum & decretum est a nobis & ab episcopis nostris, quatenus prædicta Dominica media Quadragesimæ omni tempore solennis & authentica apud omnes fideles qui ad eumdem locum pro indulgentia suorum peccaminum per merita beatorum martyrum Cornelii & Cypriani impetranda omni annorum revolutione redirent, haberetur & celebraretur. His igitur feliciter expletis & perpetualiter, sicut decuerat, firmatis, donavimus eidem ecclesiæ, fratribus videlicet & thesaurario communiter, telonium totius negociationis, necnon & latronem, & omne jus & justitiam fori, teloneum etiam panis, & omnia forisfacta fori, in quocumque loco commissa fuerint per tres dies, ipso videlicet die Dominicæ solennitatis, & antecedente & sequente die ejusdem celebrationis. Quod si acciderit forum esse de jure sancti Clementis vel sancti Mauricii, statutum & concessum est a nobis ut decem solidos accipiant pro teloneo suo canonici prædictarum ecclesiarum, a fratribus & thesaurario S. Cornelii. Constituimus etiam, concedente thesaurario & me confirmante, ut in tribus supradictis diebus totius oblationis quicquid in ecclesia aut extra ecclesiam oblatum fuerit, mediam partem habeant canonici, reliqua vero sit thesaurarii. Hæc autem omnia quæ superius diximus, eo tenore ecclesiæ tradidimus, ut per singulos annos intra Quadragesimales dies pascant fratres eleemosynarium unum in eleemosyna Caroli pro salute &

1092.

remedio animæ meæ, & antecessorum successorumque nostrorum. Et ut inviolabilis & indivulsa permaneat traditio nostra, regia auctoritate indiximus, & excommunicari ab episcopis nostris fecimus, ne aliquis ex nostris successoribus vel familiaribus præsumat prædictæ ecclesiæ subtrahere quod ei firmiter & perpetualiter tradidimus. Quocirca præceptum istud manu propria firmavimus, & sicut decrevimus & stabilivimus, ita impressione nostri sigilli signari fecimus, & regia auctoritate ratum & firmum perpetualiter esse præcepimus. Actum est hoc Compendii in palatio regio, anno ab Incarnato Verbo Dei millesimo nonagesimo secundo, indict. quintadecima. Hubertus cancellarius scripsit & subscripsit. Signum Philippi gloriosi Francorum regis.

X.

Ex chartis Majoris-monasterii.

Notitia de ecclesia sancti Theobaldi de Basilicis.

NOtum sit tam præsentibus quam futuris, quod Manasses de Basilica, sicut legitime donaverat auctorizante & laudante domno Rainaldo tunc temporis Remensi archiepiscopo, & auctore D. Hilgaudo Suessionensium episcopo, monasterium sancti Theobaldi quod situm est juxta illud idem castrum Basilicas beato Martino Majoris-monasterii & monachis suis, cum omnibus quæ pertinent ad illud monasterium, videlicet omnes oblationes quæcumque ibi offeruntur, & sepulturam, & burgum, & molendinum, & furnum, & stagnum, & omnes consuetudines, vineas quoque, & prata, & terras & domos: ita postea propter quamdam invasionem quam injuste inde fecerat, ivit Suessionis, & pœnitentia compunctus de injusta invasione, guerpivit omnia quæ supra commemoravimus, beato Martino & monachis suis, nullo contradicente & nullo calumniante, in præsentia domni Hainrici tunc temporis Suessorum episcopi & in præsentia istorum testium, Fulconis archidiaconi, Bonardi Nigri, Lisiardi præpositi, Rohaldi filii Garnerii succentoris, Petri de Basilica, Hugonis scholastici, Archenaldi diaconi, Johannis Moielet. Fuerunt etiam testes de monachis Raherius prior de Crispiniaco, Bernardus prior Majoris-monasterii, Arraudus prior S. Theobaldi, Andreas frater domini Hilgodi, Guillelmus de Paceio. De laïcis & famulis Hugo de Haugiis, Martinus de Boeria, Gualterius Clarellus, Gaucherius de Taverno.

XI.

Ex chartis eisdem.

Hugo episcopus confirmat bona sancti Theobaldi de Basilicis.

1093. EGO Hugo Dei gratia Suessionensis episcopus, notum fieri volo omnibus ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, quod omnia quæ antecessores mei videlicet Suessionenses episcopi, monachis Majoris-monasterii in monasterio S. Theobaldi juxta Basilicas sito, Deo famulantibus concesserunt, & in posterum rata fore sanxerunt, ego pari assertione concedo & confirmo. Culturam quoque quæ dominicaturam Suessionensis episcopi contingere dicebatur, super qua quibusdam suggerentibus calumniam faciebam, postulante domno Willelmo ejusdem loci priore, rogantibus & consiliantibus domno Rainaldo Remorum archiepiscopo, & domno Ingelranno archidiacono nostro, annuentibus etiam clericis nostris, prædictis monachis quiete & libere jure perpetuo possidendam attribuo ea devotione, ut spiritualis beneficii quod prædecessoribus meis & ecclesiæ nostræ contulerunt, me participem faciant, & post obitum meum suis orationibus apud Deum fusis animæ meæ subveniant. Ut igitur hæc nostra concessio roboretur, & roborata ad posterorum notitiam derivetur, sigilli nostræ auctoritatis impressione firmamus & propria manu signamus. ✠ Sig. Hugonis episcopi tunc temporis decaniam & cancellariam in manu sua tenentis. Signum Ingelranni archidiaconi. Signum Fulconis archidiaconi. Signum Ebali archidiaconi. Sig. Lisiardi præpositi. Sig. Rogerii abbatis & canonici. Sig. Hugonis præcentoris & presbyteri. Sign. Adam presbyteri. Sign. Hugonis presbyteri. Sign. Roberti diaconi. Sign. Petri diaconi. Signum Archenaldi diaconi. Signum Tetbaldi subdiaconi. Signum Anselli subdiaconi. Signum Rotberti subdiaconi. Signum Bernardi acolythi. Signum Hugonis acolythi. Signum Gualteri acolythi. Signum Rainaldi Remorum archiepiscopi. Signum Elinandi Laudunensium episcopi. Signum Fulconis Belvacensium episcopi. Signum Gervini Ambianensium episcopi. Sig. Ratbodi Noviomensium episcopi. Sig. Girardi Morinorum episcopi. Sign. Henrici sancti Remigii abbatis. Sig. Odonis sancti Medardi abbatis. Sign. Johannis sancti Nicasii abbatis. Signum Nocherii sanctæ Helenæ abbatis. Sig. Burchardi sancti Basoli abbatis. Sig. Baldrici Burgolii abbatis. Actum anno Incarnationis Dominicæ M. XCIII. indict. prima, regnante Philippo anno XXXIV. episcopante domno Hugone anno primo. Ego Hugo episcopus tunc temporis decanus & cancellarius, scripsi & subscripsi. Cofirmatum in concilio Remis celebrato, hebdomada tertia Quadragesimæ; & ut irrevocabile permaneat anathematis est apposita sententia.

XII.

Urbanus II Bainsonum confirmat monachis Consiaci.

Ex chartul. Cluniacensi. 1096.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, monachis sancti Petri apud Bainsonum, salutem & apostolicam benedictionem. Et religionem augere & religiosorum quieti prospicere officii nostri nos impellit auctoritas. Religionis igitur conservandæ gratia nos Bainsonensem locum, in quo per Dei gratiam conservamini, qui nos ex parentum jure contingit, Cluniacensi cœnobio contradentes, tam vos quam successores vestros decreti præsentis auctoritate munimus. Ipsum enim locum sicut & cetera Cluniacensis cœnobii membra, liberum perpetuo permanere decrevimus, ut quæcumque hodie juste, vel ex parentum nostrorum dono, vel ex aliorum fidelium oblatione possidet, sive in futurum possidebit, sive juste & canonice poterit adipisci, firma vobis semper & illibata permaneant, nec parochiæ ipsius episcopo, nec episcopi archidiaconis liceat aut vobis, aut capellanis vestris molestias aliquas vel injurias irrogare, nec aliquid prorsus exigere, præter annuos solidos viginti, qui ex præcedentium episcoporum & patris mei consensu instituti sunt, Suessionensibus canonicis persolvendi. Alias tam vos quam capellani vestri quieti semper ac liberi, salvo episcopalis reverentiæ debito, permanebitis. Si quis autem præcepti hujus tenore cognito contraire præsumpserit, tanquam sedis apostolicæ contemptor, ecclesiæ judicio & Spiritus sancti gladio feriatur. Datum Turonis per manum Johannis cardinalis, XIII. calendas Aprilis, anno Incarnationis millesimo nonagesimo sexto, pontificatus Urbani secundi IX. indictione IV.

XIII.

Hugo episcopus dat altare de villa Novigento monachis sancti Germani Parisiensis.

Ex autographo.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Sapientum hoc consilio in consuetudinem venisse dinoscitur, ut quæcumque decernendo firmam vellent obtinere stabilitatem, ea literarum & sigilli corroborata officio, posterorum notitiæ relinquerent. Hoc eodem igitur ductus consilio, ego Hugo Dei gratia Suessorum episcopus, hujus decreti nostri rationem 1096.

hoc modo volui in futurorum cognitionem pervenire. Rogatus enim aliquando, immo multis precibus obsecratus a domino nostro rege Philippo, atque a domno Isembardo S. Germani Parisiensis venerabili abbate, precibus quoque Stephani comitis & uxoris ejus Adelæ inductus, eorum postulationibus quod dignum erat adquiescere statui. Quod ergo postulantibus firmiter, & totius capituli consilio, concessimus, annuente unanimiter clero nostro, hoc est, videlicet ut ecclesia sancti Germani Parisiensis altare de villa Novigento, quæ sita est super Maternam fluvium, perpetualiter cum omnibus appenditiis possideat libere & absque personæ interventione, salvo episcopi & archidiaconi jure; eo etiam tenore, ut pro eodem altari sanctæ Suessionensi ecclesiæ in festivitate sancti Matthæi apostoli singulis annis quinque solidi persolvantur, aut post eam diem infra dies octo lege facta reddantur, & minime perdantur. Hoc itaque a nobis constitutum ne quis in posterum violare audeat, sub anathemate interdicimus, atque etiam signi nostri ceterorumque necessariorum adstipulatione firmamus. Signum Hugonis Suessionensis episcopi. Sign. Fulconis archidiaconi. Sig. Lisiardi præpositi. Sign. Hugonis decani. Sign. Ingelranni archidiaconi. Sign. Petri archidiaconi. Sign. Ebali archidiaconi. Sig. Hugonis sacerdotis, & Hugonis, Warneri, Odonis. Sig. Roberti diaconi & cantoris. Sig. Erchenaldi diaconi, Petri, Rainardi, Bernardi, Girardi. Sig. Tetbaldi subdiaconi, Ivonis, Ansoldi, Rainoldi, Guarneri, Giroldi. Sig. acolytorum Petri, Ansoldi, Ivonis, Hugonis, Walteri, Ingelranni. Signum domni Isembardi abbatis. Monachorum Andreæ, Rainaldi, Gisleberti, Radulfi, Letberti. Signum laïcorum Hugonis Albi, Ascelini, Johannis coci, Hugonis, Odonis, Widonis, Warini, Ernaldi. Actum in urbe Suessonica anno Dominicæ Incarnationis M. XCVI. regnante rege Philippo. Ego Hugo sanctæ Suessionensis ecclesiæ cancellarius, subscripsi.

X I V.

Ex mss. sumpto Cluniaci.

Hugo episcopus quatuor altaria ecclesiæ de Consiaco donat.

1098. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. Quotquot vel ecclesiasticam prælationem vel reipublicæ administrationem gerendam susceperunt, hoc sibi primum & maxime curandum proponant, ut circa eum a quo omnis potestas est humiliter & reverenter agant, & circa Dei servos misericordes & benigni existant: hoc enim modo a prælatis & principibus recte atque ordinate omnia disponantur; hoc, inquam, modo cum eis & sub eis universa prosperabuntur, si honorem Dei ubique præposuerint, si cultum ejus & gloriam nominis ejus dilatantes, eos qui Christo devote & singulariter serviunt, sustentando adjuverint. Ego igitur Hugo gratia Dei Suessorum episcopus, compertum habens utile esse benefacere bonis, & acquiescere precibus justis, dompni Wicherii Consiacensis cellæ prioris frequenti petitione pulsatus, & ejusdem viri religiosi caritate motus, ad exaudiendum me inclinavi, & quæ petebat factum digna mihique salutaria reputans, habenda concessi: dedi enim prædictæ cellæ quatuor altaria, videlicet altare de Saponiaco, altare de Roncheriis, altare de Birniaco, altare de Spanix; ea siquidem ratione, ut Suessionensis matris ecclesiæ decanus in æternum persona sit ipsorum altarium, & eorum cura ad ipsum pertineat semper: pro iisdem vero altaribus canonicis præfatæ Suessionensis ecclesiæ, cui, Deo volente, licet indignus, præsideo, octo solidi quotannis persolvantur, quandiu vivo in die consecrationis meæ, post mortem vero meam in anniversario meo. Hanc igitur concessionem cum ordinatione sua in conventu capituli sic fore decrevimus; & quoniam episcopalia acta clericorum consilio & judicio non aliter consistunt, cleri mei favore hæc instituimus. Denique ut probata ab omnibus institutio, non tantum nostris, sed etiam futuris temporibus firma & inconcussa consisteret, ore & manu legitimarum personarum, laudati sigilli etiam nostri impressione munire dignum duximus, pariterque archidiaconorum, in quorum ministerio prædicta altaria sub nostro regimine consistunt, aliarum quoque laudabilium personarum atque clericorum signa cum subscriptionibus adhibenda esse decrevimus. Sign. Hugonis Suessorum episcopi. Signum Ebali archidiaconi. Signum Fulconis archidiaconi. Signum Petri, Garnerii, Galterii sacerdotum. Item Galterii, Odonis. Sign. Lisiardi præpositi. Signum Hugonis decani. Sig. Ansoldi, Laurentii, Walterii, Petri. Signum Roberti præcentoris. Signum Petri Archinaldi. Signum Rainardi, Fulconis, Odonis, Bernardi diaconorum. Sig. Theobaldi, Yvonis, &c. subdiaconorum. Sig. Yvonis, Hugonis, &c. acolytorum. Actum anno Incarnationis Verbi M. XCVIII. indictione II.*

* f. VII

X V.

Ex chartis Majoris-monasterii.

Ecclesia sancti Maximi in castro Petræfontis datur monachis Majoris-monasterii.

Circiter 1102.

NOtum sit omnibus, tam futuris quam præsentibus, quod domnus Nivelo dominus de Petrafonte dedit Deo & beato Martino Majoris-monasterii & monachis ejus, ecclesiam sancti Maximi quæ sita est in eodem castro inter duas turres, cum omnibus quæ ad eamdem ecclesiam pertinent, annuentibus filiis suis, Petro, Ansculfo, Nivelone & Drogone, & omnibus militibus sui castri, & pluribus optimis viris de burgo, cum ceteris familiæ suæ hominibus. Voluntas autem hujus donationis orta est in corde Nivelonis & uxoris ejus, hortatu & instinctu domni Hugonis fratris sui Suessionensis episcopi, antequam pergeret in viam Hierusalem. Hujus vero adhortationis ipse Nivelo & uxor ejus Haduisa non immemores, pro salute animarum suarum & pro requie antecessorum suorum supradictam ecclesiam sancti Maximi cum omnibus rebus ad eam pertinentibus donaverunt Deo & beato Martino Majoris-monasterii & monachis ejus, sicut supradictum est, quatinus monachi inibi Deo servirent, & secundum loci qualitatem quatuor aut quinque, sive sex post decessum canonicorum inibi habitarent. Locus igitur ubi monachi officinas suas sunt facturi, est camera quæ est juxta ecclesiam, & coquina, & puteus, & terra quæ ab oriente adjacet juxta viam publicam ad pedem Terralli secundum amœnitatem loci. Hæc ergo omnia donaverunt Deo & B. Martino Majoris-monasterii & monachis ejus ipse Nivelo & uxor ejus Haduisa, concedentibus supradictis filiis eorum, Petro, Ansculfo, Nivelone & Drogone, inter manus domni Hugonis tunc prioris, per librum collectaneum de domo monachorum, & postea posuerunt illud super altare sancti Sulpitii, videntibus monachis & militibus, & aliis probis viris, quorum nomina subscripta sunt. De monachis Hugo prior ipsius loci, Seguinus prior de S. Tetbaldo, Rothbertus monachus, Raimbertus monachus, Haimericus monachus, Bernardus monachus, Harduinus presbyter. De militibus Hilbertus avunculus Guermundi & Johannis, Johannes filius Guermundi, Albertus de Gurnaio, Gauscelinus infans, Philippus filius Rotgerii dapiferi, Petrus filius Testhonis & Guido frater ejus, Guido de Moseio, Rainaldus filius Hervei, Thenardus de Crispeio, Paganus de Chala, Rurius Senterius. De burgensibus Stephanus Dives, Hugo Parvus, Lambertus serviens frater Raimberti monachi, Guibertus armiger, Girardus de Atichio, Guanilo cementarius, Raherius carpentarius, Andreas archerius, Bloinus archerius,

Ascherius de Artasia, Richardus filius Ascelini, A Gislebertus filius Alberti, Gausbertus filius Bertranni, Gausbertus tornator. De famulis monachorum Guarembertus famulus, Hatho famulus, Guibertus famulus, Albericus famulus. ✠. Signum Nivelonis. ✠. Sig. Haduisæ. ✠ Sig. Petri. ✠ Sig. Nivelonis. ✠ Sig. Drogonis.

XVI.

Ex transsumpto Cluniaci.

Lisiardus episcopus quatuor altaria ecclesiæ de Consiaco concedit.

1110. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. Ego Lisiardus Dei gratia Suessionensis episcopus, cum ad sollicitudinem & professionem nostram spectet dispersa colligere, diruta restituere, errata corrigere, & bonorum omnium cooperatores existere, B studiose illis maxime operam & favorem nostrum impendere dignum duximus, quos in sancta religione propensius exercitari cognoscimus; in quo pietatis officio cum religiosis omnibus benignos fore nos oportere fateamur, familiarius tamen amplectimur, & in sinu suscipimus, & quasi in visceribus gestamus fratres nostros vere cultores Dei monachos Cluniacenses, tam eos qui in illo excellentissimo loco & vere castris Dei conjuncti, & quasi densata acie contra hostes invincibiles constituti, quam eos qui extra ut de terrenis lucra spiritalia reportent directi sunt; & hii namque non minus illis venerabiles etiam cum ad nostrum publicum prodeunt, & externis laboribus interesse videntur, quia dum necessitatibus C Sanctorum intus Deo vacantium semperque orantium per obedientiæ devotionem militant, illorum contemplationis & orationis virtutem æquiparant, ut impleatur in eis quod dicitur *: odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* De his ergo jure taliter sentiendo & eorum profectibus interioribus & exterioribus congratulando, statui ego Lisiardus Dei gratia Suessorum episcopus, pleno affectu amare, colere, benefacere dilectis fratribus nostris monachis apud Consiacum prope nos & in nostro episcopio manentibus, ad supradictam sanctam & egregie religiosam Cluniacensem congregationem pertinentibus. Venerabili igitur & religioso viro Vicherio prænominati Consiacensis cœnobii priori facultatem dedi & persuasi, ut quædam altaria a laïcis multis temporibus indigne D possessa liberare operam daret, & ad ecclesiasticam possessionem & usum Deo servientium reducere satageret. Egit itaque data sibi auctoritate, ut strenuus & spiritualis negotiator, & cum religiosis fratribus suis quod injustitia seu violentia usurpaverat, eripere instituit, donec quasi spoliata Ægypto res indigne servientes ad obsequium Israelitarum traduxit. Unde commutationem hujusmodi approbantes, prædicto cœnobio nostrorum assensu clericorum eadem altaria habenda concessimus, salvo jure & consuetudinibus nostris & ministerialium nostrorum, altare scilicet Cresanci, altare Condati, altare Wlcenis. Præterea dedimus ei altare *Kalet*, eo tenore ut pro iis altaribus census decem solidi fratribus Suessionensis ecclesiæ in natali seu anniversario meo quotannis persolvantur. Quæ concessio ut inviolata E permaneat, auctoritatis nostræ decreto corroboravimus, & sigilli nostri munimine & legitimorum testium adhibitione perfecimus. Signum Lisiardi episcopi. Sig. Fulconis archidiac. Sig. Ansculfi archidiaconi. Sign. Hugonis præcentoris. Sig. Walterii sacerdotis. Sig. Odonis sacerdotis. Sig. Fulconis diaconi. Sign. Girardi diaconi. Sig. Roberti diaconi. Sig. Theobaldi subdiaconi. Sign. Yvonis subdiaconi. Sig. Hugonis subdiaconi. Sign. Durandi acolyti. Sign. Roriconis acolyti. Sig. Leonis acolyti. Actum Suessioni anno Dominicæ Incarnationis M. CX. episcopatus domini Lisiardi Suessionensis primo*, decimo sexto calend. Aprilis, indictione tertia.

* *forte* II *id est* secundo.

XVII.

Diploma Ludovici VI pro ecclesia Compendiensi.

Circiter 1110. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Inter ceteras quas prædecessores nostri ob suam suorumque pietatem in regno suo construxerunt, ac de facultatibus amplissime dotaverunt ecclesias, una est sancta Dei videlicet ac venerabilis ecclesia Compendiensis, quæ usque ad tempora nostra honorifica atque liberrima extitit, quam nos quoque multum diligimus, ac præ ceteris honorare, magnificare atque exaltare gaudemus. Universis igitur ecclesiæ sanctæ filiis præsentibus scilicet ac futuris notum fieri volumus ac certum haberi, quod ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex, prædictæ sanctæ Compendiensi ecclesiæ omnes omnino consuetudines, omnem prorsus libertatem quam temporibus patrum nostrorum, Roberti videlicet Francorum regis, Henrici quoque atque Philippi, & usque ad nos tenuit, libere atque integerrime habendas perpetualiter concedimus, & tenendas; & in tali ordine in quo nunc usque fecit, permaneat, videlicet ut clerici ejusdem ecclesiæ, sicut usque modo vixerunt, sine ulla permutatione deinceps permaneant. Hoc tamen præcipimus, ut presbyteri, diaconi atque subdiaconi nullatenus deinceps uxores concubinas habeant; ceteri vero cujuscumque ordinis clerici propter fornicationem licentiam habeant ducendi uxores. Hoc denique præceptum nostrum ut firmum permaneat & inconvulsum, literarum memoriæ commendari, & nostri nominis caractere & sigillo nostro signari ac roborari præcipimus.

XVIII.

Privilegia Præmonstratensium in Castello-Theoderici. *Ex Sammarthanis.*

1120. CErtissime sciendum est quod si festum sancti Severici in crastinum Ascensionis advenerit, quidquid ad justitiam comitis pertinet, tam in pedo quam in teloneo, citra & ultra pontem, vendentium & ementium, vel etiam latronum & quorumlibet malefactorum, hora nona vigiliæ festi & totius diei festi, fratres in ecclesia beatæ Mariæ & S. Severici Domino famulantes, in perpetuum possidebunt. Quacumque autem die contigerit, quidquid ad comitem respicit, videlicet telonium, minagium de singulis bulengaris, panem & vinum, latronum & quorumlibet malefactorum justitiam & aliam rectam consuetudinem ab hora nona festi fratres perenniter obtinebunt, qua videlicet hora ab antiquis principibus dictæ ecclesiæ liberaliter sunt erogata, & ab eadem ecclesia multis jam diebus pacifice sunt possessa. Anno Domini M. CXX. in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

XIX.

Hugo Basulensis restituit decimas ecclesiæ sanctorum Rufini & Valerii. *Ex chartis Majoris-monasterii.*

1122. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti, & sanctorum martyrum Rufini & Valerii, amen. Divinæ dispensationis providentia & consilio humanæ cautioni inspiratum esse nemo quis dubitet, ut eleemosynarum oblationes quæ in ecclesiis fiunt, & scriptorum annotationibus ad memoriam protendantur, & congruenti probabilium personarum adstipulatione roborentur. Hoc siquidem factu utilissimum & valde necessarium est, tum ut sub tanto talique testimonio coheredum succedentium ab illicito ausu & sacrilegii crimine temeraria reprimatur præsumtio; tum ut a clericis sive monachis in ecclesia Deo famulantibus, tam in eleemosynis quam in oratione pro largitoribus ipsis continua fiat commemoratio; tum etiam ut tam præsentes quam posteri utriusque beneficii zelo

succensi, simili provocentur exemplo. Hæc itaque divinæ dispensationis auctoritate & ecclesiastica institutione commoniti, tam præsentibus quam posteris notum fieri volumus, quod Hugo dominus Basulensis castri pie non immemor quod antecessores sui per rapinam sibi in dominicaturam vindicaverint jus & possessionem, qua beatissimus Remigius Remorum pontifex ecclesiam sanctorum martyrum Rufini & Valerii fundavit & consecravit, & septuaginta duorum clericorum canonice degentium ministerio & usualium sufficientia ordinavit; licet non fuerit, quippe qui nec tunc esse poterat, eis coadjutor vel consentaneus in culpa, tamen minime securus de pœna, sapienti usus consilio & persuasione domni Manassedis Suessionensis pontificis, pro spe veniæ pro animæ suæ salute, ecclesiæ prædictorum martyrum Rufini & Valerii decimam molendinorum ipsius castri resignavit, & tam prædicti episcopi auctoritate, quam uxoris suæ Basiliæ & liberorum suorum communi assensu & voluntate perpetualiter tenendam firmavit. Evoluto itaque aliquanto tempore cum prædictus Hugo his aliisque beneficiis ecclesiæ collatis Deo spiritum reddidisset, & nondum hujus oblationis alicujus scripti munimentum superesset, domina Basilia uxor ejus animæ domini sui commemoratrix solertissima, ne aliquod emolumentum interveniret, per quod si hujus donatio infirmaretur, anima domini sui & sua in aliquo periclitaretur, prænominatæ decimæ largitionem & a domino suo factam, & a se & a liberis suis concessam renovari diligentissime studuit: addendo etiam pro anima domini sui & sua, & liberorum suorum & pro eorum anniversariis per singulos annos celebrandis decimam de Thesneriis, excepto dimidio modio frumenti, quod ad luminare ejusdem ecclesiæ contulit; & excepto modio uno quod etiam ecclesiæ S. Theobaldi pro eisdem beneficiis iterum dimisit; concedendo etiam quinque solidos nummorum censuales qui sunt apud Thesneriis, quos dominus Hugo Basulensis pro anniversario suo, concedentibus filiis suis Guidone scilicet, Gualchero & Hugone, beatissimis prænominatis martyribus Rufino & Valerio in vita sua tribuit. Immo etiam tres solidos nummorum censuales & dimidium qui sunt super vineam quæ est in valle Hugonis, quam tenet Hivelardus filius Morandi; de quibus tres solidos debet Robertus cocus sex nummos. Hoc etiam impermutabili scripturæ firmamento supra nominata domina nostra Basilia eam reservari submonuit, & domini Lisiardi qui in episcopatu Suessionensi post Manassem successerat, auctoritate & anathematis sententia roborari expetiit. Ut hujus itaque donatio eleemosynæ nullis temporum terminationibus arceatur, solenni eam testamento & inoccidue firmitatis munimine roborari, sigilloque domni Lisiardi Suessionensis episcopi patenter imprimi probabiliumque personarum signis & testimoniis indelebiliter adstipulari volumus. Hujus donationis testes sunt Ebalus archidiaconus, Fulco archidiaconus, Petrus archidiaconus, Ansculfus archidiaconus, Bernardus decanus, Johannes capellanus, Haimericus ejusdem ecclesiæ decanus, Guido thesaurarius, Herluinus sacerdos, Constantius sacerdos, Hugo canonicus, Constantius Sparnensis, Guidbaldus, Helduinus, Thomas, Robertus de Ulcheio, Johannes canonicus. Ex parte militum Dudo filius Arroldi, Guiardus Dissolutus, Robertus filius ejus, Hugo frater Roberti, Paganus, Petrus de Cellario, Fulcherius miles, Bertrannus, Hugo frater ejus, Ysuardus, Ponciardus filius ejus, Theobaldus præpositus. Actum publice Basilicis in ecclesia beatorum martyrum Rufini & Valerii, anno Incarnati Verbi M. CXXII. indictione XIII. regnante Ludovico rege Francorum gloriosissimo anno XIII. Lisiardo pontifice assistente.

XX.

Confirmatio fundationis Consiaci.

Ex transsumpto Camusati. 1123.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Theobaldus Dei gratia Palatinus comes, pro meis negligenter commissis judicem sempiternum in aliquibus placare cupiens, ad remedium animæ meæ & uxoris, antecessorum etiam & successorum meorum, ecclesiæ Coinciacensi, quam avus meus bonæ memoriæ comes Theobaldus a primo lapide pro peccatis suis fundaverat, & post eum pater meus Stephanus largissimis concessionibus ampliaverat, & fratribus inibi Deo servientibus quidquid libertatis, quidquid tuitionis contulerint, præsenti scripto Deo auctore confirmo: libertatem scilicet burgi qui ecclesiæ subjacet & Coinciacensi villæ, & ecclesiam illam a me & a successoribus meis ab omni exactione & inquisitione liberam, præter vini mensuram & panem, quem patres mei pro benedictione & caritate sibi & successoribus suis retinuerunt, justitiam quoque monachis ibi Deo servientibus si reclamaverint per omnem terram mihi subditam de omni . . . . plenarie faciendam, & quod aliis abbatiis vel ecclesiis jure hereditario pro temporali commodo ex acquisitione tertiæ partis vel medietatis facio, supradictæ ecclesiæ sine aliqua partitione & mundana remuneratione concedo, ut Deus mihi & heredibus meis in hoc seculo præsenti pietatem suam ostendat, & in futuro suam magnam misericordiam concedat, nullusque unquam heredum meorum, militum vel famulorum meorum in omni terra ecclesiæ subdita aliquam violentiam vel justitiam facere præsumat sine assensu & voluntate monachorum. Si quis vero ex militibus vel servientibus propriis de beneficio meo vel feodo pro salute animarum suarum Deo & ipsi ecclesiæ voluerint aliquid impertiri, libere hoc agant, ipsique monachi libere suscipiant, & beneficium concessum pro alodio habeant. Venerunt autem monachi plures ante nostram præsentiam, postulantes & suppliciter postulantes, ut chartam illam quam avus & pater meus de donatione & eleemosyna Widonis de Brema fecerant, præsenti scripto firmarem, ne forte aliqua oblivione deleretur, & a successoribus supradicti Widonis, quod absit, aliquo modo eleemosyna legaliter facta truncaretur vel turbaretur: cui petitioni ego Theobaldus assensum præbens, quod petierant, villas & redditus, terram cultam & incultam, servos & ancillas, & maxime homines ad altare sanctæ Mariæ de Cruce pertinentes, ubicumque sint, cum omnibus consuetudinibus quas Bremensi domino debebant, fideliter concessi & literis conscribi feci; sigillum etiam meum, ne unquam irritum haberetur, apposui. Ut autem hoc a me concessum testibus idoneis ratum haberetur, testes qui interfuerunt huic nostræ donationi præcepi subnotari. Laudavit etiam & concessit istud uxor mea Machaldis comitissa, & testis extitit. Existunt etiam testes Hunfredus capellanus & Adulfus capellanus, Nicolaus capellanus, Willelmus quoque, per cujus manum hæc scripta sunt, Helias dominus de Monte-mirello, Burtardus de Santerio, Hugo de Castro-Theoderici, Hugo de Lisiaco, Gervasius de Montenetta de Carnoto, Stephanus præpositus, Hugo filius Roberti, Stephanus coquus, Oddo Campaniensis, Hugo de Mayriaco, Paganus de *Burson*. Actum est hoc in claustro juxta ecclesiam sanctæ Mariæ Castri-Theoderici, anno Incarnationis Domini millesimo centesimo vigesimo tertio.

XXI.

Fundatio Clari-fontis.

1131. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Bartholomæus Dei miseratione Laudunensis episcopus. Ad conservandum pacis & unanimitatis vinculum, omnium hominum si fieri posset, nostræ pastoralitatis attinet cura, maxime eorum qui toto annisu ad supernæ pacis anhelant requiem, & pro suorum Deo famulantur & omnium remissione peccatorum. Quapropter notum fieri volumus, tam præsentibus quam futuris, quod Hugo abbas Præmonstratensis ecclesiæ primus, & fratres ejusdem ecclesiæ, locum qui dicitur Clarus-fons, quem in allodio habebant, sicut in eorum Romano privilegio continetur, in abbatiam pro modo susceptæ professionis secundum regulam beati Augustini contulerunt, & domino Gerardo abbati ibidem a nobis ordinato, in nostri & ecclesiæ nostræ præsentia a seipsis emanciparunt & liberum concesserunt. Quæ concessio ne aliquo modo deinceps immutari possit, impressione nostri sigilli confirmari a nobis expetierunt. Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo primo. Sig. Bartholomæi episcopi. Sign. Guidonis archidiaconi. Sig. Lietaldi archidiaconi. Sign. Bliardi cantoris. Sign. Gualteri abbatis sancti Martini. Signum Albrici presbyteri. Sig. Heriberti presbyteri. Sig. Rogerii diaconi. Sig. Joannis diaconi. Sign. Arnulfi subdiaconi. Signum Bartholomæi acolyti. Sig. Lisiardi acolyti. Sig. Hugonis abbatis Præmonstratensis ecclesiæ. Sig. Nicolai prioris. Sign. Rogerii presbyteri. Signum Harduini presbyteri. Signum Petri diaconi. Signum Godefridi diaconi. Signum Adam subdiaconi. Signum Tibaldi subdiaconi. Sig. Onulfi acolyti. Sig. Simonis acolyti. Ego Radulfus sanctæ Mariæ cancellarius relegi.

XXII.

Fundatio Longi-pontis.

Ex Sammarthanis.

1132. IN nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, amen. Ego Josslenus sanctæ sedis gratia Suessionensis ecclesiæ humilis minister, fratribus de Longo-ponte, tam præsentibus quam successuris, in perpetuum. Bonæ devotionis & officii nostri interest ecclesias per congrua nostræ diœcesis loca construere, & quæcunque dono pontificum, liberalitate principum, collatione fidelium eis fuerint attributa, mansuris in finem munire privilegiis. Bono Cisterciensis ordinis odore & sanctæ religionis fervore permoti, requisitis de ipso ordine apud Claramvallem abbate & fratribus, & de manu domni Bernardi abbatis devote susceptis, ecclesiam ipsis sub abbatiæ titulo infra terminos Longi-pontis fundavimus. Ipsam igitur ecclesiam, tam præsentibus monachis quam eorum successoribus, in perpetuum totius capituli nostri atque personarum ecclesiæ nostræ communi assensu, præsenti privilegio firmantes, locum ipsum omni immunitate & perpetua libertate donamus. Ego Josslenus episcopus, & Anculfus præpositus, & Nivelo archidiaconus, fratribus Longi-pontis locum ipsum ab omni parochiali jure, seu redhibitione liberum, decimasque de omni labore & nutrimento suo ad altaris jura pertinentes liberas, & quæcunque ecclesiæ ipsi collata juste vel eis oblata fuerint, libera prorsus & emancipata concedimus. Gerardus de Chirisiaco dedit ecclesiæ sanctæ Mariæ & monachis de Longoponte, universam terram quam in procinctu & intra terminos ejusdem loci possidebat, tam in dominio quam in casamentis, cum omni districtu atque justitia absque omni retentione, aquas similiter & omnia prata seu pascua, absque omni retentione. Hujus concessionis atque libertatis in æternum servandæ obsides me & dominum Andream de Baldi-

A mento monachis dedit, & casamenta quæ de nobis tenebat, pro securitate interposuit, cujus rei testes sumus, ego & dominus Burcardus Meldensis episcopus, & dominus abbas Walterus S. Joannis in Vineis. Hoc donum concessit Goffridus de Firmitate, a quo Girardus ipsam terram Longi-pontis in feodo susceperat. Item ego Josslenus, & Anculfus præpositus, & Nivelo archidiaconus, donavimus sanctæ Mariæ loco & fratribus Longi-pontis, apud Montemrambodium terram ad laborem duarum carrucarum plenarie, insuper aquam & costas superadjacentes, cum pratis & pascuis a Contris usque ad molendinum Vallis. Laudatum est ab omni conventu S. Gervasii donum, & præsente Longi-pontis abbate in nostra synodo confirmatum est. In territorio Villaniarum supra Saveriam, B Matthæus de Loistra & Reinaldus fratres dederunt eisdem fratribus singuli partes suas aquæ, prati & pascui, terramque & silvam latericiorum, usque ad supercilium montis simul, & omnia terræ suæ loca quæcunque occuparet aqua vivarii. Nunc igitur venerabilis Nivelonis archidiaconi nostri, & Anculfi præpositi bona voluntate, & totius capituli nostri pari assensu, tibi, frater Hugo Longi-pontis abbas, tuisque successoribus in perpetuum locum ipsum liberum deinceps, & penitus immunem condonamus. Bona nostra quæ præsignata sunt, & quæcunque, Deo largiente, infra nostram diœcesim in futurum juste poteritis adipisci, præsenti privilegio & generali decreto firmantes. Actum Suessioni est, & plenaria synodo confirmatum anno ab Incarnat. C Domini M. CXXXII. indictione X. regibus Ludovico patre, & Ludovico filio cum pace regnantibus. Sign. Josleni, sig. Anculfi præpositi, sig. Nivelonis archidiaconi, sign. Rehoardi decani, sign. Adelardi archidiaconi, sig. Theobaldi archidiaconi, sig. Hebali archidiaconi, sig. Bartholomæi præcentoris, signum Joannis capellani, signum Walteri, sign. Theobaldi, sig. Reinaldi, sig. Normanni presbyterorum. Sign. Gaufridi Magistri, sign. Odonis, sign. Engelberti, sig. Yvonis diaconorum. Sig. Adam, sig. Ingenulfi, sig. Simonis, sig. Odonis subdiaconorum. Signum Theobaldi abbatis sancti Crispini, signum Walteri abbatis sancti Joannis, sig. Gilleberti abbatis sancti Evodii, sig. Hugonis abbatis de Castro-Theoderici, signum Henrici abbatis de Vivariis, signum Radulfi abbatis de Issoma. Ego Richardus cancellarius sub- D scripsi.

XXIII.

Confirmatio fundationis.

Ex Sammarthanis.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, monachis & ecclesiæ Longi-pontis in perpetuum, &c. 1133. Itaque Longi-pontis ecclesiam a venerabili Josleno sanctæ Suessionicæ sedis antistite modernis temporibus fundatam, fratribus Cisterciensis ordinis liberam penitus & immunem juxta ipsius pontificis privilegium omnino concedimus, & præsentis regiæ majestatis inviolabili præcepto munimus. Sane locum ipsum Longi-pontis, & quæ ad eum pertinent, tam in dominio quam in casamentis a Girardo de Chi- E risiaco absolute concessum, ipsius generalis curiæ nostræ decreto & optimatum nostrorum testimonio, in perpetuum firmamus, &c. Actum Suessioni generali curia Pentecostes, coram archiepiscopis & episcopis, anno ab Incarnat. Domini M. CXXXIII. indictione secunda, regibus Ludovico patre & Ludovico filio cum pace regnantibus. Sign. Ludovici magnifici Francorum regis. Sig. filii ejus Ludovici regis. Signum Adelidis reginæ.

XXIV.

XXIV.

Fundatio Vallis-christianæ.

1134. QUoniam hominum vita brevis est labilisque memoria, res gestas literarum memoriæ commendare decrevit antiquitas. Ego itaque Goslenus Dei patientia Suessorum vocatus episcopus, tam præsentibus quam futuris notum fieri volo, quoniam Radulfus filius Gilberti totum feodum suum de
*Reincourt. Recurtis * ad ædificandum ibi abbatiam canonicorum regularium Deo tribuit, & in manu mea quietum reliquit, excepto domum suam & pratum domui contiguum, & terram usque ad atrium, quod & domnus Andreas de Baudimento, de cujus feodo hoc erat, concessit. Gilla quoque uxor præfati Radulfi, & tres filiæ ejus quæ supererant, concesserunt; nullum enim tunc filium habebat. Hæc autem sunt quæ in dono continentur, scilicet molendinum, aqua a superiori molendino usque ad inferius, prata, nemus, terra culta & inculta, hospites. De eodem autem feodo terram quæ ultra aquam est ei tantum accommodavimus in vita sua, ita tantum quod post mortem ejus ecclesia rehaberet. Consilio etiam domni Rainaldi Remorum archiepiscopi & quorumdam venerabilium abbatum qui aderant, statuimus quod ejusdem ecclesiæ primus abbas & fratres eidem Radulfo duos modios de puro frumento & quatuor de commixto in vita sua tantum singulis annis conferrent: quod si prius quam uxor sua moreretur, uxori similiter in vita sua tantum medietas denominatæ annonæ daretur. Condiximus etiam quod de beneficio ecclesiæ triginta libræ ei cum postularet, darentur; si vero dum viveret accipere nollet, post mortem ejus, uxori, si requireret, quindecim libræ darentur. De filiis ejus vel filiabus usque ad septem, si ad conversionem venire voluerint, in eadem recipientur ecclesia. Idem autem Radulfus duas ibidem præbendas dum vixerit, habebit. De omnibus his conventionibus decedentibus Radulfo & uxore sua, nullus heredum aliquid reclamare poterit, sed quieta & libera inde sibi remanebit ecclesia. Si vero abbas eidem Radulfo prædictos conventus adimplere noluerit, ostendat fratribus in capitulo, qui si emendare neglexerint, idem Radulfus dona caritatis suæ mancipabit, si mancipare voluerit, donec ea quæ sibi dari jure postulaverit, sine injusta occasione restituantur; post restitutionem illam ecclesia dona sua possidebit. Hoc autem ut ratum posteris permaneret, literarum memoriæ commendavimus, & venerabilium virorum testimonio confirmavimus. Domnus enim Rainaldus Remorum archiepiscopus hujus doni & constitutionis testis est. Domnus Ursus S. Dionysii Remis abbas. Domnus Girelmus Cartovori abbas, & abbas Gaudefridus Castelli-Theoderici, & domnus Ursus primus abbas ejusdem ecclesiæ, & multi alii. Petrus de Brana & uxor ejus, Hugo, Emolrannus, Gislebertus, Hubertus, Albericus. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo trigesimo quarto, Innocentii papæ secundi quinto, & episcopatus Gosleni Suessionis
* f. nono. decimo * anno, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum, amen.

XXV.

Ex chartul. *Fundatio sancti Leodegarii.*

1139. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Goslenus Dei patientia Suessionensis vocatus episcopus, Petro ejusdem gratia venerabili abbati S. Leodegarii, omnibusque successoribus ejus canonice substituendis, in perpetuum. Nos qui pastores in ecclesia Dei constituti sumus, idcirco episcoporum nomine censemur, quia desuper intendere & sollicitiori vigilantia
A ecclesias nobis commissas custodire debemus, in quibus autem bonus status invenietur, ipsum diligere, & in melius, si facultas se obtulerit, promovere satagamus; si quid vero diabolico instinctu, vel pravorum hominum perversitate in iisdem ecclesiis inveniatur, procul pulsa seculari conversatione, ad religiosum statum revocare laboremus. Quapropter, fili Petre abbas in Christo carissime, notum fieri volumus, tam præsentibus quam futuris, quoniam ecclesiam sancti Leodegarii in suburbio civitatis Suessionensis sitam, quam Suessionenses comites longis retro temporibus quasi de beneficio Suessionensium episcoporum per successionem tenuerant, Rainaldus comes a nobis sæpe & a religiosis viris admonitus, pro remedio animæ suæ & parentum
B suorum in manu nostra refutavit in ecclesia beatorum martyrum Gervasii & Protasii in Pascha, cum multa cleri & populi adesset frequentia. Cum autem ecclesiam cum universis pertinentiis suis in manu nostra reddidisset, rogavit & multa supplicatione expetiit, ut in eadem ecclesia conventum clericorum secundum regulam sancti Augustini viventium, constitueremus, quibus ejusdem religionis abbas in sempiternum præficeretur: nos vero piæ postulationi illius assensum præbentes, quod rogaverat benigne perfecimus. Ceterum quia facultas ecclesiæ fratrum usibus sufficere non videbatur, idem comes omnes decimas quas tenebat in manu nostra reddidit, nos vero easdem eidem ecclesiæ episcopali munificentia contulimus, decimam annonæ & vini quam habuerat
C apud Buciacum, sanctum Martinum & Amblenia- cum, & alias quascumque habebat, & vineam quæ dicitur de Thesauro, & duos modios salis in teloneo suo eidem ecclesiæ quotannis de primis redditibus nostra concessione in perpetuum dedit. Actum est hoc anno M. CXXXIX.

XXVI.

Præmonstratenses transferuntur e Castello-Theoderici ad Vallem-secretam. Ex Sammarthanis.

QUoniam vita hominum brevis est labilisque memoria, res gestas custodiæ commendare literarum decrevit antiquitas. Ego itaque Theobaldus Dei miseratione Blesensis comes, hunc morem ap- 1140.
D probans, notum fieri volo tam præsentibus quam futuris, quatenus cum, Deo disponente, principatus mei regimen suscepissem, religiosorum consilio statum secularem in meliorem statum convertere mihi cura fuit. Eapropter ecclesiam beatæ Mariæ Castri-Theoderici, quæ per seculares canonicos dispensabatur, in manum domini Lisiardi Suessionensis episcopi reddidi, ipse vero eam regularibus canonicis regendam contradidit. Verum cum ei dominus Goslenus in episcopatum successisset, & quæ in bono statu erant, in meliorem promovere operam daret, canonicis Præmonstratensibus approbatæ religionis viris eam regendam commisit; ipsisque dominum Godefridum bonæ æstimationis virum in abbatem præposuit. Cumque ibi aliquandiu commorantes
E multis importunitatibus vexarentur, tam episcopi consilio quam meo beneplacito, in secretiorem locum transmigrare voluerunt. Eapropter locum qui Vallis-secreta dicitur, qui fuerat Odonis servientis mei, ab heredibus ejus Stephano & Richilde, hodierna congrua commutatione excambivi, ad laudem Stephani præpositi mei, patrui eorum, & Ursionis filii præfati præpositi, & Isembardi Coci cognatorum eorum, & aliorum amicorum suorum. Quia vero prædictus locus annualem censum debebat illi terræ quam pro commutatione dedi, tantumdem census imposui eidem ecclesiæ persolvendum, præter duos solidos qui pro quodam agro ejusdem commutationis, præfatis Stephano præposito & Ursioni filio ejus debebantur,

Terra autem commutationis hæc est, viginti arpenta culturæ meæ de *Hailers* trans Marnam ad perticam de *Sosfues*, cultura de Fossa, cultura sub monte *Joet*, cultura de Vincella, in qua præfata ecclesia quæ antiquitus habebat, retinet nuclearia, pars culturæ quæ est ad Crevies super Vilentos, ager qui est super culturam de Fossa, quem præfatus præpositus excolebat ad terragium; item ager qui est ad *Hailers* trans Marnam, quem, sicut prædixi, solventem duos solidos census Theodericus Cocus pro remedio animæ suæ præfatæ ecclesiæ contulerat. Terræ vero quam pro hac commutatione dedi, censum quatuor solidorum & trium denariorum imposui præfatæ ecclesiæ persolvendum. Prædictum autem locum ad construendam abbatiam, ita liberum & quietum contradidi, ut nullus heredum meorum vel quilibet alius, aliquam consuetudinem sive exactionem ibi habeat, sed in potestate abbatis & fratrum ibi Deo servientium liber omnimode habeatur. Ecclesia vero Castri ubi prius habitabant, cum suis redditibus supradicto loco qui Vallis-secreta dicitur, appendens erit, ut secundum opportunitatem & suam voluntatem, abbas præfatus canonicos suos ibi constituat. Si quis igitur posthæc hanc eleemosynam meam perturbare vel temerario ausu violare præsumpserit, damnum rerum & personæ periculum incurrat. Ut autem hoc permaneat, sigilli mei annotatione confirmavi. Hanc eleemosynam laudaverunt uxor mea Mathildis Blesensis comitissa, & filius meus Henricus. Hujus autem concessionis testes sunt dominus Goslenus Suessorum episcopus, Walterus archidiaconus, Dodo prior, Hilduinus de Vendopere, Henricus de Porta Morardi, Milo de *Gannt*, Drogo de Provino, Walterus de *Væruin*, Paganus de *Sosmes*, Hugo filius Roberti, Hugo de *Charlez*, Stephanus præpositus, Ursio filius ejus, Guido de *Chirri*, Isembardus Cocus, Willelmus camerarius, Elebaldus Cocus, Wiardus decanus, Hannericus de *Sosmes*, Odo *Bouarins*, Radulfus de Ponte, Erlebaldus frater ejus, Odo de Fonte, Remigius de Vilentos, Radulfus de Pruiaco. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. CXL. Ludovico rege Ludovici regis filio regnante in Francia, anno quarto, pontificatus autem domini Golleni Suessorum episcopi, anno decimo quinto.

XXVII.

Ex Sammarthanis.

Confirmatio episcopi.

1140. GOSLENUS Dei patientia Suessorum vocatus episcopus, Godefrido dilecto fratri Castri-Theoderici abbati, ejusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum. Cum episcopalis officii sit ecclesias ad Dei servitium constructas pie confovere, eis opportunum propensiori cura providere, earumque dignis postulationibus indulgere, quæ religionis studio pollent & virtutum fulgore ceteris præeminent. Eapropter, frater Godefride in Christo dilectissime, tuæ tuorumque fratrum justæ petitioni assensum præbendo, abbatiæ vestræ statum, ejusdemque translationem non solum vobis vestrisque successoribus, verum etiam quibuslibet, tam secularibus quam regularibus personis notificari volumus, quod Lisiardus piæ recordationis Suessorum episcopus prædecessor noster, rogatu comitis Theobaldi frequentique monitu, ecclesiam Castri-Theoderici quæ a canonicis secularibus ab antiquo tenebatur, cum universis redditibus suis religioni contulit, & in eadem canonicos regulares constituit, qui cum in tempore nostri pontificatus aliquandiu ibidem extitissent, & in religionis augmento parum profecissent, aptum esse decrevimus, ut abbatem cum aliis religiosis personis de ordine Præmonstratensi in præfata ecclesia poneremus, qui juxta sui ordinis regulam bene operando, dominicis præceptis inhærendo Christum

A lucrifacerent, & in tempore messis bonæ operationis fructum gaudenter reciperent; quod & ita factum esse gavisi sumus. Ceterum cum prædicti fratres juxta sanctæ conversionis propositum quiete & solitarie vivere didicissent, & idcirco seculi strepitum & populatem tumultum aufugissent, inibi nullam quietem, nullam solitudinem invenerunt: quippe cum ibi tam ecclesia quam officinæ fratrum non solum a laïcarum & secularium personarum domibus circumventæ, sed etiam curiæ comitis essent contiguæ. Quare ne secularis conversatio sibi obrenunciantibus obviaret, & religionis promovendæ impedimento fieret, Vallem-secretam quæ etiam ex re propter sui solitudinem Vallis-secreta appellatur, elegerunt & ad eamdem abbatiam Dei nutu & nostræ B parvitatis consilio transtulerunt, hoc tenore tamen, ut ecclesiam sanctæ Mariæ de Castro-Theoderici per suos canonicos, quos & quot utiles viderent, regerent, & quæcumque de jure fuerant ad novam abbatiam pertinerent, quam & nos episcopali auctoritate, & comes Theobaldus principatus sui potestate ita liberam in manu abbatis contulimus, ut nulli ecclesiasticæ vel seculari personæ, salvo tamen episcopali jure, ullas angarias liceat exercere. Ut autem hæc institutio inconvulsa permaneat, sigillo nostro eam muniri præcepimus; quam si aliqua ecclesiastica secularisve persona irritare vel violare præsumpserit, secundo tertiove commonita, si non satisfecerit, divinæ ultioni subjaceat. Signum Gosleni Suessorum episcopi. Sig. Theobaldi archidiaconi. Sig. Radulfi C archidiaconi. Sign. Joannis capellani. Sign. Simonis Caziacensis abbatis. Signum Petri Branensis abbatis. Ego Normannus decanus & cancellarius recognovi. Actum est hoc ab Incarnat. Domini anno M. CXL. Ludovico rege Ludovici regis filio regnante in Francia & Aquitania, anno IV. pontificatus autem mei anno XV.

XXVIII.

Branæ confirmantur possessiones.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego 1141.
Goislenus Dei patientia Suessionensis episcopus, Petro Branensi abbati & omnibus successoribus ejus canonice substituendis, in perpetuum. Cum ex debito officii nostri omnium ecclesiarum quæ in D diœcesi Suessionensi sitæ sunt, debitores simus, eis propensiorem curam & familiariorem diligentiam impendere debemus, quæ & religione pollent, & paupertatem Christi spiritu amplectuntur. Eapropter, fili Petre in Christo carissime, ecclesiæ quæ tibi commissa est, quæcumque impræsentiarum possidet, vel in futurum quibuscumque modis justis obtinere poterit, præsenti charta communire, & ut in sempiternum inviolatum robur obtineant, imaginis nostræ impressione firmare curavimus. Hæc igitur sunt, vineæ, & census, & terragia, & quidquid habetis in castro Branæ; item decima de *Blanzy* tota, excepta parte altaris, & sacerdotis, & culturarum sancti Rufini, ac de novo molendino Branæ, quod tenent monachi S. Remigii, duo modii communis annonæ; E item modius salis traditus vobis a Rainaldo Suessionensi comite, concedente me; item curia de hortello, quam dedit vobis Jacobus Ribodimontis ad censum unius modii Branensis communis annonæ, & duos sextarios pisorum, & quatuor avenæ, & decimam novem culturarum de eodem territorio, laudantibus filiis ipsius, Gervasio atque Egidio, & Reinaldo comite Suessionis, de quo illud tenebat, &c. pratum quod dedit vobis Walcherus de Basochiis. Anno M. CXLI. Ludovico Ludovici regis filio regnante in Francia & Aquitania, anno quinto, pontificatus nostri anno XVI. Normannus cancellarius recognovit. Testes Hugo abbas Præmonstratensis ecclesiæ, Walterus abbas sancti Medardi, Ernaudus

abbas monachorum S. Crispini. De militibus Reinaldus comes Suession. Gerardus de *Chirisi*, Petrus de Brana, Helo, Ado Curiæ-Landonis, Jacobus Ribodimontis. De burgensibus Injorrannus *Matisarz*, Ernoldus de Cathena, Bartholomæus de Brana.

XXIX.

Ex chartul. *Bulla Innocentii II pro S. Crispino in Cavea.*

1142. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Rogero abbati S. Crispini in Cavea, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis, in perpetuum. Ex commisso nobis a Domino apostolatus officio religiosorum virorum quieti & utilitati paterna nos convenit provisione consulere, & ecclesiis in quibus Domino militare noscuntur, suam justitiam conservare : ut quemadmodum, disponente Domino, Patris vocamur in nomine, ita nihilominus comprobemur in opere. Hujus rei gratia, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & B. Crispini martyris ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : censum in eadem Cavea, torcularia, vineam quæ dicitur *Aignelet*, cum aliis, terram de *Poilgli*, cum terra sibi contigua de Bellomonte, curtem de Valle-rami cum culturis ad eam pertinentibus, tertiam partem totius decimæ de *Nancel*, molendina tria, terram de Valle-leonis, cum curte omnino libera & tota decima, terram quæ dicitur *Vans* sive *Millencort*, cum molendino & omnibus appenditiis suis, censum apud Suessorum civitatem. Statuimus etiam ut ordo canonicus secundum beati Augustini regulam & institutionem fratrum de Arida Gamancia perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Prohibemus quoque ut nullus post factam ibidem professionem, absque abbatis totiusque congregationis permissione ex eodem claustro discedere audeat; discedentem vero absque communi literarum cautione nullus suscipiat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi vel sanioris partis assensu secundum Dominum providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, &c. Incarnationis Dominicæ anno M. CXLII. pontificatus domini Innocentii papæ anno XIII.

XXX.

Ex Sammarthanis. *Charta comitis Veromanduorum pro Longo-ponte.*

1144. RADULFUS Dei gratia Viromanduorum comes, ecclesiæ Longi-pontis Hugoni abbati, & ceteris fratribus. Dignum est ut ecclesiam vestram quam a fundamentis ædificavimus, de beneficiis nostris augeamus. Dignum est ut eamdem de his quæcumque in omni loco nostræ dominationis vobis vel jam collata sunt, vel in posterum concedenda, quantum ex nobis est, stabili ac firma libertate muniamus, &c. M. CXLIV.

XXXI.

Ex Sammarthanis. *Charta Gosleni episcopi pro Brana.*

1145. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Goslenus Dei patientia Suessionum vocatus episcopus, Petro venerabili abbati regularium canonicorum ecclesiæ S. Mariæ sanctique Evodii de Brana, omnibusque successoribus ejus canonice substituendis, in perpetuum. Cum divina miseratio parvitatem nostram Suessionis in episcopali sede sedere disposuisset, divinum cultum in episcopatu a Deo nobis commisso ampliare votum habuimus; unde factum est ut & antiqua monasteria in majori religionis fervore, Deo annuente, promoverentur, & ubi antea non fuerant, Deo cooperante, construerentur, in quibus ecclesiastica servitia per Dei beneplacitum, sine intermissione, & religione crescunt & numero. Tunc temporis autem ecclesia sanctæ Mariæ sanctique Evodii, quæ intra muros Branæ sita est, per seculares canonicos administrabatur, eam domnus Andreas de Baldimento & Agnes uxor ejus, assentientibus eorum filiis, qui tunc superstites erant, in manu nostra reddiderunt, & quidquid dominii vel ipsi, vel antecessores eorum in ea habuerant, omnimodis quietum clamaverunt. Nos vero divina opitulatione regulares canonicos ibi substituimus; inde factum est ut numerosiores fratres hospitalitati & eleemosynæ attentius intendentes, idem Andreas & Agnes uxor ejus, præter antiquas possessiones de bonis suis propriis munerarent. Nos igitur tibi, Petre in Christo carissime, & fratribus ejusdem ecclesiæ in posterum providentes, quæcumque inpræsentiarum possidet, vel in futurum, Deo volente, quibuscumque justis modis obtinere potuerit, præsenti charta communire; & ut in sempiternum inviolatum robur obtineant, imaginis nostræ impressione firmare curavimus, &c. Actum est hoc Incarnationis Dominicæ M. CXLV. anno, Ludovico regnante in Francia & Aquitania anno XI *. pontificatus autem nostri XIX. Normannus cancellarius recognovit. Hujus confirmationis testes sunt Hugo Præmonstratæ ecclesiæ abbas, Walterus abbas sancti Medardi, &c.

* *f.* IX.

XXXII.

Ex regesto 58. arch. regii. *De monialibus Præmonstratensibus.*

1148. RADULFUS Viromanduorum comes, omnibus tam futuris quam præsentibus, in perpetuum. Dignum est munificentia principum justis petitionibus religiosorum virorum facilem præbere consensum. Eapropter ego Radulfus Veromanduorum comes, precibus venerabilis Henrici Vivariensis abbatis carissimi mei inclinatus, concedo ei locum qui dicitur Javagias, ad construendum oratorium & habitationem congruam ad mansionem sororum suarum, ut ibi remotæ a seculi strepitu, Deo valeant servire. Concedo ei etiam usuarium in nemore, tam ad comburendum quam ad necessarios usus officinarum suarum construendarum per totam forestam, quæ ex utraque parte vicina est domui illarum. Ne igitur heredes mei per decessum meum præfati loci sorores molestare præsumant, sigilli nostri auctoritate roborari præcepi donationem istam, & subscriptione eorum qui interfuerunt muniri. Sig. Petri Silvanect. episcopi. Sig. Alberici de Roya. Sig. Theobaldi de Crespeio. Sig. Bulgarii. Sig. Ingeranni fratris ejus. Sign. Guidonis præpositi. Sig. Alberti & Wichardi conversorum. Sig. Roberti cancellarii. Actum anno Verbi Incarnati M. CXLVIII.

A

XXXIII.

Ex Sammarthanis.

Electio abbatis Compendiensis.

1150. SAnctissimo patri & domino Eugenio Dei gratia summo pontifici, Balduinus Noviomensis ecclesiæ minister indignus, quicquid boni potest oratio vel affectus. Onerastis ut dominus & magister, humeros imbecilles, adeo ut in exequendi operis injuncti sollicitudine perurgente pene virtus exhausta deficeret. Nec enim leve vel modicum ecclesiam Compendiensem tam celebrem, tam famosam, tanta denique auctoritate subnixam in alium statum, quamvis præcipuum, de repente convertere, cum in hujusmodi clericis, si tamen clerici, consuetudo principetur antiqua, plusque deterius inolitum, quam melius insolitum placeat & delectet. Sed ecce probastis nos ad aquas contradictionis, ubi vexatus est ille venerabilis sancti Dionysii abbas, vestræ sanctitatis servus fidelis & prudens. Mirabiles elationes maris experti sumus, sed mirabilior & longe potentior in altis Dominus, & summus pontifex ejus qui miserunt nos. Denique perurgente sancta obedientia vestra, cum sciremus scriptum esse, *Servus sciens voluntatem domini sui & non faciens, plagis vapulabit multis*, voluntati vestræ propensius inhærentes, suscepimus opprobria clericorum exprobrantium Deo & vobis, & initiavimus locum vere sanctum religioni & ordini, monachos deputavimus, abbatem virum religiosum & strenuum, canonice electum constituimus, & in festivitate beatorum martyrum Cornelii & Cypriani, quæ celebritas ibi maxima est, abbatem ipsum solenniter benediximus, & erit benedictus, Deo volente, & gratia vestra confirmante. Sicque impleta veridica illa Domini sententia: *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur*, succisa est arbor, quæ etiam terram occupabat, & plantata est oliva fructifera in domo Dei, quæ de misericordia vestra sperat plurimum, & ad præsens indiget quamplurimum. Manus domini regis filii vestri gloriosi principis fuit nobiscum, quem vere in hoc opere probavimus servum Dei viventis, qui dicere possit: *Domine, dilexi decorem domus tuæ*, & illud, *Zelus domus tuæ comedit me*. Quomodo satagebat, quomodo ardebat igne Dei, ut fieret ista mutatio dexteræ Excelsi! Sed & ipse nobiscum bibit de torrente, confusionem accepit, dissimulavit injuriam, distulit majestatem. Prima die vocavit nobiscum clericos in capitulum, non venerunt: sequenti die ipsemet profectus est, & vix eo compellente venerunt. Lectæ sunt literæ, quas præfato abbati pro hoc ipso opere per me direxistis, ut scitis: sed nec vestræ auctoritati delatum est. Vidimus ibi superbiam Moab, superbus est valde. Taceo quæ postea manus flagitiosa peregit, & quomodo fraude, & præter horam intravit ecclesiam, reliquias sanctas asportare molita, quod & ex parte fecit, funes pendentes præcidit, ne forte ad sonitum signorum populus conveniret, quæ omnia præsentium lator sanctitati vestræ melius declarabit. Quid plura! superest, Domine, ut quod nutu Dei & vestro bonum accepit initium, auctoritas vestra stabilire, munire, confirmare studeat in perpetuum. Unde vivant monachi non habent; clerici tam foranei quam intranei, qui beneficia possident, nihil eis communicare volunt, sed magis habere videntur fiduciam, quod Jordanis influat in os eorum. Rigatio plantationis novellæ in manu vestra est, Domine; ne arescat, ne deficiat, quod omnino inimicus molitur, pluviam voluntariam segregate hereditati Dei & vestræ.

XXXIV.

Litera Sugerii abbatis de re eadem.

Ex Sammarthanis.

CArissimo patri & Domino universali, Dei gratia, & summo pontifici Eugenio, Sugerius beati Dionysii abbas, obedientiæ & servitii plenitudinem. 1150.
Inter omnia & ex omnibus, sanctissime pater, quæ vel auctoritate apostolica, vel majestatis regiæ præceptione parvitati nostræ concessa sunt negotia, hæc duo potissimum amplexatus sum, videlicet de statuenda religione in beatæ Genovefæ Parisiensis, & nobili Compendiensi ecclesia, quæ de jure beati Petri vestra innititur auctoritate, una de nobilioribus Galliarum, si infamis enormitas canonicorum inhabitantium non obstitisset, existens. B Quod memorabile factum, quare vel quomodo effectui mancipari potuerit stupendo ammiramur, nisi quia manum Domini non invalidam, & Petri fortitudinem in his, & his similibus, & per omnia cognovimus. Subversa sunt, pater carissime, ad executionem sanctæ præceptionis vestræ castra iniquitatis, erecta sunt ibidem castra pietatis & sanctæ religionis, ut *in cubilibus in quibus prius dracones habitabant, oriatur viror calami & junci*. Tenorem sane actionis hujus ex ordine sanctæ paternitati vestræ scribere dignum duxeramus, nisi quia abbas ejusdem ecclesiæ ibidem nuper electus, nuper benedictus, vir venerabilis, & approbata persona, ad vos, tanquam ad dominum & patrem, cujus totus est, festinat, qui & actionis C plenitudinem & propriam conscientiam quantum ad se spectat, exponet, & voluntatis vestræ & plenæ obedientiæ executorem se exhibebit. Summatim tamen sanctæ discretioni vestræ celare nolumus molestias & opprobria quæ pessimi canonici etiam in præsentia domini regis, intulerunt domino Noviomensi episcopo & nobis, miserrimus ille decanus specialiter, tanto audacior, quanto ex ipsa sui infamia vilior, & quidam alius Giraldus de Portu, aut illo miserior fœtore infamiæ, sive miserrimus, aliique plures domestica mala & rei familiaris spurcitiam deplorantes. Prima quidem die vocati ad auditionem mandati vestri ipsi canonici venire contempserunt: cum autem se eos absentare & præceptum vestrum nolle audire manifeste videremus, clericis aliis, & populo multis millibus congregato, D mandatum vestrum de statuenda religione in eadem ecclesia coram exponi fecimus. Monachos ibidem deinceps sub religione deservituros significavimus, præbendas canonicorum eos in pace possidere, in beneplacito vestro, donec vobis quid inde fieret, ordinare placeret, assistente domino rege promisimus. Ipsi vero canonici ausu sacrilego irruentes in eamdem ecclesiam, sanctissimas reliquias spineæ Coronæ Domini, & sanctæ Sindonis, & thesauros ejusdem ecclesiæ, insuper & libros, ac sacerdotalia indumenta, ne haberent monachi unde Deo servirent, arripuerunt. Nobis ex parte vestra reclamantibus propter eorum inobedientiam, altius solito cantarunt, donec & dominus rex, & omnes qui aderant, tam clerici quam laici, eorum ammirati insaniam represserunt. Cum autem E sequenti die mandati vestri plenitudinem audissent, in iniquitate sua & inobedientiæ audacia permanserunt.

XXXV.

De expulsione canonicorum sancti Cornelii & de substitutione monachorum.

Ex chartis Compendiensibus.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Ludovicus Dei gratia rex Francorum & dux Aquitanorum. Quoniam, Deo disponente, ad hoc super gentes & regna constituti sumus, ut evellamus & destruamus ea quæ supremo regi omnimodis contraria viderimus, & ædificemus, & plantemus quidquid 1150.

ipsius voluntati beneplacitum esse noverimus; idcirco notum facimus omnibus sanctæ matris ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod Compendiensis ecclesia olim nobiliter a reverendæ memoriæ Carolo Calvo imperatore fundata, religiosis honestisque personis ad serviendum Deo & ejus genitrici, ac beatis martyribus Cornelio & Cypriano fuerit insignita, & multiplici redditu um augmentatione dotata: nostris autem temporibus abundante successorum malitia, ac crescente circa Dei servitium ipsorum negligentia clericorum, enormitatem & infamem quam audivimus & perspeximus eorum vitam ulterius sustinere non valentes, Dei nutu sanctæ Romanæ ecclesiæ pontificem Eugenium super hoc consuluimus, a quo non solum consilium, sed & præcepti auctoritatem suscepimus, ut præfatum locum in melius reformantes, clericos ipsos velut arbores infructuosas eradicaremus, & monasticum ordinem ibi poneremus. Nos itaque cunctis pene religiosis personis & baronibus regni nostri assentientibus atque laudantibus, mediante venerabili Sugerio beati Dionysii abbate, & præcepto domini papæ hujus operis legatione fungente, clericos expulimus, & monachos ibi posuimus, præfati Romani pontificis institutionem, necnon anathematis innodationem auctoritate regia confirmavimus, videlicet ut ordo monachilis qui a nobis illic positus & statutus est, a nulla religiosa seculari ve persona, vel quolibet successorum nostrorum regni potestate prædito ulterius auferatur. Dilectis igitur nostris Odoni primo abbati & fratribus quos ibi posuimus, plateam quæ est juxta monasterium, in qua regia solebat esse aula, & adhuc curia regis vocatur, consilio & prece baronum nostrorum, annuente matre nostra regina, dedimus. Jam enim illam Odoni decano & canonicis ut in ea hospites ponerent, concessimus: sed post mutationem ordinis perpendentes plateam illam monachis esse necessariam, & inquietationem quam hospites eis facere poterant, tam domos quæ infra sunt, quam vacua loca cum omnibus appenditiis, ad agendum & ædificandum quicquid voluerint & eis necesse fuerit concessimus. Considerantes etiam quod bonæ memoriæ prædecessor noster Carolus totum castrum cum propugnaculis, terram quoque inter murum & fossatum eidem ecclesiæ concessit, donum illud similiter monachis cum ceteris possessionibus & bonis ecclesiæ, sicuti privilegia, præcepta regalia, necnon alia scripta continentur, cum antiqua libertate confirmavimus. Insuper etiam personarum decedentium honores libere & absolute concessimus; præsentemque paginam sigilli nostri auctoritate muniri, testesque subscribi cum charactere nominis nostri præcepimus. Actum publice Parisius anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo, regni nostri decimo quinto, in palatio nostro, illis præsentibus quorum subscripta sunt signa & nomina. Signum Radulfi dapiferi. Sig. Guidonis buticularii. Sig. Matthei constabularii. Sig. Matthei camerarii. Data per manum Hugonis cancellarii.

XXXVI.

Ex chartis Compendiensibus.

Eugenius III confirmat Odonem electum abbatem sancti Cornelii Compendiensis.

1150. EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Odoni abbati monasterii S. Mariæ, quod apud Compendium situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum. Potestatem ligandi atque solvendi in cœlis & in terra beato Petro, auctore Deo, principaliter inditam illis ecclesia verbis agnoscit, quibus Petrum est idem Dominus allocutus: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Ipsi quoque &

A propriæ firmitas & alienæ fidei confirmatio eodem Deo authore præstatur, cum ad eum dicitur: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Oportet ergo nos qui licet indigni beati Petri residemus in loco, prout divina nobis clementia & scire & posse donavit, prava corrigere, recta firmare, & in omni ecclesia sic ad interni arbitrium judicii disponenda disponere, ut de vultu ejus judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem. Hujus itaque rationis debito provocati, monasterium ipsum, cui, auctore Domino, præesse dignosceris, in quo hactenus clerici seculares enormiter & minus honeste conversati sunt, ad reformandum in eo statum honestatis & religionis, tibi auctoritate apostolica regendum disponendumque

B committimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum & B. Benedicti regulam in eodem loco per nos, & favorem atque studium carissimi filii nostri Ludovici Francorum regis, noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus illibata permaneant, libertatem quoque sive auctoritatem a prædecessoribus nostris pontificibus ipsi monasterio concessam, & scriptis

C apostolicæ sedis firmatam vobis pariter confirmamus. Constituimus quoque ut nulli archiepiscopo vel episcopo, nisi tantum Romano pontifici, monasterium ipsum subjaceat. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum seu clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a quocumque malueritis suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel pars consilii sanioris, secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam providerit eligendum: electus autem ad Romanum pontificem benedictionis gratiam consecuturus ac-

D cedat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo

E examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic præmia bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Nicolaus Albanensis episcopus. Ego Odo diaconus cardinalis sancti Georgii ad Velum-aureum. Ego Octavianus diaconus cardinalis S. Nicolai in Carcere-Tulliano. Ego Joannes prodiaconus cardinalis S. Adriani. Ego Gregorius diaconus cardinalis S. Angeli. Ego Artaldus diaconus cardinalis sancti Eustachii. Ego Joannes diaconus cardinalis sanctæ Mariæ-novæ. Ego Guido diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu. Ego Jacinthus

diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmydin. Ego Joannes diaconus cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi. Ego Rolandus diaconus cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani. Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Praxedis. Ego Manfredus presbyter cardinalis tituli sanctæ Sabinæ. Ego Nicolaus presbyter cardinalis tituli sancti Quiriaci. Ego Haribertus presbyter cardinalis tituli sanctæ Anastasiæ. Ego Hubardus presbyter cardinalis tituli S. Crucis in Hierusalem. Ego Bernardus presbyter cardinalis tituli sancti Clementis. Ego Jordanus presbyter cardinalis tituli sanctæ Susannæ. Datum Ferentini per manum Bosonis sanctæ Romanæ ecclesiæ scriptoris, idib. Decembris, indict. XIV. Incarnationis Dominicæ anno M. CL. pontificatus vero domini Eugenii papæ, anno VI.

XXXVII.

Ex chartis domesticis.

Ludovicus rex monialibus S. Johannis in Nemore benefacit.

1155. EGO Ludovicus Dei gratia Francorum rex, notum facimus universis, tam præsentibus quam futuris, quod genitrix mea Adelais regina quamdam domum feminarum pauperrimam in foresta Cuisiæ constituit, neque eis, dum vivebat, corporale providit subsidium. Proinde cum terra venisset in manum nostram, illum locum visitavimus, & angustia earum cognita, illis sanctimonialibus multum compatientes, pro amore Dei & pro animabus parentum nostrorum, regis scilicet Ludovici & prædictæ reginæ, & pro peccatorum nostrorum remissione, decimam panis nostri, quoties Compendii, Vermeriæ, Bestisiaci, sive etiam in foresta fuerimus, in eleemosynam perpetualiter habendam donavimus. Quicumque autem terræ hujus, sicut nominata est, post nos obtinuerit dominium, hanc nostram eleemosynam absque retentione reddat prædicto loco, & nullatenus retinere præsumat. Quod ut ratum sit, sigillo nostro firmari, & nominis nostri charactere præcipimus consignari. Actum Compendii anno Incarnati Verbi M. CLV. in palatio nostro, adstantibus quorum subtitulata sunt nomina & signa. Signum comitis Theobaldi dapiferi nostri. Sign. Guidonis buticularii. Signum Matthei camerarii. Signum Matthei constabularii. S. Ludovicus. Data per manum Hugonis constabularii.

XXXVIII.

Charta Ansculfi episcopi pro Longo-ponte.

1156. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. Ansculfus Dei gratia Suessionensis ecclesiæ minister, venerabili filio Girardo Longi-pontis abbati, & fratribus ejus eorumque successoribus, nunc & in perpetuum. Officii nostri est possessiones ecclesiasticas episcopali auctoritate communire, ne quis eas in posterum aliquo modo possit perturbare. Eapropter notum facimus, tam futuris quam præsentibus, quod Rainaudus & Warmundus fratres milites de Loistra filii Petri filii Ervini, postquam medietatem villæ de Parrechi receperunt in feodo ab Alberico milite de Ulceio, medietatem terrarum vestrarum quas in eodem territorio de Parrechi diruperatis, sibi vindicare voluerunt, & aliquandiu super hoc vobis infesti valde fuerunt. Ego autem, & comes Ivo Suessionensis, & prædictus Albericus nolentes super hoc ecclesiam vestram prægravari, egimus magna instantia apud prædictos fratres Rainaudum & Wermundum, ut tota illa infestatio sopiretur, & quidquid quasi de suo auferre vobis volebant, ex integro vobis concederetur, majorem grati illius medietatis partem terrarum vestrarum quas sibi vindicare volebant, dederunt vobis in eleemosynam pro anima Walcheri nobilis viri de *Montmirel*, qui apud vos sepultus est, de tota reliqua parte pretium nummorum a vobis accipientes, & illa, & cetera omnia quæ ubi ubi possidebatis vobis per manum nostram & Ivonis comitis in bona pace concesserunt, dederunt & confirmaverunt. Testes horum omnium sunt Radulfus præpositus, Johannes archidiaconus, Bartholomæus canonicus, Walterus capellanus, Wido castellanus de Cochi, Albericus de Ulceio, Helo de *Vilers*, Gislebertus de Firmitate, Johannes & Gervasius fratres, & alii multi. Wido etiam de *Dunjun* in eisdem terris vestris de Parrechi, quas ultra rivum citrave diruperatis, hereditario jure foreste se dicebat habuisse; sed hanc calumniam partim pretio, partim amore nostro in manu nostra deposuit, & terras illas vobis ex toto liberas esse concessit. Testes sunt qui supra. Rogerus & advocatus de *Valboin* totam advocationem suam, & quicquid juris habuerat in omnibus terris vestris, quas in omni procinctu Pratelle impræsentiarum possidetis, vel deinceps possessuri estis, partim eleemosyna, partim pretio remisit vobis, scilicet quantum ad vos, & conversos, & servientes vestros pertinet: ceterorum autem hominum, si quis in eisdem terris forisfecerit, jus suum exigat. Præterea de omnibus pecoribus, & animalibus, & quadrigis vestris, & quicquid ad vos pertinet, libera undique pascua, viarum exitus & introitus undique liberos per campum etiam Wiberti de *Valboin*, sicut idem Wibertus partim pretio, partim eleemosyna vobis concesserat, eisdem quadrigis & vestris omnibus ingressum & egressum perpetuo liberum usque ad callem publicum esse concessit. Hæc omnia in nostri præsentia & Ivonis comitis, tam ipse quam uxor ejus & filii eorum, vobis recognoverunt, dederunt & laudaverunt, nostroque & comitis Ivonis sigillo confirmari petiverunt. Testes sunt qui supra. Quicumque gratis de his omnibus contra vos & ecclesiam vestram aliquid forisfecerit, usque ad satisfactionem judicio ecclesiæ & divinæ ultioni subjaceat. Fiat, fiat. Actum anno ab Incarnat. Domini M. CLVI. indictione IV. feliciter, in nomine Domini.

XXXIX.

Ex chartul. S. Medardi.

Ecclesia Cistellensis vendit LX solidos ecclesiæ sancti Medardi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ivo comes Suessionensis notum volo fieri tam 1157.
præsentibus quam futuris, quod Reinaldus comes prædecessor meus dedit ecclesiæ Cistellensi sexaginta solidos singulis annis in eleemosynam pro redemptione animæ suæ, meo consensu & permissione. Verum quum non est consuetudo in ordine illo, ut reditus aliquos possint diu retinere, vendiderunt ipsos sexaginta solidos ecclesiæ sancti Medardi, consensu meo & consensu Cononis nepotis mei, quem constitui pro me heredem, si contingat me mori sine liberis. Constitui etiam ut ecclesia S. Medardi accipiat denarios illos in festivitate sancti Remigii singulis annis, de feodo quod debet comiti Suessionensi. Ut autem firmum & ratum sit, atque eleemosyna stabilis permaneat, pro anima ipsius Rainaldi, & pro me & successoribus meis, literis meis confirmavi, & sigilli mei auctoritate roboravi coram liberis hominibus de comitatu & testibus subscriptis. Huic rei interfuerunt & testes sunt Sanson archiepiscopus Remensis, Ansculfus episcopus Suessionensis, cujus etiam sigillo roboratum est, Balduinus episcopus Noviomensis, Ingrannus abbas S. Medardi, Ernulfus abbas sancti Crispini, Hugo abbas Præmonstrati, Guido abbas sancti Johannis in Vineis, Petrus abbas sancti Leodegarii, Rogerius abbas sancti Crispini in Cavea, Alulfus Calniaci, Ivo comes Suessionensis, Cono nepos suus, Guido castellanus Cociaci, vicecomes Suessionensis, Heilo de *Vilers*, Robertus *Cigot*,

Radulfus frater suus, Paganus de *Builon*, Guido de *Acony*, Hebelo filius Fulconis, dictus de *Valbuin* tunc dapifer, Paganus tunc temporis præpositus, Reinaldus miles de sancto Medardo, Gobertus *Falcillon*, Ivo præpositus sanctæ Mariæ, Gervasius de Ponte, Petrus de Castello & Radulfus frater suus, Guido de *Galardon* major communiæ. Actum apud sanctum Medardum anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quinquagesimo septimo, pridie idus Augusti.

X L.

Ex chartul. *Bulla Alexandri III pro monasterio Compendiensi.*

1162. ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Ansoldo abbati monasterii sanctæ Mariæ quod apud Compendium . . . . &c. *ut in bulla Eugenii III.* In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Domum hospitalem apud Compendium sitam, ecclesiam sancti Clementis quæ vocatur abbatia, ecclesiam sancti Mauritii, ecclesiam sancti Germani, ecclesiam sancti Petri, & omnes capellas intra terminos Compendii sitas, ecclesiam Leprosorum ejusdem loci. In episcopatu Belvacensi altare de Veneta, altare de Gellis, altare de Longolio, altare de *Canly*, altare de *Sacy* cum vicecomitatu, altare de *Marest*, altare de *Roy* cum appenditiis suis. In Ambianensi episcopatu altare de *Faveroles*, altare de *Prunestre*, altare de Mediovillari, altare de Bustellis, altare de *Dolencort*, altare Defferciis cum appenditiis suis. In Suessionensi episcopatu altare de *Jauzy*. Constituimus quoque ut nulli archiepiscopo vel episcopo . . Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Crucis in Jerusalem. Ego Joannes presbyter cardinalis tituli sanctæ Anastasiæ. Ego Albertus presbyter cardinalis tituli S. Laurentii in Lucina. Ego Guilermus tituli sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis. Ego Hubaldus Ostiensis episcopus. Ego Galterius Albanensis episcopus. Ego Jacinthus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmidin. Ego Oddo diaconus cardinalis sancti Nicolai in Carcere Tulliano. Ego Arditio diaconus cardinalis S. Theodori. Ego Cinthius cardinalis diaconus S. Adriani. Ego Joannes diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu. Datum Turonis per manum Theodori sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi & notarii, nonis Novembris, indictione X. Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo sexagesimo secundo, pontificatus vero domini Alexandri papæ III. anno quarto.

X L I.

Concordia inter episcopum Suessionensem & capitulum super consuetudinibus.

1169. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex, omnibus in perpetuum. Regiæ magnificentiæ opus esse dignoscitur, non solum discordias sedare, verum etiam semina earum & occasiones ne rursus emergant radicitus exstirpare. Notum itaque facimus universis, tam præsentibus quam futuris, quod inter fidelem nostrum Hugonem venerabilem ecclesiæ Suessionensis episcopum, & clericos suos ejusdem ecclesiæ canonicos, super consuetudinibus quibusdam controversia est orta & diutius agitata, dicentibus canonicis quod decanus & capitulum malefactores suos qui de episcopatu Suessionensi intra civitatem vel extra fuerunt, necnon terras eorum per eumdem episcopatum episcopo inconsulto interdicere possent, & interdicti sententiam sine ipsius auctoritate nihilominus relaxare, & quod cathedrali ecclesia pro hujusmodi causis cessante, omnes ecclesiæ per totam civitatem, præter sanctum Medardum, de mandato capituli cum eadem inconsulto episcopo cessarent. Episcopus vero contradicebat, & ideo canonici super hac re & super aliis quibusdam capitulis episcopum in præsentiam domini papæ appellaverunt, & ita hinc inde non modicæ factæ sunt expensæ. Sed tandem utraque parte in præsentiam nostram convocata, præsentibus etiam venerabilibus viris Mauritio Parisiensi episcopo, & abbatibus Hugone sancti Germani & Ervisio sancti Victoris, studio nostræ sollicitudinis effectum est, quod episcopus passus est & benigne concessit canonicos præfatos consuetudines in pace tenere, & sine contradictione ipsius & calumnia deinceps possidere. Canonici vero ab appellationibus cessarunt, & expensæ utrimque sunt donatæ, & in hunc modum inter episcopum & canonicos integram sine malo ingenio utrimque reformavimus pacem. Quod ut ratum sit in posterum, scriptis annotari & memoriæ tradi præcipimus, apposito nominis nostri charactere & sigilli nostri auctoritate. Actum Parisius anno Incarn. Verbi millesimo centesimo sexagesimo nono, adstantibus in palatio nostro quorum subscripta sunt nomina & signa. Sign. comitis Theobaldi dapiferi nostri. Signum Guidonis buticularii. Sign. Matthei camerarii. Sig. Radulfi stabularii. Data per manum Hugonis cancellarii, & ejusdem ecclesiæ episcopi.

X L I I.

E. abbatis Caziacensis ad priorem beatæ Mariæ de Campis epistola. Ex archivis S. Clementis Metensis.

Circiter 1176.

E. Dei miseratione Caziacensis abbas, dilecto filio suo priori de Campis, salutem & patern. dilectionis affectum. Plantatam semel & radicatam in Christo caritatem, quæ juxta Apostolum *nunquam excidit*, juxta Salomonem, etiam *aquæ multæ non potuerunt extinguere, nec flumina obruent eam.* Ipsa est quæ non solum proxima nobis monasteria familiariter sociavit, verum etiam remotas & procul absentes ecclesias ecclesiæ nostræ eatenus in spiritu counivit, ut licet in diversis regionibus sub diversis pastoribus spiritaliter in Christo de pluribus fieret unum ovile & unus pastor: inter quos abbatiam sancti Clementis & abbatem qui modo præest, specialiter diligere tenemur, tum quia multa bona de te, fili prior, loquitur, tum quia semper locum nostrum & gentem veneratus est & dilexit; postremo quia in eorum territorio plantati, rigati, & Domino cooperante, non mediocriter incrementati estis. Inde est quod ab olim firmatæ inter utrumque capitulum mutuæ societatis indissolubili vinculo, quoniam nobis procul absentibus jam dictus abbas proximus est . . . dudum sicut ejus antecessori in majoribus consiliis & officiis, ut puta solennitatibus funerum, maxime si contingeret prioris, & necessariis benedictionibus novitiorum, & si necesse fuerit, emendationibus culparum & similibus, quatenus quando necesse fuerit, super ceteros abbates nostras ei vices commisimus. Mandamus itaque & præcipimus fraternitati tuæ sociisque tuis, ut amicabilem ei reverentiam in omnibus exhibeatis, & super omnes alios nostram ei vicariam conserveris.

X L I I I.

Bulla Lucii III pro sancto Crispino in Cavea. Ex chartul.

1181. LUCIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Theobaldo abbati ecclesiæ SS. Crispini & Crispiniani de Cavea Suessionensis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere & vigor æquitatis & ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem & pietas adjuvat & veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer

annuimus, & præfatam ecclesiam sanctorum martyrum Crispini & Crispiniani de Cavea Suessionensi, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Domini & B. Augustini regulam in eadem ecclesia institutus dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesi inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis: quidquid Paganus miles de Cella dedit vobis in eleemosynam in Bellomonte, uxore sua Ermentrudi & filiis suis, & Renaldo milite de *Guni*, de cujus feodo erat, concedentibus, tam in terragio quam in vinagio, & in censu & in aliis, vineam vestram quæ adjacet prædicto loco; quidquid Odo miles de *Chrosni* possidebat apud *Mont-Nantoil*, quod dedit vobis in eleemosynam pro Maria filia sua ejusdem ecclesiæ conversa, filiis suis concedentibus, tam in vinagio quam in censu, & unum modium vini quem Tesso dedit prædictæ ecclesiæ in eleemosynam in eadem villa; culturam de *Sancei* in villa sancti Audoeni salvo terragio & decima ejusdem ecclesiæ; quidquid Dodo Lombardus possidebat in Nova villa, quod dedit ecclesiæ vestræ in eleemosynam pro quatuor modiis annonæ annuatim solvendis, tam in justitia quam in terragio, & in aliis; terram quam dedit vobis in eleemosynam Fredessendis filia Oddonis militis de Ponte sancti Medardi in *Valrain*, Warnero marito suo & filiis ejus concedentibus; decimam culturæ Lisiardi militis de *Virzi*, quæ est apud antiquam villam; decimam terræ vestræ apud *Lorval*, parochiam de *Nancel*, cum decima ecclesiæ; vineam de *Bordain* quam dedit vobis Berengerus Pincerna & soror ejus Ascelina; terram de *Beneroles* quam dedit vobis Radulfus filius Engelberti *Faucillons* & soror ejus in eleemosynam sine ulla redemptione, concedente Gerardo de *Cherisi* de cujus feodo erat, decimam de *Loiri*; tres solidos census & novem nummos, & unum obolum, & terram quam dedit Bartholomæus miles de Fessoma apud Valresis ecclesiæ vestræ in eleemosynam; quidquid juris habetis in altare de *Chavigni*, unum modium vini & dimidium, quem dedit vobis Radulfus *Renel* in vinagiis suis apud *Billi*, in eleemosynam; & unum modium vini quem dedit ecclesiæ vestræ in eleemosynam filius Renaldi de *Vassen* de vinagiis suis apud *Chassi*. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere præsumat; liceat quoque vobis clericos vel laïcos a seculo fugientes, liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu discedere: discedentem vero absque communi literarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte vel excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Augustini regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate & diœcesani episcopi canonica justitia, & Arroensis ecclesiæ debita reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, tertio secundove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Incarnationis Dominicæ anno M. CLXXXI. pontificatus vero domini Lucii papæ III anno primo.

XLIV.

Lambertus Morinensis episcopus confirmat possessiones quasdam Cartovori. *Ex chartis domesticis.*

LAMBERTUS Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis ad quos literæ istæ pervenerint, in Domino salutem. Quod Willelmus abbas & capitulum Carthovorense eidem monasterio collatum confirmarunt, & nos similiter confirmamus. Notum sit igitur, tam futuris quam præsentibus, quod Fulbertus & uxor sua Herea, Dolina quoque ejusdem uxoris filia, contulerunt ecclesiæ Carthovorensi seipsos cum omni hereditate sua, præter illam dumtaxat hereditatem, quæ eumdem Fulbertum ex parte patris contigit, quam ipse retinuit in libera potestate faciendi videlicet ex ea quod posset. Et hæc quidem illorum conversio * facta est sub tali forma & dispositione, quod prædicta Dolina cum sororibus illius monasterii susciperet in præsenti habitum religionis; Fulbertus vero & uxor sua quamdiu vixerint, in seculo remanebunt. Alias etiam terras quas in eadem regione prædicta acquisivit ecclesia, terras scilicet Dolinæ, Alberici filii dompni Philippi, Arnulfi fratris sæpefati monasterii, ad fidelitatem illius ecclesiæ custodient & possidebunt, pro iis unam marcham argenti illi monasterio per singulos annos reddituri. Ad hæc dompnus Philippus de W. . . . . . cum Alberico filio suo in prædicta ecclesia in fratrem recepto, sæpefato dedit monasterio quinque hodos avenæ & tres cartellos, & quinque cartellos frumenti & unum *berdeling*, assensu Philippi filii sui, & Petri fratris sui, & Gerardi, & Colini, & Willelmi, & Joannis. Volentes igitur ut hæc in præsentia multorum solenniter facta, rata permaneant & inconcussa, præsentis scripti patrocinio communimus, & sigilli nostri auctoritate confirmamus; statuentes & sub anathemate prohibentes, ne quis ausu temerario huic eleemosynæ præsumpserit contraire. Actum anno Domini M. CXCVII. mense Maio.

1197.

* *f. concessio.*

XLV.

XLV.

Sententia inter monachos Compendienses & Fusniacenses lata.

1198. ODO Dei gratia Parisiensis episcopus, & magister Petrus de Corbolio, omnibus ad quos literæ præsentes pervenerint, salutem in Domino. In negotiis quæ de auctoritate sedis apostolicæ a delegatis judicibus præstantur, ea debetur in discussione gravitas, in diffinitione maturitas adhiberi, ut libertas judicii sic consonet æquitati, quod ordo judiciarius in aliquo non lædatur. Sane cum nos & H. venerabilis abbas B. Dionysii judices essemus a domino Innocentio papa III delegati super causa quæ vertebatur inter Compendienses monachos ex una parte, & Fusniacenses ex altera, super restitutione possessionis quorumdam prædiorum positorum in loco qui dicitur Fagetum sancti Cornelii, quam petebant monachi Compendienses, dicentes se violenter ejectos, & super duabus sententiis, altera excommunicationis & altera interdicti, a bonæ memoriæ Henrico quondam Silvanectensi episcopo, sicut dicebatur, auctoritate apostolica latis, quas prædicti monachi Compendienses ut faceremus observari postulabant, absente tertio conjudice nostro, abbate videlicet beati Dionysii, de partium assensu, & quia se dixerat interesse non posse, examinatis partium allegationibus & plena cum prudentibus habita deliberatione, Fusniacenses monachos a petitis monachorum Compendiensium super restitutione supradictæ possessionis absolvimus, & eosdem Fusniacenses non esse cogendos prædictas sententias excommunicationis & interdicti servare pronunciamus, præsente Ricardo abbate Compendiensi, pro suo monasterio, & magistro Goberto Laudunensi canonico, pro abbate & monachis Fusniacensibus procuratore constituto. Actum anno Domini M. CXCVIII.

XLVI.

Ex chartul. Catalaunensi.

Nivelo episcopus Suessionensis dat ecclesiæ Catalaunensi cubitum sancti Stephani.

1205. NEVELO Dei gratia Suessionensis episcopus, omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod cum nos crucem Domini suscepissemus, & Constantinopolim cum Gallicis & Venetianis profecti, captioni civitatis cum primis ingredientibus humiliter per Dei gratiam interfuissemus, & Balduino comite Flandrensi facto imperatore moram ibi diu fecissemus, datæ fuerunt nobis reliquiæ de corpore beatissimi protomartyris Stephani, quas cum debita devotione & veneratione susceptas dignissime reservavimus. Postea vero capto ipso imperatore, missi fuimus a principibus exercitus ad dominum papam & ad regnum Francorum propter succursum ejusdem terræ, per quem hereditatem domini orientalem a paganis obsessam recuperari credebamus; & ita prosperum & properum iter agentes, Catalaunum, Domino ducente, pervenimus, ubi ab Hugone decano & universo capitulo ecclesiæ prædicti beati protomartyris Stephani honorifice recepti fuimus. Nos autem honorem & reverentiam nobis non nostris meritis, sed intuitu divinæ pietatis exhibitam considerantes, quod ipsa major ecclesia fundata erat in honorem ipsius protomartyris, de reliquiis quas nobiscum deferebamus, cubitum ipsius gloriosi primi martyris, quem veraciter, sicut ex testimonio Græcorum & Latinorum perpendi poterat, de corpore suo assumtum credebamus, ecclesiæ dedimus, & super altare cum vase crystallino publice ac solemniter obtulimus, & illum statim cum multa cleri & populi devotione & gratiarum actione recipi vidimus.

A Unde universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, ut ecclesiam ob reverentiam tantarum reliquiarum causa peregrinationis adeuntes, eleemosynas vestras conferatis, quarum medietatem ad opus ipsius ecclesiæ, & medietatem ad pontem civitatis ædificandum instituimus expendi de consensu & voluntate capituli. Nos igitur de Dei misericordia & gloriosæ virginis Mariæ, & ipsius protomartyris meritis & interventione confisi, omnes Catalaunensis ecclesiæ prædictæ benefactores Crucis Dominicæ quam gerimus, peregrinationis ad quam, ipso Domino permittente, reversuri sumus, confratres & participes esse confidimus, ut Deus & Dominus noster propter devotionem vestram vobis & vestris animarum & corporum salutem & vitam æter-
B nam conferre dignetur. Amen. Actum anno Incarnati Verbi M. CCV.

XLVII.

Nivelo episcopus dat altare ecclesiæ sancti Petri.

NIVELO Dei gratia Suessionum episcopus, universis tam futuris quam præsentibus, salutem in Domino. Scire volumus universos quod nos altare de Vincelis cum jure patronatus, de consilio & assensu G. archidiaconi loci contulimus ecclesiæ beati Petri Suessionensis, ob reverentiam beatorum Martyrum, quorum reliquias de Constantinopolicis partibus Suessionem nuper attulimus, ut in eorum veneratione & memoria sequentia de ipsis facta, & 1207.
C hymnus singulis annis in die solennitatis suæ statuta in eadem ecclesia cantetur, & ut anniversarium nostrum & dicti archidiaconi ibidem cum novem lectionibus & majori commendatione celebretur. Ut autem hoc firmum permaneat & inconcussum, præsentem paginam sigilli nostri & sigilli jam dicti archidiaconi appositione volumus communiri. Actum Suessione anno Domini M. CCVI. mense Martio.

XLVIII.

Fundatio Barræ.

Ex chartis domesticis.

1213. EGO Blancha regina Navarræ, comitissa Trecensis Briæ & Campaniæ palatina, notum facio universis præsentes literas inspecturis, quod cum
D dominus Guido de la Barra capellanus domum suam cum toto porprisio domus, quam de suo patrimonio habebat apud meum Castrum-Theodericum, in perpetuam eleemosynam dederit Domino, & concesserit ad servitium pauperum, ego eamdem domum Dei in manu mea recipiens, sicut meam, & in manu successorum dominorum Campaniæ, infra ambitum ejusdem domus de diœcesani episcopi consilio & assensu quamdam capellam extruxi pro christianitate, tam pauperibus quam iis ibidem servientibus, exhibenda. Datum Castro-Theoderici per manum Remigii cancellarii, mense Septembri, anno post Christum natum millesimo ducentesimo decimo tertio.

XLIX.

E *Radulfus abbas Altivillaris Blanchæ comitissæ Campaniæ cedit locum de Argenceolis.*

Ex autographo.

1221. EGO Radulfus divina miseratione Altivillarensis dictus abbas, totusque ejusdem ecclesiæ conventus, omnibus tam præsentibus quam futuris, in Domino salutem. Noverint universi quod cum excellentissima domina nostra Blancha comitissa Campaniæ, & Th. natus ejus comes Campaniæ & Briæ palatinus, grueriam quam habebant in omnibus nemoribus nostris sitis citra Marnam, & terragia essartorum quæ homines novæ villæ, quæ dicitur *Biauveoirs*, fecerant & facient in posterum in fundo ecclesiæ nostræ, nobis in perpetuum quittavissent,

nos in recompensationem hujus doni utilitate ecclesiæ nostræ pensata, de communi assensu omnium nostrûm, auctoritate & consensu reverendi patris nostri Willelmi Remensis archiepiscopi interveniente, eidem comitissæ & filio suo donavimus & quittavimus in perpetuum grangiam nostram de Argenceolis, cum toto porprisio & cum omnibus pertinentiis ad locum de Argenceolis, & ipsum locum, ut ibi fundarent ecclesiam monialium vel domum aliam religionis. Et quia quædam pars villæ prædictæ fundata erat in fundo ecclesiæ nostræ, quittavimus eisdem quidquid juris habebamus intra villam nominatam ratione fundi nostri, excepta grangia nostra quam habemus in prædicta villa, cum porprisio nostro, exceptis decimis & hiis quæ pertinent ad jus patronatus. Quod ut ratum permaneat & firmum teneatur, literis annotatum sigillorum nostrorum fecimus munimine roborari. Actum Altivillari anno Dominicæ Incarnationis M. CCXXI. mense Augusti.

L.

Ex chartul. Campaniæ.

Capitulum Suessionense Blancham comitissam Trecensem bonorum ecclesiæ operum consortem facit.

1222. ILlustrissimæ dominæ Blanchæ venerabili comitissæ Trecensi palatinæ, S. præpositus, G. decanus, totumque capitulum Suessionensis matris ecclesiæ, salutem in omnium Salvatore. De beneficiorum vestrorum largitione pro redditibus emendis ad opus distributionis nummorum pauperibus clericis chori nostri in obsequiis mortuorum grates vobis non modicas referentes, eleemosynæ vestræ retributorem summum vobis constituimus largitorem: quia vero misericorditer est agendum cum eo qui facit misericordiam, benefactorum, orationum, & totius divini obsequii in ecclesia nostra nocte & die celebrandi, tam in vita quam post mortem vestram per Dei gratiam nobiscum consortem vos facimus & sororem. Obitum autem vestrum, cum tempus, Deo volente, advenerit, & ad præsens obitum comitis Th. bonæ memoriæ quondam mariti vestri, in martyrologio nostro scribi, & animarum vestrarum singulis annis in perpetuum memoriam & anniversarium facimus. Quod ut firmum & stabile permaneat, sigilli nostri munimine fecimus confirmari.

L I.

Ex chartul. Camp. Colbertino.

Donatio facta monialibus de Charme.

1223. EGO Th. &c. Notum, &c. quod pro remedio & salute animæ meæ & prædecessorum meorum, & etiam in recompensationem cujusdam equi, quem priorissa & conventus de *Charme* mihi dederunt, dedi & concessi eidem priorissæ & conventui in perpetuam eleemosynam residuum nemoris, quod est in fonte *Droet*, situm ante *Clinchant*, circiter triginta arpenta; quod residuum est etiam contiguum illis viginti arpentis, quæ ex dono meo, jam diu est, habuerunt, ut ex illo nemore suam faciant plenarie voluntatem. Actum anno gratiæ M. CCXXIII. mense Januario.

Eisdem monialibus idem comes dederat anno superiori mense Martio, sexaginta & duodecim arpenta nemoris ad essartandum in nemore de Besu.

L I I.

Ex chartul. Camp.

Abbas & conventus Sosmensis concedunt regi pro quadam gratia sibi facta, tres missas qualibet hebdomada in vita.

DEvotioni vestræ, dilectissime princeps Theobalde, quam bonæ indolis judicium commendat, & perhibet magis flagraturam, ego Hugo Sosmensis

A ecclesiæ Dei permissione dictus abbas, & totus conventus humilis, pro modulo nostro gratias referimus, quod ecclesiæ de Tresoliis & canonicis nostris ibidem demorantibus usuarium de mortuo in nemore vestro *del Gaut* in perpetuo habendum concessistis; inde & aliunde est, hoc enim non sufficit: porro unum est necessarium, quod vobis concedimus ob salutem & remedium animæ vestræ, tres missas de Spiritu sancto ante decessum vestrum, & post totidem pro fidelibus defunctis in eadem ecclesia de Tresoliis, singulis septimanis fore celebrandas, & diem obitus vestri solenni officio annuatim recolendum.

L I I I.

Fundatio abbatiæ beatæ Mariæ de Argenceolis. *Ex chartis do[illegible].*

B EGO Blancha comitissa Trecensis palatina, notum facio tam præsentibus quam futuris, quod cum 1224.
locum de Argenceolis cum omnibus pertinentiis suis, tam in bosco quam in plano, adquisiissem mihi a dilectis in Christo abbate & conventu de Altovillari, laude & assensu venerabilium patris Guillelmi scilicet Remensis archiepiscopi, & Jacobi Suessionensis episcopi, in cujus diœcesi idem locus esse dinoscitur, donavi illum dominæ Idæ abbatissæ & monialibus ibidem institutis, & sub ordine Cisterciensi Domini servitio mancipatis, in perpetuam eleemosynam, tam pro salute animæ meæ & carissimi filii mei Theobaldi Campaniæ & Briæ comitis palatini, quam etiam bonæ memoriæ viri mei Th. patris ipsius, & omnium
C antecessorum nostrorum. Præterea ad loci illius amplificationem contuli dictis monialibus in perpetuum titulo eleemosynæ, laude & assensu diœcesani episcopi, ea quæ subscripta sunt: circiter mille arpenta nemorum, excepto illo nemore quod prius ad domum de Argenceolis pertinebat; ducenta in nemore quod emi legitimo pretio a Guillelmo *Peuchet*; & in nemore de Loya quod emi a Guidone & uxore ejus de *Couroy*, & heredibus eorum; & in nemore de campo Kiselardi, quod quidem a Nicolao & fratribus suis legitimo pretio comparavi; in residuum in nemore de *la Taveon* in communia de Manceio, quod quidem a dominis de Manceio legitimo pretio comparavi; & partem in decima de Ferra quam in valido * habet eadem ecclesia pro centum viginti * al. vadio.
D libris a Petro milite de Monte-felici, laude & assensu domini de Pleiotio, de cujus feodo decima illa movebat; decimam de Beloceriis J. de *Germeignon*, & tertiam partem in decima Treconii, quæ de tertio anno in tertium dictis monialibus tota perveniet, quas quidem a Balduino de Fimis & heredibus ejus legitimo pretio comparavi; sextam partem in decima de *Cervoi* quam ab Henrico de Loysiaco & fratribus ejus, laudante hoc matre eorum, legitime comparavi; quadraginta sextarios siliginis in terragio & molendino de *Germinoy*, quos molinus Judeus meus a dilecto & fideli meo Milone de Germineyo comparaverat, & ego eosdem a dicto Judeo legitime comparavi viginti quatuor sextarios siliginis molendino de *Sourdon*, quod fuit Goyodi; & undecim falcatas prati apud *Choolli*, quas a Guyoto de Sparnaco comparavi;
E & pratum Branconis subtus Gravam, quod a Simone de *Treslon* comparavi, qui dictum pratum emerat ab Henrico de Manceio; & pratum de *Braz* quod donavit eisdem monialibus Adam decanus de Virtuto; duas falcatas prati apud *Choolli*, & viginti solidos census, & duos modios vini, & unum sextarium avenæ, quæ quidem ab Odone de Bria & uxore ipsius legitimo pretio comparavi; vineam quæ dicitur vinea comitis in Monte-ferrato, quæ quidem quatuor arpenta continet; plantam *Barré* quæ continet duo arpenta, quam quidem emi a filiabus *Barré*; plantam *Boschet* quæ continet unum arpentum, quæ ab eodem *Boschet* empta fuit; vineam de *Chief-d'ail* quæ continet tria arpenta, quam quidem

habent ex legato Milonis clerici de Virtuto; apud A
Ogerum duo arpenta, quæ quidem emi ab Remigio villico de Ogero, & dimidium arpentum apud Ogerum, & quinque solidos censuales, & unum
* quod. arpentum vineæ apud Gravam, quem * quidem habent ex possessione monachorum; plantam de *Molins* quæ continet quatuor arpenta, quæ emi a Petro domino de *Molins;* apud Manti quatuor arpenta de dono dominæ *Contesse,* quæ habebunt ipsæ moniales post decessum ejusdem *Contesse:* & hoc laudaverunt Simon de *Tesiou* & Johannes *Baschеliers* quitta ab omni censu & costumia ad se pertinente; apud Pruvinum decem libras quas acquisivi de marescallo de Carnoto; sexaginta solidos quos Maria domina de *Conflans* dedit eisdem monialibus in vina-
gio & rotagio de Ogero, pro anniversario Gerardi B
de Sancto-Oberto annuatim celebrando; decem libras annui redditus quas Balduinus de Remis contulit eisdem monialibus ob animæ suæ salutem; septem modios bladi, medietatem siliginis & medietatem avenæ, de emptione quam feci a sororibus uxoris
* molendinum. Philippi Puti; insuper & morendinum * de Petra, quod emi a Petro domino, quod est in via de *Dan-*
* Craudon. *doy* * apud Sesaniam. Addidi etiam in eleemosynam meam grangiam de Seriata, cum omnibus terris quas acquisivi a Pagano de Ogero, & bruierias Adæ decani de Virtuto, usque ad fossata decani ejusdem pertingentes; & terram quam emi a Guillelmo *Puchet,* quæ adjacet nemori quod emi ab ipso; & terram similiter Guidonis de *Couroy,* adjacentem nemori quod ab ipso comparavi. Quod ut notum perma-
neat & firmum teneatur, literis annotatum sigilli C
mei feci munimine roborari. Actum anno gratiæ M. CCXXIV.

L I V.

Iidem. *Moniales de Argenceolis incorporantur ordini Cisterciensi.*

1224. UNiversis abbatibus, prioribus, subprioribus, ceterisque personis Cisterciensis ordinis, frater Conradus Cistercii, frater Odo de Firmitate, frater Petrus de Pontiniaco, frater Robertus de Claravalle, frater Guido de Morimundo dicti abbates, salutem in Domino. Notum facimus universitati quod
nos auctoritate capituli generalis & totius ordinis D
Cisterciensis, concessimus abbatissæ & conventui de Argenceolis, qui usque ad nonaginta monialium, decem conversarum, ac viginti tam clericorum quam laïcorum numerum, Deo dante, debet excrescere, & omnibus quæ ab eadem domo exierint, quod sint plenariter incorporatæ ordini nostro & unitæ, habentes integrum habitum secundum formam ordinis, scapularia scilicet & monachiles cucullas absque caputiis, conversis vero ejusdem ecclesiæ concessimus, ut cum ad aliquam abbatiarum vel grangiarum nostri ordinis diverterint, in oratorio, refectorio conversorum in ordinis communitate sicut & nostri recipiantur, in ultimo tamen loco: clericis vero iis qui sub habitu novitiorum servant ordinem mo-
nachorum, hoc concessimus, ut retro chorum in E
nostris ecclesiis recipiantur, & infra septa monasterii in loco competenti & a laïcis separato eis honestius ministretur, qui videlicet clerici & conversi coram abbatissa & capitulo stabilitatem promittant, & secundum formam eidem abbatissæ professionem faciant. Statuimus etiam ut illæ moniales, quæ præscriptum ferunt habitum, unico pellitio utantur, non mantellis, & abbas Clarævallensis sit ejusdem domus pater, sicut est abbatiarum monachorum. Actum anno gratiæ M. CCXXIV. tempore capituli generalis, cum sigillo supradictorum abbatum.

L V.

Archiepiscopus Remensis confirmat locum de Argenceolis monialibus. Iidem.

GUILLELMUS Dei gratia Remensis archiepisc. 1224.
apostolicæ sedis legatus, omnibus tam præsentibus quam futuris in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod dilecti filii nostri abbas & conventus Altivillarensis donaverunt & quittaverunt in perpetuum carissimis & fidelibus nostris Blanchæ comitissæ & Theobaldo nato ejus comiti Campanensi & Briæ palatino, grangiam suam de Argenceolis, cum toto porprisio & cum omnibus pertinentiis ad locum de Argenceolis, & ipsum locum, ut ibi fundarent ecclesiam sive cœnobium monialium, vel domum aliam religionis, recepta ab ipsis comitissa & comite competenti & sufficienti recompensatione, videlicet grueria quam iidem comitissa & comes habebant in nemoribus prædictorum abbatis & conventus sitis citra Marnam, & etiam terragiis essartorum quæ homines Novæ villæ quæ dicitur *Biauvoirs,* fecerunt & facient in posterum in fundo ecclesiæ Altivillarensis, sicut in literis ipsorum abbatis & conventus supra hoc confectis vidimus contineri. Nos itaque donum istud laudamus & approbamus, ac auctoritate nostra & sigilli nostri munimine confirmamus. Datum anno gratiæ M. CCXXIV. mensis Novembris.

L V I.

Bulla Honorii III pro Argenceolis. Ex chartul.

HONORIUS episcopus, servus servorum Dei, 1225.
dilectis in Christo filiabus abbatissæ monasterii de Argenceolis ac sororibus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Prudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis jugiter se præparant obviam sponso ire, sedes apostolica debet patrocinium impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, religionis sacræ enervet. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ de Argenceolis, in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub beati Petri ac nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis quidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabilis observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis & eis quæ vobis successerint & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; ducenta arpenta nemorum quæ fuerunt Willelmi *Pochet;* duo arpenta in planta *Barré;* unum arpentum in planta *Poschet;* tria arpenta in vinea de *Chief-d'ail;* duo arpenta & dimidium apud Ogerum; unum arpentum vineæ apud Gravam; quatuor arpenta in planta Petri de Molino; quatuor arpenta vineæ apud *Mancy;* nemus de Loya quod fuit Guidonis & uxoris ejus de *Couroy;* nemus de campo Neslardi; nemus de *la Tancon;* nemus de communia de Manceio; quadraginta sextaria siliginis in terragio & molendino de *Germignon;* viginti quatuor sextaria siliginis in molendino de *Souderon;* undecim falcatas prati apud *Choolli;* pratum Braconis

subter Gravam, ex donatione Adæ decani de Virtuto; pratum de *Braz;* duas falcatas prati apud *Choolli;* annuum redditum viginti solidorum, & duos modios vini, & unum sextarium avenæ apud *Choolli;* vineam quæ dicitur vinea comitis in Monteferrato; in vinagio & rotagio de Ogero, ex donatione nobilis mulieris Mariæ dominæ de *Constans* annuum redditum sexaginta solidorum Pruvinensium; ex donatione Balduini de Remis annuum redditum decem librarum Pruvinensium; quamdam decimam de *Faus;* decimam de Beloceriis & de *Germinon;* tertiam partem decimæ de *Trecon;* sextam partem decimæ de *Cernon;* septem modios siliginis & avenæ; molendinum de Petra quod est in via de *Craudon* apud Sezanniam; apud Pruvinum annuum redditum decem librarum Pruvinensium; in pedagio de Pontibus annuum redditum centum librarum Pruvinensium, quæ nobilis mulier comitissa Campaniæ, fundatrix ipsius monasterii eidem monasterio, nobili viro Th. comite Campaniæ filio suo consentiente, pia liberalitate donavit cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis & pascuis in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis, salva in prædictis decimis moderatione concilii generalis. Sane laborum vestrorum de possessionibus habitis ante concilium generale, ac etiam novalium quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de ortis & virgultis, & piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo, &c. Ego Honorius catholicæ ecclesiæ episcopus. Datum Reate per manum magistri Guidonis domini papæ notarii, XIV. calendas Augusti, indictione XIII. Incarnationis Dominicæ anno M. CCXXV. pontificatus domini Honorii papæ tertii anno nono.

L V I I.

Ex chartul. Camp. *Epistola R. abbatis sancti Johannis in Vineis ad Th. Campaniæ comitem.*

1228. EXcellentissimo domino suo Th. Campaniæ & Briæ illustri comiti palatino, R. sancti Johannis in Vineis Suessionensis dictus abbas, salutem & paratam ad beneplacita voluntatem. Cum vobis pluries preces affectuosas porrexerimus pro confirmanda concessione terræ essartandæ in nemore sancti Michaelis de *Breci*, quam illustris domina mater vestra fecit bonæ memoriæ G. quondam decano Suessionensi fratri nostro, quam etiam terram idem decanus pro se, nobis, & matre nostra ecclesiæ Suessionensi legavit in eleemosynam, nec adhuc preces nostras duxeritis ad effectum, preces precibus accumulamus, quatinus petitionem nostram totiens vobis expositam non differatis ulterius effectui mancipare. Si enim bene recolatis quam fidelis erga vos & ad vestra paratus obsequia idem decanus semper exstiterit, tantillum munus ipsi & nobis pro ipso liberaliter & satis de facili concedetis, maxime cum a magistro Stephano de Pruvino, qui multum pro vobis & matre vestra laboravit, super hoc ad præsens & alias fueritis requisiti, cujus preces, etsi nullæ aliæ intervenirent, ad hoc impetrandum sufficere credebamus. Datum anno Domini M. CCXXVIII. in crastino Assumptionis beatæ Mariæ.

L V I I I.

Ex chartis domesticis. *De fundatione Amoris-Dei.*

1232. OMnibus præsentes literas inspecturis, Hugo de Castellione comes sancti Pauli, salutem in Domino. Noverint universi quod ego do & concedo dilecto meo Philippo de *Mesringes* militi quidquid habebam in Domo-Dei de *Troissy*, ut ipse faciat de ea quod voluerit, & constituat religionem quæ ei placuerit. Quod ut ratum & firmum permaneat, præsentes literas sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini M. CCXXXII.

L I X.

De fundatione Amoris-Dei. *Ibidem.*

JACOBUS Dei gratia Suessionensis episcopus, omnibus hæc visuris in Domino salutem. Noverint universi quod nos concessimus illustri viro domino & amico nostro Hugoni comiti sancti Pauli, potestatem fundandi unam novam abbatiam monialium ordinis Cisterciensis in episcopatu nostro, dum tamen abbatissæ loci nobis & ecclesiæ nostræ & successoribus nostris faciant & teneantur facere obedientiam & professionem, & sint in omnibus sicut ecclesia de Argensoliis, jure diœcesano nobis subjectæ, & ecclesiæ nostræ & successoribus nostris. Datum apud Septem-montes anno Domini M. CCXXXII. mense Augusto. 1232.

L X.

Gregorius papa postulat ut moniales Amoris-Dei ordini Cisterciensi incorporentur. *Ibidem.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & capitulo generali Cisterciensi, salutem & apostolicam benedictionem. Fit vitæ vestræ meritis & exemplis, quod plurimi fidelium relicto contemtui usu secularium voluptatum, sitiunt ad fontem perennis vitæ dirigi, cujus gustu nos exultando perspiciunt recreari. Quare vobis digne competit & debetur, ut famulari virtutum Domino sub vestræ religionis habitu eligentes, procuretis prosequi caritatis studio speciali. Rogamus itaque universitatem vestram & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dilectas in Christo filias, abbatissam & conventum monasterii de Amore-Dei Suessionensis diœcesis, quæ vitæ consideratione perpetuæ, visibilium vanitate postposita, Cisterciensem habitum ad Redemtoris gloriam assumserunt, habentes, sicut asserunt, facultates de quibus possunt commode sustentari, & volentes includi corporibus, ut liberis mentibus valeant Domino deservire, pro divina & nostra reverentia vestro incorporari ordini procuretis, preces nostras taliter impleturi, ut eis consequentibus quod tam pie deposcitur, vobis tandem justorum aggregari collegio concedatur. Datum Interamni quinto idus Januarii, pontificatus nostri anno decimo. 1237.

L X I.

Archiepiscopi Remensis & Suessionensis episcopi compromissum de electione abbatis Orbacensis. *Ex chartario Remensi.*

OMnibus præsentes literas inspecturis, Jacobus Dei gratia Suessionis episcopus, salutem in Domino. Noverint universi quod cum nuper orta discordia fuisset inter venerabilem patrem & dominum Henricum Dei gratia Remensem archiepiscopum ex una parte, & nos ex altera, super receptionem resignationis Egidii abbatis Orbacensis, quam dictus archiepiscopus in manu archiepisc. Remensis qui esset pro tempore, debere fieri asserebat, confirmationem, destitutionem, institutionem dicti abbatis dicti monasterii nihilominus se habere contendens, visitationem, correctionem & alia quædam jura sibi vindicans in monasterio supradicto. Diceret etiam dictus archiepiscopus nos graves injurias eidem irrogasse, ex eo videlicet quod postquam dictus archiepiscopus suspenderat monachos Orbacenses qui nollent obedire dicto abbati, nos suspenderamus & excommunicaveramus illos qui obedirent dicto abbati, 1238.

& eum pro abbate haberent, & ex eo quod communicaveramus cum magistro Radulfo officiali nostro, scientes quem excommunicaverat archiepiscopus memoratus. Tandem mediantibus bonis viris, pro bono pacis voluimus & consensimus quod venerabiles viri archidiaconi Remenses & decanus Remensis de prædictis injuriis, quas dicit idem archiepiscopus sibi fuisse illatas, & juribus superius nominatis, & aliis, si qua idem archiepiscopus proponere voluerit sibi competere in monasterio memorato, cognoscerent, & inquisita diligentius veritate facerent, statuerent & ordinarent quod eis bonum & expediens videretur. Cognoscent insuper de dictis injuriis quas dicit sibi illatas esse idem archiepiscopus, priusquam de principali cognoscant, & tam in principali quam super prædictis injuriis, sive in præsentia nostra, sive in absentia, si nos per contumaciam abesse contingeret, cognoscere de plano poterunt & finire. Si tamen dicti tres arbitri interesse nequiverint, duo nihilominus in causa procedent, & dictum duorum dissentiente tertio prævalebit in istis omnibus tanquam meri arbitri procedentes, nulla alia jurisdictione suffulti; ne tamen fiat derisorium quod dicetur & decernetur ab eis, volumus & consentimus quod dictus archiepiscopus, nonobstante eo quod causæ istæ suæ sint propriæ & ecclesiæ Remensis, eorum dictum & arbitrium in iis quæ contra nos dictos arbitros proferre contigerit, potestate ordinaria exequetur, & nos nihilominus promittimus sub pœna mille marcharum argenti nos inviolabiliter observaturos quod a dictis arbitris dictum fuerit, statutum & etiam ordinatum, rato nihilominus manente arbitrio supradicto. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo octavo mense Septembri.

A B C

L X I I.

Ex chartis domesticis.

Episcopus Suessionensis confirmat Amorem-Dei.

1240. JACOBUS Dei gratia Suessionensis episcopus, universis fidelibus præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Ad notitiam omnium volumus pervenire quod nos divinæ pietatis intuitu, ad preces illustrissimæ dominæ Blanchæ Francorum reginæ, multorumque bonorum virorum, volumus, concedimus & præsenti scripto firmiter statuimus, ut apud Trossiacum in domo illa quæ dicitur Amor-Dei, fiat & sit in perpetuum abbatia monialium Cisterciensis ordinis; ita quod abbatissæ loci illius nobis & successoribus nostris, ecclesiæque Suessionensi faciant professionem & obedientiam secundum ordinis Cisterciensis instituta. Datum Suession. idibus Junii M. CCXL.

D

L X I I I.

Ibidem.

Capitulum Suessionense confirmat Amorem-Dei.

1240. NOS præpositus & decanus, totumque capitulum ecclesiæ sancti Gervasii Suessionensis, universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Ad notitiam omnium volumus pervenire, quod nos divinæ pietatis intuitu & religionis amore, ad preces illustrissimæ dominæ Blanchæ Dei gratia reginæ Francorum, concedimus ut apud Troissiacum in domo illa quæ dicitur Amor-Dei, quæ quidem domus hospitale pauperum quondam fuit, fiat & sit in perpetuum abbatia monialium Cisterciensis ordinis, salvo jure parochiali; ita etiam quod abbatissæ illius loci domino episcopo nostro & successoribus ejus, ecclesiæque Suessionensi promittant subjectionem, reverentiam & obedientiam secundum dicti Cisterciensis ordinis instituta. Datum Suession. anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo mense Junio.

E

L X I V.

Innocentius IV privilegia concedit abbatibus sancti Cornelii.

Ex chartis Compend.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui monasterii Compendiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem & apostolicam benedictionem. 1243.
Apostolicæ sedis benignitas sincere obsequentium vota fidelium favore benivolo prosequi consuevit, & devotorum personas, quas in sua devotione promptas invenerit & ferventes, de quibusdam titulis decentius decorare. Ut igitur ex speciali devotione, quam ad nos & Romanam ecclesiam habere noscimini, sentiatis vobis amorem apostolicum accrevisse, vestris devotis supplicationibus inclinati, primam tonsuram & primos duos ordines minores conferendi monachis vestris & aliis clericis secularibus vobis pleno jure subjectis, & benedicendi pallas altaris ac alia ornamenta ecclesiastica, & faciendi benedictionem solennem, quam pontifices post missarum & aliorum officiorum solennia faciunt, tibi, fili abbas, & successoribus tuis in perpetuum concedimus auctoritate præsentium facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani nonis Febr. pontificatus nostri anno primo.

L X V.

Abbas Compendiensis curiam suam ad duellum commodat.

Ex chartis Compend.

JOANNES Dei patientia Compendiensis ecclesiæ dictus abbas, universis præsentes literas inspecturis salutem in Domino. Noverint universi quod cum duellum deberet fieri in terra ecclesiæ S. Clementis Compendiensis, cujus duelli jurisdictio spectabat ad prædictam ecclesiam S. Clementis, nos quia capitulum ejusdem ecclesiæ locum idoneum ad duellum faciendum non haberet, curiam nostram ad hoc faciendum commodavimus capitulo memorato, ita quod per hoc nullum prædictæ ecclesiæ nec nobis, in hoc quod curiam nostram commodavimus, præjudicium generetur, sed salvæ consistant dictæ ecclesiæ justitia & jurisdictio. Actum anno Domini M. CCXLVIII. mense Aprili. 1248.

L X V I.

Urbanus papa monachis apud sanctum Cornelium hospitibus dat licentiam loquendi in mensa.

Ex autographo.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Joanni abbati monasterii Compendiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, Suessionensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Sicut petitio tua nobis exhibita continebat sæpe contingi viros religiosos, quibus constitutionibus suorum ordinum prohibentibus in mensa loqui, non licet ad tuum monasterium declinare, &c. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, concedendi prædictis religiosis, dum in eodem monasterio tecum in mensa sive conventu fuerint, loquendi licentiam de divinis ac licitis & honestis, constitutionibus hujusmodi nequaquam obstantibus, liberam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum Viterbii sexto kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno primo. 1262.

I iij

LXVII.

Ex apographo.

Fundatio monialium sanctæ Claræ apud Novigentum Artaldi.

1299. *BLANCHE, par la grace de Dieu, reyne de Navarre, de Champaigne & de Brie, contesse palatine, & femme jadis monseigneur Esmond fils du roy Henry de Angleterre conte de Lencastre, à tous ceux qui sont & à venir sont, salut & donner foy à ces presentes lettres. Sachent tuit que nous pour le remede de notre ame & des ames de nos predecesseurs nos tres-chers & tres-aymés seigneurs, c'est à savoir le roy Henry jadis roy de Navarre, de Champaigne & de Brie, conte palatin de bonne memoire, & de monseigneur Esmond aussi jadis fils du roy Henry d'Angleterre conte de Lancastre, & de nos autres amis, donnons & octroyons en pure & perpetuelle aulmosne à tous jours mes des or en droict en avant quatre cens livres de tournois petits de perpetuelle rente, assisses en notre terre de Nogent l'Artault, & es appartenances es lieux & en la forme dessous nommée, pour fonder, faire & edifier ung convent de Seurs mineures de l'ordre de sainte Claire, en l'honneur de Dieu, de monseigneur saint Louis; c'est à savoir le minage, le tonnil, le marché, la foire & les estalages de ladite ville de Nogent, en prix de soixante & quinze livres de rente par an; de rechef les molieres & tous les emolumens d'icelles en ladite notre terre de Nogent, en prix de vingt quatre livres de rente par an; de rechef le pressouer de ladite ville de Nogent, en prix de soixante sols de rente par an; de rechef un muid de vinage au prix de quinze sols de rente par an; de rechef tous les cens qui nous estoient deus le jour de la saint Denys chacun an, au prix de quarante cinq sols de rente par an; de rechef tous les cens qui nous estoient deus le jour de la saint Remy chacun an, en ladite ville de Nogent, lesquels portent lots & ventes au prix de cinquante sols de rente par an; de rechef le murage de Pavent, en prix de deux sols de rente par an; de rechef la grange au dessus du chastel de Nogent, la cave, les portes, & toutes les appartenances de ladite grange jusqu'aux murs de notre chastel, la maison qui fut le Roy Charron, & la maison qui fut Richard Couvé, en prix de quatre livres de rente par an, les devantdites granges & maisons retenues; de rechef sur la taille de ladite ville de Nogent qui se fait à la saint Remy sur nos hommes de Nogent, & sur les forains & sur nos hostes, des premiers deniers levez de ladite taille, de rente chacun an trente livres; de rechef sur la merie de Sauchery & sur tout ce que nous y avons, treize livres de rente par an, à payer ainsi comme dessus est dit, de la taille des premiers deniers levez de ladite merie; de rechef toutes les aveinnes des feux de toute la parroche de Nogent, en la maniere que nous les soulions recouvré, en prix de vingt & quatre livres de rente par an; de rechef le bois du Larris saisi & vestu ainsi comme il est, où il y a quatre vingt dix arpens, prisé l'arpent six sols, en prix de vingt sept livres de rente par an; de rechef le bois de Lannoy de la Noe, où il y a trente cinq arpens & trois quartiers; de rechef le bois de la Broce Troussel, où il y a sept arpens & demi & demi quartier; de rechef le bois de Lannoy de Becherel, où il y a arpent & demi; de rechef le bois de Dardourel, où il y a sept arpens & ung quartier; de rechef le bois des Broces de la Verrine, où il y a neuf arpens; de rechef les bois de la Houssiere, où il y a cent huit arpens; de rechef les bois de Bruisselles, où il y a neuf vingt & un arpens, prisé chacun arpent six sols de rente, en prix de cent & cinq livres neuf deniers par an; de rechef quinze arpens que de voyes que de places ou bois de la Houssiere, & vingt six arpens de voyes au bois de Bruisselles, desquels y a trente ung arpens du prix de six sols l'arpent de rente, en prix de neuf livres six sols de rente par an; de rechef dix arpens de places en ce mesme bois, du prix de deux sols l'arpent, en prix de vingt sols de rente par an: & est à*

A *savoir que tous les bois dessusdits leurs sont donnez, bailliez & octroyez de par nous, saisis & vestus par le prix de l'assisse dessusdite avecques la garenne; de rechef tous les noyers & les nois au dehors des jardins de Nogent, en prix de six livres de rente par an; de rechef dix arpens & demi de pré au dessus de la Querriere de Pavent, & demi arpent & une perche au pré les madame Marguerite, & trois quartiers & seize perches au pré de Haultebonne, & deux arpens & demi & vingt trois perches es prés dessous Romeny, & onze arpens & demi au pré de Prelles, & six arpens au pré de Rubert, du prix de vingt sols chacun arpent, en prix de trente & deux livres & vingt deux deniers de rente par an; de rechef les prés de la Noe qui sont entre les deux Aulnois, où il y a douze arpens & demi du prix*
B *de douze sols l'arpent, en prix de sept livres & dix sols de rente par an; de rechef six arpens & demi & vingt six perches de vignes assisses aux Saulx, prisé l'arpent quarante sols, en prix de treize livres dix sols cinq deniers de rente par an; de rechef tous les saulcois qui sont entre les jardins & prairies de Marne au dehors jusques au pont, avec les saulcois d'Embreinne & tous nos saulcois en quelque lieu qui soient, hors mis les saulcois en près les murs de notre grange de Brie, en prix de quinze livres de rente par an; de rechef le ru qui court parmi le saulcoi d'Embreinne, ainsi comme il se comporte, en prix de vingt sols de rente par an; de rechef le champ de Bertain où il y a dix arpens & demi de terre gaignable, & le champ de Blanchard où il y a cinq arpens & demi, du prix de cinq sols l'arpent,*
C *en prix de quatre livres de rente par an; de rechef environ quatre arpens & demi de terre dedans nos jardins, pour le siege de l'abbaye, avec les cloisons de nos murs à creneaux & des fossés entour, tant comme la cloison des quatre arpens & demi de terre dure tout entour. Les quelles choses dessusdites nous voulons & octroyons que les seurs dessusdites puissent tenir à tous jours mes sans tout contredit ou autres des parties, & tout le droit & la possession, la proprieté, la seigneurie que nous avons es choses susdites, nous transportons es seurs du devantdit convent, sauf & retenu à nous & à nos successeurs es choses dessusdites, tant seulement la haulte justice; & promettons que contre le don dessusdit nous ne viendrons par nous ne par aultre au temps advenir. Encor promettons nous toutes les choses dessusdites &*
D *chacune d'icelles, à garantir à tous jours mes au convent & aux seurs d'icelui lieu. Et quant à ce nous obligeons nous & nos hoirs, & tous nos biens & les biens de nos hoirs où que ils soient, & supplions & requerons humblement à notre tres-cher & tres-amé seigneur le roy de France, & à notre tres-chere & tres-aimée fille la reyne de France sa compaigne, que il nostre don dessusdit, toutes les choses dessusdites les quelles nous faisons pour eulx & pour nous, veillent octroyer, agréer, admortir & confirmer, en telle maniere que le devantdit convent & seurs puissent jouir perdurablement, paisiblement & entierement du don & des choses dessusdites. De rechef nous supplions & requerons humblement à notre tres-cher & tres-amé seigneur le roy de France, que les seurs du convent dessusdit puissent acquerir rentes sous lui jusqu'à la valeur de cent livres de rente. Et*
E *nous en tesmoing & à graigneur fermeté des choses dessusdites, avons mis notre scel en ces presentes. Données à saint Marcel près de Paris, lendemain de la feste saint Jean Baptiste, l'an mil deux cens quatre vingt dix neuf.*

LXVIII.

Transactio inter parochum & Urbanistas moniales de Novigento Artaldi.

Ex apographo.

UNiversis præsentes literas inspecturis, Johannes permissione divina abbas S. Germani de Pratis Parisiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, in Christo salutem. Noveritis quod nos ad 1303.

sedandam dissensionis materiam, quæ ratione seu occasione monasterii cujusdam apud Nogentum Altardi Suessionensis diœcesis, in honore B. Ludovici constructi, inter discretum virum domnum Ferricum presbyterum rectorem & curatum parochialis ecclesiæ dicti loci ex una parte, & religiosas mulieres sororem Adelinam & conventum ejusdem monasterii sancti Ludovici ex altera, timebatur in multum & jam fere videbatur oriri, volumus interponere partes nostras super eo videlicet quod partes super nonnullis jus parochiale ejusdem ecclesiæ tangentibus discordes invicem habebantur. Idemque curatus permittere aut sustinere nolebat monasterium aliud seu aliam quam suam ecclesiam construi vel ædificari ibidem aut alibi infra metas suæ parochiæ memoratæ, absque assensu suo taliter petito primitus & obtento, quod ipse & successores sui in hiis & ministerio perpetuo conservarentur indempnes. Tandem multis altercationibus & prolocutionibus hinc inde præhabitis inter partes prædictas pro bono pacis & concordiæ, præsentibus religioso viro domno Reinaudo priore de *Verdelou*, domnis Johanne decano de *Verdelou*, Johanne & Simone in dicta ecclesia de Nogento, & Johanne capellaniæ de castello perpetuis capellanis, Petro *Turin de Chezy*, Stephano majore de Nogento Altardi clericis, Adam dicto *Marchant* de Saucheriaco, & Celino filio Johannis dicti *du Bois* ad hæc vocatis testibus & rogatis in modum qui sequitur exstitit ordinatum, prout hæc omnia ab ipso domno Ferrico curato nunc ecclesiæ supradictæ, propter hoc personaliter nostram præsentiam adeunte una cum Stephano majore de Nogento Altardi clerico, & quibusdam aliis accepimus fide dignis. Videlicet quod idem curatus pro se & suis successoribus universis tradidit, concessit ex nunc in perpetuum & quittavit ipsis religiosis sororibus omne jus & omnem actionem quamcumque quod & quam habebat & habere poterat ratione juris parochialis erga dictas religiosas in earum clausuris & ambitu infra muros suos & portas, prout sunt limitatæ, & dominus Suessionensis episcopus benedixit: scilicet in omnibus & singulis obsequiis & oblationibus quibuscumque, quæ ratione sepulturæ, virtutum seu miraculorum, infra dictas clausuras per ambitum, favente Domino, poterunt evenire, pro duobus arpentis pratorum sitis in proraeria de Nogento Altardi in loco qui dicitur subtus quarreriam de *Pavant*, inter quarreriam & ripariam Marnæ, contigua pratis dictarum religiosarum ex una parte, & pratis pluribus ex altera. Quæ quidem duo arpenta prati idem curatus & successores sui pro prædictis habebunt, tenebunt & possidebunt admortizata perpetuo in remunerationem & recompensationem prædictorum ab ipsis religiosis, absque censu solvendo a curatis prædictis, & omni alio onere & impedimento quocumque. Nos autem pro nobis & nostris successoribus universis ad quos jus patronatus prædictæ parochialis ecclesiæ de Nogento noscitur libere pertinere, a prædictis partibus cum humili instantia requisiti ut ad hoc nostrum dignaremur assensum misericorditer impartiri, utriusque partis utilitate pensata, divinum officium impedire bonaque spiritualia diminuere nolentes, immo potius cupientes augmentare pro posse, de bonorum & prudentium virorum consilio, ad ea quæ superius scripta sunt, scienter causa cognita sponteque irrevocabili nostrum præbemus assensum, approbantes eadem prout enarrata & ordinata sunt, & tenore præsentium omni jure quo possumus, prout nostra interest confirmantes, ut ex nunc in perpetuum in se robur obtineant firmitatis. In cujus rei testimonium præsentes literas eisdem religiosis concessimus sigilli nostri impressione munitas. Datum & actum dicto domno Ferrico curato dictæ parochialis ecclesiæ præsente & præmissa fieri postulante, anno Domini M. CCCIII. Sabbato in vigilia Trinitatis.

LXIX.

Philippus rex dat capellam de Heremita monialibus sancti Johannis in Bosco.

Ex chartis domesticis.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum 1304.
facimus tam præsentibus quam futuris, quod nos pietatis intuitu & ad divini cultus augmentum, & ob remedium animæ nostræ, necnon pro salute animarum memoriæ recolendæ potentissimi domini & genitoris nostri regis Philippi, & reginæ Isabellis carissimæ genitricis nostræ, & omnium prædecessorum nostrorum, dilectis nobis in Christo abbatissæ & conventui monialium monasterii sancti Johannis in Bosco ordinis S. Benedicti, capellaniam nostram, quæ dicitur capellania de Heremita, in foresta nostra Cuisiæ sitam, & vacantem per resignationem Johannis de Calvisiaco quondam capellani ejusdem capellaniæ, & ad collationem nostram spectantem, duximus conferendam, volentes & tenore præsentium concedentes, ut eædem moniales, tam pro se quam pro posteris suis, in ampliationem redituum monasterii sui prædicti dictam capellaniam cum juribus & pertinentiis universis spectantibus ad eamdem, prout perpetui capellani in eadem pro tempore instituti hactenus tenuerunt, deinceps habeant & teneant hereditarie ac perpetuo, possideant pacifice & quiete, hoc adjecto, quod dictæ moniales modernæ, & quæ pro tempore fuerint moniales monasterii memorati, tenentur & in posterum tenebuntur per idoneum ad hoc vicarium facere celebrari divina modo debito & consueto in capellania supradicta, prout ibidem fieri consuevit, & post decessum nostrum anniversarium nostrum in ipsarum monasterio annuatim, salvo in aliis jure nostro & jure quolibet alieno. Quod ut firmum & stabile permaneat in futurum, præsentibus literis nostrun fecimus apponi sigillum. Actum apud Vicennas anno Domini millesimo trecentesimo quarto mense Junio.

LXX.

Fundatio Regalis-Loci.

Ex authentico.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum 1308.
facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod illa speciali devotione, quam semper ad sacrum ordinem Vallis-scholarium habuimus & habemus inducti, conventum viginti fratrum ipsius ordinis sub regimine prioris, ut fieri solet in ordine, gubernandum, in capella domus nostræ de Nova villa in bosco juxta Compendium, Suessionensis diœcesis, intra metas parochialis ecclesiæ sancti Germani, ad laudem divini nominis & ipsius cultus augmentationem, circa quam affectibus præcipuis intendere delectamur, in honorem beatæ genitricis Dei Mariæ & beati Joannis Baptistæ, statuimus & fundavimus per alias nostras literas mense Junii anno millesimo trecentesimo tertio, quas ex nunc cassas esse volumus & nullas: in quibus literis pro victu & necessitatibus fratrum ipsorum quamplura concessimus eisdem perpetuo, de quorum aliquibus plura præsentibus inferius exprimentur: quam fundationem cum omnibus privilegiis & concessionibus in dictis fundationis literis comprehensis innovamus præsentibus cum detractionibus, declarationibus & additamentis plurimis pro utilitate fratrum ipsorum factis super rebus inferius annotatis: quæ omnia pia devotione peragimus, ut nobis in præsenti gratiam, ac post vitæ præsentis decursum nobis & inclitæ recordationis carissimæ consorti nostræ Johannæ Franciæ reginæ, ac prædecessoribus nostris venia delictorum, ex devotis orationum ipsius ordinis fratrum suffragiis, consequenter gloriam in futuro Dominus noster Jesus Christus sua benigna misericordia largiatur. Nos autem quod fratres prædicti tamquam nostri

proprii capellani suam habitationem habeant infra clausuram domus prædictæ, cujus custodiam sibi committimus, videlicet juxta dictam capellam duximus ordinandum, eisdem fratribus ne egeant, & ut liberius vacent ad impendendum ibidem debitum Domino famulatum, tenore præsentium assignantes sexaginta duodecim minatas terræ arabilis, sitas in pluribus locis in territorio dictæ villæ; item quoddam pratum situm in biertia sive in cisternis; item furnum de Choisiaco, cum domo & appenditiis dicti furni, & quamdam plateam juxta furnum, & aliam domum in dicta villa, & sexaginta solidos annui reditus, quæ omnia Fichio archerius noster in villa prædicta de Choisiaco acquisivit; item decem & novem modios avenæ ad mensuram de Compendio, quos percipiebat dictus Fichio singulis annis in villis de Nova villa prædicta, de Marcheriis & de Cruce; item quamdam domum cum toto porprisio, sitam ante domum nostram, in qua dictus Fichio faciebat animalia sua nutriri, quæ prædicta omnia a dicto Fichione & ejus uxore duximus acquirenda; item totam avenam nobis debitam supra masuras in villa de Choisiaco, & in pluribus villis castellaniæ dictæ villæ, quarum nomina sunt hæc: Retundis, *Ruisseaux*, Vernolium, sanctus Petrus de Betriaco, molendina Atrachiacum, *Quarcy*, *Montmaquer*, Derelincum, *Machemont*, Helicuria, Marigniacum, *Marcateglise* & *Greandmont*; item omnia terragia territorii de Choisiaco, cum omnibus appenditiis & pertinentiis ejusdem; item quidquid habemus in pedagio de Choisiaco per terram cum aliis redditibus cum ipso pedagio vendi consuetis, quas res duximus inferius nominandas: videlicet pro qualibet ostisia seu hospitio villarum de Choisiaco, de Retundis, de Torotta, de Longulio, de *Anneel* & de *Montmaquer*, quarum habitatores in foresta de Lesga habent usagium, unum panem & unum denarium in Nativitate Domini, unam gallinam vel quatuor denarios qui gallinam non habent in hospitio, quatuor denarios pro fumagio, duos denarios pro qualibet quadrigata merrani apud Choisiacum adducta, unum obolum pro quolibet ficello merrani ad collum, tres obolos pro quolibet porco posito in pasnagio, duodecim denarios pro qualibet monstrata ad capiendum merranum pro ædificando, decem libras pro tallia de Retundis quolibet anno, & quidquid in istis prædictis redditibus habemus & habere poteramus, cum redditibus omnium tegulariorum usagium habentium in dicta foresta de Lesga, ad accipiendam terram pro tegulis componendis: parte media domino de *Offemont* in prædictis redditibus & habitatoribus villarum prædictarum, suo debito & solito usagio in dicta foresta, pro quo dictos præstant redditus, semper salvis. Item molendinum de Torotta cum exclusaria; item furnum de Torotta, cum omnibus juribus, pertinentiis & appenditiis eorumdem; item teloneum & omnes redditus qui cum dicto teloneo vendi consueverunt, & omnes census quos in villa & territorio de Torotta habebamus; item omnia prata quæ habebamus in omnibus peciis in territoriis de *Choisy* & Torottæ, cum debitis corveis hominum & equorum; item concesseramus in prioribus fundationis literis, totum boscum dictum *Sasay*, prout se comportat in longum & in latum, cum terra vacua juxta boscum a via per quam de Compendio itur ad crucem sancti Audoeni a parte superiori, usque ad viam prope ripariam a parte inferiori, dummodo claudere, essartare dictum boscum, seu essartum in eo facere in quo garennam habemus, non liceret eis quoquomodo: sed in præsenti innovatione dictum boscum cum prædictis adjacentiis nobis retinuimus, pro decenti recompensatione alibi eis facta in foresta de Lesga, in loco qui dicitur *Grosquesnoy*. Item concessimus eisdem omnia terragia quæ in territorio de *Montmaquer*

A habebamus; item majoriam dicti loci; item majoriam de Camberonna; item in magno pedagio de Choisiaco, per aquam quinquaginta libras Parisienses solvendas singulis annis a receptore dicti pedagii, qui pro tempore fuerit, terminis infrascriptis, videlicet medietatem in crastino Omnium sanctorum, & aliam medietatem in crastino festi Purificationis beatæ Mariæ virginis, tali conditione adjecta, quod si receptor dicti pedagii ad dictos terminos defecerit in solutione, de suo proprio pro qualibet die qua defecerit, duos solidos Parisienses nomine pœnæ solvet, & ad hoc ad requisitionem dictorum fratrum seu procuratorum eorum, vel prioris, per præpositum loci cogetur; item redditus caponum & avenæ, ac omnes alios redditus quocumque nomine censeantur, quæ habemus & habere poteramus in dicta
B Nova villa & tota parochia dicti loci; item quidquid habebamus & habere poteramus in quadam noa quæ dicitur ad *Planchet*, sita inter crucem & dictam Novam villam; item concedimus dictis fratribus usagium in tota foresta Cuisiæ & de Lesga, ad quercum & fagum siccas jacentes vel stantes, necnon ad ipsas virides jacentes, & ad omnem boscum alium pro mortuo reputatum, seu qui boscus mortuus vulgariter nuncupatur, pro suo ardere & suis ædificiis construendis ac reparandis: necnon pro circulis, palis, paxillis, oseriis, scopis, scutellis & pro clausuris terrarum & pratorum in præposituris de Compendio & de Choisiaco, & pro omnibus aliis usibus & suis aisanciis quibuscumque, concedentes ut dicti fratres
C de dicto usagio, quoties necesse fuerit, carbones possint facere fieri in domo [illegible] ad proprium usum suum, volentes & concedentes quod dictum usagium exerceant & explectent cum securi, secca & cum aliis quibus voluerint ferreis instrumentis: & illa quæ ex ipso usagio capient, adducere poterunt per se vel alios ad currus & quadrigas, & alia genera vecturarum, prout sibi viderint expedire. Concessimus insuper eisdem fratribus usagium in dictis forestis, & quibuslibet earum ad quercum & fagum etiam virides atque stantes, & ad omne genus nemoris viridis ac etiam pro mortuo reputati, pro suis molendinis & furnis reficiendis, cum omnibus eorum pertinentiis, necnon & pro doliis magnis & parvis, tonnis & cuvis, pro duobus pressoriis, pro quadrigiis, curribus & aratris, pro pontibus & planchis, & ut molendina
D ad ventum possint facere pro se & omnibus aliis quibuscumque qui molere voluerint ad dicta molendina, solvendo multam, & de dicto usagio pro ipsis molendinis & eorum necessariis possint uti per forestarios nostros dictarum forestarum, ubi commodius pro dictis fratribus, sine notabili damno nostro fieri poterit, ad requisitionem dictorum fratrum seu mandati eorum, pro prædictis & quolibet prædictorum sine dilatione qualibet, quoties opus fuerit, liberando. Concedimus eis etiam usagium pasturarum in tota foresta Cuisiæ & in tota foresta Lesgæ, videlicet pro propriis ovibus suis, bobus, vaccis & vitulis, equis & equabus, & pullis eorum, quantum sibi placuerit. Item pro octies viginti porcis, & non amplius, omni tempore, tam pasnagii quam alio, liberis & immu-
E nibus ab omni pasnagio & alia quacumque costumia, concedentes quod custodes animalium suorum quorumcumque, pro eorumdem animalium custodia contra lupos & feras alias nocivas, canes secum possint habere per pastores ipsorum animalium ducendos. Præterea volumus & concedimus quod prior dicti prioratus, dictum viginti fratrum conventum, si dicti prioratus facultates suppetant, augere, & si temporum molestia, quod absit, ingruerit, minuere valeat prout viderit faciendum, privilegiis, donis & gratiis, & concessionibus quibuscumque, eisdem priori & conventui concessis & factis a nobis, tam in aucto quam in minuto fratrum numero, in suo robore perpetuo duraturis. Omnia autem & singula superius annotata,

annotata, prædictis priori & fratribus propriis capellanis nostris ac conventui concessimus & concedimus, donavimus & donamus cum tota bassa justitia ab ipsis eorumque successoribus in perpetuum libere & pacifice possidenda, sub illis libertate & conditione quibus ea tenebamus, altam justitiam & garennam in prædictis omnibus retinentes. Ipsum vero locum sicut infra clausuræ ambitum se comportat, quem in honorem beatissimi Ludovici Francorum regis avi nostri, fundatum a nobis Regalem locum de cetero nominari volumus, cum totali porpriso liberum esse volumus, & plenissima libertate gaudere perpetuo, ipsosque priorem, & fratres & eorum familias, ac dictum locum & alia illorum loca & bona, tam in capite quam in membris, concessa & concedenda, acquisita & acquirenda, in nostra proprietate, manu, protectione & gardia speciali, B tanquam res nostras & proprias retinemus, ipsis & eorum successoribus omnem usumfructum in prædictis omnibus & singulis perpetuo relinquentes; ita tamen quod modo quocumque per nos vel successores nostros de cetero ab immediatis dominio & garda, nostris & successorum nostrorum regum Franciæ & honore coronæ, ullis futuris temporibus separari aut elongari non possint. Nolumus vero quod infra domos & clausuras prædictas, nos aut successores nostri, per nos aut gentes nostras quomodolibet uti possimus garenna. Quæ omnia & singula ut rata, firma & stabilia in perpetuum perseverent, nostrum præsentibus fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro, & in omnibus alieno. Datum Parisiis anno Domini millesimo trecentesimo octavo, mense C Augusti.

LXXI.

Ex chartulario abbatiæ Orbacensis.

Confirmatur electus abbas Orbacensis ab archiepiscopo Remensi.

1402. GUIDO miseratione divina Remensis archiepisc. dilecto nobis in Christo fratri Petro de *Chavigny* presbytero religioso expresse professo monasterii S. Petri de Orbaco ordinis sancti Benedicti, Suessionensis diœcesis, salutem in Domino. Cum electionem de persona vestra ad dictum monasterium vacans per resignationem fratris Petri *Morin* dicti monasterii ultimi abbatis, auctoritate nostra receptam & per nos admissam, per priorem & religiosos dicti monasterii factam confirmaverimus, & vos in abbatem D & pastorem dicti monasterii præfecerimus, prout in literis nostris super hæc confectis plenius continetur; cum ad nos, prædecessores & successores nostros, & nullum alium inferiorem, abbatis dicti monasterii correctio, punitio, institutio, destitutio, resignationis ejusdem monasterii susceptio & admissio, electionis confirmatio & infirmatio, dum & quandocumque casus occurrit, pertinuerint & pertinere dignoscantur de antiqua consuetudine approbata & legitime præscripta, ut munus benedictionis a venerabili fratre nostro domino D. episcopo Suessionensi, infra instans festum Nativitatis Domini recipere valeatis, & eidem vobis illud impendendi, aliis arduis negotiis ecclesiam nostram tangentibus præpediti, E & præmissis vacare non valentes de præsenti, tenore præsentium licentiam impertimur. Vobis insuper ne præstetis ob causam vel ratione præmissorum, promissionem sive juramentum aliquod sub quacumque verborum specie districtius inhibemus, & eidem ne exigat aut recipiat illud a vobis, a quo dum professionem in manibus nostris fecistis, solita ratione monasterii prædicti juramentum per abbates nobis subditos solitum præstari circa tempus receptionis ejusdem muneris corporale recepimus per verba sub forma quæ sequitur: Ego Petrus de *Chavigny* presbyter electus, & per te reverendissimum in Christo patrem & dominum Guidonem archiepiscopum Remensem confirmatus abbas monasterii sancti Petri de Orbaco ordinis sancti Benedicti, Suessionensis diœcesis, promitto reverentiam, obedientiam, fidem & subjectionem matri meæ ecclesiæ, & tibi præfato reverendissimo in Christo patri, tuisque successoribus canonice instituendis, & sic propria manu super hoc altare juro & firmo, & hic propria manu mea subscripsi, decernens irritum & inane quod secus factum fuerit. In cujus rei testimonium præsentibus literis sigillum nostrum ad causas duximus apponendum. Datum Remis in castro nostro Portæ-Martis, anno Domini millesimo quadringentesimo secundo, die nona mensis Novembris.

LXXII.

Ex chartis domesticis.

Abbatia Compendiensis datur a rege monialibus Vallis-Gratiæ apud Parisios.

AUjourd'hui trentieme du mois d'Octobre mil six cent cinquante-six, le roy estant à Paris, ayant toute la consideration & defference possible pour ce qui peut estre desiré par la reine sa mere, & voulant à sa consideration temoigner combien elle estime une maison à laquelle la reine porte une affection singuliere, & pour ces raisons gratifier & traiter favorablement les abbesse & religieuses de l'abbaye de Notre-Dame du Val-de-Grace, establies au fauxbourg saint Jacques de la ville de Paris, de l'ordre de saint Benoist, au diocese de Paris, fondée & bastie avec magnificence par les charités de la reine, sans avoir esté dotée jusqu'à present de revenus suffisans pour nourrir lesdites religieuses, satisfaire aux charges de leur communauté, & leur donner moyen de recevoir gratuitement & sans dot ni pension, des filles de condition, suivant l'intention de la reine, & comme la dignité de cette maison le peut requerir; sa majesté leur a fait don de l'abbaye de SS. Corneil & Cyprien de Compiegne, vaquante par le deceds de messire Simon le Gras vivant evesque de Soissons, dernier abbé d'icelle abbaye, ou autrement en quelque maniere qu'elle puisse vaquer, pour estre le titre abbatial de ladite abbaye de saint Corneil & saint Cyprien, du tout esteint & supprimé, uni, annexé & incorporé à toujours, ensemble la mense abbatiale d'icelle abbaye, avec tous les honneurs, prerogatives, préeminences, jurisdiction, droits de presentation, collation & institution de benefices & offices, terres, maisons, domaines, droits, fruits, profits & revenus qui en dependent, de quelque nature & qualité qu'ils soient, au profit desdites abbesse, religieuses & convent du Val-de-Grace, leur tenir lieu de plus ample fondation & dotation royale, supporter les charges de leur communauté, en jouir par elles & celles qui leur succederont, comme de leur ancien domaine, sans qu'ores ni à l'avenir sa majesté ni ses successeurs rois puissent nommer à ladite abbaye de saint Corneil & titre abbatial, qui demeurera au moyen de ce esteint & supprimé, & uni à ladite abbaye, ni qu'il y puisse estre pourveu en quelque sorte & maniere que ce soit, & lesdites abbesse & religieuses estre troublées en la jouissance de ladite mense abbatiale, honneurs, droits, domaines & revenus susdits, pour quelque cause & occasion que ce puisse estre, sans aussi que le service divin qui se dit & celebre en ladite abbaye de saint Corneil, ni le nombre des religieux d'icelle puisse estre diminué sous pretexte de ladite union, pour laquelle toutes lettres & expeditions necessaires, tant en cour de Rome qu'ailleurs, seront expediées en vertu du present brevet, lequel sa majesté pour temoignage de sa volonté, a signé de sa main & fait contresigner par moi son conseiller secretaire d'estat, & de ses commandemens & finances. Signé *Louis.* Et plus bas, *le Tellier avec paraphe.* 1656.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ CATALAUNENSIS.

I.

Ex Camuzato & Sammarthanis.

Præceptum Childerici II regis pro monasterio Dervensi.

673. CElsitudo regalis clementiæ religiosorum virorum petitionibus semper debet annuere, &c. Quapropter ad notitiam cunctorum pervenire jubemus, quoniam adiit serenitatem nostram venerandus ac religiosus abbas Bercharius, supplicans ut concederemus ei quemdam locum in foreste Dervo & in fine Wuaciacinse, in quo sibi liceret construere monasterium, & ut daremus sumptus ac prædia, per quæ ea quæ competerent monasterio vel locis cellarum compleret, & monachorum congregationem ibidem aptaret. Placuit igitur reverentiæ nostræ summi viri supplicatio, & quæ postulaverat concessimus illi; qui monasterium construens supra fluvium Vigoræ in honore beatorum Petri & Pauli vel ceterorum Sanctorum, petiit altitudinem nostram ut pro rei totius firmitate integram emmunitatem circa ipsum monasterium contraderemus. Nos igitur cœlesti beneficio promoti, consensu episcoporum & optimatum nostrorum, precibus tanti viri aurem accommodantes, jubemus ut de omni facultate ipsius monasterii, tam quod ego ipse ibidem delegavi, quam etiam quod a reliquis christianis hominibus noscitur esse condonatum, quodque ad præsens in quibuslibet locis, territoriis, & ex ejus hereditate vel studio, tam ultra Ligerim in Herla scilicet & Saturiaco, vel Domno-fronte cum appenditiis suis, quam etiam citra Ligerim possidere videntur, seu quod ibidem adhuc inantea in Dei nomine a christianis hominibus juste & rationabiliter fuerit additum vel condonatum pro quiete ipsius regni nostri integram emmunitatem pro reverentia ipsius sancti loci concedimus, ut nullus judex publicus quolibet modo judiciaria accinctus potestate in curtes ipsius monasterii ubicunque ad præsens eorum maneat possessio vel dominatio, aut quod inantea, ut diximus, fuerit additum vel condonatum, nec ad causas audiendum, nec fidejussores tollendum, nec freda exigendum, nec mansiones faciendum, nec rotaticum infra urbes vel in mercatis extorquendum, nec ullas paratas, aut quaslibet redhibitiones exactare præsumatur, sed in omni facultate ipsius monasterii, ut præfatum est in omnibus locis & territoriis ubi aliquid possidere videntur, absque interdictu judicum, remotis & resecatis omnibus petitionibus de partibus fisci, usque super ripam fluvioli Magnentis, progrediente in directum termino ad locum qui Vallis-profunda nuncupatur, sub emmunitatis nomine inconcusse, tam nostris quam futuris temporibus valeant dominari vel possidere; quo fiat ut & nos de præstito beneficio ad mercedem pertineat, & ipsos servos Dei in ipso monasterio consistentes melius delectet pro stabilitate regni nostri attentius Domini misericordiam deprecari. Et ut hæc emmunitas firmior habeatur & per tempora conservetur, manus nostræ ac fidelium nostrorum, tam episcoporum quam optimatum subscriptionibus, subter eam decrevimus corroborari. Signum Reoli * episcopi. Sig. Leodegarii episcopi. Sig. Attelani episcopi. Sig. Vulfaudi Majoris domus. Signum Almarici. Data IV. nonas Julii anno III. regni Childerici regis. Actum Compendio palatio.

* *Reolo* perperam huc intruso recte substituit Cointius *Nivardum*, Annal. eccles. Francor. tom. 3. pag. 637.

II.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Præceptum Karoli Calvi regis pro monasterio sancti Urbani.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. Quicquid ad laudem salutaris sanctis ejus conferimus muneris, procul dubio ad salutem animæ & corporis, & ad stabilitatem regni nostri, ut collati a Domino honoris proficuum fore credimus omnimodis. Quapropter hortatu salubri dilectæ nobis conjugis Hirmendrudis, ac deprecatione venerabilis Erchanravi sanctæ matris ecclesiæ Catalaunensis episcopi, cum consensu unanimi ac concordi voluntate, parique institutione, pro absolutione nostrorum peccaminum tractavimus ædificare pariter in honore sanctæ Trinitatis de novo monasterium sub religione monastica conservandum, in quo corpus S. Urbani Romani pontificis cum honore congruo reconditum venerantur ad salutem animarum nostrarum ceterorumque fidelium christianorum. Idcirco prompto animo & alacri mente delegamus ad supplendam nostræ salutis devotionem quasdam res nostræ proprietatis in pago Pertensi, in villa quæ vocatur Witriniacus, id est, ecclesiam unam ex fisco nostro, quam Hugo jure beneficiario visus est habuisse, cum omnibus ad eam pertinentibus, terris cultis & incultis, pratis, silvis, molendinis, mancipiis utriusque sexus, vel quicquid ex ratione sancti Stephani ibidem olim visum est extitisse, cum terris & mancipiis; & in Piscione villa similiter unam, cum terris & mancipiis. Quicquid etiam in eadem villa ex fisco nostro Tonantia Albericus fidelis noster in beneficium cognoscitur habuisse, id est, fortes quatuor & dimidiam, cum mancipiis desuper commanentibus, vel ad easdem juste pertinentibus, terris cultis & incultis, pratis, silvis & molendinis, aquis aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, omnibusque legitimis exterminationibus. Concedimus etiam inibi quicquid de rebus & mancipiis ex parte fisci nostri Pontegonis in eodem pago Pertensi super fluvium scilicet Olomnam, in loco qui Forensis curtis dicitur, & in Normari curte situm esse noscitur. Super ipsum quoque fluvium, silvam ex una parte .... dum-montem vocatam, ex altera vero .... montem nuncupatam; prata quoque ac terras inter has duas silvas in fisco nostro sitas. Quicquid etiam in comitatu Blesensi in locis denominatis, id est, in villa Castellionis, & in vallis & in Raugis curte ..... In terris & mancipiis esse, & ad ipsum fiscum rationabiliter pertinere cernitur, eidem episcopo secundum præfixam petitionem concedimus. Conferimus etiam ad supradictam mentis nostræ devotionem supplendam in supradicto pago Pertensi, in villa quæ vocatur Summus rivus & Normari curtis, res quas Drogo vassalus noster per beneficium nostrum olim visus est tenere; mercatum quoque in jam dicta villa Witriniaco omni hebdomada, præfinito scilicet die, fieri concedimus, ac monachis ipsius loci largimur: & quicquid inde ad regii census fiscum persolvi poterit, ad lumen memoratæ cellulæ jure perpetuo inrefragibiliter persolvatur. Sed quoniam hæc quæ concedimus minime ad suppletionem illorum monachorum sufficere posse cognoscimus ...... super addimus quæ restant beneficia supranominatorum fidelium nostrorum, Hugonis videlicet & Alberici, statim ut aut per concambium commutandi locus evenerit, aut forte morte præventi fuerint, quo absque interrogatione vel alterius reconsignatione episcopus memorati cœnobii recipiat, atque in usus 865.

fratrum quæ sunt necessaria administret. Unde hoc magnitudinis nostræ præceptum saluti animæ nostræ consulentes, prænominatæ sanctæ matri ecclesiæ & jam dicto ejus rectori fieri darique jussimus, per quod memoratas res omnes integerrime delegamus perpetualiter mancipandas ac inviolabiliter confirmamus servandas. Ut autem hæc nostræ largitionis auctoritas firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subtus eam firmavimus, anulique nostri impressione insigniri jussimus. Hildeboldus notarius ad vicem Hludovici recognovit. Data VII. kalendas Novembris, indictione XI. anno XXIII. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Pontigone palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

III.

Examinatio Willeberti episcopi Catalaunensis.

Ex Sirmondo & Sammarthanis.

868. ANno ab Incarnatione Domini DCCC. LXVIII. indictione secunda, tertio nonas Decembres, convenientibus apud Carisiacum in ecclesia sancti Ill. pro examinatione Willeberti presbyteri, qui futurus erat Catalaunensis episcopus, Hincmaro diœcesis Remensium archiepiscopo, item Hincmaro Laudunensium episcopo, Hodone Belgivacorum episcopo, cum legatis Hrothadi, Erpoini, Hilmeradi, Ragitelmi & Johannis, ejusdem diœcesis coepiscoporum, vicem eorumdem patrum suorum cum tractoriis, sicut regulæ præcipiunt, exhibentibus, & quampluribus abbatibus, canonicis, monachis, presbyteris, diaconibus atque subdiaconibus; convenientibus nihilominus archiepiscopis & episcopis aliarum provinciarum, Venilone videlicet Rotomagensium archiepiscopo, Herardo Turonorum archiepisc. Egilone Senonum archiepisc. & Fulcrico ipsius coepiscopo, præsentes adfuerunt clerus, ordo & plebs Catalaunica, decessionem sui patris Erchanravi quondam episcopi dolentes, cum decreto canonico manibus singulorum roborato, Willebertumque quondam sacri palatii presbyterum a se electum ab Hincmaro archiepiscopo & ejus coepiscopis, petentes sibi ordinari episcopum. Quos invehens idem archiepiscopus Hincmarus cur obitum præfati episcopi per illos non cognoverit, sed per alios hoc rescierit, & rationes reddens pro qua causa duæ electiones in eadem ecclesia factæ fuerint; scilicet quia prima non regulariter facta exstiterit, quoniam decretum non canonice factum fuit, sed postea misso ad eamdem ecclesiam visitatore Hodone episcopo, & votis omnium in unum concordantibus, aliud decretum, quod canonicum foret, fieri præcepit. Quo decreto coram omnibus relecto, & nominibus singulorum qui illud subscripserant, recitatis, interrogati sunt tam canonici & monachi de monasteriis in eadem parochia sitis, quam etiam parochiani, presbyteri & nobiles laici, si in eadem electione ipsius Willeberti presbyteri consentirent. Qui omnes viva voce dixerunt, quod & ipsi, & illi qui illò venire non potuerunt, in eadem electione consentirent. Tunc Hincmarus archiepiscopus dixit: quia Willebertum eligitis & nos illum non cognoscimus, ostendite illum nobis ut sciamus quis sit, & perscrutemur si tanto honore dignus inveniri poterit. Qui in præsentia veniens, interrogatus est unde esset; isque respondit, pago Turonico oriundus: iterum interrogatus cujus conditionis esset; & ille, peccatis quidem obnoxius, sed Dei gratia natura liber: item, ubi didicisti? item ipse, in schola Turonica liberalibus disciplinis erudiendus traditus sum: item, cujus ordinis vel cujus es ordinatus? item ipse, præsentis patris mei domni Herardi per singulos gradus usque ad diaconum sum ordinatus, postea autem ab eodem patre meo Herardo literis ad Erpoinum datis presbyterii onus suscepi: item Hincmarus, qua de causa in nostram diœcesim venisti? & ille, per licentiam præsentis mei archiepiscopi Herardi a parentibus

A meis regiis sum mancipatus obsequiis: item Hincmarus, quod ministerium in regio obsequio suscepisti? & ille, inbreviator sive descriptor stipendiorum regalium, & relator a domno rege sum constitutus: item Hincmarus, quia conductor alienarum rerum fuisti, audi quid sanctum Calchedonense inde dicat concilium; & lectum est hoc capitulum, ad quod respondit, sicut dixi, non fui conductor alienarum rerum, nec turpia lucra vel exactiones, sive tormenta in hominibus exercens, sed, ut præfatus sum, descriptor & relator solummodo stipendiorum regalium. Unde interrogati sunt qui in corte degebant, si scirent in illo ministerio hoc illum exercuisse, quod sacerdotali ministerio minime conveniret: qui responderunt, & clerici & nobiles laici, quod nullo-

B modo in eodem ministerio perpetratum haberet, quæ sacris canonibus & suo ministerio in aliquo obviare deberent. Iterum interrogatus est si aliquod ministerium de rebus ecclesiasticis aliquo habuerit loco; qui respondit quod præposituram monasterii sancti Vedasti, jubente Johanne episcopo & consentientibus fratribus, susceperit. Et de hac jussione literæ Johannis episcopi ibi relectæ sunt, idipsum continentes, & etiam testimonio fratrum de eodem monasterio quod ita se res haberet, & de bona vita & conversatione sua, & quod non in eodem monasterio quiddam contra sacras regulas egerit, confirmatum est. Prosequutus est domnus Hincmarus, quia ministeria domni regis habuit, nescimus si isdem dominus rex ab eo aliquid repetit vel repetere debeat;

C unde nobis sua voluntas vel auctoritas necessaria foret: & porrectæ sunt literæ cum sigillo domni regis, continentes quod de omnibus quæ illi commisit, optime ei rationem reddiderit, & nihil ab eo repetebat vel unquam repetere deberet: insuper & si eum dignum ad onus episcopale invenire valerent, episcopum Catalaunis eum ordinari petebat. Denique de his suprascriptis coram omnibus testimonio multorum & literis idoneo approbato, Hincmarus episcopus ad Herardum archiepiscopum dixit, quia vester natus, nutritus vel educatus, & ordinatus dinoscitur, & clerus, ordo & plebs Catalaunica illum exposcit, habeamus vestram licentiam ut regulariter una vobiscum eum examinemus, si tanto oneri vel honori dignus existat; qui libentissime annuit, & jussus est sedere coram eis. Data est ei regula pasto-

D ralis Gregorii, & jussum est ut relegeret capitulum de eo qui præesse debet, ubi scribitur: *Nulla ars docere præsumitur.* Quo relecto, interrogatum illi est si illud intelligeret, & secundum hoc vivere vel docere vellet; qui respondit, utique. Iterum datum est ei ad relegendum capitulum de canonibus, ubi scribitur: *Qui ordinandus est;* & professus est se omnia intelligere & obedire velle. Tunc relecta sunt ei placita quæ episcopus jam ordinatus ab ordinatoribus & electoribus, suscipere debet; ubi continetur qualiter vivere, docere & subditos suos regere debet secundum sacros canones, diem præferentia & consulem; & interrogatum est si secundum ea omnia agere vellet, quæ minime abnuit. Tunc demum ostensus est illi libellus fidei & professionis suæ, ut

E legeret coram omnibus quæ in eo scripta erant; & si ea ita credere ac tenere vellet, manu sua subscriberet, & archiepiscopo suo habenda traderet: si autem in eo quædam inveniret quæ sensui suo offenderent, liber, sicut venerat, exiret. Quibus relectis, verbis fidem accommodavit, & per omnia ea se tenere, credere ac prædicare velle professus est. Quia enim, Deo gratias, post examinationem, eum catholicum, literatum & omnimodis aptum, ad sarcinam episcopalem suscipiendam invenerunt, sed tamen de aliena provincia illum fore cognoverunt; relecta sunt sacrorum canonum capitula, quid de eo dicerent, qui de aliena provincia peti deberet; & inventum est quod ab eo petere illum deberent,

cujus natus, nutritus & ordinatus foret. Humiliter domnus Hincmarus archiepiscopus, simul cum episcopis & clero, ordine ac plebe Catalaunica, ab Herardo archiepiscopo eum petiit & impetravit, ac canonice illum ei commisit. Quem susceptum monuit ut si ab eo episcopus ordinari vellet, libellum fidei ac professionis suæ quem jam relegerat, & quæ in eo scripta erant se credere ac tenere ante paululum professus fuerat, manu sua propria in capite nomen suum scriberet, & ad finem subscriptione sua roboraret; quod sine dilatione ipse fecit. Tunc relectæ sunt tractoriæ episcoporum, qui præ variis incommoditatibus ad eamdem examinationem venire non potuerunt, continentes quicquid super examinationem & ordinationem sæpefati Willeberti canonice inventum & actum fuerit, se per omnia assensum præbere. Et sic denuntiatus est dies & hora, ac locus ordinationis ejus, id est, nonis Decembris, in monasterio quod Britennacus dicitur, in diœcesi Remensi & parochia Noviomagensi: & commonitus est idem Willebertus ab archiepiscopo suo Hincmaro, ut ab infantia sua per singulos gradus suos pronuntiaret Domino viam suam; quatenus in denominata die ad tanti oneris dignitatem gratiosus accedere valeret. Die autem, hora & loco denominato, convenit domnus episcopus Hincmarus, cum coepiscopis suis Hincmaro, Hodone & legatis qui tractorias supradictas suorum episcoporum detulerunt. Et quia jam pleniter examinatus coram supradictis episcopis, & coram clero ac plebe fuerat, quando & domnus Hincmarus sufficientem sermonem de eo coram episcopis & aliis multis clericis & laïcis, & ad omnem populum, ante diem Dominicam in sexta feria fecerat, & brevitas diei id poscebat, intermisso ipsa die sermone, post introitum, & *Gloria in excelsis Deo*, & orationem primam de Adventu Domini, secundam autem de ordinatione episcoporum, sive post litanias, sicut sacri canones præcipiunt, in episcopum consecratus est. Et post lectionem Apostoli perlectam, & responsorium, & *Alleluia*, & evangelium, & *Credo in unum*, & oblata, & missarum solemnia, sicut mos est, peracta, placita quæ ante pridem ei relecta fuerant, quæque ordinatos ab ordinatoribus suis sacri canones accipere jubent, diem & consulem præsentia, manibus archiepiscopi & coepiscoporum, ac legatorum vice patrum suorum subscripta, cum capitulo Pauli apostoli ad Timotheum, noviter ordinato, ubi dicitur: *Testificor coram Deo & electis ejus Angelis, ut hæc custodias*, iidem episcopi in mandatis deposuerunt, & unusquisque feliciter ad propria remeavit.

IV.

Ex capitularibus & Sammarthanis.

Pactio Caroli Simplicis & Henrici Aucupis regum.

926. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, divina propitiante clementia, anno Dominicæ Incarnat. DCCCC. XXVI. anno vero regni domini & gloriosissimi regis Francorum occidentalium Karoli XXIX. redintegrante XXIV. largiore vero hereditate indepta X. indictione IX. anno quoque regni domni & magnificentissimi regis Francorum orientalium Heinrici tertio, inter ipsos præfatos principes unanimitatis pactum ac societatis amicitia, quæsita repertaque exordia sumpsit, prout visa sunt competentia. Convenerunt enim ambo illustres reges, sicut inter se discurrentibus legatis convenerant, II. nonas Novembris, feria prima. Domnus enim Karolus super Rhenum flumen ad Bonnam castrum, & strenuus Heinricus ex altera parte Rheni. Et ea tantum die mutuis se visibus intuentes super ripas ejusdem fluminis huc & ultra, ut sui fierent fideles innoxii sacramento, quo hanc eorum conventionem fuerant polliciti. Verum feria quarta, VII. idus Novembris, in medio Rheni fluminis sæpius dicti, principes in navibus quisque suis in tertiam ascenderunt, quæ ancorata in fluminis medio gratia eorum colloquii fixa erat; ibique in primo hanc sibi vicissim convenientiam ob statum pacis juramento sanxerunt ita: Ego Karolus divina propitiante clementia rex Francorum occidentalium, amodo ero huic amico meo regi orientali Heinrico amicus, sicut amicus per rectum debet esse suo amico, secundum meum scire ac posse; ea vero ratione, si ipse mihi juraverit ipsum eumdemque sacramentum, & attenderit quæ promiserit: sic me Deus adjuvet, & istæ sanctæ reliquiæ. E contra rex Heinricus eamdem promissionem sacramento eisdem prosecutus est verbis subsequenter, ut hujus amicitiæ firmitas inviolabiliter observaretur. Hæc sunt nomina episcoporum, qui cum nobilibus ac fidelibus laïcis firmitatem quam præmemorati reges inter se fecerunt, collaudando acceptaverunt, & manibus suis sacramentum firmaverunt nunquam a se destruendam. Episcopi ex parte domni regis Karoli, Herimannus archiepiscopus Agrippinæ, quæ modo est Colonia vocitata, Rodgerus archiepiscopus Trevironum, Stephanus præsul Cameracorum, Bovo episcopus Catalaunensium, Baldricus Trajectensium episcopus. Hæc nomina comitum, Matfredus, Erkengerus, Hagano, Boso, Waltkerus, Isaac, Ragenberus, Theodricus, Adalardus, Adelelmus. Episcopi ex parte regis inclyti Heinrici, Herigerus archiepiscopus Moguntiacorum, Nithardus episcopus Mimmogerneferdæ, Dodo episc. Osnobroggæ, Ricawdo episcopus Vangionum, quæ nunc dicitur Warmatia, Hunuardus episcopus Paderbornensis, Notingus episcopus Constantiæ Alemannicæ. Hæc sunt nomina comitum, Evrardus, Chonradus, Herimannus, Godefredus, Otto, Herimannus, Hato, Cobbo, Magenardus, Fridericus.

V.

Præceptum Roberti regis pro monasterio Catalaunensi sancti Petri. *Ex autographo.*

IN nomine sanctæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Ego Rodtbertus gratia Dei Francorum rex. Si fructibus primitivæ virtutis, scilicet caritatis, omnibus in commune est insistendum & studiose incumbendum; multo magis liberalitatem regiæ dignitatis decet illis redundare & affluenter exuberare, per quos suæ amplitudinis statum valeat sublimando erigere, & erigendo sublimare; & licet hoc pene omnis liberalitatis erogatio adquirat, illa tamen ad hoc ipsum est promtior & efficacior, quæ locis Sanctorum & congregationibus fidelium impenditur & exhibetur. Innotescat ergo sanctæ matris ecclesiæ filiorum, necnon & fidelium meorum, tam præsentium quam etiam futurorum solerti industriæ, Rogerum venerabilem sanctæ Catalaunensium ecclesiæ pontificem, nobis & reipublicæ nostri regni admodum fidelem, nostræ serenitatis sublimitatem adiisse & obnixe postulasse, quatenus nostræ auctoritatis præcepto firmaremus abbatiam quamdam in honore beati Petri apostolorum principis, a primitiva ejusdem urbis ecclesia fundatam, & a beato Memmio viro apostolico tunc temporis sacratam, quæ, exigente necessitate, rebus suis jam pridem expoliata, nunc ab eodem episcopo pro posse reparatur, & rebus quas olim amiserat jure forensi redemtis, renovando iterum ditatur. Cujus supplicationibus tam religiosis & devotis assensum præbentes, statuimus & statutum esse volumus, ut habeant ipsi fratres perpetim sine inquietudine quicquid ad præsens videntur habere, seu de cetero additum fuerit fidelium largitione; scilicet in eodem loco, ubi jam dicta fundata est ecclesia, burgum cum appenditiis suis, ab omni, sicut hactenus fuerat, banno palatinæ potestatis liberrimum, cum foragio etiam; ecclesiam sancti Johannis cum dote sua; ecclesiam S. Alpini 1028.

positam intra mœnia præfatæ urbis, cum adjacentibus mansuris, fornace etiam, telonioque in atrio ejusdem ecclesiæ venundatæ mercis & reliqua dote; molendinum unum prope mœnia civitatis sinistrum ab ortu urbem ingressis, trans Maternæ flumen; Bertrici cortem cum terris, exitibus, aquis, pratis; Willam quæ dicitur Vetus-sancti Martini, cum ecclesia, erris, appenditiis, pratis, exitibus, capturis piscium, tum Maternæ tum Blesæ; Giserdicorte mansum unum, & familia, & molendini parte dimidia; Otiosorum corte, mansum unum; Wavoreio villæ medietatem ex integro, copa, terras, denarios in censu persolventes XL. Crisiaco mansum unum; Satureiaco mansum unum, & in ejusdem vicinia loco ex palude dicto, molendinum noviter construi cœptum; Scureiaco mansum unum; apud mansile juxta S. Memmii dimidium mansum; Sassineriis mansum unum cum aliis tam vineis quam pratis, omnibusque quæ quomodocumque nominari possunt utilitatibus ad ipsum locum pertinentibus, per hanc nostram regalem paginam eidem ecclesiæ firmamus & corroboramus. Et ut hæc nostræ ingenuitatis auctoritas rata & stabilis omni post hac permaneat tempore, hoc regale præceptum inde conscriptum manu propria confirmantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Necnon & fundum cujusdam viduæ Lansendis nomine, devotione eidem loco adtributum in viculo *Visneel* nomine situm, sæpedictæ ecclesiæ nostra sit auctoritate astipulatum. Actum Parisius anno Dominicæ Incarnationis M. XXVIII. regnante Rodberto rege XL. Ego Balduinus cancellarius relegendo subscripsi.

VI.

Ex chartulario Omnium sanctorum.

Privilegium Clementis II papæ, concessum abbati monasterii Omnium sanctorum de Insula.

1047. IN nomine sanctæ Trinitatis, &c. . . . . Clemens episcopus, servus servorum Dei, Rainevardo abbati monasterii positi in Insula quæ dicitur Omnium sanctorum, juxta civitatem Catalaunicam, tuisque successoribus perpetuam in Domino salutem. Illa quæ postulantur spiritali desiderio semper convenit impleri omnimodo affectu. Quia vero Rogerus secundus vester Catalaunensis episcopus adiens Apostolorum limina a nostra petiit auctoritate, quatinus monasterium vestrum, quod ipse funditus & ab imo erexit in honorem beatæ Dei genitricis Mariæ Omniumque sanctorum, nostro muniremus deffensaculo, nostroque reddamus tutum propugnaculo ab omni latrone & ab omni suorum successorum, immo omnium hominum exactione, placuit experientiæ nostræ, ipso hoc suggerente, ut ipse locus specialiter sit in custodia præsulis apostolicæ sedis, & per futura secula sitis debitores pro nobis Deum precari. Inclinati itaque precibus ejusdem fratris & coepiscopi nostri monasterium vestrum, quod dicitur Omnium sanctorum, jam reddimus liberum, jam facimus securum per has nostræ apostolicæ præceptionis literas; ut episcopus qui pro tempore fuerit, nullum jus habeat ibi quicquam nocendi, vel aliquam coustumiam ab eo exigendi, vel aliquam potentiam exercendi, nisi quantum pertinet ad ecclesiastici ordinis & monasticæ religionis correptionem, vel forte si ex culpa & negligentia abbatum & fratrum aliquid de rebus monasterii deperierit, tunc liceat episcopo illud requirere, & ad usum monasterii revocare. Statuimus vero per apostolicam censuram ne quis successorum tuorum contra hujus nostræ apostolicæ auctoritatis constitutionem venire pertemptet, nec alia aliqua pars hominum aliquam potentiam præter loci abbatem ibi exerceat, aut aliquid detrahat de rebus vel quas ipse Rogerus episcopus ipsi monasterio concessit, vel quæ ab aliis hominibus vel concessæ vel concedendæ sunt ibi, nec aliquam violentiam inferat de aliqua re, quam forte credit litigiosam sibique pertinentem, antequam judiciali calculo res determinetur. Quod qui fecerit non solum nostræ excommunicationis sed anathematis vinculis innodatus, non mereatur absolvi, nisi post dignam satisfactionem. Qui vero custodierit hanc nostram præceptionem & servaverit illæsam, nostra benedictione sit donatus pro eo quod noluit sedi nostræ esse ingratus. Scriptum per manus Johannis scriniarii & notarii nostri palatii. Bene valete.

VII.

Ex chartulario Omnium sanctorum de Insula.

Confirmatur fundatio monasterii Omnium sanctorum ab ipso fundatore Rogerio II episcopo Catalaunensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum esse volumus omnibus matris filiis ecclesiæ, tam præsentibus quam futuris, quod ego Rogerus secundus diœcesis Cathalaunicæ subrogatus, disponente Deo atque universa ordinante, episcopus, divina inspiratione commonitus, culparum remedio, salutis desiderio instigatus, terram hanc de Insula a nobili quondam Hayrardo nomine fideli & amico meo comparavi, in qua ecclesiam in honore Domini Salvatoris & beatæ Mariæ semper virginis, Omniumque sanctorum, ipso Deo ac Salvatore nostro opitulante, fundavi ea intentione & desiderio ut isdem locus quo mihi vicinior eo foret & karior, & ibidem quoad vita supererit commorantibus necessaria providere, & in ipsa Insulæ ecclesia post hujus vitæ labentis excursum sepulturæ locum haberem. Huic igitur ecclesiæ de prædiis mihi ab antecessoribus relictis Deo ac Domino nostro Jesu Christo, cui eadem ecclesia sponsa eligitur, famulatum honoris opto exhibere, traditionemque legitimam in publico facere, quatinus in nuptiis ecclesiæ cœlestis conviva & heres merear consedere. Do itaque ad victualia servorum Dei in hoc loco præsentium ac futurorum medietatem alodii quod vocatur Viaspera, situmque est super Albam fluvium in Campania, ut hactenus meo servivit dominio, in terris cultis & incultis, in servis & ancillis, pratis ac pratensi silva, molendinis, & ecclesia. Do & aliud allodium in villa quæ vocatur Ognia, cum molendino quod XX. libris comparavi. Do & partem mediam ecclesiæ apud villam Ogerium, prædium quoque de villa Viasnæ super Axonam fluvium, cum duabus prædii ejusdem ecclesiis, una in villa ejusdem sita, altera in villa *Berzis* constituta. Do & ecclesiam sancti Martini sitam in latere sancti Memmii omni servitio episcopali liberam, sanctisque istic liberaliter servituram. Nichilominus etiam do altare sancti Sulpitii in suburbio Catalaunensi, annuentibus beati Stephani canonicis, ob quam causam tradidi in potestate eorum in perpetuum suæ ecclesiæ præposituram. Do etiam in eodem suburbio quamdam mansionem cum omni redibitione sua, necnon etiam concedo redibitionem omnium tabernarum ejusdem suburbii, duos videlicet sextarios vini de singulis vasis, tam parvis quam magnis; duas quoque mansiones trado ad portam civitatis occidentalem juxta domum vicedomini, cum omni redibitione sua. Trado etiam ecclesiam beati Gibriani cum tota villa, & bannum ejusdem ecclesiæ; decimam quoque partem telonei hujus civitatis: molendinum quoque constitutum in urbis porta super fluvium Nautha; quamplures etiam mansiones in suburbio ante portam ducentem in Insulam, cum omni redibitione sua quam debebant episcopali dominio. Terram quoque circa ecclesiam in hac eadem Insula positam, pretio a possessoribus, scilicet prædicto Hairardo & heredibus ejus, redemtam cum banno totius Insulæ, liberam & sine consuetudine. Hæc interim Deo bonorum omnium largitori de suis donis ac datis sanctisque ejus cum omni devotione reddimus, gratias ei referentes a quo accepimus; quæ deinceps quoque

dederit reddere nos paramus. Si quis vero affinium vel extraneorum ad præsens vel imposterum huic largitatis nostræ privilegio querimoniam suscitaverit, paratissima nos ratione repugnaturos inveniet quoad vita superetit. Violentiam vero si quislibet illicita rapacitate ingesserit, excommunicationis gladio a catholicæ matris ecclesiæ corpore segregatus inter Diothanatos sortem miseriæ infinitæ excipiet, nisi satisfactione competenti purgatus. Hæc nos sub præsentia Dei, & cleri ac populi firmamus, firmatumque esse indissolubiliter volumus. Testes etiam idoneos generationi venturæ procuramus, Deum scilicet indeficientem, factorum omnium cognitorem, virosque ex omni ordine liberos & egregios astantes & audientes, laudibusque competentibus astipulantes, de quorum multitudine copiosa pauca ac electa nomina subsignamus. Signum Warini archidiaconi. Signum Rogeri archidiaconi. Sign. Helberti decani. Sign. Rogerii Plaiotrensis. Sign. Gilduini. Sign. Widonis nepotis vicedomini. Sign. Frederici. Sign. Rainaldi. Actum XVI. calendas Decembris anno ab Incarnatione Domini M. LXII. regnante Philippo anno IV. pontificante domno Rotgero XX. Hugo cancellarius scripsit & subscripsit.

VIII.

Ex authentico.

Præceptum Philippi I regis de extinctione præpositurae in ecclesia Catalaunensi.

1065. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Philippus gratia Dei Francorum rex. Regalis munificentiæ debitum est suorum fidelium, maxime religiosorum, petitionibus condescendere, & necessitatibus eorum subveniendo adesse. Hæc ideo præmisimus, quoniam secundus Rogerus Catalaunensis civitatis episcopus, nostræ serenitatis præsentiam adiit, & clementiam nostram subnixe exoravit, ut sibi liceret præposituram sui loci canonicis suis concedere, quoniam injuriam præpositorum suorum non poterant sustinere. Et quoniam audieram patrem meum divæ memoriæ Henricum in Compendiensi & in Laudunensi ecclesia hoc idem fecisse propter infestationem præpositorum quam ferre non poterant, & ideo ad invicem sæpius litigabant, concessi episcopo prædicto de sua præpositura licentiam erga suos faciendi canonicos quod vellet. Accepit autem episcopus a canonicis quoddam altare in suburbio constitutum in honore B. Sulpitii confessoris, quod acceptum per deprecationem eorumdem canonicorum & assensum tradidit ecclesiæ in honore Omnium sanctorum in Insula constitutæ. Hujus donationis astipulationem manu nostra corroboravimus, & manibus fidelium nostrorum ad corroborandum tradidimus, & sigillo nostro signari præcipimus. Actum Lauduni anno Incarnati Verbi M. LXV. & regni Philippi quinto. Signum Gervasii archiepiscopi. Sign. comitis Bauduini. Sign. comitis Radulfi. Sign. episcopi Laudunensis Elinandi. Ego Balduinus cancellarius relegendo subscripsi.

IX.

Ex chartulario Omnium sanctorum.

Abbatia S. Memmii restituitur ecclesiæ Catalaunensi.

1065. IN nomine sanctæ Trinitatis, Philippus rex, &c. Cum in exhibitione temporalium rerum, quas humana religio divino cultui famulando locis Sanctorum & congregationibus fidelium ex devotione animi largitur, tam præsentis quam perpetuæ vitæ solatium adquiratur, saluberrimus valde & omnibus imitabilis est hic fructus & effectus primitivæ virtutis, scilicet caritatis, per quem & mundi præparatur tranquillitas, & felici remuneratione æterna succedit felicitas. Innotescat ergo posteritati fidelium sanctæ Dei ecclesiæ & nostrorum, abbatiam sancti Memmii episcopi Catalaunensis partim occupatione, partim negligentia regum ab episcopali cathedra ejusdem civitatis esse alienatam, quam interventu & intercessione secundi Rogeri episcopi loco sancti Stephani restituere volui. Quam restitutionem ut legitima esset per redditionem comitis Odonis & assensum Theobaldi comitis, sicut David qui ejusdem loci prælatus erat, quondam eam tenuerat, ita eam concessimus ex integro prædicto S. Stephani loco. Inculcamus denique donum dono, videlicet medietatem redibitionis nundinarum calendis Augusti celebrandarum, quam comes dividebat cum episcopo accipiendo. Addimus præter hæc partem fori Catalaunensis, quam comes dividebat cum episcopo accipiendo. Hanc donationem ea conditione prædicto loco concedimus, ut decimæ denariorum qui a foro ab hora nona sextæ feriæ usque ad horam nonam septimæ per totum annum exiguntur, ecclesiæ in honorem Omnium sanctorum constitutæ in Insula, pro remedio animæ meæ & parentum meorum concedantur. Hanc donationem altari beati Stephani imposuimus, & manu nostra firmavimus, & manibus fidelium nostrorum corroborandam tradidimus, & sigilli nostri impressione signari præcepimus. Signum Gervasii archiepiscopi. Signum Balduini Flandrensis comitis, cujus auxilio hæc omnia sunt adquisita. Sig. Elinandi Laudunensis episcopi. Signum Adalardi Suessionensis episcopi. Sign. Guidonis Ambianensis episcopi. Sig. Radulfi dapiferi. Sig. Radulfi comitis. Sig. Widonis comitis. Actum Lauduni anno Incarnati Verbi M. LXV. & regni Philippi quinto. Ego Balduinus relegendo subscripsi.

X.

Ex autographo.

Abbatiam Maurimontis instauratam ab Odolrico præposito & canonicis Remensis ecclesiæ, monachis confirmat Manasses archiepiscopus Remensis.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Ego Manasses gratia Dei Remorum archipræsul, notum fieri volui tam præsentibus quam futuris fidelibus, qualiter mihi placuerit corroborare & confirmare pium studium filii nostri Odalrici Remensis nostræ ecclesiæ præpositi, quod, Deo aspirante, tempore nostri prædecessoris G. usque ad nostra tempora vidimus illum super renovanda Maurimontis ecclesia infatigabili desiderio exercere. Hæc enim abbatia olim a Nantero comite sub numero XII canonicorum assidue Deo ibi famulantium copiose constituta, & cum omni (quæ erat multiplex familiis, terris, ceterisque redditibus) possessione ad victum canonicorum S. Mariæ tradita, sic violentorum manibus & possessorum incuria distracta & perdita defecerat, ut esset redacta ad titulum unius sacerdotis, qui raro accessu reliquiis sanctorum martyrum Callocerii & Parthenii ibi negligenter positis, famularetur. Quorum sanctorum martyrum negligentiæ & eorum abbatiæ destructioni zelo pietatis hic filius noster compatiens, cum consilio jam dicti præsidis & canonicorum consensu hanc ei loco perquisivit & fecit reparationem, ut ibi constitueret monachos, qui jugiter Deo & sanctis martyribus deservirent. Ad quorum usus & victum terras quas antiquitus eadem ecclesia possederat, eas quidem reddiderunt canonici sanctæ Mariæ, quæ infra sunt annotatæ: scilicet *Habancort* cum tribus mansis terræ, cum prato dominicato & silva magna; inter Viasnam & *Berzil* mansi VI & dimidius; in potestate Maurimontis mansi V; super Biunnam mansus unus; ad Summam-turbam * terra quæ reddit sex modios annonæ; ad Crucem terra quæ solvit denarios XII; ad Arvam terra multa; ad Moviam mansi duo; ad Burdones mansus unus cum familia multa. Concesserunt etiam canonici monachis de propriis sanctæ Mariæ bonis, quæ pariter assignata videntur, scilicet, ecclesiam de Maurimonte & partem de ponte suam, qui est in potestate Maurimontis. Reddiderunt præterea 1074.

* *vulgo Sommetourbe.*

canonici monachis paucam familiam unanimi consilio & fraterna pietate, concedentes & statuentes quod non liceret præposito sanctæ Mariæ aliquam exactionem vel potestatem exercere, vel in jus vocare homines sanctorum martyrum C. & P. pro qualicumque forefacto, nisi de redditibus terræ S. Mariæ, illos etiam solummodo qui in banno S. Mariæ morarentur. Retinuerunt autem sibi canonici in jus perpetuum, quod modernis & posteris voluit fieri manifestum, quod scilicet præpositus S. Mariæ homines S. Mariæ in banno sanctorum martyrum C. & P. morantes poterit pro qualicumque causa capere, querelare, in jus vocare ante se, sine infractione banni: istud etiam possunt exercere monachi in banno sanctæ Mariæ. Concesserunt denique sæpedicti canonici S. Mariæ monachis Maurimontensibus, tanquam propriis filiis, quos velut mater filios educare cupiebant, ut ad eorum ædificia seu cetera necessaria cœnobii sui, si quando necessitas se ingereret, de terris sanctæ Mariæ acciperent sine aliquo censu vel costumia danda, illas tantummodo quæ cultoribus vacant, nec aliquem redditum ministrant. Nostro quoque tempore rebus ipsius abbatiæ multiplicatis, ex petitione prædicti filii nostri O. unum de monachis ejusdem loci canonice electum fecimus in abbatem benedici, nostraque auctoritate firmavimus & firmatum sancimus ut quidquid idem filius noster O. præsenti scripto pia devotione distinxit, id observandum permaneat perpetuitate inviolabili. Quod si quis hæc pervertere, diminuere vel aliquo modo violare præsumpserit, illo quo Deus iratus percutit, anathemate feriatur. Anno ab Incarnatione Domini M. LXXIV. indictione XII. duodecimo calendas Novembris, epacta prima, regnante venerabili rege Philippo. Hanc chartam in generali synodo Remis corroboratam & confirmatam, ego Odalricus scripsi & subscripsi.

X I.

Ex autographo.

Rogeri III episcopi Catalaunensis privilegium de fundatione sui anniversarii in monasterio Catalaunensi sancti Petri.

1092. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Rotgerus tertius episcopus. Quia nostri est officii, ut nobis commissorum curam habeamus pervigilem, cum ubique res ecclesiarum ut nostras curamus, ob emolumentum mercedis animarum nostrarum laboramus. Omnis enim pontificali culmine præditus, cujus gratia ad quid præfertur debet attentius cogitare, cogitata enixius in augmentum provehere. Igitur omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium & nostrorum, tam præsentium quam futurorum memoriæ commendare volumus, Lambertum venerabilem ecclesiæ sancti Petri abbatem nobis a principio episcopalis sublimitatis nostræ & consilio & auxilio satis fidelem, præsentiam nostram adiisse, & ut ecclesiæ S. Petri qualibet concedendo subveniremus suppliciter postulasse, & ut constitueremus adhuc vivendo quatenus obitus nostri dies anniversarius in prædicta ecclesia solenniter ageretur diligentius suggessisse. Cujus salubri nobis hortatione exaudita & petitione suscepta, quia res ecclesiarum tutari atque augmentare debemus, concessimus præfatæ ecclesiæ principis Apostolorum altaria quædam pro salute animæ nostræ & omnium coepiscoporum perpetualiter; ita ut cum personæ altarium obierint, aliæ nullius interventione pecuniæ restituantur. Id autem muneris ab abbate & monachis accepimus, quod uno quoque anno in prædicta ecclesia anniversarius nostræ ordinationis celebrandus, post obitum vero nostrum anniversarius obitus nostri dies solenniter erit agendus. Quæ autem concessimus ei altaria sunt hæc: altare de S. Lupentio, altare de Possessa, altare de Waureio, altare de sancto Germano, altare de *Dalcurt*, altare S. Petri parrœchia, altare de sancto Johanne, altare de Maireio, altare de Solengia, altare de Roseto. Præterea cum Walterius comes de beneficio ecclesiæ beati Stephani in feodo apud Bussiacum teneret ecclesias duas, matrem scilicet & capellam unam, prædecessori meo secundo Rotgero capellam reddidit, ad hoc quidem ut prædicto beati Petri monasterio traderetur, quod ita factum est. Mihi quoque postea facto episcopo idem comes & matrem ecclesiam reddidit, quam ego pro animæ illius mercede & meæ eidem monasterio donavi. Debebat autem habere ecclesia S. Petri altare de villa quæ dicitur Galones, quod ut mihi concederet ab abbate impetravi, & ecclesiæ beati Stephani tradidi, & pro ipso beato Petro altare de sancto Leudomiro restitui. Si quis ergo hanc largitionem nostram adnullare vel infirmare, & hæc altaria suprascriptæ ecclesiæ auferre molitus fuerit, molitio ejus irrita habeatur, & ipse perpetuo anathemate damnetur. Et ut hoc ratum & immotum permaneat, chartam istam sigilli nostri impressione signavimus, & propria manu firmavimus. Altare autem de Camponia & capellam quam prædecessor meus eidem monasterio contulit, & ego laudo & concedo. Sign. Odonis archidiaconi. Signum alterius Odonis archidiaconi. Sign. Immari archidiaconi. Sig. David archidiaconi. Sig. Guarini decani. Signum Dudonis, Sig. Petri, Sig. Bosonis presbyterorum. Actum Catalaunis anno Incarnati Verbi M. XCII. indictione XV. epacta IX. concurrente IV. regnante Philippo in Gallia anno XXXIII. episcopatus autem Rotgeri tertii XXVI. Guarinus cancellarius recognovit, scribit & subscribit.

X I I.

Ex chartario S. Vitoni.

Urbani II papæ epistola ad Philippum Catalaunensem episcopum.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri Philippo Catalaunensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Frater iste lator præsentium apud nos conquestus est & se & fratres suos a quibusdam parochianis tuis, tam clericis quam laïcis, in ecclesia sancti Nicolai, constructa in silva quæ dicitur Lugolli, multis injuriis affectos, & eorum priorem de eadem ecclesia exturbatum. Quamobrem dilectioni tuæ præsentia scripta dirigimus, præcipientes ut eosdem parochianos tuos super hujusmodi injuriis ipsis fratribus satisfacere, & in posterum cessare compellas. De cetero etiam rogamus ut fratres ipsos pro amore beati Petri & nostro sub alarum tuarum munimine tuearis, & eos sub dispositione venerabilis Rodulfi Virdunensis abbatis quiete & stabiliter facias permanere. Fratrem quoque tuum Hugonem comitem, tam per nos quam per te rogatum volumus, ut eumdem locum pro animæ suæ salute tueatur & protegat, & infestatores ejus brachio suæ potestatis coerceat. Data Andegavis IV. idus Februarii. Circiter 1095.

X I I I.

Ex Camuzato & Sammarthanis.

Bulla Paschalis II papæ de fundatione monasterii Cheminonensis.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Alardo præposito & ejus fratribus, salutem & apostolicam benedictionem. Austri terram inhabitantibus per Prophetam Dominus præcipit, cum panibus occurrere fugienti. Idcirco nos, filii carissimi, de seculo fugientes gratanter excipimus, & per sancti Spiritus gratiam sedis apostolicæ munimine confovemus. Vitæ namque canonicæ ordinem, quem secundum beati Augustini regulam professi estis, præsentis privilegii auctoritate firmamus, & ne cui post professionem exhibitam proprium quid habere, nève sine præpositi vel congregationis licentia claustri 1103.

coarctationem deserere liceat, interdicimus, juxta A quod scilicet claustrum in silva *Luyz* totum illud allodium vobis vestrisque successoribus in eadem religione victuris, quietum ac liberum perpetuo sancimus, quod Alaidis comitissa vobis filiorum suorum consensu Philippi Catalaunensis episcopi & Hugonis comitis, delegavit. Tota igitur terra circa ecclesiæ vestræ ambitum sita, quantum unius leugæ medietas tenet, cum aquis & lignis, seu ceteris usibus, sic in vestro semper jure servetur, ut nulli omnino liceat præter vestram illic voluntatem operis aliquid exercere, nec episcopis vel quibuslibet ecclesiarum ministris facultas sit de ipsius terræ frugibus quæ domus vestræ laboribus colitur, decimas, aut terragium vel molestias irrogare, quatinus omnipotenti Domino liberiorem famulatum valeatis impendere. Præterea B quæcumque prædia, quæcumque bona in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eamdem ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione commissa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua sane ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, C reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri redemptoris Jesu Christi aliena fiat, &c. Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus. Datum Beneventi per manum Joannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, IX. calend. Octobris, indictione XI. anno Dominicæ Incarnationis M. CIII. pontificatus autem domini Paschalis papæ II anno IV.

X I V.

Ex Sammarthanis.

Donatio Hugonis Campaniæ comitis, facta monasterio Cheminonensi.

1110. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris D & Filii, & Spiritus sancti. Hugo comes Campaniæ, Teobaldi filius, concedo Deo in manu fratris Alardi, quemdam locum qui vocatur *Cheminon*, cum aqua, lignis, banno & justitiis, seu ceteris usibus, in perpetuum; Hitambardus quoque Dodo Heberti filius, Richerus Pontigonensis, & Lambertus Belemensis, concedunt similiter partem quamdam de feodo quam a prædicto comite tenent, sicut tres termini qui nominandi sunt, monstrabunt, & ibi ecclesiam in honorem beati Nicolai fabricari jussimus, fratresque ibidem regulariter victuros cum prædicto Alardo congregare studuimus. Habet vero fines ac terminos nominatos, a prædicta ecclesia usque ad viam Barrensem sancti Verani, qua transit aqua *Cheminon*, & eidem via ducente quantum tenet fagosum nemus, E & inde mutato itinere usque ad stirpem Fulcradi, & usque ad rivulum a prædicta ecclesia extremum, qui vocatur Braidis, eodemque ducente usque ad aquam *Brusson*, & ultra ipsum in latitudine quantum jactus est balistæ; in longitudine vero juxta ripam prædictæ aquæ, usque ad Francvadum; a Francvado quoque obliquo tramite circumeundo, usque ad cotem unum milliarium continens; a cote autem usque ad Calcifurnum qui est juxta fluviolum nominatum *Currat*; ab ipso vero usque ad campum Vallis-Rainaldi secus Durfossum, usque ad prædictam viam Barrensem sancti Verani super aquam *Cheminon*. Præterea per totum nemus, tam in alodio quam in feodo, pascua omnibus animalibus canonicorum & omnium hominum suorum absolute sine aliquo censu, & ligna ad proprios usus, ego prædictus comes & prædicti milites concessimus. Post multum vero temporis domnus Richardus Albanensis episcopus, sedis apostolicæ legatus, a nobis quæsivit aliquem locum ad serviendum Deo idoneum sibi dari. Audiens autem hoc, & in animo meo revolvens a Domino Deo principatum potestatemque ligandi & solvendi beato Petro traditam, & desiderans ejusdem Apostolorum principis meritis & defensione a præsentibus futurisve liberari periculis, regnique cœlestis eodem clavigero mediante, mihi patere introitum, consilioque domini Hugonis Catalaunensis episcopi accepto, & prædicti Alardi ceterorumque fratrum consensu, prædictum legatum ad dedicationem invitavimus, ubi iterum locum eidem beato Petro & vicario ejus domno papæ Paschali II omnibusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum concessimus. Insuper totam aquam *Brusson* a prædicto Francvado usque ad longum vadum, & totam terram Culmontis (quem nos nunc Bellini-montem vocamus) cum pratis, silva, banno & justitiis, seu ceteris usibus, libere & absolute ego prædictus comes ecclesiæ prædictæ concedo perpetualiter. Villam quoque adjacentem, consilio & hortatu prædicti legati, ad adjutorium & sustentationem canonicorum ibi fieri præcepi, donans eis quidquid banni, justitiarum, seu aliæ libertatis in eodem loco habebam, quatenus omnipotenti Deo liberiorem valerent impendere famulatum. Facta est autem ipsa postrema donatio anno ab Incarnatione Domini M. CX. indict. IV. Hujus primæ donationis testes sunt Odo Castellanus, Jorranus, Wido frater ejus, Albertus instans*, Wido de Sterpeio. Ita apud Sammarth.

X V.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Dedicatio basilicæ Cheminonis a Richardo Albanensi episcopo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. 1110. Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod ego Richardus episcopus Albanensis, in Galliæ partibus sedis apostolicæ legatus, ecclesiam beati Nicolai in silva *Luyz* ab ædificationis exordio in apostolicæ sedis possessionem jusque suscepi, ecclesiam & atrium benedixi; ita scilicet ut fratres ibi sub regula beati Augustini degentes, cum omnibus hominibus in eodem loco habitantibus, sub nullius episcoporum jure tenerentur, sed libere & absolute omnia quæ eis essent necessaria, videlicet in oleo & chrismate, & sacris ordinibus a quolibet catholico episcoporum acciperentur. Ista omnia feci bonæ memoriæ episcopo Catalaunensi Hugone concedente, & Hugone comite totius Campaniæ volente atque hortante, qui interfuit prædictæ dedicationi ecclesiæ, & totum territorium Culmontis eidem donavit. Ad indicium autem perceptæ libertatis a Romana ecclesia quindecim Catalaunensis monetæ nummos quotannis Lateranensi palatio persolvi præcepi. Si qua igitur in posterum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non emendaverit, a sacratissimo corpore & sanguine Domini redemptoris Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Actum hoc apud Albanum VII. idus Decembris, Incarnationis Dominicæ anno M. CX.

X V I.

Ex autographo.

Compositio inter Hugonem episcopum Catalaunensem & abbatiam Virtudensem.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Hugo 1111. Catalaunensis episcopus. Quotiens ad quietem servorum Dei ecclesiis aliquid providemus, firmum id &

id & stabile credimus, si scripto signatum mittatur ad posteros, ideo fidelium notitiæ commendamus, quod inter nos & abbatem Virtuensem Anscherum habita diu de parochiali cura multa discordia, tandem Deo volente in præsentia nostra & fratrum nostrorum, mediante Elberto archidiacono, collaudante & confirmante venerabili papa Paschali de cura præfatæ Virtuensis ecclesiæ, hoc modo facta est pax & concordia. Suscipiens idem Anscherus de nostra manu eamdem curam promisit nobis & archidiacono nostro subjectionem & servitium in omnibus quæ episcopus vel archidiaconus a suo presbytero exigere & ille eis debet exhibere pro commissæ ecclesiæ cura & beneficio, quod & fecit dum ille ecclesiam administravit: decedente autem eo, & domno Hugone in abbatem illi ecclesiæ ordinato, eamdem ei curam concessimus & in eo omnibus successoribus ejus habendam perpetuo & concessam ecclesiæ firmavimus, sicut præscriptum est ejus prædecessorem Anscherum habuisse; si autem episcopus & archidiaconus propter suas opportunitates ab aliis communitatibus diœceseos presbyteris aliquod servitium vel auxilium expostulaverit, loci ejusdem abbas illud idem persolvet, seque episcopo & archidiacono ita in omnibus subjectum exhibebit, sicut vicinorum quilibet sacerdotum; quod nisi fecerit, in arbitrio nostro erit per beneficium prædictæ ecclesiæ justitiam nobis facere de ipso abbate, ut de quolibet alio sacerdote. Hujus autem concessionis scripta quisquis mutare vel minuere præsumpserit, auctoritate Dei & nostra a corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi & fidelium consortio alienus existat. Anno Incarnati Verbi M. CXI. indictione III. regnante in Gallia rege Ludovico, & episcopante Cathalaunis Hugone episcopo. Rainaudus cancellarius scripsit & subscripsit. Sign. Elberti, Signum Odonis, Sig. alterius Odonis archidiaconorum. Sig. Odonis archidiaconi & decani. Signum Rogerii thesaurarii. Sign. Warneri cantoris. Signum Benedicti, Signum Oberti, Sign. Hugonis abbatum. Sign. Petri, Sign. Henrici, Sign. Andreæ presbyterorum. Signum Odonis, Signum Radulfi, Sign. Rogeri diaconorum. Sign. Hugonis, Signum Anscheri, Signum Widonis subdiaconorum.

XVII.

Ex tabulario Trium-fontium.

Charta Hugonis comitis Vitreiensis de primordiis utriusque abbatiæ Cheminonis & Trium-fontium.

1116. HUGO Dei gratia Vitreiensium comes, omnibus catholicæ ecclesiæ fidelibus salutem. Notum sit omnibus quod illam divisionem silvæ quæ dicitur *Luiz*, quam fieri jussi per Petrum Vitreii præpositum & per majores ejusdem silvæ, id est Milonem de *Secru*, Walterum, Wiardum & alios, Alardo sacerdoti ceterisque confratribus in oratorio sancti Salvatoris, quod in eadem parte situm est, canonice & regulariter vivere volentibus, in manibus Guillermi Cathalaunensis ecclesiæ episcopi dereliqui, Alardo præcipiens ut quod a me postulabat, a confratribus ecclesiæ Compendiensis acciperet, & quod ipsi concederent episcopus sibi confirmaret. Testes sunt Gaulterus, Rainerus, Albericus de *Chiminum* sacerdotes. Divisio talis est: a fossa quæ dicitur Mater-Martii, secundum quod descendit rivulus Lupina fossa dictus, usque ad lapides qui sunt meta terrarum; & a lapidibus secundum quod terra dividitur, descendendo ad Tresfontes; & ab illis sicut descendit rivulus de *Chiminum* ad viam sancti Verani quæ ducit ad Castrum-barri; inde vero sicut via dirigitur ad prædictam fossam quæ est Mater-Martii; hanc terram & quidquid in ea accipiebamus, eis habere reliquimus. Insuper ad opus eorum quidquid necesse fuerit per aliam silvam accipiant. Similiter & porci eorum & cetera pecora, nec pasnagium nec aliquam consuetudinem reddant, & de feodo nostro quidquid eis concessum fuerit secure possideant. Testes sunt Guido archidiaconus ac thesaurarius Laudunensis ecclesiæ, Odo archidiaconus de Roseio qui divisionem fecerunt. Hæc omnia habitatores loci illius per manum Guillermi episcopi Cathalaunensis dederunt Bernardo Claraevallis abbati, concedente Hugone comite, ad abbatiam construendam; quod & factum est. Actum Vitreio anno ab Incarnatione Domini M. CXVI. sub rege Ludovico.

XVIII.

Ex tabulario Cheminonensi.

Donatio facta monasterio Cheminonensi ab Odone decano & canonicis S. Cornelii Compendiensis.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. 1116.
Universis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris denunciando notum esse volumus, quia in capitulum sanctæ Compendiensis ecclesiæ beatorum martyrum Cornelii & Cypriani coram decano Odone, Johanne cantore ceterisque fratribus, quidam fratres de cella sancti Nicolai, quæ est in sylva *Luvis* super *Chemynon*, domnus scilicet Alardus atque Albricus venerunt, rogantes ut omnes redditus loci in quo habitant, eis concederemus, censu quem quotannis persolverent instituto. Constabat enim per multa circumquaque spatia totum ad sanctam Compendiensem ecclesiam ex dono regum antiquitus pertinere. Quia igitur legitima desiderantium non est differenda petitio, tam eis quam eorum successoribus ibi Deo famulantibus concedimus, & indivulse firmamus, ut singulis annis proxima ante medium Quadragesimæ Dominica sæpedictæ ecclesiæ & præpositis, aut eorum ministerialibus apud Pontigonem XI solidos Cathalaunensis bonæ monetæ & probatæ prædicti loci fratres censum pro omnibus suarum rerum omniumque ibidem habitantium persolvant redditibus, & quicquid terræ, seu nemoris vel aquarum est usque ad Cotem & Calcis furnum, vallemque Rainaldi, & campum qui vocatur *Dursosson*, & viam Barrensem sancti Verani, & stirpam Fulcradi, & extremum rivulum qui vocatur Braidis, & Francvadum quod est in aqua *Brosson*, & ultra sedem Hilduini, quantum est jactus balistæ, & totam terram Culmontis cum aqua & lignis, seu etiam ceteris usibus, præter redecimationem de dominio comitis, si ibi fuerit, quiete teneant. Et ut inviolabilis hæc conventio permaneret, hoc cyrographum ad rei memoriam utrisque constitutum fuit. Quod si quis perditionis filius huic nostræ concessioni ullomodo obviare præsumpserit, anathematis gladio percussus cum Juda proditore Domini, cum Dathan & Abyron, sine fine locum perpetuæ damnationis obtineat. Actum est Compendii anno ab Incarnatione Domini M. CXVI. indictione IX.

XIX.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Privilegium Calixti papæ, quo confirmatur decretum concilii Bellovacensis de discordia inter Guillelmum episcopum Catalaunensem & canonicos Cheminonenses, quibus Richardus Albanensis episcopus immunitatem nimiam indulserat.

CALIXTUS episcopus, servus servorum Dei, 1120.
Alardo abbati & ejus fratribus in ecclesia beati Nicolai regularem vitam professis, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Locum vestrum & beati Nicolai ecclesiam in silva *Luviz* confrater noster bonæ memoriæ Richardus Albanensis episcopus, tunc apostolicæ sedis in partibus illis vicarius, ab ædificationis exordio, sicut ex scripto ejus comperimus, in apostolicæ sedis possessionem jusque suscepit, ecclesiam & atrium benedixit, & ab omnium episcoporum jure emancipavit: quod domnus præde-

cessor noster sanctæ memoriæ Paschalis papa decreti sui auctoritate firmavit. Cum autem nos in Galliarum partibus pro ecclesiæ servitio moraremur, coram nobis & fratribus nostris apud Belvacum a te quæremonia facta est, pro eo quod frater noster Guillelmus Catalaunensis episcopus locum ipsum in ejus parochia constitutum vehementius infestaret; unde fratres nostri qui nobiscum aderant eumdem episcopum caritate debita convenerunt, ut aut ab infestatione illa desisteret, aut si se in causa hac prægravatum crederet, plenariam a nobis justitiam accepturus, quiete atque pacifice gravamen suum exponeret. Tunc ille tanquam vir religiosus & sapiens, accepto fratrum suorum qui secum erant consilio, ad honorem Dei & apostolicæ sedis reverentiam, si quid minus in prædicti loci & ecclesiæ oblatione fuerat se completurum episcopali benignitate respondit. B In nostra ergo & fratrum nostrorum Cononis Prænestini, Lamberti Hostiensis, Leodegarii Vivariensis, Clarembaldi Silvanectensis, & Petri Belvacensis episcoporum, & cardinalium Bosonis sanctæ Anastasiæ, & Johannis sancti Chrysogoni presbyterorum; Petri sanctorum Cosmæ & Damiani, Gregorii S. Angeli, Chrysogoni sancti Nicolai, & Romani sanctæ Mariæ in Porticu diaconorum præsentia, idem venerabilis frater Guillelmus Catalaunensis episcopus sæpedictum locum & ecclesiam sancti Nicolai in silva *Luviz*, in jus proprium & omnimodam libertatem beato Petro & ejus ecclesiæ Romanæ concessit, & in manu nostra omnem deinceps calumniam inde refutavit; nos vero ejus dulcedinem ac benevolentiam attendentes, tam ipsi quam ipsius catholicis successoribus, C clericorum ad sacros ordines promotiones, chrismatis & olei dationem, si gratis ac sine pravitate voluerint exhibere, concessimus: alioquin liceat vobis catholicum quem malueritis adire antistitem, & ab eo eadem sacramenta suscipere. Sane de presbytero qui populum regere debebit, statuimus ut a canonicis electus episcopo præsentetur, & ab eo curam animarum suscipiat, eique inde rationem reddat, & vocatus ad synodum ejus vadat. Universa igitur, prout superius distincta sunt, nos auctoritate sedis apostolicæ confirmamus, & illibata futuris temporibus confirmari sancimus. Præterea prædicti domini nostri Paschalis papæ vestigia subsequentes, vitæ canonicæ ordinem quem secundum beati Augustini regulam professi estis, cooperante Domino roboramus, & ne D cui post professionem exhibitam proprium quid habere, neve sine abbatis vel congregationis licentia claustri cohabitationem deserere liceat, interdicimus. Obeunte te nunc ipsius loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem providerint regulariter eligendum, electus a Romano pontifice confirmetur. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse censemus, ut eorum qui illic sepeliri deliberaverint devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat. Porro terra circa ecclesiæ vestræ ambitum sita, sicut in scripto Hugonis comitis continetur, tota usque ad Cotem, Calcis furnum, vallem E Rainaldi, campum *Dursosson*, viam Barrensem sancti Verani super aqua *Chimenon*, stirpam Fulcradi, extremum rivulum Braydis, Francvadum quod est in aqua *Brosson*, & ultra sedem Hilduini quantum est jactus balistæ, & tota terra Culmontis cum aqua & lignis, seu ceteris usibus, sic in vestro semper jure ac successorum vestrorum quieta & libera conservetur, ut nulli liceat hominum præter vestram illic voluntatem operis aliquid exercere, nec episcopis vel quibuslibet ecclesiarum ministris facultas sit de ipsius terræ frugibus, quæ domus vestræ laboribus colitur, decimas aut terragium exigere, vel molestias irrogare: villam etiam adjacentem in ea quæ a prædicto comite con-

A cessa & scripto firmata est libertate permanere decernimus. Ad hæc universa prædia & bona quæ vel inpræsentiarum legitime possidetis, vel in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus ecclesiam sanctæ Oeildis cum omnibus ad eam pertinentibus proprio duximus nomine annotandam. Nulli ergo hominum liceat sæpedictam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis ausibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Ad indicium autem juris ac possessionis Romanæ ecclesiæ, necnon & libertatis vestræ, decem Catalaunensis monetæ solidos quotannis Lateranensi palatio persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen. Ego Calixtus catholicæ ecclesiæ episcopus signavi. Ego Lambertus episcopus Hostiensis interfui & signavi. Ego Petrus diaconus cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani, interfui & signavi. Ego Gregorius diaconus cardinalis S. Angeli, interfui & signavi. Ego Romanus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu, interfui & signavi. Data Cluniaci per manum Chrysogoni sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis ac bibliothecarii, nonis Januarii, indictione XIII. Incarnationis Dominicæ anno M. CXX. pontificatus autem domni Calixti secundi papæ anno primo.

XX.

Privilegium Innocentii papæ in gratiam canonicorum S. Memmii Catalaunensis recens regularium. *Ex autographo.*

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Stephano abbati ecclesiæ S. Memmii, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum. Officii nostri nos hortatur auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, & earum quieti & utilitati salubriter, auxiliante Domino, providere; dignum namque & honestati conveniens esse cognoscitur, ut qui ad earum regimen assumpti sumus, eas a pravorum hominum nequitia teneamus, & beati Petri atque apostolicæ sedis patrocinio muniamus. Proinde, dilecte in Domino fili Stephane abbas, ecclesiam sancti Memmii, cui, Deo auctore, præesse dignosceris, sub apostolicæ sedis protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona præfata ecclesia inpræsentiarum juste & legitime possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, oblatione fidelium, præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Sane per hoc apostolicæ sedis privilegium, constituimus ut post secularium canonicorum decessum nullus in prædicta beati Memmii ecclesia nisi regularem vitam professus, substituatur canonicus, ac decedentium canonicorum præbendæ in usus fratrum regularium redigantur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, nullus ibi abbas nisi regularis canonicus & secundum beati Augustini regulam

1131.

subrogetur, decernimus . . . . . Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus, &c. . . . . Datum Jotri per manum Aimerici sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, v. calendas Martii, indictione IX. Incarnationis Domini M. CXXXI. pontificatus autem domini Innocentii papæ anno secundo.

XXI.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Literæ Theobaldi IV Campaniæ comitis, pro monasterio Andeciarum.

1131. EGO Theobaldus comes Blesensis notum facio tam præsentibus quam futuris, quod vir nobilis Simon dominus Brecensis, laude & assensu uxoris suæ Felicitatis & liberorum suorum, videlicet Hugonis, Simonis & Emelinæ, tradidit & concessit Deo & beatæ Mariæ, & sanctimonialibus quas de Julliaco adduxit, locum Vivi-fontis & Andeciæ libere & quiete sub constitutione regulari perpetuo possidendum, pro animæ suæ necnon antecessorum salute: tradidit etiam præfato loco & habitantibus in eo, terram & boscum sicut pertendit per viam Baïæ usque ad fossam de *Anglot*, & de prædicta via Baïæ sicut ducit per nemus de *Mallet* usque ad Montem-Rollani, & de via Montis-Rollani per media arpenta sicut separatur a via Coherardi, & sicut ducit inter *Mellicroste* & vetus Andecium, per campum *Piri* usque ad rivum Paludis, & de rivo Paludis usque ad forestam *Congei*, & sicut foresta *Congei* extenditur usque ad fossam de *Anglot*, & quidquid continetur infra has divisiones prænominatas, libere & quiete perpetuo possidendum: tradidit similiter idem Simon præfatæ domui, molendinum de Turbillione cum omnibus appenditiis suis & pascuis adjacentibus, & forestam Turbillionis ad conservandum, si habitatores ejusdem loci voluerint, vel extirpandum; & sex arpenta prati in alneto Turbillionis: tradidit etiam eidem domui duas partes in molendino quod est secus ecclesiam de Baïa, in omnibus utilitatibus & redditibus; tertiam vero partem tenent Garnerus & Theobaldus pro facturis ejusdem molendini: insuper dedit ei memoratus Simon viginti quatuor sextarios bladi annuatim in molendino Hermenondi decani perpetuo possidendos, & pratum quod dicitur beati Petri, & decimariam de Villavenardi & *Joche*, sicut ad duas ecclesias dictarum villarum appendit: tradidit etiam dictæ domui & omnibus appenditiis ejus usuarium omnium nemorum suorum, & quidquid acquirere poterit in terra sua, tam in eleemosyna quam in emptione & essartis, & omnia pascua terræ suæ ubicumque jacebunt: tradidit etiam ei portam Berengerii de Brecis pro oleo lampadis dormitorii ejusdem domus, & portagium duarum portarum Brecensium, scilicet portæ Berengerii & portæ quæ dicitur de *la Gate*, pro pitantiis dominarum dictæ domus in Quadragesima, & duos modios vini in cellario suo apud *Brecas* de vinagiis suis, & viridarium suum juxta domum Leprosorum: dedit etiam eidem domui viridarium suum de Baïa, & locum Anglituræ, & terram quantum carruca una omnibus sationibus excolere poterit, & pasturam a loco qui dicitur Vetus-navigatio usque ad fontem Drusim, ad prata facienda; terragium vero atque decimam terræ illius de qua ipse Simon & Manasses dominus Plajotrensis contendebant, quæ sita est intra Montem-Avotum & Conantrium, unde contentio in mea præsentia fuit sopita, præfatis donis adjunxit, ita quod quicumque terram illam excoluerint, terragium illius atque decimam domui præfatæ persolvent: Simon autem tantum justitiam hujus terræ sibi retinuit, sed justitiam omnium nemorum quæ idem loco tradidit, ei habendam concessit: tradidit etiam eidem domui decimam de *Ormes* grossam & minutam, & census de atrio ejusdem villæ, & omnes mansiones quas in

A eadem villa habent: insuper tradidit & grangiam de Anglitura cum omnibus appenditiis suis, & grangiam de *Nuisement* cum omnibus appenditiis suis, & decimam a via quæ de Ramberco veniens ducit ad domum sancti Nicolai, & de domo sancti Nicolai usque ad rivum qui dicitur *Herbision*, & extenditur usque ad decimariam de *Ormes* & per vallem de Plumeriis: tradidit etiam eidem domui in furno de Libauderiis unum quarterum panis pro & per quam libet septimanam, & concessit ei quidquid de casamento ejus acquirere poterit in perpetuum, & si quis de terra sua vir & mulier in eadem domo habitum religionis sumere, vel de suis rebus in eleemosynam voluerit aliquid erogare, bonam & liberam licentiam concessit eis id faciendi. Nobilis autem B vir Hugo dominus Montis-Mauri, laude & assensu Lætitiæ uxoris suæ & filiarum suarum Elvidis & Isabellæ, pro salute animæ suæ dedit præfatæ domui quidquid habebat in omnibus modis & commodis a via Montis-Rollani per media arpenta, sicut separatur a via Coherardi, & sicut ducit inter *Mollecroste* & Vetus-Andecium per campum *Piri* usque ad rivum Paludis, & de rivo Paludis usque ad forestam *Congei*, & sicut foresta *Congei* extenditur usque ad fossam de *Anglot*, quod infra has divisiones habebat, dedit ei libere & quiete perpetuo possidendum: concessit etiam eidem domui idem Hugo & omnibus appenditiis ejus usuarium in omnibus nemoribus suis ad omnes sibi necessarios: insuper dedit ei quæstum in tota terra sua, tam in eleemosyna quam in emp- C tione vel essarto, & pascua in tota terra sua ad opus animalium prædictæ domus: concessit etiam quod quicumque ex hominibus suis vir vel mulier habitum religionis in eadem domo sumere vel de suo dare voluerit, bonam haberet licentiam id faciendi: insuper dedit ei terram ad duas carrucas, quantum omnibus sationibus excolere potuerit, ab omni consuetudine liberam & quietam: dedit etiam idem Hugo dictæ domui molendinum de Marollo, & molendinum quod sedet inter ecclesiam Montis-Mauri B. Petri & Aurifabros: & quia dictus Hugo sigillum non habuit, ad petitionem ejus feci hæc dona conscribi, & sigillo meo communiri. Manasses etiam dominus Plajotri, laude & assensu Helvidis uxoris suæ & Joannis filii sui, dedit in eleemosynam eidem domui & omnibus appenditiis ejus usuarium omnium D nemorum suorum, præter quam de nemore quod propria Foresta vocatur, & dedit ei pascua terræ suæ ad opus omnium animalium ejusdem domus: voluit & concessit idem Manasses quod quicumque de terra sua & hominibus suis, vir vel mulier habitum religionis sumere in eadem domo, vel de rebus suis dare voluerit, bonam & liberam haberet licentiam id faciendi: insuper dedit ei & concessit quidquid in terra sua acquirere poterit, tam in eleemosyna quam in emptione & essarto; & quia dictus Manasses sigillum non habuit, hæc prædicta dona sua quæ de feodo meo movebant, ad ejus petitionem volui ea pariter & laudavi, & sigilli munimine roboravi. Helias autem dominus Montis-mirabilis præfatæ domui in eleemosynam dedit quatuor libras annui redditus, vide- E licet in censu Montis-mirabilis quadraginta solidos, & in censu Firmitatis-Galteri quadraginta solidos termino sancti Remigii persolvendos: insuper concessit quidquid acquirere poterit in terra sua, tam in emptione quam in eleemosyna & essarto, & voluit quod quicumque de terra sua vel hominibus suis, vir vel mulier in eadem domo habitum religionis sumere, vel de rebus suis in eleemosynam dare voluerit, bonam haberet licentiam id faciendi: insuper dedit ei pascua totius terræ suæ ad opus omnium animalium ejusdem domus. Ansellus etiam dominus Trianguli dedit memoratæ domui decimam grossam de *Chemines*, & dedit ei quicquid acquirere poterit in terra sua, tam in emptione quam in eleemosyna

& essarto, & voluit quod quicumque de terra sua vel hominibus suis, vir vel mulier habitum religionis in eadem domo sumere, vel de rebus suis in eleemosynam dare voluerit, bonam haberet licentiam id faciendi : insuper concessit ei pascua totius terræ suæ ad opus animalium omnium ejusdem domus. Guido autem miles de Sancto-Memorio dedit ei domui grangiam de *Soisy*, & terram quantum una carruca omnibus sationibus excolere poterit, ab omni consuetudine liberam & quietam, laude & voluntate Ansells domini Trianguli, de cujus feodo terra movebat. Odo vero de Cella juxta Montem-mirabilem dedit eidem domui duas partes decimæ Cellæ in omnibus modis & commodis, laude & voluntate memorati Heliæ domini Montis-mirabilis, de cujus feodo terra movebat. Maria vero de Brecis dedit eidem domui tertiam partem decimæ de *l'Echeriis* grossæ & minutæ in omnibus modis & commodis, laude & voluntate memorati Heliæ, de cujus feodo terra movebat. Drogo etiam miles de *Laschy* dedit eidem domui quartam partem decimæ de *Boissy-le-repos* in omnibus commodis, & duos solidos in censu sancti Martini, laude & voluntate supradicti Heliæ, de cujus feodo ista movebant. Guido etiam miles de *Maisy* dedit eidem domui grangiam de *Entresme* cum omnibus appenditiis, ab omni consuetudine liberam & quietam, laudante me & volente, de cujus feodo terra movebat. Henricus miles Laudunensis dedit eidem domui tertiam partem decimæ sancti Remigii ad tertium annum, in omnibus modis & commodis, laude mea, de cujus feodo ista movebant. Bertrandus de *Lucimont* dedit eidem domui tertiam partem molendini de Sancto-Martino super Bloysam in omnibus modis & commodis, & boscum & terram adjacentem pro factura molendini : & idem Bertrandus dedit eidem domui ibidem piscationem usque ad *Soigni*, laude Castelli Victriaci. Ego vero dedi memoratæ domui duas partes decimæ de *Marsigny* in omnibus modis & commodis, & in tractu, & dedi ei usuarium omnium nemorum meorum, & nemoris mei quod communia dicitur, quod est inter Montem-Mauri & *Congei*, laude & assensu Simonis domini Brecensis, & Manasseii domini Plajotri qui in eodem nemore partem habent; & dedi etiam eidem domui pascua totius terræ meæ ad opus omnium animalium ejusdem domus : volui etiam & concessi quod quicumque de terra mea vel hominibus meis, vir vel mulier in eadem domo habitum religionis sumere, vel de rebus suis in eleemosynam dare voluerit, bonam & liberam licentiam habeat id faciendi : insuper dedi ei & concessi quicquid in terra mea acquirere poterit, tam in emptione quam in eleemosyna vel essarto. Præcepi etiam omnibus servientibus meis quod dictam domum & omnia ad eam pertinentia, sicuti res meas proprias custodiant & conservent, nec ullo modo eidem molestiam inferre patiantur vel gravamen. Quod ut ratum & inconcussum permaneat in perpetuum, testibus qui huic facto interfuerunt annotatis, præsentes literas fieri volui sigilli mei appensione munitas. Ursus Castri-Thierici præpositus, Odo Rubertus Sezaniæ præpositus, Radulfus Pescanis de Virtuto. Actum est hoc publice anno Verbi Incarnati millesimo centesimo trigesimo primo. Data per manum Guillermi clerici mei.

XXII.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Charta fundationis abbatiæ Monasterii in Argona.

1134. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Gaufridus Catalaunensis ecclesiæ minister humilis. Si utilitatibus ecclesiarum, si necessitatibus in eis Christo famulantium ad petitionem eorum quibus commissæ sunt providemus, opus caritatis & officium pontificis exercemus. Notum sit igitur tam præsentibus quam futuris, quod locum & ecclesiam quæ Monasterium dicitur, dedimus Eustachio venerabili abbati sanctæ Dei genitricis Mariæ & fratribus ibidem Deo servientibus posterisque ipsorum, cum decima ejusdem parochiæ, & silva cum pratis, terris cultis & incultis, liberam & absolutam ab omni costumia & inquietatione episcopi, archidiaconi & decani, in ea tamen subjectione Catalaunensi ecclesiæ & obedientia, ut ad consulendum nobis & capitulo beati protomartyris veniant, quotiens episcopus vel archidiaconus eos vocaverit. Ordinamus etiam & firmamus ut quicumque hactenus capellam Summellæ tenuerit, costumias quas mater ecclesia, Monasterium scilicet, antiquitus debuerat episcopo, archidiacono & decano, in perpetuum solvat, habeatque præter silvam quidquid est intra fines ipsius Summellæ de Monasterii parochia. Ad hæc Petrus de Atheio & nepos ipsius Gippuinus, assensu & concessione domni Galberti Catalaunensis & Milonis de Cernone, concesserunt & dederunt eidem abbatiæ ob remedium animarum suorumque prædecessorum, alodium quod habebant a vado *Ositremont* usque ad terram de *Noviers* juxta Summellam, & a terra de *Noviers* per Fornoneiem juxta Algicurtem usque ad Bercholtham, & de Bercholtha ad *Wambais* juxta *Hattummaisnil*, usque ad locum ubi cadit *Wambais* in *Gelestre* & de *Gelestre* usque ad *Ositremont*. Hæc igitur & quicquid a modo pie dictæ sanctæ Dei Genitricis ecclesiæ donabitur concessione pontificum, liberalitate principum, oblatione fidelium, sine contradictione tenenda sigilli nostri munimine firmamus, testes assignamus; & si cuiquam importunitas de cetero hæc mutare & cassare præsumpserit, anathematis vinculo innodamus eum. Signum Stephani, Sig. Odonis, Sig. Reinerii, Sign. Guidonis archidiaconi. Sig. Ancheri decani. Signum Johannis, Sig. Wiberti, Sig. Walteri presbyterorum. Signum Guarnerii, Sign. Petri diaconorum. Signum Bononis. Sig. Hugonis. Sig. Segardi. Sig. Guiardi. Actum Catalaunis anno ab Incarnatione Domini M. CXXXIV. epacta XII. concurrente VI. Walterius cancellarius scripsit.

XXIII.

Ex tabulario Trium-fontium.

Charta Gaufridi episcopi Catalaunensis donationes præcipuas monasterio Trium fontium a Petro Cluniacensi, Atone sancti Eugendi & Benedicto sancti Petri ad Montes abbatibus, atque canonicis Compendiensibus factas confirmantis.

GAUFRIDUS Dei gratia Catalaunensis ecclesiæ minister humilis. Notum sit omnibus P. Cluniacensem abbatem, A. abbatem sancti Eugendi, P. abbatem sancti Petri Catalaunensis, decanum & capitulum Compendiensis ecclesiæ, singulos videlicet sub testimonio sigilli sui & assignatorum testium, petitione domni Bernardi abbatis Claræ-vallis, privilegium fecisse abbati & fratribus Trium-fontium super his quæ eis concesserunt & dederunt, in hæc verba : 1136.

» Venerabili domno Guidoni abbati & fratribus de Tribus-fontibus, Petrus Cluniacensis abbas, salutem & dilectionem. A domino & amico nostro Bernardo Claræ-vallis abbate quem plurimum diligimus rogati, concedimus vobis & fratribus vestris, quos in eodem caritatis affectu habere cupimus, decimam illam deinceps possidere liberam quam a vobis fratres nostri de Baudovillari accipere solebant. Hoc etiam donum esse factum vobis innotescimus, cum consilio & personarum laude Cluniaci. Signum domni Bernardi prioris. Signum Bernardi de Meleiaco. Signum Jarentonis. Sign. Gaufridi prioris de sancta Margareta. Sig. Gigonis camerarii. Valete memores nostri, fratres dilectissimi. «

Ado Dei gratia ecclesiæ sancti Eugendi Jurensis «

» abbas, notum facio omnibus, quod ego stabilivi in capitulo ecclesiæ Sarmatiensis, laudantibus omnibus fratribus, atque consentientibus tam monachis quam conversis, quod ecclesia eadem Sarmatiensis singulis annis, Dominica proxima ante mediam Dominicam Quadragesimæ, sex solidos Catalaunensis monetæ pro ecclesia sanctæ Mariæ de Tribus-fontibus, canonicis sancti Cornelii Compendiensis persolveret. Testes Robertus prior ejusdem loci, Girardus, Milo. Affuerunt & isti quos domnus Ebalus Dei gratia Catalaunensis episcopus, misit ad hoc audiendum: Radulfus abbas sancti Petri, & magister Rainerus.

» Ego Benedictus abbas sancti Petri, & universi ejusdem ecclesiæ fratres, domni Guillelmi Catalaunensis episcopi & Bernardi Clarævallis abbatis preces suscepimus, & ecclesiæ beatæ Mariæ quæ sita est in silva *Luiz*, in loco quem incolæ Tres-fontes appellabant, alodium quod apud Lombracum habebamus libere in perpetuum concessimus: quod ne temporis assensu præsumptuose aliquis conaretur infirmare, sigilli nostri & assignatorum testium firmavimus munimine. Signum Duranni. Sign. Philippi. Sign. Dudonis. Sign. Alberti. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. CXVII.

» Gaufridus sanctæ Compendiensis ecclesiæ decanus, Johannes cantor, nosque simul ejusdem loci fraternitas universa, tam præsentibus quam futuris. Cunctis volumus innotescat quia domni regis Ludovici, ejusque conjugis reginæ Adelaidis, atque comitis Theobaldi, necnon virorum venerabilium Goisleni Suessionis, Gaufridi Carnotensis, Guarini Ambianensis episcoporum, domnique Bernardi Clarævallensis abbatis petitionibus, locum quemdam qui Tres-fontes vocatur in silva *Luiz*, quæ tota de jure nostræ est ecclesiæ, fratri Vidoni abbati & monachis cum eo ibidem servientibus inhabitandum concessimus. Quod ne longa temporum vetustate a memoria tolleretur, literis fecimus assignari. Placuit itaque nobis ut terram illam & nemus, & quicquid de terra ecclesiæ nostræ ubicumque adjacet, in eadem silva salvis aliorum terminis ulterius eis accesserit, dicti monachi possiderent, excolerent, & quidquid in ea juris nostri erat libere & quiete perpetualiter obtinerent. Pro his omnibus Catalaunensium sex solidos eis constituimus, quos singulis annis proxima ante mediam Quadragesimam Dominica ministerialibus nostris apud Pontigonem persolvant; & sic per totum annum in tota quietudine quantum in nobis est, perseverent. Firmatum est igitur hoc præsenti cyrographo, & sigillo signisque qui affuerunt ad posterorum notitiam roboratum. Sign. Goisleni Suessionis, Signum Gaufridi Carnotensis, Signum Warini Ambianensis episcoporum. Signum Bernardi Clarævallis abbatis. Sig. Gaufridi decani. Sig. Johannis cantoris. Signum Odonis & Haymonis præpositorum. Sign. Rainaldi abbatis sancti Bartholomæi. Sig. Theoderici abbatis S. Eligii Noviomensis. Actum Compendii anno ab Incarnat. Domini M. CXXX. in publico capitulo. » Actum Catalauni anno M. CXXXVI.

XXIV.

Ex autographo.

Privilegium Gaufridi episcopi pro monasterio sancti Petri.

1138. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Gaufridus Dei gratia Catalaunensis ecclesiæ minister humilis. Ecclesiasticis utilitatibus fideliter insudantes, & contemplationis studio sollicitius inhærentes congruo sunt remunerationis beneficio prosequendi, ut & nos eorum obsequiis digne respondisse videamur, & illi ex indulta consolationis gratia utiliores existant. Quia igitur extra fines nostros manentibus quandoque manum porrigimus, longe amplius, longe benignius, hi qui sollicitudini nostræ commissi sunt A & pro nobis invigilant, respirare debent in munificentia nostræ recompensationis, nec magnum est si nostra metunt temporalia quorum intercessionibus præparamur ad æterna. Notum sit igitur præsentibus & futuris, ad petitionem reverendi fratris & amici nostri Hugonis abbatis sancti Petri de Montibus, assensu & voluntate capituli beati protomartyris, nos dedisse eidem abbati & ecclesiæ ipsius personatum totius parrochiæ Vitriensis in eo honore & libertate qua eum dominus Anscherus decanus S. Stephani tenuerat, sic tamen ut die anniversarii XX solidorum refectionem sancti Petri conventus exinde habeat, quatenus nostra misericorditer foveat oblatio, quorum pro nobis apud Deum intercedit oratio. Et ecce testes hujus actionis. Signum Raineri, Signum B Odonis, Signum Gaufridi, Signum Guidonis archidiaconorum. Sign. Garneri cantoris. Sign. Johannis capellani. Signum Garneri de Malleio. Actum Catalaunis anno Dominicæ Incarnationis M. CXXXVIII. epacta VII. concurrente V. Galterius cancellarius scripsit & subscripsit.

XXV.

Ex autographo.

Canonici Cheminonenses institutum Cisterciensium amplectuntur.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Stephano abbati monasterii de Tribus-fontibus, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum. Laudes & gratias omnipotenti 1140. C Deo referimus, quod nomen & vitam fratrum Clarævallensium per diversas partes mundi, ita celebrem, ita fecit spectabilem esse, ut eorum laudabili . . . . ipsi quoque viri religiosi religiosiores fieri appetant; & juxta illud Psalmistæ, *de virtute in virtutem* ire contendant. Placet igitur nobis & hoc ipsum auctoritate apostolica confirmamus, quod canonici Cheminonenses semetipsos & locum suum monasterio de Tribus-fontibus contulerunt, & sub vestra cura atque magisterio de cetero vivere decreverunt, & quoniam Deus utpote incommutabilis & æternus mutabilia corda non approbat, atque apud ipsum non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, simili modo sancimus, ut jam dictis canonicis præsentibus vel futuris, nullatenus liceat quocumque tempore D se a vestra subjectione subtrahere, seu qualibet occasione contra vos calcaneum elevare, sed potius idem locus cum appenditiis suis & personæ ibidem pro tempore Domino servientes, subjectæ & obedientes vobis existant, quemadmodum abbatiæ quæ secundum regulam Cisterciensium institutæ sunt suo capiti obsequuntur. Salvo nimirum censu XII nummorum Catalaunensium singulis annis nobis nostrisque successoribus persolvendorum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat vos vel successores vestros super hac nostra confirmatione temere perturbare, aut aliquam vobis exinde contrarietatem inferre. Si quis autem ausu temerario contra hanc præsentem constitutionem venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, nisi præsumptionem suam congrua E satisfactione correxerit, excommunicationi subjaceat. Conservantes vero omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum Petri & Pauli gratiam consequantur, amen. Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus, &c. Data Romæ per manum Haimerici sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, XIII. calendas Martii indictione prima, Incarnationis Dominicæ anno M. CXL. pontificatus vero domini Innocentii papæ II anno nono.

XXVI.

Ex tabulario Cheminonis.

Gaufridus episcopus Catalaunensis anniversarium suum fundat in ecclesia S. Martini de Campis Parisiensi.

1140. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Quia juxta propheticam & apostolicam vocem, veritatem a filiis hominum diminui, & refrigescente multorum caritate, iniquitatem proh dolor videmus abundare, expedit ut per abundantiam bonorum operum multiplicati iniquitatis & malitiæ studeamus resistere. Et cum omnes omnibus officia debeant caritatis impendere, prælati tamen ecclesiæ pro officio pastoralis curæ religiosis fidelibus impensius & devotius debent prospicere, & de sua abundantia illorum inopiam supplere. Hac ratione & devotione ego Gaufridus Dei gratia Catalaunensis episcopus incitatus, pro salute animæ meæ & anniversarii mei recordatione, concessione & assensu domni Gaufredi archidiaconi nostri & aliorum archidiaconorum nostrorum, totiusque nostri capituli donavi monachis sancti Martini de Campis Parisius manentibus, altare de Frisivilla, altare de Nigro-loco, altare de Verreriis, altare de *Walliment*, altare de Expantia, cum capellis & dotibus, & omnibus ad prædicta altaria pertinentibus, salvo in omnibus episcopali & archidiaconali jure. Quod ut ratum & firmum permaneat, sigilli nostri impressione & testimoniis canonicorum nostrorum corroboravimus. Signum magistri Rainerii archidiaconi & decani. Signum Odonis de Roseto archidiaconi, Sign. Gaufredi archidiaconi, Signum Guidonis archidiaconi, Signum Henrici thesaurarii, Signum Garnerii cantoris, Sign. Guiniberti succentoris, Signum Johannis capellani, Signum Gualterii presbyterorum. Signum Petri, Signum Guarnerii, Signum Radulfi diaconorum. Sig. Stephani, Signum Renaldi, Signum Rogerii subdiaconorum. Signum Balduini, Sig. Hugonis, Sig. Milonis acolythorum. Actum est hoc anno Incarnati Verbi M. CXL. episcopatus autem nostri decimo.

XXVII.

Ex tabulario monasterii Dervensis.

Charta Hatonis episcopi Trecensis de ecclesia beatæ Mariæ de Rosniaco.

1140. EGO Hato divina miseratione Trecensis episcopus, dono Deo & ecclesiæ beati Petri monasterii Dervensis per manum Teobaudi abbatis ejusdem loci, laudante archidiacono Manasse de Rumiliaco, ecclesiam beatæ Mariæ de Rosniaco, eo pacto & tenore ut canonici qui modo ibi sunt, integre & quiete in vita sua præbendas suas possideant; cum autem decesserint, præbendæ ad jus & possessionem Dervensis ecclesiæ perpetuo ab eadem ecclesia possidendæ revertantur. Sicut autem unusquisque præsentium canonicorum decesserit, ita præbenda decedentis ad proprietatem Dervensis ecclesiæ transibit. Hoc autem ne aliqua temporum vetustate depereat, sigilli nostri & præsentis paginæ munimine roboravi, salvo jure nostro & consuetudinibus nostris. Datum est hoc ecclesiæ Dervensi, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo.

XXVIII.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Præceptum Theobaldi IV comitis Campaniæ, pro abbatia Alti-fontis.

1141. EGO Theobaldus Blesensis comes notum fieri volo quod Isambardus de Vitriaco, concedentibus conjuge sua Villana, & filiis ejus Alberto & Gaufrido, & filia sua Villa, dedit & concessit Deo & ecclesiæ sanctæ Mariæ de Alto-fonte, & monachis Deo ibidem servientibus, quicquid habebat infra

A subsequentes metas, quæ claudunt terram ab eo datam. Metæ siquidem illæ incipiunt ad quatuor quercus quæ separant terram de sancta Liveria & de Landriscuria, & ex illis quercubus metæ illæ ducuntur certa via, usque ad metam lapideam; a meta vero illa transeunt viam & vadum usque ad fossam juxta viam de Landricuria, & ab illa fossa usque ad aliam fossam sitam ad summitatem campi Wzonis, & ab fossa illa usque ad metam desuper Fontem, & ab illa meta usque ad Ulmezellum desuper Fontem, & ab illo Ulmezello usque ad alium Ulmezellum qui est super rivum, sicut ducit cursum suum versus occidentem, sicut rivus terram illam separat usque ad terram de Blesia-villa & Alta-villa. Quidquid itaque infra prædictas metas continetur, Isambardus & prænominati

B heredes sui concedunt Deo & ecclesiæ de Alto-fonte, sicut videlicet metæ prænominatæ claudunt usque ad Marnam. Letardus quoque de Barro quartam partem ejusdem terræ quam in feodo de sæpedicto Isambardo tenebat, præfatæ ecclesiæ dedit & concessit. Pro hoc vero dono & concessione Isambardus cum uxore sua habuerunt de caritate ecclesiæ XXII libras, & Letardus de Barro VII libras. Hujus sunt rei testes qui viderunt Isambardum & Albertum filium suum offerentes hoc donum super altare de Alto-fonte, Ancherus videlicet de Alta-villa, & Petrus Nequitia de Alta-villa, Fulco de Azzileriis, Radulfus de Curello. Præterea Paganus de Verziaco dedit Deo & ecclesiæ de Alto-fonte, concedente Johanne filio suo, quidquid habebat apud *Bonnevaix*. Hoc autem lau-

C davit præfatus Isambardus de cujus feodo terra illa erat, & pro concessione ista comes Theobaudus dedit eidem Isambardo IV libras. Adam vero de Alneto dedit Deo & præfatæ ecclesiæ, quidquid clamaverat apud *Bonnevaix*. Præfatus etiam Isambardus concessit præfatæ ecclesiæ sartum Alberti quod est in confinio de *Bonnevaix*. Testes sunt Stephanus monachus de Tribus-fontibus, Odo Uranus. Concessit insuper Isambardus præfatæ ecclesiæ pasturam propriis animalibus de *Bonnevaix* cujuscumque generis sint, & omnia usualia nemoris sui circumquaque usque Dreiam, excepta materia lignorum ad ædificia. Testes Stephanus abbas de Tribus-fontibus, Stephanus monachus, Fulco de Azzileriis, Odo major de Landricuria, Garnerus de Landricuria. Hæc autem omnia

D ego Theobaudus comes laudavi & concessi, de cujus feodo movebant, & Manasse de Possessa de quo Isambardus tenebat. Præterea ego Theobaudus Blesensis comes dedi Deo & ecclesiæ de Alto-fonte, terram illam sanctæ Mariæ quæ est apud Blesiam villam, sicut ministeriales mei de Larzicurto disrationaverunt eam adversus homines de *Meelam*, & de Blesia villa de dono ejusdem istius terræ, sunt testes Gaufridus de Jonisvilla, Guido de Dampetra, Henricus de Falconio, Radulfus tunc præpositus Larzicurti, & Hugo Bordellus. Quando vero præcepi hanc chartam sigillari apud Gaissiam, ego Theobaudus comes Blesensis ut hæc dona in perpetuum firmiter tenerentur, interfuerunt testes Garnerius monachus de Nemore Joyaci, Amalricus monachus de Alto-fonte, Radulfus monachus Prulliacensis, Gauterius

E capellanus meus, Guillelmus clericus meus qui hanc chartam sigillavit, Gauterius de Berna, Adam Bonillardus, Hugo de Mosa, Vitalis tunc præpositus Gaissiæ: & tunc concessit Albertus donum patris sui & suum, istis audientibus. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. CXLI.

XXIX.

Fundatio Gaufridi Catalaunensis episcopi in abbatia Mauri-montis.

Ex autographo.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, ego Joffridus Dei gratia Catalaunensis ecclesiæ episcopus. Quæ Spiritus sanctus per manus meas 1142.

dignatur operari, quo ratum sit in perpetuum, literis mandare decrevi ex consilio venerabilium fratrum, scilicet Ancelmi abbatis sancti Vincentii Laudunensis, Nicholai abbatis sancti Nichasii, Willelmi abbatis Mauri-montis, constituimus & in æternum permanere firmamus, ut in monasterio prædicti Mauri-montis perpetuo missa beatæ Mariæ semper virginis omni die sine intermissione celebretur, si tanti sacerdotes ibi fuerint qui id officii implere possint. Quod si nonnisi unus fuerit & necesse fuerit ut aliam quamcumque missam celebret, etiam pro defunctis, officium beatæ Mariæ dicat privatim, vel secum, vel cum ministris, usque ad secretam: postea dicto solenniter quod necessarium fuerit officio, cum ad secretas venerit, prius secretam beatæ Mariæ celebrabit; & post perceptionem Dominici corporis & sanguinis similiter privatim, sicut officium celebravit, sic post communionem cum collecta consummabit. Ad tanti celebrationem mysterii Guarnerus illustris de Altreio donavit ecclesiæ Mauri-montis majorem partem decimæ quæ ad ipsum pertinebat de villa quæ dicitur Super-turbam, pro remedio animæ suæ & Elisabeth uxoris suæ, & antecessorum suorum & filiorum, atque libera donatione confirmavit. Si quis vero, quod non optamus, hoc nostræ constitutionis privilegium pro nihilo ducere & hanc memoriam beatæ Mariæ vilipendere ausus fuerit, ex parte Dei & ejusdem matris Domini nostri anathema sit. Actum est hoc in præsentia nostra Remis metropoli, VI. nonas Martii, anno Incarnat. Dominicæ M. CXLI. epacta XI. Hujus rei testes sunt prædicti abbates, & Walterius filius noster, ipsius Warneri frater: Balduinus decanus [a], Petrus monachus, & multi alii.

XXX.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Charta Bosonis episcopi Catalaunensis, de translatione abbatiæ Monasterii in Argona.

Circiter 1160.

QUoniam fragilis est humana memoria & ita caduca, quæ in usus pauperum Christi adquirimus literis commendando posterorum memoriæ transmittere curamus. Unde ego Boso Dei gratia Catalaunensis episcopus, notum fieri volo tam præsentibus quam futuris, dominum Gippuinum de Danpetra & filium ejus Petrum in præsentia mea & ecclesiæ nostræ assensisse, ut Monasteriensis congregationis cœnobium transferetur de possessione illa, quam Petrus de Atheio & prædictus Gippuinus ad ædificationem Monasteriensis ecclesiæ contulerunt. Factaque translatione, idem Gippuinus & filius ejus prædictam possessionem & quidquid in terris, silvis, pratis & pascuis ipsi & antecessores eorum Monasteriensi ecclesiæ in eleemosynam dederant, iterum donaverunt. Testes Wido & magister Robertus archidiaconi; Radulfus decanus; Rainaldus cantor; Johannes capellanus; Petrus, Johannes de Erpo, & Theobaldus canonici sancti Stephani.

XXXI.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Charta Henrici I Campaniæ comitis, pro monasterio Cheminonensi.

1162. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego comes Henricus, Trecensis palatinus. Omnibus notum facio quod abbati & ecclesiæ de *Cheminon* villa, prata, domos, quocumque modo rationabiliter, dono videlicet vel emptione, sive alio rationabili modo ea acquirere potuerint, in perpetuam eleemosynam habenda concessi, alia quoque excidentia quocumque modo mihi exciderint, necnon & mortuam manum præter nummos eidem ecclesiæ contuli. Addidi etiam quod nemini nisi his qui inpræsentiarum ibi manent, nova ibidem ad manendum ædificia absque assensu & licentia abbatis supradictæ ecclesiæ in posterum fundare liceat. Quod ut notius & magis inviolatum in perpetuum teneatur, literis commendari & sigilli mei impressione confirmari præcepi, cum testimonio legitimarum personarum quarum nomina subscripta sunt. Hujus itaque rei testes sunt Guillelmus frater meus, Nicolaus *Capald*, Drogo capellanus, Ansericus de Monteregali, Guillelmus Marescallus, Petrus Bristaldus, Gervasius de Miriaco. Actum est ab Incarnatione Dominica M. CLXII. Ludovico rege Francorum regnante, Catalaunensi episcopo nullo. Tradita apud Trecas, per manum Guillelmi cancellarii. Guillelmus notarius sigillavit.

a Decanus non ecclesiæ cathedralis, sed alius forte ejusdem civitatis ecclesiæ.

XXXII.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Charta Henrici comitis Trecensis confirmantis fundationem abbatiæ Charmeiæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Henricus Trecensium comes palatinus. Notum facio præsentibus & futuris, quod dederim totum fagetum meum ad construendam ibidem Cisterciensis ordinis abbatiam, quam etiam ob salutem animæ meæ & parentum meorum, propriis sumptibus a fundamentis construxi. Dedi etiam & quietum clamare feci quidquid Ingermerus de Sanceio & sui participes, Velassus scilicet de Ponte-more, & filii ejus Joannes & Humbertus, necnon & alii duo fratres Manasses & Humbertus, Gervasius quoque de Martellis in prædicto fageto & in villa Charmeia quæ in ipso sita erant, possederant digna singulis recompensatione data. Dedi etiam molendinum Pugani & omnia quæ tam ipse Puganus quam alii habitatores Charmeiæ in toto fageto tenuerant, sufficienti pretio comparata. Monachis quoque de Caritate manentibus apud Montem-mauri, pro duabus partibus decimæ quæ ad eos pertinebat, duodecim solidos & decem vini modios assignavi; pro tertia vero presbytero de Monte-mauri, assensu Catalaunensis episcopi duodecim libras ad emendum reditum presbytero ecclesiæ de Monte-mauri dedi. Præterea monachis de Oya pro grangia quæ Vallis in Saona dicitur, tres modios tritici & tres avenæ singulis annis apud Alnetum dari jussi; & quidquid in contiguo territorio Simon Talerus de Spernaco & Ascelmus de *Commantrel* possidebant, assensu liberorum suorum digno pretio redemi. Domum quoque Virtuti, marcis viginti & una, & vineas libris viginti duabus comparavi, similiter & pro grangia de *Emilois* canonicis Sparnacensibus in telonio meo Sparnaci libras XVIII singulis annis accipiendas concessi, quam prædictæ ecclesiæ contuli. Insuper & viginti arpenta pratorum Maiolo juxta Sparnacum persartare & ab omni consuetudine libera possidere permisi. Notum etiam fieri volo quod pro duabus grangiis Betifonte & Gardo, & appenditiis earum quas possident fratres de Charmeia, dedi fratribus de Recluso in spissis de Lachis terrarum nemus, sicut & metæ ab hominibus meis positæ disterminant, & ad earum essartationem ducentas libras, & apud unam Noeriam; unam terræ carrucatam, & quousque eam habeant octo modios annonæ, videlicet quatuor modios frumenti & quatuor modios avenæ apud Wardum. Dedi necnon duodecim sextas tritici & totidem hordei, & carratam feci quæ omnia debebant Eustachio de *Consleans* acquietari, & pro mobilibus eorum, tam in calcibus quam in ceteris quæ monachi de Charmeia habuerant, centum & viginti libras reddidi. Addidi etiam & perpetuo possidenda concessi pascua & omnimodum usuarium in nemoribus meis de Wasseio, & ibidem ubi commodius 1177.

repererint, quantum quatuor carrucis sufficiat essartare permisi. Concessi etiam quod ipsi eant & redeant per totam terram meam ab omni justitia & consuetudine ad me pertinenti liberi & quieti. Homines mei, si se vel sua præfatæ abbatiæ reddere voluerint, ipsos & sua quæ ordini Cisterciensi licitum sit habere, libere & quiete suscipere, permisi. Dedi etiam eis præterea terram quam concambivi cum Joanne de Monte-mirabili quæ adjacet grangiæ eorum de Gardo. Adfuerunt autem hujus meæ confirmationis testes dominus Ancellus de Triangulo, Garnerius frater ejus, Willelmus Marescallus & Imbertus de *Ternand*, Gaufridus Eventatus, Richardus camerarius, Petrus Lingonensis. Actum anno Incarn. Verbi M.CLXXVII.

XXXIII.

Ex archivo ejusdem monasterii.

Charta Henrici I Campaniæ comitis palatini, pro monasterio sancti Salvatoris Virtudensis.

1179. EGO Henricus Trecensium comes palatinus, notum facio præsentibus & futuris, quod Petrus abbas sancti Salvatoris de Virtuto, assensu totius capituli sui canonicos capellæ meæ de Pruvino, quæ in honorem beatæ Mariæ constructa est, in molendino suo fullario de Biergiis, in toto commodo quod inde exierit, socios & participes recepit; in aliis autem molendinis ejusdem loci quæ bladum molunt, dictus abbas & monachi nullam eisdem canonicis participationem concedunt. Propter hoc autem homines omnes qui ad præfatum molendinum pro pannis parandis venerint, undecumque sint, & undecumque veniant, tam de terra mea quam aliunde, postquam meam intraverint, in conductu & protectione mea cum rebus suis suscipio, nominatim autem homines de Catalauno ad idem molendinum euntes, postquam portam Catalauni egressi fuerint, conduco. De expensis vero ejusdem molendini & reparationibus, medietatem reddent ipsi monachi, & canonici medietatem; de exclusa autem reparanda canonici quartam partem persolvent, & monachi tres partes. Molendinarium vero ponent ipsi monachi in festo sancti Johannis, & canonicis præfatis ille fidem faciet; & si forte canonici illum suspectum habuerint, monachi ad laudamentum & consilium canonicorum illud emendabunt. Illud etiam notum esse volo me prædictis monachis & canonicis concessisse, quod contra hanc meam confirmationem nullum de cetero bannum instituam. Sciendum etiam quoniam terram & domos de Monte-canino & de vico Ulmesio, quæ Adela avia mea dictis monachis in eleemosynam contulit, eidem ecclesiæ confirmo liberam ab omnibus consuetudinibus meis, excepto exercitu. Usuarium quoque quod habent in nemore meo de Waisseio & de Wando, ligna scilicet mortua ad comburendum, & viva ad ædificandum, eis concedo & in perpetuum confirmo, &c. . . . Actum Trecis anno Incarnati Verbi M. CLXXIX. Data per manum Stephani cancellarii.

XXXIV.

Ex autographo.

Testimonium de ecclesia de Mangermont *quod pertineat ad ecclesiam Mauri-montis.*

Circiter 1180. VEnerabili W. Dei gratia Remensi archiepiscopo, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali, apostolicæ sedis legato, & ejus officialibus & omnibus S. matris ecclesiæ filiis & fidelibus, tam prælatis quam subditis, ad quos literæ istæ pervenerint, T. humilis decanus de Alvia, tanta gratia repleri, in quo divina benedictione mereantur remunerari. Submonitus ex parte domini mei G. Catalaunensis episcopi, & magistri J. decani S. Stephani Catalaunensis pro ecclesia de *Mangermont*, per cujus occasionem capitulum Catalaunense & ecclesiæ Mauri-montis contendunt (quid enim veritas

A habeat quod alieno relatu, vel per memetipsum didici, notificare non differo). Itaque in infirmitate maxima positus, & diem meæ vocationis opperiens, quando veniam & apparebo ante faciem Domini redditurus rationem pro cogitationibus, & dictis & factis, testimonium perhibeo veritati. Audivi ab honestis & veracibus viris, tam clericis quam laïcis, quod quidam G. personatum & presbyteratum de *Mangermont* cum dote & appenditiis in manu Elberti Catalaunensis episcopi resignavit; episcopus vero Gaufridus eamdem ecclesiam cum dote & appenditiis ecclesiæ Mauri-montis dedit. Hæc audivi de cetero; quæ scimus loquimur, & quæ vidimus testamur: quod scilicet Maurimontensis ecclesia a tempore prædicti episcopi G. usque in præsens episcopo Catalaunensi

B censum pro ecclesia de *Mangermont* singulis annis persolvit primo per manum Garneri decani de Dampetra, secundum per manum Odonis de *Curteismunt*, subinde per manum nostram. Novit autem Remensis ecclesia, & multi noverunt Maurimontensis ecclesiæ oppressiones & scandala, quibus olim pene penitus attrita & consumta. Nam tempore Willelmi abbatis per Henricum advocatum Mauri-montis monachi a Mauri-monte ejecti fuerunt. Reversis autem abbate & monachis, & inter se contendentibus, abbas W. loco cessit; cui Godefrido succedente, & necdum biennio in suo regimine transacto, Mauri-montis ecclesia ab H. comite Magni-prati succensa & diruta & solo tenus eversa est, adeoque abbas & monachi loco cedere compulsi sunt. Simon vero abbas illius

C ecclesiæ paupertatem & bellorum oppressionem ferre non valens, invitis monachis ut ab ejus regimine absolvi mereretur, etiam summum pontificem expetiit. Divino autem nutu Thomas qui nunc est Maurimontis abbas, ecclesiæ debitis imminutis, ædificiis aliquantum melioratis, & corporalibus bonis augmenta capientibus, & spiritualibus incrementa dare cupiens, ut in ecclesia de *Mangermont* divina mysteria diu inibi intermissa denuo celebrarentur, expetivit quod & consecutus est; & ego per ministerium nostrum non solum nostra, sed majori etiam auctoritate, scilicet domini mei G. Catalaunensis episcopi, quod divina ibidem celebrentur, quia ratio mihi esse videbatur & videtur, elaboravi, & propria concedens, aliena prohibui. Hoc pro veritate dico & testificor

D coram Deo & hominibus. Et ut testimonium nostrum robustius fiat, signo & sigillo venerabilis Imari Castriciensis abbatis muniri petivimus, & eorum qui interfuerunt nomina fecimus adhiberi. Signum Imari Castriciensis abbatis. Sig. Lamberti quondam abbatis de *Arouaise*. Sign. Hymberti canonici Castriciensis. Sign. Johannis sacerdotis de *Argiez*. Sign. Giraudi monachi sancti Petri. Sign. Godefridi, laïcorum.

XXXV.

Charta Guidonis episcopi Catalaunensis, de fundatione ecclesiæ sancti Nicolai.

Ex chartario Omnium sanctorum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Guido Dei gratia Catalaunensis episcopus. Cum 1187.

E humana sæpe negotia vetustatis morsibus, aut oblivionis caligine conclusa depereant, & eorum notitiam commutet exorta posteritas, dignum est ut quod pia fidelium perpetratur intentione, literarum apicibus commendetur. Eapropter notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod dilectus noster in Christo filius Rogerus abbas Omnium sanctorum de Insula, & commune capitulum, petierunt a nobis quatenus divinæ caritatis intuitu in novo burgo ecclesiam novam ad jura ipsius & capituli construeremus. Nos autem justæ petitioni eorum aurem exauditionis inclinantes, divinæ retributionis gratia in eodem burgo novam ecclesiam parochialem a primis fundamentis erigentes, & in nomine Jesu Salvatoris,

Salvatoris, qui est verus & lapis angularis, primum lapidem in ipso fundamento ponentes, ipsam ecclesiam in honore Domini nostri, sine quo nemo potest aliud fundamentum ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus, & in honore sanctissimi Nicolai & Omnium sanctorum, benediximus, & benedictam cum adjacente cimiterio & omnibus bonis, tam spiritualibus quam temporalibus, quæ ibidem ventura sunt & facienda, perpetua ac libera donatione in eleemosynam præfato abbati & capitulo pro remedio animæ nostræ contulimus, & ab omnibus injustis exactionibus emancipatam cum ceteris eidem burgo adjacentibus, liberrima possessione tenenda confirmamus. Si quis autem huic nostræ donationi obviare & in aliqua re quassare voluerit, omnipotentis Dei iram incurrat, & æternæ ultioni ac perpetuo anathemati cum reprobis cruciandus, nisi resipuerit, subjaceat; ceteris vero bona ipsius ecclesiæ conservantibus, & eleemosynas suas largientibus, sit benedictio & vita æterna retributor omnium bonorum Jesus Christus, amen. Actum Catalauni anno Domini M. CLXXXVII. Data per manum magistri Petri.

XXXVI.

Ex tabulario ejusdem monasterii. 1217.

Confirmatur fundatio prioratus Spinosæ-vallis.

ALBERICUS Dei gratia sanctæ Remensis ecclesiæ archiepiscopus, & Guillelmus eadem gratia Catalaunensis episcopus, universis præsentem paginam inspecturis, salutem in vero salutari. Olim, sicut nobis fideliter est intimatum, venientibus ad eum de regione dissimilitudinis quibusdam bonis viris, qui relictis omnibus Dominum sequebantur, piæ recordationis Guido de Dumno-petro, cujus animæ propitietur Deus, tam benigne suscepit eos, & collocavit in nemoribus suis in loco qui dicitur *Spinosa-vallis*, ut tam victum quam vestitum in omnibus provideret. Post cujus decessum bonæ indolis puer Guillelmus de Dumno-petro filius ejus, volens pro posse suo tam pium opus tamque laudabile fideliter conservare in salutem animæ patris sui & suæ, prædictis bonis viris victum de ipsorum assensu satis rationabiliter assignavit, sicut in sua & amicorum suorum chartis plenius continetur. Et ne in posterum piæ devotionis affectus de sua posset munificentia perturbari, ordinatum fuit inter ejusdem loci bonos viros & dictum adolescentem cum amicis suis, quod in eodem loco plus quam octo non possent recipi vel manere, qui de bonis dicti Willelmi deberent sustentari, nisi per assensum Willelmi, videlicet quatuor sacerdotes aut quinque ad plus, & duo clerici, & conversus unus. Et etiam ne per ampliationem cultus eorum causa posset in futurum suboriri, quæ detrimentum pareret dicto Willelmo aut heredibus suis, constitutæ sunt metæ & plessetum quoddam circumornatum, cujus ambitu tam locus eorum quam boni viri pacifica possessione gauderent, habentes ibidem monasterium, refectorium, dormitorium, claustrum & coquinam; quibus ædificiis contenti essent intra metas supradictas. Quod si ædificia memorata vel longo situ tabescerent vel incendio deperirent, de nemoribus extra metas & extra plessetum repararentur aut reficerentur: verum etiam & ad calefaciendum se in prædictis ædificiis memorati viri accipient nemus mortuum extra terminos supradictos. De vestitu autem & calciamentis eorum nihil possumus protestari, nisi quod per manum Odardi marescalli Campaniæ & Radulfi quondam clerici Guidonis de Dumno-petro fuerit ordinatum. De habitu, forma & regula religionis taliter fuit ordinatum, quod memorati viri religiosi vel fratrum de Valle ... gosa, vel fratrum de Valle-scholarium regulam, habitum & religionem in omnibus & per omnia tenerent, expetita & expectata prius voluntate dicti Willelmi. Et sciendum quod memorati boni viri non possunt crescere se in terra dicti Willelmi, nec in terris, nec in pratis, nec in vineis, seu aliquibus possessionibus, nisi tantum in redditibus certis in eleemosynam sibi collatis & assignatis, nisi per assensum dicti Willelmi. Ut autem hoc firmum & ratum permaneat, præsentem paginam sigilli nostri munimine signari curavimus. Actum anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo septimo decimo, III. idus April.

XXXVII.

Fundatio parthenonis B. Mariæ de S. Desiderio. *Ex tabulario ejusdem parthenonis.* 1227

UNiversis tam præsentibus quam futuris præsentes literas inspecturis, ego Guilhermus dominus de Dampetra, & ego Margareta uxor dicti Guilhermi, salutem in vero salutari. Est verbum organo Dominicæ vocis emissum, quod arbor qui inutiliter terram occupat, excidi & in ignem mitti censetur, & terra quæ ob nocivam occupationem inutilis arboris sterilis habebatur, per plantationem ad fructificandum culturam recipiat congruentem: plantulam siquidem plantare cupientes, cujus principium & finem ponere in Domino Deo necessarium esse perspeximus, ut cum flore ejusdem & fructu justitiæ ad gaudia cœlorum mereamur pervenire, juxta Apostolum qui ait: *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet* vitam æternam. Cum igitur oporteat nos seminare in terris, si aliquid colligere velimus in cœlis, in hoc eximus seminare semen nostrum, quod nos pro remedio animarum nostrarum & antecessorum nostrorum, fundavimus in proprio fundo nostro quamdam abbatiam, quæ vocatur abbatia sancti Desiderii, in qua in honorem sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ sanctas moniales instituimus secundum ordinem & regulam beati Benedicti, & habitum Cisterciensis ordinis, recolentes qualiter hæc plantatio sancta, hæc vitis fructifera, hæc denique vinea Domini Sabaoth, sub primis ordinis patribus pullulavit, & palmites longe lateque producens ad mortifera venena pellenda flores protulit, & odores effudit. Et quia dignum est quod eis competens portio assignetur de qua possint commode sustentari, & non debeat bovis triturientis os alligari, & qui servit altari vivere debeat de altare; dedimus & concessimus in perpetuam eleemosynam abbatissæ & monialibus quæ ibidem sunt institutæ a nobis, totum locum & ambitum ubi dicta abbatia sita est, liberum & absolutum, sicut ante fundationem dictæ abbatiæ possidebamus. Item concessimus eisdem quamdam vineam sitam juxta abbatiam in prato & horto, & totas terras arabiles quas possidebamus in dicto loco, & viginti tessellos fœni in pratis in hunc modum assignatis: videlicet in prato *Bosier*, in prato Lamberti-magni, &c. . . . . Et si dicta prata ad solutionem viginti tessellorum fœni non sufficerent, nos eisdem residuum in nostris pratis restituere teneremur. Quittavimus & easdem de decimis & terragiis quantum est nobis pro parte nostra. Dedimus & eisdem novem modios bladi ad mensuram S. Desiderii, septem frumenti, & duos avenæ annuatim reddendos in festo sancti Remigii, in terragiis de sancto Desiderio, de Olouia & de Gigneio in hunc modum: scilicet quod nos vel servientes nostri quicumque fuerint, illi admodiabunt omnia terragia, & statim ex quo admodiaverint ea, illi cui admodiabuntur, accedent ad abbatiam, facient creantum suum abbatissæ & conventui super novem modios bladi, septem frumenti, & duos avenæ; & de mercato a nobis recepto & a servientibus nostris, non poterunt gaudere donec dictæ abbatissæ & conventui dederint fidejussores sufficientes de blado supradicto solvendo, & ad valorem minagii. Et si terragia ad hoc sufficere non possunt, defectum in

molendinis nostris apud sanctum Desiderium recipient. Item dedimus eisdem XL libras Provenensium legalium in thelonio nostro de sancto Desiderio annuatim percipiendas, viginti libras in Pascha Domini, & viginti in festo sancti Remigii in hunc modum: scilicet quod nos vel servientes nostri quicumque fuerint, illis dimittent thelonium nostrum de sancto Desiderio, & ille cui dimittetur non poterit gaudere donec abbatissæ & conventui abbatiæ sancti Desiderii dederit fidejussores sufficientes de XL libris reddendis ad terminos supra notatos; & octoginta arpenta nemoris contenta infra metas suas, quæ metæ assignatæ sunt infra campum *Patet* & campum *Otrant*, & ab alia parte *l'Essart* Herberti, & usuarium suum in nemore nostro quod vocatur *Livau*, in nemore mortuo quod inventum fuerit elapsum, ad proprium usum ejusdem domus. Insuper concessimus eisdem communia pascua per totam terram & liberos introitus, meatus, & exitus per vias, terras, & aquas & nemora. Quittavimus & dictam abbatiam de ventis, theloniis & minagiis, & de molitura solvenda in uno molendinorum nostrorum de sancto Desiderio, in illo scilicet in quo citius vel facilius poterit jactare, nec aliquem locum expectabunt, quin statim possint molere per illum qui jactaverit vel incœperit molere. Sciendum insuper quod eisdem assignavimus liberas piscaturas in propria aqua nostra quam eisdem dedimus, scilicet a vado *Gignei* veteris, usque ad locum ubi fuit molendinum *Frucli*. Et notandum quod in omnibus prænotatis retinuimus bannum & justitiam, sicut antea habebamus, excepto quod infra muros abbatiæ qui ibidem fuerint inventi, & qui continentur infra metas ibi positas, nullum retinuimus bannum nec justitiam; & dicti muri augmentari non poterunt nisi de permissione nostra vel heredum nostrorum. Quare si aliquis super rebus prædictis sanctas moniales inquietare vel molestare præsumat, nos eisdem res supradictas garantissare tenemur & tueri, & ad id heredes nostri similiter tenebuntur. Item dictæ sanctæ moniales aliquid acquirere non poterunt in terra nostra, vel in terra a nobis movente, seu in feodo nostro, nisi de assensu, voluntate & permissione nostra vel heredum nostrorum; nec aliquid recipient de hominibus nostris vel mulieribus nostris, nisi prius a nobis vel ab heredibus petita licentia & obtenta. Item si ipsæ moniales locum suum, quod absit, ex toto dimiserint, ipse locus abbatiæ cum possessionibus, redditibus & appenditiis, integre, quiete & pacifice nobis vel heredibus nostris remanebit. Item promiserunt nobis dictæ moniales, quod nec ipsæ nec aliæ sequentes, alium dominum terrenum præterquam nos vel heredes nostros sibi facere poterunt. Item si ipsæ sanctimoniales aliquas impetrarent literas ad majorem ipsarum vel ecclesiæ suæ confirmationem, per eas non poterit juri vel dominio nostro vel heredum nostrorum aliquod inferri præjudicium vel gravamen. Actum anno M. CCXXVII. mense Julio.

XXXVIII.

Ex chartul. ejusd. domus.

Exauctoratio Guillelmi abbatis Virtudensis.

1267. ILlustrissimo viro Th. Dei gratia regi Navarræ, Campaniæ Brieque comiti palatino, Johannes ejusdem permissione Remensis archiepiscopus, salutem in Domino sempiternam. Juste facta seu canonice, pia debent executione fulciri, quando nihil obviet quod de canonicis objicitur institutis. Cum igitur nostram de more visitaremus provinciam, & ad monasterium sancti Salvatoris de Virtuto Catalaunensis diœcesis personaliter accessissemus causa visitationis, ibidem officium exercendi, fratrem Guillelmum quondam abbatem dictæ domus, ob suorum enormitatem scelerum duximus deponendum, secundum quod in literis super hoc confectis, si vestræ dominationi placeat, plenius poteris intueri. Verum quoniam idem G. post latam a nobis sententiam in vocem appellationis frivolæ seu nullæ prorupit, cujus appellationi, de jurisperitorum & religiosorum multorum consilio, non duximus deferendum; dilectionem vestram de qua plurimum confidimus, exoramus, quatenus amore Dei & nostro, pietatis etiam intuitu, dictæ S. Salvatoris ecclesiæ quæ ad vestram dinoscitur pertinere custodiam, præficiatis custodem; ne per dictum Guillelmum dissipatorem pessimum, vel etiam per alios ejusdem loci monachos bona temporalia tam turpiter quam a turpibus consumantur. In cujus rei testimonium præsentes literas sigilli nostri fecimus munimine roborari. Datum in abbatia de *Cheminon* anno Domini M. CCLXVII. die Martis proxima ante Nativitatem Domini.

XXXIX.

Ex autog.

Bulla Martini V papæ, pro translatione Joannis de Sarrebruche *ad ecclesiam Catalaunensem.*

MARTINUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis clero civitatis & diœcesis Catalaunensis, salutem & apostolicam benedictionem. 1420.
Quam sit onusta dispendiis, quam plena periculis, quantaque discrimina secum trahat diutina ecclesiarum vacatio, solicitæ considerationis indagine perscrutantes, libenter operarias manus apponimus, & studium efficax impertimur, ut viduatis ecclesiis prout temporum qualitas exigit, & locorum utilitas persuadet, nunc per debitæ provisionis officium, nunc vero per ministerium translationis accommodæ pastores præficiantur idonei, & ministri providi deputentur, quorum eædem ecclesiæ fultæ præsidiis & favoribus communitæ, prosperis, auctore Domino, proficiant incrementis. Dudum siquidem ecclesia Catalaunensis ex eo tunc pastoris solatio destituta, quod bonæ memoriæ Baltasar episcopus Tusculanus, tunc Joannes XXIII in sua obedientia, de qua tunc illæ partes erant, nuncupatus, venerabilem fratrem nostrum Carolum Lingonensem, tunc Catalaunensem episcopum, licet absentem, a vinculo quo eidem ecclesiæ Catalaunensi cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum suorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & apostolicæ potestatis plenitudine absolvens, ipsum de dicta ecclesia Catalaunensi ad ecclesiam Lingonensem tunc certo modo vacantem apostolica auctoritate transtulit, illumque illi præfecit in episcopum & pastorem, ac venerabilem fratrem nostrum Ludovicum episcopum Portuensem, perpetuum administratorem ipsius ecclesiæ Catalaunensis fecit, constituit, & etiam deputavit; curam, regimen & administrationem ipsius ecclesiæ Catalaunensis eidem Ludovico episcopo in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, hodie vero idem Ludovicus episcopus administrationi hujusmodi necnon omni regimini ejusdem ecclesiæ Catalaunensis per dilectum filium nostrum Guillermum tituli sancti Marci presbyterum cardinalem, procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte & libere cessit, nosque cessionem admisimus eamdem, ac ad provisionem ipsius Catalaunensis ecclesiæ, ne etiam ipsa longioris vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam super hiis cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum ad venerabilem fratrem nostrum Johannem Catalaunensem tunc Virdunensem episcopum, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam suam Altissimus insignivit, & quod ipse Johannes qui regimini Virdunensis ecclesiæ hactenus laudabiliter præfuit, eamdem ecclesiam Catalaunensem sciet & poterit, auctore Domino, salubriter regere & feliciter gubernare, convertimus oculos nostræ

mentis. Intendentes igitur tam eidem Catalaunensi ecclesiæ quam ejus gregi dominico salubriter providere, eumdem Joannem episcopum, licet absentem, a vinculo, quo præfatæ Virdunensi ecclesiæ cui tunc præerat, tenebatur, de dictorum fratrum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, præfatum Johannem episcopum ad eamdem ecclesiam secundum præmissa vacantem, auctoritate apostolica transtulimus, ipsumque illi præfecimus in episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius Catalaunensis ecclesiæ sibi in eisdem spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod præfata ecclesia Catalaunensis per ejusdem Johannis episcopi industriæ & circumspectionis studium fructuosum, gratia sibi assistente divina, regetur utiliter & prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eumdem Johannem episcopum tanquam patrem & pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, & exhibentes sibi obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ejus salubria monita & mandata suscipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis; alioquin sententiam quam idem Johannes episcopus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam & congruam inviolabiliter observari. Datum Florentiæ IV. idus Januarii, pontificatus nostri anno tertio.

X L.

Ex autographo.

Testamentum Hieronymi Burgensis, episcopi Catalaunensis.

1572. HUmanæ conditionis memori visum est mihi, non expectato morbo, quo nec corpus suæ spontis, nec animus pro mutuo utriusque consensu satis liber esse potest, rebus nostris ante prospicere, ac ultimæ voluntatis inire rationem, ut ne sit ægro ac laboranti aliud quam de animæ & corporis salute cogitandum. Quæ priusquam aggrediar, supplex orationem ad te, Domine, misericors Deus, qui me a tempore rudis pueritiæ meæ ad hanc usque horam opinionis errore & vanitate seductum, & vitia immensæ bonitatis tuæ patientia per multa defluentem ad emendationem expectasti; me, inquam, ingratissimum totque tuis beneficiis, eoque maxime quo me collocasti dignitatis munere indignissimum, sed tu tamen Domine secundum multitudinem miserationum tuarum suscipe quæso de mea misera vita residuum annorum meorum, corque contritum & humiliatum ne despicias. Ecce enim recogitantem tibi annos meos in amaritudine animæ meæ, verecundia mea contra me est semper, & confusio faciei meæ cooperuit me. Hæc paucis præfatus ad vos, necessarii mei, revertor, & quod terra terræ statim reddenda est, de meo primum cadavere vobiscum agam. Ipsum nulla funebri pompa, nullo aut modico saltem apparatu duci velim, tamen in futuræ spem resurrectionis, necnon & præteritæ vitæ memoriam honestoque ecclesiæ ornamento sic sepulcro recondi non recusem, in nostro divi Petri cœnobio, nisi vos ratio tunc temporis aliter suadeat, pro quo non multum laboro excepta pompa. Funus ipsum & pias in funere preces, atque largitiones religioni pietatique vestræ relinquo. Maxime vero vestri Andreæ Hacquevillæ, Theodoro *Berziau*, carissimi nepotes, necnon & Petro Syberto nostro a quibus officium hoc ultimum hujus voluntatis exposcimus, hujusque curam & executionem demandamus. Prius tamen quam ad rem ipsam veniamus, vos, inquam, necessarii mei, qui proximitate generis heredis nomen sortiti estis, obtestor & rogo æquos judices huic testamento vos præbeatis, quod quidem spero facturos: A maxime si in memoriam revocetis nihil me ac prorsus nihil ex parentum hereditate attigisse. Nam quibus rebus plerique nonnisi senes & ægri ægreque cedunt, cum amplius retinere non possunt, vobis jam pridem dispertivi. Præterea taceo quid inierim, quamque res vestræ mea sorte & juvamine meliores. Non vos tamen exheredes atque inhonoratos statui relinquere, si modo hanc mihi Deus mentem servet, aut nec vos aliam provocaveritis, cum vere vos meminisse velim quantulæ, quantæ fuerint cum discedam hujus hereditatis vires, ex ecclesiasticis facultatibus conflatas, præter eas nihil arte, nihil industria aut labore quæsitum meo. Quas quidem verum est mihi ipsi nedum heredi asservare debuisse, ut nec animus fuit olim asservandi, nisi me temporis calamitas in ecclesiasticorum caput parata tantisper nobis prospicere B monuisset: sed & inter mundanas passiones cogor & nunc fateri, me scilicet naturæ indulgentiorem, non parum commotum profusiori fratris liberalitate qua vixit longe a providentia, ac liberis consulente parcimonia, ad ejus liberos respexisse, maxime vero ad Franciscum Burgensis ejus filium, qui nobis unicus relictus est, nostrum nomine referens parentem, cui quidem venerabilis memoriæ parenti quicquid est ornamenti post Deum acceptum referre debemus. Ergo in ejus gratiam & beneficiorum suorum gratitudinem fratris mei unico filio Francisco Burgensis domum meam quæ sita est in vico Serpentino, do, lego & cum domo franci nummi locatæ vel locandæ pecuniæ duodecim millia, cui quidem legato pecuniæque ne pereat, aut in fructu non sit, curatorem C damus Andream Hacquevilleum, donec ipse Franciscus ad vigesimum sextum suæ ætatis annum pervenerit: qui si sine liberis discesserit, utriusque sexus propinquior qui volet sibi aut suis saltem masculis nomen cum conditione assumere, Francisco substitutus legatum accipiat, & testatoris intentionem præstet. At vero ne ignoretur quod jamdiu a nobis factum est, statim, scilicet a morte Catharinæ sororis meæ hoc loco repetitum velim, fratris scilicet ac sororum meorum liberos ad jus repræsentationis esse vocatos, hocque testamento, si opus sit, iterum vocari, quia nihil mihi æquum aut rectæ rationi magis consentaneum videtur. Catharinæ igitur sororis meæ liberis, decem millia franci nummi do D & lego. Eritis & vos ex sorore Maria, quam mihi natura dedit postremam, amicitia fecit priorem, pari sorte contenti, qua ceteri qui mihi sunt eadem vobiscum necessitate conjuncti. Quod vero major mea soror præterita videtur, causa est præter eam quam dixi parentum hereditatis inter eos perditionem, eo tempore quo ejus utebar maxime consuetudine ac familiaritate, satis illi abunde satisfactum puto: nam præter quingentos quos in filiæ nuptiis coronatos dono dedi, adhuc tria millia numerata sunt nescio qua contemplatione vel colore potius quæsito ad fraternam concordiam; nam pro senatorio munere, quod nec tanti licitari hinc solebat, idem fere pretium patri adnumeraram: cui quidem patri ea semper mens fuit, æquam servare inter liberos conditionem. E Taceo minutiora, & eam quam exercui in liberos liberalitatem confirmans, Arculiani mei donum. Nepti meæ Hannequinæ ex suppellectili mea quidquid elegerit ad quadringentos. Instrumenta atque ornamenta capellæ meæ ad sacrum officium ecclesiæ divi Petri relinquo, excepto pastorali baculo & pretiosiore mitra, quæ do nepoti meo episcopo Catalaunensi. Reliquum vero hereditatis iis cedat usibus nempe piis, quibus tota aut melior pars debebatur. Ut vero mea in universum vobis constet vera voluntas, scitote mihi in animo esse totam hereditatem in trientem dividi, ac tripartitam esse bonorum meorum successionem, quorum bonorum una pars cedat piis legatis, secunda sororum meorum liberis, tertia Francisco fratris mei filio, ut sitis tres sorte & conditione pares,

atque ita ut inter pares priores partes teneant pia legata, suumque trientem præsentioris ac melioris pecuniæ obtineant, & reliqua suppellectilis meæ sub hasta bona fide ponantur piis usibus destinata: ut quarum fuere instrumenta, fiant piacula & expiationes vanitatum. Quia vero in quibus fortuna dominatur certa ratio vix iniri potest, ut hereditatis vires ferant per eos, & libera accessio aut discessio legatis fiat, piorum itaque legatorum, mea sic vobis aperiatur ratio. Fabricæ cathedralis ecclesiæ mille nummos, totidemque fabricæ cœnobii divi Petri do, lego, & hoc amplius fructus biennales locatæ pecuniæ, eidem Francisco relictæ ad ecclesiæ divi Petri structuram aut ornamentum: nempe ut meminerit ipse Franciscus, unde tantam sit consecutus, cuique acceptum referre debeat. Numerabit autem non simul aut semel, sed ut ratio operis postulabit. Cujus quidem operis rationem metiri volumus omnino ex usu ecclesiæ. Pueros meos ac nostram totam familiam honeste & liberaliter velim dimitti, nec prætermitti senem nostrum Gratianum. Guillelmi *du Breuil* inter eos nulla habeatur ratio, sperans aliunde illi prospicere. Cujus tamen omnem operam, studium & fidem huic negotio vindico, ut qui norit rerum nostrarum statum, meorum conscius consiliorum, quam quidem operam nolim mercede sua defraudari. Actum nono die Octobris M. DLXXII. Hieronymus episcopus Catalaunensis.

X L I.

Ex authentico.

Bulla Gregorii XIII papæ, pro rescissione aliquot canonicatuum in ecclesia Catalaunensi.

1584. GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sedis apostolicæ providentia circumspecta circa ecclesiarum quarumlibet, præsertim cathedralis insignis, ac personarum ibidem divinis laudibus insistentium, felicem successum & profectum intendens, nonnunquam beneficiorum in eis consistentium statum alterat & immutat, desuperque disponit prout rerum compensatis circumstantiis ad divini cultus & ministrorum ecclesiasticorum augmentum, ac ecclesiarum earumdem dignitatem & honorem, conspicit in Domino salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum capituli Catalaunensis petitio continebat, quod quum ecclesia Catalaunensis, quæ insignis existit, cujusque episcopus pro tempore existens inter pares & comites regni Franciæ annumeratur, ac in qua octo dignitates & triginta quinque canonicatus, & totidem præbendæ esse noscuntur, & annuis & fere jam assiduis impositionibus, ac hostium hereticorum deprædationibus & injuriis, aliisque incommodis quotidie nascentibus, tantam in fructibus suæ mensæ capitularis calamitatem acceperit, ut ipsi capitulum de cetero ex iisdem fructibus non modo clericos & presbyteros ad divina officia pro dignitate ipsius ecclesiæ celebranda, ac alia onera subeunda & coadjuvanda, alere, quinimo vix ad victum & vestitum canonicorum, nedum ad ædificia tecta tuenda & alias ordinarias impensas ejusdem ecclesiæ præstandas suppeditare possint; & exinde non mediocre divini cultus ibidem fiat detrimentum: si ex quatuor canonicatibus & quatuor præbendis ipsius ecclesiæ, quorum dum pro tempore vacant collatio & provisio & omnimoda dispositio ad ipsos capitulum legitime pertinet, inibi primo per illos obtinentium cessum vel decessum, simul vel successive vacaturis, octo canonicatus, minores nuncupandi, & totidem semi-præbendæ pro octo presbyteris seu aliis in sacris ordinibus constitutis, minoribus canonicis semi-præbendatis nuncupandis, perpetuo erigerentur & instituerentur, ac singulis minoribus canonicatibus semi-præbendatis præfatis erigendis & instituendis, ut præfertur, fructus, redditus, & proventus ac emolumenta quatuor canonicatuum & præbendarum hujusmodi æquis portionibus etiam perpetuo applicarentur & appropriarentur, duplicato sic personarum deservientium numero magna inde propemodum, & necessaria divino cultui accessio, ac certior officiorum ecclesiasticorum celebratio fieret, ipsiusque ecclesiæ dignitati & decori plurimum consuleretur. Quare pro parte capituli prædictorum, asserentium fructus, redditus & proventus quorumlibet canonicatuum & præbendarum hujusmodi, ac illis forsan annexorum viginti quatuor ducatorum auri de camera, secundum communem existimationem, valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus præmissis annuere, & desuper opportune de benignitate apostolica providere dignaremur. Nos igitur qui honestis petentium votis, præsertim in divini cultus, beneficiorumque & ministrorum ecclesiasticorum augmentum tendentibus libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, singulares personas capituli hujusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis & censuris, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de quatuor canonicatibus & de quatuor præbendis ipsius ecclesiæ, qui primo simul vel successive per cessum vel decessum illos obtinentium, seu aliis quibusve modis . . . . . octo canonicatus, minores nuncupandos, & totidem semi-præbendas in præfata ecclesia, quorum omnium dum pro tempore vacabunt collatio & provisio & omnimoda dispositio ad præfatos capitulum . . . . spectet & pertineat, pro octo presbyteris seu aliis in sacris ordinibus constitutis . . . . canonicis minoribus nuncupandis, qui in eadem ecclesia omnibus horis canonicis & aliis divinis officiis, tam diurnis quam nocturnis, per seipsos interesse, missasque & cetera hujusmodi divina officia etiam in turno celebrare teneantur; ita tamen ut propterea ceteri canonici ejusdem ecclesiæ se a celebratione missarum ac aliorum officiorum divinorum per seipsos facienda, aut a residentia personali aliisque oneribus dictæ ecclesiæ, quibus illi ratione suarum præbendarum . . . . tenentur, nullatenus exemtos & immunes esse prætendant . . . . erigimus & instituimus; singulisque sic erectis & institutis fructus, redditus & proventus, ac emolumenta præfata, æquis portionibus, ut præfertur, pro illorum dote similiter perpetuo applicamus & appropriamus, &c. . . . . Datum Romæ apud sanctum Marcum, anno Incarnat. Dominicæ M. DLXXXIV. kalendis Augusti, pontificatus nostri anno XIII.

X L I I.

Ordonnances publiées au synode tenu à Châlons le 23 septembre 1648.

N'Y ayant point de fonction si nécessaire & si propre à tous les pasteurs & curés, que de distribuer la nourriture spirituelle aux ames qui leur sont commises, & d'ailleurs reconnoissant la négligence que beaucoup apportent encore à s'acquitter d'une obligation si indispensable, nonobstant toutes nos ordonnances precédentes & les remontrances publiques & particulières que nous leur avons faites à ce sujet; Nous leur enjoignons par toute l'autorité que Dieu nous a donnée, de catéchiser & instruire intelligiblement & familièrement leurs peuples de tout ce qu'il faut sçavoir & pratiquer pour vivre chrétiennement, tous les dimanches & fêtes solemnelles depuis la fête de Tous les saints jusqu'après l'octave du saint Sacrement, & pendant le reste de l'année, tous les premiers dimanches des mois & grandes fêtes, sur peine

pour chacune fois qu'ils y manqueront, d'amende arbitraire appliquable à la fabrique de leur église. Sera en outre procédé contre les défaillans notablement par censures ecclésiastiques, & autres voies de droit. Et afin qu'aucun ne se puisse dispenser de ce principal devoir, nous souhaitons que les dimanches après leur prône, ou autre heure plus commode, ils lisent & expliquent au peuple un chapitre du catéchisme de Richelieu, Bellarmin ou autre semblable, & prendront garde tous de ne faire ou lire seulement un discours continu, mais se serviront aussi devant ou après d'interrogations & de réponses répétées mot à mot, trois, quatre & cinq fois s'il est nécessaire, sur toutes les matières principales. Au tems de carême ils instruiront trois fois la semaine ceux qui se présentent pour la première communion, & ce dans l'église, afin que le peuple s'y puisse trouver : & d'autant que les bergers & autres personnes qui sont souvent en voyage ne peuvent ordinairement se rencontrer à l'église aux heures que le reste du peuple s'y assemble pour assister au catéchisme, nous exhortons lesdits curés & vicaires de leur assigner certaines heures particulières & commodes pour leur enseigner les choses nécessaires à salut, dans l'église ou ailleurs. Et pour n'obmettre aucun moyen qui puisse contribuer à l'instruction des plus grossiers, & des grands aussi-bien que des petits, nous défendons à tous prêtres de donner l'absolution sacramentelle, & aux curés & vicaires de recevoir pour parrains & marraines, ou pour contracter mariage, aucunes personnes qui ne sçachent les principaux points de la doctrine chrétienne, ni même de publier aucun ban qu'ils ne les ayent trouvez suffisamment instruits; de quoi ils avertiront souvent le peuple : enfin nous les rendons responsables devant Dieu de la damnation de toutes les ames qui viendront à se perdre par leur lâcheté & nonchalance en ce point.


Pour empêcher le scandale & les desordres qui arrivent par la fréquentation des ecclesiastiques dans les tavernes, & qui n'ont pu jusqu'ici être réprimez, nous défendons à tous les ecclésiastiques de ce diocèse, de jouer, manger ou boire sous quelque prétexte que ce soit, dans les tavernes & cabarets de leur résidence ni en autres, sinon lorsqu'ils seront en voyage, à peine de trois livres d'aumône appliquable à la fabrique de leur église pour la première fois, pour la seconde de prison, pour la troisième de suspense ipso facto, *que nous nous réservons; sans que pour encourir ladite suspense* ipso facto, *il soit besoin que nous ayons prononcé & fait exécuter les autres peines, ce que souvent nous ne pouvons faire faute d'être avertis des contraventions; à quoi néanmoins nous enjoignons à nos doyens & promoteurs ruraux, de veiller soigneusement & nous donner avis des coupables.*

Que personne ne soit admis à être maître d'école, d'écriture ou clerc d'église, qu'il n'ayt été approuvé pour cette paroisse de nous, nos grands vicaires ou doyens ruraux, ce que nous accorderons sans frais : & seront lesdits maîtres d'école tenus de se trouver aux visites qui se feront ès paroisses, pour répondre de l'acquit de leur charge. Et afin de prévenir les scandales qui pourroient arriver, nous défendons auxdits maîtres d'école sous peine d'excommunication, de plus recevoir ci-après dans leurs écoles aucunes filles; & voulons qu'incontinent après la notification de notre présente ordonnance, qui leur sera faite par les curés des lieux, ils congédient lesdites filles qui pourront être instruites par quelques honnêtes femmes & de bonnes mœurs.

La prophanation des cimetières se trouvant presque générale, nous exhortons autant qu'il nous est possible, tous curés & marguilliers, de tenir la main pour les faire rétablir en l'etat auquel doivent être les lieux sacrés, & empêcher qu'il ne s'y fasse aucune assemblée pour affaire temporelle & commerce prophane. Ordonnons que, dans trois mois lesdits cimetières soient environnez de murailles ou fossés relevez à hauteur suffisante, & qu'aux avenues on y mette des portes ou grilles de fer ou de bois, afin que les bêtes n'y puissent entrer ni paître; & pour plus grande facilité, nous donnons pouvoir auxdits curés de permettre, si besoin est, à leurs paroissiens, de travailler à la réparation desdits cimetières les dimanches & fêtes communes après tout le service : après quoi si toutes nos ordonnances se trouvent inutiles, nous les interdirons tout-à-fait, & déclarerons n'être plus terre benite; & voulons que les curés le fassent entendre à leur peuple.

Nous avons reconnu avec beaucoup de déplaisir par nos visites & celles qu'ont fait nos archidiacres, doyens & promoteurs ruraux, que le bien de la plûpart des fabriques a été presque par-tout ou fort mal administré, ou même dissipé & vendu par les habitans des lieux, ce qui est cause que l'on voit la plûpart des églises fort désolées, & qui tombent en ruine : c'est pourquoi nous enjoignons expressément aux curés de solliciter leurs paroissiens à donner une déclaration par main publique, des biens qu'ils ont usurpez sur leur fabrique, avec promesse de le rendre quand la paix sera faite, & cependant en payer l'intérêt, pour être appliqué à l'entretennement de leurs églises. Les confesseurs refuseront l'absolution à ceux qui détiennent les biens appartenans auxdites fabriques, ou leur sont redevables en quelque façon que ce soit, s'ils ne se mettent en devoir d'en faire restitution à proportion de leur pouvoir, & de rendre leur compte s'ils ont été marguilliers, trois mois après qu'ils seront sortis de charge. Et pour l'avenir nous défendons à toutes personnes de quelque condition qu'elles soient, de les vendre, engager ou employer pour les affaires des communautés ou quelqu'autre usage prophane que ce puisse être, sous peine d'excommunication ipso facto, *à nous réservée.*

Nous enjoignons aussi à tous curés & vicaires, de tenir leurs églises, autels, ornemens, les plus propres qu'il leur sera possible, & particulièrement de renouveller tous les quinze jours au moins, les hosties consacrées qu'on garde dans les ciboires pour les malades, conformément à nos ordonnances précédentes, à la pratique desquelles nous les exhortons de se rendre très-fidelles. Fait à Châlons le 23 Septembre 1648. Felix, E. C. de Châlons. Par mondit seigneur, Mariette.



INSTRUMENTA ECCLESIÆ LAUDUNENSIS.

A

I.

Ex Sammarthanis, & Diplomatica pag. 451.

961.

Rorico episcopus restituit monachos in abbatia sancti Vincentii Laudunensis.

AUxiliante supernæ propitiationis clementia, ego Rorico, etsi indignus sanctæ Laudunensis ecclesiæ præsulatum indeptus, considerans ultimæ evocationis sortem ut ceteris, mihi quoque imminere, peccatorum quoque meorum quam magno depressus gravamine, cœpi apud me tacita deliberatione tractare quiddam huic sedi, cui, auctore Deo, præsideo, profuturum, meis vero, ut opinor, consulendis criminibus pernecessarium; siquidem in latere montis, cui præeminet civitas, in prospectu scilicet ejus est ecclesia sita sancti Vincentii egregii martyris cultu & B honore venerabilis; super qua fama ferebatur antiquis temporibus insigne fuisse monasticæ conversationis, quæ quidem moderno tempore omni destitutionis succumbebat penuriæ, donec prædecessor noster Adelmus undequaque sumptibus duodecim canonicorum in ea assiduum constituit servitutis conventum, ordine vivendi religiosum. Quo ita defuncto, crescentibus diversarum cladium malis, pene ad pristinum relapsa est desolationis detrimentum; quod ego non æquanimis ferens, maxime quia non tantum hujus sedis episcoporum, sed etiam canonicorum, clericorum, nobilium, necnon laïcorum habebatur sepultura: accito generali conventu, ipsius consilio deliberavi in antiquum, ut fama erat, monasticæ conversationis statum reformare, & prout temporis dictabat oportunitas, quantulumque monachorum ibidem C numerum aggregare. Evocatis igitur a monasterio sancti Benedicti supra Ligerim sito, duodecim monachis, venerabilem eis Melcalanum præfeci abbatem; quibus inter cetera beneficia a me sibi collata, secundæ sedis dignitatem episcopatus ab antecessoribus nostris antiquitus eidem ecclesiæ concessam approbans confirmavi; sepulturam quoque episcoporum, canonicorum, casatorum, custodum matris ecclesiæ, capellanorum & servientium, ac familiarium eorum. Concessi etiam procinctum montis & vallis districtum, quæ ut sine aliqua calumnia teneant, sicut dedi, ita & consilio & assensu prædicti conventus determinavi ..... sigillo, quod etiam clericorum nostrorum, & nobilium laïcorum testimonio subtus roborare censuimus. D Signum Roriconis indigni Laudunensium præsulis. [Statuimus ergo eam mittere venerandæ synodo quæ habita est apud Montem sanctæ Mariæ in pago Tardanensi, mense Maio, ubi recitatum est hoc, residente donno Adelberone archiepiscopo cum coepiscopis, atque omnium assensu ab eis roboratum. Ego Adalbero sanctæ Remensis ecclesiæ archiepiscopus, subscripsi & corroboravi. Ego Guido Suessionensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Ego Hadulfus Noviomensis episcopus subscripsi. Ego Hildegarius Belvacensis episc. subscripsi. Ego Tetboldus Ambianensis episcopus subscripsi. Sign. Rodulfi præpositi. Sign. a Heriberti archidiaconi, &c.[a]] Actum Lauduni anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCCLXI. indictione IV. kalendis Octobris, in anno septimo E Lotharii regis.

a Consulte observavit Marlotus tom. 2. pag. 10. ea omnia quæ duobus uncinis interclusimus, addita fuisse autographo post synodum habitam in Monte sanctæ Mariæ; propterea quod annus 961 non cohæret cum præsulatu Adalberonis Remensis archiepiscopi.

II.

Ex tabulario S. Vincentii Laudunensis.

975.

Lotharius rex confirmat restitutionem & possessiones monachorum in monasterio S. Vincentii Laudunensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Lotharius divina propitiante clementia Francorum rex. Si fidelium nostrorum ratis petitionibus maximeque in rebus ad Dei cultum pertinentibus serenitatis nostræ aurem aperimus, proculdubio prædecessorum nostrorum, regum scilicet atque imperatorum morem imitamur, nec solum petentes cum de causa Dei agitur nostræ fidelitati consolidare, immo quod majus est Dei & Domini nostri Jesu Christi propitiationem nobis confidimus exorabilem reddere, qui ad hoc sanctæ & universali suæ nos præfecit ecclesiæ, ut eam regere tuerique, & de ejus necessitate, utilitate atque exaltatione solliciti in omnibus studeamus esse. Quapropter cunctis ejusdem sanctæ ecclesiæ filiis fidelibusque nostris, tam præsentibus quam futuris, liquido patere volumus, quoniam venerandus Laudunensis urbis Rorico episcopus nostram adiens mansuetudinem humiliter postulavit, quatinus pretiosissimi martyris Christi Vincentii basilicæ in suburbio prædictæ civitatis supra montem constitutæ adeoque honoratæ, ut secunda sedes ex antiquo sit appellata, & episcoporum, canonicorum ac nobilium laïcorum totius urbis fuerit sepultura, ob quasdam res ibi noviter fidelium largitione accretas, nostræ regiæ authoritatis præceptum renovare dignaremur. Nam eidem loco petente prænominato præsule præcepti nostri jamdudum cautionem impertiveramus, cum ille ibi in suam suorumque & urbis tutelam monasticam constituebat regulam. Cujus petitionem quoniam idoneam ac proficuam esse comperimus, ob amorem Dei ac præcellentissimi martyris ejus Vincentii, ob salutem nostram, conjugis & prolis, totiusque nostræ posteritatis, statuimus hoc nostræ authoritatis seu renovationis præcepto jam dictæ basilicæ, ut inibi monasticus ordo, Deo auxiliante, perduret. Statuimus etiam ut abbas & monachi ibi Domino militantes militaturive, quiete ac libere teneant quæcumque ex antiquo ad ipsum locum possessa, quæcumque a sæpe nominato episcopo & canonicis ejus addita, quæcumque postremo a fidelibus viris quoquo tempore sunt collata, quæve conferentur per succedentia temporum curricula, inter quæ omnia ecclesiam de Capriniaco villa in comitatu Laudunensi super Aquilam fluvium posita, S. Medardi nomine insignita, cum atrio, capellis, accolis, omnibusque legitimis appenditiis teneant. Statuimus quoque ut in parte illius montis sicut hæ tres ecclesiæ sunt sitæ, videlicet sancti Vincentii & sancti Genesii, atque S. Hilarii, nullus ex nostris fidelibus dare mansiones vel accipere præsumat, sed nec eisdem sanctis locis suisque subjectis omnibus aliquam contrarietatem injuste inferat, neque de rebus vel hominibus ad ipsas ecclesias pertinentibus, sive modo habitis, sive in futuro conferendis aliqua judiciaria potestate exerceant freda vel thelonea a quoquam illorum hominum exigere unquam audeat. Hæc igitur omnia ad prædictum sancti Vincentii locum salvo episcopalis sedis respectu, salvo in omnibus jure ecclesiastico, nostræ authoritatis consentientes & corroborantes præcepto monachos ibidem deputatos cum suis omnibus, sub immunitatis & libertatis testamento vivere sancimus, ut tali opere fulti ad ministerium Domini nostri Jesu Christi peragendum expediti & devoti operatores existant, optataque Deo serviendi libertate & quietudinis tranquillitate potientes liberius nostra pro communi salute perpetuis temporibus exorare

valeant. Ut autem hæc nostræ serenitatis authoritas inviolabilem semper obtineat vigorem, manu nostra eam subterfirmavimus, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Actum Compendio palatio regis, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXV. regnante Lothario rege. Signum Lotharii gloriosissimi regis.

III.

Ex authentico.

Instrumenta duo ad fundationem abbatiæ Ribodimontis spectantia.

Anselmi fundatoris.

1083. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Anselmus Ribodimontensis comes, &c. Notum esse volumus universis sanctæ Dei ecclesiæ filiis, quoniam ego Anselmus de Ribodimonte ad honorem B. Mariæ Dei genitricis & beatissimi Nicolai confess. abbatiam constituimus, quam liberam & quietam, & ab omni inquietatione & subjectione alicujus personæ absolutam esse concedimus in perpetuum, salva reverentia & ex christianitate debita, & canonica subjectione sanctæ Remensis ac Laudunensis ecclesiæ. Huic autem abbatiæ, inspirante divina gratia, donamus villam quæ dicitur Luciacus, cum furno, banno & districto; villam quæ dicitur Montigniacus, cum banno & districto; villam quæ dicitur Moncellis, cum toto furno; & dimidiam partem vivarii, & dimidiam partem molendini, pascua & omnes opportunitates ejusdem villæ; & in aqua quæ est sub eadem villa, piscaturam ad opus monachorum; & quod est nostri juris apud Albreceias; & quod possidemus apud Mascerias & apud Audoncurtem; & duos molendinos sub Ribodimonte constitutos, & silvam, & terram quæ est inter duas aquas, necnon & aquas nostras Ribodimontis castri, ad piscandum ad opus monachorum, & servos & ancillas, seu ex servili conditione, sive sponte sua ecclesiæ donatos; & cetera omnia ipsius abbatiæ monachi soluta & quieta teneant & possideant sine advocatione & absque omni consuetudine, quam deinceps nullus inde requirat, nec ego ipse, nec meus successor, nec alius quilibet quicquam, nisi orationem fratrum ibidem Deo servientium: ad hæc siquidem quæcumque præfato loco a fidelibus donata sunt vel fuerunt, fratribus ipsis annuimus possidenda, nullo mihi jure retento. Concedimus etiam pascua & omnes opportunitates in territorio castri Ribodimontis, ad usus servorum & ancillarum eorum, libere & absolute, & sine omni molestia. Concedimus etiam quod si quis utriusque sexus advena supervenerit, infra unum annum & diem prædictæ ecclesiæ se donare sine contradictione, vel mei vel meorum successorum poterit. Eorum autem abbate ingresso viam universæ carnis, vel si alio aliquo modo eidem monasterio abbas defuerit, de ipso loco abbatem sibi eligant communi consilio & assensu capituli, vel de alio quocumque monasterio voluerint, nulla mihi consuetudine reservata, vel jure retento. Electus vero communi assensu capituli ad benedicendum ducatur nostro vel nostri heredis conductu, ut honorificetur, atque tunc demum curam animarum per pastoralem virgam accipiat, & a monachis deinceps in patrem & pastorem recipiatur. Ut vero hæc superius inserta omnia in perpetuum firma & inconvulsa permaneant, memoriale præsentis paginæ inde fieri, & nominis nostri charactere & sigillo signari & corroborari volumus. Acta sunt hæc apud Laudunum anno Incarnati Verbi M. LXXXIII. indictione V. anno Philippi Francorum regis XXIII. His testibus quorum nomina subtitulata sunt & signa. Sig. Helinandi Laudunensis episcopi. Signum Rainaldi Remensis archiepiscopi. Sig. Rainaldi Suessionensis comitis. Sign. Guidonis de *Lescieres*. Sig. Bernardi de Ribodimonte. Signum Petri capellani. Signum Roberti *Angusel*.

Philippi I regis.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, &c. 1084.
Notum fieri volumus fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, quod Anselmus de Ribodimonte adiit serenitatem nostram, obsecrans ut quamdam abbatiam quam ipse constituerat proxime Ribodimontem, in honore S. Dei genitricis & beatissimi confessoris Nicolai, ei nos in perpetuum stabilem ac firmam fore concederemus, & nostræ majestatis vigore corroboraremus, & quæcumque eidem loco largiebatur de bonis suis sine advocatione, & absque omni consuetudine quam inde requirat, deinceps tam ipse quam sui successores, nec alius quilibet nisi fratrum orationes in ipso loco Deo militantium, in perpetuum & solute & quiete possidenda & habenda; cujus petitioni benigne ac pie annuendo præfatam abbatiam in posterum amodo stabilem & ratam fore statuimus, firmando quoque concessimus & concedendo firmavimus, idipsum postulante domino Helinando Laudunensi episcopo, ut locus ipse deinceps solutus sit & quietus, & fratres monachili religione ibidem Deo servientes, ab omni inquietudine & subjectione cujuslibet personæ, salva reverentia & ex christianitate debita, & canonica subjectione sanctæ Laudunensis ecclesiæ & ipsius sedis episcopi. Quæcumque vero a præfato Anselmo eidem loco donata sunt, villam videlicet Luciacus, villam quæ dicitur Montiniacus, villam quæ dicitur Moncellis, & quod eidem loco contulit apud Albreceias, & apud Macerias, & apud Audoncurtem, & duos molendinos apud Ribodimontem, & silvam, & terram quæ est inter duas aquas, & servos & ancillas, & cetera omnia ipsius abbatiæ monachi soluta & quieta teneant & possideant sine advocatione, & absque omni consuetudine quam deinceps inde requirat, tam ipse quam successores sui, nec alius quilibet, nisi orationes fratrum ibidem Deo servientium: ad hæc siquidem quæcumque præfato loco a fidelibus donata sunt vel fuerunt, fratribus ipsis annuimus possidenda. Eorum autem abbate ingresso viam universæ carnis, vel si alio aliquo modo eidem monasterio abbas defuerit, de ipso loco abbatem eligant communi consilio & assensu, vel de alio quocumque monasterio voluerint. Electus vero communi consilio capituli atque Anselmi, seu ipsius heredis ad benedicendum ducatur, atque tunc demum curam animarum per pastoralem virgam accipiat, & monachis deinceps abbas ordinetur, &c. Actum apud Ribodimontem anno Incarnati Verbi M. LXXXIV. indict. VII. anno regni Philippi Francorum regis XXIV. præsentibus iis quorum nomina subtitulata sunt. Gilbertus ad vicem Gosfridi cancellarii Parisiorum episcopi relegendo subscripsi. Signum Helinandi Laudunensis episcopi, Raynaldi Remensis archiepiscopi, Rotgeri Catalaunensis episcopi, Rabodonis Noviomensis episcopi, Gerardi Cameracensis episcopi, Gerardi Taruennensis episcopi, Roriconis Ambianensis episcopi, Ingelranni Suessionensis episcopi, Vidonis Belvacensis episcopi, Hugonis comitis Ponivii, comitis Eubali de *Rocei*, comitis Rainaldi Suessionensis, comitis Balduini, Valentiani, Eustatii vicedomini Catalaunensis, Josslini Belvacensis, Balduini de *Curci*, Radulfi filii *Blith*, Vidonis de *Lescieres*, Vidonis de *Vitrey*, Bernardi de Ribodimonte, Petri Castellani, Roberti *Angusel*, Walberti Lati . . . . , Winemari Laudunensis.

IV.

Epistola Urbani II papæ ad Ingelrannum episcopum Laudunensem.

Ex codice ms. Baluzii 1047. nunc bibliothecæ regiæ.

Circiter 1099.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, Ingelranno Laudunensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Quanto familiarius ab

ecclesia Romana diligeris, tanto carius quos ipsa diligit fovere debueras & amplecti. Idcirco ab infestatione fratrum beati Remigii fraternitas tua cesset, & altare quod in villa quæ Corbiniacus dicitur iidem fratres habere noscuntur eis restituat. Etenim personas removimus, non tamen antiquæ possessionis jus abstulimus monasteriis. In illa siquidem personarum mutatione avaritiæ renovatio, & ecclesiasticarum rerum distractio contingebat. Porro altaria quæ per quadraginta seu triginta annos monasteria possederunt, sicut in synodo constitutum est, immota eis permanere volumus. Nulla igitur de cetero eisdem fratribus de supradicto altari molestiam inferas, salva tua episcopali justitia.

V.

Ex Sammarthanis.

Chartæ tres de fundatione monasterii Fusniacensis.

I. Bartholomæi episcopi Laudunensis.

1121. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Bartholomæus Dei gratia Laudunensis episcopus. Notum esse volumus tam præsentibus quam futuris, quod Fusniacus erat alodium sancti Michaelis, & cum locus ille non multum esset utilis eidem ecclesiæ, impetravimus ab Elberto abbate & monachis loci illius, ut illum locum nobis liberum & absolutum redderet, ad faciendum quicquid inde facere vellemus. Nos autem eumdem locum assensu prædicti abbatis & capituli ejus monachis de Claravalle liberum & absolutum reddidimus, ut ibi abbatiam constituerent, & libere & quiete Deo deservirent. Actum anno Domini M. CXXI.

II. Ludovici VI regis.

1121. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum esse volumus tam præsentibus quam futuris, quod commutationem illam quam fecit Bartholomæus Laudunensis episcopus, pro terra illa quam possident monachi de Fusniaco, nostro assensu & voluntate fecit. Et deinceps quicumque eis aliquid dederit, vel ad possidendum vel ad commutandum quod a nostra regia descendat potestate, illa largitio vel commutatio nostra fiat concessione. Ut vero firmior nostra concessio habeatur, nostræ regiæ imaginis impressione confirmari præcepimus. Actum Lauduni anno Incarnationis Domini M. CXXI.

III. Ejusdem Bartholomæi episcopi.

1121. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Bartholomæus Dei gratia Laudunensis præsul. Notum esse volumus tam præsentibus quam futuris, quod alodium sancti Stephani de Fidemensi erat contiguum terræ monachorum de Fusniaco, & cum necessarium esset eis, impetravimus ab abbate Roberto de Fidemensi & ejus capitulo, ut idem alodium mihi redderent. Et ego assensu supradicti abbatis & ejus capituli, monachis de Fusniaco reddidi ut liberum & absolutum idem alodium jure perpetuo possiderent. Ut autem hæc traditio inconvulsa permaneat, impressione nostræ imaginis confirmari & corroborari præcipimus. Actum anno Dom. M. CXXI.

VI.

Ex Sammarthanis.

Ecclesia sancti Martini Laudunensis datur Præmonstratensibus.

1124. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Bartholomæus Dei gratia sanctæ Laudunensis ecclesiæ minister indignus, &c. Notum igitur esse volumus tam præsentibus quam futuris, quia cum in ecclesia sancti Martini de suburbio Laudunensi, A quo prius secularium clericorum quidam fratres nostris temporibus ad regulariter vivendum se transtulissent, atque aliquandiu inibi commorantes, de die in diem peccatis exigentibus, imperitia ac negligentia exteriores possessiones magis magisque desererent : neque interius, vel numero vel religione proficerent, novissime anxii, & de loci illius dejectione solliciti, ex consilii nostri decreto in hanc sententiam declinavimus, ut fratris Norberti qui in Vosagii silva apud Præmonstratum locum, cum magna famulorum Dei manu, sub canonica professione eremiticam vitam constituerat, curæ & dispositioni ecclesiam illam committeremus : qui cum precibus nostris acquievisset, sancitum est ut sicut ille locus ab antiquo in manu prædecessorum nostrorum B exstiterat, ita & nunc in nostra successorumque nostrorum remaneat, fratresque qui ad eum pro salute animarum pia devotione convenient, ordinato sibi abbate secundum regulam beati Augustini ad tenorem Præmonstrati loci canonice vivant. Quod si forte abbas beati Martini, instigante diabolo, a regulæ suæ tramite deviaverit, conventusque ab episcopo Laudunensi atque Præmonstrati loci abbate, in præsentia Laudunensis ecclesiæ, in pertinacia & aversione sua permanserit, convocatis ejusdem religionis coabbatibus apud Præmonstratum de regulæ suæ executione sub eorum testificatione discutiatur atque corripiatur. Si vero in malo suo obstinatus, & sicut confutatus incorrigibilis apparuerit, absque ulla retractione ab eisdem abbatibus secundum reli- C gionis suæ institutionem deponatur, aliusque idoneus, eorum communi consilio & electione, in locum ejus e vestigio subrogetur, & ab episcopo Laudunensi ordinetur. Sign. Bartholomæi Laudunensis episcopi. Sign. Widonis decani & archidiaconi. Sign. Radulfi archidiaconi. Sign. Seifridi abbatis sancti Vincentii. Sign. Simonis abbatis sancti Nicolai de Silva. Sign. Bernardi abbatis Claraevallis. Sign. Rainaldi abbatis Fusniacensis. Sig. Blehardi cantoris. Sig. Drogonis presbyteri. Signum Ebali subdiaconi. Sign. Widonis subdiaconi. Sign. Roberti acolythi. Signum Roberti decani sancti Joannis. Sign. Gaufridi cantoris. Sign. Haimonis thesaurarii. Sig. Henrici. Sig. Guntranni. Sign. Hugonis. Sign. Clarembaldi de Foro. Signum Nicolai Castellani. Anno Incarnationis Dominicæ D M. CXXIV. indictione XII. epacta XX.

VII.

Ex Sammarthanis, & Marlot.

Chartæ tres de institutione monachorum in abbatia sancti Johannis Laudunensis.

Ludovici VI regis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. 1128.
Ego Ludovicus Dei misericordia in regem Francorum sublimatus. Notum fieri volo cunctis fidelibus tam futuris quam instantibus, quod in conventu quem fidelis noster Rainaldus II venerabilis Remorum archiepiscopus Atrebati cum universis suffraganeis suis episcopis & abbatibus sexto idus Maii tenuit, ubi & nos præsentes aderamus; ipse E & Bartholomæus venerandus Laudunensis episcopus humiliter nos convenerunt, cum multa precum instantia postulantes ut Laudunensem beatæ Mariæ & beati Joannis ecclesiam quæ regalis abbatia est, quia sanctimoniales quæ ibi ab antiquo fuerant, nimis indigne & enormiter se habebant, ad meliorem religionis statum duci, & monachos ibidem substitui concederemus, quam profecto petitionem rationabilem & utilem cognoscentes, voluntati eorum & consilio assensum dedimus, & in prædicta ecclesia abbatem & monachos substitui, & haberi in perpetuum, salvo ibi in omnibus jure regio, & Adelaidis reginæ uxoris nostræ dotalitio, benigne quidem concessimus, ita siquidem quod subjectionem illam quam

quam ceteræ abbatiæ nostræ quæ in episcopatu Laudunensi sunt, Laudunensi episcopo debent & exhibent, abbatia illa eidem episcopo sine aliquo juris regii detrimento debeat & exhibeat. Quod ne valeat oblivione deleri scripto commendavimus, & ne possit a posteris infirmari, sigilli nostri auctoritate & nominis nostri charactere subterfirmavimus. Actum Atrebati publice anno Incarnati Verbi M. CXXVIII. regni nostri XX. astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Ludovici buticularii. Signum Hugonis constabularii. Signum Alberici camerarii. Dapifero nullo. Data per manum Simonis cancellarii. Signum Rainaldi Remensium archiepiscopi. Sign. Josleni Suessionensis episcopi. Sign. Bartholomæi Laudunensis episc. Sig. Simonis Noviomensis & Tornacensis episcopi. Sig. Joannis Morinensis episcopi. Signum Garini Ambianensis episcopi. Sig. Roberti Atrebatensis episcopi. Sign. Clarembaldi Silvanectensis episcopi. Signum Petri Belvacensis episcopi.

Bartholomæi episcopi Laudunensis.

1129. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Bartholomæus Dei gratia sanctæ Laudunensis ecclesiæ minister indignus, &c. Notum igitur esse volumus tam præsentibus quam futuris, quia cum divinæ misericordiæ respectus Laudunensem abbatiam beatæ Mariæ sanctique Joannis Baptistæ visitasset, ita ut eliminato irreligiosarum feminarum grege, quæ vitæ suæ incorrigibili enormitate & locum infamaverant, & plurimis aut periculosæ offensionis aut perditionis causa fuerant, religiosus inibi monachorum ordo institueretur: de loci illius emendatione divinæ dispositioni congratulantes, quanto potuimus favore benevolum assensum præbuimus, atque religiosorum virorum interventibus, aliquod & in vita imperfectioni nostræ patrocinium comparare quærentes, & post mortem perpetuam animæ nostræ memoriam ibi firmare cupientes, quæ a nobis petierunt gratanter annuimus; & quæ ex antiquo prædecessorum nostrorum locus ille vetustissima jam olim possessione tenuerat, nostra quoque manu eis firmavimus, ne quis forte, quia hæc in monasterio illo ordinis mutatio facta est, possessionibus eorum aliquid calumniæ inferre moliatur. Hanc autem nostræ sanctionis schedulam testium subscriptione & sigilli nostri impressione roborari præcepimus. Et ne quis eam in posterum aliquatenus infirmare vel aliquam ei calumniam inferre præsumat, sub anathemate interdiximus. Signum Bartholomæi episcopi, qui hoc privilegium fieri jussit. Sig. Widonis decani, Letoudi archidiaconi, Blihardi cantoris, Huberti sacerdotis, Alberici sacerdotis. Signum Benedicti sacerdotis. Signum Roberti sacerdotis. Sign. Joannis diaconi. Sign. Petri diaconi. Sign. Joscelini diaconi. Actum Lauduni anno Dominicæ Incarnationis M. CXXIX. indictione VIII. epacta IX. conc. primo, anno regni domini Ludovici XXI. filiique ejus Philippi anno primo; episcopatus autem Bartholomæi anno XVII. Ego Radulfus sanctæ Mariæ cancellarius relegi.

Innocentii II papæ.

1130. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Drogoni abbati monasterii S. Mariæ sanctique Joannis Baptistæ in Laudunensi civitate, ejusque fratribus, salutem & apostolicam benedictionem. Ad hoc nobis a Domino pastoralis officii cura commissa est, ut & beneplacentem Deo religionem laboremus statuere, & stabilitatem exacta diligentia conservare; venerabiles siquidem fratres nostri Rainaldus Remorum archiepiscopus & Bartholomæus Laudunensis episcopus, consilio fratrum nostrorum Gosleni Suessionensis, Simonis Noviomensis, Petri Belvacensis, Roberti Atrebatensis episcoporum, interventu etiam clarissimi filii nostri Ludovici regis Francorum, in prænominato beatæ Mariæ sanctique Joannis monasterio, ubi quædam mulieres sub monialium nomine pravam & inhonestam vitam ducebant, monachos religiosos utique viros substituerunt, & te, dilecte in Domino fili Drogo, abbatem eidem conventui præfecerunt. Quod ergo ab eis pro statuenda & reformanda religione de præfato monasterio factum est, nos auctoritate apostolica confirmamus, & firmum volumus futuris perpetuo temporibus permanere. Decernimus igitur ut quæcumque præfatum monasterium inpræsentiarum juste & legitime possidet, vel in futurum, præstante Domino, rationabiliter poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus regulariter substituendis, & illibata permaneant. Datum apud Rohænnam pridie nonas Novembris.

VIII.

Radulfus Veromanduorum comes restituit monachis Vincentianis, donationem Anselmi de Ribodimonte. *Ex tabulario S. Vincentii Laudunensis.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Bartholomæus Dei gratia sanctæ Laudunensis ecclesiæ minister indignus. Quia, propitiante Deo, licet indigni, in domo ejus dispensatoris vice fungimur, oportet ut & interna ovilis dominici pia sollicitudine provideamus, & unde exterioris hominis lutea & fragilis materia in tempore incolatus sui sustentari ac refici possit, minime negligamus. Hanc autem curam cum omnibus in commune nobis commissis ex injuncti officii necessitudine debeamus, speciali tamen quadam suæ provectionis prærogativa illi præcipuum nostræ sedulitatis studium sibi vindicare videntur, qui abjecta seculi sarcina in monasteriis aut ecclesiis sanctæ contemplationis jucunda quiete Deo soli vacare prælegerunt, quatenus si facultas suppetit eorum usibus munificos nos exhibeamus, aliorumque erga eos munificentiam approbemus & episcopali auctoritate roboremus. Itaque notum esse voluimus tam posteris quam modernis, quia cum Ansellus de Ribodimonte pater Godefridi monasterio sancti Vincentii de suburbio Laudunensi multa mala fecisset, tandem gratia divina cor ejus visitante, reatus sui pœnitentiam agens se in capitulo sancti Vincentii flagellari fecit, ipsique monasterio in eleemosynam & damnorum quæ fecerat recompensationem de omnibus quæ fratres cœnobii ipsius carricare vellent, totum vionagium ad castellariam Ribodimontis pertinens, sive in ipso castello, sive apud Macerias sancto Vincentio in perpetuum condonavit, atque inde donum super altare posuit; cui donationi totus capituli conventus interfuit. Insuper & testes affuerunt Herbertus secrestanus, Vilbertus dapifer, Herbertus faber, Fulbertus de *Hainou*, Hescelinus carnifex. Cum autem abbatia beati Vincentii hanc vionagii remissionem multo tempore integre & absque omni calumnia tenuisset, tandem castello redacto in potestatem Radulfi comitis Viromandensis, de cujus etiam feodo descendebat, officialium ipsius improbitas hujus consuetudinis cum partem annueret, partem contradicere cœpit. Eapropter Anselmus tunc temporis sancti Vincentii abbas præfatum comitem adiit, & qualiter a bonæ memoriæ Ansello de Ribodimonte B. Vincentio vionagii remissio facta fuisset, enarravit, atque ab eo impetravit ut pro Dei amore & animæ suæ salute annuentibus his qui in ipso vionagio partes suas habebant, videlicet Albrico de Roia, Simone filio Helberti, Guidone de *Moy*, vionagium quod ad totum dominium Ribodimontis pertinet, beato Vincentio in eleemosynam redonaret, & privilegio firmari a nobis quia ipsum castrum in nostra diœcesi est, postularet de omnibus scilicet quæ 1133.

fratres ad sæpefatum cœnobium pertinentes sibi necessaria ducere vel reducere voluerint; porro Theudo de Firmitate, Johannes de Maceriis, Robertus filius Ingelberti, Robertus filius *Angelare* qui apud Macerias pontonagium habent, pro animarum suarum remedio sancto Vincentio in eleemosynam dederunt pontonagium de omnibus rebus quas traducere vel reducere fratres ecclesiæ voluerint. Rogatu igitur supradicti comitis & eorum ad quos donatio tam vionagii quam pontonagii pertinebat, hoc scriptum fieri ad utramque ipsi sancto donationem confirmandam præcepimus, quod testium subnotatione ac sigilli nostri impressione roborari curavimus. Et ne quis in posterum quippiam horum cassare præsumat, anathematis sententiam interposuimus. Signum Bartholomæi episcopi, qui hoc privilegium fieri jussit. Actum Lauduni IV. kalendas Junii, anno Dominicæ Incarnationis M. CXXXIII. indictione XI. epacta XII. concurrente VI.

IX.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Bartholomæus Laudunensis episcopus confirmat fundationem Vallis-claræ.

1141. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Bartholomæus divina miseratione Laudunensis ecclesiæ minister humilis, omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, in perpetuum. Cum omnibus nobis commissis ex pastorali officio curam exhibere debeamus, maxime paci eorum & tranquillitati, qui relicto mundi tumultu ut liberius Deo servire valeant, contemplationi se contulerunt, propensiori cura nobis est laborandum. Eapropter fratribus de Valle-clara ibidem Deo servientibus quæcumque a fidelibus ob animarum suarum remedia, sive a nobis collata sunt, auctoritate episcopali præsenti pagina confirmare decernimus. Altare siquidem de *Curtmemblein* quæ nunc Vallis-clara nuncupatur, etiam altare de *Setmeis* & altare de Geoffridi-curte, ab omni synodali jure & parochiali subjectione libera & soluta decernimus. Casam vero ejusdem ecclesiæ, scilicet duas partes decimæ & quamdam partem terræ de *Curtmemblein* & de *Lisile*, quam Galterus de Roceio, Ermengarde uxore sua ac liberis suis laudantibus, fratri Roberto donavit, pro qua tamen prædictus Robertus Rainero ac Rainaldo fratri ejus pro pace componenda, quinque solidos singulis annis habere concessit. Cum autem frater Robertus suprascriptam ecclesiam cum omnibus quæ sibi data fuerant, ad abbatiam construendam abbati Claræ-vallensi concessisset, Ermengardis uxor Galteri & Gervasius filius ejus, quidquid ibi juris habebant & in dominio, & quidquid alii ab illis tenebant, pro animabus suis ecclesiæ beatæ Mariæ de Valle-clara concesserunt. Petrus etiam de Suessonia quidquid ibi habebat, tam in terra quam in bosco, præfatæ ecclesiæ concessit. Ado quoque de Craonella quidquid ibi tenebat, fratribus de Valle-clara contulit assensu Rainaldi Revelonis. Rainerus & frater ejus Rainaldus quidquid ibi tenebant & clamabant, acceptis inde decem libris, & singulis annis decem solidis, pro pace componenda prædictæ ecclesiæ concesserunt, eodem Rainaldo Revelone laudante. Haymardus vero filius Claronis medietatem *Setmeis* & quidquid ad eam pertinet, tam in terris quam in silvis, acceptis viginti libris prædictis fratribus tradidit, assensu Bosonis & uxoris suæ cum liberis, Petro quoque de Suessonia cum uxore sua & liberis, & Stephano Strabone de Novocastello concedentibus. Odo etiam de Turro qui alteram medietatem ejusdem villæ tenebat, totam terram quæ antiquitus fuit arabilis eisdem fratribus concessit, excepta Heri silva, de qua tamen ad omnes usus suos quantum vellent acciperent, & quidquid in decima ejusdem villæ habebat; ita tamen ut etiam boscum qui in terra arabili creverat, extirpare possent, & partem suam quam habebat in *Pleiiz* liberam & solutam, & illam partem terræ de Castellaria unde pars est in curte, pars in *Pleiiz*, & pars in campo continue habetur, & suam partem de bosco ante curtem liberam dedit, & in aliis boscis ad omnes suos usus, & quidquid in decima habebat: huic donationi assensum præbuerunt Petrus de Herpeio, & uxor sua & liberi sui, & Radulfus de Turro, & uxor sua & filii sui, & Clarembaldus de Monte-cavillonis. Odo de Porta nemus quod Quercetum vocatur, & tres campos arabiles qui inter nemus illud & monasterium de Planeto habentur, & terram Tercialem, & quidquid juris in decima de *Setmeis* habebat, prædictis fratribus in eleemosynam tradidit. Hæc omnia data sunt atque concessa assensu comitis Hugonis de Roceio, & uxoris suæ & liberorum suorum. Radulfus de Turro ecclesiæ sanctæ Mariæ de Valle-clara concessit terram de Orchini-monte quam Hugo filius Pagani donavit, & medietatem sedis molendini desubtus Betonis-curte, & pasturam & omnes aisantias in tota terra sua, & in bosco & in plano, liberas & quietas. Petrus vero de Suessonia quatuor carrucatas terræ dedit præfatæ ecclesiæ in Geoffridi-curte, assensu uxoris suæ & liberorum suorum. Radulfus de Turro, & Hugo *Trosel* & filius ejus, & Odo de Porta, & Petrus de Herpeio, & uxor ejus cum liberis suis, quidquid ibi juris habebant sæpefatæ ecclesiæ concesserunt. Odo vero *Hohel*, & frater ejus & soror eorum, quidquid juris in decima de Geoffridi-curte habebant, & terram & boscum infra illam terram quam Petrus donavit, similiter concesserunt. Robertus de Monte-acuto quatuor carrucatas terræ arabilis inter sanctum Hermetem & . . . . prædictæ ecclesiæ concessit, infra quam terra Clarembaldi de Montecavillonis continetur; pro decima ejusdem terræ beati Petri de Lobiis quinque solidos Pruviniensis monetæ singulis annis persolvendos, assensu abbatis totiusque capituli beati Petri prædictus Robertus assignavit. Prædictæ ergo prædicto modo factæ donationes, &c. Actum Lauduni anno Dominicæ Incarnationis M. CXLI. indictione IV. epacta XI. concurrente secundo.

X.

Ex tabulario S. Vincentii Laudunensis.

Institutio canonicorum S. Juliani facta ab Hugone abbate sancti Vincentii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego Hugo Dei gratia sancti Vincentii abbas & capitulum. Quæ modernorum sanxit discretio scripto mandantur ut posteritati porrigatur eorum cognitio. Nos vero qui ex professione ordinis tenemur in vinea Domini laborare, ne ut segnes & otiosi denario privemur patrisfamilias, ejusdem vineæ propagines in quantum possumus, conamur extendere. Inde est quod in ecclesia beati Juliani de burgo, cui hactenus solus parochialis presbyter deservierat, assensu domini Rogeri episcopi nostri & capituli S. Mariæ, tredecim canonicos ad serviendum Deo instituimus; ita tamen quod donatores præbendarum erimus. Statuimus igitur ut ordo ibi canonialis ad exemplum libertatis ecclesiæ sancti Petri de foro & sancti Joannis de burgo maneat in perpetuum immutatus. Unus canonicorum canonica, sicut juris est, electione creabitur in decanum, qui nobis canonice præsentabitur, & rationabiliter approbatus nobis quidem fidelitatem faciet, de manu episcopi curam suscipiet animarum. Quatuor erunt successorie sacerdotes, ita quod præbenda mortui sacerdotis donabitur semper sacerdoti & non alii. Unus istorum quatuor sacerdotum curam de manu episcopi suscipiet parochiæ, qui præter canonicam portionem habebit ulterius baptisteria, confessiones, refectiones in nuptiis, & in purificationibus mulierum constitutas visitationes, & inunctiones infirmorum, & in celebratione missæ præsentis 1178.

mortui nummum unum. Illam nihilominus societatem retinens quam parochialis presbyter debet cum capellanis civitatis habere. Cetera quæcumque pertinent ad presbyterium, dominus episcopus noster supradictus & nos universitati concessimus in commune, ita quod oblationes & legata, & quæcumque ecclesiæ & presbytero curato collata fuerint, inter se partientur æqualiter, his exceptis quæ ad fabricam ecclesiæ data fuerint nominatim. Ut igitur servitio ecclesiæ melius insistatur, ordinavimus quod nullus eorum canonicari poterit in aliqua ecclesiarum Laudunensium, quandiu præbendam sancti Juliani retinuerit. Si autem extra civitatem Laudunensem præbendam adquisierit, dum apud eam fecerit mansionem, ex præbenda sancti Juliani interim nihil habebit. Hæc omnia sunt ordinata petitione & assensu Gerardi sacerdotis qui ibi hactenus ministravit; cui utique salvum erit presbyterium quoad vixerit, sicut illud tenuit usque modo. Nec illud volumus silentio præterire quod dominum nostrum Rogerum episcopum Laudun. & nos in suas benignas orationes idem canonici receperunt, ultro promittentes quod diem obitus nostri in suo scribent martyrologio, nostræque depositionis officium facient annuatim. Audito etiam obitu monachi S. Vincentii missas & orationes sicut in Laudunensi fit ecclesia, celebrabunt, & nos eis eamdem vicissitudinem impendemus. In festo vero sancti Vincentii venient ad ecclesiam nostram cum cruce & processione solenni ad primas vesperas & ad missam. Ut igitur præsens ordinatio memorialiter vivat in posterum, nos eam fecimus fideliter hic inscribi, & scriptum inter nos & ipsos per chirographum mediari, & medietatem scripti nobis retinentes aliam illis medietatem reliquimus ad rei gestæ memoriam retinendam. Actum anno Incarnationis Dominicæ M. CLXXVIII.

XI.

Ex tabulario S. Vincentii Laudunensis.

Transactio inter capitulum B. Mariæ Laudunensis & monasterium sancti Vincentii, de Sepulturis.

1183. DEcanus Laudunensis & capitulum dilectis amicis suis Hugoni abbati & conventui S. Vincentii Laudunensis, in Domino salutem. Orta inter nos & vos dissensione super cimiterio nostro, quod contra jus vestrum & antiquam consuetudinem vos de novo conquerebamini, tandem in dominum Willelmum Remensem archiepiscopum, tituli sanctæ Sabinæ cardinalem, apostolicæ sedis legatum, Simonem beati Remigii Remensis abbatem, & magistrum Meliorem Remensis ecclesiæ vicedominum, hinc inde fide interposita compromisimus. Ipsi vero deliberato inter se debita maturitate consilio pro bono pacis in hunc modum inter nos transegimus. Nostrum siquidem cimiterium nobis in perpetuum liberum remanebit. Itaque tam episcopis quam canonicis & casatis ecclesiæ nostræ, & aliis quibuslibet personis tam clericis quam laicis, liberum sit ibidem eligere sepulturam. Sed si quis eorumdem casatorum alibi quam apud nos & apud vos sepultus fuerit, jus nostrum & vestrum in communibus laboribus & expensis prosequemur, & emolumentum æqualiter partiemur bona fide. Canonicis autem nostris apud nos & apud vos, & ubicumque voluerint liberum erit sepeliri. Nos igitur in recognitionem antiquæ consuetudinis vestræ duodecim denarios Laudunensis monetæ vobis in festo sancti Vincentii annuatim persolvemus, & in hujus vestræ concessionis recompensationem vobis in perpetuum donavimus altare de *Besny* integre cum appenditiis suis: remisimus etiam perpetuo sexaginta solidos monetæ Laudun. quos nobis de territorio de *Riu* annuatim debebatis, & nos vobis fecimus legitimam garandiam. Similiter XX galetos frumenti de molendino montis Nantolii, quatuorque modios frumenti ad mensuram Petrepontensem in molendinis Petræpontis. Præter hæc altare de *Chivy* & altare de *Morrigny* cum appenditiis suis, quæ ex dono venerabilis domini nostri Rogeri Laudunensis episcopi obtinetis, quantum ad nos pertinet vobis confirmamus; & quæcumque alia largitione principum, donatione pontificum, oblatione fidelium inpræsentiarum possidetis vel in posterum justis modis poteritis adipisci. Actum anno Domini M. CLXXXIII.

XII.

Ex Sammarthanis.

Moniales Salvatorii amplexantur institutum Cisterciensium.

1239. UNiversis præsentes literas visuris, frater Petrus de Valle-clara & Henricus de *Bohoris* dicti abbates, salutem in vero salutari. Universitati vestræ notum facimus quod cum a venerabili patre nostro domino abbate Cistercii totoque abbatum capitulo generali, nobis fuisset injunctum ut ad Salvatorium subtus Laudunum pariter accedentes, de possessionibus ejusdem loci diligenter inquirere curaremus, an videlicet sufficerent monialibus inibi constitutis, quas si sufficere videremus, moniales dicti loci nostro ordini sociaremus; nos ad dictum locum pariter accessimus, & eo ejusque facultatibus, prout petimus, diligenter inspectis, de consilio abbatum ordinis nostri & aliorum bonorum virorum, dictas moniales ordini nostro associamus auctoritate prædicti capituli generalis, præsente venerabili patre domino abbate Fusgniaci qui monialium est pater & visitator perpetuus a generali capitulo constitutus. In cujus rei testimonium præsentes literas patentes emisimus sigillis nostris sigillatas. Actum anno gratiæ M. CCXXXIX. in die S. Catharinæ.

XIII.

Ex tabulario ejusdem parthenonis.

Sacra effigies Christi datur monialibus Monasterioli.

1249. VEnerabilibus & devotis sororibus dilectis in Domino abbatissæ & religiosis conventus Monstrolii, Jacobus de Trecis archidiaconus Laudunensis, sancti patris nostri papæ capellanus, salutem integram perfectamque fruitionem & claram visionem boni diu expetiti. Per relationem carissimæ sororis nostræ intelleximus quod ex ardenti affectu desideratis videre & apud vos habere faciem & figuram nostri Salvatoris, quam in nostra habemus custodia, cum qua visus est in terris & versatus cum hominibus, speciosus præ filiis hominum, quodque ex ejus contemplatione devoti affectus vestri puriores redderentur. Nos igitur qui lubentissime volumus procurare ea omnia per quæ possitis acquirere gratiam Dei in hoc mundo & æternam gloriam in futuro, cupientes, quantum in nobis erit, satisfacere sanctis desideriis supradictæ sororis nostræ dilectæ, mittimus vobis sanctam faciem superius memoratam. Neque attendite quod invenietis eam decolorem & flavidam; nam ut ii qui semper resident sub aëre temperate frigido, & quiescunt continuo in locis amœnis, habent carnem albam & delicatam; & e contra qui versantur perpetuo in agris habent perustam, nigritantem & alteratam: ita hæc fuit beata facies sole & ardore tribulationum decolorata, ut habetur in canticis, cum Dominus noster laboraret in agro hujus mundi pro redemptione nostra. Idcirco vos rogamus enixe ut propter reverentiam illius quem repræsentat, recipiatis eam ut sanctam Veronicam, seu veram ipsius imaginem & similitudinem: tractetis eam pie, leniter, devote & condecore; ut ex ejus contemplatione melius habeatis: memores nostri estote in vestris sanctis precibus & meditationibus. Actum Romæ anno gratiæ millesimo ducentesimo quadragesimo nono, tertia Julii.

X I V.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Concordia Ingerranni domini de Cociaco, cum abbate & conventu sancti Nicolai in Bosco.

1260. UNiversis præsentes literas visuris, Ingerrannus dominus de Cociaco, salutem in Domino. Noveritis quod cum discordia esset mota inter abbatem & conventum sancti Nicolai in Bosco, Laudunensis diœcesis ex parte una, & me Ingerrannum ex altera, super eo quod abbas & conventus prædicti dicebant quod quidam servientes mei de mandato meo quosdam servientes & homines ipsorum abbatis & conventus ceperant in justitia & terra eorumdem, & inde violenter abstraxerant, & quod prædicti servientes & homines de mandato meo prius incarcerati & postmodum suspensi fuerant, sicuti abbas & conventus prædicti dicebant. Quare petebant locum prædictum in quo prædicti servientes & homines capti fuerant, de eisdem servientibus & hominibus resaisiri, & tantam injuriam sibi & ecclesiæ suæ emendari, custusque & damna sibi restitui; me prædicto Ingerranno in contrarium asserente, prædictos servientes & homines non fuisse captos in terra & justitia abbatis & conventus prædictorum, nec de mandato meo fuisse captos aut suspensos, & dicente prædictam resaisitionem & emendam & dampnorum & custuum prædictorum restitutionem fieri non debere. Tandem bonis viris interponentibus partes suas super præmissis, compositum est in hunc modum, videlicet quod ego Ingerrannus dedi & deliberavi eisdem abbati & conventui in perpetuum possidendas, decem modiatas nemorum meorum ad mensuram de Laudunensi, cum superficie continue a parte illa nemorum, quæ contigua est nemoribus abbatis & conventus prædictorum, prout itur a nemore dictorum abbatis & conventus versus pasturagia seu pascua de Crespiaco, usque ad pasturagia seu pascua supradicta, a bunda illa ubi infixi sunt tres lapides, quæ sita est versus abbatiam sancti Nicolai, &c. prædictæ vero decem modiatæ nemorum dictis abbati & conventui deliberatæ sunt & traditæ in restitutionem seu restaurationem quorumdam nemorum, quæ dicti abbas & conventus dicebant ad se & ecclesiam suam olim provenisse ex collatione seu donatione episcopi & thesaurarii Laudunensis, de quibus nemoribus dicebant se & ecclesiam suam spoliatos vehementer & injuste per prædecessores meos, &c. Conceduntur etiam præter hoc eis decem modiatæ nemorum pro servitio servientium prædictorum defunctorum faciendo ab eis in ecclesia sua, prout eis placuerit & videbitur eis expedire. Item sciendum est quod locus in quo servientes & homines supradicti abbatis & conventus prædictorum capti fuerunt, resaisitus est, & fuit de corporibus sive cadaveribus ipsorum defunctorum per meos servientes, per quos dictus locus fuerat destitutus, &c. Prædictis vero mediantibus bona pax & concordia est & erit inter me Ingerrannum & abbatem & conventum prædictos quantum ad discordiam prædictam & pertinentia ad eamdem: & ceperunt dicti abbas & conventus super se pacem Beatricis sororis Hueti de Cellario defuncti, & Margaretæ relictæ Radulfi dicti Gadeæ defuncti, & Simonis fratris ejusdem Radulfi; & fecerunt & procuraverunt quod prædictæ mulieres & dictus frater tacent & tacebunt de morte Hueti & Radulfi prædictorum, ita quod de hoc me quitaverunt nec me de cetero in aliquo propter hoc molestabunt, sicuti firmiter promiserunt. Et præterea dicti abbas & conventus tenent se pro pagatis de decem modiatis nemorum supradictis. Ego vero Ingerrannus prædicta, prout sunt superius expressa, laudo & approbo & rata habeo, rogans & requirens dominum regem, ut ipse dictam compositionem, prout est superius annotata, velit, si placet, confirmare, & sigilli sui munimine roborare. In cujus rei testimonium præsens scriptum sigilli mei munimine duxi roborandum. Datum anno Domini M. CCLX. mense Martio.

X V.

Ex tabulario S. Vincentii Laudunensis.

Concordata inter abbatias sancti Vincentii & sancti Johannis Laudunensis.

UNiversis præsentes literas inspecturis, Johannes miseratione divina & sanctorum quatuor Coronatorum presbyter cardinalis, apostolicæ sedis nuncius, salutem in Domino sempiternam. Cum discordiæ materia nuper fuisset suborta & major oriri speraretur inter venerabiles & religiosos viros sancti Vincentii ex una parte, & sancti Johannis ex alia, monasteriorum Laudunensium ordinis S. Benedicti abbates & conventus eorumdem de & super modo associandi venerabilem patrem in Christo episcopum Laudunensem, cum ipse episcopus qui pro tempore fuit, primo ingreditur villam, civitatem & ecclesiam Laudunensem, videlicet a porta Mortali dictæ villæ usque in dictam ecclesiam Laudunensem, de quo debato iidem abbates & conventus nostræ se supposuerunt ordinationi. Nos vero auditis ipsis partibus, & super eis quæ dicere voluerunt matura habita deliberatione, dictam discordiæ & debati materiam sedare cupientes; quia dictus episcopus Laudunensis nocte præcedente diem qua primo dictam villam Laudunensem ingreditur, ipse pernoctet in dicto monasterio S. Vincentii, a quo monasterio ipsa die sui introitus dictus abbas dicti monasterii sancti Vincentii & ejus conventus associare consueverunt dictum episcopum usque ad portam Mortalem prædictam: dicimus & pronunciamus, ac etiam declaramus quod de cetero perpetuis futuris temporibus, cum casus evenerit, in dicta porta Mortali, & ab ipsa usque in dictam ecclesiam Laudunensem, abbas & conventus sancti Vincentii ad dextrum, & abbas & conventus sancti Johannis monasteriorum prædictorum, ad sinistrum latus dicti episcopi ipsum episcopum associabunt. Quam quidem nostram ordinationem & declarationem abbates & conventus prædicti gratam & ratam habentes, & ipsam emologantes, eamdem in primo introitu quem fecit in dictas villam, civitatem & ecclesiam Laudunensem venerabilis pater in Christo dominus Petrus *Aycelin* episcopus Laudunensis observaverunt & perpetuis futuris temporibus observare promiserunt, absque eo quod hoc in aliis valeat sibi quodlibet præjudicium generare. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum de communi assensu dictarum partium præsentibus literis duximus apponendum. Datum Lauduni quinta decima die Maii anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo secundo. 1372.

Signatum Adam.

X V I.

Ex quodam regesto Paris. fol. 125.


Instrumentum compositionis inter duos contendentes de episcopatu Laudunensi.

IN nomine Domini, amen. Tenore hujus publici instrumenti cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno Domini millesimo & quadringentesimo quadragesimo tertio, secundum computationem ecclesiæ Gallicanæ, indictione VII. mensis vero Febr. die VIII. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Eugenii divina providentia papæ IV anno XIII. in mei notarii publici subscripti, & testium infra scriptorum ad hoc vocatorum specialiter & rogatorum præsentia, propter hoc personaliter constitutus reverendus in Christo pater ac dominus dominus Johannes Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia episcopus & comes Belvacensis, narrando dixit & exposuit, quod quum lis, controversia seu processus nuper moti forent & pendentes coram 1444.

reverendo in Christo patre & domino domino R. eadem gratia archiepiscopo & duce Remensi, judice metropolitano, inter venerabilem virum magistrum Petrum *Godemant* decanum ecclesiæ Laudunensis, agentem ex una, & generosum magnæque auctoritatis & prudentiæ virum magistrum Jacobum Juvenalis, sui juris legitimum defensorem, occasione dignitatis episcopalis Laudunensis, ad quam quælibet dictarum partium jus habere prætendebat, certis mediis per ipsas partes prætensis: qua quidem causa, sicut præmittitur, indecisa, idem dominus archiepiscopus ipsam in statu in quo erat coram eo seu suis in hac parte commissariis, ad præfatum dominum nostrum papam & ejus sanctam sedem apostolicam, diffiniendam, decidendam, & terminandam pro utilitate ipsius ecclesiæ, &c. . . . processus ad certam diem nuper adhuc effluxam remisit. Qua quidem remissione sic facta prælibatæ partes pro bono & utilitate ipsius ecclesiæ Laudunensis volentes pacis fœdera amplecti, & hujusmodi liti finem imponere, de consilio peritorum certo modo ad invicem tractasse & concordasse, in quadam papyri cedula, dicto reverendo patri domino Belvacensi episcopo transmissa, michi notario prædicto subscripto sana & integra exhibita, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis:

« . . . . pacificatione negotiationis seu controversiæ motæ & pendentis inter magistrum Petrum *Goudemant* decanum ecclesiæ Laudunensis ex una, & magistrum Jacobum Juvenalis de Ursinis regis consiliarium & ejus advocatum in sua curia Parlamenti, coelectos ecclesiæ Laudunensis; occasioneque & causa electionis ultime celebratarum in ecclesia Laudunensi, pro pastore seu episcopo dictæ ecclesiæ eligendo, prædictæ partes super controversia inter ipsos habita causa & occasione dictæ electionis, concordarunt & ad concordiam devenerunt modo & forma sequentibus, & quo placebit sanctissimo domino nostro papæ, & non alias. Non intenduntque prædictæ partes, nec volunt renunciare juri quod quælibet ipsarum partium habet & habere intendit in dictam ecclesiam Laudunensem, nisi placeat domino nostro papæ; & cum ejus beneplacito ea quæ sequuntur adimpleantur. Et primo quod si placeat domino nostro papæ, quod episcopus Belvacensis per eumdem dominum nostrum papam transferatur ad ecclesiam Laudunensem, & quod magister Guillermus de Herlandia archidiaconus Remensis, promoveatur ad ecclesiam Belvacensem, & de archidiaconatu canonicatuque & præbenda ecclesiæ Remensis, quos optinet dictus Guillermus de Herlandia, provideatur dicto magistro Jacobo Juvenalis, & sibi conferantur: de ceteris vero beneficiis quæ optinet idem magister Guillermus, videlicet de subdiaconatu canonicatuque & præbenda ecclesiæ Aurelianensis, de decanatu beatæ Mariæ de *Clery* Aurelianensis diœcesis, de canonicatu & præbenda ecclesiæ Parisiensis, de canonicatu & præbenda sancti Agniani Aurelianensis, de archidiaconatu Belvacensi, de canonicatu & præbenda ecclesiæ Belvacensis, provideatur dicto magistro Petro *Goudemant;* & cum eodem *Goudemant* dominus noster velit dispensare de talibus incompatibilibus & prædictis aliis beneficiis optinendis. Et quod constituatur eidem *Goudemant* cum beneplacito domini nostri papæ annua pensio redis & perpetua super fructibus dictæ ecclesiæ Laudunensis constituenda, & per consensum episcopi Belvacensis, tunc Laudunensis. Prædictæque partes voluerunt & volunt, modo præmisso, electionibus de personis ipsorum factis cedere & renunciare, ac etiam omni juri sibi & cuilibet ipsorum competenti, omnique processui inter ipsos pendenti in curia Romana & alibi, si tamen hæc possint licite fieri & commode praticari, cum beneplacito & sub correctione RR. in Christo patrum domini archiepiscopi Remensis, & domini episcopi Belvacensis, & archidiaconi Remensis, consiliique de Parisius utriusque partium. Sic signatum: JAC. JUVENALIS DE URSINIS. GOUDEMANT. »

Qui quidem reverendus pater & dominus episcopus Belvac. volens, ut dicebat, & affectans summe bonum & utilitatem dictæ ecclesiæ Laudunensis, ac partes prædictas pacificari & concordari, contenta in ipsa cedula in quantum ipsum tangit & tangere potest aut poterit, cum voluntate, benevolentia & auctoritate dicti domini nostri summi pontificis, & non alias, grata & rata habuit, & pro ejus certa scientia melioribus modo, via, jure & forma, quibus potuit & debuit, potestque & debet, fecit, constituit, creavit, nominavit, elegit & ordinavit, facitque, constituit . . . . procuratores suos generales, actores, factores & negociatores suos . . . . venerabiles & circumspectos viros dominos & magistros Johannem de Vado archidiaconum Turonensem, Johannem Clerici canonicum Tornacensem, &c. . . . .



INSTRUMENTA ECCLESIÆ SILVANECTENSIS.

I.

Ex authentico in tabul. S. Reguli.

Charta Constantii episcopi Silvanectensis, de quadam terra apud Braium.

978. IN nomine Domini æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi, Constantius sanctæ Silvanectensis ecclesiæ episcopus. Notum esse volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus nostris præsentibus atque futuris, quoniam quidam vir nomine Rothardus adiit mansuetudinis clementiam nostræ ac clericorum sub nostro degentium regimine benignitatem humiliter postulans, quatenus, si libuerit, caritatis fervore nostræ concederemus ei, suæque mulieri atque uno heredi, quamdam terram de potestate & ratione sancti Reguli, quæ est terra in pago Silvanectensi, in villa quæ dicitur Braïo, hoc est mansa duo & dimidium. Nos vero petitionibus ejus humiliter assentientes, pari cum consensu omnium nostrorum fidelium, tam clericorum quam etiam & laïcorum concessimus ei suæque uxori atque uno heredi, jam dictam terram, eo videlicet tenore, ut dum advixerint, irrefragabiliter teneant atque possideant, tantum ut annuatim in solennitate sancti Reguli sex solidos denariorum persolvere non negligant; si vero tardiant & negligentes de prædicto censu apparuerint, legaliter emendent, ipsamque terram mora eorum nullo modo perdant; post obitum quoque illorum, cum omni re jam dicta terra emeliorata atque multiplicata, sine alicujus contradictione ad opus fratrum revertatur. Ut autem hujus nostræ concessionis institutio pleniorem inde nomine obtineat vigorem, manu nostra subterfirmavimus, manibusque fidelium nostrorum corroborare voluimus. Acta autem in atrio sancti Reguli sub die XIV. calendarum Maiarum, anno XIII. episcopatus domini & venerabilis præsulis Constantii, anno XXIV. regnante gloriosissimo rege Lottario. Sign. domini Constantii qui hanc chartam fecit & firmare decrevit. Signum Hidulfi decani, Arnulfi præpositi, Walteri sacerdotis, Castellani sacerdotis, Adfredi sacerdotis, Hilgeri sacerdotis, Geridi sacerdotis, Christiani levitæ, Hilduini diaconi, Castellani levitæ, Gauteri pueri, Gulfredi juvenculi, Gisslerani pueri, Walteri pueri. Sig. Bernardi levitæ & notarii, qui hanc chartam scripsit.

II.

Ex tabulario hujus eccles.

Henricus I confirmat ecclesiæ Silvanectensi donum altaris de Eva.

1041. IN nomine Domini, Henricus Dei gratia Francorum rex. Notum fieri censuimus omnibus Christi fidelibus, quia cum in die Pentecostes in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ apud Parisios missarum solemnia celebraremus, venerunt ante præsentiam nostram domnus Silvanectensis episcopus nomine Guido, necnon venerabiles canonici, sanctæ scilicet Dei genitricis & gloriosæ virginis Mariæ ejusdem urbis, humillima devotione postulantes, quatenus regali auctoritate eis præceptum firmaremus de quodam altari dicato in honore sanctissimæ Dei matris Mariæ, in villa quæ dicitur Eva. Nos itaque petitioni eorum assensum præbentes, præceptum eis manu propria tetigimus, ac sigillo nostræ potestatis pro remedio animæ nostræ, seu parentum meorum & omnium successorum nostrorum sigillari præcepimus; ita ut ab hac die, Deo juvante, nostris futurisque temporibus illud præfati canonici possideant & firmiter teneant, nullusque deinceps eos inquietare præsumat, sed & nullum debitum persolvant. Et ut hoc firmum & inconcussum permaneat, manu nostra firmavimus, manibusque nostrorum principum tangendum tradidimus. Actum feliciter in basilica sanctæ Mariæ Parisiensis, anno Incarnati Verbi M. XLI. regnique Henrici regis XI.

III.

Fundatio abbatiæ sancti Vincentii Silvanectensis.

Ex tabulario domestico.

NOtum est omnibus sanctæ ecclesiæ filiis, quoniam universitatis creator omnia ad ornatum compositionemque sacratissimarum nuptiarum Unigeniti sui Deus pater condidit, nec solum genitor, sed & ipse genitus concordia sancti Spiritus sibi sponsam aptavit; sicut ipse in canticis canticorum eidem sponsæ dicit: *Veni de Libano, veni, & coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon.* Ego autem Anna corde intelligens, mente pertractans tantam pulchritudinem, tantumque decus, atque recolens illud quod scriptum est: *Beati, qui ad cœnam agni vocati sunt,* & quod ipsa Christi sponsa alias dicit: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt:* deliberavi apud me, quomodo illarum epularum, illiusque beatitudinis ac vitæ æternæ particeps existere possem: cumque demum sublevatum esset cor meum ad fabricandam Christo ecclesiam, ut intus incorporari & quodlibet membrum illius sanctæ societatis, quæ fide Christo adjuncta est, connecti voluissem, in honore sanctæ Trinitatis & piæ Dei genitricis Mariæ & præcursoris Domini & sancti Vincentii martyris Christo eam fabricari & dedicare præcepi, atque dans deputavi ibi de facultatibus meis & de his, quæ in matrimonio Henricus rex conjux meus mihi dederat. Quæ omnia favore filii mei Philippi Dei gratia regis, & omnium optimatum sui regni consilio attitulari concedo, quatenus ibi quieti & tranquilli religiosi viri Domino servientes, mundo renunciantes, regularem, id est sanctorum Apostolorum & beati Augustini, quæ scripta est, vitam canonice amplectentes vivere valeant, & pro peccatis Henrici regis, ac filiorum & amicorum meorum, atque meis die ac nocte Dominum exorent, & ut sine macula aut ruga, sicut a Christo optatur ecclesia, suis precibus me Domino exhibeant: terram scilicet, quam juxta ecclesiam Ivo præpositus possidebat, ab ipso pretio emtam cum furno & omnibus consuetudinibus, quas terra reddere solet: novem hospites cum omni consuetudine, quas prius in eodem loco possidebam, de censu monetæ tres libras prædictæ civitatis, in cujus suburbio præfata constructa est ecclesia; & quod ad civitatem pertinet, molendinum unum in villa quæ dicitur *Guvils* [a], villam unam quæ dicitur mansionale Blavum (*Blancmesnil*) in territorio Laudunensi allodium unum in villa quæ dicitur Crespis. Sed ne quis deinceps eis molestus sit, concedo omnes omnino consuetudines sancto Vincentio & canonicis ejus. Ego Philippus Dei gratia Francorum rex, mutuavimus ab ipsis canonicis sancti Vincentii triginta libras, & eis inde quamdam villulam nostram, quæ vocatur Barberiacus, in vadimonium concessimus, ea conditione ut quamdiu præfatas libras canonicis usque ad novissimum quadrantem non reddiderimus, villulam illam cum omnibus ad eam pertinentibus teneant & possideant quietam & solutam; dum vero persolverimus, ex toto præfatum vadimonium redeat in dominium nostrum, sicut prius fuerat; sunt autem denarii Silvanectensis monetæ. S. Berta regina. S. Philippus rex.

1059.

Cant. 4. 8.

Apoc. 19. 9.

Eccles. 24. 31.

a *Gouvieux* non longe a Silvanecto, in diœcesi Belloracensi.

IV.

Ex tabulario hujus eccles.

Confirmat Philippus rex consuetudines & libertates quarumdam terrarum ecclesiæ sanctæ Mariæ Silvanectensis.

1068. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Philippus gratia Dei Francorum rex. Notum fieri volo universis fidei cultoribus, tam præsentibus quam futuris, quia adierunt præsentiam nostram Odo Silvanectensis episcopus omnisque sanctæ Mariæ congregatio, implorantes clementiam nostram, quatenus ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ præceptum manus nostra firmaret de donis quæ fecerat eis Henricus rex pater meus, Frollandusque pater eorum venerandus, necnon Odo præsentialiter vivens episcopus, similiter Galterus ejusdem ecclesiæ archidiaconus; quorum petitionem dignam intelligens, precibus eorum assensum non denegavi; sed pro animæ patris mei refrigerio, præceptum quod poscebant manus nostra firmavit, ac primatum meorum manibus illud insigniri præcepi. Quæ vero sint ipsa dona seriatim subscripta sunt: omnes consuetudines terrarum sanctæ Mariæ beatique Reguli ecclesiis, necnon & dominio pontificis adjacentium, extra munitiones hujus civitatis sitarum pater meus eis concessit, & inde coronam matris suæ Constantiæ cum monilibus accepit. Frollandus itaque præsul præposituram rerum canonicalium, quam ab antecessoribus suis ecclesiæ fuisse traditam reclamabant fratres, eis dimisit & concessit, & justitias quas ex atriis canonicorum habebat, & comessationes quas in villis fratrum occasione itineris faciebat, dimisit. Odo vero Frollandi successor res fratrum angustissimas augmentare similiter decrevit, & altare quod est in *Tremilly* villa fratribus concessit. Galterus quoque archidiaconus unam præbendam quæ sui juris erat, & a Frollando pontifice sic ei data fuerat, ut cuicumque vellet, eam post mortem suam relinquere posset cum domo sua, fratribus reliquit. Hæc omnia & firmitates omnium donorum sanctæ Mariæ, ut tunc temporis fratres eorumque successores sine ulla inquietatione possiderent, ego Philippus gratia Dei Francorum rex, præceptum hoc regia dignitate firmavi, meaque imagine sigillare præcepi, & propria manu signavi. Hoc autem actum est feliciter in aula regia Silvanectis quadam die Dominica festivitate sanctorum martyrum Viti & Modesti, anno Incarnati Verbi M. LXVIII. regnique Philippi regis octavo. Si quis præceptum hoc violaverit, mille solidos denariorum regiæ potestati persolvat. Signum Theobaldi. Signum Gaufridi Parisiacensis episcopi. Signum Fulconis episcopi. Signum Odonis ipsius civitatis episcopi. Signum Ingelardi ipsius civitatis episcopi. Signum Hugonis decani, &c.

V.

Ex apographo domestico.

Confirmatio fundationis S. Vincentii Silvanectensis.

1069. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Philippus gratia Dei Francorum rex. Cum universa sacrorum eloquia mandatorum humanæ pusillanimitati salutis nostræ pabula suggerere incessanter videantur, & perfectæ religionis status virtute caritatis, quæ major inter alias est, ut ait Apostolus, consolidatur, dignum adjudicari disposuimus, ut in vinea Dei, quæ est ecclesia, caritative aliquid laboremus, ut non solum materiis aut diversorum operum instrumentis interius & exterius eam decoremus, verum & de facultatibus nostris inibi Deo servientibus liberaliter impertire studeamus; cujus ecclesiæ mentionem faciens, ipsa sapientia dicit: *Qui operantur in me non peccabunt: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Evigilandum nobis est ut aliquem caritatis gradum aggrediamur, ut cum ejusdem ecclesiæ sponsus ex

Sap. 24. 30. Eccles. 24. 31.

A improviso venerit, accensis virtutum lampadibus ei occurramus, ut veste nuptiali induti, cum illo ingredientes, æternarum epulis nuptiarum interesse valeamus. Quapropter ego idem Philippus rex notum fieri volo universis catholicæ fidei cultoribus, videlicet metropolitanis, episcopis, abbatibus, presbyteris, totiusque ordinis Dei famulis, necnon & ducibus, comitibus, principibus, imperiique mei cunctis fidelibus, quod mater mea nomine Anna divina inspirante clementia compuncta, mei præsentiam supplici devotione adiit, materno affectu obnixe deprecans & postulans, quatenus ecclesiam quamdam in suburbio Silvanectensi, in alodio regali, in vico qui dicitur Vietellus, in honore sancti Vincentii diutius ante desolatam, sed ab ea pie ac benigne pro anima patris B mei suique, de propriis sumtibus restauratam, ex consuetudine & more aliarum ecclesiarum ad reges pertinentium, scilicet sancti Frambaldi, sanctique Martini Parisiensis & S. Genovefæ virginis liberam facerem. Cujus humilitati condescendens, libentissime precibus illius pro anima patris mei parentumque meorum memoria adquievi. Et ut hoc inviolabile & inconvulsum permaneat, crucis signum digito meo impressi, & charactere nominis mei imprimere jussi sigilloque meo corroboravi, omnesque consuetudines suorum hominum eis concessi. Actum Silvanectis anno ab Incarnatione Domini M. LXIX. & regis Philippi IX. luna IX. indictione IV. Sign. Remensis archiepiscopi. Signum Suessorum episcopi Adalardi. Sign. Silvanecti episcopi Odonis. Signum Hugonis C fratris regis. Sign. Walerani camerarii. Sign. Radulfi dapiferi. Signum Baldrici connestabularii. Signum Ingenulfi buticularii. Sign. Frederici. Sig. Amalrici. Sign. Balduini camerarii fratris. Sig. Rainaldi fratris ejus. Sign. Walteri de *Monci*. Signum Hugonis de Puteolo. Sign. Hugonis duplicis. Sign. Marchelini. Sign. Adalardi camerarii. Sign. Waldrici camerarii. Signum Gerardi capellani ejus. Signum Widonis Mareschalci. Præsente Petro cancellario & præcipiente, subscripsit Eustachius & Gaufridus capellani. Si quis autem super his aliquid reclamare præsumserit, auri libras centum regi persolvat, & calumnia ejus irrita fiat, immo æterna maledictione damnetur.

VI.

D *De dono terræ apud Rubreium facto ecclesiæ Silvanectensi.*

ANNO ab Incarnatione Domini M. LXXV. epacta prima, concurrentibus autem III. indict. XIII. 1075.
post mortem gloriosi regis Francorum Henrici, regnante Philippo filio ejus anno imperii sui XII. domni autem Frollandi episcopatus anno tertio, indictione VIII. Paschalis præclarissimæ festivitatis secundo idus Aprilis, luna XII. ego Guido Wiscelini filii filius ex proprio volens ampliare canonicorum sanctæ Mariæ victualia, prout matrem meam aliosque prædecessores meos fecisse noveram, ante altare gloriosissimæ virginis Mariæ in præsentia domni Goiffredi militis, & Guidonis filii Galteri, & Odardi E filii Odonis præpositi, necnon & coram omni populo, qui ad matrem ecclesiam sicut in die Dominica ferme totus convenerat, præsente domno Wigero decano, & Guidone præcentore simul & ecclesiæ præposito, Waltero simul præposito, Ulberto archidiacono, domno Fulcone thesaurario, omnibusque aliis canonicis præsentibus, pro uxoris meæ defunctæ anima, & ut Dominum exorent pro me superstite. Dedi enim totam terram cum silva quam habebam apud Rubreium inter Credulium & urbem Silvanectum, tali vero tenore, quod quamdiu viverem in recognitione doni dimidium modium frumenti eis unoquoque anno donarem, illi autem post mortem meam omnino terram possiderent, conventione inter

me & eos facta; quod si hospitatam ab hospitibus, ut sperabam, relinquere possem, die anniversarii mei simul semper comederent, & triginta pauperes pascerent: si autem ita facere non possem, in supradicto die viginti & quatuor panis denariatas pro anima mea donarent.

VII.

Ex chartul. Cluniacensi.

Abbatia sancti Arnulfi Crispeiensis datur Hugoni abbati Cluniacensi.

1076. VEnerando abbati Hugoni & omni congregationi Cluniacensis cœnobii Simon comes vestræ sanctitatis servulus, salutem. Notum sit vestræ celsitudini, beatissime pater, me vos plusquam omnes homines in carne viventes in Deum diligere, atque proficuum & honorem vestrum in quantum valeo quærere. Concedo itaque vobis & omnibus successoribus vestris abbatiam sancti Arnulfi quæ constructa est in castello qui vocatur *Crispi*, ut omnino subjecta sit vobis, & ut ibi abbatem de vestris monachis eligatis, qui secundum Deum & regulam beati Benedicti illud monasterium regere possit. Volo ergo ut sciatis me fecisse cum consilio & cum voluntate meorum hominum, scilicet majorum, necnon & regem hanc meo deprecatu firmasse chartulam, Philippo videlicet astante, & concedente Silvanectensi pontifice Ivone. Testes Simon dapifer Simonis comitis, Milo, Orfanus. Factum in domo sanctæ Mariæ Parisiensis, die festivitatis Omnium sanctorum. ✠ Sign. Philippi regis.

VIII.

Literæ episcopi Silvanectensis de abbatia Crispeii.

Circiter 1095. HUGO Dei gratia Silvanectensis episcopus, domino & carissimo sibi Hugoni Cluniacensis monasterii abbati, salutem & servitium. Notum fieri volumus vestræ benignissimæ & nobis dilectissimæ sanctitati, libenti animo assensum præbuisse petitioni domni Hugonis comitis de Crispeio super abbatia sancti Arnulfi, favente conventu canonicorum sanctæ sedis Silvanectensis. Concedimus itaque ut monasterium sancti Arnulfi de Crispeio sub vestræ sanctissimæ dominationis vestræque religiosissimæ sanctitatis omnibus modis subdatur imperio. Et quia exoptamus nobis affinitatem vestræ bonitatis, in ditione vestra situm sit ponendi & auferendi cujuscumque personæ volueritis, & hoc quamdiu vita ista fruemini. Concedimus præterea gratia vestri, ut post decessum vestrum successor vester abbas, videlicet Cluniacensis, habeat potestatem ponendi abbatem in supradicta ecclesia, secundum electionem Cluniacensis capituli: ita tamen ut Silvanectensis ecclesia & ejusdem episcopus, ea quæ secundum Deum & auctoritatem SS. patrum optinere debent, non amittant; verum ea secundum quod canonicus ordo postulaverit, obtineant. Ne quid autem grave videatur vestræ benignissimæ paternitati in hujusmodi constitutione, mandamus quia dum præsentialiter insimul locuti fuerimus, Deo volente, secundum discretionis vestræ consilium quod emendandum fuerit emendabimus; vos autem in præsenti ecclesiæ consulite.

IX.

Ex tabulario S. Martini a Campis, fol. 33.

Charta de quodam molendino subtus Oiri, *&* *duodecim denariis censualibus.*

1097. COgnoscat tam præsentium quam futurorum fidelium præsentia, quia cum insimul tenerent canonici beatæ Mariæ & Odo de Gonessa aream molendini apud villulam quæ Mesnilis vocatur subtus *Oiri*, hoc idem Odo multis profusis precibus impetravit ab eisdem canonicis ut ipsius beneficii ecclesiæ beati Martini de Campis tertiam partem concederent, sicut & ipse de sua concedebat; quod quidem canonici tali conventione monachis sancti Martini concesserunt, ut hospites eorum de Solo-villari & ipsi iidem monachi, insuper & omnes hospites quos tunc habebant vel deinceps habituri erant, infra duo milliaria circa molendinum commorantes cum ipsis monachis ipsam villam habitantibus & custodientibus ibi annonas molerent: idem vero Odo per singulos annos pro impertito hoc monachis beneficio, canonicis duodecim denarios censuales; quamdiu viveret, in festivitate sancti Remigii pepigit, post mortem vero ipsius quicumque suam tertiam partem beneficii teneret, hunc denominatum censum similiter canonicis redderet. Actum in capitulo beatæ Mariæ secundo idus Novemb. anno Incarnati Verbi M. XCVII. anno regni Philippi regis XXXVII. anno primo pontificatus domni Letoldi, præsentibus his quorum nomina hæc sunt: Warnerus decanus, Wido præcentor, Haimo archidiaconus, Radulfus, Bernerus, Arnulfus: laïci vero adfuerunt Hermerus, Hilduardus, Joscelinus, Rotgerus, Jonas.

X.

De dono Huberti episcopi Silvanectensis facto abbatiæ sancti Quintini Bellovacensis. *Ex tabulario S. Quintini.*

NOtum sit omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, tam nascituris quam viventibus, quod ego Hubertus Dei gratia Silvanectensis episc. ob remedium animæ meæ concedo ecclesiæ sancti Quintini Belvacensis, domum meam cum pomœrio quod habebam in confinio atrii ejusdem ecclesiæ, eo scilicet pacto ut per singulos annos fiat commemoratio obitus mei cum anniversario fratris mei Guidonis in prædicta ecclesia. Hanc autem donationem sive concessionem confirmo & corroboro sigilli mei impressione & subscriptorum hominum, qui interfuere huic concessioni evidenti attestatione, videlicet Arnulfi canonici sancti Petri fratris Guarini thelonearii, Andreæ Cava Carnotensis episcopi cubicularii, Constantii cocci, Walteri *Solie*, Amalberti pistoris, Andreæ Fullonis, &c. *Intra annos 1099 & 1113.*

XI.

Godefridus Ambianensis episcopus benefacit ecclesiæ Crispeiensi. *Ex chartul. S. Arnulfi Crispeiensis.*

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. Frater Godefredus gratia Dei Ambianensis episc. omnibus sanctæ ecclesiæ filiis præsentibus & futuris, salutem & bonam pacem. Dilectis fratribus Cluniacensis monasterii in cœnobio Crespeiacensi ecclesiæ sancti Arnulfi Domino famulantibus, qui promptum evangelium perfecte implendo terrenis facultatibus abrenunciaverunt, mundique cupiditates in se sepelierunt, dignum duximus ex ecclesiæ nostræ copiis opitulari, substantiam nostram eis partiendo, & ex consilio clericorum nostrorum in ecclesiam nostram velut filios adoptivos introducendo. Notitiæ igitur omnium tam præsentium quam futurorum intimamus nunc & in perpetuum nos eis concessisse, & præsenti privilegio confirmasse altare de *Garmeni* & altare de *Villers,* & dimidium altaris de villa, excepto jure Mondisderiensium clericorum, personato scilicet & dominatu sacerdotis & impositione ejusdem . . . . . & exceptis offertoriis totius anni, præter Nativitatis & Purificationis sanctæ Mariæ & Paschæ, & solennitatis offertoria sancti ejusdem loci, quibus æqualiter tam clerici quam monachi participant, & exceptis censibus & dominatu hospitum atrii, nam in decimis cunctis eorumdem hospitum æquales participes sunt, & excepta quadam parte terræ dicti altaris 1108.

altaris in qua quinque minæ annonæ feri possunt, quæ est juris clericorum, excepto quod decima ejusdem terræ inter se ipsi & monachi æqualiter dividunt. Hæc autem eis ideo nos concessisse sciatur ab omnibus, quatenus hoc dilectionis nostræ beneficio nobis in fraterna conjuncti orationum suarum studiis Deo nos conciliare non desinant; credentes quod communibus orationibus & alternis apud Deum plus adjuvantur quam singularibus & privatis. Synodum autem & circatas, & omnes consuetudines canonicas quas ab antiquo prædicta altaria prædecessoribus nostris persolverunt, nobis atque successoribus nostris ministrisque eorum jure perpetuali cum integritate persolvant. Sig. Godefridi episcopi. Signum Fulconis archidiaconi. Sign. Ingelrani archidiaconi. Testes Rogerus decanus, Otbertus præpositus, Rogerus cantor, Clarus presbyter, Anscherus presbyter, Rodolfus presbyter, Acardus presbyter, Willelmus diaconus, Tethelinus diaconus, Adso diaconus, Giraldus subdiaconus, Hugo subdiaconus, Rohardus subdiaconus. Actum hoc est anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octavo, indict. prima, die Novembris octava, in ecclesia Ambianensi, Godefredo præsule, archidiaconibus Ingelrano & Fulcone, Ludovico regnante, Ingelrano Ambianensi consule feliciter, amen. Sigillum Godefridi episcopi.

XII.

Ex chartul. B. Mariæ Silvanectens. pag. 21.

Confirmatio Ludovici regis de abbatia sancti Michaelis Silvanectensis.

1111. IN nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis, amen. Quia cuncta mundo adhærentia, nisi chirographi memoria teneantur, humanæ levitatis infirmitate, vel fere vel penitus oblivioni tradere cognoscuntur, dignum ac valde necessarium ducimus, ut universa quæ memoria indigent & ea præcipue quæ divine agimus, ne penitus irrita fiant, literarum memoriæ commendemus. Universis igitur sanctæ Dei ecclesiæ cultoribus, tam posteris quam & præsentibus, notum fieri volumus ac certum haberi, quod ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex abbatiam beati Michaelis Silvanect. beatæ Mariæ Silvanect. canonicis cum universis beneficiorum donis ab eorumdem episcopis sibi datis, immo cum suis privilegiis exinde sibi firmatis & memoriæ perceptis, ne cujuslibet imperatoris invidia in posterum infirmari valeant, perpetualiter possidendam concessimus & habendam; quemadmodum etiam de præteritis firmavimus donis, ita bona & utili voluntate de futuris concedimus, nostri quoque nominis charactere & sigillo signari & corroborari præcepimus. Actum Parisius in palatio publice, anno Incarnati Verbi M. CXI. anno vero consecrationis nostræ tertio.

XIII.

Ex tabulario B. Mariæ Silvanectens. fol. 24.

Ludovicus VI Francorum rex libertatem domus episcopi confirmat.

1120. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum volo fieri omnibus sanctæ ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, quod Guillelmus dapifer meus & nobilis uxor ejus Helisendis usurpationem, rapinam, sacrilegium quam in domo Silvanectensis episcopi eodem episcopo moriente faciebant, me adstante & hoc ipsum concedente in manus venerabilis Clarembaudi ejusdem civitatis episcopi dimisit: unde etiam rogatu ipsius Guillelmi & prædictæ uxoris ejus ipse episcopus, una cum venerabili C. Prænestino episcopo, apostolicæ sedis legato, hujus concessionis infractores excommunicavit. Conquestus est etiam nobis prædictus pontifex, quod homines sui propter regiam exactionem servire sibi non auderent. Nos vero concessimus ei ut eamdem libertatem haberent sui quam & nostri. Domnus etiam Guido de Turri quidquid super hoc accipiebat, bona voluntate in pace dimisit, & Petrus pincernarius similiter. Quod ne valeat oblivione deleri, scripto commendavimus; & ne possit a posteris infringi, sigilli nostri auctoritate & nominis nostri charactere subterfirmavimus. Actum Silvanecti in palatio publice, anno Incarnati Verbi M. CXX. regni vero nostri XII. Adelaidis autem reginæ VI. annuente Philippo filio nostro.

XIV.

Bulla Callisti II pro cœnobio sancti Vincentii.

Circiter 1120.

CALIXTUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Balduino ecclesiæ sancti Vincentii abbati, salutem & apostolicam benedictionem. Ecclesiam sancti Vincentii in suburbio Silvanectensi, in alodio regali, a rege Francorum Philippo & matre sua Anna fundatam, multis possessionibus dotatam & omni libertate adinstar regalium ecclesiarum sanctæ Genovefæ Parisiensis, sanctique Frambaldi Silvaneсt. donatam cognovimus. Hanc autem ecclesiam negligentia inhabitantium ad summam penitus miseriam deductam in tempore nostri apostolatus oculo pietatis & misericordiæ respicientes sub tutela B. Petri suscepimus, & has quas juste obtinet, ut semper obtineat libertates, auctoritate apostolicæ dignitatis confirmamus; quatenus eadem ecclesia in omni libertate cum atrio ac omnibus hospitatoribus ac suis servientibus permaneat, & ab eis oblationes, decimas & omnes sui juris redditus repetens, officia christianitatis ejusdem ecclesiæ clerici honeste ac solenniter implere studeant, in eadem autem ecclesia clerici regulares sub professione S. Augustini perpetualiter Deo serviant, præcipimus. Et ne quis ipsum ordinem immutare vel disturbare præsumat, sub anathemate interdicentes; omnibus fidelibus qui causa devotionis bona eis largiri voluerint, in remissionem peccatorum suorum injungimus: tibi autem, fili Balduine, cui commissa est cura & sollicitudo prædictæ ecclesiæ, auctoritate apostolicæ sedis & dignitatis concedimus, ut possessiones ecclesiæ quas in tempore antecessorum tuorum tibi malefactores vel seculi potestates præoccupaverint, in quolibet episcopatu fuerint, libera voce valeas repetere & modis omnibus recuperare, nec eis valeat præsumtio suæ invasionis, cum tibi & ecclesiæ tuæ valeat auctoritas justæ & regiæ donationis. In ecclesiis vero beatæ Mariæ, sancti Reguli, sanctique Frambaldi ac sancti Evremundi de Credulio, ut clerici ejusdem ecclesiæ omnium indifferenter redituum canonicam portionem obtineant præcipimus. Ne quis autem ecclesiæ jam dictæ injuriosus existere præsumat, sub anathemate interdicimus, & omnibus eidem loco justa servantibus apostolicæ benedictionis gratiam impendimus. Datum apud sanctum Florentinum * tertio nonas Septembris.

* In diœcesi Senonensi.

In bulla pene simili Honorii papæ II ad eumdem Balduinum abbatem, sic habetur: Cum domibus, claustro & atrio permaneat, & ut tam possessiones & bona quam clerici ei servientes atque scholares, qui ad jus præfatæ ecclesiæ pertinere noscuntur, sub ipsius ecclesiæ prælati potestate consistant, & ab eis oblationes, decimas & omnes sui juris reditus repetens, officia christianitatis ejusdem ecclesiæ clerici honeste ac solenniter impendere studeant, &c. . . . . Decernimus itaque ut neque ecclesiasticæ personæ, neque ministro civitatis, neque ulli omnino hominum liceat præfatum locum perturbare, aut ejus possessiones auferre, &c. Datum Laterani per manum Aimerici sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii . . . . M. CXXIV. pontificatus autem Honorii papæ secundi anno primo.

XV.

Charta Clarembaldi episcopi Silvanect. in gratiam abbatiæ sancti Vincentii Silvanectensis.

1130. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. Exigente curæ pastoralis sollicitudine ac sancti Spiritus gratia administrante, saluti & devotioni nobis commissorum, & in vita & post mortem debemus & volumus insistere. Quapropter ego Clarembaldus Silvanectensis episcopus ut larga Dei clementia sinum pietatis & misericordiæ nobis aperiat, ecclesiæ sancti Vincentii ad sustentationem fratrum inibi sub professione sancti Augustini servientium, petitionibus communis capituli, anniversaria omnium canonicorum ecclesiæ beatæ Mariæ Dei genitricis in perpetuum concedimus; ita tamen quod pro unoquoque canonico ab hac vita seculari recedente, fratres ecclesiæ beati Vincentii per annum sacrificium Redemtionis Deo offerant, & eorundem fratrum præbendarum reditus indifferenter usque ad anniversarii obitus diem ex integro obtineant, & nullum præter annuale obsequium super hæc cogantur reddere servitium. De præbendis etiam quæ de communione præbendarum sunt & per manum decani electione capituli dantur, Illebertus decanus & ceteri ecclesiæ canonici nostro assensu prædictæ beati Vincentii ecclesiæ concesserunt, & nos ipsi ecclesiæ confirmamus, & nomina & signa personarum & canonicorum ad corroborandum & confirmandum nostrum ac prædicti decani & capituli donum subscribi præcipimus. Signum Illeberti decani. Sig. Bartholomæi cantoris. Sig. Ubaldi archidiaconi. Sign. Guidonis. Sane quidquam in canonicorum præbendis regularibus canonicis ecclesiæ sancti Vincentii concessimus, hoc idem & in præbendis ecclesiæ sancti Reguli ut præfata sancti Vincentii ecclesia perpetualiter habeat & possideat, concedimus & confirmamus. Ceterum quia paci & quieti servorum Dei debemus intendere, prædictæ ecclesiæ fratres ut res & possessiones, & ea quæ nostris & antecessorum nostrorum temporibus eis sunt collata vel ab ipsis acquisita, ut perpetualiter, quiete ac pacifice possideant, confirmamus: videlicet præbendam unam quam ipsi ecclesiæ in episcopali ecclesia; in ecclesia sancti Reguli præbendam unam quam minus canonice tenebat ecclesia recepta; in ecclesia S. Frambaldi præbendam unam & anniversaria præbendarum ipsius ecclesiæ a canonicis ejusdem loci ecclesiæ beati Vincentii concessa; molendinum de *Chamant* quod ipsa ecclesia tenet a Guidone & heredibus ejus perpetualiter, pro octo minis annonæ singulis annis, & a nobis censualiter pro quinque solidis; villulam quæ vocatur Malagenesta, quam ipsi ecclesiæ dedit Simon Marescalus, quæ de nostro censu est; mensum terræ quem ipsa ecclesia ab ecclesia sancti Reguli censualiter pro sex solidis tenet: apud Hermenovillam hereditatem Landrici penes quam ipsa ecclesia tenet censualiter ab ecclesia B. Mariæ, pro duobus solidis; duas olchias quas Bertinus & Avelina ipsi ecclesiæ dederunt, unam de censu beatæ Mariæ, alteram de censu S. Reguli; in domo Bertini duodecim nummos singulis annis, nostro censu imprimis dato; quinque solidos de præbenda sancti Nicolai ecclesiæ sancti Vincentii per annos singulos in perpetuum persolvendos, quia videlicet eamdem præbendam præfatæ ecclesiæ sancti Vincentii concessam, in ecclesia S. Mariæ dedimus & confirmamus. Si quis autem contra hanc nostræ donationis & confirmationis paginam agere præsumserit, primo, secundo tertiove commonitus satisfacere contemserit, excommunicationi subjaceat. Actum est hoc anno Incarnati Verbi M. CXXX. regnante rege Francorum Ludovico, episcopatus vero nostri XX.

XVI.

Mansionale Blavum, Blanc-mesnil, *Vincentiano cœnobio restituitur.*

Circiter 1130. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, &c. Ego igitur Ludovicus Dei gratia Francorum rex, notum facio tam posteris quam præsentibus, quia in terra beati Vincentii Silvanectensis, quæ Mansionale Blavum nuncupatur, miles quidam nomine Petrus de Alveio quasdam injustas consuetudines ex paterna hereditate possidebat, & paternæ culpæ culpabilis heres esse non formidabat; hospites enim illius terræ pro voluntate sua ad curiam suam vocabat, indebitis obsequiis urgebat, boves eorum, porcos, arietes, & cetera quasi ex consuetudine sua violenter rapiebat, prædictamque terram vexando & vastando, hospitibus & hospitum possessionibus nudabat, &c. Habito igitur fidelium nostrorum consilio prædictum Petrum ad judicium vocavimus, & ut ab illa, quam supra diximus, injusta consuetudine omnino desisteret, & præcipiendo monuimus & monendo præcepimus. Prædictus autem Petrus, tam ratione quam admonitione nostra motus, prædictas consuetudines & quidquid ex præmemorata terra habere videbatur, nihil sibi reservans in nostra præsentia dereliquit, & ut præfata terra a se & a suis heredibus libera & absoluta existeret, concessit. Huic autem concessioni assensum præbuerunt uxor ejus Herlendis, & filii ipsius Radulfus & Gualterus, & filia ipsius nomine Mathildis, & frater ejus Philippus, &c.

XVII.

Donum factum Caroli-loco.

Ex Sammarthanis.

Circiter 1137. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Willelmus Lupus Silvanectensis, laudante uxore mea Adelvia, filioque meo majore nomine Guidone laudante, concedo & do ecclesiæ B. Mariæ Caroliloci & servitoribus ejus, liberum & absolutum fundum, locum scilicet in quo situm est cœnobium, & alnetum ejusdem loci, cum suis pratis, undique sine retinaculo totum, & partem quamdam nemoris certis determinatam metis. Do quoque usum totius Espioniæ & *Beeley* ad nutrimenta gregum, & ad domos ædificandas, & ad ignem, & ad omnia semper necessaria, &c. De qua donatione chartam fieri volui, eamque sigillo fratris mei Stephani Parisiensis episc. sigillari feci. Cujus rei testes sunt Stephanus Parisiensis episcopus, Petrus episcopus Silvanectensis, Radulfus de Alneto, Galterius de *Pompon* & Auroldus frater ejus, Galterus *Parpalun*, Bernardus *Torchards*, Guido Parvus Silvanectensis.

XVIII.

Ludovicus VII rex confirmat donationes factas Caroli-loco

Ex Sammarthanis.

1138. EGO Ludovicus rex, sicut patri meo Ludovico temporali regno successi, ipsum quoque cupiens ad æternum subsequi, quia ipse cœnobii Carolicensis exstitit diligens fundator, esse disposui studiosus amator, &c. Laudo igitur atque confirmo donum quod episcopus Parisiensis & Guillelmus Lupus frater ejus, & comes Damni-Martini Renaudus cum uxore sua dederunt prædicto cœnobio, per concessium Adelizæ de Bulis, & filiorum ejus Lancelini scilicet & fratrum suorum, &c. Confirmo quoque terram quam dedit illi Joscelinus de Damno-Martino apud Hermenovillam, & quam dedit moriens juxta Villamnovam, &c. Actum publice Parisiis anno Incarnati Verbi M. CXXXVIII. regni primo nostri, astantibus in palatio nostro quorum nomina scripta sunt & signa, dapifero nullo. Signum Guillelmi buticularii. Sig. Matthæi camerarii. Sig. Hugonis constabularii. Data per manum Algrini cancellarii.

XIX.

Literæ Ludovici VII regis ad Petrum episcopum Silvanectensem, pro S. Vincentio Silvanectensi.

1139. LUDOVICUS Dei gratia rex Francorum & dux Aquitanorum, venerabili Petro sanctæ Mariæ Silvanectensis episcopo, & illius decano, atque O. archidiacono, B. cantori, ceterisque B. Mariæ canonicis, & O. decano ceterisque S. Reguli canonicis, salutem & dilectionem. Nostrum est religiosorum paci & quieti intentissime providere, quatenus & ipsi pro pace & quiete regni nostri tanto liberius quanto secretius possint Dominum exorare. Gaudemus & Deo gratias agimus, quod ecclesiam beati Vincentii Silvanectensis, quæ regii juris specialiter esse dignoscitur, idem Deus & Dominus visitavit, quod beati Victoris abbas, cum quo de consulendo eidem ecclesiæ sermonem habuimus, nos animi desiderio non fraudavit. Nam ad religionis incrementum quosdam de fratribus suis una cum abbate eidem cœnobio destinavit, ea scilicet conditione quatenus utraque domus & sancti Victoris & sancti Vincentii unum ordinem teneret easdemque institutiones haberet. Ut autem veniamus ad rem propter quam loquimur, dictum est nobis quod canonici S. Vincentii quasdam processiones de antiqua institutione vestris ecclesiis debeant, & de secreto suo hac occasione accepta ad publicum exeant: hanc consuetudinem canonici sancti Victoris nullatenus habent, immo hanc consuetudinem religioni valde contrariam perhibent. Ne ergo abbas sancti Vincentii, qui de ecclesia sancti Victoris assumtus est, & fratres qui cum eo sunt contra morem & consuetudinem suam, exeundo ad processiones, facere cogantur, mandamus vobis pariter & rogamus, quatenus debitas vobis processiones canonicis sancti Vincentii ex integro remittatis, eosque in secreto suo in pace & silentio vivere permittatis. Quia vero prædicta ecclesia vobis est proxima, & sicut credimus ad salutem vestram vobis a Deo præparata, si pro amore Dei & nostro id quod rogamus feceritis, non solum prædictis canonicis, sed & vobis requiem præparabitis. Valete.

XX.

Theobaldus episcopus Silvanectensis instituit hac in ecclesia magistrum & succentorem.

Circiter 1147. INito venerabilis Silvanect. pontifex Theobaldus cum capitulo B. Mariæ consilio, cum profectui ecclesiæ & Dei servitio maximam impenderet diligentiam, succentorem & magistrum eidem ecclesiæ providit necessarios, quorum doctrina & labore assiduo quotidianæ servitutis in eadem ecclesia vigeret obsequium. Episcopus igitur alicujus beneficii erogatione illorum curam recompensare non negligens, ecclesiæ beatæ Mariæ Silvanectensi pro animæ suæ & prædecessorum suorum salute quadraginta solidos publicæ monetæ, id est quibus venditiones & emtiones in urbe Silvanect. fiant, concessit succentori & magistro æqualiter dividendos, & de telonio suo singulis annis accipiendos; viginti scilicet solidos in festivitate Omnium sanctorum persolvendos, decem in Natali Domini, decem in Pascha. Canonici vero sui episcopi liberali munificentiæ congratulantes, similiter viginti solidos ejusdem monetæ succentori & magistro communiter habendos hilariter superaddiderunt, quorum decem in festo sancti Remigii persolverentur, quinque in Natali Domini, & quinque in Pascha. Illud etiam non est sub silentio prætereundum, quod idem episcopus & totus ejusdem ecclesiæ conventus firmaverunt, ut de redditu uniuscujusque canonici beatæ Mariæ & sancti Reguli infra subdiaconii gradum, tam præsentis in urbe quam A absentis, succentor & magister decem solidos communiter accipient in festivitate S. Remigii singulis annis persolvendos. Instituerunt præterea quatinus clericorum docendorum merces, eorum, inquam, quicumque beatæ Mariæ & sancti Reguli choros frequentarent, æqua lance succentori & magistro distribuerentur, de aliis tantum sub magistro legere volentibus merces magistri propria haberetur; de cantantibus tantummodo merces propria esset succentoris; de legentibus vero & cantantibus simul merces communis utrique redderetur. Ibidem etiam prohibitum est ne quis sine magistri licentia in urbe præfata clericum docere præsumeret in legendo, vel præter succentoris assensum erudiret in cantu. Silendum etiam non est quod idem episcopus capitulo B beatæ Mariæ optionem eligendi succentorem & faciendi potestatem concessit. Si quis vero posterorum hæc instituta & sigillorum domni episcopi Theobaldi & capituli B. Mariæ corroborata voluerit infringere, & prænominatos redditus ad alios usus ausus fuerit transferre, a præfato episcopo anathematis vinculo se sciat adstrictum. Actum in capitulo B. Mariæ Silvanect. a domno Theobaldo episcopo, in præsentia Iberti decani, Stephani præcentoris, Witlardi archidiaconi, & aliorum ejusdem ecclesiæ canonicorum.

XXI.

Donationes factæ Caroli-loco.

C IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Ego Amalricus Dei gratia Silvanectensis episcopus, 1162.
notum fieri volui præsentibus & futuris, quod Albericus camerarius & filius ejus Albericus comes de *Dammartin*, laudantibus & concedentibus Johanne scancione regis, & uxore sua Helisendi & Petro filio suo, concesserunt in eleemosynam ecclesiæ sanctæ Mariæ Caroli-loci & fratribus ibidem Deo servientibus, libere & absolute in perpetuum possidere fundum, locum scilicet in quo situm est monasterium & alnetum ejusdem loci, cum pratis & aquis adjacentibus undique, & partem quamdam forestæ juxta monasterium certis determinatam metis, usum quoque totius forestæ Espioniæ de *Bealci* ad nutrimenta gregum, & ad domos ædificandas, & ad ignem, & ad omnia semper necessaria; totum denique quidD quid prædictæ ecclesiæ fratres tenebant in omni consulatu Domni-Martini, tam in nemoribus quam in planis, in vineis, in pratis, in aquis, die qua de manu Ludovici regis Francorum investituram consulatus Domni-Martini idem Albericus suscepit. Testes sunt hi: Ludovicus rex, Guido buticularius, Johannes scancio, Garnerius vicedominus, Willelmus de Merlo, Rainaldus de Pomponia. Hæc igitur ut rata & illibata permaneant, in præsenti charta volui scribi & sigilli nostri auctoritate muniri, ac præscriptorum testium adstipulatione corroborari. Actum apud Silvanectum anno Incarnationis Dominicæ M. CLXII.

XXII.

E *Compositio inter episcopum & capitulum.* *Ex tabulario comit. Campaniæ.*

DOmino suo Henrico Dei gratia Trecensi comiti egregio, Ibericus eadem gratia ecclesiæ beatæ 1162.
Mariæ Silvanectensis decanus, Stephanus præcentor, Petrus archidiaconus, totumque ejusdem ecclesiæ capitulum, salutem. Querelam quæ inter nos & dominum nostrum Silvanectensem episcopum Amalricum nomine, pro quibusdam hominibus S. Gervasii versabatur, compositione quadam terminatam audivimus & gavisi sumus, indeque vestræ pietati grates referimus. Porro modum prædictæ compositionis præsentibus literis inserere, nostrique sigilli impressione atque capituli subscriptione munire curavimus. Statutum inter nos ut annis singulis idem episcopus

noster & ejus successores episcopi, prædictorum hominum capitalia libere & integre habeant; cetera vero, id est mortuam manum, licentiam matrimoniorum & alegia inter nos æqualiter dividatis, ita scilicet ut ipse episcopus & successores ejus medietatem habeant, vos autem & heredes vestri medietatem habeatis. Statutum etiam ut super prædictos homines episcopus & successores ejus unum de ipsis quem voluerint, majorem constituant, qui eis singulis annis capitalia & cetera quæ concessistis Silvanectum deferat, qui quandiu majoriam tenuerit, liber ab omni consuetudine erit; ipsi vero qui post ipsum jubentibus episcopis successerint, similiter liberi erunt. Pactus est etiam nobis idem episcopus assensu nostro & voluntate, quod nequaquam a vobis & heredibus vestris aliquid amplius exigeret, quam id per quod inter vos & ipsum pax & concordia facta est. Nos igitur compositionem seu conventionem a nobis & ecclesia nostra perpetuo ratam illibatamque conservari decernimus. Signum Iberti decani. Sign. Stephani cantoris. Sign. Petri archidiaconi. Signum Ebroini, Signum Johannis, Sign. Girardi presbyterorum. Signum Givardi. Signum Guidonis. Sig. Renaldi, &c. Actum apud Dammartinum anno Domini M. CLXII.

XXIII.

Augmentatio fundationis Leprosariæ Silvanectensis, per Amalricum Silvanectensem episcopum, capitulum & alios.

Circiter 1162. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. Ego Amalricus divina gratia Silvanect. ecclesiæ episcopus, notum fieri volui tam præsentibus quam futuris, quod ego, & clerus & populus Silvanectensis intuentes Leprosorum Silvanectensium indigentiam & necessitates, ut quiete & ordinate vivere possent, quoddam beneficium in commune statuere curavimus. Ego igitur imprimis concessi eisdem singulis annis, annuente capitulo, in festivitate sancti Remigii, unum modium annonæ in molendino nostro Silvanectensi, & unum modium vini in cellario nostro. Canonici B. Mariæ oblationes trium solemnitatum, in Pascha scilicet & Pentecoste, & in Natale Domini, eis concesserunt. Guido buticularius concessit eisdem leprosis unum modium annonæ in molendino suo de Ermenovilla singulis annis in festivitate sancti Remigii recipiendum, & unum modium vini in vineis suis de Ruellis, quæ fuere Willelmi Normani, eodem termino singulis annis recipiendum. Renoldus coquus concessit eisdem unum modium vini in torculari suo Silvanectensi recipiendum, & sex minas annonæ in grangia sua singulis annis eodem termino recipiendas. Johannes scancio concessit eisdem dimidium modium annonæ in camparte S. Martini recipiendum, & dimidium modium vini in cellario suo Silvanect. singulis annis recipiendum, & octo denarios census quos præfati leprosi eidem singulis annis pro duobus arpentis terræ persolvebant. Theobaldus de Gonissa concessit eisdem singulis annis sextarium annonæ apud *Chaversy* recipiendum. Wilardus miles concessit eisdem singulis annis unam minam annonæ in molendino beatæ Mariæ recipiendam.

XXIV.

Amalricus Silvanectensis episcopus confirmat reditus pro refectorio canonicorum beatæ Mariæ, per totam Quadragesimam.

Circiter 1162. IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Ego Amalricus Dei gratia Silvanect. episcopus, notum fieri volui præsentibus & futuris, quod Guido de Turre pro remedio animæ suæ & antecessorum suorum dedit in eleemosynam canonicis B. Mariæ Silvanectensis, quosdam redditus, tali pacto ut singulis annis per totum tempus Quadragesimæ in communi refectorio simul comederent; statutumque fuit quod si Guido prædictus a reddendo redditu vel canonici ab edendo simul in refectorio receptis redditibus deficerent, excommunicationi subjacerent; quod ita usque ad obitum Willelmi filii sui perseveravit: cumque Guido buticularius prædicti Willelmi filius, post obitum patris sui ad tenendam terram venisset, & inter ipsum & canonicos pro prædictis redditibus discordia exorta fuisset, utrique in nostra præsentia convenerunt, suamque causam exposuerunt: tunc largiente Domino, nostra prece & exhortatione idem Guido buticularius pro redemtione animæ suæ & antecessorum suorum prædictis canonicis in eleemosynam dedit, & quandiu viveret, usque ad Purificationem beatæ Mariæ redditurum se singulis annis promisit de marsupio suo Parisiensis monetæ quinquaginta solidos, & in vinea quæ dicitur Requestela decem modios vini, & in molendino Buleigniaci septem annonæ sanæ modios, quorum ad minus frumenti erit medietas. Dedit etiam eis integre ac concessit in eadem villa mansuram cum hospite, ut is & qui post eum mansuram possederit, prædictam annonam a molendinario fideliter accipiat & canonicis reddat. Quod si in molendino talis annona, qualis præscripta est, reperta non fuerit, & in vinea prædicta vini mensura defecerit, præfatus Guido talem omnino qualem eis promisit annonam & præfatam ex integro vini mensuram canonicis usque ad prædictum terminum persolvet: post obitum vero ejus quisquis turrem prædicti Guidonis de Silvanecti & hereditatem ad ipsam pertinentem possederit, nummos annonæ & vini modios præscriptos prædicto tenore & ut idem Guido in eleemosynam dedit, singulis annis prædictis canonicis reddet. Sciendum tamen quod præfatus Guido hac conditione eleemosynam fecit prædictam, ut canonici per totum Quadragesimæ tempus in refectorio communi singulis annis simul comedant; & si ipse, vel uxor ejus vel heres ejus ante octo dies Quadragesimæ decanum vel aliam personam ecclesiæ rogaverit, clericum unum qui de choro sit secum comedere permittant. Quod si ante Quadragesimam eleemosynam præfatam canonici non habuerint, & infra Quadragesimam ex integro reddita non fuerit, residuis tantum diebus Quadragesimæ in refectorio simul comedent. Si vero ante Pascha eleemosyna soluta non fuerit, & prædictus Guido & heres ejus qui post eum turrem tenuerit, reddere eam post Pascha voluerit, tunc canonici ex integro accipient utriusque anni, præteriti scilicet & præsentis, eleemosynam, & in subsequenti Quadragesima tantum in refectorio comedent; similiter si duobus vel tribus annis, vel eo amplius retinuerint, & postea ipsam eleemosynam tot annorum quot retinuere, reddere ex integro sicut debent, voluerint, tunc canonici omnium præteritorum annorum & præsentis anni eleemosynam recipient, nec ob hoc quia plurium annorum plures eis redditæ sunt eleemosynæ, cogentur canonici aliis Quadragesimis nisi in proxima tantum Quadragesima in refectorio simul comedere. At vero canonici super hoc accepto beneficio non ingrati concesserunt ut per omnes dies Quadragesimalis observantiæ pro eo & pro his qui supra fati sunt, missa celebraretur. Denique Guidoni avo ejus, & Willelmo patri ejus, & Adelinæ matri ejus, & eidem Guidoni buticulario viam universæ carnis ingressis, quantum beneficii debetur canonico impendatur & ipsis, & in diebus anniversariorum illorum quantum orationum episcopis qui ecclesiam accreverunt, persolvetur & ipsis, & per omne tempus Dominica in Ramis Palmarum specialis oratio fiet pro anima sæpedicti Guidonis avi sui, & pro animabus patris & matris suæ, & pro seipso quandiu vixerit, & pro salute animæ suæ cum de hac vita decesserit, & pro his qui eleemosynam

manutenuerint. Similiter quotiescumque processio ante crucem transierit, quam pro anima patris sui figi fecit, pro animabus prædecessorum suorum & sui ipsius, sicut præfatum est, processione moram faciente, communis oratio fiet. Denique tam illos qui eleemosynam præfatam debent persolvere, si eam reddere noluerint, quam canonicos, si receptis redditibus per totum Quadragesimæ tempus in refectorio canonicalis facta non fuerit refectio, auctoritate Dei Patris, & Filii & Spiritus sancti, excommunicamus & a corpore ecclesiæ separamus donec resipiscant & satisfaciant, illi eleemosynam reddendo, canonici in refectorio comedendo. Et ne quis prædictam eleemosynam perturbare valeat, præfatas donationes & pactiones in præsenti charta voluimus scribi, eamque sigillorum nostri & Silvanectensis beatæ Mariæ capituli, necnon & præfati Guidonis buticularii impressione muniri.

XXV.

Ex archivo domestico.

Literæ Hugonis archiepiscopi Rotomagensis ecclesias suæ diœcesis ad abbatiam sancti Vincentii de Silvanecto pertinentes confirmantis.

1164. HUGO Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus, dilecto filio Hugoni abbati sancti Vincentii Silvanectensis ejusque successoribus canonicæ vitæ professis, in perpetuum. Ecclesiasticæ exigit ordo consuetudinis, ut justis petitionibus filiorum benignum præbeamus assensum, præsertim cum hoc quod exigitur ad nostrum spectat officium. Inde est quod tibi in Domino, dilecte fili, precibus tuis annuentes, ecclesias & beneficia quæ in nostro archiepiscopatu possides, vel quæ, Deo propitio, justis modis poteris possidere, sub nostra & ecclesiæ Rotomagensis protectione suscepimus, & ea tibi & successoribus tuis præsenti scripto committimus, ex quibus hæc propriis duximus exponenda vocabulis: ecclesiam scilicet de *Auvers* cum omnibus pertinentiis suis; ad Marinas, terras, & decimas & redditus, & ea quæ ibidem habetis; ecclesiam de *Gouzengres* cum terris & decimis, & redditibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus. Ne quis ergo temere super his vos inquietare aut perturbare præsumat, omnia vobis præsenti scripto & sigilli nostri auctoritate, salvo jure episcopali, in perpetuum confirmamus. Si vero aliquis huic nostræ constitutioni injuste aut violenter contraire præsumserit, omnipotentis Dei indignationem & ecclesiastici vigoris vindictam se noverit incursurum; omnibus autem ecclesiæ vestræ bona conferentibus, sit in præsenti salus & prosperitas, in futuro vita tribuatur æterna, amen. Facta est hæc confirmatio VII. idus Maii anno M. CLXIV. cujus testes sunt Gaufredus ecclesiæ Rotomagensis decanus & archidiaconus, Radulfus ejusdem ecclesiæ thesaurarius, Egidius, Borardus archidiaconus, Richerius de *Hodenc* canonicus, magister Reynaldus qui hoc notavit.

XXVI.

Charta Amalrici Silvanectensis episcopi dona collata ecclesiæ sancti Nicolai de Aciaco laudantis.

1166. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam posteris quam præsentibus, dominum Giroldum priorem ecclesiæ sancti Nicolai de *Acy* precibus suis impetrasse ut ego Amalricus gratia Dei Silvanectensis ecclesiæ episcopus, eleemosynas & beneficia quæ eidem ecclesiæ sancti Nicolai & monachis ibi Deo famulantibus in eleemosynam a fidelibus pro animarum suarum remedio collata sunt, & in episcopatu nostro continentur, auctoritate nostra laudarem & confirmarem. Imprimis igitur concedimus & confirmamus præfatæ ecclesiæ molendinum de *Acy*, omnem justitiam & viariam ejus, culturam quæ ante januam eorum est, & omnem justitiam ejus & viariam, & omnem terram arabilem quam habent apud *Acy*, & justitiam & viariam ejus. Insuper decem hospites in vico S. Martini, quos dedit Ermengardis soror Roberti vicedomini, ex hereditate sua, & omnem justitiam & viariam eorumdem hospitum, & septem pratorum arpennos quos ecclesiæ sancti Nicolai cum duabus olchiis contulit, & justitiam & viariam eorumdem. In decima de *Pontchermery* quatuor minas yvernagii, quas eidem ecclesiæ pro remedio animæ suæ Garnerius vicedominus donavit. Terram quoque quæ dicitur sancti Dionysii, quam emerunt monachi a Theobaldo milite qui cognominabatur de *Paris*, & justitiam & viariam ejusdem, & omnem decimam. Iterum sex hospites cum quadraginta arpennis terræ apud Villam-novam, quæ sita est in territorio de Valleis, quos tenent monachi ab antecessoribus Guidonis Parvi. Insuper unum millenarium de escis omnimodis in usus ecclesiæ & fratrum præparatum, quod Guido de Turre eidem ecclesiæ in eleemosynam pro anima sua atque antecessorum suorum singulis annis contulit; sic scilicet ut quicumque fuerint præpositi de Ermenonvilla, ad ecclesiam sancti Nicolai usque ad ipsius festum vectura sua annuatim deportabunt. Terram quoque quam Hugo de Salice eisdem donavit, & quadrariam quæ in ipsa terra est, & justitiam & viariam ejus. Duos insuper hospites apud Curteolum, cum duabus olchis de eleemosyna Rainaldi coci, & minutam decimam, & justitiam & viariam eorumdem. Insuper quidquid habent in magna decima & minuta apud eamdem villam, & ecclesiam ipsius villæ, & domum quam Manasses tenet in vico Parisiensi, quæ fuit Odonis Cordeumarci, & eleemosynam Petri qui dicebatur Male-nutritus, scilicet unam vineam in vico Balantani, & domum quam Gunhierus tenet. Terram quoque quæ est de eleemosyna Helisendis, quæ fuit uxor Nevelonis de Laverciniis, quæ terra sita est in confinio domorum infirmorum Silvanectensium, & unum modium frumenti in grangia Petri de Fontanis, quem ipse Petrus, vel qui successor ejus extiterit, usque ad festum sancti Remigii sine aliqua perturbatione uno quoque anno ecclesiæ S. Nicolai debet persolvere. Actum Silvanecti anno ab Incarnatione Domini M. CLXVI.

XXVII.

Literæ Amalrici Silvanect. episcopi pro Caroli-loco.

IN nomine . . . . . Ego Amalricus Dei gratia Silvanectensis episcopus notum fieri volumus, quod ego tempore quo monasterium Caroli-loci loco abbatis ministrarem, consilio & assensu fratrum nostrorum omnes terras quas in territorio Ermenonville eidem monasterio Joscelinus de *Dommartin* & Willelmus Lupus pincerna regis in eleemosynam dederant, & quamdam terram de censuali Petri *Beivin*, quæ est inter *Borez* & Fontanas, excepta terra Galterii *Savor*, Guidoni filio prædicti W. arandas & excolendas hac conditione commodavimus, quatinus post obitum ipsius Guidonis abbas & fratres prædicti monasterii absque mora & sine ulla inquietudine & contradictione easdem terras deinceps possidendas recipiant. Si vero filium habuerit, de eisdem terris LX arpennos eidem heredi, si voluerit, dabit, aut in eleemosynam præfato relinquet monasterio, XL scilicet qui sunt in cultura quæ est inter Ermenonvillam & *Ver*, & X quos vicecomes de *Dommartin*, VI quos Odo de *Mesiart*, IV quos Hugo Venator præfato monasterio in eleemosynam dederant. Item sciendum est quod abbas Humbertus & fratres dicti monasterii quasdam terras & vineas quas habebat in valle Vaucellarum, & quasdam prata ipsi Guidoni buticulario perpetuo concesserunt: pro quibus terris, & vineis & pratis ipse Guido

Circiter 1166.

quamdam culturam quæ est inter *Fay* & *Henrivilers* eisdem fratribus libere possidendam in eleemosynam dedit. Has omnes donationes idem Guido coram nobis ac testibus in curia nostra recognovit. Testes Azo præcentor Silvanect. ecclesiæ, Petrus Suession. archidiaconus, Simon de Verciniaco, Stephanus de *Gojuls*, Petrus faber. . . . . sigilli nostri impressione muniri, & testibus voluimus corroborari.

XXVIII.

Charta Henrici Silvanectensis episcopi, de decima novalium nemoris de Braisilva data ecclesiæ sancti Nicolai de Aciaco.

1171. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia Silvanect. dictus episcopus, notum facio tam futuris quam præsentibus, quod dominus Guido buticularius omnem decimam quæ percipienda est in novalibus nemoris de Braisilva vel circa Braisilvam, quod ipse agricolis ad eradicandum & excolendum dedit, in manus nostras reddidit. Nos autem precibus ipsius cum assensu conjugis suæ Margaritæ & filiorum suorum Guidonis primogeniti & Willelmi junioris, ecclesiam sancti Nicolai super eadem decima investivimus, salvo jure parochiali ecclesiæ de Braisilva, quæ in eadem decima duos modios annonæ habet, unum frumenti, & alterum avenæ, quos videlicet perpetuo jure inviolabiliter ejusdem possidebit ecclesia: presbyter vero qui ejusdem ecclesiam administraverit, a monachis sancti Nicolai singulis annis in festo sancti Remigii omni occasione postposita, præfatos duos modios accipiet. Ad majorem etiam evidentiam, ut omnis in posterum litis & calumniæ præcidatur occasio, signanter additum est & a domino Guidone buticulario concessum, ut quisquis in prædicto nemore novale fecerit, ac territorium illud extirpato nemore in agriculturam redactum excoluerit, sive idem dominus Guido & ipsius heredes, sive quilibet alius, omnem decimam supradictam ecclesia sancti Nicolai nihilominus ex integro, perpetuo jure possideat. Quod ne in posterum vel oblivione deleri, vel cum quadam temeritate dissolvi possit, scripto præsenti & sigilli nostri impressione cum testium subnotatione firmavimus. Hæc sunt nomina testium: Asco præcentor sanctæ Mariæ, Ebroinus decanus sancti Frambaldi, Balduinus, Galterus canonici, Petrus coquus, Radulfus & Erchambaldus filiaster ejus, Gaufridus præpositus regis. Actum Silvanectis anno ab Incarnatione Domini M. CLXXI.

XXIX.

Donatio facta Caroli-loco.

Ex chartul. S. Genovefæ.

1180. EGO Ingelrannus abbas Caroli-loci totusque conventus noster humilis, notum fieri volumus quod abbas sanctæ virginis Genovefæ Stephanus totusque ipsius ecclesiæ conventus, dedit nobis ad censum annuum quinque solidorum Parisiensium nemus quoddam ipsorum cum ipso nemoris solo quod est ante abbatiam nostram, in quo & nos ex dono canonicorum secularium præfatæ ecclesiæ, & concessione Ludovici regis Francorum & habueramus & habebamus. Nos autem quinque solidos censuales singulis annis in festo sancti Remigii vel usque ad octavas fratri sive servienti eorum apud Borracum persolvemus, &c. Actum anno M. CLXXX. His interfuerunt Henricus Silvanectensis episcopus, Hugo abbas sancti Vincentii Silvanectensis, &c.

XXX.

Confirmatio bonorum ecclesiæ Silvanectensis.

Ex tabulario cathedr. ecclesiæ, pag. 1.

1182. LUCIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Stephano decano ecclesiæ sanctæ Mariæ Silvanectensis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris canonice instituendis, in perpetuum. Devotis ecclesiæ filiis ex injuncto nobis apostolatus officio propensius adesse compellimur, & justas petitiones eorum efficaciter exaudire, ut ex suarum petitionum effectu ad devotionem Romanæ ecclesiæ propensius animentur, & apostolica protectione vallati debitum Domino ferventius exhibeant famulatum. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus annuentes, ecclesiam vestram S. Mariæ Silvanectensis in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona sive redditus eadem ecclesia inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum duabus plateis eidem adjacentibus, & aliis pertinentiis suis: ecclesiam sancti Petri in suburbio civitatis vestræ sitam: ecclesiam sancti Hilarii ante portam Remensem: ecclesiam sanctæ Genovefæ cum pertinentiis suis: ecclesiam sancti Aniani: ecclesiam sancti Martini in vico Parisiensi sitam: ecclesiam sancti Martini de Ermenoldi villa, cum quibusdam hospitibus, terris & quadam parte decimarum, & aliis quæ in villa ipsa & ejus territorio ecclesia vestra habere dignoscitur: ecclesiam de *Ver* cum pertinentiis suis: ecclesiam sanctæ Mariæ de Eva, cum quibusdam hospitibus & parte decimarum, justitiis & aliis quæ ibidem rationabiliter possidetis: ecclesiam de *Moleignon* cum eadem villa, terris, vineis, nemoribus, pratis, pascuis & aliis pertinentiis suis. Insuper de eleemosyna bonæ memoriæ Asthonis quondam cantoris ecclesiæ vestræ, quatuor hospites certum redditum vobis annis singulis persolventes, quos nempe ab Odone de Gonessa milite justo titulo emtionis habuerat: ecclesiam de Monte-speculatorio: ecclesiam de Ogerio sancti Medardi: ecclesiam de Duviaco cum pertinentiis suis: ecclesiam de Ruilliaco cum medietate majoris decimæ terrarum ejusdem villæ: insuper medietatem cujusdam novæ decimæ, quæ decima novalium nuncupatur: ecclesiam de Borreto cum parte decimarum: ecclesiam de Tremiliaco cum capella de Veterinis, & eadem villa cum justitiis & pertinentiis suis: ecclesiam de Rareio: ecclesiam sanctæ Mariæ de Chamanto cum decimis ejusdem villæ, salva tamen portione quadam ipsius decimæ ejusdem loci presbytero deputata: ecclesiam sancti Leonardi de Valle-profunda, cum eadem villa, terris, pascuis, justitiis & pertinentiis suis: ecclesiam de Fonte sancti Firmini: decimam de Chantileio: ecclesiam de *Govix*, cum ea parte decimarum quam in terris & in vineis ejusdem villæ ecclesia vestra habere dignoscitur; majoriam quoque in ipsa villa, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, quam de suo proprio acquisitam venerabilis frater noster Henricus nunc episcopus, vobis pia liberalitate donavit; ecclesiam de Nova villa, quæ Lamorlaia dicitur, cum decimis ejusdem loci: intra burgum clausum civitatis vestræ hospites, terras & earum justitias & consuetudines, secundum quod est hactenus observatum; extra burgum clausum, sicut per antiquum fossatum distinguitur, hospites, vineas, terras, redditus & omnem sine diminutione justitiam totius terræ vestræ: in vico Parisiensi medietatem molendini quod dicitur

molendinum sanctæ Mariæ: maximam partem minutarum decimarum de hortis, areis & nutrimentis animalium & anserum civitatis ipsius, sicut ecclesia vestra noscitur hactenus habuisse: septem modios frumenti, decem modios vini, quinquaginta solidos Parisiensis monetæ, quæ de eleemosyna bonæ memoriæ Guidonis de Turre ecclesiæ vestræ collata buticularius Silvanect. vel ejus heredes seriatim succedentes ad refectionem fratrum in Quadragesima annis singulis vobis tenentur persolvere, secundum quod in charta exinde facta plenius est expressum: quatuor minas salis quas ad eorumdem fratrum refectionem episcopus vester qui pro tempore fuerit, vobis annuatim reddere tenetur: in vico sanctæ Genovefæ duos solidos censuales, quos pro anima patris sui Adæ Odo de Fossato miles in terra sua vobis assignavit: terras de Longua-aqua, cum quadam camparte & decimis earum: apud eumdem locum nemus quod dicitur Brocia sanctæ Mariæ; prata quæ inter duo vada possidetis: in prato *Percebot* unam carratam vel duas bigatas fœni ibidem tempore quo fœnum colligitur, annuatim habendas: in prato episcopi juxta fontem Arenarum, tantumdem fœni & eodem termino recipiendum: insuper quæcumque in territorio memoratæ civitatis in decimis seu quibuscumque possessionibus, consuetudinibus & justitiis rationabiliter possidetis: decimas in quibusdam terris villæ quæ Montis appellatur: apud locum qui Viaria dicitur, terras, campartem & decimas vobis persolventes: in episcopatu Belvacensi apud S. Lupum circa flumen quod Isara dicitur, pratum duos solidos censuales vobis persolvens: decem solidos censuales, quos Theobaldus de Crispeio per manum prædicti episcopi vestri vobis in eleemosynam reliquit: villam quæ dicitur Oiriacum, cum terris, nemoribus & aliis pertinentiis suis: vivarium quoque & molendinum eidem villæ adjacentia: terras quas habetis apud villam quæ Capella dicitur: hospites, terras, consuetudines & jura quæ apud *Basouches* habetis: apud sanctum Christophorum de Halatis duas partes decimarum de quibusdam terris ejusdem villæ: terras & redditus quos habetis apud *Saintines;* ea quæ habetis apud Ponponium: in villa Bernosa unum hospitem, cum vinea & quibusdam possessionibus: vineas quas apud Altum-montem habetis de eleemosyna Willelmi quondam cantoris ecclesiæ vestræ: dimidium hospitem apud Chamilliacum, novem minas grani, quatuor denarios & unum caponem vobis annis singulis persolventem: in territorio ejusdem villæ terras pensionem vobis annuam persolventes: apud Balcigniacum unum hospitem cum minuta decima ejusdem domus, & annuo redditu quem vobis solvere tenetur: præterea decimam in quibusdam mansuris & terris, quæ in territorio ejusdem villæ sitæ sunt. Ad hæc, sicut præfatus episcopus pontificali vobis auctoritate concessit & scripti sui munimine roboravit, ut vacantibus ecclesiis vestris quæ in episcopatu ejus consistunt, donec rectores instituantur in eis per capellanos deservire possitis, ita & nos vestræ devotioni hujus privilegii auctoritate firmamus. Præterea sicut homines ecclesiæ vestræ ea gavisi sunt hactenus sine controversia libertate, ut de rebus suis quas in civitate vendunt vel ad usus suos comparant, theloneum reddere nemini teneantur, & ut domus & familiæ vestræ potestati non subjaceant laïcali, ita homines, domos & familias ipsas eadem libertate futuris decernimus temporibus gavisuras. Antiquas vero & rationabiles consuetudines ecclesiæ vestræ hactenus observatas ratas habemus & perpetuo illibatas manere censemus, ut videlicet decedente aliquo vestrûm, vel ad religionem se transferente qui de messe nova illius anni minam unam vel amplius de præbenda receperit, reliqua pars messis eum contingens in solutionem contractorum utiliter transeat debitorum, vel in alios usus secundum quod ordinaverit ipse vel alius cui rerum suarum dispositionem commiserit: si vero forte, quod absit, aliquis vestrûm intestatus decesserit, solutis debitis utiliter contractis & expensis deductis, quod de rebus ipsius defuncti per ecclesiam acquisitis superfuerit, juxta statuta Laterani concilii ad ecclesiam devolvatur: ad ecclesias autem vestras cum vacaverint, liceat vobis personas diœcesano episcopo præsentare, a quo si idoneæ fuerint, curam recipiant animarum, ita ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Statuimus insuper ut episcopo vestro, aut etiam, te, fili decane, decedente, vel vestrorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem vos communi consensu vel pars vestrûm consilii sanioris secundum Dei timorem & antiquam canonicamque consuetudinem ecclesiæ vestræ duxeritis eligendum. In electionibus autem seu quibuslibet ecclesiæ vestræ negotiis, statuta majoris & sanioris partis vestrûm per contradictionem aliorum interdicimus impediri, dummodo quod statuitur ecclesiasticis non obviet institutis. Prohibemus etiam ut nemini liceat in vos vel ecclesiam vestram suspensionis vel excommunicationis, vel interdicti sententiam sine manifesta causa & rationabili promulgare. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnibus profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate & episcopi vestri debita reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, &c. Datum Velletri per manum Alberici sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii, secundo cal. Julii, indict. XV. Incarnat. Dominicæ anno M. CLXXXII. pontificatus vero domini Lucii papæ III anno primo.

Collatio facta est cum originali, die 24 April. 1336, post Pascha.

XXXI.

Confirmatio Henrici episcopi de consuetudinibus ecclesiæ beatæ Mariæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. 1184.
Ego Henricus Dei gratia Silvanectensis dictus episcopus, S. decano ecclesiæ beatæ Mariæ totique capitulo in perpetuum. Ad paternæ pietatis viscera clericorum nostrorum crebra fuit supplicatio pro quibusdam consuetudinibus, quas in pace sub multis antecessoribus nostris se habuisse dicebant & probare parati erant, quibus tamen aures diu clausimus. Notum autem facimus tam præsentibus quam futuris, quia tandem evicti suavi precum instantia, & considerata ecclesiæ utilitate emolliti, eis cessimus & concessimus, ut pro redditibus suisque injuriis tam propriis quam . . . . sui pro infracturis domorum suarum liceat majori ecclesiæ auctoritate sua excommunicare. Quemcumque vero excommunicaverit major ecclesia, pro excommunicato habebimus tam nos quam parochiales omnes presbyteri Silvanectensis civitatis, & eum ad voluntatem capituli beatæ Mariæ in eadem ecclesia excommunicabunt, nec licebit alicui presbyterorum pro supradictis causis excommunicatum absolvere, nisi ex mandato capituli. Statuimus etiam ut cessante majori ecclesia, omnes parochiæ civitatis supradictæ teneantur cessare ad præfatæ ecclesiæ mandatum: plorante enim matre filias exultare omnimodis indignum arbitramur. Prædicatores vero non recipiantur in majori ecclesia, vel in aliqua parochialium ecclesiarum civitatis, nisi assensu decani B. Mariæ, vel præcentoris, vel hebdomadarii. Hanc eamdem consuetudinem ecclesiæ beati Reguli ex

integro concedimus. Quod ut ratum sit & in memoria habeatur, literis annotari & sigillo nostro muniri fecimus. Quicumque vero huic nostræ institutioni obviare præsumserit, anathema sit. Signum Letaldi præcentoris. Sig. Hugonis abbatis sancti Vincentii. Sign. Stephani decani sancti Reguli. Sign. Raineri succentoris. Sig. Rainaldi diaconi. Sig. Petri de *Vax*. Signum Johannis de *But*. Signum Odonis de *Buri*. Sig. Walteri de *Ver*. Sig. *Laurent* subdiaconi. Sign. Johannis de Vanuis. Actum anno Incarnati Verbi M. CLXXXIV. indictione secunda, concurrente septimo, epacta VI.

Similis charta Gaufridi episcopi legitur in annalibus Silvanect. D. Jaulnay, *pag.* 430.

XXXII.

Donatio facta ecclesiæ sancti Arnulfi de Crispeio.

1187. EGO Alienor sancti Quintini comitissa & domina Valesiæ, tam futuris quam præsentibus notum esse volo, quod ego pro Dei amore & animæ meæ remedio, & pro animabus patris & matris meæ, & pro animabus prædecessorum meorum dedi & perpetuo in omni libertate concessi ecclesiæ B. Arnulfi de Crispeio in qua pater meus & mater mea tumulati quiescunt, singulis diebus unam bigatam lignorum per totam forestam de *Bestin*, præterquam in silva, accipiendam, ad usus monachorum in eadem ecclesia Deo servientium, de mortuo scilicet bosco, seu de branchiis, sive de residuis. Quod ut ratum sit & inconcussum perseveret, præsentem chartam sigilli mei munimine & subterscriptorum testimonio roborari præcepi. Sign. Petri decani S. Thomæ, &c. Actum anno Domini M. CLXXXVII. regnante Philippo Francorum rege.

XXXIII.

Charta Gaufridi episcopi, de dedicatione ecclesiæ parochialis d'Othis.

1190. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego Gaufridus Dei gratia Silvanectensis episcopus. Ea quæ ad ecclesiarum utilitatem pertinere noscuntur, ita debent scriptorum munimentis roborari, quod deinceps omni malevolorum versutiæ obstruatur introitus, & quæ a pia fidelium devotione ordinata sunt, firma permaneant & inconcussa persistant. Hac inducti consideratione, notum facimus omnibus qui hæc scripta viderint vel audierint, quod Robertus *Clunchez* a nobis humiliter postulavit ecclesiam quamdam quam in valle quæ dicitur Ostis ædificaverat, dedicari. Nos vero habito canonicorum nostrorum consilio & eorumdem consensu impetrato, ecclesiam prædictam dedicavimus. Prædictus autem Robertus eam dotavit dando ei centum octoginta libras Parisiensis monetæ, quibus decima Philippi Singularis de Ermeno sub pignore erat obligata, quarum debent singulis annis reddi triginta, & in custodia domus Caroli-loci reponi usque ad plenam centum octoginta librarum solutionem. Dedit etiam eidem ecclesiæ sexaginta libras, quibus decima de *Ver* pignori similiter obligata tenebatur. Hæ autem ducentæ quadraginta libræ debent expendi consilio nostro & dilecti filii nostri Hermeri beati Frambaldi decani, in emtionem reddituum, & ita quidem quod totus proventus quantuscumque sit, in jus cedere debet illius ecclesiæ. Si autem redditus tantus non fuerit quod quantitatem decem modiorum annonæ ad mensuram de Duno-Martini reddat, & ita quidem quod duæ partes sint frumentum, tertia avena a præfato Roberto & ab ejus heredibus qui ei succedent in terra de Ostis, usque ad decem modios debet suppleri. Dedit etiam eidem ecclesiæ unam masuram A juxta eamdem ecclesiam sitam, omnino libere possidendam, cum domo ibidem ædificanda, & unam quadrigatam fœni in prato ante eamdem ecclesiam sito, annuatim accipere. Oportet etiam illud observari, quod si omnes prædictæ ducentæ quadraginta libræ sive in parte reddi defuere, prædictus Robertus aut heres ejus qui terram de Ostis tenuerit, tenetur supplere defectum prædictæ annonæ, & decem modios ei parare bladi, ita quod duæ partes sint frumentum, tertia avena: si autem excesserit, totum erit ecclesiæ. Hæc autem omnia ad postulationem prædicti Roberti scribi curavimus, & sigilli nostri munimine roboravimus. Actum anno Incarnati Verbi M. CXC.

XXXIV.

B *Dedicatio ecclesiæ beatæ Mariæ Silvanectensis.*

ANNO ab Incarnatione Domini M. CXCI. regni autem gloriosissimi regis Francorum Philippi undecimo, pontificatus vero domni Gaufridi hujus sanctæ sedis episcopi anno sexto, mense Junio, XVI. calendas Julii, ad laudem Dei, in honorem beatissimæ virginis Mariæ dedicata & consecrata est illa ecclesia a domino Guillelmo Remorum archiepisc. sanctæ Romanæ ecclesiæ titulo S. Sabinæ cardinali, necnon & venerabilibus episcopis Nevelone Suessionensi, Rogerio Laudunensi, Stephano Noviomensi, Simone Meldensi, prænominato Gaufrido Silvanect. qui omnes de misericordia Dei & B. virginis Mariæ, & omnium sanctorum meritis confisi, omnibus huic C sanctæ ecclesiæ eleemosynas conferentibus quartam partem de pœnitentiis, vota fracta si ad eadem redierint, peccata oblita, offensas patrum & matrum, nisi in eos violentas manus injecerint, misericorditer relaxarunt. Qui vero a vigilia dedicationis usque ad festum sancti Johannis singulis annis ad eamdem ecclesiam venerint, viginti dies inflictæ pœnitentiæ in perpetuum sibi noverint relaxari. 1191.

Exstat eadem de re specialis indulgentia Guillelmi Remensis archiepiscopi, iisdem die & anno.

XXXV.

Gaufridi episcopi constitutio de parochis urbis Silvanectensis.

D EGO Gaufridus Dei gratia Silvanect. episcopus, universis tam præsentibus quam futuris notum fieri volumus, quod cum inter Petrum parochialem presbyterum beatæ Mariæ & alios ecclesiarum parochialium civitatis presbyteros gravis admodum orta esset controversia, eo quod in exsequiis parochianorum ipsorum in ecclesiis suis non sine libertatis earumdem ecclesiarum præjudicio & evidenti, sicut asserebant, detrimento, contra eorum voluntatem divina celebrare præsumeret: tandem ad petitionem decani & capituli beatæ Mariæ, ad quos jam dictarum ecclesiarum donatio spectare dignoscitur, & res ipsa plurimum displicebat, eam in hunc modum terminavimus; inprimis eidem Petro ne ad ipsorum ecclesias celebrandi causa de cetero sub alicujus E consuetudinis obtentu aliquatenus accederet, districte & firmiter inhibuimus, & super hoc jam dictos presbyteros & eorum ecclesias in perpetuum a memorati Petri, seu cujuslibet successorum ejus impetitione prorsus absolvimus. Ne autem hac occasione decedentium animæ debito frustrentur obsequio, aut suprascripta B. Mariæ ecclesia quæ ad opus ædificii in oblationibus exinde provenientibus portionem suam habere consueverat, ex facto isto detrimentum sustineat aut jacturam, de voluntate & assensu capituli beatæ Mariæ & pari presbyterorum concordia constituimus, ut presbyteri ipsi, unusquisque videlicet in ecclesia sua decedente parochiano suo pro præsentis defuncti & aliorum confratrum B. Mariæ animabus 1191.

animabus per se vel per alium capellanum secundam missam debeant celebrare, & proventus exinde percepti medietatem his qui ærarii vel trunci ecclesiæ beatæ Mariæ claves habuerint, tenebitur assignare. Statuimus ergo ut præsens constitutio pro bono pacis ecclesiasticæ & solemniter, prout diximus, facta, & sigilli nostri roborata munimine, futuris temporibus inviolabiliter observetur. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CXCI. his adstantibus quorum nomina scripta sunt hîc: Renerus succentor, Willelmus Rot. sacerdotes & canonici B. Mariæ, Rainaldus *Choisels*, Petrus de Ponte, Johannes Balbus, Galterus de *Ver* diaconi & canonici; Petrus de Monte, Radulfus *Palast* subdiaconi.

XXXVI.

Charta Gaufridi Silvanectensis episcopi, pro capellano obituum.

1197. EGO Gaufridus Dei gratia Silvanect. episcopus. Noverint tam præsentes quam futuri, quod capellano qui in ecclesia beatæ Mariæ Silvanectensis institutus est ad celebranda obsequia in anniversariis defunctorum, quæ in conventu celebrabuntur, duos modios frumenti concessimus, & in grangia nostra quæ est apud Silvanectum, singulis annis infra Natale recipiendos assignavimus, & hoc quidem fecimus ad petitionem & communem assensum Stephani decani & totius ejusdem ecclesiæ capituli, qui eidem capellano similiter duos modios frumenti singulis annis percipiendos, & insuper de omnibus distributionibus quæ in horis seu stationibus in choro & in vino cellarii fient, seu de hiis quæ de domibus & de præbendis noviter datis dividentur quantum uni ex ipsis integre percipiendum, & tempore Quadragesimæ cum fratribus in refectorio refectionem habendam concesserunt. Concessum est etiam eidem capellano ut in eadem ecclesia possit horas cantare, si requisitus fuerit, & etiam matutinas & vesperas, exceptis illis in quibus altare incensabitur. Ne ergo res tam solenniter acta vel personarum mutatione, vel quomodolibet aliter queat irritari, præsentem chartam exinde fecimus sigilli nostri munimine roboratam. Actum anno ab Incarnat. Domini M. CXCVII.

XXXVII.

Rescriptum Innocentii papæ III ad episcopum Silvanectensem, in gratiam monasterii S. Cornelii Compendiensis.

1199. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui Compendiensi, salutem & apostolicam benedictionem. Paci & tranquillitati vestræ paterna volentes sollicitudine providere, cum ad hoc specialiter teneamur, ex eo quod vestrum monasterium ad nos & Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, ad vestram oppressionem & necessitatem ecclesiæ relevandam, venerabilem fratrem nostrum Silvanectensem episcopum in causis vestris & aliis necessitatibus, pro quibus est vobis ad quos malueritis episcopos generaliter recurrendum, quemadmodum in vestris privilegiis continetur, per literas quas super hiis exequendis specialiter ipsi dirigimus, de benignitate sedis apostolicæ vobis duximus deputandum. Unde cum pro singulis necessitatibus vestris ad Romanam ecclesiam & ad nos qui specialius id exequi deberemus, facilem & sine dispendio non potestis habere recursum, volumus ut ad eumdem episcopum, qui in partem nostræ sollicitudinis est vocatus, tam pro injuriis vobis & ecclesiæ vestræ a malefactoribus quibuslibet irrogatis, & deinceps irrogandis, exsecutionem eorum quæ præsentialiter per nostrum ministerium vobis impendi non possunt, ab eo suscipiatis humiliter & devote. Datum Laterani II. calendas Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Habetur aliud rescriptum ejusdem papæ & ejusdem anni, pro spiritualibus ab eodem episcopo accipiendis.

XXXVIII.

Fundatio abbatiæ de Parco-Dominarum.

EGO Alienor comitissa Sancti Quintini & domina Valesii, omnibus præsentes literas inspecturis notum facio, quod ego pro remedio animæ meæ & animarum antecessorum meorum confero & concedo ecclesiæ beatæ Mariæ de Parco, quam de novo a fundamentis ædificavi, & sanctimonialibus inibi Deo servientibus locum ipsum in quo idem monasterium constructum est, circiter duas carrugatas terræ continentem, cum omnibus appenditiis suis, terris, aquis, pratis & nemoribus, & quantum mea interest, firma atque stabili dictum monasterium communio libertate. Quod ut ratum & inconcussum in perpetuum perseveret, præsentes literas sigilli mei auctoritate confirmo. Actum anno gratiæ M. CCV. 1205.

Sigillatum integro sigillo cum cordulis sericis flavidi coloris & impressione figuræ dominæ seu comitissæ.

XXXIX.

Confirmatio prædictæ fundationis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos ad preces dilectæ consanguineæ & fidelis nostræ E. (Elienordis) comitissæ Sancti Quintini & dominæ Valesii, concedimus religiosis mulieribus quas instituere proponit in Parco de Thruilla (seu de Bovilla, uti legit D. *du Fourni*) juxta Crispeium, eumdem parcum usque ad duas carrugatas terræ, tum in pratis, tum in terris, tum in aquis, tum in nemoribus. Quod ut perpetuam obtineat stabilitatem, sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato præsentem paginam confirmamus. Actum Parisius anno ab Incarnatione Domini M. CCV. regni vero nostri anno XXIII. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa; dapifero nullo. Signum Guidonis buticularii. Sign. Matthæi camerarii. Sig. Droconis constabularii. Data vacante cancellaria per manum fratris Guerini. 1205.

XL.

Consensus capitulorum S. Frambaldi & S. Reguli.

EGO Hermerus decanus & universum capitulum beati Frambaldi, & ego Ivo decanus & universum capitulum beati Reguli Silvanectensis, omnibus in perpetuum. Notum facimus quod totum dominium, & totam terram, & totum jus quod dicebamus nos habere in Parco, concessimus & quittavimus in perpetuum monialibus de Parco, quando fuerunt institutæ ibidem. In cujus rei perpetuam firmitatem, præsentem chartam sigillorum nostrorum fecimus impressione muniri. Actum anno Dominicæ Incarnationis M. CCVII. *Sigillatum duobus sigillis.* 1207.

XLI.

Charta Gaufridi episcopi, de ecclesia de Monte-speculatore, d'Espiloer.

EGO Gaufridus Dei gratia Silvanect. episcopus. Noverint qui præsentes literas viderint, quod cum ecclesia de Monte-spiculatorio vacaret, quæ ad donationem canonicorum beatæ Mariæ Silvanectensis pertinebat, ipsi ad preces nostras abbati & canonicis regularibus de Herivallis, divini amoris intuitu & 1209.

eorum religionis obtentu ecclesiam ipsam concesserunt perpetuo possidendam, salvo jure episcopali; ita quod canonicus regularis qui ibi ad divina celebranda instituetur officia, a prædictis canonicis beatæ Mariæ de temporalibus investituram, & a nobis vel successoribus nostris de spiritualibus curam recipiet. Si autem eumdem canonicum pro delicto suo vel pro qualibet causa amoveri contigerit, abbas ejusdem loci alium prædictis canonicis B. Mariæ canonicum præsentabit, qui similiter ab ipsis de temporalibus, & a nobis de spiritualibus debeat investiri. Institutus autem canonicus nobis, & archidiacono, & decano, & capitulo juramentum fidelitatis, sicut alii parochiales presbyteri, exhibebit. De pensione autem antiqua decem solidos, quàm prædicta ecclesia a longis retro temporibus debet ecclesiæ B. Mariæ, institutus canonicus quinque solidos in Natali, & quinque in Pascha persolvet. Quod ut perpetuum robur obtineat, hoc scriptum inde fieri & sigillo nostro fecimus confirmari. Actum anno gratiæ M. CCIX.

XLII.

Confirmatio Gaufridi episcopi Silvanectensis, de novalibus.

1209. EGO Gaufridus Dei gratia Silvanect. episcopus. Noverint qui præsentes literas viderint vel audierint, quod considerato servitio quod canonici Silvanectenses ecclesiæ nostræ exhibent, in augmentum redditum illorum qui ad matutinas & alias horas distribuuntur, decimas novalium omnium quæ jam fiunt, vel quæ de cetero in episcopatu nostro fient, eis concedimus perpetuo possidendas, & a quibuslibet ex concessione nostra acquirendas, nisi ubi factæ fuerint ubi ecclesia beati Reguli vel nos antiquas percipimus decimas, vel ex toto vel ex parte; volumus enim ut prædicta ecclesia suas habeat, & nos nostras nobis retinemus. Quam concessionem præsentis scripti munimine & sigilli nostri impressione fecimus confirmari. Actum anno gratiæ M. CCIX.

XLIII.

Bulla Innocentii papæ III pro monialibus Parci-Dominarum.

1210. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ sanctæ Mariæ de Parco ejusque sororibus, tam præsentibus quam futuris religiosam vitam ducentibus, in perpetuum. Quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis jugiter se præparant obviam sponso ire, sedes apostolica debet patrocinium impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis enervet. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium de Parco, in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum & B. Benedicti regulam ac institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur: præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium suum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum & largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis poterit adipisci, firma vobis & eis quæ vobis successerint, illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis & iis quæ ad altare ipsius

A monasterii pertinere noscuntur; decimas de . . . . & de . . . . . decimam quinque modiorum apud *Antilly;* decimam XII modiorum apud *Raray,* & Novam-villam, & Huelem; decimam . . . . . Philippi de Nantolio, Einselvæ; quidquid etiam possidetis apud *Magnevol,* dominium, terram, & quidquid a sancti Reguli & sancti Frambaldi capitulis eidem monasterio est concessum; duos modios frumenti apud *Vilers* . . . . . &c.

Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, tam de terris cultis quam de incultis, sive de hortis & virgultis, & piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Ad hæc liberas & absolutas mulieres de seculo fugientes B liceat vobis in monasterio vestro ad conversionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum vestrarum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine abbatissæ suæ licentia de eodem loco discedere, discedentem vero absque communi literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere; illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dare, sive alio modo alienare absque consensu totius capituli, vel majoris aut sanioris partis ipsius; si quæ vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus; pro consecratione vero altarium vel ecclesiarum, sive pro oleo sancto vel quolibet alio sacramento ecclesiastico, C nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio quolibet modo quicquam audeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis episcopus diœcesanus impendat; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, & communionem sedis apostolicæ habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Præterea cum commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro monasterio, exclusis excommunicatis & interdictis, divina officia celebrare. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere rapere vel interficere, seu violen- D tiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, necnon & libertates & exemtiones secularium exactionum a regibus, principibus vel aliis Christi fidelibus vobis rationabiliter indultas auctoritate apostolica confirmamus &c. Decernimus ergo . . . . . Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Petrus Portuensis ecclesiæ episcopus. Ego Nicolaus Tusculanus episcopus. Ego Guido Prænestinus episcopus. Ego Hugo Hostiensis episcopus. Ego Cinthius sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis. Ego Ciricius sanctorum Johannis & Pauli presbyter cardinalis tituli Pammachii. Ego Petrus tituli sancti Marcelli presbyter cardinalis. Ego Benedictus sanctæ Susannæ presbyter cardinalis. Ego Leo sanctæ Crucis in Jerusalem pre- E sbyter cardinalis. Ego Gregorius sancti Georgii ad Velum-aureum diaconus cardinalis. Ego Guido sancti Nicolai in Carcere-tulliano diaconus cardinalis. Ego Johannes S. Mariæ in Via-lata diaconus cardinalis. Ego Petrus sanctorum Sergii & Bacchi diaconus cardinalis. Ego Pelagius sanctæ Luciæ ad septa solis diaconus cardinalis. Datum Laterani per manum Johannis sanctæ Mariæ in Cosinedin diaconi cardinalis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cancellarii, Incarnationis Dominicæ anno M. CCX. pontificatus vero domni Innocentii papæ III anno XIII. *Bullatum.*

XLIV.

Charta Gaufridi Silvanectensis episcopi, de collatione parochiæ ecclesiæ beatæ Mariæ, & de oblationibus quæ fiunt in majori altari.

1212. EGO Gaufridus Dei gratia Silvanect. episcopus. Notum fieri volumus quod cum inter nos ex una parte, & capitulum beatæ Mariæ Silvanectensis ex altera, super quibusdam controversiis quæstio verteretur, tandem tam nos quam idem capitulum in duos concanonicos eorum compromisimus, & ipsi habito consilio bonorum virorum, in hunc modum sunt arbitrati, scilicet quod jus conferendi parochiam quæ est in ecclesia beatæ Mariæ, erit capituli; ille vero qui instituetur in parochia, præsentabitur ex parte capituli archidiacono & episcopo, & respondebit episcopo de spiritualibus, capitulo autem de temporalibus. Illi triginta solidi quos reddit Domus-Dei, dividentur in Assumtione B. Virginis canonicis qui servitio interecunt. Oblationes quæ fient in ecclesia sive in cera, sive in candelis, cedent in usus episcopi & luminaris, exceptis candelis, quas capitulum solet percipere in Nativitate beatæ Virginis. Oblationes autem quæ fient majori altari, cedent in usus fabricæ & ponentur in trunco, exceptis oblationibus quæ fient in manu illius qui missam celebrat, quæ dividentur prout solent dividi. Si quis propter oblationem voluerit emere candelas, custos candelarum tenebitur ei vendere, & pecunia ponetur in trunco. Id quod episcopus pro se & pro matriculario solet percipere in trunco, id percipiet similiter & capitulum, & nec episcopus, nec capitulum aliquid ultra poterit percipere in trunco, sine voluntate alterius. Nos autem illorum arbitrium approbantes, præsens scriptum inde fieri & sigillo nostro fecimus confirmari. Actum anno gratiæ M. CCXII.

XLV.

Charta Gaufridi episcopi, de decimis episcopatus Silvanectensis.

1213. EGO Gaufridus Dei gratia Silvanect. episcopus. Noverint qui præsentes literas viderint, quod nos propter devotionem quam circa ecclesiam nostram habemus, canonicis ibidem servientibus concedimus quod eis liceat decimas quæ in episcopatu nostro a laïcis detinentur, ad ecclesiam suam retrahere & in usus ibidem servientium transferre. Concedimus etiam quod nec monachis, nec aliquibus religiosis sive aliis clericis liceat de cetero decimas quæ ad præsens a laïcis detinentur, in usus suos transferre vel aliquo modo redimere, sine consensu nostro & capituli nostri. Si autem aliquæ jam in usus aliquorum translatæ sunt vel redemtæ, nisi nostrum vel aliquorum prædecessorum nostrorum super hoc ostenderint consensum, illud firmum nulla stabilitate consistat, & auctoritate nostra liceat canonicis nostris ad ecclesiam nostram retrahere, &, sicut supradictum est, in usus suos transferre. Quod ut ratum habeatur, hoc scriptum inde fieri & sigillo nostro fecimus confirmari. Actum anno gratiæ M. CCXIII.

XLVI.

Charta Guarini Silvanect. episcopi, de capellis in domibus episcopi, Silvanecti & apud Montes.

1221. GUARINUS Dei gratia Silvanectensis episcopus, universis præsentes literas inspecturis salutem in omnium Salvatore. Noveritis nos propter Deum & honorem Silvanectensis ecclesiæ, & pro salute animæ nostræ fundasse unam capellam in domibus nostris episcopalibus Silvanect. & aliam apud Montes, & redditibus a nobis de nostro proprio comparatis

A dotasse: capellam scilicet Silvanect. decima Ebrardi de Brueriis, omni ea videlicet quam apud Bruerias in blado, vino & minuta decima possidebat idem Ebrardus; & insuper quadraginta solidis Paris. sitis in censu domorum nostrarum Silvanectensis jardini: capellam vero de Montibus decima bladi, quam ab Adam de Ulmo comparavimus, sitam apud *Duvy & Drussy*, sicut eam emimus ab eodem. De consensu autem carissimorum nostrorum Roberti decani & capituli Silvanectensis, statuimus ut capellani qui instituentur in dictis capellis, in ipsa sua institutione jurent sese in eis facturos debitam residentiam, & in eisdem personarie in missis & horis canonicis deservituros; ita quod si tanto infirmitatis incommodo laborarent, quod per mensem integrum gravarentur,
B tenerentur providere qui loco suo in suis deserviret capellis: & eodem modo si fortassis peregrinationem arriperent in qua essent plus quindecim diebus moraturi, tenebuntur dictarum capellarum capellani in omni luminari & in universis vestimentorum, librorum, vasorum ad usum capellæ competentium ornamentis eisdem capellis de cetero providere. Volumus etiam & statuimus ut cum aliquam dictarum capellarum vacare contigerit, decanus & capitulum Silvanectense conferant personæ idoneæ vacantem capellam; & si forte infra quadraginta dies non contulerint, ad episcopum Silvanectensem donatio devolvatur, qui tenebitur vacantem capellam personæ, ut dictum est, idoneæ conferre absque aliqua diminutione beneficii assignati capellæ eidem, ita quod
C nec episcopus vel capitulum Silvanectense aliquid de beneficio ipsarum capellarum poterunt in suos usus convertere, aut exinde sibi aliquid retinere: quod si contra hoc præsumerent facere, se noverint excommunicationi a nobis latæ contra hujusmodi præsumtores de consensu capituli subjacere. Statuimus præterea quod non possit aliqua istarum capellarum conferri, nisi tali, qui, sicut præfatum est, persona sit idonea, & presbyter vel diaconus, qui in proximis susceptioni capellæ ordinibus presbyter ordinetur, vel saltem tali subdiacono qui ordines successive recipiat & presbyter fiat, & ad recipiendum ordines tam diaconus quam subdiaconus, per juramentum teneatur in manu episcopi qui erit pro tempore, faciendum. Ad hæc earumdem capellarum capellani, quos in propriis personis & non per vica-
D rios volumus deservire, tenebuntur in omnium missarum quas celebrabunt *Memento* nostri tam in vita quam in morte facere specialem memoriam, & in eisdem missis collectam pro nobis dicere specialem. Post mortem vero nostram singulis hebdomadibus die lunæ vel proximiori ejusdem diei die, si forte magnum festum die lunæ contingat, pro nostræ animæ remedio missam pro fidelibus celebrare, & totum servitium mortuorum dicere. Ad cujus ordinationis & constitutionis præscriptæ majorem firmitatem & evidentiam pleniorem, præsentibus literis cum nostro sigillo in suæ concessionis testimonium fecerunt præfati decanus & capitulum suum apponi sigillum. Anno Domini M. CCXXI. mense Februario.

E

XLVII.

Charta Guarini Silvanect. episcopi, de fundatione capellæ vulgo dictæ de Parmatin.

GARINUS Dei gratia Silvanectensis episcopus, Franciæ cancellarius, præsentes literas inspecturis in Domino salutem. Noveritis quod Johannes de Porta civis Silvanectensis, & Agnes uxor ejus, quamdam capellaniam in ecclesia beatæ Mariæ Silvanect. instituerunt, cujus capellanus in eadem ecclesia in altari felicis memoriæ Elisabeth quondam reginæ, missam singulis diebus pro seipsis & pueris suis, & pro omnibus benefactoribus suis, finitis matutinis 1223.

canonicorum summo diluculo statim celebrabit : cui A capellaniæ prædicti Johannes & Agnes uxor ejus, volente & approbante institutionem capitulo Silvanectensi, & de assensu presbyteri parochialis, hujusmodi redditus assignaverunt : apud Rulliacum unum modium bladi, qui singulis annis ab illis qui terras tenebunt pro quibus debetur ille modius, in ecclesiam Rulliaci afferetur, & in crastino Omnium sanctorum ibidem ab eis redditus deponetur, quem prædictus ibi recipiet capellanus, sicut in authentico officialis nostri de terris pro quibus recipi debet, & de receptione plenius continetur : si autem contingat quod aliqua terrarum illarum vendatur, vendæ venditionis illius jamdicto capellano reddentur. Apud Fontanas sextam partem magnæ decimæ de Fontanis, exceptis septem modiis quos capit ecclesia de Fontanis, & uno modio quem capit Odo *Librans de Berron* : B medietatem decimæ de campo Renolii, sicut in nostris literis plenius declaratur. Apud *Villemointrie* de terra sita apud *Tombeeles*, circiter duos arpennos continente, quam tenet Willelmus gener Garneri, singulis annis unus sextarius bladi & unus sextarius avenæ prædicto capellano pro redditu persolventur. Apud Silvanectum quadraginta solidos censuales de duabus domibus sitis juxta betfrerium civitatis Silvanectensis, quas tenet Ebroinus faber de justitia prædictorum Johannis & Agnetis uxoris suæ. De domo Rogeri furnarii viginti solidos & sex denarios censuales, de quibus reddit capellanus episcopo sex denarios singulis annis. De domo *Osrle* mulieris sita ad caput ecclesiæ sancti Sanctini, quinque solidos, C quinque denarios censuales, de quibus capellanus reddit quinque denarios singulis annis episcopo. De cameris sitis extra portam civitatis ante ecclesiam beati Reguli, quas tenent Petrus Choiscalus & Willelmus de Sancto-Maximino, & Willelmus de *Montaterre*, tredecim solidos & sex denarios censuales, de quibus reddit capellanus ecclesiæ beati Reguli, duodecim denarios singulis annis. De duobus arpennis terræ sitis apud *Tumberel*, quos tenet Heroaldus *Creset*, quatuor solidos censuales, de quibus capellanus reddit beato Regulo duos denarios singulis annis, prædicti Johannes & Agnes uxor ejus prædictæ capellaniæ pro redditu assignaverunt : & quidquid amplius ex eorum eleemosyna & pro largitione fidelium capellano dictæ capellaniæ nomine ejusdem D capellaniæ conferetur, volente & approbante capitulo Silvanectensi, accrescet redditibus assignatis. Præterea sciendum est quod omnes oblationes quæ fient in manu capellani, missam, sicut dictum est, celebrantis, a capellano fidelitate facta presbytero parochiali ecclesiæ beatæ Mariæ Silvanectensis, prout recipientur, fideliter in integrum reddentur : presbyter vero parochialis prædicto capellano singulis annis triginta solidos Parisienses ex ordinatione capituli Silvaneϲt. & suo persolvere tenebitur ex consensu. Primo vero capellano a prædicto Johanne instituto decedente sive cedente, ad Silvanectense capitulum prædictæ capellaniæ in perpetuum donatio devolvetur ; & qui in eadem ecclesia servierit capellanus horis matutinis & diurnis, nisi aliquo detineatur impedimento legitimo, tenebitur interesse. Prædicti E autem capitulum & Johannes provide statuerunt, quod redditus assignati in alios usus converti quam usus capellaniæ non poterunt memoratæ. Nos autem precibus eorum inclinati, ad instantiam illorum omnes illos qui prædictos redditus in alios usus convertere præsumserint, auctoritate Dei omnipotentis & potestate nobis a Deo tradita, excommunicationis vinculis innodamus. In hujus igitur institutionis & ordinationis memoriam ad posteros deducendam, præsentes literas de consensu capituli Silvanectensis & Johannis super prædictis confectas sigilli nostri & sigilli Silvanectensis capituli munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M. CCXXIII. mense Februario.

XLVIII.

Fragmentum chartæ fundationis abbatiæ beatæ Mariæ de Victoria. *Ex tabulario domus.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. 1223. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter ac futuri, quod cum felicis recordationis carissimus progenitor noster Philippus Francorum rex, habita consideratione ad eam quam Dominus exercituum illi dedit in Bovinorum bello victoriam, abbatiam ab ipso nominatam Victoriam prope Silvanectum fundasset in honore & nomine sanctæ & gloriosæ semper virginis Mariæ, matris illius Domini qui fortis est in prælio, & fundatam dotasset bonorum partibus inferius annotatis ; nos pium ejus propositum volentes prosequi & effectui commendare, ipsas partes eidem abbatiæ concedendas duximus, & literis præsentibus confirmandas : terram videlicet arabilem sitam ante ipsam abbatiam, &c. Ut autem ista nostra donatio perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato confirmamus. Actum Senonis anno Domini M. CCXXIII. regni nostri anno primo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. Signum Roberti buticularii. Signum Bartholomæi camerarii. Sign. Matthæi constabularii. Data per manum Guarini Silvanectensis episcopi, cancellarii.

XLIX.

Charta Ludovici VIII regis Francorum, de anniversario Philippi regis patris sui, & Guarini Silvanectensis episcopi solemniter faciendo.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Noverint 1223. universi præsentes pariter & futuri, quod nos divinæ intuitu pietatis & obtentu precum carissimi & fidelis nostri Garini Silvaneϲt. episcopi, Franciæ cancellarii, pro anniversario carissimi genitoris nostri Philippi bonæ memoriæ regis quondam Francorum illustris, & anniversario dicti episcopi Silvanectensis annuatim in ecclesia Caroli-loci solemniter faciendis, laudamus & concedimus eidem ecclesiæ Caroli-loci decem libratas annui redditus ad Parisiens. videlicet LXIV solidatas quas abbas & conventus ejusdem abbatiæ emerunt de C libris Parisiensibus, quas de præfati genitoris nostri eleemosyna habuerunt, & sex libratas & sexdecim solidatas quas præfatus Silvanectensis episcopus emit a Matthæo de *Ver*, & dedit eidem abbatiæ percipiendas annuatim ; sex libr. & octo solidos in transverso nostro de Choisiaco infra octabas Omnium sanctorum, sicut idem Matthæus eas percipiebat in transverso eodem ; & octo solidos de Colardo carnifice & ejusdem heredibus annuatim in festo sancti Remigii pro prato quodam sito apud Choisiacum, pro quo debet illas octo solidatas censuales. De his autem decem libris habebit conventus ejusdem abbatiæ centum solidos pro pitantia annuatim, quandiu prædictus episcopus Silvanectensis vixerit, die lunæ post Dominicam qua cantatur *Ego sum pastor bonus*, qua die pro eodem episcopo solennem missam de Spiritu sancto celebrabunt : post decessum vero ejusdem episcopi habebunt illos centum solidos pro pitancia singulis annis, ipsa die qua ejusdem anniversarium celebrabunt. Dictarum autem sex librarum & sexdecim solidorum venditionem abbatiæ prædictæ laudavit & quittavit in perpetuum, & exinde ei ratam curatur facere garandiam Guillelmus de Choisiaco miles, de quo primo movebat, & qui eam de nobis tenebat. Maria etiam præfati Matthæi uxor, de cujus maritagio erat dicta venditio, & Matthæus & Guido filii eorum, venditionem ipsam laudaverunt & concesserunt,

& in perpetuum quittaverunt. Nos quoque venditionem istam & præfati episcopi donationem, utpote quæ a nobis movebat, sicut prædictum est, volumus & concedimus in perpetuum & laudamus. Et ut hoc perpetuum robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate præcepimus confirmatam. Actum apud Silvanectum anno Domini Incarnati M. CCXXV. mense Augusto.

L.

Charta Ludovici VIII regis Francorum, de abbatia beatæ Mariæ de Victoria.

1225. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos caritativam attendentes intentionem, quam piæ recordationis rex Philippus genitor noster habuit in fundatione abbatiæ beatæ Mariæ de Victoria, quam expensis suis construxit propriisque donariis ditavit, consilium duximus ineundum cum carissimo & fideli nostro Guarino Silvanectensi episcopo, Franciæ cancellario, & aliis viris discretis & religiosis, quomodo in abbatia jam dicta religio & observatio ordinis sancti Victoris Parisiensis præsentibus futurisque temporibus in statu quo posset meliori permaneret. Qui super præmissis habita deliberatione diligenti, statum ipsius abbatiæ ordinaverunt tenendum & observandum hoc modo; scilicet, quod abbas sancti Victoris Parisiensis plenariam haberet potestatem corrigendi quæ corrigenda fuerint tam in abbate quam in fratribus ejusdem abbatiæ: ita scilicet quod si abbas contemtor regulæ vel ordinis prævaricator, aut sibi commissorum fratrum vitiis consentiens apparuerit, abbas S. Victoris quomodo melius noverit expedire, eum, ut se corrigat, usque tertio admoneat. Quod si culpam suam corrigere vel a susceptæ provisionis officio cedere noluerit, abbas sancti Victoris advocatis secum de senioribus & de discretis fratribus domus sancti Victoris, eum submoveat a regimine abbatiæ, ac postmodum fratres ecclesiæ B. Mariæ de Victoria, appellatione remota, eligant quem voluerint infra mensem; ita tamen quod tantum aliquem de canonicis manentibus in abbatia beati Victoris vel in membris ejusdem abbatiæ, eligant in abbatem; si in abbatia ecclesiæ beatæ Mariæ de Victoria aliquis idoneus non possit inveniri, qui ad regimen ejusdem possit sufficere abbatiæ, quem sic electum abbas sancti Victoris debet examinare & electionem approbare vel irritare, si hoc prædictæ abbatiæ viderit expedire; & sic examinatum & approbatum abbas sancti Victoris debet episcopo Silvanectensi præsentare ad munus benedictionis suscipiendum. Si autem abbas beatæ Mariæ de Victoria depositus fuerit ab abbate S. Victoris, sicut prædictum est, & is qui depositus fuerit vel canonici ejus latæ in eos sententiæ contumaciter decreverint reluctandum, abbas S. Victoris plenariam habet potestatem censura eos districtionis ecclesiasticæ coercendi. Si quis autem eorum ad cor reversus & de sua contumacia resipiscens misericordiam humilis postulaverit, sicut filius pœnitens suscipiatur secundum ordinis instituta, & de consilio abbatis sancti Victoris. Quamdiu autem ecclesia ipsa abbate proprio fuerit destituta, sub abbatis sancti Victoris potestate & dispositione consistat, tam in temporalibus quam in spiritualibus. Verumtamen post factam episcopo Silvanectensi obedientiam, & ecclesiæ Silvanectensis professionem secundum supradicta, nihilominus abbas sancti Victoris eumdem abbatem, si necesse fuerit, poterit ab officio removere, sicut prædictum est; abbas siquidem S. Victoris vel conventus ejusdem loci nullam poterit exactionem terreni commodi abbatiæ illi imponere, nec ipsa abbatia ab abbatia sancti Victoris aliquid terreni commodi exigere, sed tantum abbas & fratres illius abbatiæ obedient abbati sancti Victoris, tanquam patri spirituali. Semel autem in anno vel pluries, si necesse fuerit, visitabit abbas S. Victoris ecclesiam beatæ Mariæ de Victoria, vel per se vel per priorem suum, ad faciendum quæ pertinent ad visitationem; & cum prior missus fuerit ad visitationem faciendam, eamdem habeat potestatem quam abbas qui mittit eum, nisi forte in gravioribus articulis consilium abbatis S. Victoris necesse fuerit expectare. Abbas autem sanctæ Mariæ de Victoria poterit mittere aliquos de fratribus suis ad domum sancti Victoris causa disciplinæ vel correctionis, de voluntate abbatis sancti Victoris, ibidem moram facturos quantum abbati sancti Victoris videbitur expedire; & abbas sancti Victoris quando viderit expedire, aliquos de canonicis suis mittere poterit ad eamdem abbatiam, ad ordinis informationem. Cum autem abbatem sancti Victoris in eadem abbatia præsentem esse contigerit, primum locum obtineat in ecclesia, in capitulo, in refectorio & ubicumque viderit expedire. De fugitivis autem & de novitiis suscipiendis, approbata consuetudo ordinis observetur. Nos igitur omnia quæ præmissa sunt volentes inviolabiliter observari, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato confirmavimus. Actum Parisius anno Incarnat. Dominicæ M. CCXXV. regni vero nostri tertio, adstantibus in palatio nostro quorum nomina subscripta sunt & signa, dapifero nullo. Sign. Roberti buticularii. Sign. Bartholomæi camerarii. Sign. Matthæi constabularii. Datum per manum Guarini Silvanectensis episcopi, cancellarii.

Exstant eadem de re Guarini laudati Silvanectensis episcopi, cancellarii, literæ datæ eodem anno mense Julio.

LI.

Charta Johannis abbatis beatæ Mariæ de Victoria; statum ecclesiæ suæ sicut a D. Guarino Silvanect. episcopo ordinatus est, approbantis.

EGO Johannes beatæ Mariæ de Victoria dictus abbas, & ejusdem loci conventus, universis præsentem paginam inspecturis notum fieri volumus, quod nos vitam religiosam professi secundum sancti Augustini regulam & ecclesiæ beati Victoris consuetudines approbatas, statum ecclesiæ nostræ, sicut a domino Guarino Silvanectensi episcopo, Franciæ cancellario, patre & patrono nostro, de bonorum prudentumque virorum consilio ordinatus est, approbamus, & sicut dilectissimus dominus noster Ludovicus rex Francorum illustrissimus, tanquam patronus ecclesiæ nostræ suis etiam literis confirmavit, ut disciplinæ vigor canonicæ in ecclesia nostra in perpetuum perseveret: nos ordinationem ipsam pro infirmitatis nostræ modulo juxta quod nos divina juverit gratia, promittimus firmissime servaturos. Ipsa igitur ordinatio sic se habet, quod scilicet abbas sancti Victoris plenariam habeat potestatem, &c. *ut supra.* Quæ omnia ut perpetuæ robur obtineant firmitatis, ego Johannes sæpefatæ ecclesiæ abbas sigilli nostri, conventus autem suum præsenti paginæ apposuit munimentum. Actum anno Domini M. CCXXV. mense Julio. 1225.

LII.

Charta Ludovici regis approbantis dictum Guarini Silvanectensis episcopi, pro sedanda controversia monachos inter Bonavallenses & Hugonem de Laevilla. *Ex charta authentica Bonavallis.*

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos literas dilecti & fidelis nostri G. Silvanectensis episcopi, Franciæ cancellarii, inspeximus in hæc verba: 1226.

Universis Christi fidelibus ad quos præsentes literæ pervenerint, Garinus Dei gratia Silvanectensis episcopus, Franciæ cancellarius, in Domino salutem. Noveritis quod super contentione quæ inter dilectos nostros abbatem & monachos Bonævallenses ex una parte, & Hugonem de Laevilla militem ex altera, vertebatur, super qua de assensu partium in nos fuerat compromissum, & inde Haimericus & Josselinus fratres ejusdem Hugonis, & Renaudus & Simon avunculi ejus, & Haimericus de *Crocy* & Petrus de Richevilla plegii assignati fuerant, de faciendo teneri a præfato Hugone super sua sacramenta, quidquid super hoc ordinaremus vel pace, vel judicio, habito virorum prudentum consilio, dictum nostrum protulimus in hac forma: dictus Hugo de Laevilla tenetur ire Romam infra instantem nativitatem sancti Johannis Baptistæ, & de absolutione sua ac de injuncta sibi pœnitentia domini papæ literas impetrare, vel infra terminum eumdem ire in Albigesium & servire ibi per annum, sicut unum aliorum militum, qui ad domini regis stipendia immorantur ibidem, & afferre in reditu suo patentes literas alicujus nobilium virorum qui tunc ibi erunt, de mora ac de servitio ejus testimonium perhibentes, propter damna & gravamina quæ idem Hugo ecclesiæ Bonævallensi & monachis noscitur intulisse. Remanebunt eidem ecclesiæ in perpetuum omnes plateæ quas habebat idem Hugo apud Bonam-vallem, & burgeolus in quo furnus est situs, & ipse furnus & desertum quod est juxta, & omnes censivæ ejus quas habebat tam in dicto burgeolo quam extra; & unum arpentum terræ quod habebat juxta sanctum Martinum, quod cum aliis prædictis ecclesiæ Bonævallensi, sicut prædictum est, remanebit. Prædictus autem Haimericus frater ejusdem Hugonis quittavit ecclesiæ sæpedictæ in perpetuum, totum jus feodale quod habebat in prædictis. Sæpe dictus Hugo non guerreabit de cetero, nec aliquatenus infestabit abbatem vel monachos Bonævallenses alicujus contentionis vel conventionis transactæ; imo præfati plegii tenentur super sua sacramenta facere observari ab Hugone omnia superscripta: & si forte idem Hugo vel alius nomine vel occasione ejus contra aliquid horum venire attemptaret, præfati plegii super sua sacramenta tenerent prisonam apud Heenvillam, quousque quidquid contra hæc vel horum aliquid a præfato Hugone vel ab alio nomine vel occasione ejus attemptaretur, memoratæ ecclesiæ, & abbati & monachis esset plenius emendatum. In cujus rei memoriam præsentes literas sigilli nostri appensione munimus. Actum apud Nealfum vetus anno gratiæ M. CCXXVI. mense Martio. Nos igitur prædicta omnia sicut præmissa sunt, rata haberi ac firmiter observari volentes, sigilli nostri auctoritate ea præcipimus communiri. Actum apud sanctum Germanum in Laya, anno Incarnati Verbi M. CCXXVI. mense Martio.

LIII.

Ex codice ms. Victorino.

Clemens IV confirmat statuta a Roberto episcopo Silvanectensi pro prioratu S. Mauritii condita.

1265. CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori & conventui prioratus sancti Mauritii Silvanectensis, ordinis sancti Augustini, salutem & apostolicam benedictionem. Meritis vestræ religionis inducimur ut vos prosequamur gratia & favore. Sane fuit ex parte carissimi filii nostri illustris regis Franciæ propositum coram nobis, quod venerabilis frater noster R. Silvanectensis episcopus vobis & prioratui vestro, quem idem rex in honorem beati Mauritii sociorumque ejus de regalibus bonis liberalitate regia construxit pariter & dotavit, dilectis filiis abbati & conventui sancti Mauritii Agaunensis, ordinis sancti Augustini, Sedunensis diœcesis subjiciendo eumdem, plura circa statum ejusdem prioratus & personarum ipsius ordinavit, prout in literis inde confectis sigillo ipsius sigillatis, quarum tenorem præsentibus inseri fecimus, plenius dicitur contineri. Nos itaque ipsius regis & vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem episcopo factum est, ratum & firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem dictarum literarum nobis sub signo venerabilis fratris nostri Tyrensis archiepiscopi exhibitus talis est: Egidius miseratione divina Tyrensis archiepiscopus, executor negotii crucis in regno Franciæ, necnon in Cameracensi, Leodiensi, Metensi, Tullensi ac Virdunensi civitatibus & diœcesibus a sede apostolica deputatus, universis ad quos præsentes literæ pervenerint, Robertus miseratione divina Silvanectensis episcopus, salutem in auctore salutis. Omnia disponente providentia, venerandam sanctorum Agaunensium martyrum legionem in regno Franciæ specialiter honorari cupiens rex Ludovicus, devotionem suam quam ad præcipuam ipsorum Christi martyrum venerationem gerebat implere, petiit a religiosis viris Guillelmo abbate beati Mauritii Agaunensis totoque ejusdem loci conventu, humiliter & instanter de sacra legione prædicta sibi pretiosa corpora transmitti, quatenus tot & tantæ reliquiæ quæ quasi lucernæ Christi sub modio, videlicet in prædictorum abbatis & conventus modicitate, latebant, in diversis ecclesiis regni sui super candelabrum positæ & ad divini nominis gloriam exaltatæ, gallicani populi devotionem amplius excitarent. Præfati religiosi ejus precibus & desideriis annuentes, plura corpora de thesauro sui monasterii sanctorum martyrum regiæ devotioni exhibere curarunt, & ad ipsum regem idem abbas cum quibusdam ex suis fratribus ea personaliter una cum solennibus nunciis deferenda: cui tantas tamque venerandas reliquias religiosa veneratione pertractatas, eas assumta secum prælatorum & ecclesiasticorum, ac secularium nobilium, ac plurium personarum venerabili comitiva, processionaliter deportatas, in Silvanectensem intulit civitatem, ut ibidem ad perpetuam susceptarum reliquiarum honorificentiam, ecclesiam seu capellam juxta regale palatium ædificare disponens, in eadem plura de prædictis Sanctorum corporibus, ceteris in diversas ecclesias & monasteria regni sui ad amplioris honoris cumulum distributis, honorifice collocare proposuit; certum canonicorum numerum de præfatorum religiosorum ordine statuendo, qui Deo & præclaris ejus martyribus ibidem perpetuo famulentur. Verum ne super ipsorum institutione posset aliquatenus inter nos & religiosos prædictos quæstionis materia suboriri, de ipsius domini regis assensu super his cum præfato abbate & quibusdam suis fratribus pro conventu diligenter tractavimus, & amicabiliter convenimus in hunc modum. Canonici prædicti ordinis, quos dominus rex positurus est in ecclesia vel capella construenda ad honorem Dei & beatæ Mariæ, ac sanctorum martyrum Mauritii sociorumque ejus, usum Parisiensis ecclesiæ, quem capellani ipsius domini regis observabunt, in divinis officiis observabunt. Præterea reditus & bona eisdem canonicis a domino rege vel quocumque alio conferenda, vel quæ ipsi in posterum acquisierint, per ipsum abbatem vel successores suos, vel alium seu alios quoscumque, de mandato ipsius vel auctoritate in aliquo non diminuentur in futurum, sed in usus ipsorum canonicorum & utilitatem ecclesiæ seu prædictæ capellæ totaliter expendantur. Ceterum canonici in prædicta ecclesia seu capella consistentes, poterunt de assensu domini regis recipere personas idoneas in canonicos & fratres, ipsius abbatis vel successorum suorum non expectato vel requisito consensu. Canonicos autem de novo recipiendos in dicta ecclesia seu capella, seu aliquem


ex eisdem præfatus abbas vel successores sui absque consensu domini regis, quacumque de causa amovere non poterunt, seu ad alium locum destinare, nisi talis ibidem esset canonicus, qui sine scandalo ordinis vel loci non posset ibidem tolerari. Cedente vel decedente priore dictæ capellæ vel ecclesiæ, canonici ejusdem loci poterunt sibi eligere priorem solummodo de gremio ecclesiæ suæ vel de monasterio Agaunensi, vel de membris ad idem monasterium pertinentibus, memorati abbatis vel successorum suorum non expectato consensu; & quando electus in priorem ab abbate fuerit confirmatus, domino regi præsentabitur, ab ipso administrationem temporalium recepturus, & juramentum domino regi præstare tenebitur, quod fidelis erit eidem, quod reliquias, & ornamenta, & res alias ipsius ecclesiæ vel capellæ fideliter conservabit, tamquam res proprias ipsius domini regis, & nullatenus diminui patietur, nec alibi transferri præter domini regis specialem assensum. Sane nos vel successores nostri in ecclesia seu capella prædictorum canonicorum, cum nobis & successoribus nostris placuerit, prædicare, confirmare, divinum officium & etiam ordines celebrare poterimus, dum tamen literas nostras priori dictæ capellæ seu ecclesiæ tradamus, & successores nostri suis testimonium perhibentes, quod per prædicta nullum fiet præjudicium libertati eorum, si quam debeant habere per privilegia monasterii Agaunensis. Prædicti insuper canonici, si in cœmeterio suo aliquem recipere voluerint ad sepulturam, eumdem recipient, salvo jure parochiali & alterius cujuscumque: manifestos autem usurarios non poterunt recipere ad sepulturam ecclesiasticam. Excommunicatos vero & interdictos a nobis vel successoribus nostris recipere non poterunt canonici prædicti ad divina, nec eisdem præsentibus celebrare. Prior autem dictæ capellæ venire tenebitur ad generale capitulum sancti Mauritii Agaunensis de biennio in biennium, nisi legitimo impedimento detentus fuerit, & tunc per idoneum procuratorem absentiam suam tenebitur excusare. Prior autem & canonici prædictæ ecclesiæ vel capellæ tenebuntur ire processionaliter cum beatæ Mariæ & aliarum ecclesiarum Silvanectensium processionibus, in prima receptione episcopi Silvanect. necnon in Ascensione Domini & aliis omnibus processionibus quæ pro rege, regina, & aliis processionibus quæ pro aeris temperie & utilitate communi fieri consueverunt, & in Ramis palmarum cum tam clerici quam laïci ad sermonem tunc audiendum consueverunt convenire. Item nos & successores nostri, de consensu domini regis, poterimus semel in anno in dicta capella visitationis officium exercere; & si invenerimus aliqua in personis canonicorum corrigenda, injungemus priori ut illa emendet seu emendari faciat infra quindecim dies a die factæ injunctionis numerandos: & si prior super hoc fuerit negligens, extunc nos & successores nostri poterimus corrigere prout videbimus, secundum Deum &

A justitiam faciendum. Si vero in persona prioris correctio fuerit facienda, nos & successores nostri denuntiabimus abbati per literas nostras, ut infra duos menses a die receptionis literarum numerandos emendet vel faciat emendari quod in priore fuerit corrigendum; quod nisi abbas fecerit, extunc licebit nobis corrigere. In cujus rei testimonium præsentes sigilli nostri fecimus impressione muniri anno M.CCLXIV. die Dominica post Purificationem beatæ virginis Mariæ. Nos autem in hujus rei testimonium præsentibus literis nostrum sigillum fecimus apponi. Actum apud Crispiacum anno M. CCLXIV. a die Jovis post *Lætare*. Nulli ergo hominum liceat hanc confirmationis nostræ paginam infringere, vel ausu temerario contraire. Datum Perusii III. nonas Maii,
B pontificatus nostri anno primo.

LIV.

Robertus abbas Cluniaci dat licentiam Petro de Chissiaco Cluniacensis ordinis monacho, oblatum acceptandi Silvanectensem episcopatum. *Ex archivo Cluniacensi.*

VEnerabili & carissimo fratri nostro domino Petro de Chissiaco nostri ordinis monacho, frater Robertus Dei miseratione ecclesiæ Cluniacensis minister humilis, salutem in Domino. Cum, ut asseritis, ad vestram novissime pervenerit notitiam, quod capitulum Silvanectense debite & solenniter congregatum, juris ordine debite servato, vos seu personam 1418.
C vestram in episcopum & pastorem ecclesiæ suæ Silvanectensis duxerit eligendum, vosque juribus & constitutionibus canonice obsistentibus prædictæ electioni, absque consensu & licentia nostra assensum seu consensum præbere non valeatis; nobis humiliter supplicastis, quatinus licentiam & auctoritatem consentiendi & acceptandi dictam electionem, sicut præmittitur, de vobis ad dictam ecclesiam Silvanectensem canonice factam, ac ad eamdem ecclesiam transeundi, dictamque electionem per vos vel per procuratorem vestrum, ubi & coram quibus opus fuerit, prosequendi concedere dignaremur. Nos igitur petitionibus & supplicationibus vestris tanquam justis & rationabilibus annuere volentes, licentiam, auctoritatem & facultatem consensum præbendi electioni prædictæ, atque acceptandi & prosequendi coram
D quocumque superiore, etiam coram domino nostro papa, & ubicumque opus fuerit, per vos vel per procuratorem vestrum, & omnia faciendi quæ circa præmissa necessaria fuerint, seu etiam opportuna, tenore præsentium tribuimus & impertimur. In cujus rei testimonium præsentes literas sigilli nostri appensione duximus roborandas, easque manu propria subscripsimus, & per Petrum Symelli scribam & secretarium nostrum subscribi fecimus ad majorem roboris firmitatem. Datum in monasterio Cluniacensi die nona mensis Julii, anno Domini M. CDXVIII.



INSTRUMENTA ECCLESIÆ BELLOVACENSIS.

I.

Restauratio monasterii sancti Luciani, facta a rege Chilperico.

Circiter 580. CHILPERICUS rex Francorum vir illustris. Cum in hac vita brevi tempore maneamus, & ad mortem ineffugabiliter properemus, oportet ut voluntatem Domini faciamus, & ecclesias vel sanctorum venerabilium loca devote construamus, ut in perpetuum cum ipsis gaudere valeamus: hæc enim facientes, Deo vero sine dubio placere poterimus, & cum sanctis in perpetuum regnare. Igitur notum sit præsentibus & futuris, omnibus scilicet agentibus regni nostri, quod olim paganis irruentibus in Francorum terras, ecclesiæ destructæ, monasteria quamplurima depopulata atque vastata sunt, ad quæ reædificanda cum noster animus, si facultas adsit, promptus omnino fuerit, dominus Dodo Belvacensis venerabilis episcopus, atque carissimus noster Ebrulfus abbas, cum aliis quamplurimis fidelibus nostri regni adierunt serenitatem nostram, obsecrantes ut quamdam ecclesiam quæ ab antiquis in honore beati Petri apostolorum principis & sancti Luciani prope muros Bellovacæ urbis fuerat constructa, sed postea quadam paganorum irruptione vastata atque destructa, pro salute nostra atque totius regni nostri conservatione, nostra munificentia & largitate reædificare juberemus, & eam nostra ditione nos & successores nostri in perpetuum tueremur. Et ideo maxime, quia genitores nostri datis quarumdam suarum possessionum redditibus ad meliorem statum quondam reducere voluerunt, & hujusmodi providentiam episcopis supra nominatæ urbis committentes, crediderunt; sed illi alia cupientes commissum hoc neglectum reliquerunt. Nos itaque ad id peragendum invitat maxime quod his diebus nostris S. Lucianus martyr gloriosus jam superius dicto abbati Ebrulfo per visionem apparuerit, & ut Maxianum qui adhuc in Monte Milio latebat, ex illius consortio cæsum de abdito sublevaret, & secum in eadem ecclesia conderet, rogavit; ubi ex eo quo jussio ista peracta est, multa & præclara miracula per sanctos illos martyres in illo loco demonstrantur. Igitur quia petitio justa & utilis existit, nos nostram authoritatem præstantes, per hanc decreti nostri paginam decrevimus atque roboravimus, ut ecclesia in honore beati Apostolorum principis & sancti Luciani, ubi ipse sanctus in corpore quiescit, quæ est prope muros Bellovacæ urbis, nostræ liberalitatis munificentia ædificetur, & famulantibus omnipotentis Domini aptetur, atque cœnobitæ Deo famulantes ibi congregentur, ita tamen ut in perpetuum sub nostra nostrorumque successorum regum videlicet Francorum ipse locus & ecclesia consistat jurisdictione, nec eam aliquis alicui aliqua potestate seculari prædito tradat vel subdat. Si quis autem contra hoc nostræ sanctionis decretum aliter quam a nobis dictum est agere voluerit, & hoc nostrum præsumpserit violare, iram summi judicis, pro cujus nomine & amore nos ista roboravimus, incurrat, & quantamcumque possessionem habere videtur, legibus amittat, & insuper exul & profugus a potestate totius regni nostri fugiens recedat. Quod quidem serenitatis nostræ decretum ut pleniorem vigorem obtineat, annuli nostri impressione adstipulari fecimus, atque manu propria subsignantes roboravimus. ✠ Signum Chilperici gloriosi regis. Ego Eltricus Palatinus scriptor recognovi.

Datum anno Incarnationis Dominicæ DCVI. indictione nona, regni Chilperici regis vigesima secunda. Actum Rothomagi in generali conventu, tertio nonas mensis Maii.

Notæ chronologicæ claudicant, & alteris manu, charactere & atramento exarantur.

II.

Nicolaus I confirmat ecclesiæ Bellovacensi monasteria Oratorii & Flaviaci, a Carolo Calvo rege concessa. *Ex chartis Flaviacensib.*

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo & sanctissimo Odoni episcopo, & per te carissimæ Bellovacensi ecclesiæ, salutem in perpetuum. 863. Quicumque in hujus labentis seculi fuerint in aliquo detenti discrimine, ne velut in fluctuantis maris pelagus viribus infirmati infeliciter demergantur, nullum melius suæ possunt infirmitatis invenire salutiferum portum quam sedem illius, cui divino oraculo dictum est, *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: unde quia nos vicem illius per abundantiam supernæ gratiæ in tota Christi universali ecclesia gerimus, debemus omnium infirmantium imbecillitatibus subvenire, & manum confirmationis nostræ animo libenti porrigere. Sed quoniam sanctitas tua retulit ac suggessit apostolatui nostro, quod ecclesia Bellovacensis provinciæ Remorum, cui, divina favente gratia, venerabilitas tua præesse dignoscitur, rerum facultatibus quibus prioribus temporibus fruebatur, per terrenam potestatem privata mansit, & modernis quoque diebus paganorum incursione pariter & deprædatione valde attenuata fuerit, pro qua re sollicitus pastorali cura, pii principis clementiam sanctitas tua adiit, auxilium petens, ut sibi grex commissus rerum inopia non deperiret, quam vel violentorum manus intulerat, vel hostilis vastitas irrogasset; & si non aliud consolationis subsidium ferret, saltem de rebus eidem ecclesiæ sublatis aliquod restitutionis auxilium pietas gloriosi regis Caroli non denegaret, cujus precibus religiositas regis mota, res quidem sublatas ex integro non restituere se posse dixit, ne suæ reipublicæ militiam defraudare videretur: conferre tamen solatium sanctæ Bellovacensi ecclesiæ benigne spopondit. Quamobrem concessit ei duo monasteria in eadem Bellovacensi ecclesia constituta, Oratorium videlicet quod fuit olim puellare cœnobium, & Flaviacum in quo canonici habitaverunt, pro recompensatione Fontaneti monasterii, quod quidem monasterium veracium testium & irrefragabilis auctoritatis scripturarum assertione præfatæ matris ecclesiæ Bellovacensis juris fuisse omnimodis probatur. Quæ tamen monasteria, & prius quidem quam secularibus collata fuerant, propter civilis discordiæ seditionem non parum fuerant destructa, & nunc propter barbaricam incursionem penitus sunt eversa, adeo ut non solum rebus privata sint propriis, verum canonicorum sacrarumque virginum chorus, qui prius illic habitaverant, ex maximo inde sit ablatus, & ecclesiæ totaque ædificia simul sint destructa, nec spes ulla restat restitutionis illorum, si vel reposita fuerint in secularium manus, vel si absque pastore ecclesiastico degerint, ut hactenus fuerunt. Unde tua petiit venerabilitas, ut de iisdem sibi monasteriis ecclesiæ tuæ privilegium nostræ auctoritatis fieret, & nec tuis nec successorum tuorum temporibus auferri ab ecclesia Bellovacensi possit. Insinuavit quoque super eadem re nobis petitiones gloriosissimi & carissimi filii nostri Caroli regis similiter efflagitantis. Quapropter considerantes justam piamque fore petitionem, quatenus & ecclesiæ Bellovacensis devastationi subsidia non deessent, & præfata monasteria religionis ordine penitus expoliata non

non manerent, decrevimus fieri quod postulabatur, & apostolica auctoritate statuimus ut præfata monasteria, scilicet Flaviacum & Oratorium, benignitate Caroli gloriosi regis Bellovacensi ecclesiæ collata, cum omnibus quæ possident ecclesiæ præfatæ perpetuis & futuris temporibus perpetuo manere subjecta, nec ab ulla deinceps vel regali vel judiciali potestate sive de potestate tua qui inpræsentiarum ejusdem ecclesiæ episcopus esse dignosceris, sive successorum tuorum antistitum ecclesiæ ipsius ullo modo auferenda, eo tamen ordine ut de rebus eisdem monasteriis collatis sive conferendis ecclesiæ Bellovacensis necessitatibus subveniatur, prout voluntas & judicium episcopi qui præfuerit eidem ecclesiæ decreverit, & monasteria ipsa nec in ædificiis domorum, nec in restauratione ecclesiarum, nec in necessitate Deo illic servientium subsidia defraudentur, sed ita rerum dispositio fiat ab episcopo Bellovacensis ecclesiæ, ut & ipsa monasteria juxta modum facultatum sibi collatarum restaurentur & conserventur, & illic Deo militantium, sive feminarum sive virorum sexus fuerit, subsidiis necessariis adjuventur, quatenus loca Deo dicata & res illis ecclesiis collatæ ibi potissimum deserviant, ubi Deo fidelium oblationes esse collatæ cognoscuntur, quia nec pium nec justum esse cognoscitur, ut ecclesiæ præfatæ ita suis rebus spolientur & alterius ecclesiæ necessitatibus deserviant, ut earum necessitatibus nulla videatur cura impendi. Unde sollicitus videat episcopus Bellovacensis, ut sive de feminis illic Deo deservientibus, sive de cujusque ordinis viris, sive de monasteriorum restauratione & conservatione eam curam suscipiat, quatenus & Deo dicata domus dignum se habere procuratorem gaudeat, & ipse qui præfuerit rector supernæ censuræ judicium propter negligentiam non incurrat. In secularium vero manus atque potestatem ipsa monasteria nulla deinceps ratione vel occasione perveniant, quia non est leve ante oculos summi judicis discrimen religiosis locis & monasteriis Deo dicatis secularem præficere potestatem, & ei contradere pastoralis curæ sollicitudinem qui quid sit pastor ignorat, nec quærit lucrum animarum, sed pecuniæ censum, non ut divinis cultibus servitium impendatur, sed ut suis usibus ad dominationis votum deserviatur. Nullus itaque regum, nullus judicum, nullus secularis potentiæ fultus dignitate in rebus præfatorum cœnobiorum, vel in villis & aquis, vel mancipiis, & quidquid ad eadem monasteria collatum fuerit, potestatem habeat vel dominandi, vel excipiendi, vel auferendi, præter episcopum ecclesiæ Bellovacensis, sed quidquid vel in auro, vel in argento, vel in quacumque supellectile, vel in omni facultatis substantia ipsis est hodie monasteriis delegatum & futuris temporibus fuerit collatum, episcopi Bellovacensis distributioni & ordinationi fiat subjectum, nec alterius potestatis jus, vel dominatio super eis potestatem aliquam, nisi quantum divina auctoritas, & lex & justitia permittit, obtineat. Si quis autem temerario ausu sive magna sive parva persona fuerit, contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, & a regno Dei alienum, & cum omnibus impiis æterni supplicii incendio condemnatum. At vero qui observator extiterit præcepti hujus, gratiam atque misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi merebitur. Scriptum per manum Petri notarii regionarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Aprili, indictione undecima. Bene valete, amen. quarto calendas Maii, per manum Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domino nostro piissimo augusto Ludovico a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, anno decimo quarto.

III.

Numerus canonicorum Bellovacensium ad quinquagenarium auctus.

Ex Lucerio, Sirmondo, Sammarthanis, &c. 875.

ODO gratia Domini nostri Jesu Christi Bellovacensis ecclesiæ præsul. Notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, maximeque successoribus nostris, quoniam unanimis congregatio parique voto, scilicet canonici sancti Petri jam fatæ ecclesiæ, cui Deo auctore deservio, expetiit nostram obnixe liberalitatem, quatenus res sibi a nostris prædecessoribus juxta confinia singularum concessas, pariterque nostra sibi consolidatione firmatas, canonice juxta aliarum morem ecclesiarum, dono liberalitatis, regisque præcepto, absque ullius contradictione quietis, concessa disponerem. Enim vero videns excedere hujusmodi negotium meæ solummodo diffinitionis vires, pariterque gratia superni consilii præeunte, providens jam dictæ congregationi sibi profutura quærere, & illis super hoc assensum præbendo, timens ne ovilia Dominici gregis, quod absit, tyrannica irrumperentur aliquando infestatione, expetii consilium tam metropolitanæ Remorum provinciæ Hincmari, quam ceterorum venerabilium, videlicet archiepiscoporum seu coepiscoporum meorum, ut quorum sanctione ecclesiastica pertractantur negotia, eorum taxatio, inspirante gratia superni numinis, mihi nostræque ecclesiæ utilem afferret ac salubrem proventum. Quorumque consultu adii piissimi Caroli regis serenitatem, ut solita misericordia sua, sicut omnibus ubique supernæ majestati famulantibus, ita huic ecclesiæ mihi nullis præcedentibus meritis ad regendum commissæ pro futura quiete provideret, cum præceptione solidæ firmitatis. Ille vero gratuita sua clementia precibus nostris pium præbens assensum, decrevit ordinatissima sua auctoritate stabile fore, quod nostra etiam prævidit benivolentia. Unde necessitatibus jam dictæ nostræ congregationis destinamus canonica institutione villulas infra scriptas in pago Bellovacense, cum omnibus adjacentiis ad se pertinentibus, necnon & cum omnibus habitatoribus ad se legitime pertinentibus: hoc est Burcinas, Pretiosas, Velena, Haverciaco, Frotmarocurte, Hilgia, Cambariaco. In Ballicino valle de vinea bunnar. quatuor & arpennum unum, in suburbio nostræ civitatis molendina duo, & cambas duas, & hortos cultos duos, & curticulos decem, pratum unum, precariam ubi sunt mansi viginti quatuor S. quam Sigebertus tenet cum censu; obsecrantes ut nullus successorum nostrorum, quod, Deo auctore, a nobis constitutum est, exinde aliquid minuendo subtrahat, nec suis propriis suorumque usibus aliquid impertiatur; sed hæc quæ divino amore & animarum salute patravimus, inconcussa observent, æqualem & unam nobiscum a Domino mercedem sperantes. Numerus vero canonicorum inibi degentium volumus, atque expresse consolidari nitimur, nisi res addantur unde facultas subministretur, non transcendat quantitatem quinquagenarii numeri. Verum & cum quilibet divina vocatione decesserit, alius subrogetur, ne præfatus numerus minuatur. Et ut etiam nostræ devotionis auctoritas firmiorem obtineat vigorem, non solum præcepto magni & piissimi Caroli regis, verum etiam dominorum patrum venerabiliumque coepiscoporum meorum, quorum consensu ista peregimus, canonica auctoritate roborare obnixe decrevimus. Hincmarus sanctæ metropolis ecclesiæ Remorum archiepiscopus subscripsi. Ansegisus Senonum archiepiscopus subscripsi. Wenilo Rotomagensium archiepiscopus subscripsi. Hrothadus Suessionicæ ecclesiæ episcopus, Immo Noviomagensis ecclesiæ episcopus, Lupus Catalaunicæ civitatis episcopus, * Folcrinus civitatis Morinensis episcopus, Theodericus ecclesiæ Cameracensis

* Folcuinus.

episcopus, Ragenarius ecclesiæ Ambianensis episco- A pus, Erpoinus Silvanectensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Datum in ipsis calendis Martiis in civitate Suessionis, ante altare sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, anno XXXV. regni domni Caroli regis gloriosi, qui hoc privilegium sua pietate consensit, & regia auctoritate roboravit, indictione VIII.

IV.

Ex tabulario ecclesiæ Belvacensis. *Donatio comitatus Bellovacensis ecclesiæ Bellovacensi.*

1015. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Robertus Dei gratia Francorum rex serenissimus, cunctis orthodoxæ fidei cultoribus. Quoniam divina propitiante clementia, nos Gallica liberalitas ad regni provexit fastigia, dignum ideo duximus ecclesiarum B Dei nostri operam dare profectibus, & consulere utilitatibus. Proinde noverit omnium, tam præsentium ætas quam futurorum posteritas, quod Rogerius sanctæ Belvacensis sedis venerabilis pontifex, quamplurimum ejusdem sedis competentibus & honestis inhians augmentis, multis precibus & obsequiis imploravit dilectionem Odonis nostri præclari comitis, quatenus ea quæ sibi jam dederat in beneficio conferret sanctæ suæ ecclesiæ pro remedio animæ ipsius comitis, id est omnes exactiones ac redditus comitatus quem tenebat ex nostro beneficio in suburbio Belvacensis urbis & in villis extra ambitum civitatis constitutis, sicut jam ipsi episcopo concesserat ac diviserat. Præterea omnes exactiones & redditus, & quidquid pertinebat ad comitatum, in villis subter ad- C notatis, hoc est in villa episcopi quæ dicitur Braella, in villa S. Justi, in villa Castiniaco, in villa Bureio, in villa Flaiaco; medietatem quoque comitatus in villa quæ dicitur Senentes, & in Montigniaco & Amonciaco, & in villa quæ dicitur Cogiacus; medietatem etiam comitatus, & mercatum quod tenebat Franco de castro quod dicitur Gerborredum. Præfatus itaque clarissimus comes prædicti & memorandi antistitis benigne annuens votis, cultuque divini amoris permotus, sanctam Belvacensem adiit ecclesiam, eamque in conspectu reverendissimi pastoris, sub testimonio totius cleri ac populi, fecit heredem præscripti comitatus, secundum cautionem superius definitam. Insuper ipsam divisionem comitatus nobis reddidit, & hoc regiæ donationis præceptum obnixe flagitavit nostræ munificentiæ imperio fieri ipsi sanctæ D ecclesiæ Belvacensi, idque super altare beati Petri Apostolorum principis locavit, ut habeat, teneat atque possideat supradictus episcopus præfatam divisionem comitatus, cum omnibus suis successoribus, nemine posthac inquietante, vel repetente seu reclamante; hac autem conditione id corroboratum est, quatenus per singulas hebdomadas succedentium annorum in ecclesia beati Petri semel missarum sacrosancta mysteria pro abolendis excessibus animæ memorati comitis celebrentur, ut propensiori cura sollicitudinis ceteri ad zelum incitentur largifluæ pietatis: postquam vero humana fragilitate naturæ cesserit, ei dies anniversarii ab episcopo & canonicis sanctæ Belvacensis ecclesiæ, tam strenue quam etiam religiosissime fiat per singulos annos. Si quis autem, E quod absit, & quod minime per gratiam Dei speramus, contra hoc nostræ regiæ majestatis præceptum venire tentaverit, si præpotens sit, centum libris auri multetur, si mediocris fortunæ, decem, si abactor, regiæ ultionis vindictam cum detrimento sui patiatur. Hanc igitur nostræ auctoritatis notitiam inconvulsam & inviolatam fore cupientes per succedentia temporum diludia, manu propria eam corroboravimus, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Actum apud castrum beati Dionysii, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. XV. regnante Roberto rege gloriosissimo anno XX. Robertus. Franco cancellarius sacri palatii subscripsit.

V.

Fundatio abbatiæ sancti Symphoriani. *Ex chartul.*

IN nomine sanctæ Trinitatis, Henricus gratia Dei 1035. Francorum rex. Regalis excellentiæ amplitudinem decet multimodo virtutum fructu affatim exuberare, quarum cultus & emolumentum valeat reipublicæ statum erigendo sublimare & sublimando erigere, nam inpræsentiarum felici & prospero successu hujus dignitatis solium firmat, & in æterna remuneratione perpetuitatis portum suis cultoribus præparat; & licet omnibus in commune honestatis filiis officiis sit talibus incumbendum, præcipue tamen illi liberalitati & munificentiæ est insudandum quæ erga sanctorum loca exhibetur, & religiosorum Deo servientium necessariis usibus devote impenditur. Noverit ergo solertia præsentium & posteritas futurorum sanctæ matris ecclesiæ fidelium, quemdam Belvacensis ecclesiæ episcopum divinæ religioni admodum mancipatum, Drogonem nomine, nostræ tranquillæ serenitatis præsentiam humiliter & fideliter convenisse, obnixe atque ex animo postulantem ut sibi de rebus ecclesiæ vel de aliis, quas circumquaque acquirere de jure forensi possunt, liceret abbatiam quamdam in honore sancti Symphoriani martyris in suburbio prædictæ urbis construere & monastico ordini deputare, per nostræ jussionis præceptum & nostræ auctoritatis inviolabile edictum. Cujus petitioni cum pro sua devotione, tum pro nostræ salute animæ acquiescendum judicavimus, & quod pietatis studio poscebamur, gratia supernæ retributionis benigne concessimus. Quocirca nostræ celsitudinis reverenda inhibemus censura, ne quis succedentium episcoporum aut alius quispiam a loco memorato, ubi jam idem episcopus monasticæ conversationis fundamenta jecit abbatemque statuit, monachos aliquando exterminare, nec bona antiquitus ad eum pertinentia seu noviter accedentia dissipare, neque ullo modo sibi audeat usurpare: unde & præsenti stylo voluimus mandari, quod fratrum inibi degentium usibus supra designatus donaverit episcopus, ut hæc inquietare perversorum temeritas tanto sollicitius pertimescat, quanto diligentius fuerint describendo commendata. In monte ubi hoc monasterium situm est, arabilem terram, quantum uni carrucæ per totum annum sufficere possit, silvamque non modicam circa ipsum montem; hospites XXIV, terramque censilem, partim vineis consitam, partim arabilem atque pratis vestitam, singulis annis tres libras denariorum solventem; omnes etiam terrulas quas episcopus indominicatas possedit in illa Tharæ fluminis ripa, quæ est monasterio contigua, necnon & piscationem a vico qui dicitur Viciniacus usque ad sanctum Lucianum, & altera parte usque ad Golenoscurtem. His addit pratum Rodulfi; præterea ecclesiam villæ cui Lyhus vocabulum est, & alteram quæ appellatur sancti Germani; sub eodem monasterio unum molendinum, & alterius medietatem in villa Marisco; universam quoque decimam hospitali Belvacensis ecclesiæ attributam; in Buriaco unum mansum cum collibertis ibidem manentibus; in præfato suburbio cambam & hospitem: in his possessionibus non comiti, non vicario, non cuicumque secularium exactorum ulla consuetudo relinquitur, sed hæc omnia integra & absoluta monachorum dispositioni subjiciuntur. Quod ut vehementius roboretur, nostri sigilli impressione & nominis monogrammate præcipimus insigniri, & fidelium nostrorum attestatione confirmari. Actum Lauduni publice, anno Incarnati Verbi M. XXXV. & regni Henrici regis IV. Sig. Henricus. Ego Balduinus cancellarius relegendo subscripsi.

VI.

Fundatio ecclesiæ collegiatæ sancti Bartholomæi.

1037. IN Dei nomine, Henricus Dei gratia Francorum rex. Sicut regiæ dignitati congruit pravis actionibus potenter resistere, sic eam decet modestis petitionibus benigniter adquiescere, præsertim si illud quod petitur, ad augmentum ecclesiæ proficere videatur; nam inde & nostra respublica melioratur & crescit, & nostrarum animarum salvatio ad æternitatis infinitates se extendit. Qua consideratione Drogoni episcopo Belvacensi, pro utilitate famulorum Dei serenitati nostræ supplicanti, voluntarium præbuimus assensum, & quod postulabat, ad desideratum perduximus effectum; est enim res hujusmodi: Miles quidam Heilo nomine, intra muros Bellovacæ urbis ecclesiam memoriæ sancti Bartholomæi apostoli Domino fundavit atque dicavit, offerens eidem ecclesiæ, jam dicto episcopo annuente, ad victum canonicorum ibidem servientium, possessiones quasdam & redditus quorum descriptio subnotatur, scilicet, ecclesiam villæ quæ dicitur Villare, cum hospitali, decima eidem ecclesiæ attributa; molendinum quod dicitur *Tolsac* juxta Frotmeri curtem, quod solvit frumenti modios duodecim; necnon tria altaria, unum in villa *Hantuelis* nominata, alterum in Hadulfi curte, tertium in Anthiaco: in villa Sarodo hospites quatuor, & in Frotmeri curte hospitem unum, cum uno vineæ arpenno prope Bellovacum suburbium, tantum censilis vineti, unde solvuntur octo solidi & quatuor denarii. Præterea canonicalem præbendam in beati Petri ecclesia Bellovacensi his canonicorum stipendio deputatis, memorato suggerente episcopo, ecclesiam illam S. Bartholomæi cum omnibus sibi subjectis, hujus præcepti nostri suffultam auctoritate, stabilem & quietam in perpetuum fore decernimus: & ne quis eam destruere aut canonicos inde expellere, sive res eorum diripere præsumat, edicimus; illud quoque propter multorum insolentiam addendum videtur, ut canonicis ibi degentibus nemo præficiatur, vel abbas, vel dominus, nisi ejusdem urbis episcopus, ipse locum disponat, ipse donet præbendas, solusque super eos principatum habeat. Si quis hoc statutum temerare non timuerit, ærario nostro centum auri libras inferre coactus, & incepto suo frustratus, sentiat & experiatur quam non expediat nostræ jussionis violare decreta. Quod ut omnem calumniam repellat facilius, & nomine, & sigillo nostro signantes roboravimus, atque sub anathemate firmari consensimus. Actum in palatio Compendiensi anno Incarnati Verbi M. XXXVII. regnique Henrici VI. Balduinus cancellarius subscripsit.

VII.

Ex schedis dom. de Nulli canonici Bellovacensis.

Privilegium Philippi I regis pro abbatiola sancti Christophori in Halata.

1061. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Philippus gratia Dei Francorum rex. Cum status sacræ religionis quam maxime fulciatur multimodis bonorum studiis, magis tamen augmentari creditur sacrorum constructione locorum, ubi semper Deum exorent vota fidelium: unde remunerationis præmium apud Deum habet repositum quisquis sacra loca vel ædificaverit, vel terrenis opibus ditaverit. Innotescat igitur solertiæ omnium tam præsentium quam futurorum, quod quidam miles nomine Walerannus, nostram adiit præsentiam una cum fratribus, scilicet Waltero archidiacono & Hugone, necnon Balduino atque Rainaldo, petens ut abbatiolam quam constructam in memoria S. Christophori martyris tenebat de beneficio S. Petri Belvacensis ecclesiæ, annuente ejusdem ecclesiæ Guidberto antistite, cum consensu clericorum suorum & militum, nostra manu firmam

A faceremus, ita ut nemo deinceps fratres ibidem Deo servientes regulariter, vel locum ipsum inquietare audeat, vel consuetudinem aliquam exigere, sed perpetualiter absque aliqua inquietudine vel contradictione sub nomine immunitatis permaneat. Dedit autem supradictus miles ipsi ecclesiæ de rebus proprietatis suæ, ipsam scilicet villam nomine *Hermenc*, ubi ea ecclesia sita est, & omnes consuetudines quæ sibi in eadem villa debebantur, & hospites, & servos & ancillas, & clausos vinearum, & terras arabiles, & prata; silvam quoque eidem villæ adjacentem, & milites de eadem villa beneficia tenentes; villam similiter nuncupatam Florinas, cum omnibus ad eam pertinentibus; in villa quoque Pomponensi partem altaris sancti Petri ecclesiæ quæ dicitur Cella, cum sua decima & cum censu XXIII solidorum, & servos B & ancillas sui juris, clausos quoque vinearum, & terram arabilem, & prata & adjacentem silvam juxta suburbium Clarimontis; in villa quæ dicitur Rostolum, unum clausum vinearum. Item in pago Belvacensi in villa quæ vocatur *Rens*, tres arpennos vinearum & dimidium; in villa quæ vocatur Pontis, ancillam quamdam nomine Richildem, cum infantibus suis. In civitate vero Silvanectensi, unum clausum vinearum & unum furnum; in villa etiam Amimatæ, unum hospitem & terram arabilem. In territorio Meldensi villam quæ vocatur *Sincueric*, omne quod Walterus pater suus ibi in proprio jure tenuerat. Dono etiam ego ipse cum matre mea, censum vinearum, & denariis & de vino quas habebat prædicta ecclesia in villa quæ vocatur *Rens*, ob remedium C animæ patris nostri Henrici. Item in territorio Silvanectensi prædictus Gualerannus dedit eidem abbatiæ duas partes de decima ejusdem ecclesiæ sancti Christophori, quam sub manu firma tenebat de canonicis sanctæ Mariæ Silvaneст. ecclesiæ, annuente Frotlando episcopo cum clericis ad quos ipsa decima pertinebat. Ut igitur hæc omnia inconvulsa & in perpetuum rata permaneant, petentibus supradictis fratribus, Gualeranno scilicet & aliis fratribus, manu nostra subterfirmavimus. Si quis vero, quod absit, hoc præceptum violare præsumpserit, centum libras auri coactus regio fisco reddat. Actum Compendio anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi M. LXI. indictione XIV. regnante Philippo rege anno primo. Datum pridie calendas Maii. Balduinus D cancellarius scripsit.

VIII.

Confirmatio fundationis S. Quintini Bellovacensis. *Ex chartul.*

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Instituta regia de rebus ecclesiasticis aut secularibus, publica vel privata, sine ulla juris controversia priorum regum jussu & auctoritate firmata non violare, sed inconcussa servare, nostra quoque nulla juris parte reclamante, præsentibus ac posteris servanda mandare, regii culminis est opus implere. Unde notum volumus fieri cunctis orthodoxis ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam longe positis, viventibusque & nascituris, quod sanctæ Belvacensis ecclesiæ Guido reve- 1079.
E rendus antistes orator aures adierit nostræ pietatis, suppliciter nobis intimans, decentissimam basilicam se fundasse in honore & memoria gloriosissimi Quintini martyris, a qua nostræ sublimitatis decreto ita dominium postulat universæ potestatis exterminari, ut grex dominicus in eadem basilica Deo serviens, nullius extraneæ potestatis ibidem sævientis possit infestatione turbari. Cujus petitioni libenter assensum præbemus, & regiæ majestatis authoritate sancimus, ut deinceps in prædicta basilica vel in vico eidem adjacente, non episcopus, non aliqua quæcumque potestas aliquid sibi juris usurpet, præter hujusdem loci prælatum, aut eos qui ab eo potestatem acceperint; excepto quod Belvacensis sedis antistes defuncto

ejusdem loci prælato, electione fratrum alium ibidem substituat, qui res ecclesiæ strenue & fideliter administret: ea quoque quæ eidem ecclesiæ a prædicto episcopo vel ceteris fidelibus donata sunt, vel quandoque donanda, præsenti testamento Deo vel ecclesiis, debita libertate donamus, & irrevocabiliter de cetero possidenda qua præcellimus potestate mandamus. Quod si quis contra auctoritatis nostræ decretum quidquam moliri præsumpserit, quodque pro reverentia tanti martyris tam pie sancitum est, violare temtaverit, regiæ majestatis reus judicetur, & sacrilega ejus persuasio irrita penitus habeatur. Ut autem testatior auctoritas nostri possit esse præcepti, sigillo nostro subter illud fecimus sigillari, & nomina sublimium personarum in quarum præsentia confirmatum est, cum nota cujusque pariter assignari. Ego Philippus rex Francorum mea manu subscripsi. Ego Guillelmus rex Anglorum mea manu subscripsi. Signum Roberti regis dapiferi. Signum Galerandi camerarii. Signum Hervei buticularii. Signum Adam constabularii. Sign. Anselmi Beccensis abbatis. Sign. Rodulfi Belvacensis ecclesiæ thesaurarii. Sig. comitis Hugonis fratris regis. Interfuerunt autem & alii quorum nomina subscripta sunt: Ivo ejusdem ecclesiæ prælatus, Alulfus monachus, comes Ivo de Belmonte, Albericus de Cociaco, Gaufridus de Calmonte, Lancelinus casatus Belvacensis ecclesiæ, Radulfus casatus Belvacensis ecclesiæ, Ansoldus Meldensis, Ascelinus de Bullis. Sign. Manasse Remorum archiepiscopi. Sig. Thetboldi Suessorum episcopi. Sign. Guidonis Belvacensis episcopi. Sig. Gerardi Cameracensis episcopi. Sig. Rogeri Catalaunensis episcopi. Sign. Ratbodi Noviomensis episcopi. Sign. Ivonis Silvanectensis episcopi. Sign. Huberti Tarvanensis episcopi. Sign. Godefridi cancellarii. Sign. Warini archidiaconi. Signum Arnulfi archidiaconi. Actum publice in obsidione prædictorum regum, videlicet Philippi regis Francorum & Guillelmi Anglorum regis, circa Gerborredum, anno Incarnati Verbi M. LXXIX. anno vero Philippi regis Francorum XIX. Recitatum vero & confirmatum est sub præsentia prædicti venerabilis Manasse Remorum archiepiscopi, & plurimorum SS. Patrum in Suessionis concilio, quod sub eodem archiepiscopo celebratum est in ecclesia sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii, XVI. calendas Maii. Ego Manasses Remensis archiepiscopus mea manu subscripsi. Quicumque hoc firmamentum de cetero violare præsumpserit, Christi martyris Quintini accusationem apud districtum judicem incurrat, & nostra auctoritate nostræque congregationis in idipsum tandiu anathema sit, donec digne satisfaciat. Ego Gislebertus ad vicem Rogerii cancellarii relegendo subscripsi.

IX.

Philippus rex canonicos Bellovacenses rogat ut canonicis sancti Quintini præbendam in ecclesia sua concedant.

Circiter 1080. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, O. decano cum ceteris canonicis nostris ecclesiæ S. Quintini, salutem ac gratiam nostram. Notum facimus vobis quod Ivo abbas Bellovacensis ecclesiæ beati Quintini nostræ mansuetudinis aures adierit, supplicans nobis tam per se quam per fideles nostros, ut ecclesiæ sibi commissæ præbendam unam in vestra ecclesia pro remedio animæ patris mei & matris meæ perpetuo habendam concederemus. Cujus petitioni ideo libenter assensum præbuimus; quia vos id in capitulo vestro jam collaudasse per quosdam ex vobis audivimus. Quapropter mandamus vobis, ut sicut inter vos determinatum est, investituram quæ ad vos pertinet prædictæ ecclesiæ per prædictum abbatem faciatis. Valete.

X.

Guidonis episcopi Bellovacensis charta de ecclesia de Esserens. Ex authentico.

1081. GUIDO Dei gratia sanctæ Belvacensis ecclesiæ episcopus, omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, tam futuris quam præsentibus, post laboriosam sæculi hujus peregrinationem, quietam in cœlestibus mansionibus conversationem. Quia omnipotens Deus fideles suos inter hujus peregrinationis ærumnas ad vitæ patriam festinantes, non solum spiritualibus, sed etiam corporalibus bonis, ne in via deficiant, dignatur sustentare: ideo ad notitiam cunctorum fidelium volumus pervenire, qualiter villa quæ dicitur *Escelens*, cum ecclesia & altari de manu comitis Hugonis de domno Martino exierit, & ad dominium monachorum Cluniacensium pervenerit, ut quod Dei pietas nostris temporibus per manum nostram dignata est confirmare, nulla posterorum temeritas deinceps audeat infirmare. Hugo comes de domno Martino præfatæ villæ ecclesiam cum altari quem tenebat, quia in nostro episcopatu sita erat, nobis reddidit: quam postea cum altari similiter B. Petro Cluniacensi & ejusdem monasterii monachis dominis videlicet & fratribus nostris donavimus, & coram conventu clericorum nostrorum deinceps semper habendam concessimus. Postea vero idem comes Hugo divino instinctu præfatam villam & omnia ad eam pertinentia, terras scilicet arabiles & silvas, prata & vineas, servos & ancillas, amnem quoque subtercurrentem cum transitu prædictæ Cluniacensium ecclesiæ donavit, exceptis militum beneficiis, & deinceps possidenda concessit, annuente Philippo rege & Hugone regis fratre de Crispeio, & ejus uxore Adela. Si vero aliquis militum præfatæ villæ beneficia tenentium B. Petro suum beneficium aliquando vellet donare, omnino id sibi facere liceret absque ulla requisitione pecuniæ, quam idem comes Hugo, vel aliquis successorum ejus exigeret. Ut igitur hæc inconvulsa permanerent, cum nostris abbatibus & clericorum ecclesiæ nostræ venerabili conventu, nec non & presbyteris totius nostri episcopatus, sicut sunt præscripta, confirmavimus. Ex parte etiam Dei omnipotentis, beatorum quoque apostolorum Petri & Pauli auctoritate & nostra, omnes qui contraire vel contradicere præsumerent, excommunicamus. Rohaildis uxor Hugonis de domno Martino, & filius ejus Petrus, & filiæ ejus Basilia, Adela, Eustachia præsentes fuerunt, & præfatum donum laudaverunt & confirmaverunt. Philippus rex laudavit & confirmando subscripsit anno regni sui XX. Affuerunt Adam dapifer regis, Herveus pincerna, Gervasius stabularius. Hugo de Crispeio scripsit. Affuerunt Petrus filius Tetbaldi, Adam frater ejus, Lambertus frater ejus, Guaicherius Tetbaldus, Drogo dapifer. Testes qui affuerunt cum Hugone de domno Martino Ilgerus, Rotbertus filius Anseis, Gualterius filius Martini, ✠ subscriptio Adelæ uxoris Hugonis de Crispeio. Actum tempore domni Hugonis abbatis Cluniacensis, anno ab Incarnatione Domini millesimo LXXXI. indictione IV.

XI.

Altare de Molineto datur monachis Cotiacensibus.

1097. ANSELLUS Dei gratia Belvacensis episcopus, omnibus S. matris ecclesiæ filiis præsentis vitæ prosperum cursum & futuræ sempiternum gaudium. Ad omnium fidelium notitiam tam futurorum quam præsentium pervenire volumus, quia per deprecationem domini nostri Philippi Francorum regis, domini quoque Hugonis Suessionensis episcopi, necnon domini Radulphi abbatis monasterii beati Medardi, domini etiam Milonis prioris Cotiacensis ecclesiæ, laudantibus Belvacensis ecclesiæ filiis, altare de Molineto

ecclesiæ Cotiacensi concessimus habendum & tenendum in futurum tempus absque relevatione vel renovatione personæ, salvis tamen cæteris omnibus consuetudinibus episcopi, & archidiaconi, & ministrorum Belvacensis ecclesiæ, tali scilicet pacto, quod pro confirmatione hujus concessionis possessores prædicti altaris solvent ecclesiæ B. Petri quinque solidos Belvacensis monetæ quotannis in prima dominica Quadragesimæ, ad refectionem pauperum in Quadragesima. Ut igitur hæc concessio in posterum firmiter habeatur, hoc præsertim fieri, & sigillo nostro signari fecimus. Actum Belvaci pridie idus Novembris in ecclesia B. Petri, in plena synodo, anno Incarnati Verbi millesimo nonagesimo septimo, indictione quarta. Ibi præsentes fuerunt personæ Belvacensis ecclesiæ, Gillebertus abbas S. Luciani, Drogo abbas S. Symphoriani, Hugo abbas Flaviacensis monasterii, Galo abbas S. Quintini, Lisiardus archidiaconus, Rogerius archidiaconus, Petrus thesaurarius, Drogo cantor & Gosserannus, Rogerius, Robertus, Henricus, Hubertus, Gallo, Robertus, Odo & Fulco canonici Compendiensis ecclesiæ. Galterus cancellarius scripsit.

XII.

Urbanus Galoni præposito S. Quintini Bellovacensis confirmat donum G. episcopi Parisiensis.

1098. URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Galoni præposito ecclesiæ S. Quintini, quæ Belvaci sita est, salutem & apostolicam benedictionem. Et commissi officii nos compellit auctoritas, & specialis caritas exhortatur ut quæ recte statuta sunt confirmare, & eis quæ sub tutela nostræ sedis sita sunt, propensiorem debeamus protectionem impendere. Idcirco donationem terræ, quæ dicitur Arnella, a Parisiensi episcopo Guillelmo vestræ ecclesiæ factam præsentium litterarum assertione firmamus, quam videlicet terram prædictus episcopus a canonicis sancti Germani Autissiodorensis acceperat, data nimirum in commutationem præbenda quadam Parisiensis ecclesiæ, præsentibus & subscribentibus fratribus utriusque capituli. Nulli igitur deinceps commutationem hanc violare liceat, nisi forte apostolicæ nostræ sedis judicio retractetur.

XIII.

Paschalis causam Odonis abbatis sancti Quintini episcopis Carnotensi & Parisiensi committit.

Circa 1102. PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Sacerdotalis officii est viros religiosos diligere, fovere & à pravorum infestationibus pro data sibi facultate deffendere. Tu autem beati Quintini fratres Belvaci degentes non solum * diligis, sed quorumdam præsumptione illicita vexari & inquietari gratanter, ut audivi modo, pateris, quod profecto ad animæ tuæ periculum spectare ne ambigas, nisi celeri studeas emendatione corrigere, & eorum quieti attentius providere. Præcipimus ergo ut ecclesiæ Belvacensis clericos ab ipsorum fratrum infestatione, tam in spiritualibus quam in temporalibus omnino compescas, alioquin & in eorum audaciam & in tuam desidiam B. Petri gladius educetur. Præcipimus etiam ut eadem beati Quintini ecclesia, salva debita tua reverentia, fratrum & coepiscoporum nostrorum Ivonis Carnotensis & G. Parisiensis consilio disponatur & ordinetur. Porro quæcumque ab eodem fratre G. per Belvacensem episcopatum, ubi canonice per Dei gratiam præsedit, seu in eadem, seu in ceteris ecclesiis gesta sunt, rata & inconvulsa manere sancimus. Sane de illo qui jam dictæ ecclesiæ S. Quintini præesse dicitur, cum prædictorum fratrum volumus tractari consilio, & causam ejus fine debito terminari.

* *f. non.*

XIV.

Societas decani S. Quintini cum fratribus sancti Quintini Bellovacensis.

G. ecclesiæ S. Quintini decanus & frater fratribus canonice Deo præfatoque martyri Belvaci servientibus, abbati scilicet R. ceterisque fratribus cum debitis orationibus, salutem in Domino. Caritati vestræ religionique non fictæ gratiam maximam habentes, petitioni vestræ concedendum fore dignissimum reputamus, utpote qui non solum generaliter corporis ac sanguinis Christi participatione vegetamur, verum etiam secretiorum ac privatioris amicitiæ vobis astringimur. Ea propter dilectioni vestræ concedendo concedimus, quatenus litteras quas à nobis censualiter obtinetis, sub eodem censu duodecim scilicet denariorum, quanto tempore vobis placuerit, sine cremento, perpetim etiam teneatis, & in mutuæ dilectionis argumentum sub honore & nomine piissimi patroni nostri Quintini lapideam mihi cellam construatis. Valeat sanctitas vestra.

XV.

Ecclesia S. Justi canonicis regularibus S. Quintini attribuitur. Ex chartulario.

PETRUS Dei gratia Belvacensis episcopus, præsentibus & posteris salutem. 1119. Quoniam apud nos ecclesia beati Justi martyris apta erat divino servitio, placuit nobis ponere in ea regulares canonicos, quatenus & Deo devotius servirent, & alios exemplo bonæ conversationis incitarent. Nobis ergo attendentibus diversas congregationes istius ordinis, emicuit ecclesia beati Quintini, ex cujus veneranda religione locus præfati martyris posset illustrari. Præpositum igitur ex ea eligentes, ecclesiæ beati Justi præfecimus, cui fratrum regulariter viventium curam injunximus, in cujus manu posuimus ibidem fratres aggregare, & corrigenda corrigere, & si quando necesse fuerit, ex eis aliquem transmutare; si vero aliquo modo inter eos aliquid discordiæ exortum fuerit, cui concordiam præpositus imponere non potuerit, ad me, ut ad dominum & abbatem ecclesiæ pertinebit pacem inter eos restituere, eorumque saluti, quantum Deus donaverit, sollicite providere. Sane mortuo priori præposito fratres in unum convenire debebunt, & quem, Deo annuente, elegerint, nostro conspectui præsentare habebunt. Nostrum autem erit eis assensum præbere, & quem canonice elegerint, in sede & potestate prioris collocare. Præbendarum vero dispositiones quæ prius in manu nostra erant, eis omnino dimisimus. Domos reddituSque quos clerici seculares possidebant, post decessum eorum libere & absque ulla calumnia possidere concessimus. Sed & cuncta quæ à prædecessoribus nostris, vel à quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum, Deo miserante, collata fuerint, perenni tempore illibata & sine inquietudine ab eis possideri volumus. Et ne quis eis aliquando injuriam vel vim . . . . . sigilli nostri impressione & caracteris nostri munimine confirmamus, nominatim confirmantes eidem ecclesiæ justitiam ecclesiasticam post episcopum, jus archidiaconale, & capellam integram in eadem ecclesia, & in parochia pertinentem ad eamdem ecclesiam: ita quod si episcopus ibidem missas in conventu celebraverit, canonici vice capellani eidem serviant, & si quid oblationis fuerit, totum sibi accipiant: molendinum de Ponte, & vivarium super molendinum situm, medietatem decimæ totius villæ, terram de Tainvillario, cum silva ad eamdem villam pertinente, Harmenis

silvam, terram etiam ubi domus canonicorum sunt, ab omni censu & ab omni consuetudine liberam, partem altaris quam habent in Leporio-monte, hospites Odonis *Thieben*, & Balduini de Butinanglo, & eam partem, & decimam veteris Butinangli, domum Adæ & Claritesse liberam, hospites Balduini filii *Hiant*, domum *Maillard*, domum Stephani, domum de *Montegny*, domum *Igery*, in vico Belvacensi duos hospites Godefridi de *Plainval*, duos hospites Freeschindis, decimam de *Espaiers*, decimam apud *Beeloy*, alodium Noencurtis. Testium vero nomina sunt hæc: Gaufridus, &c. Actum anno Verbi Incarnati M. CXIX.

X V I.

Ex Sammarthanis.

Donatio Flaviaco firmata.

IN CHRISTI nomine, ego Matthæus de Monte Maurenciaco dominus, ad notitiam tam futurorum quam præsentium volo pervenire, Buchardum bonæ memoriæ patrem meum pro remedio animæ suæ monachis B. Geremari Flaviacensis, zelo charitatis, in eleemosynam concessisse, quatenus ministeriales S. Geremari undecumque res ad usus eorumdem monachorum adducerent, libere ac quiete, & absque ulla consuetudine per suam terram transirent. Ego autem & fratres mei idipsum simplici & devota intentione concessimus. Quia vero bonam & honestam monachorum illorum conversationem frequenter audio, eandem patris mei eleemosynam non solum concedo, verum etiam satis approbo. Et ut rata in perpetuum permaneat, concedentibus etiam filiis meis Buchardo, Matthæo, & Herveo, sigilli mei impressione confirmo, & præsentium ibi virorum testimonio confirmari volo.

X V I I.

Ex Lovetio & Sammarthanis.

Præbenda ecclesiæ cathedralis data canonicis regularibus sancti Quintini.

1126. AD episcoporum specialiter manifestum est sollicitudinem pertinere eorum qui juxta sanctorum memorias divinis obsequiis vigilanter insistunt, necessitatibus misericorditer obviare, & eorum fraternitatem & amicitiam velle promereri, qui licet in terra positi, jam mente conversantur in cœlo. Hoc ego Petrus Belvacensis minister in Domino, pro captu meo diligenter attendens, sub præsentia & auctoritate domini Humbaldi, venerabilis Lugdunensis ecclesiæ archiepiscopi, & apostolicæ sedis legati, communi interventu, & consilio & assensu Rogerii decani, & aliorum canonicorum Belvacensis ecclesiæ B. Petri, Dei fretus auxilio, & misericordia dictante, concessi canonicis qui sub regulari disciplina militant Deo in ecclesia B. Quintini, & eorum successoribus in perpetuum, ut deinceps unius anni spatio habeant & quiete possideant redditus singularum præbendarum jam dictæ ecclesiæ B. Petri, quam citius vel ejusdem ecclesiæ quisque canonicus ab hac vita moriendo decesserit, vel alicubi ad sanctioris vitæ se conferens ecclesiam, præbendam suam omnino reliquerit; hujus munificentiæ nostræ beneficio, canonici jam dictæ ecclesiæ B. Quintini non ingrati, se missarum & precum obsequia Deo oblaturos promiserunt, pro salute defuncti canonici cujus redditus obtinebunt, & hoc à die mortis ejus per totum illum annum usque ad anniversarium diem fideliter exequentur. Quod si prætaxatæ ecclesiæ B. Petri canonicus præbendam suam relinquendo, ad sanctiorem pervenerit vitam, & forte postea supervixerit, eum ut in hac vita canonici sancti Quintini ut fratrem suum, suis apud Deum juvabunt orationibus, & ejus obitu quandoque contingat audito, statim pro eo precum & missarum solemnia incipient solvere, & per totum illum annum,

A usque ad obitus anniversarium diem fideliter exequentur. Præterea canonici S. Quintini per manum abbatis sui domini Radulphi, qui ibidem præsens aderat, promiserunt se daturos unum de canonicis & compresbyteris suis sæpe dictæ ecclesiæ B. Petri, qui in ea intersit & subveniat divinis & officiis diurnis & nocturnis, juxta bonam consuetudinem canonicorum nostrorum hic habitantium. Si tamen abbas ecclesiæ S. Quintini compresbyterum, vel pro ecclesiæ suæ necessitate, vel alia qualibet rationabili causa ad ecclesiam suam revocare voluerit, hoc erit in potestate & arbitrio ipsius abbatis, ut videlicet quotiescumque voluerit revocet eum, & alium in ejus loco substituat qui vices ejus fideliter exequatur. Ad augmentum etiam & firmamentum fraternæ charitatis, B canonicis B. Petri ab eodem prædicto abbate concessum est, quod si quis ex eis nimia paupertate compulsus, ad eorum ecclesiam & religionem venire voluerit, ut in ecclesia B. Quintini benigne recipiatur, & ibidem temporalibus & spiritualibus tanquam ejusdem frater deinceps fideliter sustineatur beneficiis. Ut autem hæc carta firma & inconcussa permaneat, eam episcopali auctoritate confirmo, & sigilli nostri impressione consigno. Ego quoque Humbaldus Lugdunensis ecclesiæ episcopus, & apostolicæ sedis legatus, hujus perscriptæ donationis sententiam firmam & inconcussam servari apostolica auctoritate præcipio, eamque in Dei nomine sigilli nostri impressione consigno. Nos etiam canonici Belvacensis ecclesiæ B. Petri, quorum communi interventu, consilio, assensu facta est præscripta donatio, eam sigilli C assertione & munimento corroboramus. Actum Incarnationis Dominicæ anno 1126. indict. IV. Sign. Rogerii decani, Theobaldi archidiaconi, Henrici archidiaconi, Gerardi abbatis sancti Luciani, Odonis abbatis sancti Symphoriani. Nomina canonicorum qui interfuerunt, Hugo cantor, Ursio succentor, Angerus & Robertus sacerdotes.

X V I I I.

Charta Odonis episcopi pro Frigido-monte. *Ex chart.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Odo Dei gratia Belvacensis episcopus, notum volo fieri tam præsentibus quam futuris, quod domina D Ælidis de Buglis & filii ejus, Lancelinus videlicet & Manasses, & eorum soror Beatrix, terram illam quam in dominio possidebant in territorio Harmarum, ecclesiæ B. Mariæ de Tria dederunt pro remedio animarum suarum. Hujus siquidem terræ tertiam partem decimæ majoris, quæ est inter ecclesiam beati Michaelis, & ecclesiam sancti Sepulchri de Villari, dominus Ursio ejusdem ecclesiæ, videlicet sancti Michaelis decanus, nostro & quamplurium rogatu, & totius capituli sui assensu, in præsentia nostra præfatæ ecclesiæ beatæ Mariæ, sub dominicali censu quatuor minarum frumenti benigne concessit. Minutam vero decimam totam quæ ad altare pertinet quod proprium est sancti Michaelis, censualiter pro sex minis avenæ eidem supradictæ ecclesiæ perpetuo jure E possidendam capituli sui auctoritate firmavit. Hic vero census, videlicet quatuor minarum frumenti & sex minarum avenæ persolvendus est in festivitate S. Remigii ad grangiam suam apud Harmas. Ne vero casu aliquo impediente possit infirmari, vel temporum diuturnitate oblitterari, hoc cyrographum rogatu ejus factum, sigilli nostri impressione dignum duximus confirmari, & testium suppositorum præsentiali testimonio corroborari. Signa canonicorum sancti Petri. Sign. Rogeri decani. Sig. Valeranni archidiaconi. Sign. Arnulfi canonici. Sig. Radulfi canonici. Sig. Ursionis decani sancti Michaelis. Sig. Odonis thesaurarii. Sig. Erchangeri præpositi. Sig. Odonis canonici. Sign. Johannis canonici. Signa laïcorum.

Sign. Engerberti monetarii. Sig. Berneri filii Roberti. Sig. Engulgeri filii Gamelini. Actum Belvaco anno ab Incarnatione Domini M. CXXXIV. indictione secunda, epacta quarta, Ludovico rege Francorum regnante.

XIX.

Ex chartul. *Odo episcopus confirmat fundationem Frigidi-montis.*

1136. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Odo Dei voluntate Belvacensis episcopus, Triæ monasterio & fratribus qui in eo sunt, tempore tam præsenti quam futuro in æternum substituendis. Caritatis opus est fratres fratribus, religiosos religiosis condescendere votis. Eapropter fratris nostri Galerani abbatis de Ursicampo piis precibus annuentes, Triæ fratribus præsentibus & futuris, assensu & concessione totius capituli nostri quidquid de feodo nostro in terris, in nemoribus, in pascuis, in pratis, in aquis, vel etiam in decimis acquisierunt, vel acquirere poterunt, & omnia usuaria in territorio de *Braelle* jure perpetuo possidendum concedimus. Porro domina Adelidis de Buglis, & filii ejus, Lancelinus videlicet, & Manasses, & Rainaldus, sororque eorum Beatrix, & ejusdem Beatricis filiæ Hildeburgis & Mathildis, quidquid in montana terra Harmarum in dominio possidebant, tam in planis quam in frutetis, usque ad magnum nemus quod vocatis *Heiz*, & quandam partem ipsius nemoris, quicquid videlicet continetur inter assignatas metas in longum, in latum vero quicquid continetur à supradicta montana terra usque ad marescum, & de ipso maresco quicquid habebant inter aquam & nemus de *Heiz*, à principio videlicet ipsius nemoris usque ad finem, & etiam quidquid in ipsa aqua habebant, in eleemosynam eisdem supradictis fratribus per manum nostram in perpetuum libere possidendum contradiderunt, & de feodo suo quicquid acquisierunt, vel acquirere poterunt, similiter concesserunt. Omnia vero usuaria nemorum suorum, prædicti videlicet *Heiz*, & *Hulsoy*, & aliorum, tam in alendis pecoribus omnimodis quam in lignis comburendis & ædificiis construendis, sine aliqua redditione, sive pasnagii, sive alterius cujuscumque consuetudinis sæpedictis Triæ fratribus contulerunt. In omnibus his supradictis, Petrus & Warnerus majores quicquid ad suum jus pertinebat, sine redditione alicujus consuetudinis eisdem supradictis fratribus liberum concesserunt. Homines autem Harmarum omnia usuaria sua, quæ in supra determinata parte nemoris, & etiam in montanis frutetis habebant pro cambio, quod a dominis de Buglis acceperunt, nihil sibi retinentes, sæpe dictis fratribus libera concesserunt. Præterea omnem possessionem Heremitarum apud *Fremont* commorantium, quam nobis reddiderunt, petitione ipsorum Heremitarum, & concessione Petri de Bailliocco in cujus eleemosyna commanebant, Triensibus fratribus sine ulla contradictione æternaliter possidendam tradidimus; idem vero Petrus de Bailliocco terram quam habebat prope domum Heremitarum, & dimidiam partem alneti, unde major de *Braelle* aliam dimidiam partem possidebat, & dimidiam partem pratorum, in quibus idem major similiter dimidietatem totius terræ quæ est inter fontem Alerici & terram Rogeri, & à latere montis usque ad marescum cujus terræ alteram dimidietatem Radulphus de Bailliocco possidebat, præfatis fratribus pro cambio, quod à dominis de Buglis in monte supra Bailliocum accepit; insuper & ipse Radulphus de Bailliocco suam dimidietatem præfatæ terræ eisdem fratribus censualiter contulit, pro novem denariis singulis annis in sancti Remigii festivitate persolvendis. Quin etiam uxor Odonis, Richeldis videlicet, terram quam pater suus Herfridus major de *Braelle* dedit ei nubenti apud Clarummontem, jacentem inter marescum ex parte *Braelle* & montem de *Fresmont*, concessione patris sui, & viri sui Odonis, & heredum suorum, Triensibus fratribus in eleemosynam tradidit. Quod vero totum ut ratum & omnino inconvulsum permaneat, divina auctoritate præcipimus, & sigilli nostri impressione confirmamus. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CXXXVI. indictione XIV. epacta XV. Hii testes interfuerunt, Henricus archidiaconus, Johannes filius Castellani, Magister Willelmus, Drogo de Merlo, & filii ejus, Drogo & Rainaldus, Guido de Vallibus.

XX.

Fundatio beatæ Mariæ de Brioftel. Ex chartul.

1136. ODO Belvacensis episcopus, fidelibus universis in perpetuum. Noverint universi quod Lambertus de *Brethueil* & filius ejus Renaldus dederunt ecclesiæ beatæ Mariæ de *Briostel* in eleemosynam perpetuam, quidquid habebant in territorio de *Briostel*, scilicet Buscum-morandi, & omnem terram ad eumdem Buscum pertinentem, & mazuram in terra Teoleti. Hæc omnia libere & absolute in eleemosynam concesserunt etiam ipsi domini eorum Wilermus *Bisette*, & Ansoldus filius ejus. Quando autem ista concessio apud Albam-marlam facta fuit, interfuerunt testes isti Ansoldus *Bisette*, Radulfus de Restoldi valle, Gerardus de Achio, & alii plures: quando autem donatio ista intra abbatiam facta fuit, & super altare posita, interfuerunt testes qui subscribuntur, Odo de Galnis & filii ejus, Hugo & Gaufridus.... Actum anno Incarnationis Dominicæ M. CXXXVI.

XXI.

Odo episcopus confirmat bona Belliprati. Ex charta.

1136. EGO Odo Dei gratia Belvacensis episcopus, notum esse cupio tam futuris quam præsentibus, quod fratribus monasterii beatæ Mariæ de Prato concessimus quidquid de feodo nostro acquisierunt vel acquirere poterunt, & omnem decimam nutrimenti sui & omnium laborum suorum, tam in carrucis quam in ceteris omnibus. Gerardus quoque & Helias vicedomini de Gerboredo, & domina Ælidis de Buglis & filii sui, & Petrus de Miliaco, & heredes eorum, eisdem fratribus quidquid de feodis suis acquisierunt, concesserunt. Porro de feodo nostro domina Ælidis de Buglis & filii sui, domini Lancelinus videlicet, Manasses & Rainaldus infra has metas, scilicet à districto propinquiori *Achy*, descendente a placheto ipsius *Achy* ad vivarium, usque ad territorium de *Juvilers*, & ex parte alia a via molendinaria, quæ per supercilium montis tendebat ad Thorios, usque ad territorium de Marsiliis in longum, in latum vero a *Malmisay* usque ad nemus de *Polchoy*, in nemoribus & in terris, in pratis & in agris, quidquid in dominio possidebant eidem ecclesiæ jure perpetuo possidendum in eleemosynam contradiderunt. Charta hæc lecta fuit & approbata apud ipsum pratum in benedictione atrii in publico, audientibus Serlone abbate sancti Luciani, & Rainaldo abbate sancti Quintini, & Warino sanctæ Mariæ de Bretolio, clericis, baronibus & populo; clericis his videlicet Rogero decano, Henrico archidiacono, Joanne cantore filio castellani, Guillermo clerico episcopi, & ceteris multis baronibus, Lancelino de Buglis & fratribus ejus Manasse & Rainaldo, & matre eorum Ælide, & Petro de Miliaco, & Petro filio Gerardi vicedomini de Gerboredo, & Ludovico de Sorinsis & Nivardo majore de Achiaco. Anno ab Incarnatione Domini M. CXXXVI. indictione IV. epacta V.

XXII.

Confirmatio fundationis Belliprati.

Ex autographo.

1137. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex, monachis qui habitant in monasterio beatæ Mariæ de Prato, salutem perpetuam. Monumentis ecclesiarum & religiosis maxime locis regia manus apponi debet. Sane eleemosynæ & orationes fidelium redemptio animarum nostrarum est & perennes divitiæ. Siquidem in pago & episcopatu Belvacensi monasterium de Prato, quod à domno abbate Ursicampi Waleranno ad ordinem Cisterciensem nuper ædificatum est, regiæ majestatis præcepto munientes, locum ipsum cum appenditiis suis ab omni potestate seculari deinceps emancipatum, plena libertate donamus, & præsentis paginæ testimonio confirmamus. Porro quæcumque ipsi loco & iisdem fratribus, de feodo & possessione regni & honoris nostri jam collata, seu in posterum juste conferenda sunt, nos laudamus, & venerabilis reginæ Adelaidis nostrique filii junioris regis assensu, perpetua & inconcussa libertate tenenda concedimus. Actum anno Dominicæ Incarnationis M. CXXXVII, indict. XV. Sign. Ludovici regis. Sig. Adelaidis reginæ. Sig. Ludovici regis junioris. Sig. Radulfi Viromanduorum comitis & dapiferi nostri. Sig. Willelmi buticularii. Sig. Hugonis constabularii. Sig. Hugonis camerarii. Sig. magistri Willelmi Maidunensis. Sig. Mansélli notarii. Sig. Odonis medici. Data per manum Stephani cancellarii & Algrini subcancellarii.

XXIII.

Confirmatio Frigidi-montis.

Ex chartul.

1137. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, Triæ monasterio & omnibus fratribus qui in eo tempore tam præsenti quam futuro in æternum subserviturí sunt. Munimentis ecclesiarum & religiosis maxime locis regia manus apponi debet. Sane eleemosyna & orationes fidelium, redemptio nostra est & perennes divitiæ. Si quidem in pago & episcopatu Belvacensi monasterium Triæ, quod à domno abbate Ursicampi Galeranno, ad ordinem Cistercii ædificatum est, regiæ majestatis præcepto munientes; locum ipsum cum appenditiis suis ab omni potestate seculari deinceps emancipatum, plena libertate donamus, & præsentis paginæ testimonio confirmamus. Porro quæcumque ipsi loco & eisdem fratribus, de feodo & possessione regni nostri & honoris jam collata, sive in posterum juste conferenda sunt, nos laudamus, & venerabilis reginæ Adelaidis, nostrique filii Ludovici junioris regis assensu, perpetua & inconcussa libertate tenenda concedimus. Actum publice Parisius anno Dominicæ Incarnationis 1137. Signum Radulfi Viromanduorum comitis & dapiferi nostri. Sig. Guillelmi buticularii. Sig. Hugonis constabularii & Hugonis camerarii. Data per manum Stephani cancellarii.

XXIV.

Donatio sedis abbatiæ de Alneto.

Ex chartul.

1138. OMNIBUS in Christo baptismi fonte renatis, Helias & Petrus vicedomini Gerboredi, salutem. Donum quod Matthæus sanctæ Mariæ de Alneto contulit in præsentia nostra, ex ordine recognitum est, & sub testibus confirmatum. Sed quoniam omnia quibus ipse interfuit, melius novit quam nos, ipsum loquentem pariter audiamus. Ego Matthæus dimidium territorii veteris molendini cum sede ipsius, stagnum cum nemore, molendinum cum sede abbatiæ, & quidquid ad me pertinet in supradicto territorio, totum confero ecclesiæ beatæ Mariæ, nihil mihi reservans in posterum, nec redditus, nec xenias, nec munuscula qualibet, sed nihil omnino. Huic dono acquieverunt filii mei Eberaldus & Ernulphus cum uxore mea Taresinde matre eorum, Hugo etiam ... cum filio suo Roberto concesserunt quidquid ad eos pertinebat in supradicto territorio; id etiam concessit Hugo de *Tagnies*, Garnerus de Buxello, cum .... filio suo, & aliis. ... His omnibus nos vicedomini Gerboredi interfuimus, & coram nobis recognita sunt, & sub testibus consignata. ... Testes canonici Eustachius, Radulphus, Radulphus canonicus de *Milly*, Galterus presbyter de Ternis, Galterus presbyter &c. Actum est hoc anno Domini M. CXXXVIII.

XXV.

Donatio facta beatæ Mariæ de Brioslel.

Ex Samm. thesis.

Circa 1140. ODO Dei gratia Belvacensis episcopus, fidelibus universis in perpetuum. Sciant omnes tam moderni quam posteri, quod Arnulphus de *Brioslel* cum uxore sua Wuidria, & cum filiis suis Beringerio & Urso, dedit per manus nostras ecclesiæ sanctæ Mariæ de *Brioslel* in eleemosynam perpetuam quicquid calumniabatur in territorio Teoleti, & quicquid sui juris in eo esse dicebat, promittens & pacto se obligans, quod hanc eleemosynam suam contra omnes calumnias ubique acquitabit. Huic donationi præsentes fuerunt testes qui subscribuntur, Serlo abbas sancti Luciani, Rainaldus abbas sancti Quintini, Hugo abbas sanctæ Mariæ de Alneto, & Audoenus monachus ejus, Magister Willelmus episcopi bajulus, Paganus filius Sybillæ, Odo filius Eugielis, Adelelmus de Ermenteriis.

XXVI.

Petrus monachus Cluniacensis fit abbas sancti Luciani.

1147. O. Dei gratia Belvacensis ecclesiæ venerabili episcopo & ejusdem ecclesiæ canonicis, & conventui beati Luciani, frater P. abbas Cluniacensis, salutem & dilectionem. Quamvis grave sit nobis fratres nostros aliis concedere monasteriis, petitioni tamen vestræ, intuitu caritatis assensum non negavimus, & fratrem Petrum, quandiu abbas fuerit ecclesiæ beati Luciani, liberum & absolutum concedimus. Valete.

XXVII.

Institutio Præmonstratensium in ecclesia sancti Justi.

Ex chart.

1147. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Quoniam mundus in maligno positus est, & crescente versutia seculi, & invalescentibus insidiis hostis antiqui, vigilanter præcavere debet devotio fidelium, ne quid molestiæ vel inquietudinis patiantur novellæ plantationes ecclesiarum. Sit ergo notum omnibus quod ego Odo, secundus Dei gratia indigne vocatus Belvacensis episcopus, consensu & assensu capituli nostri apud sanctum Justum in ecclesia nostra canonicos regulares posui de ordine Præmonstratensi & de ecclesia sancti Judoci, eisque de suo ipsorum collegio religiosum abbatem præfeci nomine Johannem. Contuli etiam eidem loco, & confirmavi quidquid venerabiles prædecessores nostri Belvacenses episcopi, domnus Gaufridus, & domnus Petrus, & domnus Odo contulerunt, justitiam videlicet post episcopum ecclesiasticam, jus archidiaconale, capellaniam integram totius parochiæ, ita ut si contigerit inibi episcopum celebrare missam in conventu, canonici serviant ei vicecapellani; & si quid fuerit oblationis, sibi accipiant; de rebus secularibus allodium de Tainsvillario, quod

quod eidem ecclesiæ Petrus Bucellus omnino liberum in eleemosynam dedit, & quidquid ibi possidebat, tam in terra arabili quam in hospitibus, nemoribus & justitiis, exceptis militibus; partem altaris quam habent in Leporino monte, molendinum de Ponte, & vivarium, & totam terram usque ad fontes de ..... medietatem decimæ totius villæ, terram etiam ubi domus canonicorum sunt, ab omni censu & consuetudine liberam. Contuli etiam eisdem canonicis quidquid census & redditus ecclesia debebat episcopo de horto Everaudi *de Cuivre*, de horto Rommaldis, de horto Arnulfi, de horto Rainerii cæmentarii, de horto sancti Luciani, de horto ubi est exitus canonicorum; de duobus hortis ad cruces, de horto Balduini de Butinanso, de hospitibus Balduini thelonarii, de hospitibus Baldrici de *Estierles*, de hospitibus Balduini *Estechart*, de hospitibus Huberti de Gannis, de hospitibus Odonis Hericii, de domo Viardi *de Fretoy*. Addo insuper censum & redditum de domibus & curticulis fullonum qui sunt versus aquam, & Odonis Belecaleæ, & Gamelini *Gelée*, & Guillelmi *le Danzel* & Valterii cæmentarii. Summa totius hujus census est XVIII. sol. Belvac. quinque modii avenæ & duæ minæ, XXXI. cap. & totidem panes. Dono etiam modium & dimidium vini quem debent episcopo de censu apud *Ballenval*, & quinque denarios. Hæc omnia eidem ecclesiæ libere & quiete possidenda voluntarie dono & concedo, nostrique sigilli auctoritate confirmo, testibus appositis &c. Actum est anno Verbi Incarnati M. CXLVII. indictione decima, regnante Ludovico Ludovici regis filio, anno regni eius XI. episcopatus autem nostri anno tertio. Datum Belvaci apud S. Lucianum IIII. nonas Maii.

XXVIII.

Ex chartario Flaviacensi.

Odo III. episcopus Bellovacensis confirmat monasterio Flaviacensi omnia quæ possidebat in suo episcopatu.

1148. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Odo secundus Dei gratia Belvacensium episcopus, universitati fidelium salutem in Domino. Decet nos & ministerio nostro competit Deo servientium, ut divinis rebus liberius possint vacare, utilitatibus & quiete providere, & eorum quam maxime qui nostræ subjecti sunt curæ. Et quoniam, Deo aspirante, in Flaviacensi monasterio, qui locus non est mediocris in nostra diœcesi nominis, habitum religionis suscepimus, & ejusdem ecclesiæ me filium etiam in pastorali regimine posito mihi votivum est fateri; quod nobis incumbit ex debito facere, placet ex præcipui amoris prærogativa exhibere, videlicet possessiones ipsius cœnobii nostræ parochiæ subjacentes, auctoritate beati Petri apostolorum principis, & sigillo nostræ humilitatis muniamus, ad quietem Deo ibi deservientium & contra calumnias improborum hominum. Primum igitur ponimus & confirmamus ea quæ episcopali donatione Belvacensis ecclesiæ sanctus Geremarus possidet, ipsum scilicet monasterium & Flaviacum villam, &c. Clericorum autem hanc concessionis paginam signantium nomina subscribimus. Ego Odo secundus Belvacensis episcopus ss. Ego Ivo decanus ss. Ego Johannes archidiaconus ss. Ego Odo præcentor ss. Ego Simon succentor ss. Ego Helinandus capellanus episcopi ss. &c. Actum est & confirmatum anno ab Incarnatione M. CXLVIII. indictione XI. Amen.

XXIX.

Ex autographo.

Privilegium Odonis III. episcopi Bellovacensis in gratiam monasterii sancti Symphoriani.

1148. EGO Dei gratia Odo secundus Belvacensis ecclesiæ dictus episcopus, universis fidelibus in Domino salutem. Cum minus sufficientes simus & idonei ad evellenda & destruenda quæ corrupta videntur esse & perversa; inter cetera tamen quibus corrigendis & emendandis studium nostræ devotionis invigilat, censemus eradicandum esse penitus & demoliendum quod in monasterio martyris Symphoriani superfluitas negligentium nimis licentiose & insolenter agere præsumsit. Ut vero unde agitur universis notum habeatur, paucis absolvamus. A prædicti monasterii fundatoribus piissimis caritative incœptum est, ut episcopo Belvacensi ad festum gloriosi martyris semel in anno advenienti convivium pararetur. Processu vero temporis superabundante iniquitate, quod initiatum est per caritatem, versum est in gravitatem; quod enim dantium obtulit devotio ad solamen, accipientium præsumtio retulit ad gravamen. Nonnulli namque prædecessorum nostrorum ad prædictum festum sancti martyris, minus attendentes quæ Dei sunt, cum maximo fastu venientes, salva eorum pace, ut ita dicam, satellitum suorum exactione & superfluitate substantiam fratrum, sicut vidimus & attestatione plurimorum cognovimus, omnimodo profligabant. Quoniam vero nostrum est in omnibus & superfluitatem pro intuitu rationis amputare, & cum studio devotionis monasteriis nobis à Deo commissis pie invigilare, decernimus & sancimus ne jam ulterius aliquis successorum nostrorum in præfatæ solemnitatis vigilia, vel in ipsa die, sibi vel suis ullam a monachis procurationem accipere præsumat. Quinimo non solum accipientes, verum etiam dantes, potestate ligandi atque solvendi nobis à Domino tradita sub anathematis sententia perpetuo concludimus. Prædecessores autem nostros qui abusiones vel superfluitates tam malæ consuetudinis non correxerunt, precibus gloriosi martyris Symphoriani de divina misericordia confidentes, quantum ad nos pertinet, libere absolvimus. Præsentem ergo nostræ donationis cartam propter anathema factum, sigillo nostræ auctoritatis confirmavimus. His interfuerunt Petrus abbas de Prato, Gaufridus abbas de S. Quintino, Johannes archidiaconus, Odo præcentor, Simon succentor, Elinandus capellanus, Girardus & Guillelmus de Gerboredo, Odo nepos magistri Fulconis, Cadolus, magister Godefridus. Actum Belvaco anno Incarnationis M. CXLVIII. indictione XI. regnante Ludovico Francorum rege anno XII. episcopatus autem Odonis secundi anno IV.

XXX.

Ex chartario Flaviacensi.

Radulfus Malus-vicinus anniversarium in ecclesia Flaviacensi instituit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1148.
Quoniam decidente justitia stat & crescit iniquitas, fides etiam vel rara vel fere nulla reperitur nunc temporis in hominibus, nec melior spes concipitur a nobis de sequacibus; si quod in eleemosynam donum suscipimus ab aliquo, aut si quam terræ vel alterius rei commutationem facimus, ad notitiam posterorum literis commendare non negligimus: ut si forte cujuspiam calumnia ingruerit aut tergiversatio, chirographi refellatur & frangatur testimonio. Igitur quidam miles nobilis & strenuus Radulphus nomine, Malus-vicinus autem cognomine, frater Sanxonis venerabilis Remorum archiepiscopi, consulens & sibi & animarum patris & matris suæ saluti, dedit ecclesiæ sancti Geremari Flaviacensis & servitium & quidquid prorsus habebat in terra Puteolorum jure perenni, libere pariter & quiete; hoc tenore scilicet, ut per singulos annos ibi patris & matris suæ celebretur anniversarium, & suum, cum naturæ satisfaciens obierit. Et ut donum stabile foret & firmum, idem Radulfus sigillo suo hoc confirmavit. Hæc autem datio facta fuit tempore Fulberti abbatis apud Roenium, in domo ipsius Radulfi, concedentibus hoc conjuge sua Brita, & filiis Radulfo, Guillelmo,

Manasse, & filiabus suis Agnete, Johanna, Regina. Hujus rei testes affuerunt hi, Gofzo præpositus, Lotharius, Joffredus, monachi. Milites, Ingerannus de Charris, Gilduinus, Hugo vicecomes, Guido Malus-vicinus, Drogo de Masnilo, Boldardus de *Comnarz*, Thomas de Meantia, Hugo de Scomdria, Petrus Colubrinus, Radulfus major de Jambevillæ cum filio suo Warimboldo, Theobaldus miles, Rogerus Anglicus, Bernardus nepos Leodegarii abbatis. Anno Incarnati Verbi M. CXLVIII.

XXXI.

Ex Lavetio & Sammarthanis.

Privilegium ab Eugenio III. papa concessum ecclesiæ Bellovacensi.

1151. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Belvacensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum, &c. Venerabilis in Christo frater Henrice episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & beati Petri Belvacensis ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub ipsius apostolorum principis & nostra protectione suscipimus; statuentes, &c. ut firma tibi tuisque successoribus illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, abbatiam S. Symphoriani, S. Luciani, S. Quintini, S. Geremari de Flaiaco, S. Mariæ de Britolio, S. Martini de Ruricurte, S. Pauli, ecclesiam S. Bartholomæi, S. Michaelis, S. Laurentii, sanctæ Mariæ, & ecclesiam de *Monthatere* cum omnibus pertinentiis: præterea civitatem, comitatum, theloneum, foragium & præposituram ipsius civitatis, culturam quoque & molendina, & terram de Maresco cum adjacente silva, & justitiis suis & pertinentiis suis, Hosdingum cum omnibus appenditiis suis, Lavercinum, Castanetum, Buriacum, Serronem, S. Justum *Bertacurt*, & *Congel* cum omnibus pertinentiis suis. Quidquid insuper libertatis seu immunitatis vel juris possessionis ab illustribus Francorum regibus vel aliis principibus eidem ecclesiæ pia devotione & rationabili providentia concessum est, tibi tuisque successoribus nihilominus confirmamus. Sancimus autem ut quidquid a defuncto episcopo vel ab aliis de rebus ipsius usque modo illicite alienatum est, viribus omnino careat & irritum revocetur. Prohibemus quoque ut mensam episcopi vel custodiam granarii & cellarii nullus hereditario jure possidere præsumat. Decernimus ergo, &c. Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus, ego Hubaldus presbyter cardinalis ecclesiæ sanctæ Praxedis, ego Nicolaus cardinalis presbyter ecclesiæ sancti Cyriaci, ego Albertus presbyter cardinalis ecclesiæ S. Anastasiæ, &c. Datum Ferentini per manum Bosonis sanctæ Romanæ ecclesiæ scriptoris nonis Martii, Incarnationis Dominicæ anno M. CL. pontificatus vero domini Eugenii III. papæ anno VII.

XXXII.

Ex chartulario.

Charta Bartholomæi episcopi pro Britoliensibus.

1164. BARTHOLOMÆUS Belvacensis episcopus, universis fidelibus in perpetuum. Quoniam ex injuncto nobis officio eleemosynas militantibus Deo caritatis intuitu datas & tueri & conservare debemus, idcirco beneficia Britoliensi monasterio collata Radulphi abbatis petitione summatim conscribi & confirmari decrevimus, ut præsenti confirmatione controversias injuste calumniantium confutemus. Confirmavimus itaque monasterio Britoliensi universa quæ hic annotari fecimus: in castro Britoliensi ecclesiam sancti Cyrici cum altari & omnibus consuetudinibus atrii ejusdem ecclesiæ, & cum omni decima & tractu; ecclesiam similiter sancti Joannis, terram arabilem quæ duabus carrucis sufficit, sexaginta solidos Belvacensis monetæ de traverso quotannis, redditum & servi-

A tium illud quod dominus prædicti castri de novem curticulis & dimidio ab ecclesia Britoliensi exigebat, unum molendinum & vinarium & redecimam omnium molendinorum ipsius domini, vineam unam, redditum quem hospites monachorum de equis & asinis suis majori ejusdem villæ solvebant, hospites, pedagium, merces collo ferrantium, * molturam monachorum liberam ad molendinum de Hamello, medietatem in furnis & furnagiis totius villæ Britoliensis, villam sancti Dionysii cum ecclesia & omni decima, ecclesiam de Vendolio cum atrio & omni decima campestri, & omnibus consuetudinibus ejusdem ecclesiæ, excepta medietate altaris, & hospites in eadem villa; in Mundi-valle curticulos tres, medietatem villæ quæ Altumvillare dicitur, medietatem villæ quam
B nominant Proveredum & altare ipsius villæ, cum consuetudinibus atrii & totam decimam campestrem & minutam, & medietatem totius census ejusdem villæ, & de reliqua medietate duodecim denariorum; terram arabilem carrucæ sufficientem cum terragio; quatuor libras Provinensis monetæ ab altero domino prædictæ villæ annuatim; medietatem nemoris ejusdem villæ quæ dicitur Monasteria, cum atrio & omni minuta decima, & medietatem decimæ campestris cum tractu, & hospites in eadem villa, decimam de omnibus curticulis ejusdem villæ cum tractu; apud eamdem villam terram ad quatuor minas sementis, juxta *Tesnerolles* de Matthæo de Monasteriis. Item, terras ad quinque minas sementis juxta terram nostram de prato de Hugone filio Heuduis. Item, me-
C dietatem totius decimæ de domno Martino ad carrucandum quo monachi volunt. Item, totam terram quam vocant *Bocunval*, cum omni decima & terragio, & præterea terram quæ duabus carrucis sufficit. Altare *de Wavegnies* cum atrio & omni decima curticulorum & omni decima camporum, excepta sexta gerba; medietatem feodi Reynardi Caponis cum terragio, curticulos, terram liberam cum terragio ad quatuor modios sementis de Petro *Faget*. Item, ab eodem terram ad viginti unum modios sementis cum terragio suo; itaque in terra illa domum non habet, nec justitiam aliquam quantum ad monachos & res eorum pertinet; tertiam partem totius terræ Jozonis *de Wavegnies*, & de reliquis duabus partibus terram ad duos sementis; terram Hamerici Ruli in perpetuum tenen-
D dam, quam ipse habet ex parte uxoris suæ apud præfatam villam, salvo terragio suo, sic est quod nec domum in terra illa habet, nec justitiam aliquam quantum ad monachos & res eorum pertinet; terram ad viginti minas sementis de Hugone *de Buscans*, & decimam totius terræ suæ de sancto Eusebio; terram ad tres modios & duas minas sementis de Wigerio fratre prædicti Hugonis; de Balduino basso totam terram cum terragio quam apud *Wavegnies* de feodo Jozonis de Wavegniis tenebat, tractum totius decimæ de Wavegniis; terram quæ dicitur campus Huboldi de muliere quadam Horrea nomine, curticulum unum de eadem; totam terram Burdini de *Warty* cum terragio quam apud Wavegniis habebat; terram de Gotranno apud præfatas de Wavegniis, calumniis
E quibusdam sepultis quas ipse Gotrannus & filii ejus super monachos faciebant de quadam terra, quæ terra de Nemore dicebatur, & de aliis quibusdam terris quæ sunt circa grangiam eorum apud eamdem villam; curtam unam liberam cum appenditiis suis apud eamdem villam: altare de Nucieriis cum atrio & hospitibus, medietatem decimæ campestris ipsius villæ cum omni minuta decima. Item, terram de Emelina, terram de Naingo, terram de Thoma filio Stephanæ & de Benedicto filio Alelini Roaheterii, curticulum unum de Wuilgero & unam minam frumenti, curticulos & terram de Hugone Pouherio, & præterea terram ad unam carrucam sufficientem; ecclesiam de Villari cum atrio, hospitibus & omni decima ejusdem villæ cum tractu; medietatem villæ Ursæ mansionis

* molturam.

in terra & nemore cum tertia parte decimæ camporum, apud eamdem villam curtem unam liberam in nemore ejusdem villæ cum appenditiis suis, & extra curtem in circuitu ad mensuram quadraginta pedum de nemore ad munimen ipsius curtis; medietatem silvæ illius quam nominant de Fesca, excepta illa parte quæ de feodo Walteri Normani descendit: quartarium de *Villereus*, duos curticulos apud Sertinum, moluetam liberam ad molendinum de sancto Dionysio simul villa monachorum de Fageto; juxta Bonnolium tertiam partem decimæ de curticulis, & nonam partem decimæ campestris; apud Puteos modium unum frumenti pro Ybria filia Bernardi de *Pallart*, in parte illa prædictæ villæ quam pater suus dedit ei in matrimonio; apud *Villers* juxta *Castanei* arpentum unum vinearum & terram ad septem minas sementis; apud Pissotam arpennum vineæ; apud *Nointel* terram ad decem minas sementis, vineas in clausulo Teboldi de Puteo, tertiam partem vini quod Haimo Wavasor dedit monachis, nec dant inde censum; octo sextarios vini in vinea quæ est in alodo quod dedit Odo filius prædicti Haimonis in masura quæ est sub clausulo Murellorum: quartarium unum quod habebat Albertus filius prædicti Haimonis in vinea quadam quæ ibidem est; medietatem vini in *Bullapot*, medietatem in clausulo Alberici camerarii; octavam partem vini in quartario arpenni vineæ quod dedit Arnulphus monachis Britholiensibus; medietatem vini, nec datur inde census; tertiam masuram vini de vinea horrei quam dedit Balduinus major; apud Alteramvillam hospites; terram ad unum modium sementis cum terragio & vinea; apud *Brueul* curticulum unum & hospites; apud Ballomvallem vineas & de censu quatuor solidos uno denario minus, & decimas de vino & annona. Item, apud eamdem villam de censu unum modium vini & duas minas avenæ; ab Ausculso de *Limelcurt* & Roagimum in domo & in curia sua duas minas avenæ, & Roagimum in domo & curia Pagani Truci & unum denarium de censu cum omni minuta decima; quatuor septarios vini de Petro filio Elinandi; quatuor septarios vini de Rennuardo de Fraisneso; totam decimam magnam & minutam in domo Balduini de Petra: apud *Liencourt* duos arpennos vinearum uno quarterio minus, & pratum de Richardo & uxore ejus; apud Hardivillare decimam quam Robertus de eadem villa tenebat de Petro *Berni*, carrucaturam liberam de vino nostro & sine omni exactione traversi per terram Claromontis. Item, apud Hardivillare quicquid monachi sancti Martini de Campis ibi habebant in terra & decima feodis; apud *Harmes* unum hospitem & vineas; apud Claromontem juxta Quercum unum arpennum vinearum de Simone monacho de Brithulio; in eadem villa dimidium arpennum. Altare sancti Andreæ de Galencurte cum atrio & minuta decima, & duas partes in decima campestri cum tractu, hospites in eadem villa, terram arabilem, curticulos, terragium in quibusdam campis: apud Francastellum in territorio trium cisternarum, omnem decimam cum tractu; in territorio *Descud* sextam partem totius decimæ magnæ & minutæ cum tractu; omnem decimam campestrem de Bonovillari cum tractu, medietatem de Wabecurte in terra & nemore; apud Serolium decimam cum tractu & territorio ejusdem villæ; juxta Ausovillare terram arabilem & decimam cum territorio, & nemus de eodem territorio. Omnia igitur quæ superius annotavimus, Britoliensi monasterio confirmamus; & ne alicui hanc nostram constitutionem violare aut aliquo modo retractare liceat, eam præsentis paginæ testimonio & sigilli nostri patrocinio communiri, & hujus confirmationis nostræ testes subscribi jussimus. Signum Joannis archidiaconi. Sig. Odonis cantoris. Sig. Johannis pœnitentiarii. Sig. Huberti capellani. Sig. Deodati cancellarii. Sig. Petri capellani. Sig. Nicolai filii Martini. Sig. Gilleti. Sig. magistri Holonis. Sig. Matthæi de *Lotenangle*. Actum Belvaci anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo sexagesimo quarto, regnante Ludovico Ludovici filio.

XXXIII.

Theodericus Ambianensis episcopus bona Brituliensium monachorum in sua diœcesi confirmat. *Ex chartulario.*

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. 1164.
Ego Theodericus Dei gratia Ambianensis episcopus, tam præsentibus quam futuris in Christo fidelibus in perpetuum. Effectum postulantibus indulgere, justis servorum Dei petitionibus adesse, qui contemtum mundi habentes & à secularibus seclusi, quietem Jesu Christi elegerunt, terrena desideria calcantes, professione & toto desiderio cælestia appetunt, eorum, inquam, petitionibus facilem præbere assensum, & justitiæ vigor & ordo exigit æquitatis, præsertim cum postulantium vota & pietas adjuvat, & veritas non relinquit. Eapropter, fili Radulphe abba venerabilis monasterii beatæ Mariæ Brictuliensis in Christo plurimum dilecte, de confirmandis possessionibus & eleemosynis in Ambianensi episcopatu monasterio tuo collatis, maxime vero de amministrationis tuæ cura & diligentia studiose adquisitis, petitionem tuam benigne amplectentes, easdem eleemosynas tibi & monasterio tuo successoribusque tuis perpetuo mansuras pontificali auctoritate confirmamus. Videlicet altare de Cormeliis cum tota decima magna & minuta & tractu; altare de Albosossato cum minuta decima & tertia parte decimæ campestris & tractu; altare de Bosencurte & atrium cum minuta decima & terra ad ipsum pertinente, & tertia parte decimæ ejusdem terræ & totius territorii prædictæ villæ; altare de Falosia cum minuta decima; altare & atrium de Roseto cum tota decima, excepta quinta parte; medietatem totius villæ liberam & sine omni exactione; præterea censum unius curtilli pro anima matris Arnulfi de Roseto, & terram quamdam pro anima fratris ejus: in villa de *Cirelmont* totam decimam campestrem; in villa de Curcellis duas partes decimæ campestris; in villa de Gosencurte duas partes cujusdam decimæ; in villa de *Alli* medietatem redecimationis molendinorum; in villa de *Sessoliu* censum, videlicet tres denarios de unaquaque domo: altare de Guarda cum duabus partibus minutæ decimæ, & duabus partibus decimæ de novis curtillis, & partem in terragio, & decima campestri totius villæ; in Vesperecampis unum quartarium, & præterea curtillos septem & duas masuras: altare de *Surdun* & atrium cum tota minuta decima, terram arabilem, quartam partem decimæ campestris, tres minas avenæ, duos panes, vervecem unum unius anni in festis sancti Joannis; apud Soraisvillare hospitem unum; apud Fuscoisvillare quidquid dominus Britulienis ibidem habebat, carrucatum, hospitum, nemorum, terrarum, consuetudinum; apud Hispaniacum hospites, unum molendinum cum omnibus consuetudinibus; moluetam de Halovillari & de Hispaniaco & omnem redecimationem de omnibus molendinis de Falesia; apud Alliacum dimidium redecimationis omnium molendinorum, hospites omnino liberos: altare de *Chilers* cum pertinentiis suis & cum tota minuta decima, & tota decima de curtillis ejusdem villæ, & tertia parte decimæ campestris & tractu, & quartario villæ; in villa de *Fai* totam minutam decimam & totam decimam de curtillis, cum tertia parte decimæ campestris & tractu, & quartario ejusdem villæ; in villa de *Goi* dimidium in uno quartario decimæ campestris cum tractu; apud Broias tertiam partem decimæ campestris cum tractu; apud Cornelias unum curtillum; apud Villare unum curtillum; in territorio de Libercurte duas partes decimæ in quibusdam campis de Hugone

de *Cresci*; apud Halovillare duas partes terræ Alodii, medietatem terræ de Valle, hospites, bannum, latronem, theloneum, vicecomitatum; in eadem villa duas partes tertiæ partis decimæ; in terra de Valle ecclesiam de Plaisceio Radulfi Vituli, masuram unam liberam, medietatem totius minutæ decimæ ejusdem villæ, totam decimam de domo & curia & pomerio domini prædictæ villæ, terram ad unam carrucam sufficientem; quartarium de Grivonello, in terra, nemore, decima & terragio; decimam de territorio de *Braeuse*, quartam partem terragii de omni terra quam ibi habent monachi de Brictolio; decimam cum terragio de nemore, quod dicitur de *Montelpost*; tertiam partem decimæ de Gooncurte; decimam de omnibus curtillis, de majoratu; redecimationem panis de mensa domini prædicti Plaisciaci; sextam partem decimæ de Ballencurte de quadam muliere *Demenchi* nomine; unum bonuerium terræ de Petro Ruso; unam carateam lignorum ad ardendum singulis hebdomadis in nemore domini de Plaisciaco Radulfi Vituli: ecclesiam sancti Christophori de Marilio cum atrio & tota minuta decima; altare sancti Petri de Haulemevilla cum tota minuta decima, excepta sexta parte; in omni territorio ejusdem villæ tertiam partem decimæ campestris; tertiam partem decimæ campestris de Hispania, cum tota minuta decima de cannabo & lino; apud *Caumondel* totam decimam campestrem cum tota minuta decima, excepta sexta parte minutæ decimæ; apud *Caumont* tertiam partem decimæ campestris cum minuta decima, excepta sexta parte minutæ decimæ; in terra Joannis de Caumundo sextam partem decimæ campestris; totam decimam campestrem de Furoma cum tota minuta decima, excepta sexta parte minutæ decimæ; omnem minutam decimam de *Talesac* proprie ad oleum ecclesiæ sancti Christophori de Marolio; redecimationem de omnibus furnis Marolii; duas partes decimæ campestris de *Faiel*, cum minuta decima lini & cannabi de Roberto clerico; apud Arenvallem totam decimam magnam & minutam; apud Villare duas partes decimæ campestris cum minuta decima; apud *Baienast* tertiam partem decimæ campestris; apud Alodia tertiam partem decimæ campestris cum minuta decima; in omni territorio de Buiencurte tertiam partem decimæ campestris cum minuta decima; apud eamdem villam totam decimam de feodo Hugonis de Cauberco. Item, omnem decimam de campo Teboldi; item, totam decimam in uno campo de feodo Evrardi; in villa de *Maisnil* totam decimam in quibusdam campis, tertiam partem decimæ in quibusdam, ligna ad ardendum & ædificandum in omnibus domini de Marolio, ubi ipse acciperet: ecclesiam de Ulmastro cum minuta decima; medietatem altaris in quinque annuis festivitatibus, tertiam partem decimæ campestris; totam decimam totius terræ Wermundi de Cupaincurte; totam decimam de feodo Hilonis de Limercurte. Item, de eodem tria novalia terræ liberæ cum decima; totam decimam de terra Engelranni clerici de Guiencurte; totam decimam de terra Burgardi *Pitemole*; totam decimam de terra Burgardi de *Maisnil*; totam decimam de terra Walteri filii Seberti de *Maisnil*; totam decimam de campo Engelranni; tertiam partem decimæ de terra Guillelmi *Pancot*; totam decimam de quodam essardo ejusdem Guillelmi. Hæc igitur singulis distincta capitulis ut statum in posterum obtineant firmiorem, & ne aut oblivio deleat, aut multiformis perversa impiorum malitia a firmitatis suæ robore divellere aut alienare aliquo in posterum tempore prævaleat, præsenti pagina posterorum memoriæ commendantes confirmamus; & ne ab aliqua ecclesiastica vel seculari persona hæc nostra confirmatio ausu temerario impetatur, sub anathemate prohibemus, & ad majorem firmitatem testes subassignamus. Testes hujus nostræ confirmationis sunt Radulfus decanus, Guarinus & Theobaldus archidiaconi, Guillelmus præpositus, Hugo præcentor, Redulfus, Erluinus, Guido, Guifridus presbyteri, Laurentius, Olricus diaconi, Ricardus, Balduinus, Simon, Evrardus subdiaconi, Theobaldus sancti Martini, Gualterus sancti Aceoli abbates. Actum est hoc & in curia Ambianensi recognitum anno Dominicæ Incarnationis M. CLXIV. Ego Robertus cancellarius relegi.

XXXIV.

Pœna inflicta militi qui monachum vulneraverat.

BARTHOLOMÆUS Belvacensis episcopus, universitati fidelium in perpetuum. Notum fieri volumus, tam futuris quam præsentibus, fœdus pacis & concordiæ à Joanne de Fontanis & hominibus suis cum fratribus de *Brioslel* quibus multa mala fecerant, hunc habuisse tenorem. Adjudicatum est in præsentia nostra illum imprimis qui fratrem in abbatia vulneravit, ad pedes domini papæ mitti debere; consentaneos vero huic sceleri in tribus abbatiis, Prato videlicet & *Fremont*, necnon & S. Luciano, à porta monasterii usque in capitulum discalceatos progredi, ibique sufficienter disciplinari. Decretum est etiam eosdem postmodum à villa sua, scilicet à Fontanis usque ad portam monasterii de *Brioslel*, laneis indutos & discalceatos, & inde usque in capitulum nudos virgasque gestantes ire debere, seque vestigiis fratrum humiliter verberandos offerre, ac deinceps se præfatæ ecclesiæ in nullo nocituros sub juramento firmare. Joannes autem de Fontanis hoc ipsum coram parochia de Marsiliis jurejurando firmavit; se videlicet à die illa & in posterum nichil penitus prædictæ ecclesiæ nociturum, homines quoque suos si in nemoribus prædictæ ecclesiæ damnum aliquod inferre contigerit, & ad eum querela delata fuerit, si is qui impetitus malefactum non negaverit, ad probationem & veridictum fratrum damnum plenarie restitui faciet, ipsumque malefactorem, quod deinceps scienter eis damno non erit, jurare compellet. Si vero quod objicitur se perpetrasse negaverit, purgationis ejus sacramentum absque dilatione percipiet. Actum anno Verbi Incarnati M. CLXXI. 1171.

XXXV.

Beneficia collata in reparationem ecclesiæ Bellovacensis. Ex Lenetio & Sammarthanis.

MILO Dei gratia episcopus, & G. decanus & capitulum Belvacense, omnibus Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem in Domino. 1225. Noverit universitas vestra quod cum casu miserabili contingente combusta esset ecclesia nostra, invitatis omnibus canonicis Belvacensibus qui fuerant evocandi, & ad tractandum de reædificatione dictæ ecclesiæ in capitulo convenissemus, tandem post multos tractatus de dicta reædificatione habitos, capitulum, videlicet tam personæ quam canonici unanimiter & concorditer ordinationi mei Milonis episcopi se commiserunt, promittentes quod quicquid supra dicta reædificatione tunc in ipso capitulo bona fide ordinaremus, tam de meis rebus & redditibus, quam de redditibus capituli & personarum ejusdem ecclesiæ ad dictam ecclesiam pertinentibus, ad dictam reædificationem conferendum fuerit, inviolabiliter observarent. Ego vero necessitati dictæ ecclesiæ compatiens & devotionem dicti capituli attendens, de reædificatione dictæ ecclesiæ ita ordinavi. Imprimis de consensu & unanimitate totius capituli, omnium parochialium ecclesiarum de cetero vacantium, quocumque modo vacent, cedente vel decedente presbytero in diœcesi Belvacensi, annualia integre usque ad decem annos percipienda fabricæ dictæ ecclesiæ confero: omnes etiam succursus parochialium ecclesiarum totius diœcesis Belvacensis ab hac die usque ad decem annos

integre percipiendos: similiter fabricæ dictæ ecclesiæ A concedo quod CC. mihi, CC. dicto capitulo, CC. de annualibus, CC. de dictis succursibus licebit ad aliam relaxare. Insuper omnium reddituum & proventuum meorum, tam spiritualium quam temporalium, tam Belvaci quam extra, & venditionum nemorum præpositurae Belvacensis & aliorum omnium, exceptis forefactis de comitiva mea (nisi in firma fuerint comprehensa cum aliis) decimam partem usque ad decem annos fabricæ dictæ dono; ita quod de hac decima fideliter & integre reddenda omnes baillivi mei dicto capitulo singulis annis fidelitatem per sacramentum facere tenebuntur. De redditibus autem capituli ita ordinavi, quod tam personæ quam canonici decimam partem personarum & præbendarum fabricæ dictæ ecclesiæ singulis annis usque ad decem annos conferre B tenebuntur, exceptis quotidianis distributionibus quæ fiunt in ecclesia, quæ non decimabuntur, & exceptis archidiaconis qui pro eo quod tertiam partem succursuum usque ad decem annos dictæ ecclesiæ præstant, cum ipsi succursus integraliter fuerint fabricæ dictæ ecclesiæ deputati, à decima suorum archidiaconorum erunt immunes. Hanc autem ordinationem nostram à toto capitulo approbatam, firmiter & inviolabiliter me observaturum promisi. Actum an. Domini M. CCXXV. III. nonas Novembris.

XXXVI.

Thes. chart. reg. 56, ch. 170.

Charta fundationis Regalis-montis.

1228. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. C Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod cum claræ memoriæ Ludovicus quondam rex Francorum, illustris genitor noster, in suo testamento ordinaverit quandam novam abbatiam ad honorem Dei & pro animæ suæ remedio construendam, nos ipsius pia vota prosequi cupientes, & laudabile ejus volentes propositum adimplere, de consilio proborum hominum & de voluntate & assensu executorum ipsius, quandam abbatiam Cisterciensis ordinis, in loco qui dicitur *Guymont*, quem de cetero Regalem-montem decrevimus appellandum, in honore Dei & beatæ Mariæ & omnium Sanctorum duximus erigendam. Assignavimus autem dictæ abbatiæ & fratribus ibidem Deo servientibus in puram & perpetuam eleemosy- D nam locum dictum, sicut quondam clausura parci cinctus erat, & vivarium juxta situm cum suis pertinentiis, ab omni consuetudine libera & quieta, & molendina dicti loci cum pertinentiis eorum, & dignitate, quæ talis est: Quod si aliquis illorum qui in dictis molendinis tenentur molere, iverit alias ad molendum, summarius ad abbatiam cum farina adducetur, & retenta farina reddetur ei summarius quando requiretur sine emenda; aquas quæ veniunt ad molendina prædicta & prædictum locum liberas habeant à villa quæ dicitur Melleia usque in Isaram, cum tota piscaria & justitiis contingentibus. Possunt etiam dicti fratres alveos aquarum suarum obstruere & relevare, nec sit qui cursum earum interrumpere vel deviare præsumat. Item, dedimus eis boscum nostrum E qui dicitur Bornesium, & quidquid videlicet in eo habemus vel habere debemus, liberum omnino ab omni consuetudine, in quo debent contineri trecenta & duo arpenta ad arpentum nostrum & perticam nostram; ita quod poterunt claudere illum, vendere, vel extirpare. Item, dedimus eis in minagio Compendiensi decem modios & duo sextaria, & unam minam bladi, valente sextario duobus denariis sub meliori, ad mensuram Parisiensem annuatim reddendam in crastino Purificationis beatæ Mariæ, & in eadem villa quatuor modios bladi de Venata sani, sicci & medietanei ad eamdem mensuram annuatim reddendos in granario nostro ad terminum supradictum, & in eadem villa decem modios avenæ, ad eumdem terminum & eamdem mensuram. Item, dedimus eis in granario nostro Besticiacensi decem modios & septem sextaria bladi medietanei, & apud *Verbrin* in granario nostro sex modios & duo sextaria & unam minam bladi medietanei, & decem modios avenæ ad mensuram Parisiensem annuatim percipiendos in crastino octabarum Purificationis beatæ Mariæ: apud Gonessiam in granchia nostra quatuordecim modios bladi medietanei ad mensuram Parisiensem annuatim percipiendos in crastino Circumcisionis Domini. Item, dedimus eis apud Bellum-montem in pedagio pontis quinquaginta sex libras Parisienses percipiendas annuatim, medietatem in crastino Natalis Domini, & aliam medietatem in crastino sancti Joannis Baptistæ: apud Pontem sanctæ Maxentiæ quinquaginta libras Parisienses percipiendas in præpositura dictæ villæ & in pedagio ad terminos supradictos. Volumus autem & præcipimus ut omnia supradicta sine contradictione aliqua, vel exactione ballivorum nostrorum, ad prædictos terminos dictis fratribus integre persolvantur; ita quod si aliquis illorum non reddiderit id ad quod tenebitur ad terminos memoratos, teneatur quotidie reddere fratribus supradictis decem solidos Parisienses pro defectu, quandiu reddere distulerit. Item, dedimus eis clausa nostra omnia quæ apud *Pompoing* in nostro domanio tenebamus, & omnes vineas quæ in eadem villa ad medietatem tenebantur de nobis; ita quod teneantur de ipsis sicut de nobis tenebantur, & quinquaginta sex modios vinagii ad modium de *Pompoing* & pressorium nostrum. Item, dedimus eis gurgitem nostrum situm in fluvio Isaræ, in loco illo qui dicitur Albana, libere & pacifice possidendum, cujus gurgitis partem omnium illorum emimus qui jus in eodem aliquod reclamabant; ita quod illum gurgitem extendere seu ampliare non poterunt adeo quod cheminum aquæ per arbitrium mercatorum aquæ debeat impediri. Item, concessimus ipsis quod faciant tres rameias in eadem aqua inter prædictum gurgitem & aquam quæ vocatur Theva ex parte ejusdem abbatiæ, salvo tamen chemino ejusdem aquæ. Abbas siquidem dicti loci obtentu hujus donationis, videlicet dictorum gurgitis & rameiarum, fratribus ejusdem loci in die anniversarii supradicti genitoris nostri, quod in octava omnium Sanctorum singulis annis ibidem celebrabitur de pittantia annuatim tenebitur providere. Regia autem benignitate concessimus & præcipimus, ut prædicti fratres in omni loco potestatis nostræ liberum transitum habeant per terram & aquam; ita ut nulli omnino de rebus propriis ipsorum quas emerint vel vendiderint, vel deportari fecerint, ad usus suos proprios, vel ad usus ædificiorum suorum propriorum, theloneum, portagium, pedagium, consuetudines vel exactiones reddere teneantur, de eo videlicet quod ad nostrum domanium noscitur pertinere, & fratri credatur per simplex verbum, servienti vero laico per fidem. Præcipimus autem ballivis & præpositis nostris ut prædictos fratres & jura omnia ad ipsos pertinentia manuteneant, & inhibuimus super forisfactura decem librarum Parisiensium nobis reddendarum, ne quis eos vel res eorum, vel servientes eorum in aliquo vexet indebite vel disturbet, & quod de aliquo non trahantur coram ballivis vel præpositis nostris in placitum, nisi coram nobis vel in curia nostra coram nostra justitia capitali. Communibus autem pascuis quæ sunt ab Isara usque ad villam quæ dicitur Melleia, ubique communitatem habeant libere cum aliis gentibus ad animalia sua. Ut autem hæc nostra concessio & donatio perpetuæ stabilitatis obtineant firmitatem, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato communiri fecimus. Actum anno Dominicæ Incarnationis M. CCXXVIII. regni vero nostri secundo, adstantibus in palatio nostro quorum supposita sunt nomina & signa. Dapifero nullo. Signum Roberti

buticularii. Signum Bartholomæi camerarii. Signum Matthæi Franciæ constabularii. Datum vacante cancellaria.

XXXVII.

Ex chartulario. *Litera Matthæi de Roya de fundatione Monchiaci.*

1238. MAtthæus de Roya miles, omnibus præsentes literas inspecturis salutem in Domino. Noveritis quod ego pro bono pacis, de consilio bonorum virorum, promitto sub pœna quadraginta librarum Parisiensium alteri parti a parte resiliente reddendarum, quod ego stabo firmiter ordinationi virorum discretorum, videlicet R. decani, H. cantoris Silvanectensis & prioris de Gomaco, vel saltem ordinationi duorum prædictorum trium, si aliqua de causa... contigerit non adesse, super restitutione damnorum quæ possent provenire ecclesiæ sancti Quintini Belvacensis, & etiam ecclesiæ parochiali de Monchiaco diœcesis Belvacensis, super fundatione cujusdam abbatiæ monialium Cisterciensis ordinis, quam ego Matthæus de Roya miles intendo fundare apud Monciacum super Harundam, cujus parochialis ecclesia spectat ad donationem ecclesiæ sancti Quintini Belvacensis, in qua etiam dicta ecclesia percipit portionem suam in magna decima & minuta & in oblationibus. In cujus rei testimonium præsentes literas sigilli mei munimine confirmavi, anno Domini M.CCXXXVIII. mense Julii.

XXXVIII.

Consensus abbatis & conventus sancti Quintini.

1238. G. Abbas Dei permissione, totusque conventus sancti Quintini Belvacensis diœcesis, omnibus præsentes literas inspecturis salutem in Domino. Noveritis quod nos pro bono pacis, de consilio bonorum, promittimus sub pœna quadraginta librarum Parisiensium alteri parti a parte resiliente reddendarum infra mensem, post monitionem partis ordinationem tenentis, quod nos stabimus firmiter, &c.... & in oblationibus. Volumus insuper & consentimus quantum in nobis est, quod in dicta abbatia monialium celebrentur divina, salva tamen reverentia & auctoritate Belvacensis ecclesiæ, in qua debet peti & obtineri licentia celebrandi divina in loco supradicto. In cujus rei testimonium præsentes literas sigillorum nostrorum munimine confirmamus. Anno Domini M.CCXXXVIII. mense Julii.

XXXIX.

Fundatio beatæ Mariæ de Monchiaco-Petroso.

1239. EGO Matthæus de Roya miles, dominus de Garmeniaco, in perpetuum notum facio universis præsentibus & futuris, quod cum conscientiæ meæ revolverem universa, attendens quot peccatorum funiculis anima mea esset undique circumplexa, ipsamque per eleemosynas, quæ peccatum extinguunt, & orationes, ac alia bona a peccatorum laqueis exlaqueare desiderans, pro animæ meæ, & Idoneæ uxoris meæ, & heredum, & antecessorum meorum remedio animarum, ecclesiam in ipso fundo meo in honore beatæ Virginis Mariæ, ex qua ortus est sol justitiæ Christus Dominus noster, & omnium Sanctorum, de assensu dictæ uxoris & heredum meorum & patroni loci, necnon & presbyteri parochialis, fundavi & contuli ordini Cisterciensi, ut ejusdem ordinis sit in eodem loco sanctimonialium conventus, ac abbatissa quæ aliis præsit, & in perpetuum ibidem Domino famulentur. Hanc autem sic de bonis meis dotavi: dedi ipsis imprimis locum in quo sita est ecclesia prædicta, & totum porprisium, nihil ibidem mihi vel successoribus meis retinens justitiæ vel dominii. Item, dedi & concessi ipsi ecclesiæ vineas quæ sunt inter ipsam ecclesiam & molendinum de duobus Turribus adjacentes; item totum pratum meum de *Longo-Buel*, quod est propinquum ecclesiæ supradictæ, libera & absoluta ab omnibus redditibus, & etiam decima. Item, concessi & dedi eidem ecclesiæ, ut libere & sine moltura vel exactione aliqua, pro toto conventu & ejus familia molatur perpetuo in molendino meo de Monchiaco. Item, dedi eidem ecclesiæ dimidiam quadrugatam terræ arabilis quam a domino Balduino de *Remy* milite & ejus fratribus acquisieram, salvam de terragio & decima; & si terræ illæ dimidiam quadrugatam non facient, de propriis terris meis quod deesset teneor adimplere. Item, dedi & concessi dictæ ecclesiæ decem bovaria terræ ad bovare Royense sita in territorio de Mareniaco, quorum sex bovaria sita sunt juxta calceiam inter *Diviscorti* & Mareniacum, versus molendinum, & duo bovaria inter molendinum venti & calceiam, juxta crucem Ivonis, & duo alia bovaria in duobus campis sitis a Leogeria inter Mareniacum & *Compiengæ*. Hæc autem decem bovaria dicta ecclesia & ejus habitantes tenebunt in pepetuum libere & absolute, absque territagio & absque ulla alia consuetudine, prout ea bonæ memoriæ nobilis mulier Ada Castellana Nigellæ tenere consuevit, sicut in instrumento super hoc confecto quod dicta habuit Castellana, plenius continetur. Prædicta autem omnia quæ piæ devotionis causa in puram & perpetuam eleemosynam, a me & uxore mea, prout superius sunt expressa, donata sunt & concessa, ego & heredes mei tenemur in perpetuum prædictæ ecclesiæ garantizare & deffendere contra omnes qui juri & legi stare noluerint & debebunt, nihil nobis in prædictis omnibus detinentes, nisi garantizationem & defensionem. Quod ut ratum & firmum futuris temporibus permaneat, & inviolabiliter a me & meis heredibus perpetuo observetur, præsens scriptum ego & præfata uxor mea sigillorum nostrorum munimine tradidimus roboratum. Anno M.CCXXXVIII. mense Januario.

XL.

Consensus episcopi Bellovacensis super fundatione monasterii de Monchiaco.

ROBERTUS miseratione divina Belvacensis ecclesiæ minister humilis, omnibus hæc visuris in Domino salutem. Notum facimus quod nos benigne volumus & concedimus quod monasterium monialium situm prope Monchiacum-Petrosum in Belvacensi diœcesi, a nobili viro Matthæo de Roya fundatum, ordinis Cisterciensis existat, & eisdem libertatibus & privilegiis gaudeat, quibus & aliæ abbatiæ ordinis Cisterciensis gaudere debent. In cujus rei testimonium & munimen præsentes literas auctoritate episcopali duximus roborandas. Actum anno Domini M.CCXLI. mense Junio. 1241.

XLI.

Moniales de Monchiaco-Petroso ordini Cisterciensi adunantur. Ex chartario Ursicampi.

OMNIBUS præsentes literas inspecturis, frater A. de Prato & frater P. de *Brostel* dicti abbates dati a capitulo generali inspectores loci monialium prope Monchiacum-Petrosum, salutem in Domino. Notum facimus quod cum nos inspecto loco dictarum monialium voluissemus ipsas moniales in ordine incorporare, & domnus abbas & conventus Ursicampi, secundum definitiones capituli generalis, propter vicinitatem cujusdam grangiæ eorum, quæ vocatur vulgariter *Archouval*, instanter se opponerent, tandem Dei intuitu & domini Matthæi de Roya & multorum aliorum bonorum virorum precum instantia, permiserunt & voluerunt quod prædictus locus cum monialibus ordini Cisterciensi sociaretur, 1241.

compositione hac mediante, videlicet quod dictæ moniales a Monchiaco citra versus grangiam præfatam non poterunt amplius de cetero ædificare, nec aliquid sibi acquirere ratione emtionis, nec ponere sive mittere animalia sua in pasturas dictorum abbatis & conventus. Ipsi autem abbas & conventus, nonobstante hac compositione, gaudebunt plenarie pasturis, quibus ad præsens gaudent & gaudere animalia consueverant. Hanc autem compositionem voluerunt & approbaverunt abbatissa & conventus dicti loci, & dominus Matthæus de Roya qui est fundator illius loci. In cujus rei testimonium & munimen ipsi cum nostris sigillis sigilla sua præsenti scripto apposuerunt. Actum anno gratiæ M. CCXLI. mense Octobri.

XLII.

Ex Lnvetio & Sammarthanis.

Pactum inter sanctum Ludovicum & episcopum Bellovacensem.

1248. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus quod cum diceremus nos habere tot gista quod volebamus super episcopum Belvacensem, seu nos debere procurari ab eodem episcopo quotiescumque apud Belvacum venientes, &c. Nos devotionem quam idem episcopus ad nos habebat attendentes, eidem & ecclesiæ Belvacensi in posterum pro periculis & expensis quæ vel quas episcopus qui pro tempore erit, incurrrere possit, præcavere volentes, volumus & concedimus ut qui pro tempore fuerit episcopus Belvacensis, nobis & successoribus nostris singulis annis pro dictis gistis in centum libris Parisiensibus, in Ascensione Domini Parisiis persolvendis tantummodo teneatur, sive veniamus apud Belvacum, sive non veniamus, & in uno gisto de centum libris Parisiensibus semel in anno si ad civitatem Belvacensem nos venire contigerit; ita quod dictum gistum summam centum librarum non excedat. Et quicquid juris habebamus vel habere poteramus in dictis gistis, eidem & ecclesiæ Belvacensi pro prædictis in perpetuum remittimus & quittavimus, salvis nobis aliis gistis quæ habebamus alias in diœcesi Belvacensi. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Hospitale juxta Corbolium, anno Incarnationis Dominicæ M. CCXLVIII. mense Junio, regni vero XXII. astantibus in palatio quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. Signum Stephani buticularii, Joannis camerarii, constabulario nullo, vacante cancellaria.

XLIII.

Donatio à S. Ludovico facta monasterio Regalis-montis.

1258. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod cum nuper ad abbatiam Regalis-montis Cisterciensis ordinis a nobis fundatam, vir religiosus dilectus noster in Christo abbas Cisterciensis, intellecto plenius statu monasterii, comperisset eleemosynam quotidianam pauperibus ad portam loci ipsius accedentibus, tribus duntaxat diebus in qualibet fieri septimana, quæ in aliis quampluribus abbatiis ejusdem ordinis diebus singulis erogatur; injungens abbati & conventui dicti loci ut per singulos dies eleemosynam facerent antedictam; iidem nobis postmodum ad locum ipsum intimarunt se mandatum hujusmodi recepisse; sed cum monachorum numerus, qui vix centenarius tempore reversionis nostræ de Transmarinis partibus habebatur, nunc usque ad centum & quatuordecim excrevisset, ad prædictam eleemosynam faciendam & sustentationem tantorum non videbantur sufficere posse bona sua; propter quod nobis humiliter supplicarunt ut super hoc benignum dignaremur adhibere consilium, quo & eleemosyna prædicta fieri & monachorum Deo servientium numerus ampliatus posset ibidem commode sustentari. Nos autem divini amoris intuitu & pro salute animæ nostræ, necnon & pro remedio animarum inclytæ recordationis Ludovici regis genitoris nostri, Blanchæ reginæ genitricis nostræ, & aliorum antecessorum nostrorum, prædicti loci abbati & conventui in puram & perpetuam eleemosynam ad subsidium & supplementum ipsius eleemosynæ supradictæ diebus singulis faciendæ, & sustentationis Deo servientium inibi monachorum, damus & concedimus totum illud quod habemus apud Luppiacum juxta sanctum Quintinum in Viromaudia, necnon apud Serviacum, *Estieillers*, Bellumvidere & *Gimel* cum pertinentiis earumdem villarum, nihil nobis aut nostris successoribus in prædictis omnibus retinentes penitus, nisi tantum exercitum, equitatum ac justitiam corporum, hominum & membrorum, salvo tamen jure... in omnibus alieno. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisiis anno Dominicæ Incarnationis M. CCLVIII. mense Julio, regni vero nostri anno XXXII. adstantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. Signum Joannis buticularii. Signum Alfonsi camerarii. Sign. Ægidii stabularii.

XLIV.

Fundatio Moncelli. Ex originali.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, 1336.
nos literas inclytæ recordationis carissimi patrui nostri regis Philippi Pulchri vidisse sanas & integras, non cancellatas, non corruptas, nec in aliqua parte sui vitiatas, sed omni suspicione carentes, formam quæ sequitur continentes.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Regis excelsi, per quem reges regnant & principes 1309.
dominantur, ante omnia reverendus honor claraque progenitorum nostrorum exempla nos provocant, ut quanto rex ipse, Rex regum omnipotens, ad altiorem regiminis populi sui gradum pia nos miseratione provexit, quanto majora de ipsius manu bona suscepimus & dona largiflua gratiarum, tanto ad ea quæ redduntur in oculis suæ majestatis accepta, & quæ divini nominis laudem & gloriam ejusdemque cultus augmentum respiciant, ac temporale stabiliant, & æternum præparent nobis regnum, vacare solertius & magnificentius agere debeamus, ut per gratæ recognitionis affectum nobis bona multiplicemus illius qui affluenter tribuit & non improperat, per religionis amorem, pietatis studia & opera caritatis misericordiam, propitiante Domino, consequamur, & inveniamus gratiam tempore opportuno. Hinc est quod ad sedulæ considerationis examen devoto animo revolventes eximiæ dilectionis affectum & intimæ affectionis zelum, quem nostrorum progenitorum inhærendo vestigiis gerimus ad ordinem Minorum ordinis sancti Francisci, in quo divini cultum nominis, religionis decorem & virtutum exempla commendabilia, inter religiones alias, prælucere conspicimus; & ad sorores sanctæ Claræ ejusdem ordinis, quæ spretis oblectationibus hujus mundi, pro Christi amore, cui virginitatis suæ pudicitiam devoverunt, carnem suam cum concupiscentiis crucifigunt claustrales carceres voluntarie appetentes, ut post vitæ hujus labores in thalamum sponsi sui & tabernacula recipiantur æterna; nos apud Moncellum prope Pontem S. Maxentiæ in loco domui nostræ regiæ contiguo monasterium, in quo

sorores prædicti ordinis pro nobis & successoribus nostris ac statu regni prædicti, necnon pro nostræ & carissimæ consortis nostræ quondam, & parentum nostrorum remedio animarum, bonorum omnium largitori preces & hostias offerent salutares, in honorem Dei omnipotentis, & beatissimæ Mariæ virginis beatorumque Petri & Pauli apostolorum, ac totius cœlestis curiæ, necnon ad celebrem & specialem sancti Francisci & beatæ Claræ memoriam fundare decrevimus, illudque monasterium de bonis nobis a Deo collatis in modum qui sequitur dotavimus & dotamus: videlicet, super quoscumque redditus nostros quos apud Pontem sanctæ Maxentiæ, tam super prædictis quam in aliis redditibus, & apud Moncellum, & in pertinentibus locorum ipsorum quomodolibet habemus, mille libræ Parisienses fortium annui & perpetui redditus, donec eas dictis sororibus alibi decreverimus assignandum: si vero redditus locorum & pertinentiarum prædictorum usque ad valorem annui redditus mille librarum Parisiensium prædictarum se non extenderint, vel perceptionem legitimam non sufficerent earumdem, volumus & expresse præcipimus quod dictæ sorores id quod de redditu prædicto deficeret, per manus ballivii nostri Silvanectensis qui pro tempore fuerit, super redditibus nostris dictæ balliviæ capiant annuatim. Concedimus etiam monasterio prædicto in perpetuum & donamus usagium ad ædificandum necessarium, tam pro corpore ipsius monasterii quam pro ejus membris habitis & habendis, in foresta videlicet nostra de Hallata & de Cuisia, capiendi, eisdemque sororibus in dicta forestia per custodes forestiarum ipsarum aut dictarum sororum mandato deliberandum, vel per ballivios locorum in quibus sunt dictæ forestiæ, si dictos custodes, quod absit, negligentes circa hoc reperiri contingeret vel remissos. Præterea dictis sororibus in perpetuum concedimus & donamus usagium, pasnagium & pasturam ac logiam pastorum pro centum sexaginta porcis, in forestia nostra de Cuisia, de Bieria, de Legio, de Lernibus, de *Bort*, de Britholio, tempore paissonæ ponendis, aut in altera dictarum forestiarum, de quibus sibi utilius viderint expedire; quod usagium, pasnagium ac pasturam & logiam accipiant in locis forestiarum ipsarum aliis usuariis deputatis vel in posterum deputandis; usagium quoque & pasturam pro centum animalibus tam bobus quam vaccis, & centum & sexaginta ovibus in forestia nostra de Hallata & de Cuisia, cum aliis usuariis forestiarum ipsarum, & extra taillinata nova & deffensa, ubi nocere possent hujusmodi animalia, concedimus & donamus. Item, damus & concedimus in perpetuum sororibus ante dictis quolibet anno ducentas quadrigatas bosci pro suo ardere, capiendas sine contradictione quacumque vel in Cuisia vel in Hallata, ubi commodius prope aquam fieri poterit bono modo. Item, eisdem sororibus concedimus & donamus centum libras Parisienses annui & perpetui redditus pro sustentatione quatuor fratrum ordinis Minorum, qui dictarum sororum confessiones audient & in dicto monasterio morabuntur, necnon & pro receptione fratrum hospitum ordinis prædicti, quos ab ipsis quatuor fratribus ibi moraturis cum ipsis aliquoties charitative recipi volumus & mandamus. Concedimus & donamus dicto monasterio alias centum libras Parisienses annui redditus per manum prædicti ballivii nostri Silvanectensis qui pro tempore fuerit, de redditibus nostris dictæ balliviæ anno quolibet capiendi, donec ipsas ducentas libras Parisienses annui redditus, tam pro dictorum fratrum sustentatione & hospitum receptione donatas alibi dictis sororibus duxerimus assignandas. Iterum, volumus & etiam ordinamus quod dictæ sorores, vel procuratores seu gentes ecclesiæ non possint trahi in causam ratione bonorum ad dictum monasterium spectantium coram quocumque judice seculari, nisi coram nobis

A vel coram successoribus nostris regibus Franciæ, & coram aliquo alio a nobis vel successoribus nostris regibus Franciæ specialiter deputato, qui dictas sorores, bona earum tam mobilia quam immobilia, gentes & homines earum manu tenere ac deffendere ab injuriis & violentia auctoritate regis valeat, ac etiam teneatur, & contra omnes eisdem facere justitiæ complementum; & hoc volumus in perpetuum observari, etiam si terras & dominia in quibus assignavimus vel assignabimus eis redditus, vel aliquas, seu aliqua eorum commutatione, donatione, vel venditione, transactione, seu quocumque titulo alio, sive modo ad aliud dominium contingeret devenire; nam cognitionem omnium causarum quacumque occasione ad dictum monasterium

B spectantium, nec non & gardiam sororum ipsarum, nobis ac successoribus nostris regibus Franciæ specialiter retinemus: nec volumus prædictas causarum cognitionem & gardiam ad sorores prædictas pertinentes a nobis vel successoribus nostris prædictis futuris temporibus aliquatenus abdicari. Concedimus etiam prædicto monasterio quod pro bonis dictarum sororum nobis vel successoribus nostris vel personis aliis quibuscumque, ipsæ sorores ad præstationes vel redimentias, vel quævis onera minime teneantur, nec præstare sustentationem aliquam teneantur pro exercitu cavalcatuque, tallia, malatolta, subsidio, quæcumque etiam pro necessitate vel necessaria deffensione regni nostri, etiam auctoritate sedis apostolicæ, seu cujuscumque legati ejusdem super hoc accedente.

C Volumus præterea quod omnia bona ad victum & vestitum prædictarum sororum pertinentia, nec non alia earum propria usibus deputata, sibique & familiæ suæ undecumque & per quamcumque partem regni nostri ad locum seu ad loca dicti monasterii devehantur, sint quitta & libera ab omni thelonio, passagio, barragio seu coustuma de veteri vel de novo editis, vel in posterum edendis, vectigali, tributo, etiam si auctoritate regali a nobis vel successoribus nostris regibus Franciæ locis aliquibus contingeret indulgeri. Ordinamus insuper quod nullus visitationem, seu procurationem aut rationem administrationis suæ in casibus aliquibus ab eis exigat, quacumque auctoritate præfulgeat, etiam si auctoritatem sedis apostolicæ prætenderet se habere, salva tamen regulari prædicti or-

D dinis disciplina sub cujus regula & institutionibus sunt professæ, cui in aliquo derogare non volumus, sed ei dictas sorores obedire secundum regulam & institutionem prædictas volumus & subesse. Prædictos autem redditus a nobis dictis sororibus, ut dictum est, assignatos, vel aliter eisdem in aliis redditibus assignandos, sibi concessimus pro numero sexaginta sororum in dicto monasterio, de nostra speciali licentia & secundum nostrum beneplacitum ponendarum, quem quidem numerum in dicto monasterio usque ad centum sorores perfici volumus & decrevimus futuris temporibus ampliari. Receptis vero in dicto monasterio dictis sexaginta sororibus præsentibus pro dicto numero usque ad centum sorores, ut præmittitur, ampliando, ac sororibus prædictis duximus concedendum quod ipsæ quandocumque potuerint, ubi

E maluerint & commodius potuerint, acquirere valeant pro monasterio prædicto, sub nostris dominiis & censivis, usque ad valorem duarum millium librarum Parisiensium annui & perpetui redditus, de qua summa duarum millium librarum Parisiensium annui redditus, mille libris annui redditus acquisitis dictæ abbatissa & sorores viginti alias sorores in augmentatione prædicti numeri statim recipere tenebuntur, de nostra tamen licentia, si vitam duxerimus in humanis, & mille libris annui redditus residuis postmodum acquisitis viginti alias sorores similiter recipiant, ut, secundum quod ordinavimus, in dicto monasterio centum sororum numerus impleatur. Volumus autem & tenore præsentium concedimus ex gratia speciali, quod sæpedictæ

sæpedictæ abbatissa & sorores, quas prosequi intendimus favore benevolo & gratia speciali, dicta duo mille libr. Parisiens. annui redditus, cum eas acquisierint, & omnes alios redditus quos eisdem duxerimus assignandos, nomine dicti monasterii in perpetuum teneant & possideant pacifice & quiete absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, aut pro eis financiam quamcumque nobis aut nostris successoribus in posterum faciendi, salvo tamen in aliis jure nostro, & in omnibus quolibet alieno. Quod ut firmum & stabile perpetuo perseveret, præsentes literas sigilli nostri fecimus appensione muniri. Actum Parisiis anno Domini M. CCCIX. mense Aprilis..... NOS autem ad laudem & gloriam majestatis divinæ divinique cultus augmentum, ut orationum, missarum & aliorum benefactorum, quæ de cetero continget in monasterio superius nominato fieri per religiosas residentes ibidem, nos, charissima consors nostra regina ac heredes nostri, mediante divina clementia, efficiamur participes & consortes, ad animandum ferventius corda religiosarum ipsarum ut orent pro nobis jugiter ad Dominum Deum nostrum, laudabilibus vestigiis prædecessorum nostrorum in quantum corde & animo possumus inhærentes, omnia & singula in dictis literis superius insertis contenta laudamus, ratificamus & approbamus, ac ex certa scientia & speciali gratia & . . . tenore præsentium auctoritate nostra regia confirmamus, salvo in aliis jure nostro & in omnibus quolibet alieno. Quod ut firmum & stabile permaneat in futurum, præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto mense Maii.

XLV.

Petrus dux Borbonensis gentilitia sua insignia ecclesiæ Frigidimontis concedit.

1348. *L'AN de grace M. CCCXLVIII. le jeudi prochain après feste saint Andrieu, en l'église de Froimont, en le chambre l'abbé, en le presence de nobles seigneurs messeigneurs Mahieu de Espineuse, Billebout de Trie, Jean de Repenti, Denys Larchier chevaliers, & Guiart de Lailly recheveur & procureur de le comté de Clermont, très noble & puissant prinche M. Pierre dux Bourbonnois, comte de Clermont & de la Marche, chambrier de France, otria, voult & donna de propre mouvement à ladite église, audit abbé Jehan de Chiny & à ses successeurs & abbés en dite église licence, pooir & auctorité de porter ses armes & escu avec les armes de la dite église, lesquelles estoint d'azur à trois chasteaux d'argant & croche d'or parmy; & voult & ordonna deslors le dit prinche au dit abbé que les armes du dit duc seroint & fussent assises au destre, & chelle de l'église au senestre, & le dite croche assise au milieu, tellement que le crocheron soit assis & plaquiés en & sur les armes du dit prinche & seigneur. Et assez tost après par l'ornanche doudit prinche, ledit abbé fit faire son contreseel party desdites armes, comme dit est dessus, afin de memoire perpetuelle, si comme il puest apparer par l'inspection & caractere dudit contreseel.*

XLVI.

Solennis ingressus Johannis de Dormans *episcopi Bellovacensis.*

1360. IN nomine Domini. Amen. Per hoc publicum instrumentum universis pateat evidenter quod anno a Nativitate Domini M. CCCLX. indictione XIII, mensis Julii die XVII. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri Innocentii divina providentia papæ VI anno octavo, reverendus in Christo pater ac dominus dominus Johannes Dei & apostolicæ sedis gratia Belvacensis episcopus, volens & intendens jocundum suum adventum, cum Dei

A auxilio, ad ecclesiam suam & civitatem Belvacensem ea die facere, indutus alba cum amictu simplici & almucia grisea, discalceatus ac nudus pedes, a retro majus altare sancti Luciani prope Belvacum, ordinis sancti Benedicti, facto prius signaculo sanctæ crucis, humiliter incipiens motum suum ad altare prædictum reverenter progressus est, librum suum tenens in manu sinistra ante pectus, processione ecclesiæ Belvacensis & dicti monasterii præcedente, in mei publici notarii & testium infra scriptorum præsentia, magna cleri & plebis multitudine comitante, incedens applicuit ad portam villæ nobilis Belvacensis, quæ porta de Hostellaria nuncupatur, ubi paulisper stetit dominus episcopus memoratus. In cujus adventu jucundo nobilis vir dictus *Broquart* major, & prudentes &
B honesti viri pares, seu scabini & multi concives, burgenses & communiarii dictæ villæ Belvacensis, in turba maxima existentes, ibidem obviam præbuerunt eidem domino episcopo salutationem & reverentiam exhibentes, & statim absque aliquo intervallo ipsi major & pares cum ceteris antedictis, claves portarum dictæ villæ Belvacensis quas tenebat dictus major, eidem domino episcopo in signum Domini obtulerunt, & eas sibi stanti flexis genibus manualiter tradiderunt, dicentes per organum dicti majoris hæc vel in effectu, vel consimilia verba lingua materna: *Mon très cher & très redouté seigneur, voici que nous vous baillons & rendons les clefs de votre bonne ville de Beauvais;* subjungentes pariter quod parati erant facere dicto domino episcopo juramentum . . . . .
C tenebantur, & in cartis super hoc habitis continetur, supplicantes eidem domino episcopo ut similiter eisdem vellet facere quod debebat. Qui quidem dictus dominus episcopus dictas claves, sic eidem traditas, assumens, eas in quodam bacino ligni appensi supra suum dextrum humerum eminus tenuit & levavit, postquam dicti major & pares & ceteri supradicti juraverunt, & unusquisque juravit per se manibus elevatis ad sacrosancta Dei evangelia eisdem exhibita, dicto domino episcopo claves sursum tenenti prædictas, quod unusquisque servaret corpus & membra dicti domini episcopi, & vitam suam & honorem, catalla & jura sua, salva fidelitate regis, & prout in eorum cartis seu privilegiis dicebant plenius contineri. Cujusmodi juramento sic præfato, præfatus dominus episcopus eisdem saisitus clavibus, librum
D prædictum tenens quem prius detulit in manu sinistra, & manum dextram ad pectus positam, dixit in aperto jam dictis majori & paribus per hunc modum: *Je vous promets à maintenir & garder en vos franchises & libertés.* Quibus sic juratis, idem dominus episcopus dictis majori & paribus tradidit & reddidit claves prædictas, dicens eis quod tradebat eis, ac tradidit gardiam & claves portarum, fortalitiorum & murorum dictæ villæ Belvacensis, sibi reddendas ab eis quoties placebit eidem domino episcopo eas requirere & habere. Quas claves & gardiam dicti major & pares, ut præmittitur, ab eodem episcopo receperunt. Dicto tamen majori dicente: *Verum ita recipimus eas, & faciemus eas libenter, prout in nostris chartis & privilegiis super hoc habitis continetur, & non aliter*, ut dicebat; &
E eodem dicto domino episcopo dictam villam in Dei nomine ingrediente, pro parte ipsius petitum fuit a me notario publico super præmissis sibi fieri publicum instrumentum, præsentibus ad hæc venerabilibus & nobilibus viris Johanne de Angeranco decano, Reginaldo de Crepicordio & Eustachio de *Wavegnies* militibus, magistro Girardo de Ambonnaio officiali & baillivo Belvacensis diœcesis, & pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis & specialiter rogatis.

Et ego Guillelmus de Riparia Bajocensis diœcesis, publicus auctoritate apostolica & imperiali notarius præfati reverendi patris domini electi Belvacensis episcopi, in suo jucundo adventu ad civitatem Belvacensem, piæ itineris acceptioni, progressioni, clavium

traditioni, juramenti præstationi, & aliis & singulis supralscriptis, una cum dictis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi, audivi, indeque præsens instrumentum publicum, aliis occupatus legitime, fideliter scribi feci, hic me subscribens præmissa publicando, ac signo meo solito signavi rogatus in testimonium præmissorum.

IN nomine Domini. Amen. Per hoc publicum instrumentum universis pateat evidenter quod anno a Nativitate ejusdem M. CCCLX. indictione XIII. mensis Julii die XVII. pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Innocentii divina providentia papæ VI anno octavo, reverendus in Christo pater ac D.D. JOHANNES Dei & apostolicæ sedis gratia Belvacensis episcopus, noviter ingressus suam villam Belvacensem, alba & amictu paratus, cum almucia super caput posita, per villam Belvacensem processionibus cleri & populi accedentibus usque ad portam castri Belvacensis sic vocatam, pervenit manu tenens sinistra librum suum ante pectus in medio vici, ponte & sede sibi, ut moris est in primo & jucundo adventu domini episcopi Belvacensis, paratis, in supereminens modicum pavimenti stetit resumens spiritus, & expectans donec venerabile Belvacense capitulum & collegium ad eum more in talibus assueto de ecclesia reversi fuissent. Redeuntes denique personæ, dignitates & officia in dicta ecclesia obtinentes, ac canonici qui præsentes tunc aderant, ac collegium dictæ ecclesiæ Belvacensis, induti singuli cappis sericis & indumentis ecclesiasticis aliis pretiosis, reverendo patri paulisper accedenti cappa serica honeste redimito, ut est solitum fieri, personaliter occurrerunt, & in introitu dictæ portæ prædictis personis ac canonicis decanum & capitulum Belvacense ibidem repræsentantibus, loco ecclesiæ Belvacensis, aperto textu evangelii quem ejusdem ecclesiæ cantor tenebat, præfatus dominus episcopus professionem seu juramentum præstitit sub hac substantia sive forma: *Ego Johannes Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Belvacensis, promitto me bona fide observaturum jura, privilegia, libertates, consuetudines honestas & approbatas ecclesiæ Belvacensis; sic me Deus adjuvet & hæc sacra verba.* Et hoc dicens & legens in quadam cedula scripta, maxime ad ista verba: *Sic me Deus adjuvet & hæc sacra verba*, manum dextram posuit supra textum, & manu propria in dicta cedula se subscripsit, primo faciens signum crucis, immediate scribens, JOHANNES LXVIII; Et his paratis, idem reverendus pater osculato prius per eum textu evangeliorum prædictorum, processionantes jam dicti ad ecclesiam Belvacensem cum jubilo & gaudio, acto itinere perrexerunt, quam idem reverendus pater remotis almucia & bireto demissoque capite, erectis indesinenter ad cœlum luminibus, reverenter intravit, se simul muniens signo crucis, & per chorum transiens, in loco sibi ante altare majus dictæ ecclesiæ venuste parato, genibus flexis, in oratione se prostravit. Quibus completis, & altari per eum osculato, præfatus cantor dictum dominum episcopum in choro ducens, ipsum in sede & cathedra episcopali ipsius ecclesiæ Belvacensis, juxta morem, primo loco seu stallo chori in dextra parte ab introitu inthronizavit, installavit, posuit & installavit, auxiliante Domino, pacifice & quiete. Postremo dictus reverendus pater præmissis omnibus, exultantibus clero & populo, consummatis, in revestiario dictæ ecclesiæ se ducens, facta ablutione decenti, dimissis jam dictis habitibus, & resumtis aliis indumentis pontificalibus redimitus, ad altare beati Petri reversus, missam solenniter altissimo celebravit, & hiis feliciter & gaudenter expletis, divina suffragante clementia, suum adivit & intravit palatium Belvacense. Super quibus omnibus & singulis petitum fuit ex parte dicti domini episcopi a me publico notario sibi fieri publicum instrumentum. Acta fuerunt hæc anno, indictione, mense, die, loco, pontificatu prædictis, præsentibus ad hæc nobilibus, venerabilibus ac discretis viris domino Johanne de Angeranco decano Carnotensi, dominis Reginaldo de Crepicordio & Eustachio de *Wavegnies* militibus, magistro Girardo de Ambonnaio officiali & baillivo Belvacensi, domino Matthæo *Picquart* presbytero Belvacensis diœcesis, & pluribus aliis ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Et ego Guillelmus de Riparia Bajocensis diœcesis auctoritate apostolica & imperiali notarius hujusmodi professioni seu juramenti præstationi & installationi, omnibusque singulis supradictis una cum dictis testibus præsens fui, eaque sic fieri vidi & audivi, indeque præsens instrumentum publicum, aliis occupatus legitime, fideliter scribi feci, hic me subscripsi præmissa publicando, & signo meo solito signavi rogatus in testimonium præmissorum.

XLVII.

De muneribus, fundationibus & consanguinitate Joannis de Dormano cardinalis Bellovacensis. *Ex schedis eruditi viri D. Herman.*

JOHANNES de Dormano miseratione divina titulo SS. Quatuor Coronatorum sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, dictus Belvacensis, venerabilis collegii de Dormano, alias de Belvaco, fundator fuit, quod quidem collegium fundare incepit anno Domini M. CCCLXX. indictione VIII. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri Urbani divina providentia papæ V anno octavo, regnante serenissimo principe domino Carolo Francorum rege regni ejus anno septimo. *Circiter 1373.*

Hic vir bonæ memoriæ sub rege Philippo* diuturno tempore cancellariatus regni Franciæ functus est officio.

* *Lege* sub regibus Johanne & Carolo V.

Ipse autem cupiens dum viveret in humanis, Deo propitio, aliquid operari, quod cedere valeret ad animæ suæ salutem, aliorumque respiciens commodum, honorem & profectum, ad laudem, gloriam & honorem beatæ semper virginis Mariæ genitricis Domini nostri Jesu Christi salvatoris nostri, ac beati Nicolai confessoris, totiusque curiæ cœlestis, fecit, creavit, ordinavit, fundavit & dotavit unum collegium perpetuum duodecim scholarium, cum uno magno submonitore & uno procuratore, quæ personæ faciunt quindecim numerum, qui caperent bursas suas in quodam hospitio suo, quod acquisierat de sua propria facultate Parisiis de clauso Brunelli, in loco videlicet qui tunc temporis dicebatur *ad Imagines*, sub modis, ordinationibus, regulis & statutis egregiis & laudabilibus; & hanc fundationem, ordinationem & dotationem ad majorem rei securitatem, per rectorem & universitatem magistrorum & scholarium studii Parisiensis approbare, ratificare & etiam confirmare fecit, nec non per auctoritatem & decretum venerabilis in Christo patris domini episcopi Parisiensis tanquam loci ordinarii roboratam esse voluit.

Insuper volens ipse in ejusmodi negotio, charitate suadente, libenter ad . . . . suæ bonæ famæ affectionis intuitum extendere, quadam tamen prærogativa familiaritatis inductus erga incolas villæ & patriæ circumvicinæ de *Dormano* Suessionensis diœcesis, in quibus ipse & primogenitores sui originem traxere, naturalem suæ benevolentiæ munificentiam pertulit demonstrare. Videns ipse hoc fieri non posse commodius, quam si locis & personis dictæ patriæ modo plus solito carentibus scientia in doctoribus valeat subveniri, ut artium saltem grammaticæ rudimenta novitiis ejusdem villæ & patriæ præbeantur, qui postea in facultatibus aliis ingenia potiora, divina favente gratia, valerent applicare, ac demum ad divini nominis gloriam per cognitionem literarum haustumque & doctrinam scientiarum aliarum, sibi & aliis

ac dictæ patriæ proficere valeant & prodesse, & sic A dum fideles incolæ prædicti paratam hujusmodi propitiationis gratiam inspexerint, gloriosum æstiment filios suos posse ad participium tantæ gratitudinis pervenire.

Præterea augmentari volens prædictum duodenum numerum bursariorum ibidem per ipsum fundatorum de quinque bursariis, & ut ipsi magistri, submonitores, procuratores & scholares bursarii præsentes, & postea eo liberius studiis valeant insudare, quo majori suffragio senserint se adjutos, voluit dictus fundator, ordinavit & concessit quod ipsi haberent unum famulum servitorem agilem, pacificum & idoneum ad serviendum pro communi & communitate prædictorum bursariorum tunc temporis fundationis præsentium & futurorum; & sic fuerunt decem & septem bursarii, quem numerum præfatum decem & septem B scholarium bursariorum prædictorum ibidem, ut dictum est, fundatorum, de septem aliis bursariis deinde augmentavit, sub regulis, modis & formis dicti collegii contentis & expressis; & sic fuerunt viginti quatuor scholares bursarii perpetui, quorum quilibet in hebdomada percipiet quatuor solidos Parisienses, prout in fundatione dicti collegii expresse continetur, & pro certa & expressa dotatione ac fundatione domus & scholarium prædictorum, multos redditus & proventus, hereditagia, censiva, nemora, domos, maneria, feoda ac dominia eisdem assignavit, quos quidem redditus ac proventus auctoritate ac plenitudine regiæ potestatis admortizare fecit, absque eo quod extra manus suas rectores dicti collegii teneantur seu cogantur, aut cogi seu compelli possint quo- C quomodo ponere, imo valeant perpetuo pacifice possidere.

Idem bonæ memoriæ cardinalis quandiu vixit præsentationem & dispositionem omnimodam bursarum sibi retinuit & reservavit, & post ejus, & fratris, & nepotis sui Milonis ejusdem fratris sui primogeniti obitus, prout sequitur, disposuit.

Item, volens ipse easdem collationem, dispositionem & ordinationem dictarum bursarum perpetua stabilitate firmare, & attendens quod in monasterio sancti Johannis in vineis Suessionensis semper fuerunt & esse consueverunt abbates bonæ famæ, regiminis & religionis commendandæ, considerans insuper quia sunt de patria prædicta, & quod compatrioti magis prosequantur sinceræ caritatis affectu, volens D etiam in hoc monasterium ipsum honorare; idcirco ipso, & fratre ac nepote suo prædictis, quando divinæ pietati placeret, de medio sublatis, præsentationem hujusmodi collegii & bursarum abbati dicti monasterii sancti Johannis in vineis & ejus successoribus, tanquam vero patrono, seu patronis omnium scholarium, & presbyterorum, ac capellanorum bursariorum in capella dicti collegii servientium, & futurorum, reliquit & donavit, sub tamen conditione tali, quod post dicti fundatoris & ejus fratris ac nepotis obitus, collatio ad Curiam Parlamenti pertinebit. Verum quia ipsa Curia est multum onerata negotiis, idcirco duos ordinare consuevit, qui soli habent dictas bursas conferre ad præsentationem abbatis.

Item, voluit & concessit dictus fundator, quod de E numero dictorum viginti quatuor bursariorum prædictorum unus religiosus seu regularis canonicus dictæ ecclesiæ sancti Johannis in sacris ordinibus constitutus, de patria ortus supradicta, seu de episcopatu Suessionensi, & non alius, si & cum eisdem abbati & conventui præsentibus & futuris temporibus placuerit, Parisiis pro studendo in collegio suo sub regulis & statutis ejusdem collegii moraturus admittatur, qui in qualibet hebdomada in dicto collegio quinque solidos Parisienses percipiet & habebit.

Ille vero cancellarius pro reipublicæ negotiorum expeditione habuit labores continuos possidere. Hic est cum fratre suo Guillelmo, de quibus vulgariter dictum est:

Par deux Dormans bien éveillez
Fut le royaume bien gouverné.

De testamento seu ultima voluntate hujus sæpe dicti collegii fundatoris.

Ipse attenta cogitatione meditans qualiter omni creaturæ tam sublimi prætereuntibus suo cursu diebus præsentis vitæ finis appropinquat, quodque constitutis in hac valle miseriæ nihil est stabile neque firmum; quin imo repentinos hujus mundanæ peregrinationis terminos & exitus varios, prophetica vaticinia, deinde veritas evangelica, demumque rerum mundanarum communis experientia testantur & prædicant, ac mundi labilis prosperitates vanas & caducas detestantes, summi judicis adventum nuntiant futurum qua hora non putamus: idcirco inter multa laudabilia memoriæ digna, inprimis animam suam dum de corporis ergastulo egressa esset, in manu salvatoris devote commendavit. Sepulturam suam in ecclesia fratrum Cartusiensium prioratus beatæ Mariæ Vallis-viridis juxta Parisios elegit, ad quem locum & ad ipsum ordinem devotionem habuit specialem; voluit corpus suum ibidem sepeliri ante majus altare ecclesiæ, sub tumulo de metallo cupreo ibidem constituto, quem tumulum aliquantulum elevatum de altitudine dimidii pedis usque in diem hodiernum in dicto Cartusiensium prioratu cernere licet.

Dedit & legavit priori & conventui ac prioratui prædictis mille & quingentos florenos auri pro redditibus annuis & perpetuis emendis, exponendis & specialiter convertendis in augmento & sustentatione vestium fratrum prædictorum præsentium & futurorum annuatim, ita quod in hoc & non in aliis usibus convertantur. Præterea dicto conventui ac prioratui pro fundatione duorum fratrum Cartusiensium perpetuorum, præter prædictam summam adhuc mille quingentos francos auri contulit & legavit. In ecclesiis sequentibus anniversaria fundavit, scilicet, in ecclesia Parisiensi, in qua fuit canonicus; in ecclesia Cathalaunensi, ubi fuit canonicus; in ecclesia Suessionensi, de cujus diœcesi fuit oriundus, ac in eadem canonicus; in ecclesia Senonensi, ubi fuit archidiaconus; in ecclesia Meldensi, in qua fuit canonicus; in ecclesia Lexoviensi, in qua fuit episcopus; in ecclesia Belvacensi, in qua fuit canonicus & episcopus. Item, dedit insuper & legavit domui Dei Parisiensi, ecclesiis quatuor ordinum mendicantium, necnon multis aliis ecclesiis & collegiis, prout apparet in testamento seu ultima voluntate ejusdem, de bonis sibi a Deo collatis in magna copia.

Item, in die suæ sepulturæ & in die octava ejusdem fuit facta eleemosyna generalis de bonis suis, & dati fuerunt cuilibet pauperi ad locum & horam venienti, quatuor denarii Parisienses. Et quia ante complementum capellæ dicti collegii dictus cardinalis decessit, videlicet, die septima Novembris anno M. CCCLXXIII. qui pro complemento constructionis dictæ capellæ tria millia florenorum Francorum auri ad opus ipsius capellæ, & non alibi convertenda, reliquit & donavit, & mille quingentos francos auri convertendos & exponendos in augmentum reddituum domus & scholarium in dicto collegio fundatorum. Item, dedit & legavit eisdem domui & collegio crucem suam auream, in qua modicum est de ligno sanctæ crucis, imaginem scilicet argenteam beatæ Mariæ virginis, imaginem sancti Ivonis, duos angelos deauratos, nec non imaginem beati Johannis evangelistæ, in honore cujus sancti constructa est capella in ambitu dictæ domus & collegii in qua quiescit caput beati Donati episcopi & martyris cum multis ossibus aliorum sanctorum, in vasculis deauratis egregie repositis & quotidie decoratis. Plurima autem ornamenta ad cultum Dei & officii divini servientia, nec non libros, calices & jocalia dictæ capellæ donavit & legavit.

De consanguinitate ipsius domini cardinalis.

Habuit fratrem nobilem & egregium virum dominum Guillermum de Dormano nuncupatum, qui post ipsum regni Franciæ cancellariatus functus est officio, qui post mortem in Cartusiensibus suam juxta fratrem elegit sepulturam. Iste Guillermus quinque filios & duas filias ex domina Johanna *Baube* domina de *Dormans* & de *Silly* ejus uxore genuit. Primus filiorum, qui Milo vocabatur, episcopus quondam Andegavensis, postea Bajocensis, & demum Belvacensis fuit. Per ipsum Milonem dictum collegium de Dormano notabilibus ædificiis & redditibus multipliciter augmentatum ac etiam decoratum; tres capellanos presbyteros in eodem die ac nocte horas canonicas psallentes & rem sacram facientes, instituit & creavit. Secundus dicti Guillermi filius fuit nomine patris vocatus Guillermus, antedicti Milonis germanus, quondam Meldensis episcopus, post Senonensis archiepiscopus, qui in dicta capella quartum addidit capellanum cum duobus clericis divino cultui deservientibus. Hii duo fuere regni Franciæ cancellarii. Tertius frater fuit magister Johannes de Dormano licentiatus in legibus, Parisiensis & Carnotensis canonicus. Quartus fuit dominus Bernardus de Dormano miles, illustrissimi principis regis Caroli quinti camerarius. Quintus autem magister Reginaldus de Dormano archidiaconus Cathalaunensis, Parisiensis, Carnotensis & Suessionensis canonicus, requæstarum hospitii regis Francorum magister. Quorum quinque fratrum ossa in capella dicti collegii de Dormano sepulta sunt cum ossibus eorumdem matris ac duarum sororum, quarum una fuit nobilis viri domini Philiberti de *Paillard* militis, regis Franciæ consiliarii, & * primi præsidentis Curiæ Parlamenti uxor; quæ corpora jacent sub tumulis & repræsentationibus dictum collegium honorantibus. Multi alii viri laudabiles & egregii ab illis descenderunt, qui de republica ac regni Franciæ regimine bene senserunt.

* Secundus Præses à Blanchardo dicitur.

XLVIII.

De fundatione sancti Geremari.

1478. JOANNES miseratione divina Belvacensis episcopus, universis præsentes literas visuris salutem. Nobis dilecti filii venerabiles & devoti religiosi, abbas & conventus & priores eis subditi devotissimi cœnobii sancti Geremari de Flaviaco nostræ diœcesis, dolentes exposuerunt, sanctæ religionis contemptores, imo verius despectores ipsis exprobrare, suum monasterium pridem in honorem Trinitatis sanctissimæ Deo dicatum per devotissimum Deo Geremarum patronum suum, adjuvante beatissimo Audoeno Rotomagensi archiepiscopo, numquam fundatum extitisse de redditibus ipsius Geremari, sed ex partialibus bonis aliunde venientibus, improperando ipsis, veritate non suffragante, quod aiunt, illum beatissimum Geremarum suum dotasse cœnobium multaque alia religiosa loca ipsis subdita ex suis patrimonialibus & paraphernalibus bonis. Quamobrem quid in sacris historiis, chartis, registris, librisque & scripturis veteranis nostris, aut ecclesiæ & sponsæ nostræ, de ipsorum fundatione inveniretur, vellemus testificari, postularunt. Notum facimus nos male latrantium cupientes ora claudere, & testimonium veritati exultantes perhibere, & certificamus veteranis libris, legendis, chartis & scripturis quibus fides suspicione vacua nullaque nota reprehensibilis, ea quæ sequuntur contineri. Videlicet, serenissimi regis Dagoberti temporibus, gloriosum Geremarum a sobole regia procreatum, maximæ extitisse sanctitatis, cujus consilio sacro ille Dagobertus rex cum amabili pace regnum gubernavit. Voluit autem ille gloriosus Geremarus tum non apud homines solum militare, imo mundana postposita militia cupivit cœlestis militiæ particeps fieri velut novus tyro sub veterano, & approbato cœlestis militiæ rectore, & cœlestis principis vicario, sancto Audoeno Rotomagensi archiepiscopo, atque præfati regis cancellario, adversus carnem, mundum & dæmonem bellare decrevit. Cujus Audoeni jam sanctitate magna fruentis, secutus consilium, de præfati regis Dagoberti consensu religionem intravit, in loco qui dicitur Flaviacus, ubi non multo post suis ad Dominum transmigratis liberis, de Clodovei regis prædicti Dagoberti filii consensu pariter & assensu, revelatione angelica prævia, ad sanctissimæ ac beatissimæ Trinitatis latriam & venerationem, cœnobium quod nunc beati Geremari dicitur, cum pluribus aliis religionis locis, propriis sumtibus construxit, necnon suis dominiis, villis, castris ac redditibus dotavit, cupiens & affectans ex terrenis ac caducis rebus sibi a Deo datis cœlestia & æterna mercari, & multum in locis ipsum Dominum Deum laudare & venerari. Stetit autem hoc monasterium a beato Geremaro ædificatum in esse & statu perfecto, ut variæ testantur scripturæ, ducentis annis & quinquaginta, vel eo circa: verum pacis iniquus perturbator & humani generis corrosor, qui a superis corruit ad inferos, ex servitio illo in monasterio celebrato perturbatus, nefandi Rolonis cor subintrans, monasterium Flaviacum funditus usque ad solum destrui procuravit, & religiosis non multo post defunctis & profugis, desertum & incolis vacuum aridumque fructu & inhabitabile centum & triginta mansit annis; nec a nobis inventus est qui in præfata extiterit devastatione succursor & consolator, qui chartas, papyros, registra vel libros illius monasterii conservare cupiverit. Nec mirum, quoniam apud prædones & fidei christianæ inimicos, moris erat usitati, & adhuc diebus extat in istis, ea quæ christianam sapiebant religionem, igne voraci consumere. Sed quia misereri voluit creator omnipotens populi, & beatissimum Geremarum confessorem suum in loco suæ sanctitatis iterum venerari, mentem prædecessoris nostri bonæ memoriæ Drogonis Belvacensis episcopi gratia Spiritus sancti inebrians, ad novam illius monasterii inspiravit constructionem, ordinans (ut ipsius erat ordinare) antelati Geremari præviam insequendo voluntatem, illud monasterium a sanctissima Trinitate denominari, addendo ad Dei laudem & ipsius fundatoris Geremari, monasterium sancti Geremari appellari. In cujus rei testimonium præsentibus literis sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo die Mercurii tertia mensis Martii.

Reliqua ecclesiæ Bellovacensis instrumenta videsis apud Antonium Loisel *&* *Petrum* Louvet.



INSTRUMENTA ECCLESIÆ AMBIANENSIS.

I.

Ex Sammarthanis. Circa 660.

Diploma Chlotarii III. regis pro Corbeia.

CHLOTARIUS rex Francorum, vir inluster. Ad mercedem nostram in Dei nomine credimus pertinere quidquid pro animæ salute locis sanctorum conferimus, ut ibidem perenniter proficiat, & gloriam, Deo auxiliante, habere mereamur. Igitur dum nos & præcelsa genitrix nostra domna Baldechildis regina, monasterium in honore sanctorum Petri & Pauli apostolorum, & sancti Stephani protomartyris, super fluvium Somna, in loco qui dicitur Corbeia, quem Guntlandus quondam possederat, & ad fiscum nostrum pervenerat, ubi præest venerabilis vir Theodefridus abba, pro æterni numinis intuitu ædificari præcepimus, ut monachi sub sancta regula ibidem debeant conversari; cognoscat strenuitas vestra quod nos ipsam villam Corbeiam ad ipsum monasterium cum adjacentiis suis in integrum, seu & alias villas nuncupantes, Folieto, Gentilla, Cipiliaco, Fortiacavilla, vel reliquas adjacentias earum ad integrum, Albiniaco cum adjacentiis vel appenditiis suis, quantum ibidem fiscus noster tenuit ad integrum, in pago Ambianense, seu & Monciaco, Walliaco, Bellirino cum adjacentiis earum, in pago Atravatense, immoque & villam quæ vocatur Templum Martis, sitam in pago Ambianense ad integrum, cum pagena de silva de foreste nostra Windegonia, hoc est per loca denominata, a fine Cartense usque in Dominico lacco per Siccasiderude, per cervorum marcasio, per Bagusta, per via publica usque Fraudehario exsarto; similiter & portionem in loco qui vocatur Taceaco, quem Frodinus de Ursino dato pretio comparavit, & ad fiscum nostrum ipse Frodinus in compensationem pro alia re dedit in ipso pago Ambianense, a die præsenti, sub integra immunitate, absque introitu judicum, visi fuimus concessisse. Proinde per hanc præceptionem specialius decernimus esse mansurum, ut tam ipsum locum Corbeiam quam & supraſcriptas villas, una cum terris, domibus, mancipiis, ædificiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, farinariis & cunctis appenditiis, vel quod ibidem videtur adspicere, pars ipsius monasterii, vel omnis congregatio de ipso monasterio valeat possidere vel dominari. Et nullus quilibet de judicibus, nec ad ipsum monasterium, nec ad homines suos, nec in curtes suas, quidquid a die præsenti ibidem contulimus, & quod a nobis, vel a succedentibus domnis regibus, vel a Deum timentibus hominibus inibi fuerit collatum, nec ad causas audiendum, nec freda exigendum, nec mansiones faciendum, nec paratas requirendum, nec ullas redhibitiones in villis superius nominatis quidquid tempore præsenti videtur possidere, aut adhuc, ut diximus, a nobis vel a succedentibus regibus, vel a Deum timentibus hominibus inibi additum vel delegatum fuerit, ipsa judiciaria potestas non præsumat ingredi; sed pars ipsius monasterii, vel omnis congregatio ibidem consistens, absque introitu judicum, ut diximus, sub integra immunitate possidere valeat vel dominari. Et ut hæc præceptio nostra perenni tempore firmiorem obtineat vigorem, nos & præcelsa genitrix nostra domna Baldechildis regina signaculis manus nostræ subter decrevimus affirmare.

II.

Ex Sammarthanis. Circa an. 681.

Confirmatio electionis Eremberti abbatis Corbeiensis.

THEODERICUS rex Francorum, episcopis & viris illustribus. De sacrosancto monasterio nuncupato Corbeia in pago Ambianense constructo, ad regalem nostram præsentiam monachi & viri Dei venientes, A serenitatis nostræ clementiæ auribus suggesserunt, ut dum & venerabilis vir Chrodegarius abba, secundum consuetudinem humanæ fragilitatis, de hac luce ad Dominum migrasse dignoscitur, quem apostolicus vir domnus & pater noster Theodefredus episcopus, dum & ille onus pontificale meruit accipere, per nostram voluntatem & præceptionem ad regendum ac dominandum monasterio supraſcripto constituit, cum relatione & consensu totius congregationis ipsius monasterii petierunt, ut liceret eis secundum eorum electionem & secundum sanctum privilegium, quod supra loco sancto ex regali munificentia & sacerdotum concessione indultum est, de semetipsis eligere rectorem. Et dum eorum petitio nostræ serenitati B congrua esse & rationabilis in omnibus videretur, venerabilem virum Erembertum, qui in ipso monasterio fuit nutritus, ipsi homines cum voluntate supraſcripti pontificis domini Theodefredi episcopi, elegerunt; nostra clementia ipsis monachis concessisse comperitur, sicut suggesserunt. Præcipientes ergo per hanc præceptionem serenitatis nostræ & auctoritatis regalis, concessimus & omnino jubemus ut supraſcriptus venerabilis vir Erembertus abbas & rector monasterii Corbeiensis in omnibus sit constitutus, & sicut bonus pastor ea quæ utilia sunt ad opus monasterii & ad regimina monachorum provideat, & regat, & erudiat, &c. Et ut taliter agat, ideo nostra clementia ei indulsit, ut habeat potestatem de tota congregatione ipsius monasterii, vel de eorum C hominibus in eorum terris commanentibus, vel de eorum rebus & possessionibus mobilibus & immobilibus, sicut sancta regula docet & sanctus ordo monachorum dignoscitur esse conservandus: ita ut de die præsenti, omnibus temporibus vitæ suæ, secundum Dei voluntatem & secundum sanctum ordinem, dominatum accipiat, & ipsa sancta congregatio sub illo constituta, preces assiduas ad aures reverentissimas majestatis Domini pro nobis & pro stabilitate regni nostri, jugiter fundat. Et ut hoc præceptum firmius habeatur quod pro Dei timore indulsimus, auctoritate præcelsa manus nostræ subscriptionibus subter decrevimus roborari.

III.

D *Præceptum Hugonis regis pro Corbeia.*

HUGO mediatoris Dei & hominum propitiante misericordia Francorum rex, &c. Vir venerabilis Mangaudus ex monasterio Corbeiæ adiit nos per Adalberonem archiepiscopum, petens quatenus omnia præcepta quæ antecessores nostri reges de loco Corbeiæ & de omnibus rebus ad eumdem locum pertinentibus fecerant, redintegrare faceremus, ac præcepto nostræ auctoritatis confirmaremus, cujus petitioni assensum præbentes, & religiosam esse petitionem considerantes, petita concessimus; & ut concessionis nostræ perpetuitas servetur, omnia præcepta prædicto monasterio facta nostræ auctoritatis præcepto corroboramus; id est, ut jam dictum cœnobium perpetualiter sub regia manu ac ditione, & E res ejusdem cœnobii, sive quæcumque a fidelibus oblata fuerint Deo & congregationi fratrum ibidem Christo militantium, in dispositione abbatis & fratrum maneant; vel quæcumque legitimo jure videntur esse possessa in fratrum substantiis, videlicet in pecuniis, in agris, in prædiis, in domibus, in cellis, in ecclesiis, seu in his omnibus quæ ad jus & dominationem fratrum pertinent, nullus episcoporum, comitum, neque judicum, neque ministrorum ipsorum aliquid sibi proprietatis vindicet aut exigat vindicanda, ne contra auctoritatem nostram facientes, nostraque 987.

decreta contemnentes, reos se nostræ majestatis & perpetuæ damnationis efficiant. Ut autem hoc nostræ auctoritatis præceptum firmum & stabile permaneat, ego filiusque noster Robertus rex subter firmavimus, sigilloque nostro corroborari jussimus. Actum Compendio palatio anno Incarn. Dom. DCCCC. LXXXVII. indictione prima, regnantibus gloriosissimis regibus Hugone ac Roberto filio ejus anno primo. Signum domini Hugonis gloriosissimi regis Francorum, qui hoc præceptum fieri jussit fidelibusque suis firmare præcepit. Sign. domini Roberti regis inclyti. Sign. Adalberonis Remensis archiepiscopi. Sign. Sevini Senonensis archiepiscopi. Sig. Daimberti Bituricensis archiepiscopi. Sig. Widonis Suessionensis episcopi. Sig. Gibuini Catalaunensis episcopi. Sig. Lisiardi Parisiensis episcopi. Sig. Godesmanni Ambianensis episcopi. Sig. Adalberonis Laudunensis episcopi. Sig. Herennei Belvacensis episcopi. Sig. Walteri comitis Ambianensis, ac filiorum ejus Walteri, Gozefridi, Rodulphi. Ego Renoldus cancellarius ad vicem domini Adalberonis archiepiscopi summique cancellarii recognovi ac subter firmavi.

IV.

Ex chartis S. Salvii.

Alulfus comes Hesdinii advocatus sancti Salvii Monsterolensis.

1000. QUONIAM sæpe rerum memoria gestarum & omnium recordatio præteritorum labentibus longi temporis spatiis a mentibus hominum decidit, idcirco ego Ramericus ecclesiæ beati Winvaloei de Monsterolo humilis minister providens, ne quis forte pravo consilio seductus, quod suum non esset sibi usurpare præsumeret, notitiæ futurorum cartam istam legentium & audientium declarare curavi, qualiter beati Winvaloei corpus a quodam episcopo nomine Clemente, & quodam abbate nomine Benedicto, & quibusdam aliis monachis, clericis & laïcis pro terrore Francorum terram minoris Britanniæ vastantium fugientibus, & in majorem Britanniam deferre volentibus, ut pote qui ejus famulatui prorsus dediti erant, apud Monsterolum allatum est. Quem Helgaldus, qui tunc comes erat, honorabiliter suscipiens, honorabilius detinuit; quia & villam Caveronis, quæ proprium ejus erat alodium, sine advocato, sine majore penitus liberam sancto donavit, unde servitores vivere possent, & ubi laïci qui sanctum secuti fuerant habitarent; quam prædecessores mei longa in pace tenuerunt, sed invalescente mundana nequitia, partim a dominis circummanentibus res nostras injuste invadentibus, partim ab habitatoribus justitiæ nostræ aliquando subdi se respuentibus, temporibus nostris pax illa turbata est. Hac igitur tam gravissima necessitate compulsus, consilio capituli & amicorum meorum quos prudentes & fidos mihi credebam, Alulfum comitem Hisdinii advocatum constitui, quo neque fortiorem, neque compotentiorem rectitudini nostræ tuendæ cognovi, ut ejus potentia dominos res nostras invadentes reprimeret, & habitatores qui rebelles essent ad justitiam nostram venire compelleret . . . . Et sciendum est quod comes debet esse advocatus & defensor: si vero aliquis ad justitiam abbatis venire renuerit, comes cogere debet; si autem abbas ab aliquo auxilium habere voluerit, auxilium comitis & justitia dari debet. Præcepi autem ego Alulfus comes Hisdinii hanc cartam ideo fieri, ut tam præsentibus quam futuris notum fiat quod hæc conventio perpetua stabilitate ac manus nostræ confirmatione roborata consistat. Actum est hoc in cœnobio sancti Winvaloei apud castrum Monsteriolum anno Dominicæ Incarnationis M. indictione XIII. regnante vero rege Roberto anno III. Signum Alulfi comitis qui hanc chartam fieri jussit & manu propria firmavit. Signum Ramerici abbatis. Sign. Herboldi præpositi. Sig. Adlonis monachi. Sig. Warini. Sig. Ebroini. Sig. Hildradi. Sig. Fulcardi. Sig. Saleconis. Sig. Arnulfi. Sig. Madelberti. Sign. Henrici. Sign. Lamberti. Sig. Otgeri. Sig. Raineri rufi. Sig. Walteri. Sig. Tedardi. Sig. Otberti. Sig. Hugonis. Sig. Bernardi. Sig. Walonis. Sig. Fulcardi. Sig. Aldonis. Sig. Rodulfi. Sig. Winoldi. Sig. Haifridi.

V.

Diploma Henrici regis pro sancto Salvio.

Ex chartario S. Salvii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus gratia Dei Francorum rex. Cum primitivæ virtutis scilicet charitatis fructus inter alias virtutes emineat, & pro sua dignitate superexcellat, 1042. toto nisu omnibus in commune est elaborandum & summopere decertandum, quatinus quod auctori nostro Jesu Christo, quem redemptorem habemus & judicem, magis placere comperimus, studiosius diligamus, & diligendo nostrorum bonorum erogatione strenue impleamus. Liberalitas namque quæ charitatis officio deservit, regiam dignitatem magis ornat & excolit, dum in ea majorem effectum ostendit. Unde notum sit omnibus sanctæ matris ecclesiæ fidelibus & nostris, tam præsentibus quam futuris, quod nos morem antecessorum nostrorum regum videlicet & imperatorum sequentes, liberalitatem nostram locis sanctorum & congregationibus fidelium impendere deliberavimus, quatinus eorum intercessionibus freti, præsentia bona cum facilitate, & æterna mereamur obtinere cum felicitate; unde loco sancti Wingaloei Monsteroli sito a pluribus collata præcepto nostræ auctoritatis firmamus, & sigilli nostri impressione signari præcepimus. Inprimis ea quæ a nostra liberalitate, vel patris mei Roberti, vel avi mei Hugonis, prædicto loco concessa sunt, scilicet molendinos duos cerviliæ usibus deservientes, a me alterum cum quinque accolis, & alterum ab avo meo prædicto Hugone cum decimo pontis denario & duabus ecclesiis in memoriam sancti Judoci sacratis, quarum una est infra munitionem, alia super fluvium sita est, cum piscatoria aquæ ab Atiniaco usque Brivermacum. Addimus præterea firmando ea quæ pater meus contulit, tres ecclesias; unam scilicet in honore sancti Petri, aliam in honore sancti Vingualoei, tertiam in commemoratione sancti Salvii sacratas, & transitum Novæ-villæ, pro quo solvuntur unoquoque anno quinquaginta carratæ ligni & duo modia vini, cum quinque solidis & decima levaturæ cervisiarum. Inculcamus præterea corroborando ea quæ a primis fundatoribus loci sunt collata, scilicet a Hilgodo comite, qui prædictum sanctum nuper a partibus Britanniæ propter metum piratarum deportatum, hospitio cum liberalitate & munificentia tempore Ludovici imperatoris filii Caroli calvi suscipiens, dedit illi inprimis atrium publicum, sepulturam scilicet advenarum & peregrinorum, deinde novem mansos subtus firmitatem cum prato eisdem mansis contiguo; addidit denique hiis villam Caveroniacum absque alicujus consuetudinis exactione & redibitione, cum ecclesiis duabus & molendinis totidem. Hiis addimus nostra auctoritate corroborando ea quæ contulerunt Herlewinus comes, Raynerus, Hato, Seybaldus, Venerannus, Clarboldus, Aldonicus comes, Anscherus, Saleco, Arnulfus comes, Balduinus comes, Gonfridus, Henzelinus, Alfridus, Hagano, Othgerus clericus, Balduinus marchiosus, Ingerannus comes, Rodulfus, Landricus largus, Hato, Framericus, Hugo, Walterus, Herleboldus; quorum primus Herlewinus comes dedit in villa Squira ecclesiam unam in honore sancti Vedasti, & villam quæ Longum-pratum dicitur, cum silva & arabili terra & pratis: dedit denique villam Silviniacum, & in villa Judei mansi mansum unum. Denique regali astipulatione similiter ratum esse statuimus quod Walo vicecomes, Deo devotus homo, delegavit prædicto sancti Wingualoei loco, videlicet tres mansos

in Brisciaco, & duos in villa quæ dicitur Squira, A & ecclesiam unam in villa quæ dicitur Farmerias, & ad molendinum ædificandum aream unam in aqua quæ appellatur Blenencia, cum tribus mansionariis accolis & terra arabili, & infra munitionem castri Monsteroli duos accolas; quibus adjungimus Rayneri munificentiam, scilicet mansionarias areas duas & dimidium in villa quæ dicitur Diletas; necnon & Hatonis mansionariam unam in Viconniso; ac similiter Seybaldi dono assensum præbemus & ratum esse jubemus, scilicet in Montenniso tres areas mansionarias, & in Cathriaco ecclesiam unam cum duobus mansis, & in villa quæ dicitur Campania, campum qui Aureus vocatur. Inculcamus insuper Weneranni dono tres scilicet areas mansionarias cum duobus viridariis infra munitionem castri Monsteroli sitis; B adjunctis insuper hiis quæ Clarboldus dedit, Belmeriacum scilicet omnino, cum duobus molendinis farinariis & ecclesiam. Aldonici denique donum vicecomitis stipulando firmamus, qui dedit medietatem alodi in villa Squira, & sancti Albini ecclesiam in eadem villa; & deinceps Ansceri dono identidem faventes assentimus, qui dedit in Villanicurte quatuordecim mansos, cum molendino, silva, pratis & terra arabili; quibus adjecimus Walberti curtem a Salecone concessam, & sicut Arnulfi comitis donum firmando approbamus, per quod ea quæ in *Frencq* villa habebat supra memorato loco contulit, ita dono filii ejus favemus, quo comitatum ejusdem villæ prædictæ sancti Wingualoei dedit ecclesiæ. Alfridus denique dedit mansos duos in villa Cormonte, cum C tribus areis mansionariis ab Henzelino in Montiniaco villa collatis. Haganonis dono denique non minus favemus, qui in Albiniaco tres mansos cum una ecclesia, & molendino, & silva, & arabili terra; & Othgerus clericus dedit carnium lanistarum locos tres, cum duobus mansionariis, necnon mansum unum a Balduino marchione datum in villa Caveroniaco situm. Rodulfus denique qui legis doctor vocabatur, dono favemus, qui dedit partem suam unius villæ Conceti nomine, tam de ecclesia quam de ceteris rebus ad eam respicientibus, & tertiam partem alterius ecclesiæ, villæ scilicet quæ Adriacus dicitur, cum tribus mansis, terra & silva, & arabili terra, & tertiam partem quindecim salinarum in villa quæ Rua vocatur, simul cum terra arabili, & tertiam partem similiter unius ecclesiæ in villa quæ dicitur D Ariona, cum tribus mansis & arabili terra, & in eadem villa Gonfridi dono assensum præbens, qui tantumdem dedit, silvam insuper addidit, quoque quæ in villa Vertonno dedit prædictus Rodulfus, mansum scilicet unum firmando corroboramus, cum tribus salinariis officinis, cum tertia parte ecclesiæ sancti Albini & ejusdem villæ. Ingerannus denique piissimus comes hoc quod contulit ratum sit, decem scilicet & octo mansos terræ in prædicta scilicet Squira, cum arabili terra & silva, adjunctis insuper hiis quæ Landricus largus dedit, scilicet quartam partem villæ & Hemontis, tam de ecclesia quam de ceteris rebus ad eam respicientibus, & quartam partem alterius villæ quæ Buyras dicitur, & quartam partem similiter de villa quæ nuncupatur Crassum mansum; quibus addi- E mus ea quæ nuper prædicto loco concessa sunt a Hatone, ecclesiam villæ Hainnessendæ cum tribus mansis in eadem villa, & a Framerico in Galamni manso, tertiam partem tam de villa quam de molendino, silva & arabili terra, & ecclesiam: Hermenfridus quoque filius ejus in sancta Maria villa dedit duos mansos cum silva & arabili terra. Item, duos mansos in villa Tiliæ, unum a Hugone & alterum a Waltero datum, & in villa quæ vocatur Ascia mansum unum. Ad ultimum autem dedit Rainerus miles tres mansos in Staplis & unum in Botino; dedit denique Herleboldus medietatem unius molendini in villa *Ledie*, & terra arabili quantum sufficit culturæ unius carrucæ; Rogerus itaque suam partem dedit in villa quæ Dominiensis dicitur, cum molendino, & terra arabili, & pratis, & ad Frasnias similiter suam partem dedit. Item, in villa quæ *Truil* vocatur, dederunt Hildiardis & filiæ ejus Hilesindis & Emmelina tres mansos, & similiter dederunt suam partem in villa quæ *Alchonay* dicitur, cum molendino & terra arabili. Hæc omnia quæ hactenus sunt prædicto loco concessa, vel in posterum conferenda, per hoc nostræ auctoritatis præceptum rata & legaliter adstipulata esse jubemus, & sigilli nostri impressione signare præcepimus. Actum Monsteroli publice anno Incarnati Verbi millesimo quadragesimo secundo, & regni Henrici regis undecimo. Ego Balduinus cancellarius regis relegendo subscripsi.

VI.

Querela Fulconis abbatis Corbeiensis de episcopo Ambianensi ad summum pontificem. *Ex chartis Corbeiensibus*

Circa 1061.

ALEXANDRO universali ministro catholicæ matris ecclesiæ, humillimus Fulco cum sibi commisso Corbeiensi cœnobio. Patrum venerande, paternitatem tuam supplex adeo, suggerens vobis quomodo locus noster Corbeiensis prædecessorum vestrorum sancta auctoritate adolevit, & eorum privilegiis libertatem & immunitatem acceperit. Accepit quidem; sed heu! nostris vestrisque temporibus irritam facit Guido Ambianensis episcopus. Unde justum est sanctitatem vestram scire a quibus primo locus noster cœpit, & usque præsens tempus liber ab omni Ambianensi episcopo mansit. Sancta igitur Balthildis regina rexque Lotharius locum nostrum a principio fundaverunt, & quia quasi quadam peculiari familiaritate iisdem fundatoribus locus iste commendabatur, pro immunitate expetenda Berthefridum Ambianis tunc pontificem devotissime expetierunt, de quorum prece idem Berthefridus coepiscopis suis scribit: *Adierunt me*, inquit, *domina Balthechildis regina rexque Lotharius, postulantes nostro privilegio locum ab eis fundatum immunem & liberum fieri ab omni in futuro Ambianensi episcopo; qua petitione molliti, quia nihil dissonum religioni, nihil inimicum sanctis canonibus habebat, quædam etiam sunt loca propriis privilegiis nitentia, ut Agaunensium locus, ut Lirinense, ut domni Marcelli basilica, ut Luxoviensis ecclesia, concedimus quod petunt, ut scilicet in omnibus quæ jure loco illi contigerint, nullam portionem episcopus Ambianensis habeat, nullam dominationem abbati inferat, vel fratribus, vel clericis, vel cellis, vel famulis, locum injussus ab abbate non adeat, chrisma tamen annuatim confectum & ordines prout abbas expetierit indulgeat.* Hæc concessio sancto Eligio, S. Pharone, S. Audoeno, S. Autberto, S. Genesio, Ethoaldo, Emmone, Adone, Audoino, Suphone, Burgundio, Draucone episcopis consentientibus, firmata ducentis annis mansit. Post Ludovicus filius Caroli magni synodum totius Galliæ Parisius convocavit, Rothbertus Paschasius ejus loci tunc abbas, cujus insigne est volumen de corpore & sanguine Domini, interfuit, privilegium Berthefridi præsentavit, regia dignitas cum toto conventu assensit, archipræsul Hincmarus suum quoque privilegium edidit. Tali ergo auctoritate diu usus est locus usque ad tempus Hodonis abbatis: hic Romam adiit, privilegia utraque detulit. Benedictus papa utraque privilegia suo privilegio firmavit, interdicens sub anathemate ne quam potestatem in abbate, fratribus vel quibuslibet personis loco subjectis, episcopus Ambianensis habeat, nec ad locum sine permissu abbatis veniat. Idem concessum est a Nicolao papa, post etiam a Christophoro, qui utique sua privilegia super hoc ediderunt. Talium ergo auctoritate per quingentos fere annos usus est locus usque ad tempus proximi prædecessoris hujus, qui dicebatur Fulco. Ille instinctu hujus qui nunc est episcopus successor suus, aliquid contraire privilegiis molitus est, sed cito

repulsus destitit. In illa enim turba domnus papa Leo A ad consecrationem ecclesiæ sancti Remigii affuit, synodus magna sedit; privilegia prædicta obtuli, domnus papa legit, consensit, in auditu totius synodi sub anathemate ne quis irrumperet interdixit; & quia etiam tunc diaconus eram, ut ordinarer Romam ire jussit; veni, ordinatus redii, privilegium suum hoc super negotio detuli. Ecce autem idem qui nunc episcopus, cum coarchidiacono suo Johanne, Romam venit, multis criminibus falso me denotans apud dominum papam, insuper de accepta benedictione apostolica. Absens eram; ideo uterque ille & ego jussi sumus adesse Vercellis, ut synodaliter res ageretur: statutus adfui; accusatores autem nulli. Papa literas domno archipræsuli ut nostris privilegiis astipularetur misit, & episcopo Ambianensi ne quid impie ageret B in nos indixit. Quoad vixit deinceps episcopus Fulco, integra libertas fuit loco. Fulconi successit præsens Wido, qui summopere nititur irritare quod ratum est tot apostolicorum sancta auctoritate; hinc labor multus, multi conventus; inter quæ omnia aliquando mihi mandavit ut de bono ecclesiæ darem, & ipse ita altaria cellarum, in quibus olim ministraverant monachi, quieta nobis faceret, gratiam suam redintegraret, privilegiis auditis ex toto consentiret. Dedi XL. libras valens, vidente comite Balduino, suisque tot principibus, prædictæ rei pactum firmatum, sed ecce minus servatur: pecuniam quidem accepit, altaria non dedit, nec paci consensit; clericos nostros Ambianis evocavit, sed ire differentes excommunicavit. Hanc illatam injuriam non æque ferentes, C testem conventionis nostræ comitem Balduinum adhibuimus: uterque ego scilicet & episcopus Custeracum venimus, multus etiam abbatum & clericorum conventus: privilegiis in tot auribus lectis episcopus refragari non valuit. Post hæc omnia nondum obdormierat ira animi ejus; & ecce synodum habens me jussit interesse, cujus rei potestatem in nullo sibi dant privilegia, nec ullus prædecessor noster executus est. Infirmabar, fratrem in negotio nostræ defensionis, laïcum etiam qui probaret interesse non posse, misi: excusationem neglexit, excommunicationem vero non amplius septem dies distulit. Recitata injusta ligatione ad archiepiscopi auditorium uterque nos invitamur: ipse statuto non affuit; ego tamen affui, & audita nostræ rei serie, archipræsul attendens injuste prolatam excommunicationis censuram, iterum monuit ut sol- D veret: monenti non adquievit, sed rursus excommunicamur. Ecce, pater præcipue, pastor egregie, tantus est cumulus calamitatis nostræ, ad te spes nostra, in te defensio nostra, patiente membro compati debet & caput; te Deus præfecit ecclesiæ, quam acceptam justum est deffensare; desolatus locus S. Petri, cui dignum est adstipulari, quia specialiter es defensor sancti Petri.

Episcopus abbatem ad synodum invitat.

FULCONI Corbeiæ abbati, W. divino præsagio sibi datus episcopus modeste sapere & superflua devitare. Quoniam ad ecclesiasticæ eruditionis utilitatem synodales conventus patres legimus instituisse, E decet & nos, qui eorum laboribus licet virtutibus impares successimus, in præsignatis vestigiis, prout mundana tempestas ignoscit, gressus infigere. Quapropter vestram columbinam sagacitatem nostris usibus profuturam, synodo quam III. nonas Julii celebraturi sumus, vos interesse invitatum decrevimus, Balduinum vero monachum vobiscum adducere, atque ibidem nostris visibus præsentari curate. Si autem illicitis excusationibus oppositis, prædicto concilio vos subtraxeritis, vinculis anathematis sine dilatione vinciamini. Vale.

VII.

Widoni Ambianensi episcopo nonnulla a Corbeiensibus dantur. 1064.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, quæ bonorum omnium est principium, Fulco abbas Corbeiæ, & fratres qui sunt mecum, fidelibus nostris & omnibus diligentibus justitiam, pacem & omne gaudium. Cum nostra intersit de rebus nostris sollicitudinem gerere, eas nos oportet vestro consilio & testimonio bonorum disponere. Et quidem nostri operis est rerum monasterii administratio & providentia: quæ autem in exterioribus causis geruntur, bonum credimus ad vestram & eorum omnium notitiam qui sequuntur æquitatem referre cum omni diligentia, ut nulla aliquando possit evacuari falsitate judicium veritatis, cum in eorum qui justitiæ nihil præferendum esse arbitrantur sonuerit audientia. Notum sit ergo vobis impræsentiarum positis & futuris post nos nostris vestrisque successoribus, universis quoque christianis de justitia sua a Domino retributionem sperantibus, domnum Widonem Ambianensium pontificem ad nos venisse & nostram amicitiam expetiisse, suam vero gratiam nobis prærogando, consilium suum, opem atque auxilium in omni re & in omni negotio, quantum valebit, omnibus modis nostrum quærendo commodum promisisse. Postulasse autem eum a nobis indulgeri sibi, & impetrasse tantum in vita sua possessionem quandam sancti Petri, quæ appellatur *Nauurz*, & membra ad eamdem potestatem pertinentia, id est *Castenith*, *Pincencurt*, & medietatem de Warennis, & ea quæ in terra arabili aut nemorosa ad eumdem vicum, nullo calumniante, appendere videtur, vel quæ contentionem movent & a quibuslibet præoccupata injuste detinentur; sub ea conditione, quod ipse, prout poterit, diligentius causam indagando, quæ a præfata potestate alienata sunt, eidem reformabit & restituet; de jure autem Corbeiensis monasterii potestatem ipsam, aut membra ejus non alienabit, neque ex ea S. Petro ad annum existet, neque de his functionibus, quæ de silva sive de vervecibus in nativitate S. Johannis Baptistæ colliguntur, in contradictionem nobis veniet, neque terras ejusdem possessionis nobis in vita sua occupabit, sed eas quantum possibile fuerit, ab omni impedimento emancipabit & immunes faciet, ut quando ipse evocante Deo vita decesserit, familia S. Petri, quod suum est, recognoscat; simul etiam quæcumque domnus episcopus ibidem instauraverit, ædificia scilicet, & carrucas, & labores earum, & terras quas potestati restituerit, vel quidquid ei in aliquo questu addiderit, hæc eadem domus sibi vindicet & libere possideat. Altare vero de basilica ejusdem villæ monasterio nostro restituet, ut cella fit sicut fuit antiquitus, & illud in vita sua censualiter tenebit, quemadmodum ea de quibus dictum est superius, & pro altari quidem in prædicta solennitate S. Johannis dabit solidos quatuor, & pro terris viginti in respectu earum redibitionum, quas vel ex silva, vel ex diversis consuetudinibus vicus exsolvit omni anno. Pro hospitibus autem, in Nativitate Domini, pulli quatuor & panes totidem dabuntur nobis pro monimento. Bis vero per annum in duabus synodis hanc quam ad nos habet de villa dicta sæpius conventionem renovabit, ibique, & in Cœna Domini, itemque in publico couventu, qui fit post Ascensionem Domini, coram clero & universo populo excommunicabit omnem hominem, qui post decessum ejus villam quæ dicitur *Nauurz*, aut per se, aut per qualemcumque personam invadere temptaverit, aut ullam omnino tortitudinem ex ea, vel ex membris ejus sancto Petro facere præsumpserit. Accepta ergo fide & securitate ab eo omni integritate hoc pactum conservatum iri, de nostris & de suis idoneos testes adhibuimus,

adhibuimus, & ante altare sancti Petri, in conspectu A multorum qui ad hoc convenerant, sub hujus cautionis cyrographo prænominatam potestatem confirmavimus. Actum Corbeiæ VI. calendas Septembris, indictione prima, epacta XI. concurrente IV. anno ab Incarnatione Domini M. LXIV. Francis imperante Philippo, sanctæ Romanæ & apostolicæ sedi præsidente papa Alexandro, & Remensis metropoleos ecclesiam regente Gervasio venerabili archiepiscopo. Signatores, Fulco abbas, Geroldus, Fulbertus, Waldo, Ursio, Eustachius, Rotbertus, Otbertus, Balduinus, item Balduinus &c. Testes, Waldericus castellanus, Drogo filius ejus, Lanbertus &c. Clerici, Vido, Amolricus, Robertus clericus, item Robertus, Adelelmus, Ingelbertus, Alulfus, Ogerus.

VIII.

Ex chartario Corbeiensi.

Guido episcopus Ambianensis dat Corbeiensibus altare Ciriciaci.

1066. GU. divinæ providentiæ clementia Ambianensis episcopus, omnibus in Christo regeneratis tam præsenti aura fruentibus quam successuris, in summo opifice perfectionem & salutis æternæ retributionem. Cum cœlestis gratiæ pietas ad hoc operis humilitatem nostram pontificali dignitate sublimaverit, ut ea quæ a sanctis patribus stabilita esse cognoscimus, non solum non infirmare, verum etiam auctoritate nobis collata sancire debeamus, summopere nos satagere oportet, ut vestigiis eorum bona imitando adhæreamus. Quapropter Corbeiensis cœnobii principalem ecclesiam principis apostolorum aliorumque miræ virtutis sanctorum patrociniis videntes præditam, & antecessorum præsidiis amplificatam, dilectionem vestram cognoscere volumus in quantum & nos ipsius ecclesiæ facultates pro modulo nostræ parvitatis augmentamus. F. igitur prælibati monasterii abbas paternitatem nostram mansueto affectu adiit, atque ardenti caritate exoratus fuit, quatenus altare vici qui dicitur Ciriciacus (exteriora enim loci ejus beneficia possidebat) præfatæ ecclesiæ conferremus, & ob indulgentiam nostræ transgressionis concederemus. Cujus postulationibus assensu Roberti archidiaconi acquiescere decrevimus, ita tamen ut illud altare duo clerici, scilicet Robertus Otlricusque personaliter susciperent, quorum alteruter bis per annos singulos ad concilia nostra accederet, & synodales consuetudines persolveret; quibus hominem exuentibus, alii eodem numero atque æquali conditione gratis subrogentur: verum pro honoris dignitate nobis vel nostris successoribus triginta solidi tribuantur. Sed quia canonum auctoritate didicimus episcopales sententias irritas haberi, nisi præsentia clericorum suorum contigerit eas roborari, ut rata atque insolubilis æternaliter hæc cartula permaneat, prius signum nostræ paternitatis inseruimus, & exinde datis canonicis nostris duobus modiis vini pro numero personarum, ut mos exigit, manibus eorum confirmandum tradidimus. Signum Guidonis pontificis. Sig. Roberti archidiaconi & thesaurarii. Sig. Balduini Pontiviensis archidiaconi & præpositi. Signa canonicorum: Guidonis decani, Salomonis sacerdotis, Nantaurli sacerdotis, Guicardi sacerdotis, Berengarii sacerdotis, Adelelmi sacerdotis, Werenfridi diaconi, Hugonis diaconi, Rotberti diaconi, Petri diaconi, Roriconis diaconi, Rotberti diaconi, Odonis diaconi, Bavonis diaconi, Widonis subdiaconi, Rotberti subdiaconi, Rammandi subdiaconi, Rothberti subdiaconi, Johannis subdiaconi, Rotgeri subdiaconi, Arnulphi subdiaconi, Roriconis acolythi, Andreæ acolythi, Rotberti acolythi, Clari acolythi, Geroldi acolythi. Signa laïcorum: Veremundi vicedomini, Drogonis Turrensis. Actum Ambianis infra ecclesiam beatæ Mariæ semper virginis ante altare sancti Petri apostolorum principis, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo sexto, indictione quarta. Gonfridus cancellarius legit & perlecto subscripsit.

IX.

Ex regestis cameræ computorum.

Fundatio ecclesiæ collegiatæ S. Martini Pinconiensis, vulgo Pecquigny.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. 1066.
W. licet delictorum pondere gravatus, gratia tamen superni respectus pontifex sanctæ sedis Ambianensis, filiis nostris karissimis in Christo, post decursum vitæ labentis civibus supernis associari. Quia testante sacro eloquio, *Deus caritas est*, & amor ejus non est otiosus, decet, dilectissimi, quatenus ad omnes bene operemur, maxime ad domesticos fidei. B Hoc autem attendentes, lampades ornemus nostræ mentis ad civitatem supernam tendentes, in qua sumus cives decreti; & quoniam ad regendam sanctam ecclesiam pro patribus oriuntur filii, consequens est quatenus nos præcipue qui in ea præsidemus, regis sponsam pro modulo nostro varietate virtutum adornemus. Tempore igitur quo divinus ordo ecclesiæ suæ regimen parvitati nostræ credidit, Joannes archilevita, Eustachius vicedominus, Hibertus & Pinconii pares humillime nos adierunt, flagitantes quatenus auctoritate nostri officii, clerici deputarentur in ecclesia beati Martini, quæ in castro Pinconii fundata est, qui secundum institutionem canonicam laudes persolverent debitas divinæ propitiationi: petitioni quorum, quia justa videbatur & rationabilis, C assensum dedi; ita quidem ut ecclesiam beati Martini & sancti Joannis Baptistæ libere possiderent absque tributo & omni censu, exceptis solidis duobus, qui singulis annis in synodo quæ est ante solennitatem transitus sancti Martini, pontifici & archidiacono ejus a canonicis persolverentur. Ne autem libertas eorum naufragaretur invidiæ procella & cupiditatis, communi assensu decrevimus quatenus in quacumque parte castri morarentur, libertate canonicis debita integre donarentur; & ne Ambianensis pontifex aut archidiaconus ejus de quocumque negotio concionarentur, nisi canonice & in synodo vel capitulo Ambianensi, Eustachius aut & Hibertus, aut successores eorum nullatenus adversus eos disceptarent, nisi in ecclesia sancti Martini, aut in aliqua domo canonicorum communi. Et quia milites castri D illius indomabiles sunt duræ cervicis, statuimus quatenus illos delinquentes auctoritate nostra feriant gladio oris, & pro excessu tantum dominorum castri illius cessent ab officio Dei. Ecclesias vero & redditus ecclesiæ illi traditas distinctis nominibus notare deliberavimus, ne pro taciturnitate nostra & ecclesia detrimentum incurreret, & judex districtus pro negligentia nos feriret; scilicet omnem decimam castri & vadimonium illud quod Joannes archidiaconus pro tribus marcis argenti ab Eustachio vicedomino habuit, & terram in quantum pleniter jugo boum sufficere possit, & duas sedes cambarum, & hospites quatuor, & molendinum unum, & totius villæ materiam, medietatem totius decimæ de Fordineto, & duos curtiles cum tota terra quæ ad eos pertinet, & E totam terram Tirincurtis & molendinos & tres quadrantes de Praia cum universa terra, & silva, & pratis, & aqua, quæ sunt ad eam pertinentia, & altare cum atrio, & omnem justitiam & vicecomitatum in quantum ad dominos castri pertinebat de villa *Astum*, & medietatem ecclesiæ sancti Petri de Gaudiaco, & medietatem altaris & atrii ecclesiæ sancti Firmini de villa *Croy*, quatuor hospites cum terra & silva quæ ad eos pertinent in eadem villa, & tertiam partem decimæ de villa *Hysoi*, & alodium de villa *Mosters*, quod Landricus dedit, & altare cum atrio ecclesiæ sancti Vedasti, & medietatem totius villæ decimæ pertinentis ad villam Carmosiæ, & quartam partem decimæ de *Floy*, & tertiam decimæ *Meloisviler*, quam

Joannes archidiaconus ecclesiæ dedit, & medietatem altaris de Gaudiaco, & altare totum cum atrio de Placeyo & quartam partem altaris sancti Martini de Conteyo, & altare totum cum atrio de Senendicurte, & de Rumineto, & de Longo-prato, & in villa Sexoldii loci curtilem unum & alodium cum silva de *Tarsin*, & totum altare & atrium de Talemardis, & terra ad Friardi curtem & ad Waluastum, & terram quæ est ad ulmos Unadondi curtis, & alodium de Silvanci monte, & quartam partem villæ Roberti curtis, & medietatem altaris Osci, & curtilem unum cum terra quæ ad eum pertinet in villa *Sordis*, & duos curtiles cum terra hujusmodi curtis. Charta vero hæc recitata fuit in synodo & Ambianensi capitulo anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo sexto, indictione quarta, H. rege, B. archipræsule, W. antistite, Joanne & Balduino archidiaconis, Hardrico decano, Roberto custode, Gaufrido cancellario, Widone cantore, cum ibi astarent & canonici ecclesiæ, & casati, & vicedominus E. & Hibertus, & de militibus eorum quamplurimi. Qua recitata, domnus præsul & sacerdotes communi assensu universorum qui aderant, dixerunt: Si quis, quod absit, aliquid horum dissolvere præsumpserit, exterminet eum Dominus, & anathemate perpetuo feriatur.

X.

Fundatio monasterii S. Martini ad Jumellos.

Ex chartis capituli Ambian.

1073. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Largitore omnium bonorum cooperante, clero & populo utriusque sexus acclamante, Guido præsul & procurator totius reipublicæ Ambianensis, universis filiis adoptionis præsentibus & futuris, Christi ducatu de potestate Ægyptiorum per baptismum agni cœlestis cruore illustratum feliciter egressis, pro manna pane vivo qui de cœlo descendit in hujus peregrinationis eremo refectis, pro aqua de petra saliente, evangelii liquore à petra justitiæ saliente interius debriatis, ut in terra viventium, quæ lacte & melle manat, videant bona Domini. Quoniam qui non mentitur Deus, sic præconatur æquitatis filiis: *Non portabit iniquitatem patris;* & quidam amicus sponsi fatetur: si bene pœnitet, nullus vos obfuscat nævus ex vobis, ne in die furoris Dei, & cum exarserit ejus ira in brevi, cum illis qui dixerunt Domino Deo, recede a nobis, juste tradamur igni inextinguibili. Qui loquitur per os sancti pueri sui David, *declina à malo & fac bonum,* faciat vos filios correctionis, ne ulterius pro lepræ nostræ contagio eliminemur à castris Dei. Revera enim abusus est, & non usus peccati. Adsit ergo summus pontifex, sol justitiæ, lumen de lumine, princeps de principe, lapis angularis, mediator Dei & hominis, initium & finis, brachium, virtus & Dei sapientia, quæ clamitat in plateis, loquatur & operetur in nobis; ut per me tanti capitis membrum & Dominici gregis pecora quæ meæ credidit parvitati, quædam ad meliorem statum ducat, in quibus antiquitatis nostræ oculus caligavit. Laudetur itaque, timeatur, ametur, est enim sui muneris, quod per nos domni Martini ecclesia præstantius reædificatur sui egregii confessoris, in ea parte nostræ urbis sita, in qua Dominus noster Jesus Christus in effigie pauperis apparens, ab eodem catechumino adhuc clamydis partem accepit, & in ea clericorum servientium officia solertia nostra deputavit; victui quorum ego providens, omnium novalium episcopalium Ambianensium segetum, lanæ & cujuslibet generis pecorum decimas dedi, exceptis his terris quas prius detinebant fratres almi martyris Firmini, ecclesiam beati Petri quæ est ultra pontem, post obitum Huberti archilevitæ Thardonensis, vel si forte ad culmen episcopale pervenerit, vel quocumque casu ab eo alienata fuerit. Cunctis autem a me indesinenter petentibus militonibus præfati martyris, quia justa petitio erat, assensum dedi; post decessum uniuscu-

A jusque canonici, quatinus fratris, cujus præbenda fuerat, horis competentibus assidue memoriam habeant in suis orationibus, psalmodiis, missis & vigiliis uno integro proximo anno, præbendæ totum redditum attribui; ita tamen ut si forte canonicorum aliquis cuilibet suo parenti vel familiari post ejus obitum præbendam suam emiserit, illo mortuo, illius successor cum ceteris fratribus, si forte simul comederint, reficiatur: sin autem quidquid in refectorio comedent, ei detur, & omnia alia præfati sancti, fratribus ac canonicis martyris antedicti dentur; & ne ab aliquo injuste valeant aggravari, in quacumque parte urbis habitent æqualem libertatem habeant cum hiis qui deserviunt matri ecclesiæ Ambianensi, neve ante aliquem vel in alio quolibet loco de quacumque

B re agant, nisi ante decanum & canonicos & in capitulo sancti Firmini; dederunt enim ecclesias sanctorum Lupi, Walarici, Desiderii, & terras arabiles, hospites, omniaque bona, quæ dicuntur de abbatia S. Martini, & quæ habebant in villa quæ dicitur Gebardi-vallis, Amelledii & Piscei; & quia eorum beneficiis ista construitur fraternitas, tota hæc dicatur, & sit in eorum ditione abbatia, & omnes præbendas vendant, venditarumque pretii duas partes in suos usus retorqueant, tertiam vero ad ecclesiam ædificandam, si forte necessarium erit, attribuant. Recitata vero hæc charta fuit, acquiescentibus cunctis, prius in capitulo sancti Firmini, deinde in synodis & conciliis; Philippo rege, domno Manasse archipræsule, anno M. LXXIII. indict. XI. ab Incarnatione Domini. Qua

C recitata, communi decreto a me & reliquis sacerdotibus dictum fuit: Si quis voluerit, quod absit, horum aliquid dissolvere, amoveat eum Dominus de libro vitæ, amen. Anno episcopatus sui VII. firmavit eam Manasses archiepiscopus. Signum Widonis archidiaconi. Sign. Warini archidiaconi. Sign. Manassetis præpositi. Sign. Lewini decani. Sign. Odonis cantoris. Bruno cancellarius scripsit & subscripsit.

X I.

Fundatio prioratus S. Petri apud Abbatis-villam.

Ex chartario

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ego Philippus Dei 1075. gratia Francorum rex. Notum fieri volumus, &c. quod Guido Pontivorum comes adiit præsentiam

D nostram, obsecrans ut quoddam donum quod fecerat fratribus, videlicet monachis Cluniacensis monasterii, in Pontivorio territorio Abbatis-villæ auctoritate nostræ majestatis concedendo firmaremus & firmando concederemus. Est autem donum istud (quod fecerat pro prædecessoribus suis & redemptione animæ suæ Deo, & sancto Petro & præfatis fratribus) ecclesia *de Barly*, & ibidem terra ad unam carrucam cum carruca ipsa structa apud quoddam castellum quod dicitur *Dourlens;* terra ad dimidiam carrucam & ipsam structam, & triginta messarios omnino quietos; apud Abbatis-villam unum molendinum & unum furnum & dimidium pratum, dimidiam piscaturam in duabus aquis, & anguillas de altera aqua & sex aquatias *Rue*, & oves ducentas & decem vaccas, & ad luminaria in moneta

E Abbatis-villæ singulis hebdomadis duodecim denarios, cujus petitioni annuimus; & ut præfati fratres, quod diximus, in præsens & in posterum quietum & firmum possideant, & præterea quidquid de suo fideles annue eisdem fratribus dederunt & daturi sunt, concedendo firmavimus & firmando concessimus. Addidimus etiam supradictis fratribus ut habeant de terra nostra in loco qui dicitur Vetus-castellaris, quantum eis sufficiat ad faciendum monasterium, in quo fratres, videlicet monachi supradictarum rerum procuratores ex obedientia inibi Deo militare volentes, Deo ac Domino Jesu Christo serviant, & ibi claustrum ac monachis officinas necessarias pro competenti faciant. Et ut hoc donum, &c. Datum apud Ambian. anno

Incarnati Verbi M. LXXV. anno regni nostri XVIII. Goisrido Paris. episcopo cancellario nostro.

XII.

Ex Sammarthanis. *Ecclesiam SS. Acei & Acheoli clericis regularibus confert Rorico episcopus.*

1085. RORICO patientia Dei pietate & gratia humilis præsul Ambianis, licet peccator, nec infula dignus tantæ dignitatis, fidelibus parvitatis meæ officio creditis, de valle lacrymarum feliciter exire, ac cum domesticis Dei in monte sancto ejus perenniter quiescere. Divinæ paginæ tuba excitati, erudimur imminere tempus jam nos de somno surgere, leonem rugientem qui circuit quærens quos devoret, viriliter conculcare, & omnia nostra cum caritate disponere. Festinemus ergo divinitus armati adversus aëreas potestates piis actibus insudando progredi & decertare, quatenus viri militiæ associati, in superna Sion laudum vota valeamus persolvere. In hac igitur requie, ut ad nuptias agni cum sinceritate mentis & eloquii nitore antequam janua claudatur, mereamur accumbere, ecclesiam quamdam quam beatus Firminus confessor, dum primitus hanc urbem à cultu dæmoniacæ servitutis erueret, & per salutis lavacrum idem ipse paranymphus cœlestis virginem castam, maculam non habentem aut rugam, uni viro Christo copularet, in honorem sanctæ & perpetuæ Virginis Mariæ fundavit; postea vero a SS. martyribus Aceo & Acheolo antiquitatis nostræ tempore sibi nomen aptavit, divinæ propitiationis manu cœlitus attracti, totiusque senatus nostri assensu, officii nostri auctoritate, ab omni reditu episcopi ministrorumque ejus liberam esse decernimus, & in ea clericos qui canonice & regulariter Deo serviant, deputamus, altaris bona, atrii & ecclesiæ totius reditus universos, & fidelium devotio quidquid illis contulerit, victui eorum integre & illibate adscribimus. Concedimus etiam pietatis oculo providentes, totam villam *Huy* & universa ad hanc villam pertinentia, assensu & petitione totius nostri capituli, ecclesiæ tantæ antiquitatis; ita quidem ut pro terra illa nobis & successoribus nostris per singulos annos solidos octo persolvant in celebritate martyris B. Firmini. Ad honorem vero patroni nostri & episcopi Firmini, cujus sacratissimum corpus per tot annorum curricula in ecclesia debita veneratione quievit, communi assensu, amoris dulcedine, G. fratris nostri & subdiaconi præbendam perpetualiter habendam concessimus fratribus ibi deputatis, aut vivente eo, si ita disposuerit, aut postquam gradietur viam universæ carnis; ita ut arbitrio eorum de præbenda procurent personam eligere, quæ * quoad vixerit usum fructum obtineat * præbendæ. Si autem de medio abierit, quicquid victui nostro convescentibus nobis in refectorio reservabatur, canonicis S. Acheoli absque retractione distribuatur, quicquid vero superfuerit, canonicis sancti Martini erogetur. Provideant autem arbitrio nostri capituli, quatenus vicarius eorum de hac præbenda in canonicis horis persolvendis nobiscum canonice assistat. Qui autem ecclesiæ illius prioratum habuerit, una integra hebdomada sicut ecclesiæ nostræ sacerdotes missarum solemnia concelebret. Et quia, ut præfati sumus, ecclesia hæc genitrici Dei dicata fuerat, & hujus cathedræ pontificum pulvis sacer diu in ea latuerat, canonicorum beatæ Mariæ & almi martyris Firmini, quorum prius fuerat, ditioni tantum committatur; ita ut annis singulis sanctorum Honorati, Fusciani & sociorum solemnitatibus intersint; & in celebritate martyris S. Firmini in die ad missam cum processione pro viribus ordinate veniant, fratribusque nostris canonicis cereos duos solidorum duorum ab omni alia exactione immunes persolvant, qui ad laudem tanti martyris, tam in domo Dei quam in refectorio, lumen præbeant, ad exequias funebres congregationis nostræ

* al. qui.
* al. obtinent.

A cum candelis veniant, donec funeratorum corpora tegat humus, nobiscum maneant, inde recedentes usque ad diem trigesimum fratris qui obierit, Deo animam commendent, vigilias missarumque solemnia pro redemptione ejus concelebrent. Nos quoque dulcedinis affectu obsequium hujusmodi, si quis eorum universæ carnis viam arripuerit, illis rependamus, quatenus pro invicem orantes in libro vitæ nos imprimat digitus Dei, palmam cujus in loco quem diximus, in consecratione sui corporis cernere gloriati sunt pontifices sacri, & a nobis tenebras depellat sancta Trinitas Deus, lux inaccessibilis, qui testem suum in ecclesia de qua agimus, innotescere dignatus est radio solis. Hoc opus Deo charum & ad æternitatem gradientibus jocundum & acceptabile si quis B contumax & invidus exterminare præsumpserit, hunc notamus & a corpore Dei oris gladio membrum corruptum & insanabile resecamus. Carta autem hæc in capitulo Ambianensi recitata est, voto & assensu senatorum omnium nostræ diœcesis an. M. LXXXV. indictione octava ab Incarnatione Domini. Hoc autem anno, justitiæ cultura legumque, quæ longo ante tempore marcuerat, refloruit: Dei enim zelus & ecclesiæ vigor, imo gladius in concilio Compendii de ore Dei procedens, Evrardum, baculum scilicet arundineum confractum, & lignum fumigans de soliditate & splendore regiminis Corbeiæ, sine spe recuperationis abstulit: pax super Hierusalem & in templo Dei. Ego quidem Ingelrannus comes Ambianis & Bothuensis advocatus, patri & matri mihique & suc- C cessoribus meis utiliter providens, de molendinis meis Bothuensibus singulis mensibus sextarios quatuor de tritico mensuræ illius ecclesiæ sanctæ Mariæ & sanctorum martyrum Acei & Acheoli in perpetuum trado. Ego vero Eustachius vicedominus Ambianensis, de redditu sextarii nostri in Ambianica civitate sextarios duos de frumento, uxore mea & filiis meis annuentibus, omni mense ecclesiæ prædictæ in perpetuum trado.

XIII.

Fundatio Parthenonis Bertaldi-curiæ. Ex chartario.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. 1095. Quoniam decretis sanctorum patrum & auctoritate canonum sancitum esse cognovimus, quod pastoralis ordo maxime ecclesias Dei debet tueri & ædificare, D & in sinum tranquillitatis ministros & servientes illarum remota omni inquietudine collocare, statui & disposui ego Gervinus gratia Dei Ambianensium episcopus, cum his qui talia agunt pro mea parvitate sortem habere. Est enim villa infra meum episcopatum nomine Bertolcurtis, juxta quam ecclesia in honore & nomine Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ antiquitus sita est, in loco qui Pratum vocatur; quæ ecclesia sub laïcali manu illicita pervasione jacuerat, & divino obsequio frustrata, per multum temporis quasi inanis & vacua manserat. Ad hanc duæ sanctimoniales flatu divinæ pietatis inspiratæ forte venerunt, altera quarum nominatur Godelindis & altera Heleguidis, quæ considerantes oportunitatem loci, servitium Deo exhibere inibi elegerunt. Denique laï- E calis potestas, quæ antea illam ecclesiam injuste possederat, timore Dei perculsa, quietam & solutam assensu & concessione heredum suorum ipsam dimisit. Tamdem vero eliminata omni pessima occasione, prædictæ sanctimoniales paternitatem nostram adierunt, & ut illis memoratam ecclesiam canonice concederem, supplici deprecatione postulaverunt. Nos autem intuentes petitionem illarum affectu religionis plenam, consilio & favore archidiaconorum nostrorum, decani quoque & totius congregationis nostræ ecclesiæ, votis illarum satisfecimus, atque ipsam ecclesiam omni ecclesiastica consuetudine liberam & quietam in perpetuum manere congregata nostra synodo canonice decrevimus, tali tamen conditione, quod mihi &

successoribus meis canonicam obedientiam & subjectionem exhibebunt. Si vero divina clementia & eleemosynis fidelium illa ecclesia in posterum adeo creverit vel abundaverit, quod secundum beati Benedicti regulam, abbatissam, sanctimoniales ibi degentes habere voluerint, ob consecrationem illius nostræ paternitatis gratiam petierint, ipsaque investituram abbatiæ a nobis accipiet, & debitam professionem nostræ ecclesiæ & mihi meisque successoribus regulariter exhibebit. Et ut hæc nostra traditio rata & inviolabilis semper permaneat, nostræ auctoritatis signum subscripsimus, & nomina prælatorum nostræ ecclesiæ qui in præsenti synodo affuerunt subtitulari præcepimus. Quicumque vero ex hac donatione vel de aliis beneficiis quæ devoti fideles supradictæ ecclesiæ tradiderint, aliquid temeraria invasione subtraxerit, vel violenter, aut aliqua fraude, aut aliquo dolo abstulerit, feriatur gladio æternæ damnationis atque anathemate nostræ omnisque pontificum auctoritatis. ✠ Signum Gervini episcopi. S. Fulconis archidiaconi. S. Anselli archidiaconi. S. Rogeri decani. S. Raineri thesaurarii. S. Rogeri cantoris. S. Andreæ sacerdotis. S. Herberti sacerdotis. S. Ernulfi sacerdotis. S. Claronis diaconi. S. Rogeri D. S. Tedselini. Ego Gunfridus cancellarius subscripsi ✠. Anno ab Incarnatione Domini M. XCV. indictione tertia. Confirmata est hæc traditio in plenaria synodo habita in ecclesia sanctæ Mariæ nonis Novembris.

X I V.

Ex chartis monasterii. *Comitatus datus ecclesiæ sancti Judoci supra mare.*

1100. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Guido comes Monsteroli & Pontivensium, præsentes & futuros volo non latere quod Hugo noster avus dedit ecclesiæ sancti Judoci de supra mare, caritatis intuitu & eleemosynæ, piscationem in Quantia & piscatorium, & ecclesiam sancti Firmini, capellam nostram de Monsterolo, & molendinum & furnum. Hoc autem donum à patre meo Ingeranno postea confirmatum, ego similiter in tempore meo, ut inter cetera caritatis opera locum habeam, in perpetuum confirmavi. Ego iterum ea quæ eidem ecclesiæ caritative contuli in meo nomine, oblivioni dona non deferens, omnibus qui præsentes inspexerint notum volo fieri, quod dedi ecclesiæ præfati confessoris septem aquatias apud *Waben*, & unam apud Stapulas, & comitatum a mari usque prope *Montanis*, & a media Quantia usque ultra sanctum Albinum, & arietes de ipso comitatu qui ad me pertinebant. Sed quoniam in rerum mutatione qui malum quærit a tramite veritatis solet discedere, ne quis, cum modo viventes diem clauserint extremum, donum istud fraude vel ingenio possit usurpare, præsentibus sigillum nostrum apposuimus; & præterea omnes illos qui malitiose præsentibus in futuro voluerint obviare, a Gervino episcopo Ambianensi excommunicationis sententia fecimus adstringi. Et notandum est quod horum testimonio hoc factum fuisse relinquitur, quorum nomina præsens pagina reservavit. Godardus de Transitu, Fulco de Ponte, Hugo de Mota, Walterus Misellus & multi alii hujus rei testes extiterunt. Actum est hoc anno Verbi Incarnati M. C. regnante Philippo Francorum rege.

X V.

Ex chartario. *Gervini Ambianensis episcopi donatio facta Majori monasterio.*

1100. IN Dei nomine. Ego Gervinus Dei gratia Ambianensis episcopus, a legatis sanctæ Romanæ ecclesiæ ad Pictaviense concilium cum cæteris Gallicanis præsulibus convocatus, transitum habui per abbatiam sancti Martini, quæ Majus-monasterium vocatur. Amplissimis vero caritatis visceribus a fratribus ejusdem loci susceptus, coactusque prisco eorum amore & circa omnes exuberanti dilectione, simulque Dei ejusdemque sancti reverentia & timore, pro remissione peccatorum meorum, pro salute animæ meæ, pro statu sanctæ Ambianensis ecclesiæ, tradidi eidem loco personatum ecclesiæ S. Mariæ de Villa super Alteiam sitæ, quæ Villeris dicitur, eo videlicet tenore, ut Nicolaus Ruensis ecclesiæ canonicus abbati & fratribus ejusdem loci a modo persolvat quicquid Ambianensi præsuli de prædicto personatu, quem tenere videbatur, hactenus persolvebat. Mortuo vero ipso clerico, abbas cum fratribus totam ex integro ecclesiam cum omnibus suis appenditiis recipiat, synodum tantummodo, ut ex tunc, Ambianensi ecclesiæ persolvat. Testes Anscherus abbas de sancto Richario, Robertus ejusdem loci monachus, Galterius ejusdem loci monachus, Simon clericus, Galterius clericus, Alelmus dapifer, Alelmus alius. Testes Arnulfus, Odo, Drogo, Eustachius, Landricus de *Terre*, Rainoldus *Passans* quocum Joffridus *Frigans*, Petrus *Barbas*, Galdinus, Martinus de *Terre*. Actum Majori-monasterio die Dominica octavarum sancti Martini, regnante rege Philippo, præsidente eidem loco abbate Hilgodo, anno ordinationis ejus primo.

X V I.

Fundatio sancti Petri Abbavillensis. *Ex chartulario.* 1100.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Guido ipsius providentia dispositionis comitis potentissimi, cujus absque nutu nec arborum unquam decidit folium, cunctis fidelibus euge & gaudere perpetuum. Me sicut unum de principibus cum sciam moriturum, & ab ipso quem nihil latet pro meritis judicandum, tam terribilem judicis discussionem satisfactione aliqua studui prævenire, ne ipse me præveniens, velut ficum sterilem penitus inveniret, inveniens judicaret, judicando damnaret, damnatum igni traderet. Notum itaque fiat omnibus sanctæ ecclesiæ filiis, tam posteris quam præsentibus, quod ego Guido divina ammonitus inspiratione, & Adæ meæ conjugis fideliumque meorum persuasus ammonitione, Gervini quoque Ambianensis episcopi clericorumque suorum consensu & voluntate, ecclesiam in castri loco juxta Abbatisvillam, quem Philippus rex suo dominio mancipabat, cujus consensu & donatione factum est totum, in honore Dei & sanctorum apostolorum Petri & Pauli construxi, & eamdem sancto Petro de Cluniaco in cellam jure perpetuo libere possidendam pro salute animæ meæ attribui; & ut fratres in monasterio eodem manentes, Deo diligentius necessaria humanæ vitæ habentes serviant, hæc quæ transcripta sunt de meis prædiis & redditibus & aliis possessionibus quas jure paterno possidebam, conjugis meæ Adæ hominumque meorum consilio eorum usibus contuli: inprimis vero hanc donationem concessi, ut si quis hominum meorum quod a me possidebat quidquam eis donare voluerit, licenter tribuat. Deinde furnum quem habebam Abbatis-villæ, sicut ipse tenui, eis libere contuli, & ligna ad calefaciendum eumdem furnum in *Gaden* silva, omni tempore, quantum duo asini inde afferre possunt, dedi: etiam per singulos annos quinquaginta duos solidos ad luminare ecclesiæ de redditu monetæ Abbatis-villæ, de redditu quoque vini duos modios in Natale Domini, & duos in Pascha in eadem villa, & de redditu calceamentorum sex paria in Natale Domini & sex in Pascha, & molendinum de *Baboth* totum in eadem villa; omnia vero prata mea quæ sunt juxta Abbatis-villam supra *Scardon*, ex utraque parte, & omnem piscariam de *Scardon* a molendinis de Pratis usque ad Summam fluvium, & molendinum de Nauviono totum situm super eumdem fluvium *Scardon*, & quidquid habebam in eadem villa Noviono, cum omnibus appenditiis suis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis,

illis concessi; duo vero millia & ducentas anguillas de piscaria in Somma apud Abbatis-villam quotannis similiter contuli, lignaque in Cantastro quantum duo asini inde afferre possunt, & de omnibus cervis coria quæ in eodem Cantastro capientur; lignaque in Bruillo meo quantum inde asinus apportare potest omni tempore, totumque boscum de Monte sancti Richarii ex integro dedi, de redditu etiam cambarum in vico sancti Richarii octodecim sextarios de Brayis, & octo solidos de Fregsingario apud villam quæ dicitur Valles, singulis annis tradidi. Apud Ruam vero sexaginta modios salis, & eum qui ibi custodierit sal sancti Petri liberum esse ab omni consuetudine quam michi debebat; sexque aquarias de *Plais* in Quadragesima singulis annis in eadem villa, totumque quod habebam apud *Villers* & apud *Verton*, totum quod habebam in monte Engelardi tribui; culturam quoque meam extra portam de *Dourlens*, ad villam construendam libere omni tempore in possessionem, & molendinum novum situm juxta eamdem villam de *Dourlens* super fluvium de *Liquet*, feodumque Godefridi balistarii, scilicet tertiam partem molendini ad Stancham, & unum curtile, dedi; quidquid etiam habebam in *Balli* cum omnibus appenditiis suis, terris cultis & incultis, silvis, pascuis, possidendum cum omni libertate in perpetuum, in die sepulturæ Adæ uxoris meæ pro anima ejus & parentum meorum, & alia cuncta contuli; & altare Tortico, tertiam vero partem decimæ de Aliaco quam dedit Robertus patruus meus, simul cum illo concessi, decimamque de molendinis suis in eadem villa, decimamque partem telonii quod capitur ad *Barannuy*, scilicet in sale, piscibus & vino, & de anguillis quæ capiuntur ad *Virrum* in eadem villa, per singulos annos ducentas dedi; dimidiam etiam partem anguillarum quæ apud Ruam in aqua Maiæ capiuntur, & dimidiam partem de piscariis quam habebam super fluvium Alteiæ, ad generale fratrum pro anima mea & animabus parentum meorum nocte & die supplicantium, dedi. Quæ autem subscripta sunt, homines mei meo consensu tradiderunt: Hugo senior *Chec* duas partes decimæ de sancto Albino, & quatuor hospites apud *Basli* & terram ad unam carrucam; in eadem villa Godardus pincerna altare de *Belmont* & altare de *Vron*, unumque hospitem in eadem villa, & altare de *Busencurt*; Isbertus de *Durlens* medietatem de Campaniolis, pro anima fratris sui Gumarii, cum omnibus appenditiis suis; Fulco archidiaconus, pro se & pro anima fratris sui, dedit quidquid habebat in Cromonte cum omnibus appenditiis suis, eo tenore ut ipse utatur eo quamdiu vivat & monachi unum hospitem ad præsens habeant & quinque solidos pro respectu quotannis . . . . . Wrumdus de Arenis pro anima filii sui Hugonis & sua, unam cambam in Abbatis-villa, & tres hospites apud Valcomam & terram ad ipsos pertinentem, & quinque solidos de censu apud sanctum Quintinum de quadam sua terra, & quatuor solidos apud *Vals*, de pastu quodam quæ debebat ei Bernardus per singulos annos de terra quam de ipso tenebat, & apud *Fliborcurt* unum vavassorem cum terra sua; Hugo de *Alois*, altare ejusdem villæ; Godefredus viscomes de Abbatis-villa, & uxor ejus Eustachia, decimam quam habebant in eadem villa de *Alq*; Bernardus Infans de *Durlens*, tertiam partem molendini ad Stancham; in eadem villa Rogo, Oylardus & Bernardus de Medardo duos molendinos de Alardo super aquam de *Oil*, videlicet apud Noletam unum & Franchelinos vocatur alterum, & apud *Burdusel* terram ad duos boves unumque vavassorem cum terra sua; Lozelinus de Bailo unum modium frumenti ad molendinum de *Arundel*, in die in ramis palmarum omni tempore, pro anima fratris Bernardi; Arnulfus camerarius meus, unam cambam apud Abbatis-villam quam tenebat Duranthus *Acolapance*, domumque in qua

A Wardus Corduadiarus manebat, & totum allodium suum apud *Marsville* desuper *Limeu*, cum omnibus appenditiis suis, totumque quod habebat in Bumaco, concedentibus senioribus suis de quibus illud tenebat, videlicet Delconis, Maso & uxore sua Eusemia, & infantibus suis Hugone & ceteris, & Gerardo de Arenis; Walterus Wisserius unum curtile in Abbatis-villa, quod est juxta pontem a dextris introeuntibus castellum; Bernardus *Bataille* unum curtile cum domo in eadem villa, & unum hospitem Adelelinum clericum in perpetuum possidendum; Acardus de *Cambron* sex hospites in eadem villa, ante limen Calbertum, Simonem Lauristum, Abricum Walterum *Palmes*, Rodlanum, Fossarum Walterum Evronis; Grimaldus connestablus duos hospites cum curtilibus

B super calseam a sinistris euntibus de Abbatis-villa Noviomium, unum quidem tenebat Walterus *Muraile*, alterum Ricardus sutor; Ricardus de Arenis, octo hospites in Abbatis-villa, Theobaldum videlicet filium Rixeadis, Rainerum filium Sicamberti, Joannem Rufum, Mariam Petri matrem, Samaldum navigatorem, mansuram Alardi monetarii, Adelelinum Bracham Manuldem, & omnia prata quæ habebat in *Baboth* super fluvium Scardonem juxta Abbavillam, & unum hospitem apud Ruam qui debet duos modios salis; vimarias de Rua, in eadem villa tres modios salis de redditu salinarum suarum; Radulphus badelus de Abbavilla quatuor hospites apud *Waben*, videlicet Alulfum, Radulfum, Gozonem, Deiron; Radulphus *Walemont* unum curtile in eadem villa,

C . . . . de *Camberon*, altare de Magivilla; Walterus de *Canchi* duo curtilia ad pontem Deremil, Bernardus de *Cotherel* unum curtilum *Cautherel*, & alterum apud Fransaras, & terram ad ipsum pertinentem; Walterus de *Haucaucourt* unum curtile in eadem villa quod Walterus tenuit; Rainaldus de *Aplancourt* duo decimam partem decimæ de annona de *Aplancourt* & de *Boais* villa; Guerardus camerarius meus, unum hospitem in Abbavilla, videlicet Burtardum Bulengarium, qui manet juxta portam a dextris ingredientibus vicum; Richardus de Arenis unam salinam apud Ruam quam tenet Gertrudis pro duobus modiis salis. Wido venator & uxor ejus Oda donaverunt mansuram suam cum omnibus appenditiis suis perpetuam possessionem. Et ut hoc donationum mearum

D hominumque meorum beneficium ratum & inconcussum permaneat, sigilli mei impressione hanc cartam confirmare curavi coram filiabus principibusque meis, quorum nomina & signa in præsenti sedula subscripta tenetur testimonium. Wido comes siquidem, Godardus pincerna, Simonis de Abbatis-villa, similiter Roberti Frecellus. Similiter Gofredus vicecomes dedit pratum unum extra portam Abbavillæ in burgo Vimaci, liberum ab omni consuetudine. Firmata est autem hæc carta anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo, indictione octava, epacta septima concurrente septimo cum bissexto, domno abbate Hugone Cluniacensi, regente ecclesiam domno Guarino apud Abbavillam priore, præsidente in sede Romana papa Paschali, in Remensi ecclesia archiepiscopo Manasse, in Ambianensi Gerwino episcopo,

E dominante in Francorum regno Philippo, in Pontivo Vidone, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui honor & gloria in sæcula sæculorum, amen. Hæc pie servantibus sit pax & gaudium & omnium bonorum Cluniacensium particeps, & non observantibus & tortitudinem aliquam facientibus, cum Dathan & Abiron & Juda traditore sempiternus interitus, nisi ad satisfactionem dignam & emendationem pervenerint. Amen.

XVII.

Wido comes Pontivorum satisfacit monachis sancti Richarii.

Circa 1100. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ego Wido permittente Deo comes Pontivorum, advocatus monasterii sancti Richarii gloriosi confessoris, cujus totum fuerat quod patres mei tenuerunt, dum multum temporis exegissem in gravi languore, & viderem me de proximo moriturum, cœpi nimium pavere & angustiari, torquente me conscientia propter horrorem gravium criminum meorum, pro quibus formidabam incurrere incendia tormentorum : ac idcirco rogavi ad me venire abbatem præfati S. Richarii, communis scilicet patris & patroni nostri, & toto animo exoravi tam abbatem quam monachos, ut ignoscerent malis meis, nec reputarent infelici animæ meæ tot & tanta mala quæ assidue intuleram rebus & villis atque colonis ecclesiæ beati Richarii. Quibus prudenter respondentibus posse me veniam assequi, si eisdem malis finem darem; bona spe confortatus, remisi & indulsi ac omnino perdonavi quicquid prave vel injuste in rebus illorum villisque & colonis hactenus præsumpseram : & quod remisi ab amicis fidelibusque meis remissum esse sub fidei confirmatione testificari mandavi, ita videlicet ut sive in oppido Centula, sive in villis, sive in terris, quidquid male & tortuose acceperam, a modo in perpetuum sit indultum, & gladio anathematis pereat quicumque meorum heredum voluerit a nobis indulta repetere, & mala a me commissa ad renovationem nequitiæ tentaverit renovare. Hujus indulgentiæ beato Richario impensæ, immo magis ab eo per orationes fratrum, meis reatibus condonatæ, testes invoco cœlum & terram, proceres quoque Pontivorum, Simonem, Hugonem senioratum, Godardum Arenienſem, Godardum de *Transan*... abbatem Anscherum, priorem Warinum, a quibus & coram me facta est excommunicatio, quos, &c.

XVIII.

Excharteria. *Fundatio sancti Fusciani de Nemore.*

1105. FRater Godefridus Dei gratia Ambianensium episcopus, omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, ita per fidem ambulare in hujus convalle plorationis, ut ad contemplandam Dei speciem conscendere mereamur in montem veræ & sempiternæ exultationis sanctarum scripturarum auctoritate. Si dicimus, fratres mei, quia ab antiquis temporibus nonnulli sancti peregrinationis suæ exilium cognoscentes, & ad supernæ civitatis felicia fundamenta totis præcordiis anhelantes, facta suorum & sui propria abreptione, fluxum transitoriæ jucunditatis pede rationis calcaverunt, & pauperes pauperem Christum imitati, ut cum divite Christo divites efficerentur, ejus servituti, quæ sola liberos facit, seipsos devotissime mancipaverunt, ab his salutari exemplo ad nostra usque tempora per Dei gratiam translato, videmus quosdam monachica contemplatione mundo mori, alios regulari ordine conversari, nonnullos vero heremitica solitudine in Dei opere exerceri. Sed quia non omnes capiunt verbum hoc, qui tantæ perfectioni non potest inhærere, non ob hoc præcipitur de Dei misericordia desperare, sed sancte indigentes solatiando & eorum spiritualibus per sua carnalia communicando, ad felicia fundamenta de quibus loquimur, fixæ spei certitudine suspirare. Cum enim ipsa veritas de multimodo animarum ædificamine loqueretur, ut humanos animos ad opus misericordiæ excitaret & operis fructum proponeret, inter alia brevibus verbis magnam sententiam protulit, dicens: *Date & dabitur vobis.* Hujus itaque divinæ exhortationis & promissionis vocem aure cordis percipiens Ingelrannus comes, cum monasterium martyris Christi

A B. Fusciani primum cœpisset ædificare, totum montis ipsius territorium venerabili viro Odolrico primo loci illius abbati & ædificatori, monachisque magisterium ejus secuturis devote concessit, quatenus ibi domo Dei constructa, locus antea incultus fieret habitatio hominum, liber & absolutus ab omni seculari potestate, consuetudine sive exactione. Hoc etiam laudavit & evidenter concessit Ingelrannus de Mondisderio, ad cujus dominium sub Ingelranno comite pars territorii illius jure hæreditario pertinebat. Hujus beneficio addidit Ingelrannus comes servos & ancillas in locis suis, & quatuor hospites cum dimidio curtillo Amelliaci, dimidiamque villam de Sanctis & amplius, æquali libertate & absolute donatam in servis & ancillis, in nemoribus, & ruricolis, & usibus, qui exiguntur & redduntur ab ipsis. B Concessit etiam ut si quis de sibi subjectis ob remedium animæ suæ domui Domini construendæ & adaugendæ aliquod beneficium de sua facultate vel possessione vellet impertiri, id libere posset & sine retractatione faceret, præsertim cum idem Ingelrannus in his quæ ad monasterium pertinerent, vel sibi vel hæredi suo jus nullum vel exactionem esset retenturus, solummodo ad honorem Dei, sibi & hæredi suo patrocinium reservans monasterii. Hac itaque audita libertate, Herleboldus de Trucivilla in rure suo unum hospitem dedit, & ad locum qui dicitur *Pulemont*, terram arabilem dimidiæ carrucæ sufficientem; Petrus de *Glissy* Gualcedi filius, in villa sua hospitem unum, & ad piscariam suam centum anguillas per singulos annos monasterio obtulit, totumque *Fraisnet* C quod adjacet Piceio castro, dimidiumque vicariæ ruris illius monachi pretio redemerunt a Drogone de *Gissencourt* & Gudardo Piceiensi. Gilo de *Golencourt* cum habitum monachi suscepisset, concessit favente filio suo Sevino, mediam campi partem totius ruris sui, exceptis novalibus proprie ad dominum villæ pertinentibus, & a circuitu pontis Pratense solum ex utraque parte quod fossatum dividit, cui nomen *Rivery*, ubi etiam facta est inhabitatio ruricolarum proprie ad prædictam ecclesiam pertinentium. Hugo de villa Domni-Martini, pro anima fratris sui Guillelmi cum eum sepelissent monachi, dedit hospitem unum & terram de Alodiis. Hato Botuensis canonicus, in extremis monachus factus, dedit Botuæ duos hospites & alodium quod habebat *Costenoy*, tresque hospites cum terra, prato & nemore. D Terram adjacentem loco qui dicitur *Cambagnaldios*, quatuor viri æquali portione ut tenebant alodium; & tamen inde parvum censum, duos scilicet solidos Anichario *Dernuretel* persolvebant, ipsam totam sicut alodialem possidebant, monachis obtulerunt, scilicet Harricus de *Saloy* concedente Hugone filio suo, Geroldus de *Bossincourt* concedentibus fratribus suis Fulberto, Hugone, Fulcone, Radulfus de Salcosis concedente Radulpho Richardo nepote ejus, Guido de Fontanis concedente Hugone clerico fratre ejus; hanc gratuitam eleemosynam Anscharius ut cognovit, prædictum censum ecclesiæ ei dimisit. Hibertus de Jumellis in articulo mortis positus, cum se a monachis sepeliri poposcisset, dimidiam villam de Morelli villa cedit, concedente Petro & Anschario fratre ejus filiis *Haten*, E ad quos terræ illius hereditas proxime pertinebat. Herveus Hermenrici filius dedit duos hospites a *Deſclemviller*, & feodum trium militum Urselli, Goeselini, Gieselini. Adam frater Adelmi monachus factus, quod Ambianis habebat, dedit; duos scilicet semifurnos & octo sextarios tritici per singulos menses ad molendinum comitis; molendinum de *Til* tenet eadem ecclesia ab Hugone de *Saloy* & Ingelranno archidiacono & Hugone de *Caniet*; censum eis inde scilicet persolvens, Hugoni de *Saloy* tres modios tritici, & in Natali Domini duos rasiales tritici, cum duodecim nummis & duobus domesticis alitibus; Ingelranno archidiacono duos modios tritici, & in Natali Domini duos rasiales tritici, cum sex nummis & duobus

domesticis altibus; Hugoni de *Caniet*, tantumdem, & eodem tempore. Albertus presbyter de Botua, dedit vineam & tres agros; Hermenricus autem miles, decimam vineæ & agrorum; Amundus de Mondisderio ultra pontem Botuæ dedit tres hospites; Castelli dominus tres in eodem, & locum sancti Marcelli cum terra adjacente; Gualbertus de Sessolicio, duos hospites & mansum ecclesiæ contiguum; Hibertus de Dommedardo, hospitem unum in loco qui dicitur Gurgetum; Petrus de *Glissy* duos curticulos dedit, & tres Richardus de Jumellis; Geroldus de *Gutincourt*, in villa sua hospitem unum; Hersendis de Ameliaco & Drogo filius ejus, hospitem, & de valle Hairardi mediam campi partem & terram ad lucrandum; Tainfridus de *Espany* concessit in rure *Caisnetel* tertiam partem de tribus hospitibus & de tribus metis arabilis terræ; Guerus de Piceio pater Stephani, apud Curcellas feodum unius militis. Matrona quædam filia Dimonis de *Cuncty*, dedit alodium quod habebat *Espany*, cui conjuncta est alodialis terra quam possidet Avelina uxor Hilonis de *Hisnu*, & post mortem suam monachis possidendam, viro annuente, concessit. Convenit etiam inter monachos prædictæ ecclesiæ & quemdam Gualdricum de Sanctis post diuturnam litem de quadam terra, ut in ipsa terra tres partes de Campiparte monachi obtineant, Gualdricus quartam, terra ipsa inter eos ad arandum, seminandum & metendum communiter data & concessa. Pastore vero ejusdem monasterii decedente, fratres abbatem sibi eligunt, & ei secundum Deum pastoralem baculum conferunt, qui consecrandus episcopo hujus sedis præsentatur, & ei subjectus & obediens efficitur. Has igitur possessiones præscripti monasterii ego Godefridus hujus sedis, Deo auctore, episcopus, concedo, præsentiumque personarum attestatione, nostrique sigilli impressione confirmo. Si quis vero contra hoc decretum aliquid maligne machinatus fuerit, ut res ecclesiæ distrahat, anathema fiat, & nisi digne pœnituerit, privetur transeuntibus bonis, nec valeat inhærere mansuris. Ego Godefridus Ambianensis cathedræ episcopus huic privilegio in synodo Ambianensi in ecclesia sanctæ Mariæ, ab universis concorditer confirmato, primus subscripsi, atque voluntate promptissima consensi. Sig. ✠ Godefridi episcopi. S. Fulconis archidiaconi. S. Ingelranni archidiaconi. S. Rogeri decani. S. Oberti præpositi. S. Rogeri cantoris. S. Rainerii thesaurarii. S. Gualteri abbatis sancti Judoci. S. Roberti Forestensis monasterii abbatis. S. Joannis abbatis sancti Geremari. S. Willelmi abbatis sanctæ Mariæ Britulienfis S. Anscheri abbatis Virtuensis ecclesiæ. Actum est hoc anno Verbi Incarnati M. CV. indictione XIII. præsidente in cathedra Romanæ ecclesiæ Paschali papa II. & in Remensi Manasse archiepiscopo, & Ambianensi Godefrido episcopo, Francorum rege Philippo, duce exercitus sui filio suo Ludovico, Ambianensi consule Ingelranno feliciter, amen. Geraudus Ambianensis ecclesiæ subdiaconus, vices cancellarii exequens, subscripsi.

X I X.

Ex Sammarthanis.

Epistola Godefridi Ambianensis ad Baldericum Noviomensem episcopum.

1108. Dilecto confratri Balderico Noviomensi episcopo, Godefridus Ambianensis episcopus salutem in Domino. Me indignum ad hanc pastoris curam evexit Deus, ut quod dignum devotione gregis est, faciam. Cum itaque in hac diœcesi perantiquæ sint ecclesiasticæ fundationes, & jam incuria hominum diruta pleraque claustra, ut ea oblivioni perpetuæ non tradantur, sed piorum locorum recordatio sublevet fidelium animos, ad devotionem propagandi cultus divini, & ut multis intercessoribus Deus super malitia nostra fiat placabilis & misericordiam largiatur, precor obnixe in Domino, ut te labori pio accingens, aut potius in eo labore perseverans, nostræ diœcesis & ecclesiæ sias exscriptor & scriptor, sicut in ecclesiis Cameracensi & Morinensi fuisti fidelis calamus scribæ velociter scribentis. Non abscondas talentum in terra, ac beneficiens noli deficere. Salutat te Petrus archidiaconus, & ego tuus conservus in ovili Christi, in quo vale. Scripsi ad S. Quintinum, meas delicias, juxta Peronæ villam anno M. CVIII. in Maio.

X X.

Bulla Paschalis II. pro sancto Martino. Ex chartul.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Arnulpho præposito ecclesiæ S. Martini, 1109. quæ sita est in porta Ambianensi, & ejus fratribus regularem vitam professis, tam præsentibus quam futuris, in perpetuum. Desiderium quod ad religiosum propositum & animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo sine aliqua est dilatione complendum. Quia igitur vos, ô filii, per divinam gratiam aspirati, secundum dispositionem fratris nostri Godefridi civitatis vestræ episcopi mores vestros sub regularis vitæ disciplina coercere, & communiter secundum sanctorum patrum instituta omnipotenti Deo deservire proposuistis, & nos secundum ejusdem episcopi preces devotioni vestræ impertimur assensum. Vitæ namque canonicæ ordinem, quem professi estis, præsentis privilegii auctoritate firmamus, & tam vobis quam successoribus vestris in eadem religione permansuris omnia perpetuo possidenda sancimus, quæ impræsentiarum pro communis victus sustentatione possidere videmini: videlicet omnes decimas omnium novalium & segetum episcopalium urbi Ambianensi adjacentium, sicut a prædecessoribus episcopis ecclesiæ vestræ concessum est, exceptis decimis terrarum, in quibus mater ecclesia vel aliæ civitatis ecclesiæ decimas sumunt, lanæ quoque omnium pecorum episcopalium decimas; altare sancti Petri ultra pontem, & omnia ad id pertinentia; ecclesiam quoque SS. Lupi, Walarici & Desiderii; altare de *Esfombli* & terram dotis ejus; altare de *Warlus* & Selincurte, quæ ab omni episcopi & ministrorum ejus redditu & servitio libera sunt; atria quoque eorum & hospites, familiamque sancti Apri; altaria quoque de *Donfront* & de Hargiscurte cum appenditiis eorum, necnon & præbendam cujusque canonici . . . . . uno anno post obitum suum, ut quotidianam missam toto anno pro anima ejus persolvatis; cambam, hospites, terras arabiles, & omnia bona abbatiæ sancti Martini, & omnia quæ in *Amelly* & *Pisoy* ecclesia vestra antiquitus possidebat, & in molendino sancti Mauritii singulis annis modium hibernati, & viginti quatuor sextarios hordei. Præterea quæcumque in posterum juste atque canonice poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Nemini facultas sit ecclesiam ipsam temere perturbare, aut quæcumque ipsius sunt vel fuerint, quibuslibet occasionibus auferre. Libertas vobis eadem maneat quæ & canonicis matris ecclesiæ, ita ut ecclesia vestra ditioni decani & canonicorum matris ecclesiæ pro supradicti episcopi dispositione permaneat: nullus autem apud vos deinceps canonicus ordinetur, nisi qui se canonice victurum professus fuerit. Si qua igitur in posterum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sanctissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ justa servantibus, sit pax domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum

judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Scriptum per manum Raineri notarii sacri palatii. Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus. Datum Romæ in porticu beati Petri per manum Joannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & bibliothecarii, quinto idus Maii, indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo nono, pontificatus autem domini Paschalis secundi papæ anno decimo.

XXI.

Ex chartario.

Ingelrannus episcopus monachis sancti Quintini de Monte confirmat altare de Ciconiis.

1116. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ingelrannus Dei gratia Ambianensis episcopus, fratribus atque filiis præsentibus & futuris bonæ pacis atque interminabile præmium jocunditatis. Prædecessor noster Godefridus multiplici discretionis genere adornatus, &, ut creditur, multis virtutum insignlis & carus & acceptus, fratribus cœnobii montis sancti Quintini Peronæ adjacentis altare de Ciconiis attribuit, quatinus hoc prædictum locum beneficiis & animæ suæ provideret, fraternitatemque atque dilectionem, beneficia, & orationes atque eleemosynas Ambianensis ecclesiæ prædictique cœnobii hac caritativa compage communiret. Prævidebat vir excellentissimi ingenii, quia plus communibus mutuisque orationibus juvamur quam propriis atque singularibus, & quia caritas quanto se latius extendit, tanto ampliora præmia a domino recipit, ecclesiasticamque possessionem nulla damna sentire quæ pro modicis atque transitoriis, magna atque æterna fide plena se confidit a superno remuneratore expectare. Defuncto itaque prædecessore prædicto Godefrido, atque, ut creditur, justorum societati aggregato, prædicti cœnobii fratres nos adierunt, precibusque domni Rodulphi archiepiscopi Remensisque ecclesiæ atque suis impetraverunt, ut prædictum altare eis privilegio perpetualiter confirmaremus. Tantis ergo intercessoribus quod postulabant annuendo anno ab Incarnatione Domini M. CXVI. indictione IX. anno episcopatus nostri primo, Ludovico Philippi filio in Gallia nostra regnante, Ingelranno Ambiani consule, sexto idus Maii in ecclesia majore feliciter confirmavimus. Proinde si quis hoc levitate temeraria impulsus violare præsumpserit, anathema sit. Synodales tamen census, prædicti altaris circatas aliaque obsonia nostra atque ministrorum nostrorum singulis annis nobis persolvenda in manu nostra retinuimus, & ut abbas per se, aut si id propter aliquam instantem necessitatem fieri nequiverit, per aliquem suorum monachorum persolvat statuimus. Sig. Ingeranni episcopi. Sig. Rogeri decani. Sig. Simonis præpositi. Sig. Guarini thesaurarii. Sig. Accardi sacerdotis. Sig. Balduini sacerdotis. Sig. Radulphi sacerdotis. Sig. Dothonis sacerdotis. Sig. Nautandi diaconi. Sig. Gerardi diaconi.

XXII.

Ex chartulario.

Confirmatio fundationis sancti Judoci de Nemore.

1125. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Rainoldus divina propitiante misericordia Remorum archiepiscopus, dilecto filio suo Miloni ecclesiæ sanctæ virginis Mariæ & sancti Judoci de Nemore præposito, & ipsius fratribus qui in eadem ecclesia regularem vitam professi sunt, eorumque successoribus in eadem observantia permansuris in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Quia igitur vos, filii in Christo karissimi, divina præveniente gratia vitam vestram sub regulari disciplina B. Augustini coercere,

A & communiter secundum sanctorum patrum constitutionem, omnipotenti Deo deservire proposuistis, nos votis vestris paterno congratulamur affectu, unde etiam postulationi vestræ juxta petitionem confratris nostri Ingeranni Ambianensis ecclesiæ venerabilis episcopi benignitate debita annuimus, vitæ namque canonicæ ordinem, quam professi estis, præsentis privilegii auctoritate firmavimus, & vos vestraque omnia metropolitanæ auctoritatis protectione munivimus, universa etiam ad vestram ecclesiam legitime pertinentia, tam vobis quam successoribus vestris, in perpetuum confirmamus, videlicet terram quam Ingerannus de Monsteriolo dedit, in cujus parte ecclesia fundata est; & quatuor capones quos Ermanfridus de Cunniaco & frater suus Ingerannus eidem B concesserunt ecclesiæ, & terram & nemus quæ concessit Rorgo de Tortosonte: ecclesiam de Buiriis, & terram eidem pertinentem, & nemus quæ concesserunt Hugo de Ponte & Wiardus de Arguvio; decimas & terram quas Drogo de Selincuria tradidit; decimas etiam & terram quas donavit Balduinus de Cajo in Boloniensi patria, præterea quæcumque in præsentiarum eadem ecclesia juste possidet, quæcumque etiam in futurum legitime adipisci poterit, firma vobis vestrisque successoribus & inconcussa permaneant, salva in omnibus Ambianensis episcopi canonica reverentia. Statuimus etiam mortuo abbate suo fratribus ibidem Deo servientibus liberam & canonicam habere electionem, dum propositam secundum beati Augustini regulam firmam servaverint religionem. C Auctoritate itaque Dei & nostra decernimus, & sub anathemate interdicimus, ut nulli omnino liceat eamdem ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones vel cetera bona auferre, vel temerariis vexationibus fatigare. Actum Remis anno Incarnationis Dominicæ M. CXXV. indictione III. regnante gloriosissimo Francorum rege Ludovico anno XIX. anno autem archiepiscopatus domni Rainoldi primo. Fulcradus cancellarius recognovit, scripsit ac subscripsit. Testes sunt Nicolaus & Hugo archidiaconi Remenses, Bartholomæus Laudunensis episcopus, Lisiardus Suessionensis episcopus, Robertus Atrebatensis episcopus, Ebalus Catalaunensis episcopus, Ursio abbas sancti Dionysii, Nicolaus abbas sancti Nicolai.

XXIII.

D *Confirmatio fundationis Selincuriæ.*

Ex chartario.

WARINUS divina propitiatione præsul, & totius reipublicæ Ambianensium procurator, filio suo Waltero abbati ecclesiæ beati Petri apostoli in Selincuriæ parochia constitutæ, pauperum Deo ibi militantium inutili conservo, omnibusque fratribus in eadem ecclesia canonicam beati Augustini observantiam profitentibus, eorumque successoribus sub eadem institutione Domino nostro Jesu Christo servituris in perpetuum. Quoniam universis patribus dignum est religiosorum propositis filiorum, non tantum assensus consilium, verum etiam pro totius potentiæ viribus adjutorii supplementum conferre, prout possumus, necessarium nobis est supplicis E mentis affectu præcedentium patrum exempla subsequenter imitari. Quia igitur, charissimi, divina præveniente gratia, vitæ vestræ habitum tam exteriorem quam interiorem sub Christi disciplina & beati Augustini regula ordinare decrevistis; nos desideriis vestris, prout dignum est, paterno gratulamur affectu, ac vestræ petitioni debita dilectione annuimus. Vestri igitur ordinis non irrationabile propositum, quod nobis operando demonstratis & professionis institutione corroboratis, hujus privilegii auctoritate firmamus, & vos vestraque omnia, tam ea quæ in præsenti vestra possidet ecclesia, quam quæ in futuro rationabiliter possessura est, matris vestræ Ambianensis ecclesiæ munitione conscripsimus. Fratribus etiam summo 1131.

summo & benignissimo domino in eadem ecclesia commilitantibus, juxta morem & institutionem aliorum religiose viventium, liberam & canonicam concedimus electionem, ut quem sanior pars ecclesiæ ad sui custodiam canonice promoverit, a me & successoribus meis inconcusse suscipiatur. Hæc autem sunt quæ firmamus, videlicet terra quæ est circa ecclesiam, & duæ partes decimæ de Selincuria, & tres partes ejusdem decimæ quas tenebant Johannes de *Boiasvile*, Radulphus Haleus, Aluricus de *Poiz*, & tertia pars decimæ de *Worluis*, quæ omnia Drogo & filius ejus ecclesiæ libere concesserunt, & tertia pars decimæ de *Tenceneul-maisnil* quam dedit Rogerus de Selincuria; decimæ etiam omnium animalium & hortorum ejusdem loci, quas concessit domnus Frumaldus prior & universum capitulum ecclesiæ beati Martini Ambianensis fratribus ibidem Deo servientibus, & decima totius terræ Ernoldi sacerdotis fratrisque ejus Clari, & tertia pars decimæ quæ pertinet ad altare d'*Estruisuiz*, & decima terræ Valteri *Wastel* & filii ejus Radulphi. Terra etiam de *Teneul-maisnil*, quam Rogerus Claboldus, Eustachius & Walterus Bonardus eidem ecclesiæ dederunt, concedente Drogone de Selincuria a quo tenebant, & decima quam dedit Bernardus le *Wales*; terra quoque de Curia de *Gislebert-maisnil*, quæ est a via quæ ducit ad *Vilers* usque ad viam quæ tendit ad *Broëcort*, & pratum quod est juxta eamdem viam, quæ omnia Guillelmus *Bisete* suique homines, scilicet Ingerannus de *Belnay* & Renoldus de *Gislebert-maisnil* quidquid in eis possidebant eidem ecclesiæ concesserunt, & tertia pars decimæ ejusdem terræ quam Radulphus de *Gislebert-maisnil* & filii ejus dederunt. Tertia vero pars decimæ altaris & curia libera, quæ domnus Guarinus episcopus & domnus Symon archidiaconus eidem ecclesiæ concesserunt, & campus quem dedit supradictus Renoldus, cujus terragium & decimam sibi retinuit; pars etiam molendini quæ fuit Guillelmi conversi ecclesiæ sancti Judoci, quam abbas omnisque conventus sancti Judoci eidem ecclesiæ concesserunt. Si quis autem dispensatione divina & totius consilii nostri assertione corroborata, injuste commutare vel diminuere præsumpserit, arcum divinæ districtionis per misericordiam diu intensum, ut ad correctionem redeat, jam percutientem sentiat. Actum anno Dominicæ Incarnationis M. CXXXI. indict. IX. XIII. calendas Julii. Signum Guarini episcopi. Sig. Radulphi archidiaconi. Sig. Symonis archidiaconi. S. Rogeri decani. S. Acardi, S. Rogeri sacerdotum. S. Radulfi diaconi. S. Adelelmi subdiaconi. S. Serlonis abbatis sancti Luciani Belvacensis. S. Theoderici abbatis sancti Eligii Noviomensis. S. Adæ abbatis regularium canonicorum ecclesiæ sancti Judoci de Crispiniaco.

XXIV.

Ex chartario, *Raginaldus Remensis archiepiscopus confirmat omnes possessiones monasterii Selincurtis.*

1135. RAGINALDUS divina propitiatione Remorum archiepiscopus, universis sanctæ ecclesiæ filiis in perpetuum. Cum ad bene operandum subditorum animos informare & vitæ exemplar esse debeamus, si peccatis exigentibus pastoris officium minime adimplere valemus, eorum vel bonis operibus congratulari, & in aliquo participes esse studeamus. Justis igitur petitionibus venerabilis confratris nostri Guarini Ambianensis episcopi, prout dignum est, paterno affectu annuentes, locum in Selincuriæ parochia constitutum Gualterio abbati ejusque successoribus canonice promovendis, & fratribus in eodem loco canonicam beati Augustini observantiam profitentibus eorumque successoribus, & omnia quæ in præsenti prædicto loco a fidelibus collata sunt, quæque etiam in futuro prædicta ecclesia rationabiliter possessura est, ea etiam quæ inferius annotabimus, præsentis privilegii auctoritate confirmamus. Hæc autem sunt quæ firmamus, videlicet terra quæ est circa ecclesiam, &c. *fere ut in charta Guarini episcopi.* Ut autem hujus decreti pagina in posterum rata & inconvulsa permaneat, imaginis nostræ impressione, & probabilium personarum intitulatione eam corroborari fecimus. Signum Josleni Suessionensis episcopi. Sig. Joffredi Catalaunensis episcopi. S. Alvisi Attrebatensis episcopi. S. Milonis Morinensis episcopi. S. Odonis abbatis sancti Remigii. S. Ingulranni Altovillarensis abbatis. S. Joranni abbatis sancti Nichasii. S. Ursionis abbatis sancti Dionysii. S. Hugonis abbatis de Monte sancti Eligii. S. Theoderici abbatis S. Eligii Noviomensis. S. Albrici, S. Hugonis archidiaconorum. S. Leonis decani. S. Gervasii cantoris. Actum Remis M. CXXXV. indictione XIII. regnante Ludovico Francorum rege anno XXVII. archiepiscopatus autem domni Rainaldi secundi anno XI. Drogo cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

XXV.

Notitia fundationis beatæ Mariæ de Valloriis. *Ex chartario Valloria.*

BEnedictus Dominus Deus Israel, qui secundum magnam misericordiam suam ex copia largitatis suæ servis suis in se sperantibus cum spiritualibus bonis, carnalia quoque conferre non desistit, ne deficientibus subsidiis corporalibus, ad quærenda spiritualia aliquando tardiores fiant, sed sustentati temporalibus, ad æterna postulanda semper devotiores existant. Moderans igitur Dominus omnia, præcepit divitibus seculi hujus ut pauperum Christi inopiam ex abundantia sua suppleant, & amicos eos de mammona iniquitatis sibi faciant, ut cum divites esse desierint & defecerint, in æternas mansiones, ubi vita sine fine, ubi gaudium sine mœrore, ubi bonorum omnium erit copia, ab ipsis recipiantur. Hujus itaque præcepti amore & æternorum bonorum desiderio motus Wido comes Pontivi contulit monachis & fratribus Cisterciensibus & ibidem Deo servientibus, pro anima sua parentumque & prædecessorum suorum, locum in abbatiam ædificandum cum parte adjacenti nemoris, sed & in loco qui dicitur Bonantia desuper villam de Laveriis, terram ad duas carrucas, necnon & juxta villam de Creiseio terram, quam mater ejus Hela nomine de dotalitio suo dederat ac dividi a ceteris finibus fecerat. Dedit eis etiam in omnibus nemoribus suis ligna sufficienter ad omnes usus suos sive ad ædificandum, sive ad comburendum, & in nemore de Desenso seu de Foreste unam caretam ad deferenda vendendi ligna omni tempore, & de Cantastro quantum duo asini deportare potuerint ad vendendum, tam æstate quam hyeme; ut inde præparentur quæ necessaria sunt infirmis fratribus, excepto hoc quod permittimus, dandi licentia aut vendendi adempta, & in molendinis suis sine moltura molere. Fecit quoque eos liberos ab omni censu & exactione in omni terra & potestate sua, seu a transversis vel aliis vectigalibus, quæ a ceteris hominibus solvi vel repeti solent. Auctorisavit etiam idem princeps & contulit quicquid alii viri vel feminæ de terris aut possessionibus quas de ipso tenent, præfatis fratribus vel abbatiæ tribuerint aut vendiderint, vel ipsi fratres aliquo modo juste acquisierint. Hæc omnia quæ supra annotata sunt memoratus comes Wido prædictis fratribus & abbatiæ jure perpetuo habenda tradidit, & pater ejus Willelmus comes auctoritate sua firmavit, & mater ejus Hila hoc idem laudavit. Facta est collatio beneficiorum istorum XV. calend. Januarii, anno ab Incarnatione Domini M. CXXXVII. regnante Ludovico rege, & in administratione episcopatus Ambianensis domno Guarino episc. residente, coram monachis Odone & Hugone. Testes qui affuerunt hi sunt, ipse Wido comes & uxor ejus Ida nomine, Landricus clericus, Eustachius de *Gaban*, Gormundus de *Dun*, Willelmus de *Aiarcurt*, Huo *Froiels de Villers*, Engorrannus filius Alberti Grossi. 1137.

XXVI.

Ex chartario. *Charta Milonis Tarvanenſis epiſcopi pro Ciſtercienſibus de Bonantia, modo* Valloires.

1138. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Piæ ſubditorum voluntati paſtoris favor debet adniti. Hujus rei gratia ego Milo Morinorum epiſcopus notum facio Ambianenſi epiſcopo & cunctis ſucceſſoribus ejus, atque omni clero eccleſiæ ipſius, & tam præſentibus quam futuris, quod Robertus de *Ally* cum in incendio villæ ſancti Richarii mala quæ non debuerat, perpetraſſet, pœnitentia motus, pro abſolutione peccati illius & ſalute animæ ſuæ, mihi omnia quæ apud Moſultram, tam in terris quam nemoribus poſſidebat, libere conceſſit, non ut abbatia in eodem loco ædifi- B caretur, ſed ut inde abbatia ſuſtentaretur, ubicumque in patria illa conſtitueretur. Quæ de manu illius ſuſcipiens, omnia fratribus Ciſtercii, qui in Pontivo commorantur, ac propterea eadem die ad me venerant, adſtantibus atque laudantibus ipſo Roberto & filiis ejus Hugone atque Hiberto, matre quoque ſua & uxore *Aalis*, nihil inde retinens, perpetuo tenenda donavi. Adjecit quoque prædictus Robertus poſſeſſiones quæ ſub ipſo in eodem territorio ab aliis tenebantur, nemini poſſe aut vendi, aut tradi, aut invadiari, niſi præfatis Ciſtercienſibus. Hanc ego donationem paginæ hujus atteſtatione ac ſigilli mei impreſſione roboro & confirmo; ac ſi quis deinceps hujus privilegii mei tenorem annullare & infringere tentaverit, anathematis gladio feriatur, ac divinæ diſtrictionis C ultioni ſubjaceat, donec ad emendationem veniat & condigne ſatisfaciat. Actum anno Incarnationis Dominicæ M. CXXXVII. feria VI. in prima hebdomada Quadrageſimæ, in domo mea Tervanæ, coram ſubſcriptis teſtibus, domno Godeſcalco abbate de Alceio, domno Henrico abbate S. Mariæ de Nemore, Milone archidiacono, Roberto capellano, Euſtachio de Taberia, Guimero de Squamiis, Eberardo filio Alelmi *Petran de Hiſdin.*

XXVII.

Confirmantur bona ſancti Michaelis Durlendenſis a Guarino epiſcopo.

1138. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti. Amen. D Guarinus Dei gratia Ambianenſis epiſcopus, ſanctæ eccleſiæ filiis præſentibus & futuris feliciter niti ad bravium ſupernæ vocationis. Oportet nos, dilectiſſimi, ſpecialiter hujus ſanctæ matris eccleſiæ ceterarumque ſibi ſubjectarum eccleſiarum neceſſitatibus & utilitatibus aſſidue providere, earumque poſſeſſiones & dignitates pro poſſe noſtro tueri, imbecillitateſque viriliter ſuſtinere, ne quibus ſuſtentari debent eccleſiæ, alicujus poteſtatis violentia diſſipentur & conturbentur oppreſſione. Quocirca eccleſiæ S. Michaelis Durlendenſis & ſanctimonialium Deo in ea devote ſervientium neceſſitati & utilitati paterna caritate providentes, quæ in eodem oppido & territorio Durlendenſi poſſidet in terris, & hoſpitibus, & furnis, & decimis concedimus, altare ſcilicet Yvrenni .... altare E de *Cercamps* .... altare de *Roiumſart* .... duas partes decimæ caſæ eccleſiæ de *Alcoch*, & tantum terræ infra terram Avodi ſilvæ, ubi poſſunt ſeminari tres modii annonæ: duas quoque cambas in villa quæ dicitur *Baſtis*, & quatuor hoſpites, & furnum unum pro quo monachi eccleſiæ ſancti Petri de Abbatis-villa .... in ſilva quoque Viconiæ.... in villa quæ dicitur *Amplers*. Actum hoc & pertractatum in ſynodo in eccleſia majore Ambianenſi, anno Dominicæ Incarnationis M. CXXXVIII. indict. I. VI. Idus Novemb. feliciter. Amen. Signum D. Guarini Ambianenſis epiſcopi. Signum Radulfi archidiaconi & præpoſiti. Signum Balduini archidiaconi. Sign. Andreæ decani. Signum Fulconis cantoris. Sign. Guarini theſaurarii. Signum A Acardi & Rogeri ſacerdotum. Signum Radulfi & Dodomani diaconorum. Signum Rogeri & Adelelmi ſubdiaconorum. Sign. .... & Balduini acolythorum. Sign. Theoderici abbatis ſancti Eligii Noviomenſis. Signum Serlonis abbatis ſancti Luciani Bellovacenſis. Sign. Richerii abbatis Monſterolenſis. Sign. Roberti abbatis ſancti Judoci. Sign. Euſtachii abbatis ſancti Fuſciani. Signum D. Symonis Aquicinctis monachi. Arnulfus vices Radulfi cancellarii agens ſcripſit & ſubſcripſit.

XXVIII.

Wido comes Pontivenſis concedit quidquid habebat apud Vallelias monachis de Balantiis, ad abbatiam faciendam.

B MUltos ad bene agendum hortatur evangelium Lucæ, cum legitur, ubi de mammona iniquitatis amicos ſibi facere dives jubetur, ut moriens ab ipſis ſuſcipi in cœleſte regnum mereatur. Hoc ego Wido Dei patientia comes Pontivi audiens & credens, quidquid apud Vallelias in terris ſive in aquis habebam, prius longo tempore prædeceſſoribus ſuis conceſſas, totum monachis Ciſtercienſibus Balantiis Deo ſervientibus, ad abbatiam faciendam in eleemoſynam devote donavi; ac Segonem proprium piſcatorem meum prædicta tenentem, ſed poſtmodum eis me præſente tribuentem, a ſervitute piſcandi mihi debita, deinceps liberum eſſe & pauperibus præfatis ſervire mandavi. Ut autem hoc donum ſemper inviolatum permaneat, ac mihi C meiſque anteceſſoribus aliquod remedium poſt mortem ante diſtrictum judicem Deum conferat, ad memoriam præſentium & notitiam futurorum, vivacitati literarum imprimi volui, & auctoritate mei ſigilli, ne mendacio arguantur, muniri præcepi. Factum eſt hoc ad honorem Dei, præſentibus qui ſubſcripti ſunt, anno M. CXLIII. Dominicæ Incarnationis, feria IV. tertiæ hebdomadæ ante adventum Domini, Ruæ in domo Landrici clerici, Rainardo abbate Ciſtercii, Hugone abbate Balantiæ, Urſo, Haganone, Hugone monachis, Willelmo, Bernardo converſis ordinis Ciſtercii, Landrico clerico, Johanne fratre comitis, Ida uxore ejuſdem comitis, Wirmundo de *Dun* & multis aliis. 1143.

XXIX.

D *Erectio monaſterii ſancti Martini ad Gemellos in abbatiam.*

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti. Amen. 1145. Ego Theodericus Dei gratia Ambianenſis epiſcopus, dilectis filiis ſuis Radulfo decano, Guarino præpoſito, Radulfo, Balduino archidiaconis, Fulconi præcentori, Simoni cancellario & toti capitulo beatæ Mariæ & ſancti Firmini martyris eorumque ſucceſſoribus, in perpetuum. Novit ſancta eccleſia a ſuæ originis primordio de bono in melius proſperari, & ſecundum ſucceſſum temporis ſucceſſum ſemper habuit ſui gradus & honoris. Unde vos, fratres chariſſimi, hoc incrementum veſtræ eccleſiæ veſtris temporibus conſiderantes, unanimi conſilio & ſtudio caritatis noſtram parvitatem poſtulaſtis, ut eccleſia ſancti E Martini pretioſiſſimi confeſſoris Chriſti, quæ dicitur in Gemellos, quæ etiam honorifice fundata eſt in eadem parte noſtræ civitatis, eodemque loco in quo prædictus confeſſor Chriſtum in ſpecie pauperis chlamydis ſuæ parte veſtivit, quæ ſub veſtra ditione ſemper habita & a prioribus hactenus gubernata, ſub titulo abbatis poneretur, & clerici ejuſdem loci, ſalvo jure noſtro, ſub nomine abbatis efficaciori cura & honorabiliori diſciplina regerentur. Eſt autem, prout a vobis didicimus, prætaxati loci conſuetudo ut priore decedente prior a fratribus canonice eligatur, & electio in capitulo veſtro præſentetur, & laudata electione pari favore tam a vobis quam ab ipſis electus requiratur. Concedimus ſiquidem ut

quod huc usque de priore actum est, & ordo electionis & favor nostræ concessionis in prærogativam abbatis transeat, & quicquid in priorem habuit, in abbatem capitulum vestrum habeat, & abbas a fratribus electus & a vobis laudatus, benedictionem tantum ab episcopo recipiat, vobisque subjectionem & obedientiam promittat, & a decano curam animarum recipiat. Ut igitur vestræ petitionis & nostræ annuitionis concordia firmiter & illibata permaneat, præsentem paginam vobis scribimus & sigillo nostro communimus, & perturbatorem hujus rei vinculo anathematis innodamus, testiumque sub assignatione privilegium istud corroboramus. Signum Theoderici episcopi. Sign. Radulfi decani. Sig. Garini præpositi. Sig. Radulfi, Balduini archidiaconorum. Sig. Fulconis præcentoris. Sign. Simonis cancellarii. Sign. Theobaldi, Alelmi presbyterorum. Sig. Dodomani, Arnulfi diaconorum. Sig. Rogeri, Guermundi subdiaconorum. Sig. Theobaldi abbatis sancti Martini Ambianensis. Sig. Deodati abbatis sancti Acheoli. Sig. Gigomari abbatis sancti Fusciani. Sig. Fulconis abbatis S. Johannis. Sig. Adam abbatis S. Judoci de Nemore. Sig. Theobaldi abbatis S. Judoci supra mare. Sign. Serlonis abbatis sancti Luciani. Sig. Gosvini abbatis Aquicinctensis. Sig. Hugonis abbatis de Monte sancti Quintini. Sig. Fulberti abbatis Flaviacensis. Actum anno Dominicæ Incarnationis M. CXLV. Data per manum Simonis cancellarii.

XXX.

Ex chartario.

Theodericus episcopus confirmat bona Montis-Desiderii.

Circa 1146.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ego Theodericus Dei gratia Ambianensis episcopus, tam præsentibus quam futuris in Christo fidelibus in perpetuum. Patrum more ecclesiastico instruimur jura & possessiones ecclesiarum ex injuncto nobis officio tueri & protegere, & contra multiformem filiorum hominum versutiam quæ . . . . . incumbit, pro posse nostro remedium afferre. Ea propter, dilecte in Christo fili Beringeri prior Montis-Desiderii, justis petitionibus tuis annuentes, quæcumque loco cui jure patronatus præes monachisque Cluniacensibus ibidem Deo militantibus, nostris & domini Garini prædecessoris nostri temporibus a fidelibus pie collata, & quæcumque etiam bona vel beneficia impræsentiarum possides, tibi & monasterio tuo fratribusque tuis per successionem in perpetuum illibata firmaque manere sancimus. Et ne quis ausu temerario aliquid eorum invadere præsumat, pontificali auctoritate prohibemus. E quibus hæc propriis designanda nominibus congruum judicavimus: Ecclesiam B. Mariæ cum tredecim præbendis quas solebant habere canonici seculares, e quibus una est illa quam magistri scholarum de Montis-Desiderio aliquandiu tenuerunt, & pro ista præbenda triginta solidos Pruvinienses deinceps receperunt, & omne jus ecclesiæ in partem monachorum, assensu Samsonis venerabilis Remorum archiepiscopi & domini Garini prædecessoris nostri, & in usum eorumdem in perpetuum redactum confirmamus, regimen scholarum de Monte-Desiderio, & oleum infirmorum totius oppidi cum appenditiis suis, videlicet villa & Furcellicurte: ecclesiam sancti Petri cum altari, & atrio, & minuta decima, & censu decem & septem solidorum, quem presbyteri illius ecclesiæ per aliquot annos per benevolentiam canonicorum detinuerunt; postea vero in præsentia nostra prædictum censum singulis annis se debere persolvere libere recognoverunt. De oblationibus vero altaris sancti Petri jam a multis annis statutum est, ut quinque partes earum quæ scilicet ad missas pro vivis offeruntur, monachis, sexta vero pars presbyteris cederet; de his autem quæ ad missas pro defunctis veniunt, vel quæ ipsis presbyteris a parochianis suis in eleemosynam donantur, media pars monachorum, altera presbyterorum erit. Ecclesiam quoque sancti Sepulchri cum altari & atrio, & duabus partibus minutæ decimæ; ecclesiam de Furcellicurte cum altari & atrio, & tota decima, & censum decem & septem solidorum; ecclesiam etiam de villa cum capella *du Mesnil*, cum altaribus, & atriis, & decimis: ecclesiam quoque de Novavilla cum altari & atrio, & tota decima; ecclesiam de *Etalsay* cum altari & atrio, & minuta decima, & majori parte majoris; ecclesiam de *Cais* cum altari & atrio, & duabus partibus majoris decimæ & minutæ; ecclesiam quoque de Contorio cum altari & atrio, & decima; ecclesiam de Bracheo cum altari & atrio, & tota decima; ecclesiam quoque de *Soruiller* cum capella de *Aubviller*, quæ subjecta est ei, cum altaribus & atriis, & decimis, tertiamque partem ecclesiæ de curte Dominica, & altaris & atrii, & minutæ decimæ; medietatem etiam ecclesiæ de *Annechy*, & altaris & atrii, & minutæ decimæ; medietatem ecclesiæ de Feneriis, & altaris & atrii, & minutæ decimæ. Apud Montis-Desiderium molendinum de ponte, & singulis hebdomadibus tres denarios Veromandensis monetæ ad theloneum panis; apud Contorium medietatem molendini de Prato; apud *Forsenviller* totum allodium in terris & in nemoribus quod tenebat Elizabeth *Rabies*; apud *le Plessy* Radulfi vetuli tres partes terragii de *Goy*. Hæc igitur singulis distincta capitulis confirmamus, & quidquid prædecessores tui acquisierunt, & tu & successores juste & canonice acquirere poteritis, salvo nostro & personarum nostrarum jure, præsenti pagina significantes ratum constituimus. Et ne ab aliqua ecclesiastica secularive persona hæc nostra confirmatio ausu temerario attenuetur, sub anathemate interdicimus, & præsens scriptum ad munimentum & confirmationem eleemosynarum sive possessionum prædicti monasterii de Montis-Desiderio factum, sigillo nostro communivimus, & personarum nostrarum subscriptionibus roboramus. Signum Radulfi decani, Garini, Simonis archidiaconorum, & Fullonis cantoris, Radulfi, Guidonis sacerdotum, Roberti, Guifredi diaconorum, Rogeri, Andreæ, Roberti subdiaconorum. Ego Simon cancellarius relegi. Actum anno millesimo centesimo . . . . . .

XXXI.

Charta Theoderici episcopi de possessionibus sancti Acheoli.

Ex chartario sancti Acheoli.

1147.

EGO Theodericus Dei gratia Ambianensis episc. tam præsentibus quam futuris in Christo fidelibus in perpetuum. Quoniam omnium debitores sumus, omnium & maxime pauperum Christi necessitatibus ex ecclesiasticis facultatibus summa diligentia providere debemus, quatenus a cura & sollicitudine necessitatum corporalium, sine quibus hæc vita transigi non potest, relevati, viam propositi sui gressibus inoffensis incedant, & ad meditationem divinæ legis, & expletionem spiritualis servitutis liberiores fiant. Ea propter, fili Galtere abba venerabilis sancti Acheoli in Christo plurimum dilecte, tibi tuisque successoribus, & ecclesiæ tuæ unum manipulum decimæ casæ de domno Vedasto, & alterum de *Cancy*, quia utrumque altare dono prædecessoris nostri G. bonæ memoriæ ecclesia tua possidebat, in perpetuum possidendos concedimus: collatas etiam ecclesiæ tuæ à devotis viris eleemosynas, ut pontificalis auctoritatis munimine firmiores habeantur, præsenti pagina significare curavimus, quarum eleemosynarum nomina cum donationibus suis subscripsimus; altare videlicet de *Baliscourt*, quod Elisabeth vobis reddidit præsente viro suo Iberto & concedente: ipsa enim illud ab eo in feodo in conjugio suo acceperat, præsentibus etiam filiis suis, & ipsum donum ore & manu confirmantibus Waltero clerico, Iberto milite, Odone, Willelmo & filia Cothsinde;

sextam etiam partem decimæ de *Rastel* a quodam A milite Alelmo cognomine Grenario receptam, prædictæ ecclesiæ assignamus. Sciendum etiam quod in Bothua castro de redditibus molendinorum quatuor modios tritici ex eleemosyna comitis Ingeranni ipsa eadem ecclesia antiquitus possidebat; sed maledictorum vocibus filius ipsius Ingeranni Thomas, & Robertus filius ejusdem Thomæ commoti, ipsam eleemosynam eidem ecclesiæ violenter abstulerant. Nuper vero idem Ambianensis comes Robertus Jerosolymam profecturus, consilio religiosorum virorum commonitus, compunctus est, & præsente matre sua domina Melisende, religiosis etiam viris astantibus, in conspectu abbatis supradictæ ecclesiæ culpam suam recognovit, & absolutione quæsita & impetrata, ipsos quatuor modios tritici de redditibus molendinorum B recipiendos sub testimonio hominum suorum, quorum nomina subscribentur, eidem ecclesiæ perpetua possessione per manum nostram confirmavit. Wido quoque de *Mestiressart* & uxor ejus Emmelina, & Hugo filius eorum cum reliquis filiis, quidquid in territorio villæ de *Huy* ex sua sive ex parte Petri de Saloco possidebant; totam videlicet terram suam cum terragio & omni decima, quibusdam mansis censualibus exceptis, concedente domino Widone de Longo cum Mathilde uxore sua, & filio eorum Alelmo, de cujus feodo terra illa pendebat, præsente etiam multitudine tam clericorum quam laïcorum, eidem ecclesiæ absque ulla calumnia per manum nostram liberrime contulerunt. Præfatus siquidem Petrus pro matre sua ipsius ecclesiæ conversa ex eadem terra campum unum C jam contulerat. Quidam vero miles Adam nomine *de Glisi*, pro matre sua conversa in ipsa villa dedit eidem ecclesiæ mansum, pomerium & quidquid infra viam est ab ipso pomerio usque ad mansum Firmini, cum ipso manso, & tantum terræ arabilis quæ modio tritici posset seminari, hoc ipsum concedente Ambianensi comite domino suo Roberto de Bova. Præter hæc omnia Radulfus *Dolfins*, ad cujus dominium altare de *Gissocourt* laïcali jure pertinebat, quidquid per se vel per subjectos sibi homines in ipso altari possidebat, & quidquid in posterum a suis in territorio ejusdem altaris sæpe fatæ ecclesiæ conferetur, uxore sua & filio donum affirmantibus, pro sua suorumque animabus in eleemosyna per manum nostram libentissime concessit. Odo etiam de *Wiencourt* filius D Sorreiæ, unum campum terræ sancti Quintini in villa de *Baienviller* excoluerat, quem omnibus heredibus concedentibus Jerosolymis proficiscens in eleemosyna præfatæ ecclesiæ contulit, eo tenore ut terragium & cetera quæ debentur, domino ipsius terræ solvantur; Hugo quoque de *Geldincourt* campum alium, cum medietate terragii similiter Jerusalem tendens, bono animi voto pro salute animæ suæ, orationum & eleemosynarum ejusdem ecclesiæ particeps effectus, domino suo Radulfo de *Barouel*, quia terra illa in territorio de *Placi* ad suum feodum pertinebat, donum firmante, uxore quoque, & filio, & ceteris heredibus idipsum confirmantibus, per manum nostram contulit ipsi ecclesiæ. Ut hoc igitur ratum & inconcussum E permaneat, tibi frater Galtere abba, tuisque fratribus sub regula sancti Augustini Domino militantibus, scriptum istud facimus, & sigillo nostro corroboramus, & perturbatores hujus nostræ confirmationis excommunicamus, & ad majorem hujus rei certitudinem, testium nomina subassignamus. Signum mei ipsius Theoderici Ambianensis episcopi. Sig. Radul. decani. Sig. Radulfi & Balduini archidiaconorum. Sig. Guarini præpositi & thesaurarii. Sig. Fulconis præcentoris. Sig. Achardi capellani, Adelelmi &c. sacerdotum. Sig. Dodomanni, Arnulfi & Richerii diaconorum. Sig. Wermundi, Rogeri & Willelmi subdiaconorum. Sig. Widonis, Roberti & Wermundi acolythorum. Sig. Theobaldi abbatis sancti Martini de Gemellis. Sig. Droconis abbatis sancti Johannis. Sign. Gigomari abb. sancti Fusciani. Sig. Mainardi Gardiensis abbatis. Sig. Adam abbatis sancti Judoci de Nemore. Sig. Gualteri abbatis de *Selincourt*. Sig. Droconis prioris de *Lihuns*. Sig. Hugonis prioris sancti Ansberti de Bothua. Sig. Herberti prioris sancti Fusciani. Sig. Droconis militis de *Sissolin*. Sig. Adæ filii ejus. Sig. Hevelonis de *Rourchel*. Sig. Roberti fratris ejus. Sig. Petri de *Guincourt*, Holmundi de Sanctis, Ragineri filii Roberti militum, Thomæ & Roberti præpositorum. Actum Ambianis anno Dominicæ Incarnationis M. CXLVII. indictione X. præsulatus autem Domini Theoderici episcopi III. feliciter. Amen. Simon cancellarius per manum Roberti Gigantis notarii scripsit & subscripsit.

XXXII.

Theodericus episcopus canonicas S. Martini de Durlendo restituit monachis Aquicinctensibus.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. 1147.
Ego Theodericus Dei gratia Ambianensis episc. tam futuris quam præsentibus in Christo fidelibus in perpetuum. Ad pastoralem sollicitudinem specialiter pertinet jus ecclesiasticum a malis & importunis hominibus liberare, & cum extraordinarie libertas ecclesiæ ducitur, in quantum prævalet ad ordinis lineam reducere. Ea propter, fili Gosvine abba venerabilis Aquicinctensis monasterii in Christo plurimum dilecte, tibi tuisque successoribus & monasterio tuo canonicas sancti Martini de Durlendo, quas hactenus Guillelmus comes de Pontivo & Guido filius ejus hereditaria successione contra statuta canonum tenuerant, ab eis emancipatas canonice contradimus & perpetua libertate sancimus. Siquidem illustris comes Guillelmus cum Eila uxore sua, & Guido atque Joannes filii eorum, Joannes quoque filius Guidonis cum matre sua Ida culpam suam recognoscentes, canonicas prætaxatas in manus nostras reddiderunt, & ut eas monasterio Aquicinctensi ob remedium animarum suarum donaremus, plurimum rogaverunt. Nos igitur canonicas prætaxatas a manu laïca per Dei gratiam liberatas, tibi & monasterio tuo perpetuo possidendas concedimus, & defunctis canonicis qui nunc eas obtinent, ne alii canonici aliquo modo ibidem subrogentur penitus prohibemus, & perturbatores istius eleemosynæ a sacratissimo corpore Jesu Christi, & communione omnium fidelium & introitu omnium ecclesiarum sequestramus, donationem nostram sigilli nostri munimine corroborantes, & assensu & testimonio subscriptarum personarum confirmantes. Signum Radulfi decani & Guarini præpositi, & Radulfi & Balduini archidiaconorum, & Fulconis præcentoris, & Acardi, Adelelmi presbyterorum, & Radulfi, Richerii diaconorum, & Guermundi, Rogeri, Theobaldi, Laurentii subdiaconorum. Ego Simon cancellarius subscripsi & relegi per manum Roberti Gigantis. Actum anno ab Incarnatione Domini M.CXLVII. indict. X. Recognitum in synodo Ambianensi in præsentia personarum nostrarum, Gualteri abbatis de S. Acheolo, Theobaldi de S. Martino, Fulconis de sancto Joanne, Gigomari de S. Fusciano, Eustachii S. Salvii de Monsteriolo, Theobaldi de sancto Judoco, Gualteri de Selincurte.

XXXIII.

Charta Theoderici episcopi pro sancto Martino. *Ex chartario*

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. 1147.
Ego Theodericus Dei gratia Ambianensis episc. tam præsentibus quam futuris in Christo fidelibus in perpetuum. Breves sunt dies hominis super terram, & vita mortalium momentanea; sic nec rerum quæ in terris geruntur diuturna est memoria, nisi interdum paucorum diligentia providente pro tenenda & tuenda rerum gestarum veritate literis fuerint assignata. Inde est quod ea quæ ad pacem & utilitatem ecclesiæ in poste-

rum providentur, solers patrum vigilantia literis annotare consuevit, ut & rerum notitia ad posteros transeat, & literarum testimonio tuta veritas insurgentium in se versutias repellat. Nos igitur prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, B. Martini confessoris Christi ecclesiam de *Pas*, quæ in secundo milliario a Mondesderiensi oppido sita est, ecclesiæ in honore egregii confessoris Christi Martini intra muros nostræ civitatis sitæ, in loco ubi parte chlamydis suæ Christum in paupere vestivit, ab omni nostro ministrorumque nostrorum redditu liberam in perpetuum, cum ecclesia de *Gorendanviller*, quæ ad eam pertinet, concedimus: altare quoque de *Tilloy* juxta Conteium, quod Henricus quondam Belvacensis archidiaconus de ecclesia nostra in personatum per triginta annos tenuerat & synodalia persolverat, & tandem per manum prædecessoris nostri bonæ memoriæ Guarini episcopi eidem ecclesiæ contulit; & mansionem in eadem parochia, quam Othmundus Conteiensis eidem ecclesiæ sancti Martini dedit, liberam ab omni redditu & potestate & exactione seculari: terram quoque arabilem in eadem parochia, quam ipse Othmundus in eleemosynam dedit, annuentibus filiis suis, astantibus etiam in testimonium multis aliis viris: tertiam quoque partem totius decimæ de Nigellula, hortum quoque & mansum integrum in prato de *Wally*, & nemora ad necessarios usus fratrum ecclesiæ sancti Martini, & pascua suis animalibus pascendis, quæ dimiserunt eidem ecclesiæ Walerannus de *Wally* & Saxowallo de *Milly*, annuentibus heredibus suis: octavam quoque partem in tota agricultura de *Forest*, ad laborem manuum & carrucarum suarum, cum octava parte nemoris ad necessarios usus fratrum, quam Berengarius de Novavilla & uxor ejus Bathuillis, annuentibus heredibus suis, ecclesiæ dimiserunt. In magno quoque campo qui est in territorio de *Wally*, Robertus *Bordels* duos hortos cum terra arabili & cum parte nemoris, annuentibus heredibus suis & domino suo Waleranno, eidem ecclesiæ similiter dimisit. In territorio vero de *Lully* Arnulfus ad Gulam tres campos arabiles, annuente domino suo Petro de Saloto, in præsentia Girardi vicedomini, eidem ecclesiæ similiter dimisit. Dimidium quoque nemoris de *Lully*, ad ardendum in necessarios usus fratrum, cum pascuis & omni vicinio ejusdem villæ Robertus de Belneliola moriens, annuentibus filiis, eidem ecclesiæ pro anima sua dimisit. Apud *Amelli* Robertus filius Wiberti, tres hortos & terram arabilem cum terragio, & cum quarta parte nemoris, & Matthæus de *Goiencourt* eidem ecclesiæ similiter dimiserunt: decimas etiam omnium novallium & segetum episcopalium urbi Ambianensi adjacentium, sicut ab episcopis Ambianensis ecclesiæ eidem ecclesiæ concessum est, exceptis decimis terrarum in quibus mater ecclesia vel aliæ civitatis ecclesiæ decimas sumunt; lanæ quoque omnium pecorum episcopalium decimas: altare sancti Petri ultra pontem, & omnia ad id pertinentia: ecclesiam sanctorum Lupi, Walarici & Desiderii; altare Macerlarum; altare de *Estombli* & terram dotis ejus; altare de *Warleis* & de Selincurte, quæ ab omni episcopi & ministrorum ejus redditu & servitio libera sunt; atria quoque, terram & hospites, & familiam sancti Apri; altaria de *Donfront* & de Haissiscurte cum appenditiis eorum; præbendam unam in matre ecclesia perpetuo possidendam, necnon & præbendam cujusque canonici matris ecclesiæ uno anno post obitum suum, ut quotidianam missam toto anno pro ejus anima fratres persolvant; præbendam quoque fratrum S. Acheoli anno integro habeant post obitum illius cui personatus ejusdem præbendæ fuit assignatus; & in molendino sancti Mauritii singulis annis modium hibernati & modium hordei; totam decimam sancti Petri: altare de *Remiencourt*; decimam quam habet prædicta ecclesia in Framericurte; curtem in territorio de *Dury* omnino liberam ab omni decimatione animalium & pecorum

A & totius nutrituræ suæ, & horti, & pomerii per fossatum, quo cingitur & distinguitur a nemore, & reportagium in territorio de *Amelly* de labore fratrum. Has præscriptas possessiunculas præfatæ ecclesiæ a fidelibus traditas nos quoque concedimus, & præsenti privilegio confirmamus; & ne quis deinceps eas ipsi ecclesiæ auferre, diripere vel minuere præsumat, anathematizando interdicimus. Signum domini Theoderici ✠ Ambianensis episcopi. Sig. Radulphi decani. Sig. Radulphi archidiaconi. Sig. Balduini archidiaconi. Sig. Guarini præpositi & thesaurarii. Sig. Fulconis cantoris. Sig. Achardi & Adelelmi sacerdotum. Signum Dodomani & Ingelranni diaconorum. Sig. Rogeri & Radulphi subdiaconorum. Sig. Balduini & Rogeri acolythorum. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo septimo, indictione XI.
B feliciter. Amen. Ego Simon cancellarius per manum Roberti Gigantis subscripsi & relegi.

XXXIV.

Eugenius III. sancto Martino confirmat præbendam perpetuam in ecclesia Ambianensi. Ex chartario.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Theobaldo abbati ecclesiæ S. Martini Ambianensis ejusque fratribus salutem & apostolicam benedictionem. Effectus justa postulantibus indulgere vigor æquitatis & ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem pietas adjuvat & veritas non relinquit. Ea propter, dilecte in Domino fili,
C tuis justis postulationibus præstantes assensum, donum super præbendam quam in Ambianensi matre ecclesia assensu capituli ejusdem ecclesiæ, & precibus dilecti filii nostri Bernardi Claravallensis abbatis, venerabilis frater noster Theodericus Ambianensis episcopus tibi tuisque successoribus rationabiliter concessisse d gnoscitur, auctoritate sedis apostolicæ confirmamus, & in jure ac potestate ecclesiæ tuæ futuris temporibus manere decernimus. Si quis vero hujus nostræ confirmationis paginam sciens contra eam temere venire præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Remis nonis Aprilis, indictione XI.

1148.

XXXV.

D *Electio abbatis Centulensis.* Ex Sammarthanis.

EGO Stephanus Centulensis prior cœnobii totusque ejusdem loci conventus, notum fieri volumus omnibus sanctæ ecclesiæ filiis ad quorum notitiam literæ istæ pervenerint, quod nos omnes S. Richarii monachi dominum Petrum Bituricensem S. Dionysii monachum consilio & assensu religiosarum nostræ provinciæ personarum, ac militum & procerum nostrorum, clericorum etiam ac burgensium, regulariter & canonice nobis in pastorem elegimus.

1148.

XXXVI.

Bulla Anastasii IV. papæ pro sancto Salvio. Ex chartario.

E ANASTASIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Eustacio abbati monasterii sancti Salvii Monsterolensis ejusque fratribus, &c. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Altare sanctæ Mariæ de *Darnestal* & totam decimam in villa Monsteroli, altare S. Winwaloei ab omni exactione liberum. In eadem villa altare sancti Petri cum tota decima, altare sancti Judoci & totam decimam, altare sancti Vulflagii & totam decimam; altare S. Martini de *Escuignecourt* & totam decimam, altare sancti Petri de *Wally*, altare sanctæ Mariæ d'*Airon*, hospites, silvam & terram, altare sancti Vedasti de *Escuir* & totam decimam. In eadem villa hospites & terram arabilem, & silvas quæ vocantur *Susoye, Osanne, Caisnoy, Vellegny* ex dono Herlewini comitis, altare sancti Albini &

1154.

medietatem allodii, sicut vobis libera concessa est: allodium quoque Walteri *Hurupel* & quartam partem silvæ quæ vocatur *Walteſtrens*, decimam de *Abboltmeil*, altare S. Crispini de *Campengnol*, apud *Vilermel* tertiam gerbam decimæ. In villa prædicta Monsteroli allodia, molendina, & stallos carnificum, & furnum, & Novævillæ transitum, & sexaginta solidos ad portam regis; piscariam quoque ab Altimo usque ad Brimoniacum, & vivarium de Escuriolo, & pratum inferius, & totum *Mareſt* usque *Eſcuir*: altare sancti Winwaloei de *Belmery*, & totam villam, & molinum, & palustria loca, terras quoque cultas & incultas, & silvas: quartam partem de *Concil* & sextam partem de *Arry*, & totam villam quæ Longum pratum dicitur, cum hospitibus, & silvis, & pratis, & terris cultis & incultis, & tertiam partem quindecim salinarum in villa quæ dicitur Rua, cum terra arabili, & in Nigromonte tres salinas & dimidiam. In villa *Maire* hospitem unum, apud *Maregni* partem allodii Balduini clerici, apud *Verton* hospites, & salinas, & terram arabilem, & lignaturam ex dono regis Roberti Francorum, a festo S. Martini usque in medio mensis Maii, ex omnibus carris & quadrigis, asinis & navibus, & ex omnibus qui vendunt ligna in eodem castro, sive opidani, sive extranei: quartam quoque partem allodii de *Dourviers* (al. *Daminois*) & de Fraisnis: comitatum in tota terra vestra inter Quantiam & Alteiam, & ultra Alteiam, sicut vobis comes Wido concessit; terram quoque de *Albin*, molendinum & nemus. In parochia Tervanensi altare sancti Martini de *Caveron*, & totam decimam, altare sancti Winwaloei, & totam decimam, altare sancti Dionysii de *Walbertcort*, & altare sancti Vedasti; totam villam quoque *Caveron*, cum duobus molendinis, & terris cultis & incultis, pratis & silvis, & comitatum; quartam partem in villa quæ dicitur *Ghiſi*, cum silvis & pratis, sextam quoque partem de *Contis*. In Galami manso tertiam partem tam de villa quam de molendino, silva & arabili terra; ad *Montegny* tres mansos; ad *Tigny* & ad Colinas tertiam partem duorum hospitum; ad Novamvillam terram dimidiæ carrucæ & prata: villam Silviniacum, & in villa Judei mansi mansum unum, & ecclesiam unam in villa quæ dicitur *Farnerias*, cum tribus mansionariis accolis cum terra arabili; quamdam partem villæ de *Totendal* cum silva: in sanctæ Mariæ villa hospites, terram arabilem & silvam; in villa *Hodie* medium unius molendini, & terram arabilem, terram quoque de *Frenc*, & comitatum; in villa *Cormunt* hospitem unum; ad *Botin* hospitem unum; ad *Wis* hospites duos; ad Staplas hospites quatuor, aquaticas tres, sagenas duas; ad *Boxin* alodium Ramelini; in villa Londoniæ altare B. Laurentii cum hospitibus multis, & in territorio ejusdem civitatis capellam de *Cochenech* cum terra duarum carrucarum, & in Cochessella & Stambriga decimam de terra Wiardi *Pointel*; in parochia *Norwic* partem manerii de *Wirham* cum ecclesia, & terra arabili, & saca, & socca, & capella ejusdem villæ; in villa *Fillebi* terram reddentem viginti solidos, & duas partes totius decimæ de manso Honestaneſtone, & in Lincolnensi parochia transitum de *Gernic*. Regimen scholarum totius Monsteroli, & unctionem infirmorum ejusdem oppidi. Decernimus ergo, &c. Datum Laterani per manum Rolandi sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & cancellarii VIII. calendas Maii, indict. II. Incarnationis Dominicæ anno M. CLIV. pontificatus vero domini Anastasii papæ IV. anno primo.

XXXVII.

Ex chartario.

Fundatio sancti Andreæ de Nemore.

1157. NOtum omnibus fieri volumus, quod Hugo de *Belrain* molendinum & pratum quæ ab Ingelranno filio Sobrandi patre suo apud *Tigny* hereditarie possidebat, sub annuo censu trium modiorum annonæ, ecclesiæ sancti Judoci perpetuo possidendum concessit. Contigit autem quod abbas Adam in terra de *Gremecourt* & de *Haudicourt* & *Goſſemez*, quam ecclesia sancti Judoci per undecim & amplius annos a prædicto Ingelranno & Hugone filio ejus in eleemosynam possederat, & ibidem grangiam construxerat, mortuo Ingelranno a prædicto Hugone vexatus nimium, tam precibus quam minis devictus, abbatiam fieri concessit, eo tenore quod annuum censum trium modiorum præfati molendini quem ecclesia prædicta Hugoni solvendum spoponderat, exceptis quinque sextariis quos Fulco de *Nempont* a prædicto Hugone in feodum tenebat, ipse Hugo & Radulphus de *Hupi* frater ejus, coram omni conventu, præsente Willelmo monacho & Borgone *Nulette*, ecclesiæ nostræ libere & perpetuo possidendum concesserunt. Interfuit etiam Fulco abbas Ambianis, Joannes abbas sancti Justi, &c. anno 1157.

XXXVIII.

Ex chartario.

Charta Walterii Tirelli de Argovia pro abbatia de Balanciis.

NOtum fieri volumus tam præsentibus quam futuris, quod ego Walterus Tirellus assensu & consilio hominum meorum tradidi abbati de Balanciis ac monachis ibidem Deo servientibus, quidquid ecclesia in terra Argoviæ in præsenti possidet, & quartam partem Radulphi de *Hupy* quam in eodem territorio prædictæ villæ jure tenet vel tenere debet, in terra, in aqua & maresco, & super hoc quatuor carrucatas de nemore Alelmi, tam ex parte Roberti quam Radulphi extirpandum atque colendum, pro solo terragio perpetuo jure concessi, & pro his supra memoratis de caritate ac beneficio ecclesiæ viginti libras habui; nec prætereundum est quod si forte contigerit ut homines mei, videlicet Robertus & Radulphus, servitium meum facere noluerint, & curiæ meæ justitiam subire renuerint, tunc si terram eorum saisivero, & redditus ubique accepero, redditus quos ipsis monachis debent, accipere tunc maxime debeo, ac tamen terram suam ecclesia & quiete possidere & in pace colere debet. Si quis vero calumpniam aut contradictionem vel violentiam in toto feodo isto ecclesiæ aut fratribus intulerit, in curia vero mea, vel ubicumque justum fuerit, me prædictis fratribus adjutorem ac defensorem contra omnes qui justitiæ sententiam subire voluerint firma fide promitto; & ut hoc pactum ratum ac firmum permaneat, sigilli mei impressione & eorum qui præsentes fuerunt attestatione confirmo. Hujus rei testis est Girardus abbas de Gardo & Willelmus monachus ejus, & Bernardus conversus, fratres de Balanciis, Ursus, Alardus monachi, Eustachius *Coleth*, Waldricus de Burellis, Hugo de Avesnis, Angelrannus Lupulus; hii præsentes fuerant in via de Rua, ubi hoc donum abbati de Balanciis tradidi, recognita & confirmata super hæc coram Theoderico Ambianensi episcopo in abbatia de Dompmartino, ubi ego Walterus iterum donum concessionis hujus Deo & fratribus de Balanciis ibidem astantibus, Audoëno scilicet cellerario, & Waltero de *Dompierre* converso, per manum antedicti episcopi sub fide christianitatis meæ obtuli, & me super hiis omnibus pacem ecclesiæ tenere spopondi: ibi fuerant multi qui ob testimonium sunt conscripti; ipse dominus Theodericus Ambianensis episcopus & duo monachi ejus Ansellus & Walterus abbas sancti Acheoli, Engelbertus prior sancti Judoci, Firmaldus prior de Buriis, duo famuli episcopi Theodoricus & Goselinus, & alii plures tam religiosi viri quam seculares homines. Facta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo secundo. 1162.

XXXIX.

Ex chartario. *Bulla Alexandri III. confirmantis exemptionem & bona temporalia monasterii S. Walarici.*

1165. ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Assellino abbati monasterii sancti Walarici quod in comitatu Vitimacensi situm est, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Quoties illud a nobis petitur quod religioni & honestati debeat convenire, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertire. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio, quod specialiter ad jus Romanæ ecclesiæ noscitur pertinere, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Benedicti & Paschalis Romanorum pontificum, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste & canonice possidet, vel in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Nulli etiam sacerdotum in eodem monasterio potestatem exercere liceat, aut ejus bona quibuslibet occasionibus infestare, missas quoque publicas in eodem monasterio celebrari, vel stationes fieri præter abbatis vel fratrum voluntatem omnimodis prohibemus, ne in servorum Dei recessibus popularibus occasio præbeatur ulla conventibus. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum, benedictionem abbatis, ordinationes monachorum qui ad sacros ordines sunt promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem gratiam & communionem apostolicæ sedis habuerit, & ea gratis & absque pravitate vobis voluerit exhibere; alioquin ad quemcumque volueritis recurratis antistitem, qui nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Sane adjacens parochia cum ecclesia beati Martini & presbytero ejus in ea quam hactenus possedit libertate permaneat. Decrevimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva in omnibus sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui potestate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis. Amen. Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Hubaldus Ostiensis episcopus. Ego Bernardus Portuensis & sanctæ Rufinæ episcopus. Ego Gualterius Albanensis episcopus. Ego Henricus presbyter cardinalis sanctorum Nerei & Achillei. Ego Guillelmus sancti Petri ad vincula cardinalis. Ego Hyacinthus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in *Cosmidin*. Ego Odo diaconus cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano. Ego Cinthius diaconus cardinalis sancti Adriani. Ego Manfredus diaconus cardinalis sancti Georgii ad velum aureum. Datum Parisiis per manum Hermanni ecclesiæ sanctæ Romanæ subdiaconi & notarii decimo quinto calend. Maii, indict. decima tertia, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo sexagesimo quinto, pontificatus vero domini Alexandri papæ tertii anno sexto.

X L.

Bulla Alexandri III. pro Corbeia. Ex autographo.

1172. ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universo capitulo Corbeiensi, salutem & apostolicam benedictionem. Cum bonæ memoriæ Johannes quondam abbas vester ad nos cum dilectis filiis nostris H. & H. confratribus vestris, venisset, nos eumdem abbatem intuitu devotionis suæ, & consideratione specialitatis quod monasterium vestrum nullo mediante nobis adhæret, debita benignitate recepimus, & sicut devotum & specialem filium benigne curavimus & paterne tractare. Inspecto autem privilegio Romanæ ecclesiæ quod memoratus abbas nobis de immunitate & libertate vestri monasterii præsentavit, & audito ex ipsius diligenti relatione quod idem monasterium non sit infra fines Remensis episcopatus, sed in Ambianensi episcopatu constitutum, & in duabus villis, Folliaco videlicet & Nova-villa Corbeiæ contiguis, Ambianensis episcopus duas solas ecclesias, unam in ingressu & alteram in egressu habeat, & cum aliæ tres parochiales ecclesiæ Corbeiensis villæ proprie ac specialiter ad idem monasterium spectent, Remensis archiepiscopus vel alius non consueverit ibidem, sicut dicitur esse publicum & notorium, aliquid juris habere, venerabili fratri nostro Remensi archiepiscopo dedimus in mandatis, ut in appellationibus vel in aliis violenter possessionem vobis non impediat vel perturbet, sed si de jure confidit, recepturus & exhibiturus justitiam, per procuratores suos a proximo festo beati Lucæ usque ad annum revolutum apostolico se poterit conspectui præsentare. Inde est quod discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus si idem archiepiscopus propter hoc ad præsentiam nostram duxerit suos procuratores mittendos, vos cum instrumentis & rationibus vestris occasione postposita veniatis, vel ad sedem apostolicam sufficientes responsales mittatis, quia nos quantum Dominus nobis dederit, jura & libertatem monasterii vestri integram curabimus & illibatam servare. Datum Tuscul. IIII. kal. Septembris.

Ex autographo. ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & fratribus Corbeiensibus salutem & apostolicam benedictionem. Illis ecclesiis & personis quæ ad jurisdictionem beati Petri & nostram nullo mediante pertinere noscuntur, specialem tenemur provisionem impendere, & apostolicæ sedis auctoritate debitoque compellimur pro earum statu servando propensiorem curam & sollicitudinem gerere promptiorem: audivimus autem, & non modicum sumus turbati, quod cum monasterium vestrum ita proprium & speciale beati Petri esse noscitur, quod nullum præter Romanum pontificem prælatum habeat vel magistrum, venerabilis frater noster Henricus Remensis archiepiscopus appellationes quæ fiunt a burgensibus vestris contra rationem recipit, & causas eorum vobis invitis discutere vel tractare præsumit. Si enim appellationes parochianorum Turonensis vel Senonensis archiepiscopi non admitteret, multo minus quæ sunt a parochianis vestris debet admittere, qui tanto studiosius Romanæ ecclesiæ jura servare tenetur atque tueri, quanto ei amplius ex commissa sibi dignitate, astrictius & nobis arctiori noscitur devotione conjunctus. Inde est quod nos eum monuimus, mandavimus atque præcepimus ut de burgensibus prædicti monasterii vestri de cetero nulla ratione judicare, nec in eis aliquam sibi jurisdictionem vindicare

præsumat; & si quis eorum duxerit ad eum appellandum, ejus appellationem nullo modo admittat, sed in his & in aliis jura prælibati monasterii ita integra & illibata relinquat, quod exinde a nobis valeat commendationem recipere, & præscriptum monasterium per eum vel per suos nullum debeat sustinere gravamen: si quando autem, quod Deus avertat, contra id venire temptaverit, ad tuitionem & conservationem juris & libertatis vestræ vobis præsentes litteras de consueta apostolicæ sedis clementia indulgemus. Dat. Tuscul. tertio idus Septembris.

X L I.

Charta Theobaldi episcopi pro fraternitate sancti Nicolai.

Ex autographo.

1175. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ego Theobaldus Dei miseratione Ambianensium dictus episcopus, dilectis in Domino filiis Beringero decano & consacerdotibus ejus, & eorum successoribus, æternam in Domino salutem. Pia postulantium desideria, quæ de honesta meditatione prodeunt, & ad ampliandum fraternæ dilectionis bonum, in quo & caritas commendatur & opera misericordiæ manifesta sunt, studiosius accenduntur, opere sunt procul dubio prosequente complenda. Inde est quod petitionem vestram, dilecti in Domino, benigno favore suscipientes, institutionem fraternitatis quam communicato consilio ad honorem Dei & beati Nicolai memoriam carius amplectendam & celebrius agendam, ad reficiendos in cibo & potu per singulas ejusdem beatissimi confessoris solemnitates, secundum possibilitatem vestram, pauperes & egenos devoti & spontanei suscepistis, vobis & successoribus vestris in nomine Domini confidimus, & beneficia omnia in missis, in psalmis & eleemosynis, ad quæ cum Dei gratia strenue prosequenda bona intentione ducimini, vobis & confratribus vestris ad salutem animarum vestrarum profutura præoptamus, eleemosynas etiam vestras a devotis viris collatas in usus pauperum ad consilium vestrum per manus dispensatoris fideliter expendendas, sub ecclesiastica protectione suscipimus, & præsentis scripti munimine confirmamus. Inprimis siquidem mansum centum quadraginta pedum longitudinis & totidem latitudinis de dono & eleemosyna Hugonis dapiferi, & duos capones, & tertiam partem decimæ de *Semeirmaisnil*, & duos solidos, & duos capones de eleemosyna Waldrici de *Moliens*, & unum novale in Feliceretis ad excolendum, salvo reditu dominorum, & unum sextarium frumenti de eleemosyna *Goe* mulieris de *Semeirmaisnil* singulis annis de terragio suo recipiendum, & de eleemosyna Odelinæ uxoris Amolfridi unum sextarium annonæ, cujuscumque generis fuerit, in terra sua juxta vicum qui appellatur Carilini, quæ omnia Godefridus advocatus de cujus feodo ea pendebant, in manum nostram reddidit & in perpetuam eleemosynam permansura a nobis confirmari postulavit. Actum hoc anno Incarnati Verbi M. CLXXV. & in domo episcopali recognitum, præsentibus dilectis filiis nostris Guarino, Ingerrano archidiacono, Walterio abbate sancti Acheoli, Ricardo de *Gerberoy*, Drogone capellano, magistro Ingelbranno, Berengero, Rogero de sancto Albino, Godefrido *Decans*, Rainero de *Reincurt*, Radulfo de *Drwoil* presbyteris; de laïcis Godefrido advocato, Waldrico de *Moliens*. Data per manum Roberti cancellarii.

X L I I.

Transactio inter abbatias sancti Richarii & Balantiarum.

Ex chartis S. Richarii.

1177. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Henricus Dei gratia Silvanectensium episcopus, universis fidelibus præsentibus & futuris, notum facio quod causam quæ inter ecclesiam sancti Richarii & ecclesiam Balantiarum super quodam annuo censu vertebatur, dominus Alexander papa tertius nobis commisit audiendam, & appellatione remota fine debito terminandam. Constitutis in præsentia nostra partibus, tandem mediante pacis concordia inter præfatas ecclesias in hunc modum composuimus. Statutum igitur ex concessione utriusque partis, quod quidquid monasterium sancti Richarii jure ecclesiastico possidebat ab Argovia super fluvium Alteiæ usque ad Ponte-vallem in terris cultis sive incultis, nemoribus & aquis, decimis & terragiis, tertiam scilicet partem totius nemoris de *Pinchemont*, & haias de Langreia, potellis & nefflerиis, terram & aquas Geremboldi, & quidquid præfata ecclesia sancti Richarii infra prædictorum terminos locorum habere consueverat in quolibet genere possessionis; prædicta Balantiarum ecclesia libere & absolute jure perpetuo possidebit, hac scilicet conditione, quod singulis annis ecclesia Balantiarum ecclesiæ sancti Richarii undecim libras infra octavas Pentecostes censualiter persolvet, salvo tamen censu sancti Richarii viginti septem solidorum & quingenta * anguillarum, quem ex dicta parte Balantiarum ecclesiæ sancti Richarii annuatim in festo ejusdem, sanctique Dionysii quod eodem die celebratur, censualiter tenetur exsolvere. Super his omnibus Laurentius abbas & capitulum ejusdem monasterii pacti sunt garandiam præstare, & facere quantum justitia dictabit, anno M. CLXXVII.

* forte 50 aut 500.

X L I I I.

Fundatio Hispaniæ.

Ex chartario.

EGO Ingerranus de Fontanis seneschallus Pontivi, notum facio quod ob remedium animæ meæ & antecessorum meorum, assensu D. Theobaldi Ambian. episcopi, assensu D. mei Joannis comitis Pontivi concessi & contuli sanctimonialibus Cisterciensis ordinis decimas de *Vionval* & de *Maltort*, & tertiam partem nemoris *Mutuel*, & septem jugera nemoris super Hispaniam, & totam terram quam habeo juxta pontem de *Remy*: insuper contuli omnes furnos meos de *Novion*, & quicquid juris in illis habeo, exceptis . . . . . furnorum duorum de dono meo habuerunt Simon de *Hupi* & Galterus de Bovella, & furnum quem tenuerat in vita sua Odo . . . . & ille est de furnis de *Novion*. Hoc totum ut ratum & inconcussum permaneat, sigilli mei impressione firmavi, & locum assignavi ad fontem sancti Albini, in quo, Deo annuente, conventus ad minus tredecim sanctimonialium, sicut ab initio statutum est, poterit permanere & in Domino militare, ita videlicet quod ille conventus nulli alii domicilio debet esse subjectus. Testes sunt hujus rei Theobaldus Ambian. episcopus, Johannes comes Pontivi . . . . primus capellanus episcopi, Bodinus canonicus Ambianensis, Robertus canonicus sancti Vulfranni, Hugo miles de sancto Richario, Petrus Brotinus & multi alii. Actum anno Incarnati Verbi M. CLXXVII. mense Februario. 1178.

X L I V.

Charta Hervei abbatis Majoris-monasterii pro Carocampo.

Ex chartis Majoris-monasterii.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. 1184. Sciant omnes filii sanctæ ecclesiæ tam præsentes quam futuri, quod ego frater Herveus cœnobii Majoris-monasterii dictus abbas de assensu capituli nostri, & frater Andræas prior de *Buiencurt*, monachus noster, condonavimus & penitus indulsimus ecclesiæ Caricampi omnem querelam quæ erat inter nos & illam super constructione cujusdam vivarii in hereditario nostro firmati: nam in recompensatione & restitutione omnium rerum quas in villa & in maresco

marefco de *Berrech*, tam de molendino quam de curtilibus five mafuris ex enormitate vivarii amifimus, fupradicta ecclefia Caricampi fratribus noftris de *Buiencurt* per fingulos annos infra Omnium fanctorum feftivitatem quinque fextarios frumenti ad menfuram Durlendi apud abbatiam folvere debet, abfque moleftia & difficultate. Nos vero de curtilibus & manfuris hofpitum noftrorum quæ ab aqua illæfa remanferunt, five de debito cenfu eorum nihil retinemus; fed omnia pro memorato cenfu V. fextariorum frumenti prætaxatæ ecclefiæ in perpetuum dimifimus, & velut eleemofynam noftram guarantizare & acquietizare eidem promifimus. Ut igitur hoc ratum fit in perpetuum, præfentem paginam per chirographum confcriptam, figillo noftro & domni Artaudi abbatis Caricampi charactere munivimus, & teftibus his corroboravimus. De capitulo noftro teftes funt frater Andreas prior de *Buiencurt*, frater Fulcherius prior de Mentenaco, frater Bernardus prior de *Sartum*. De capitulo Caricampi teftes funt frater Siboldus prior, frater Johannes Grangiarius monachus, frater Petrus cellerarius, frater Radulfus *Louels*, & Ingelrannus miles. Actum anno Incarnationis Domini M. CLXXXIV.

X L V.

Reg. 587. *Philippus rex epifcopum Ambianenfem eximit a procuratione.*

1185. IN nomine fanctæ & individuæ Trinitatis, Philippus Dei gratia Francorum rex. Dignitati regiæ convenit fibi devotos in beneficiis ita refpicere, ut dum noftra retributio quorumdam refpondet meritis, alii ad idem talibus invitentur exemplis. Noverint itaque univerfi præfentes pariter & futuri, quod quoniam terram Ambianefii & comitatum Ambianenfem Philippo Flandriæ comite id nobis relinquente fufcepimus, fidem & devotionem quam ad nos habebat Ambianenfis ecclefia dilucide cognovimus, quæ non folum nobis citra hoc multum devotionis exhibuit, verum cum feodus terræ prædictæ & comitatus ad ecclefiam illam ex eo quidem quod habet de noftro regali pertineret, & exinde fibi deberet hominium percipere, voluit hæc ecclefia & benigne conceffit ut feodum fuum abfque faciendo hominio teneremus. Cum itaque nemini facere debeamus hominium vel poffimus, ad quod ecclefiæ devotionem attendentes, dictam ecclefiam & epifcopum ab omni procuratione noftra & fervientium noftrorum abfolvimus & quietos effe præcepimus, quandiu nos & fucceffores noftri reges Franciæ terram Ambianenfem & comitatum tenebimus, ita quod fi forte terram iftam aliquis deinceps habuerit, qui ecclefiæ Ambianenfi poffit hominium facere, hominium faciet epifcopo de prædicto feodo, & epifcopus nobis & fuccefforibus noftris regibus Franciæ, noftrifque fervientibus noftras procurationes, ficut antiquitus ceteri epifcopi Ambianenfes confueverant, ab illo tempore in futurum exfolvet. Quæ omnia ut inconcuffam fortiantur ftabilitatem, præfentem paginam figilli noftri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato communiri præcepimus. Actum Compendio anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXV. regni noftri anno VI. aftantibus in palatio noftro quorum nomina fuppofita funt & figna. Sign. comitis Theobaldi dapiferi. S. Guidonis buticularii. S. Matthæi camerarii. S. Radulfi conftabularii. Datum per manum Hugonis cancellarii.

X L V I.

Fundatio monafterii beatæ Mariæ de Seri.

1185. QUoniam fuperabundans iniquitas lites excitat innumeras, quod amicabili compofitione vel diftricto terminatur judicio, fcripto commendare neceffarium duximus. Nobis igitur qui nunc fumus, & eis qui futuri funt, notum facit præfens charta quod Willelmus de Caiaco filius alterius Willelmi omni reclamatione peremta, libere & quiete, annuente uxore fua *Ifabel*, conceffit ecclefiæ beatæ Mariæ de *Sery* omnes eleemofynas a patre fuo & ab avo fuo eidem ecclefiæ collatas, & in diebus fuis habitas & poffeffas, quas nominatim exprimimus. Hæ funt eleemofynæ datæ & conceffæ ab Anfello avo fuo: locus ubi abbatia conftituta fuit, & nemus in circuitu applicatum; altare de Frivillâ cum decima; ecclefia de *Waldricort* cum cimiterio & decima; altare de *Boulaincort* cum decima, quæ omnia fecundum dierum malorum confuetudinem ad fuum feodum pertinere dicebat; terra de *Anfaifne* data pro commutatione de *Loncefcart*, per totum nemus de *Seri* mortua ligna ad ufus neceffarios, viva ad ædificia facienda vel reficienda, per omnes faltus ejufdem nemoris & per *les Echars* ubicumque fiunt vel fient; tota decima de terra Hugonis de Seranvilla; triginta jugera & quicquid ecclefia prædicta acquifivit vel acquirere poterit ab hominibus fuis unde fervitium non perdat. Poft obitum vero Anfelli Willelmus filius ejus conceffit & confirmavit prænominatæ ecclefiæ omnes eleemofynas quas pater fuus ante dederat & conceffe rat. Infuper quædam addidit, concedentibus fratribus fuis Stephano & Arnulfo: locum videlicet ubi abbatia nunc eft, fedem proprii molendini, terram Hugonis de Frivilla, terram de *Beincort*, terram de *Fraimercort*, beneficia ecclefiæ fancti Severini a patre fuo data, & a feipfo conceffa, fedem videlicet loci, & nemus undique ab angulo Gilæ ufque ad terras de *Noicleu*, unam manfionem extra nemus de *Sery*; cui etiam nemus donavit quemadmodum habetur in abbatia, terram Guidonis de *Anfaifne* de *Conticeals*. Defuncto autem prædicto Willelmo, Willelmus filius ejus, cujus figilli impreffione præfens charta firmatur, omnes eleemofynas prænominatas, ficut jam dictum eft, conceffit & confirmavit. Præter hoc diebus fuis decem jugera terræ, Johannis-locum, & tertiam partem decimæ de *Anfou* & de *Anfouvel*, & de *Erlaincort* dedit & conceffit; domui de *Rohaftre* conceffit confuetudinem accipere mortua ligna in toto nemore de *Sery*, ficut fratres Templi habere confueverant; prætereа tertiam partem molendini *Herlant*, quam Anfcerus molendinarius, qui eam hereditario jure poffederat, prænominatæ ecclefiæ contulit, idem Guillelmus conceffit & confirmavit: quinque autem modios bladi ad menfuram Blangeii fingulis annis eidem ecclefiæ reddendos affignavit & obtulit fuper altare, & fide firmavit tenendum, quos quinque modios ecclefia fanctæ Mariæ de *Sery* redditura eft ecclefiæ S. Luciani Belvacenfis pro recompenfatione villæ de *Brouftele*, quam ipfe Willelmus a monachis acceptam poffidet; hos autem quinque modios affignavit effe capiendos partim ad terragium & donum fuum de *Anfaifne* & ad terragium de *Fraimercort*, dimidium modium, & decem folidos, & fex denarios, & viginti fextaria & unam minam ad molendinum *Herlant* tertiæ parti addita a fefto fancti Remigii ufque ad Natale Domini recipienda, cum dimidio modio quo in die confecrationis eamdem ecclefiam dotavit. Unam quoque manfionem in marefcis de Caiaco liberam conceffit, & pratum juxta portam. Actum eft hoc in præfentia Radulfi Ambianenfis archidiaconi, & figilli ejus impofitione munitum. Relatum eft etiam & ab ipfo Willelmo coram domino Theobaldo Ambianenfi epifcopo conceffum, & figilli ejufdem venerabilis epifcopi munimine roboratum. Poftremo recognitum eft ab eodem Willelmo coram domino fuo Bernardo de fancto Gualarico, & uxore illius *Aanor*, & filiis ejus domino Rainaldo & Bernardo. Teftes ex parte ecclefiæ frater Hugo fubprior, frater Ebrardus præpofitus, frater Gauterius de *Aercort*, Robertus decanus fancti Maxentii, Matthæus Ambianenfis ecclefiæ canonicus, Hugo prefbyter de *Boullaicort*, Teftes ex

parte Willelmi Eustachius de *Helifcort* & Gosselinus frater ejus, Laurentius de *Siringuehan*, Isaac de *Estru*, Robertus de *Herbeffent*, Ingerrannus de Curtavilla, Mauricius *Gorles*, Rogerius de *Morival*, Rogerius clericus, Robertus Anglicus, Robertus de Grandicuria, Gilbertus Anglicus. Actum anno Incarnationis Domini nostri M. CLXXXV.

XLVII.

Theobaldus episcopus possessiones monasterii beatæ Mariæ de Seri *confirmat.*

1185. THEOBALDUS Dei miseratione Ambianensis dictus episcopus, dilectis in Domino filiis Simoni venerabili abbati ecclesiæ beatæ Mariæ de *Sery* & fratribus ibidem Deo servientibus secundum instituta beati Augustini regularem vitam professis, & eorum successoribus, æternam in Domino salutem. Pia postulantium desideria, quæ de honesta sollicitudine prodeunt, & ad confortandum ecclesiastici ordinis vigorem in augmentum religionis studiosius accenduntur, opere sunt procul dubio prosequente complenda. Eapropter, dilectissimi, sollicitudinem vestram & laudabilem intentionem de providenda rerum vestrarum stabilitate diligentius attendentes, & petitioni vestræ super hoc grato concurrentes assensu, eleemosynas quas domini de Caiaco Ansellus & filius ejus Willelmus, & ipsius Willelmi filius Willelmus ecclesiæ vestræ contulerunt, & omnia bona a tempore antecessorum nostrorum Ingelranni & Warini bonæ memoriæ episcoporum collata, quæ in præsentiarum possidetis, sicut in litteris eorum continetur, necnon & ea bona quæ temporibus nostris per gratiam Dei adquisiistis, sub beatæ Mariæ & sancti Firmini martyris & nostra protectione vobis perpetuo possidenda suscipimus, & pontificali auctoritate confirmamus. Ex quibus hæc propriis duximus nominibus exprimenda: sedem loci primæ habitationis in nemore de *Sery*, & nemus undique applicatum; sedem loci modernæ habitationis in prato, &c. Hæc igitur singulis distincta capitulis, & quicquid in præsentiarum juste & canonice possidetis, sive in posterum legitime per gratiam Dei poteritis adipisci, vobis rata esse decernimus, salva reverentia Ambianensis ecclesiæ & integro episcopali jure; & ne ab aliquo hæc nostra confirmatio temere impetatur, sub anathemate interdicimus. Actum est hoc V. cal. Aprilis anno M. CLXXXV. assistentibus dilectis filiis nostris Ingerranno decano, Willelmo præposito, Radulfo Pontivensi archidiacono, magistro Roberto *Polet*, Richardo de *Gerberoy*, Johanne de Pinconio, Petro Parisiensi, Manasse de Cantegniis ecclesiæ nostræ canonicis, Thoma sancti Johannis extra muros, Odone sancti Martini de Gemellis abbatibus, Stephano tunc temporis prædictæ ecclesiæ priore. Datum per manum Roberti cancellarii.

XLVIII.

Ex chartario. *Donationes factæ sancto Andreæ de Nemore.*

EGO Willelmus castellanus de sancto Audomaro & dominus de Belloramo, notum facio universis præsentem paginam inspecturis, me cartam domini Willelmi castellani patris mei vidisse sub hac forma.

1185. Noverint omnes tam præsentes quam futuri conventionem hujusmodi factam inter ecclesiam S. Andreæ & Willelmum sancti Audomari castellanum: idem namque Willelmus dedit perpetuo in eleemosynam prædictæ ecclesiæ quinque carrucatas nemoris ad mensuram Monstrolii extrincandas ad medietatem propriis expensis ecclesiæ, & seminandas de proprio, &c. Ut autem istam medietatem fratres libenter acciperent, & eam facilius implere possent, dedit eis unam carrucatam nemoris omnino liberam, extrincandam & reservandam in nemore si voluerint, & triginta jugera nemoris similiter libera ad mansionem faciendam.

A Propter hanc vero conventionem & propter damna maxima quæ idem castellanus intulerat prædictæ ecclesiæ in guerra quæ fuerat inter regem Francorum & comitem Flandriæ, concessit eidem ecclesiæ totum nemus de *Gremercort* libere possidendum jure perpetuo, ad voluntatem fratrum ubi voluerint extrincandum vel reservandum, salvo censu Hugonis *Colart*, &c. Concessit etiam prædictæ mansioni exitus suos ad animalia ducenda in pascua & communia pascua per totam terram *Belraim*, exceptis pratis quæ sunt in *Belraim*, *Seville* & *Marefchel*, cum mansura ejusdem villæ, insuper & medietatem piscaturæ; item, quidquid prædicta ecclesia in dominio de *Belraim* possidebat in die qua conventio ista facta est, libere illi concessit, sicut continet subjecta descriptio. Ex

B dono Inguelrami de *Belraim* patris Hugonis *Pechot*, quidquid ipse habebat in *Gremercort*, tam in terra quam in nemore, medietatem de *Laudencort*, totam terram de *Selaigny*, feodum Walteri *Caqier*, terram Emmelinæ de *Belraim*, terram *Ponpessentz*, feodum Henrici de *Dannicort*, terram Petri filii *Audain*, terram Ligeri. Ex dono Walteri *Tirel* & Inguerranni de *Morlay* tres partes *del Fay* & tria jugera ex parte ejusdem Walteri libera ad partem augendam. Ex dono Roberti de Argovia totum feodum suum de *Campagnes* in bosco & campo, in hospitibus & omnibus redditibus. Ex dono Hugonis de *Goy* medietatem de *Laudencort* & totum . . . . . dimidium alodiorum . . . . prata *Liencort, Sothiermont*. Ex dono Eustachii *Colette* carrucatam unam terræ ad

C medietatem, & viginti jugera terræ libera juxta *le Fay* pro prædicta medietate, & sexdecim jugera citra *le Fay* similiter libera, quæ idem Eustachius dedit eidem ecclesiæ pro quadam concordia, &c. Facta sunt hæc omnia anno Verbi Incarnati M. CLXXXV. Recognita autem his præsentibus & testibus Ida uxore prædicti castellani & Willelmo filio ejus, & ceteris filiis ipsius omnia supradicta concedentibus, Radulpho de *Hupi*, Willelmo filio ejus, Henrico de *Caumont*, Baldevino de Capella, Roberto fratre ejus, Ingelramo de *Belraim*, Hugone de *Goy*, Hugone *Coletz*, Gonfrido de *Heemont*, Warino de *Marefchel*, Eustachio de *Gyemes*, Anschero de Argovia, Ingelranno de *Brimeu*, Ingelranno *Farche*, Oylardo *Daubin*, Wallone de Pranra, Gaufrido de *Hiermont*, & Goinfrido fratre ejus, Petro *Lorice* & Frodone filio ejus, Adam *Dauste*, Adam *Justice*, &c.

D Gosselino tunc temporis ejusdem ecclesiæ abbate, Johanne *Daubin* priore, Baldevino præposito.

Cum igitur pater meus, sicut supra dictum est, prænotatæ ecclesiæ concessisset quinque carrucatas ad medietatem excolendas & propter hoc dedisset ei unam carrucatam omnino liberam, sitam partim in loco qui vocatur *Crasmainil*, partim juxta vallem Hivonis, & insuper triginta jugera ad mansionem dictæ curtis faciendam, ego postmodum fratribus dictæ ecclesiæ tot carrucatas extrincare non permisi quot eis concesserat pater meus, pro eo quod castellum meum a nemore nudare, & nemus meum annichilare nolebam, sed quantum de prædictis quinque carrucatis extrincaverunt & ad medietatem excoluerunt & tenuerunt, cum carrucata libera & triginta jugeri-

E bus pro situ dictæ curtis, cum nemore adjacenti, ita in perpetuum pacifice tenenda concedam, hoc adjecto quod ego fratribus dictæ ecclesiæ quoddam maricadium quod vocatur Gerardi *le Pellu*, situm inter nemus vallis Hivonis & villam de *Campagnes*, & pratum quod est ante portam vallis Hivonis extra fossatum, ad usagium dictæ ecclesiæ, omnino libera confirmavi tenenda in perpetuum, &c. Ceterum cum præfatus pater meus dictæ ecclesiæ contulisset in eleemosynam medietatem piscaturæ molendini de *Marefchel*, & ipsum molendinum cum multura ejusdem villæ per suas litteras confirmasset, ego totam piscaturam quæ ad dictum molendinum pervenire potest, donavi & concessi dictæ ecclesiæ tenendam & capiendam in

perpetuum per censum mille anguillarum, vel allecium si anguillæ defuerint, mihi & heredibus meis infra Quadragesimam solvendorum, &c. Ad majorem igitur supradictorum omnium stabilitatem præsentem paginam sigilli mei munimine duxi roborandam. Actum anno Verbi Incarnati M. CCXLIV. mense Julio.

XLIX.

Chart. Corb. *Diploma Philippi regis de moneta Corbeiensi.*

1185. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi ad quos litteræ præsentes pervenerint, quoniam nos fidelem nostrum Joscum Corbeiæ abbatem rogavimus & postulavimus, ut monetam nostram Parisiensem in sua villa currere faceret, salvo jure suo, & eidem concessimus, & in verbo regio creantavimus quod cum monetam suam iterum facere voluerit, contra non ibimus, neque vim aliquam ei aut successoribus ejus inde faciemus, imo ad beneplacitum suum monetam suam in villa sua sine contradictione currere faciet. Quod ut firmum & stabile permaneat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate confirmari præcepimus. Actum Ambiani anno Incarnati Verbi M. CLXXXV. regni nostri anno VII. mense Martio.

L.

Status & modus fundationis & susceptionis sanctarum reliquiarum ecclesiæ B. Mariæ de Longo-prato in Pontivi comitatu supra Somonam fluvium, diœcesis Ambianensis.

1190. ANNO Incarnati Verbi millesimo centesimo nonagesimo, regnante piissimo Francorum rege Philippo, metropolitanæ sedis Remensis antistite ejusdem gloriosi regis avunculo Guillermo, sub venerabili patre Theobaldo Ambianensi episcopo, & illustri viro comite Pontivi Johanne, claruit apud Longum-pratum vir bene catholicus, miles egregius, genere nobilis, sed pietate nobilior, præstantique corpore, jocundo aspectu & eleganti facie, statura procerus, in militaribus negotiis prudens & strenuus, Alelmus de Fontanis; cujus ut imitemur temperantiam, temperantius quam veritas habet, præconia recensemus. Uxor ejus admodum generosa, inclyti principis filia Bernardi de sancto Walerico Loretta fuit, conjux laudabilis, sed felix vidua, ad viri sui laudes & animos magnanimitate sui plurimum creditur addidisse. Hæc sobolem suam (quam mundo pepererat) Christo parturire non cessabat: orationibus vero semper intenta, in decore domus Dei quam dilexit diligenter officiosa, fidei domesticos, altaris ministros, Christi cubicularios tanquam propria diligens viscera. Infirmis autem compatiens, & egenis, ut infirmitatibus pauperum subveniret, quos venalis physica contemnebat, didicit medicinam. Sex operibus misericordiæ quæ numerantur in Evangelio, & septimo Tobiæ octavum addidit, ut quos pascebat infirmos curaret, quæ sicut animi virtute non erat inferior viro, sic barbata facie seipsam exhibuit virum. Cum igitur terra promissionis, peccatis exigentibus, occulto Dei judicio in manus Gentilium data esset, prædictus Alelmus vir inclytus ad subsidium terræ sanctæ triumphale signum crucis propriis affixit humeris, ut passiones passionibus & crucem rependeret cruci; quatenus similitudini mortis Christi complantatus, simul & resurrectionis ipsius particeps effici mereretur. Salubri itaque functus est consilio & crebra uxoris sollicitatione commonitus, ut peccata condignis prius redimeret eleemosynis, & in fundo proprio construeret & dotaret ecclesiam, ut orationum suffragante patrocinio delictorum suorum maculas expiaret: affuit & parentum devotioni non indevota soboles, quæ felici commercio terrenam hereditatem pro cœlesti commutare consensit. Licet autem villa Longi-prati temporibus illis arcta satis esset & modica,

A aridaque nimis, nec multis clericis accommoda, rarusque in ea esset habitator, idemque rudis & brutus; non sine divino nutu, occulta quadam consideratione prædictus vir nobilis & uxor ejus ibidem locum suo deputantes proposito, in honorem sanctæ & gloriosæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ ac ejus gloriosæ Assumptionis construxerunt ecclesiam, & de suo dotaverunt patrimonio, dotemque & specialem ejusdem ecclesiæ morem & institutionem, non solum suo authentico, sed etiam scripto venerabilis patris Theobaldi (qui tunc Ambianensi sedi præsidebat) annotari & confirmari fecerunt. In qua quidem ecclesia ad serviendum Deo & gloriosæ virgini Mariæ primo presbyterum unum instituerunt, cui de redditibus a Deo sibi datis, victum & reliqua vitæ necessaria pro-
B videre curaverunt. His itaque gestis, memoratus Alelmus cum Francorum exercitu militare desiderans, crucis imposuit sibi signum; & postquam ex illa Blactentium & Cumanorum famosa victoria Balduinus imperator miserabiliter in eorum manus inciderat, Domino permittente, cum jam per menses quindecim de morte seu vita ipsius nulla fuisset reddita certitudo, & Henricus frater ejus (penes quem interim summa rerum gerendarum remanserat) adeptus fuisset culmen imperii, quidam ex Francis qui cum exercitu ab initio venerant, repatriare volebant. Sed ille Alelmus Christi præclarus miles, iter peregrinationis arripiens, ad terram promissionis feliciter pervenit; ibique Christo militans, ceterisque festinantibus ad reditum, indignum se judicans imperfecto redire negotio, terræ sanctæ
C factus est accola usque ad annum Dominicæ Incarnationis millesimum ducentesimum quintum; in quo cum Dominus Græcorum contrivisset superbiam, & in manus Latinorum, capta Constantinopoli, Græcorum dedisset imperium, multis ibidemque gestis præclare & strenuiter antequam diem clauderet extremum, sacrasque & venerabiles reliquias (quas pia sollicitudine utpote omnibus carus perquisierat) de civitate Constantinopoli memorata per sacerdotem quemdam capellanum suum Wlbertum nomine, ad ecclesiam suam Longi-prati prædictam quasi sub testamenti serie delegavit; qui quidem postmodum, ut Christi bonus miles, ibidem beato fine quievit. Successit viro dulcis memoriæ filius prudentiæ heres non degener, sed & devotionis successor verus; nam præfatam ecclesiam fovit consiliis, ampliavit beneficiis &
D patrocinio roboravit; ut pater tantum jecisse semina, ipse vero perfectionis maturitatem videatur addidisse. Præfata vero Loretta tanto viduata conjuge, sexagesimum viduitatis fructum in trigesimum declinare non statuit; sed vidua perseverans Christum elegit sponsum, ecclesiamque suam tenellam adhuc & parvulam tanquam filiam materno dilexit affectu, & ejus promissioni tanquam apis argumentosa deserviens, relictisque castris & dotalibus, apud eam electa mansione eidem assidere studuit, una cum filia sua Maria; quæ quidem filia viduitatis comes extitit indivisa, exactis cum viro suo annis paucis: a virginitate sua jejuniis & obsecrationibus vacans, die ac nocte non discedebat de templo; sed suum sexagesimum fructum virginitatis centesimo virtutum merito contendebat adæ-
E quare. Igitur mater & filius Hugo prædictus, addere ecclesiæ incrementum pari voto conspirantes, primæ præbendæ duas alias collatis reditibus addiderunt. Parato itaque navigio, & valedicens Wlbertus magistro & fratribus, mare cum ceteris introivit, & infra mensem, Deo annuente, Venetias appulerunt. Sed prius dum per partes Achaiæ pertransissent, quasi divino oraculo sol in eclipsim vertitur, & fuit nubes tenebrosa illuminans noctem, ne ab adversariis desiderabili thesauro destituerentur; qui cum terram Lombardorum & asperitates montium evasissent, capti sunt in pago qui sancti Raymbalti dicitur; ubi cum eorum essent sarcinulas scrutaturi prædones, se & sua quadam summa pecuniæ redemerunt. Condixerant enim

intra se tota societas ut postquam terram pacificam attigissent, quilibet juratus quicquid haberet proferret in medium, ut exigeretur a singulis pro suarum rerum valore; nisi quia inter eos erat quidam nuncius imperatoris Henrici, qui sanctuaria innumera ex parte domini sui Flandriam deferebat, nec ad id ullatenus, nisi exceptis sanctuariis, se voluit obligare. Conductus securitatem ubi decuit, per imperatoris ministros habuerunt. Protectos insuper divini numinis præsentia, nihil in via contrarium contristavit; nulla denique eis intemperies aëris nocuit, nec stilla pluviæ cecidit super eos, licet ipsis susceptis in hospitio, pluisset pluries abundanter. Tandem dominus Wlbertus adveniens, præfatam ecclesiam Longi-prati tantis ac sacrosanctis reliquiis divinitus illustravit, atque panniis & ornamentis sericis adornavit. Attulerat autem præfatus Wlbertus sigilla militis Christi Alelmi magistri sui, cum litteris patentibus ad ejus uxorem Lorettam & filium ejus Hugonem; cujus quidem capellani relatio nobis historiæ præsentis seriem notam fecit. Qui statim per nuntios miserunt ad venerabilem Richardum tunc Ambianensem episcopum, ut ad hunc tam magnum & admirabilem adventum ac nobile spectaculum venire dignaretur, qui cum talia & tanta accidissent, accessit ad ecclesiam, vidensque & considerans rei adventum, tantumque sacrum thesaurum de tam remotis partibus Constantinopolitanis nutu divino in diœcesim suam translatum, Domino gratias agens, hostias & oblationes devotas obtulit, & benedixit Dominum qui de tantis muneribus sacrisque reliquiis dignatus est visitare & consolari plebem & diœcesim suam; & intra se admirans & videns tantarum reliquiarum abundantiam, cum humilitate ac pia devotione aliquam sibi particulam petiit elargiri, quam promisit in ecclesia sua matrice cum multa reverentia collocare; qui ut petiit ita factum est, & in earum recompensationem, de suis, quas penes se habebat, reliquiis benigne ecclesiæ nostræ retribuit. Facta igitur collatione ipsarum reliquiarum cum litteris & sigillis quibus erat vas signatum, invenerunt omnia esse vera. Quanta itaque devotione, quantisque fletibus & suspiriis inspecta fuerint ab eodem venerabili patre, matreque & filio & aliis circumspicientibus vix perpendi potest; qui de tanta visitatione exhilarati, nec divinis ingrati beneficiis Deo & gloriosæ virgini, sanctisque quorum sacras reliquias receperat ecclesia oblationes devotas obtulerunt, ac in ea novam iterum præbendam formaverunt, quam dicto Wlberto contulerunt. Insuper & dicti Hugonis fratres Ysembardus & Galterus in hac sacra receptione pro præbendis etiam novis formandis, & luminari ecclesiæ faciendo, donec duodecimus numerus præbendarum, qui sacer est & apostolicus formaretur, certos reditus eidem ecclesiæ contulerunt, & non solum authentico, sed & ejusdem venerabilis patris Richardi scripto, ac etiam summi pontificis Innocentii III confirmari fecerunt; qui quidem summus pontifex ecclesiam & ejus personas cum omnibus bonis quæ impræsentiarum possidebat, aut in futurum poterit adipisci, sub beati Petri & sua protectione suscepit, ac etiam confirmavit. His itaque sacrosanctis reliquiis in hac ecclesia solenniter susceptis, exit fama celebris & divulgatur; primum per loca vicina, deinde per civitates & villas. Concurrunt omnes ad gaudium tanti adventus, videre desiderantes causam felicitatis præsentium temporum & totius patriæ & regionis; omnium voce laudatur & benedicitur Dominus in sanctis & factis suis dicentium: Benedictus qui venit in honore Domini, cujus ministerio patria & regnum Franciæ exaltantur & laudantur. Facta autem est hæc translatio harum reliquiarum nutu divino a civitate & partibus Constantinopolitanis ad hanc ecclesiam beatæ Mariæ de Longo-prato, die quarta mensis Augusti, anno Domini millesimo ducentesimo sexto; quo etiam facies capitis præcursoris Domini beati Joannis Baptistæ allata fuit in ecclesiam Ambianensem, ex eadem civitate Constantinopolitana, ac suscepta ab ipso venerabili patre Richardo episcopo. Qua in re pensandum est quomodo & qualiter nunc plangit Constantinopolis & omnis Græcia spolia sanctorum amittens quorum præsentia exaltabatur & gaudebat, de quibus hodie ditatur nobilis Francia, & fit laudabilis præsens ecclesia. Stante itaque eodem venerabili patre Richardo in eadem Longi-prati ecclesia, ad instantiam patroni ex deliberatione capituli & ejusdem episcopi consilio institutum fuit, ut quoniam ipsa dies quarta Augusti semper occupatur in recollectione segetum & fructuum pro tempore messis, fieret a modo solennis commemoratio susceptionis sanctarum reliquiarum Dominica proxima post festum Decollationis B. Joannis Baptistæ, ut populus libentius & plenius ad tantam solennitatem conveniret; & si hujusmodi festum Decollationis Dominica eveniret, sequente Dominica solenniter celebraretur; in qua quidem solennitate a nonnullis reverendis in Christo patribus & divinis legatis, pœnitentiariis, archiepiscopis & episcopis tam hujus diœcesis quam in curia Romana temporibus retroactis existentibus, necnon & a sanctissimo patre & domino nostro Eugenio Papa IV. huic ecclesiæ, tam in hoc die quam per octavas & per cursum totius anni conferuntur tria millia octingenti octoginta & quinque dies indulgentiarum annuatim, ut clarius & plenius patet per gratias & bullas authenticas a prædictis patribus & dominis huic ecclesiæ nostræ transmissas. Eo itaque tempore vir bene catholicus & nobilis princeps Guillelmus comes Pontivi & Monstrolii suppliciter ad præfatam Longi-prati ecclesiam accedens, de tanta reliquiarum copia aliquam partem cum multa devotione sibi postulavit impertiri; qui voti compos effectus, acceptas reliquias in ecclesia beati Wlfranni cum multa reverentia collocavit, & ecclesiæ Longi-prati costam unam ejusdem beati Wlfranni in recompensationem contulit, ac in vice-comitatu Abbatis-villæ eidem ecclesiæ quatuor libras Parisienses annui reditus assignavit, ecclesiamque beatæ Mariæ cum universis pertinentiis quas tunc possidebat, & quas juste poterat adipisci, & canonicos ejusdem cum omnibus bonis suis sub perpetua defensione & protectione sua & heredum suorum suscepit, tanquam ejusdem ecclesiæ patronus; possessiones quoque quas ecclesia possidebat, sicut in scriptis fundatorum suorum continebantur, confirmavit. Idcirco, dilectissimi, beatam dicamus ecclesiam nostram, quæ tantorum sanctorum conservat reliquias, sibi Domino præstante commissas. Laudemus etiam Dominum in sanctis suis, atque lætemur in solennitate sanctorum quorum reliquiæ in præsenti continentur ecclesia, orantes & deprecantes, ut eorum precibus apud Dominum adjuvemur in cœlis quorum hodie memoriam agimus in terris. Oremus insuper Deum Patrem omnipotentem pro nobili patrono nostro Christi milite Alelmo, ac pro fundatoribus & benefactoribus nostris; quatenus qui tantorum sanctorum reliquias nobis proximari fecerunt, & hanc ecclesiam de suis muneribus & beneficiis honorarunt & dotarunt, beatitudinem perennis vitæ ac sanctorum omnium consortia adipisci mereantur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

L I.

Narratio fundationis monasterii Loci-Dei.

Ex manuscriptis Fulcardi montis. 1191.

FULCARDI-MONTIS abbatia in diœcesi Rotomagensi, comitatu Augensi constituta, gloriosæ cœlorum reginæ ac beato Evangelistæ Johanni sacra a potentissimo principe Henrico Augensi comite anno Domini 1130. fundata, cum in dies religiosorum numero ac fama sanctitatis excresceret, ac veluti vitis fructifera propagines extra se foras emittere decrevisset,

D. Hugoni quarto illius loci abbati visum est monachos aliquot, præfecto illis in abbatem D. Vivardo in hanc vallem ad novi monasterii fundationem, anno circiter M. CLXXXIX. transmittere. Qui quidem ad nemorosum istud ac paludosum tunc temporis alnetum declinantes ibi aliquandiu consedere, usque dum crebrescente paulatim ipsorum fama sanctitatis, anno Domini M. CXCI. pontifice maximo * Innocentio III, regnante in Gallia * Ludovico VIII., illustrissimus vir Bernardus dominus & castellanus de sancto Walarico supra mare, de Augo & de Gamachiis, divini amoris igne succensus, cum *Aanor* nobilissima conjuge sua, ac subscribente Thoma filio suo primogenito ac herede primario, cœnobium prædictis abbati & monachis in Dei ac beatissimæ virginis Mariæ honorem in hocce Loco-Dei a fundamentis erexit, & plurimis possessionibus stabilivit. Hic nempe vere Dei locus faustam hanc non immerito sortitur nominis appellationem. Prædictus siquidem fundator Bernardus cum extructi a se in Gamachiensi oppido castelli, una cum memorata conjuge sua circuitum lustrando perambularet: Eia, inquit, conjux mea, vides quomodo commodum habitationi nostræ locum magnis jam sumtibus excitaverimus, par est equidem ut divinæ circa nos bonitatis beneficia grato recolentes animo, nomini ejus habitaculum jam ædificemus, in quo Dei famuli illius obsequio perenniter mancipati, in tantæ majestatis conspectu sacrificium laudis ac contriti spiritus jugiter offerentes, pro nostris excessibus satisfacere ac divinæ nobis propitiationis effectum impetrare non desinant. Cui subridens uxor, quasi laudabili viri proposito gratulabunda congestiens; hæc igitur, ait, habitatio Loci-Dei nomine digna jure censebitur, unde postmodum factum est, ut constructæ jam abbatiæ Loci-Dei nomen indixerint. Quanto præfatus Bernardus patres nostros primarios hujus loci incolas coluerit caritatis affectu ex eo maxime patet, quod cum in toto suo Gamachiensi territorio locus aliquis monasterii satis commodus ædificationi abunde potuisset suppetere, cum tamen ipsi prius locum quasi a Deo sibi præsignatum elegissent, & ad dominii ejus jus minime pertineret, ipsum cum adjacentibus centum viginti pratorum jugeribus a domino Rogone de *Balchen* ad quem spectabat, numerata pecunia comparare & ab omni seculari exactione vindicare curavit. Hanc devotissimam Bernardi fundationem ab Innocentio III summo pontifice confirmatam, Guillelmo tunc Remensium archiepiscopo, & Richardo laudatam & approbatam, regionis hujus proceres quam plurimi piis largitionibus sunt prosecuti, inprimis Drocenses comites ac principes illustrissimi Ludovicus *d'Estampes* dux Atheniensis, & Carolus de Artesia comes Augi, amplissimo in sua Augensi silva privilegio, ad universos monasterii tam calefacturæ, quam architecturæ, quam gregum pasturæ usus, pro quorum anima missa quotidiana a sacerdote singulis hebdomadis ab ipsorum capitulo nominatim deputato percelebratur sacellum, in quo ipsorum ossa sepulta jacent. Defunctus Bernardus fundator III. Sept. M. CCVII. inibi sepultus est die VII. mensis ejusdem.

* Lege Cælestino III.
* Lege Philippo.

L I I.

Fundatio Loci-Dei.

Ex charta-ria. 1191.

NOverint tam præsentes quam futuri, quod ego Bernardus de S. Walerico, concedente Thoma filio meo & herede, & *Aanor* uxore mea, & Henrico filio meo, dedi Deo & ecclesiæ beatæ Mariæ Loci-Dei, & monachis ibidem Deo servientibus, in perpetuam eleemosynam pro anima mea & patris mei, & pro animabus antecessorum meorum, uxorum & filiorum, atque filiarum mearum, locum in quo habitant, cum adjacente alneto continente centum & viginti jugera, quæ emi a Rogone de *Balchen*. Insuper dedi eis totam haiam quæ est inter Gamacias & Guerram-villam perpetuo possidendam, quam emi a Waltero de sancto Martino pretio centum sexaginta librarum Andegavensium, & viginti marcharum argenti, concedentibus Willelmo de *Kate* & Henrico comite Augi, de quorum feodo erat; quam videlicet haiam præfati monachi poterunt in culturam ad proprios usus redigere, vel conservare, prout viderint sibi expedire. Dedi quoque eis quicquid habebam apud Embrevillam, in hospitibus, in terris, in bosco, in pasturis, in herbagiis, & terram de *Belmont*, & terram de Theoldi silva & *Hersfreel*, terram & pratum quod emi a Waltero de *Maisnil*, pratum *Engelier*, prata etiam de *Holoi*, quæ sunt de feodo Eliæ de sancto Sidonio, quæ videlicet prata, prædicto Elia concedente, emi a Bernardo de *Rengonval*, & Willelmo molendinario, & Radulfo *Vassal*, & Gamelino, pratum etiam de Spineto quod emi ab Hugone de Fressenvilla, nemus quoque apud *Auth*... quod vocatur *Nifrigny*, & totam terram dominii mei quæ est juxta illud nemus, & mansuram Ululi in Gamaciis cum furno perpetue possidendo, secundum consuetudines aliorum furnorum ejusdem villæ, decem libratas sterlingorum annui reditus in Anglia recipiendas, & a Thoma filio meo & herede eis in loco certo assignandas. Ut igitur has donationes prædicti monachi libere & quiete, & inconcusse, & absque omni servitio & redditu possideant, sigilli mei munimine confirmavi, testibus his domino Theobaldo Ambianis episcopo, Hugone abbate de Augo, Walterio de S. Valerico Rotomagensi archidiacono, Roberto decano de sancto Maxentio & Johanne nepote suo, Godardo de *Camberon*, Waltero filio suo, Hugone de *Mainerel*, & Johanne filio suo, Rogone de *Balchen*, Roberto de *Goubensel*, Elinando de *Fai*, Roberto de *Auth*... Petro de *Mainerel*, Waltero fratre suo, Augrino de Fressenvilla, Bernardo de *Rengonval*, Waltero Vavassore, Giroldo de *Pont*, Bernardo de *Maruel*, & multis aliis. Actum anno Verbi Incarnati M. CXCI.

L I I I.

Donatio Ingerranni senescalli Pontivi facta Parthenoni de Hispania.

Ex charta-ria. 1192.

SCiant præsentes & futuri, quod ego Ingerrannus de Fontanis senescallus Pontivi, intuitu Dei & pro remedio animæ meæ & prædecessorum meorum, dedi in perpetuam eleemosynam A. priorissæ & sanctimonialibus cum ea Deo servientibus, succedentibusque post ipsas, locum qui dicitur Fons sancti Albini, inter Hispaniam & sanctum Albinum, libere & quiete possidendum; ad sustentationem autem earumdem sanctimonialium in loco Deo servientium dedi decimas de *Malatort* & de *Guiverval* & *Devaus*, & tertiam partem decimæ de nemore *Muluel* quam tenebam in manu mea, & omnes furnos de *Novion*, & ad dominium de *Novion* pertinentes, salvo jure Simonis de *Hupi* & Walteri de *Bonelle* militum meorum. Super hæc autem concessi eis duo mea sarta de *Kahoncaisnoi* & nemoris *Muluel*, salvo jure hominum ea colentium, cum ipso bosco *Muluel*; dedi etiam eis totam culturam quam Leda vidua colebat, totamque terram meam juxta pontem Remigii, tam cultam quam incultam, usque Summonam; præter hæc dedi eis tres modios bladi quos habebam singulis annis de redditu molendini de *Pont*. Providens autem quieti & paci earum, dedi eis quicquid juris habebam extra portam & murum Hispaniæ, tam in hominibus quam terris, & hortis, & marescis, & pratis, versus pontem Remigii infra magnum cursum Sommonæ, sicut via dividit quæ tendit a magno ponte Sommonæ ad septentrionem juxta sarta nemoris *Muluel*. Concessi vero eis hanc donationem liberam ab omni exactione ad vicecomitatum pertinente, & homines earum in ea donatione manentes; dedi etiam eis liberum usagium per totam terram meam. Sciendum est præterea quod quandiu

præfatæ sanctimoniales furno proprio & molendino carebunt, furnum meum & meum molendinum libere frequentare poterunt, & si molendinum & furnum suum proprium habebunt, tam sui homines quam ipsæ sanctimoniales illud frequentare poterunt. Dominus autem meus Johannes comes Pontivi & Willermus filius ejus has donationes ad feodum suum pertinentes, sicut in authentico ipsius comitis continetur, prædictis sanctimonialibus in perpetuum liberas ab omni exactione concesserunt; dominus vero T. Ambianensis episcopus nominatas sanctimoniales ab omni subjectione Rotomagensis archiepiscopi, de cujus diœcesi venerunt, absolutas suscepit. Et hanc donationem concesserunt Ingerrannus miles de *Beelai* & Robertus de *Laviers*, & Johannes de *Coquerel* nepotes mei, Matildis, Marguarita, Mabilia & Clementia sorores meæ. Datum anno Dominicæ Incarnationis M. CXCII. Testes hujus pactionis sunt T. Ambianensis episcopus, & *Germer* decanus Abbatis-villæ, & Robertus canonicus Abbatis-villæ, Petrus *Brontin*, Alermus de *Demencecort*, Hemfeidus de *Biencort*, Robertus de *Levres*, & Laudrinus & Girardus de *Norum* pater ejus, Robertus de *Durcart*, Guido de *Touflet*, Gilebertus de *Maltort* milites, & Wilardus molendinarius, & multi alii.

L I V.

Fundatio ecclesiæ collegiatæ sancti Firmini apud Monstrolium.

Ex chartulario S. Jodoci supra mare.

1192.

THEOBALDUS Dei gratia Ambianensis episcopus, universis Dei fidelibus salutem in Domino. Inspirante gratia Salvatoris, quidam de Monsterolo clerici ad cultum Dei suum propositum inclinantes, condixerunt inter se ut in magnificandis Dei laudibus ad honorem cleri & profectum populi de cetero permanerent charitate conjuncti; & cum ecclesiam * beati Firmini majoris in qua canonicam vitam agerent, a venerabili Hugone abbate & conventu sancti Jodoci ad hoc sibi peterent assignari, post quasdam altercationes quæ ex factis.... præter conscientiam nostram conventionibus emerserunt, cooperante Domino & studio nostro, clerici cum monachis in subscriptis conventionibus unanimiter convenerunt. Prædictam ecclesiam statuti in ea canonici a monachis S. Jodoci in perpetuum obtinebunt sub annua pensione sex librarum cujuscumque monetæ, quæ Monsteroli tempore solutionis communius curret, & cum ibi tredecim præbendæ fuerint assignatæ, quarum qualibet fuerit æstimationis decem librarum, abbas sancti Jodoci ex illis unam in perpetuum obtinebit, & clericus vicarius deserviet eam; reliquarum vero præbendarum donatio ad episcopum in perpetuum pertinebit, & ex eo tempore defuncti canonici beneficium annuale monachi percipient, pro anima ejus missas & orationes Domino devotius ex debito oblaturi; similiter & defunctorum sancti Jodoci monachorum canonici exequias celebrabunt. Electus a canonicis unus ex eis exhibebitur abbati, ut ab eodem abbate episcopo Ambianensi præsentetur ad curam parochialem recipiendam. In festo beati Firmini dominus abbas, sive ab eo missus unus de monachis suis celebrabit missam majorem; si vero eamdem ecclesiam in alium statum & ordinem mutari contigerit, non licebit alias personas quam monachos sancti Jodoci ad percipienda beneficia in ecclesiam introduci. Has utique constitutiones consilio capituli nostri recepimus, approbavimus & signari a nobis præsentis paginæ munimine, nostro & capituli nostri sigillis roboravimus, sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis ea deinceps quacumque temeritate violare præsumat. Acta sunt hæc Ambianis anno Incarnationis Dominicæ M. CXCII. octavo calendas Octobris, pontificatus domini Cælestini papæ tertii anno II. regnante christianissimo rege Philippo, sedente Remis Wilhelmo archiepiscopo, S. Sabinæ cardinali apostolicæ sedis legato.

* Prius capella fuerat comitum Pontivensium apud Monstrolium, quam sancto Judoco dedit Hugo comes avus Guidonis comitis, qui eam confirmavit an. 1100.

L V.

Charta de rebus Corbeiensibus.

AD honorem Dei & ecclesiæ, & rei gestæ veritatem declarandam, quali dignitate quantaque nobilitate Corbeiensis ecclesia specialiter sublimata claruerit potius est discutiendum quam tacendum, & maxime omnibus ejusdem ecclesiæ, tam filiis quam fidelibus, necessarium esse credimus cognoscendum; quantæ enim nobilitatis fuerit locus ille non silet antiquitas, nec etiam sanctorum patrum credi dignior auctoritas; quamvis tamen minus quam decet de laude ejus dicamus, veraciter appellabatur antiquitus aula Dei, & altera paradisus sine concupiscentia pomi. Tanta siquidem claruit dignitate, religione, & etiam rerum, oppidorum, villarum possessione, quod nulla eidem ecclesiæ similis in regno inveniebatur, quia ab omni episcoporum, archiepiscoporum, præter illius qui universalis ecclesiæ monarchiam sub Domino tenet, exempta erat subjectione. Et quoniam tam insignibus munita erat privilegiis, ille qui primis parentibus nostris antiquus hostis fomitem cupiditatis & invidiæ ministravit, quos etiam & decepit, eadem fretus invidia, quemdam Fulconem Ambianensis ecclesiæ episcopum contra tantam ecclesiæ libertatem tantorumque privilegiorum munimina detestabiliter suscitavit, ut non solum ecclesiam, sed etiam omnes ejusdem ecclesiæ fideles clericos & laïcos suæ ditioni conaretur subjicere. Erat autem hiis diebus piæ memoriæ abbas ejusdem monasterii simili vocabulo Fulco appellatus, quem commendabat vitæ honestas & in egregiis moribus ornamentum: hunc ergo cum vidisset elatum & contra ecclesiam suam spiritu nequissimo ductum, tanquam bonus ecclesiæ suæ tutor, Romanum pontificem super hoc consuluit. Missis vero hinc inde partibus ad sedem apostolicam, divina cooperante clementia, Corbeiensis ecclesia optimam partem obtinuit, nam prædicto episcopo perpetuum silentium imponi fecit. Post decessum autem illius, quidam Wido Ambianensi ecclesiæ successit episcopus, Fulcone prædicto abbate in administratione suæ abbatiæ feliciter vivente; ille vero eadem tempestate spiritus qua & antecessor suus, contra præfatam ecclesiam conspiratus fuerat, toto cordis & mentis desiderio privilegiis & dignitati ejus exorsus est contraire; nihilominus volens omnes prædictos ecclesiæ fideles suæ potestati submittere, & quanto erat sanguine nobilior, tanto contra præfatam ecclesiam crudelior apparebat; erat enim filius Walteri suæ civitatis nobilissimi comitis, qui cum ita in superbiæ suæ gloriaretur elatione, contra sæpedictam ecclesiæ libertatem, magnum honoris sui detrimentum perpessus est; nam cum ad sedem apostolicam recurrentes in propriis personis apparuissent, & a sancto Leone papa utriusque partis allegationes auditæ fuissent, Widonem episcopum, qui contra privilegia & decreta Romana impudenter insurrexerat, decrevit curia per sententiam ab officio suo miserabiliter degradari, tali siquidem reservato moderamine quod si voluntas prædicti abbatis magis restitutioni quam damnationi suæ assentiret, in gradum episcopalem per voluntatem ipsius restitueretur; qui etiam motus misericordia super eum, tum propter affinitatem locorum, tum propter generositatem ipsius, misericorditer ei condescendit, tali interposita conditione, quod prædictæ ecclesiæ omnino acquiesceret, & fratres ejusdem loci pro posse suo honoraret. Præfatus vero abbas inde progrediens, episcopo ab eodem sicut prius in officio suo restituto, filiæ suæ ecclesiæ novæ Corbeiæ, quæ est in partibus Saxoniæ, humiliter recordatus, illo ire disposuit; ubi autem cum

1194.

venisset, privilegiis & literis contentus, a filiis suis ejusdem loci incolis honorifice susceptus est: cumque ibi diu commoratus fuisset, & tanquam abbas & pater de rebus ecclesiæ disposuisset, abbate ejusdem loci omnino cedente, ad propria reverti disposuit, afferens secum vestimenta sacerdotalia, in quibus missam celebraverat Deo, & candelabrum in testimonium & signum fœderis & unitatis utriusque loci. Procedente vero tempore, cum illius ejusdem loci fratres in electione abbatis unanimiter convenissent, & in electione illa fratres discordes invenirentur, Nicholaum abbatem hujus loci, ubi in partes Lotharingiæ profectus fuerat, audito quod ibi advenisset, requisierunt quatinus manum & consilium eis tanquam pater filiis apponeret; quod & facere spopondit, & terminum eis præfixit; sed iterum mori eum contigit. Peracto itaque multorum annorum curriculo, quidam sæpe dicti loci abbas Witechinus ad sanctam Mariam de *Roche-mador* peregre proficisci volens, a monachis suis affectuose rogatus quod fratres suos istius loci viseret, & quomodo se agerent inquireret, se Corbeiæ antiquæ filium esse recognovit, ibique a fratribus suis honorifice susceptus, candelabrum & vestimenta prædicta, quæ sæpe dictus Fulco attulerat recognovit, vexillaque & signa corvis infra depacta, quæ a burgensibus nostris a regali expeditione redeuntibus deferri viderat, suis esse similia & conformia judicavit. Datusque est ei annulus aureus a fratribus in signum & testimonium recognitionis & professionis suæ. Acta est autem hæc recognitio in ecclesia Corbeiensi antiqua majore anno Incarnati Verbi M. CXCIV. domno papa nostro Cælestino tertio . . . . Philippo rege nostro regnante, domno abbate nostro Gerardo in administratione abbatiæ suæ secundum annum agente.

L V I.

Ex Sammarthanis.

Ingeburgis regina offert planetam ecclesiæ Ambianensi.

Circa 1194. DIlectis in Christo amicis decano & capitulo Ambianensi Ingeburgis Dei gratia Francorum regina humilis in Domino salutem. Incognitum vobis esse non credimus, quod pene toti notum est orbi, quanta perpessæ sumus incommoda, postquam regiæ dignitatis unctionem adeptæ sumus pariter & coronam, propter quæ tanto temporis interstitio sumus præpeditæ, ut ecclesiam vestram, cui ex eo speciali debito & devotione sumus obnoxiæ, quod in ea, licet flebili auspicio, plenitudinem tamen honoris nostri & dignitatis suscepimus, prout volumus, nondum valuimus muneris obsequio honorare. Nunc autem ei planetam unam transmittimus, supplicantes ut in orationibus vestris nos colligatis, & intuitu dilectionis & devotionis, quam ad vos & ecclesiam vestram gerimus & specialiter gerere volumus, officiorum & beneficiorum quæ in ea fiunt nos participes faciatis; scituri pro certo quod si Dominus gratiam suam nobis adauxerit, & pacem nobis reddiderit, nos dilectionem nostram erga vos & ecclesiam vestram manifestabimus certioribus signis & indiciis. Licet vero capsula quam vobis mittimus, non sit quantum ad æstimationem seu apparentiam multum pretiosa, obtinere tamen apud vos cupimus ut in B. Virginis solennitatibus solennia missarum in ea celebrare faciatis.

L V I I.

Ex chart. capituli.

Rescriptum capituli ad reginam.

Circa 1194. EXcellentissimæ dominæ suæ Ingeburgi Dei gratia illustri Francorum reginæ, Ricardus Ambianensis ecclesiæ decanus, & universum ejusdem ecclesiæ capitulum, salutem & cum honore debito paratum semper & devotum obsequium. Prout parvitatem nostram decet, munus excellentiæ vestræ accipere hoc quod a vobis oblatum nuper accepimus, multiplici prosequimur actione gratiarum, in vobis siquidem experti tam regii sanguinis munificentiam quam sanctorum devotionem patrum a quibus duxistis originem. In hoc plurimum gaudemus omnes & singuli quod ecclesiam nostram honorare voluistis planeta satis honorabili, quæ licet ex se cunctis appareat pretiosa, ad pretium tamen ejus multum adjicit auctoritas tribuentis. Cum igitur honor sit vester munere vestræ largitatis honorare nostram ecclesiam, in qua sacræ benedictionis unctionem & regni coronam suscepistis a Domino, ad honorem vestrum prædictum munus devote suscipimus, semper in ecclesia nostra ob reverentiam vestri nominis præ ceteris gloriosum; de cetero sublimitati vestræ notum esse volumus nos & nostra, & quidquid possumus aut valemus vestris exposita fore servitiis, & quod de patrocinio beatæ Virginis & patroni nostri beati Firmini martyris confidentes, licet indigni pro vobis orare non desistimus, ut exaudiat dominus petitiones vestras, nec vos deserat in tempore malo. Audientes etiam sanctæ vestræ conversationis opinionem bonam, quæ velut unguentum pretiosum oblatum pedibus Salvatoris totum regnum Francorum bono replevit odore, & quæ sicut aurum quod per ignem probatur, tanto gloriosius effulget quanto gravius examinata de fornace tribulationis purior egreditur & exurgit, promittimus vobis in Domino qui non deserit sperantes in se, quod ipse replebit in bonis desiderium vestrum, & sic honor vester de bono in melius proficiet in præsenti, quod & id quod opportunum est, in futuro vobis largietur Dominus Jesus judex.

L V I I I.

Donatio facta monialibus de Hispania.

EGO Ingerrannus de Fontanis senescallus Pontivi, fidelibus universis in perpetuum. Quoniam valde labilis est humana memoria, &c. Notum fieri volo quod pro salute animæ meæ & concessi & donavi in eleemosynam, pacifice tenendam in perpetuum, monialibus de Hispania in Pontivo molendinum meum de *Rouvroy* quod acquisivi, in quo homines mei de *Cambron* & *Maltort* & vico super Somonam molere tenentur . . . . necnon & pratum meum quod est inter *Vals* & *Rouvroy*, cum hospitibus, terris, furno & rebus aliis de *Rouvroy* quæcumque ad jus meum spectabant, sub hujus pactionis forma, quod congregatio monialium ex hoc nunc & deinceps abbatissam canonice eliget & habebit, quæ beati Benedicti regulam cum suis subditis observabit. Hanc itaque donationem, &c. Actum est hoc anno Verbi Incarnati M. CXCVIII. sub testimonio venerabilis abbatis Balantiarum Stephani, & Roberti canonici sancti Wlfranni, Petri Choleti diaconi, Petri *Brotin*, Gisleberti de *Maltort*, Hugonis *Brotin*, Galteri de Hispania. 1198.

L I X.

Donatio facta monialibus de Villencuria.

EGO Willermus comes Pontivi pro anima patris mei & redemptione animæ meæ concessi in eleemosynam Deo servientibus pauperibus Christi, & futuris earum successoribus habitantibus in loco prope Alteiam inter *Vi* & *Alsi*, totam terram quam Liegardis uxor Uberti *Lochier* tenuit in Brulleo, libere & quiete ab ipsis in perpetuum obtinendam, &c. Præter hoc etiam locum ipsum, & quidquid de donatione abbatis sancti Richarii & Nicholai de *Villeroie*, Henrici etiam de *Caumont*, & Gerardi de Abbatis-villa, & Alardi de *Thum* militum, donationem etiam Roberti marescalli mei in garandia & protectione suscepimus, &c. Testes Stephanus abbas Balantiarum, Odo *Segnores*, Hugo de *Caumont*, Girardus de Abbatis-villa, Simon de *Hundegehan*, Silvester clericus meus. Actum est hoc anno Verbi Incarnati M. CXCIX. 1199.

L X.

Theobaldus episcopus confirmat donationes factas monialibus Insulæ Senardi.

1201. TH. Dei gratia Ambianensis episcopus, tam præsentibus quam futuris ad quos litteræ præsentes pervenerint, æternam in Domino salutem. Quoniam ea quæ ad augmentationem cultus Dei noscimus pertinere, pro posse nostro ampliare, & qualicumque possumus stabilitate confirmare tenemur, donationes quasdam quas tam vir nobilis Guillermus comes Pontivensis, quam alii quidam de ipsius feodo eleemosynario nomine dilectis nostris in Christo priorissæ & monialibus, in loco qui dicitur Insula-Senardi, religiosam vitam ducentibus, ob redemptionem animarum suarum pie & devote fecerunt, sicut in ejusdem comitis authentico plenius vidimus annotatum, ad petitionem & preces ipsius fecimus confirmari. Ipse siquidem comes in perpetuam eleemosynam concessit & donavit prædictis monialibus totam terram quam Leigardis uxor Huberti *Loher* tenuit in Bruleio, libere & pacifice possidendam, de qua tam comiti quam successoribus ejus dictæ moniales nomine census tredecim sterlingos annuatim tenentur persolvere, in Natali IV. in Pascha IV. in Pentecoste V. qui etiam, sicut in literis suis asserit, locum ipsum, & quicquid de donatione abbatis sancti Richarii, & Nicolai de *Villeroie*, & Henrici de *Caumont*, & Girardi de Abbatis-villa, & Alardi de *Thun* militum, & Frosberti marescalchi ipsius prædicto loco & monialibus collatum est, garandire & pro posse suo manu tenere promisit. Hæc igitur prout præscripta sunt, & sicut in datorum authenticis plenius continetur, ne in dammum & detrimentum loci prænominati possit super hoc aliqua in posterum exoriri calumnia, eleemosynas istas auctoritate pontificali duximus confirmandas. Hujus rei testes sunt Th. præpositus, Th. archidiaconus, Bodinus canonicus Ambianensis, Geremarus decanus, Robertus canonicus Abbatis-villæ, magister Johannes de Augo, Firminus *Salembien* clericus. Actum est hoc anno Incarnati Verbi M. CCI. mense Junio. Datum Ambiani per manum Manasserii cancellarii.

L X I.

Ex chartulario. *De libertatibus & dominiis comitatus S. Judoci supra mare.*

1203. EGO Florentius divina miseratione sancti Judoci abbas & ejusdem ecclesiæ conventus, & ego Willelmus comes Monsteroli & Pontivi, omnibus quibus literæ præsentes patebunt, salutem in Domino. Universitati fidelium præsenti pagina significamus, quod querelæ omnes quæ inter nos vertebantur in multis & pro multis, amicabili compositione ita extinctæ sunt, scilicet quod ecclesia beati Jodoci omnia quæ ex largitione Guidonis quondam comitis Monsteroli & Pontivi, & aliorum comitum, sicut in ipsius authentico continetur, in pace possidebit, cujus authentici forma talis est: In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Guido comes Monsteroli & Pontivensium præsentes & futuros volo non latere, quod Hugo noster avus dedit ecclesiæ beati Jodoci de supra mare, caritatis intuitu & eleemosynæ, piscationem in Quantia & piscatorium, & ecclesiæ sancti Firmini capellam nostram de Monsterolo, & molendinum & furnum: hoc autem donum a patre meo Ingeranno postea confirmatum, ego similiter in tempore meo, ut inter cetera caritatis opera locum habeam, in perpetuum confirmavi. Ego item ea quæ eidem ecclesiæ caritative contuli in nomine meo, oblivioni dona non deferens, omnibus qui præsentes inspexerint, notum volo fieri quod dedi ecclesiæ præfati confessoris septem aquatias apud *Waben*, & unam apud Stapulas, & comitatum a mari usque prope *Montawis*, & a media Quantia

A usque ultra sanctum Albinum, & arietes de ipso comitatu qui ad me pertinebant. Sed quoniam in rerum mutatione qui malum quærit a tramite veritatis solet discedere, ne quis, cum modo viventes diem clauserint extremum, donum istud fraude vel ingenio possit usurpare, præsentibus sigillum nostrum apposuimus, & præterea omnes illos qui malitiose præsentibus in futuro voluerint obviare, a Gervino episcopo Ambianensi excommunicationis sententia fecimus adstringi; & notandum est quod horum testimonio hoc factum fuisse relinquitur, quorum nomina præsens litera reservavit, Gerardus de Transitu, Fulco de Ponte, Hugo de Mota, Walterus Misellus, & multi alii hujus rei testes extiterunt. Actum est hoc anno Verbi Incarnati millesimo centesimo, regnante Philippo Francorum rege. B Præterea libertates ecclesiæ beati Jodoci & consuetudines in omnibus & per omnia, sicuti ab antiquo recte extiterunt, & consuetudines comitis Monsteroli & Pontivi conceduntur & confirmantur, sicut in hac pagina describuntur. Ecclesiæ siquidem S. Jodoci de supra mare remanet foristum & omnes emendationes injuriarum in villa beati Jodoci factarum. Comes vero Monsteroli & Pontivi debet habere in festo beati Jodoci vaccam unam excoriatam, & allia, ita tamen si præsens fuerit; si festum sancti Jodoci fuerit in festivo die quo non licet vesci carnibus, comes habebit centum ova & libram piperis eo præsente. Et sciendum quod si homo nobilis vel alius quilibet ecclesiæ beati Jodoci injuriam fecerit, de quo ecclesia suum jus habere non possit, comes Monsteroli & Pontivi tantum facere debet quod injuria prædictæ C ecclesiæ sine custo emendetur. Sciendum autem est & conceditur quod ecclesia sancti Jodoci per totum feodum habet suum comitatum, latronem, & sanguinem, & bannum, & omnes dunæ in feodo sancti Jodoci prædictæ sunt ecclesiæ, & littus maris, ita quod si quis piscator ceperit infra terminos maris circumadjacentis sturionem, & salmonem, & porcum marinum, & helpinum, in jus ecclesiæ cedit integre & notabiliter. Et notandum quod comes Monsteroli & Pontivi extra villam beati Jodoci per totum comitatum prædictæ ecclesiæ debet habere assultum & murdrum, scatum & ratum, scilicet violentiam mulieris vi oppressæ, combustionem domus vi sive latenter. . . debet habere hospitium & procurationem D solam annuatim infra septa monasterii beati Jodoci, quam procurationem accipiet ecclesia ab hospitibus suis antiquis & plenis. Sub silentio quoque non est prætereundum quod si guerra fuerit inter comitem Monsteroli ac Pontivi & comitem Boloniæ, & comes Monsteroli ac Pontivi voluerit habere servitium vavassorum ecclesiæ beati Jodoci, abbas sancti Jodoci debet eos ducere in servitium comitis inter Quantiam & Alteiam ad custum suum, & non alibi, & comes potest eos retinere ibi ad custum suum per quadraginta dies infra aliquod castrorum suorum; ita tamen quod si præfatus comes vavassoribus custum suum reddere noluerit, vavassores ab eo & ab exercitu ejus sine forisfacto possunt recedere. Quando autem comes Monsteroli & Pontivi ierit in expeditionem regis E Franciæ, ecclesia B. Jodoci debet ei unum summarium pretii sexaginta solidorum; & cum reversus fuerit comes, jam dictum summarium reddere debet ecclesiæ; quod si non reddiderit, ecclesia non tenebitur alium invenire quoad usque de illo fuerit ei satisfactum. Sciendum quoque quod si laganum evenerit in comitatu beati Jodoci, & homines de sevamento ejusdem sancti fuerint accusati apud comitem de lagano aliquid usurpasse, abbas sancti Jodoci debet eos submonitos in curiam suam vocare, præsente comite, vel ejus serviente, & ibidem, si potuerit, pacem facere; quod si querela ad voluntatem & arbitrium comitis non potuerit terminari, abbas sancti Jodoci accusatos sub usurpatione lagani usque Monsterolum debet conducere, & non alibi, & ibi querela eorum judicio ejusdem villæ

villæ terminari. Item, huic paginæ inserimus concedentes quod omnes dunæ quæ inter *Cucq* & *Treppié* ad sæpedictam pertinent ecclesiam, excepto quod comes Monsteroli & Pontivi debet habere leporem & penellum infra garennam quæ est inter prata *Treppié* & mare. Si quis autem ceperit leporem infra garennam prædictam, comes super hoc pro emenda sexaginta solidos accipiet; si quis canem sine vinculo infra præfatam duxerit garennam, tres solidos pro emendatione sua dabit ecclesiæ sancti Jodoci; si quis quadrigam duxerit vel falcem traxerit in præfatam garennam, lege qua vivit ecclesiæ satisfaciet. In omnibus autem his quæ spectant ad jus præscriptum comitis de garenna, nullam debet habere custodiam comes, nisi ministros ecclesiæ. Si quis homo villanus non possit habere jus in curia beati Jodoci, & hoc legitime probatum fuerit & declaratum, ipse potest venire coram comite, & dare duodecim denarios, & comes illam injuriam faciet emendari. Item, si ecclesia beati Jodoci noluerit jus facere vavassori suo, & hoc legitime fuerit comprobatum & declaratum, comes facere debet emendari sine alicujus pretii exactione. Sciendum insuper quod duellum cœptum & peractum & lex duelli per totum comitatum beati Jodoci, ejusdem sancti sunt & ecclesiæ suæ. Inseritur etiam huic paginæ & conceditur quod abbati sancti Jodoci licet habere aucupem suum inter Quantiam & Alteiam. Tandem sciendum quod Domino volente & ecclesia Romana jamdudum concedente, conventus sancti Jodoci liberam penitus habet & habere debet electionem in substituendo abbate. Sciendum quoque insuper quod ego Florentius abbas sancti Jodoci pro me & parte nostra, & ego Everardus tunc temporis fungens vice prioris pro conventu beati Jodoci, & ego quoque Willelmus comes Monsteroli & Pontivi pro parte mea, concessimus & sacramento præstito annuimus communiam in terra sancti Jodoci secundum leges & consuetudines communiæ Abbatis-villæ, ita tamen quod si quid quæstionis in communia beati Jodoci exortum fuerit, quod per nos & per curiam nostram aut per judicium majoris & scabinorum communiæ sancti Jodoci terminari non potuerit, ad judicium communiæ Abbatis-villæ reportabitur, & ad ejus consilium jure emendabitur, ita sane quod secundum timorem Domini & justitiam consuetudines communiæ adversus ecclesiam beati Jodoci non prævalebunt, sed jura & libertates prædictæ ecclesiæ consuetudinibus communiæ præjudicabuntur. Concessimus autem ego Florentius abbas & conventus sancti Jodoci, & ego Willelmus comes Monsteroli & Pontivi, quod de omnibus proventibus qui de communia & in communia possunt evenire, tam de forisfactis quam de talliis & emendationibus, & aliis quoquomodo proventibus, ecclesia beati Jodoci mediam partem, & comes Monsteroli & Pontivi aliam partem accipiet; illud concedentes quod redditus avenæ de communia provenientis infra septa monasterii beati Jodoci deferentur, & coram abbate & comite, vel eorum famulis æqualiter dividentur. Ecclesia vero B. Jodoci ministros comitis, & comes ministros ecclesiæ sacramento juramenti adstrictos habebunt, quod nullus eorum ecclesiæ vel comiti damnum aut injuriam inferre præsumet; quod si fecerint, abbati quoque & ecclesiæ aut comiti innotuerit infra quadraginta dies, & abbas comiti, & comes abbati, uterque scilicet de suis ministris injuriam emendari & damnum faciet restitui; excipiuntur tamen tales talliæ, in quibus ecclesia beati Jodoci nihil accipiet, sed integre cedent in partem comitis; de redemptione scilicet corporis sui per guerram capti, quod Deus avertat, tallia centum librarum; de promotione primogeniti sui in militem, centum similiter; ad maritandam filiam suam primogenitam, centum. Suprascriptas omnes libertates, & emunitates & jura præscripta ad jus beati Jodoci pertinentia, ego Willelmus comes Monsteroli & Pontivi pro salute animæ meæ & omnium antecessorum & heredum meorum concessi, & coram altari B. Jodoci supra sanctam crucem & supra reliquias præscripti confessoris me fideliter servaturum juravi; concessit etiam & libenti animo laudavit Alaïdis uxor mea filia Ludovici piissimi regis Francorum, quod id ipsum concessit Maria filia nostra neptis Philippi regis Franciæ. Concessimus & confirmavimus, ego Willelmus comes, Alaïdis uxor mea, & Maria filia mea pro nobis, pro omnibus illis qui in comitatu Pontivi nobis successuri sunt, supradicta omnia ecclesiæ beati Jodoci habenda, & libere, & quiete, & pacifice in perpetuum tenenda, & præsentem paginam sigilli mei appositione communivi. Ego Florentius abbas sancti Jodoci & conventus omnia suprascripta quæ in partem comitis dicuntur cedere, & ad ipsius jus pertinere noscuntur, eidem & heredibus suis habenda & tenenda in bona fide concessimus, sigilla nostra & sigillum abbatis, & sigillum capituli in concessionem & confirmationem prædictorum, in testimonium veritatis, præsenti paginæ apponentes. Actum & divisum sub chyrographo anno Verbi Incarnati millesimo ducentesimo tertio, anno videlicet quo Paschæ dies evenit in festo beati Marci evangelistæ, præsentibus Roberto Balantiarum, Hugone de Longovillari, Petro de sancto Salvio in Monstrolio abbatibus, Girordo priore Abbatis-villæ, Silvestro, Ingeranno, Gossone clericis, Hugone de *Fontaines*, Symone de *Donquerre* militibus, & multis aliis tam clericis quam laïcis.

L X I I.

Canonici sancti Laurentii & sancti Nicolai ordinem Cluniacensem profitentur. *Ex autographo Corbeiensi.*

NOverint omnes præsentes & futuri, quod cum 1205.
sancti Laurentii in nemore & sancti Nicholai de Regniaco ecclesiæ provisorum suorum incuria & inhabitatorum peccatis exigentibus ad tam miserabilem devenissent inopiam, quod earumdem ecclesiarum fratres sub intolerabili pondere creditorum mendicantes, divinis officiis vacare non possent; tandem inspirante divina gratia, ad vitæ arctioris frugem se transferre disponentes, habitum & ordinem Cluniacensem sub domo de *Lihons* suscipere decreverunt. Verum cum hæc mutatio sine assensu episcopi, in cujus erant diœcesi, & capituli Ambianensis, robur obtinere non posset, & ob hoc dictorum episcopi & canonicorum requisitus fuisset assensus, quibusdam de capitulo assentientibus, decanus & quidam alii Ambianensis ecclesiæ canonici non tam factum quam facti modum inculpantes, aliquandiu reclamarunt. Postmodum vero cum venerabilis pater H. Cluniacensis abbas propter hoc Ambianum venisset, tam ipse quam capitulum Ambianense, venerabilem dominum R. quondam decanum, tunc ecclesiæ Ambianensis electum, hujus rei cognitorem & arbitrum elegerunt, ut in hiis quæ corrigenda essent correctio, & in approbandis approbatio per manum ejus amicabiliter proveniret. Dictus igitur electus non inveniens quomodo desolationi dictarum ecclesiarum posset melius in spiritualibus & temporalibus subveniri, habita deliberatione & inquisita super inquirendis plenius veritate, supradictam mutationem approbans, benigne concessit ut præfatæ sancti Laurentii & sancti Nicolai de Regniaco ecclesiæ cum appenditiis suis, Cluniacensi ecclesiæ & domui de *Lihons* perpetuo essent subjectæ, & fratres in eisdem Deo deservientes Cluniacensem deinceps ordinem observarent; domum autem de *Peernois* cum appenditiis suis, quæ ad dictas ecclesias antiquitus non pertinebat, in manu sua & successorum suorum de assensu & voluntate fratrum dictarum ecclesiarum retinuit, ab eodem & successoribus suis libere & pacifice de cetero possidendam. Frater vero Asso tunc temporis prior de *Lihons*, cura dictarum domorum suscepta, easdem domos cum omnibus suis in sua provisione

suscepit, eo addito quod in utraque ecclesia debet esse perpetuo conventus monachorum, & eorumdem conventuum priores episcopo Ambianensi & successoribus ejus tenebuntur obedientiam & consuetudines suas, salvo ordine & privilegiis Cluniacensibus, in posterum exhibere. Ut igitur hoc factum perpetuam obtineat firmitatem, præsens annotata est charta, & tam sigillorum domini electi & ecclesiæ Ambianensis, quam etiam domini abbatis Cluniacensis & conventus de *Libons* munimine roborata. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CCV. mense Aprili.

LXIII.

Ex originali.

Societas inter monachos S. Judoci & S. Berthæ de Blangiaco.

1218. EGO Ethardus Dei gratia abbas S. Judoci supra mare, totusque ejusdem loci conventus, notum facimus præsentibus & futuris, quod talis societas constituta est inter ecclesiam nostram & ecclesiam sanctæ Bertæ de Blangiaco, scilicet quod cum monachus defunctus nunciatus fuerit, fiet officium pro eo in conventu, & tantum faciemus pro monachis prædictæ ecclesiæ quantum facimus pro nostris. Pro abbatibus vero tricenarium cum præbenda fiet. Statutum ergo capitulorum assensu communi, ut si monachus aut ira, aut odio, aut pro qualicumque causa a monasterio dejectus fuerit, ab alio detentus quousque reconcilietur ibi manens accipiet omnia necessaria in victu & vestitu ceterisque necessariis, nisi tale commiserit, quod absit, unde domum merito amittere debeat, & capitula nostra erunt communia. De abbatibus vero cum alter ad alium locum venerit, capitulum tenens, fratres in levioribus vel gravioribus culpis positos ad libitum suum absolvere valebit. Et ut hoc ratum sit & firmum, sigillorum nostrorum impressione signatum posteris nostris tradimus observandum. Actum anno Domini millesimo ducentesimo septimo decimo mense Februario.

LXIV.

Ex chartulario.

Hugo abbas S. Richarii donat aliquid monialibus de Willencourt.

1218. HUGO divina permissione sancti Richarii minister humilis & conventus ejusdem loci, universis præsens scriptum inspecturis in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod nos concessimus in perpetuum monialibus de *Willencourt* Cisterciensis ordinis, managium illud quod est constructum ab ipsis in Insula-Senardi, sub annuo censu sex denariorum Turon. in festo sancti Remigii solvendorum, tali modo quod aquam nostram decurrentem ad molendinum nostrum ad dictum managium divertere nullo modo poterunt. Præterea intuitu Dei jornale unum, quod Nicolaus de *Villeroie* homo noster in eleemosynam concessit eisdem de feodo nostro, quod tenet a nobis, dictæ domui de *Willencourt* in perpetuum possidendum liberaliter concessimus. Quod ut ratum sit & stabile, sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum anno gratiæ M. CCXVIII.

LXV.

Ex autographo.

Fundatio beatæ Mariæ ad Paraclitum.

1219. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti. Noverint universi tam præsentes quam præsentibus successuri, quod ego Ingelrannus dominus de Bova in honorem Domini Dei nostri Jesu Christi & beatæ matris ejus ac virginis gloriosæ Mariæ, & omnium sanctorum, pro remedio animæ meæ, & Adæ uxoris meæ, & antecessorum meorum, quamdam abbatiam monialium Cisterciensis ordinis in terra mea fundavi & ædificavi, in loco ante nominato ad *Mosneaus*, modo autem sanctæ Mariæ

A ad Paraclitum, & eidem loco monialibus ibidem Deo temporibus perpetuis servientibus has eleemosynas libere & absolute donavi, & hos redditus assignavi, scriptique præsentis patrocinio confirmavi. Inprimis siquidem ipsum locum nominatum sanctæ Mariæ ad Paraclitum, continentem duodecim jornalia & amplius, terræ videlicet solidæ & maresci; dedi etiam eisdem monialibus sex jornalia terræ libera, in valle quæ est inter prædicta duodecim jornalia & viam quæ de *Cossenci* ducit ad Bovam, deinde quinquaginta libras Parisiens. hiis in locis & hiis temporibus capiendas, videlicet XXVI. libras ad traversum de *Harbonieres* per tres terminos anni, scilicet ad festum sancti Andreæ, ad festum Annuntiationis Dominicæ, ad festum sancti Petri ad vincula, in quolibet scilicet termino tertiam

B partem. Si vero traversum supradictum ad prædictos denarios perficiendos non poterit sufficere, de censibus ejusdem villæ de *Harbonieres*, quod defuerit, persolvetur; reliquæ vero XXIV. libræ capientur ad traversum de Bova, tali modo scilicet, quadraginta solidi in prima die cujuslibet mensis totius anni. Dedi etiam supradicti loci monialibus annuatim quadraginta quinque modios frumenti taliter capiendos; videlicet, ad molendina mea de Bova capientur annuatim viginti quatuor modii ad mensuram de Bova, tali modo, prima scilicet die cujuslibet mensis totius anni duo modii capientur ad loca superius annotata; ad horreum meum de Sanctis annis singulis capientur modii viginti, & unus ad festum Omnium sanctorum. Insuper ejusdem loci monialibus dedi singulis annis viginti modios avenæ ad mensuram de Bova capiendos de censibus

C ejusdem villæ, ad festum sancti Remigii proximum post Augustum. Præterea dedi monialibus antedictis quadraginta jornalia nemoris cum fundo terræ in bosco meo de *Rachinensi* libera & quieta ab omni usagio & exactione pacifice possidenda, & ad faciendum quicquid eis inde placuerit. Dedi etiam eisdem monialibus tredecim jornalia prati, scilicet inter vallem Wascelini & *Furc de Noia* ad communem virgam de Bova pacifice & libere possidenda; præterea concessi monialibus antedictis omnes decimas quas in terra mea poterunt adquirere, ab omni servitio mihi pertinenti quiete, libere possidendas & pacifice. Sciendum vero quod ego donavi prædictis monialibus in perpetuam eleemosynam & liberam quadraginta jornalia terræ ad virgam publicam de Bova, sita inter *Lesfel-*

D *cheroi* & nemus Rainaldi Malæterræ, & viam quæ de *Cossenci* ducit Ambianis. Concessi insuper eisdem monialibus, ut omnia ad usus proprios domus earum necessaria, ad molendina mea de Bova libere molantur, de omnibus quæ in molendinis ad me pertinent; & si contigerit dominum de Bova dicta molendina quocumque modo a se alienare, hoc facere non poterit, nec debebit, nisi salva molitura monialium prædictarum. Concessi præterea ut dictæ moniales faciant molendinum infra mansionem suam quandocumque voluerint; sed post molendini sui constructionem, in meis non molent libere molendinis: aquam vero de Noia ad molendinum monialium decurrentem, ego & hæredes mei acquitare præfatis monialibus & guarandire tenemur; quæ videlicet aqua a decursu veteris rivi

E usque ad metas subtus abbatiam versus Bovam positas, monialium erit, in qua poterunt piscari, falcare & limum desuper ripam extrahere, & facere quicquid sibi in ea viderint melius expedire. Sciendum vero quod pisces & anguillæ quæ in unam nassam quam habebunt in relaxu molendini sui cedent eis; ego etiam de singulis mille anguillis quæ capientur in nassis molendinorum meorum dedi eisdem monialibus centum anguillas post decimam sancti Fusciani, ita quod octingentæ de mille anguillis mihi & heredibus meis remanebunt. Concessi insuper ut omnes quicumque ad molendinum illarum voluerint, molant, qui banno alterius non sunt astricti pro legitima molitura. Hæc omnia ego Ingerannus de assensu & voluntate Adæ

uxoris meæ, & Roberti filii mei primogeniti & heredis, & E. filiæ meæ, libere & absolute donavi monialibus sanctæ Mariæ ad Paraclitum, & ipsi mecum hæc omnia in manu domini Everardi Ambianensis episcopi reddiderunt, & prædictus Ambianensis episcopus eamdem domum abbati Cistercii regendam & ordinandam secundum Cisterciensis ordinis instituta subjecit, per manum fratris Willelmi tunc abbatis Balantiarum ad hoc a capitulo generali destinati, retento sibi suisque successoribus eo jure, quod habet in aliis monasteriis Cisterciensis ordinis per Ambianensem diœcesim constitutis, prædicta uxore mea Ada firmiter proponente in prædictis nihil dotalitii se habere, nec aliquid reclamare. Hæc autem omnia superius annotata ego & heredes mei monialibus antedictis ubicumque justum fuerit, omni sublato contradictionis & dilationis obstaculo, guarantizare tenemur, nihil omnino mihi vel heredibus meis retinens in prædictis. Ut igitur hæc omnia stabile robur obtineant perpetuæ firmitatis, præsentem paginam sigilli mei munimine roboravi anno gratiæ M. CCXIX. mense Junio.

LXVI.

Ex chart.

Donum factum monialibus de Willencourt *a Guillelmo de Abbatis-villa.*

1220. SCiant omnes tam præsentes quam futuri, quod ego Willelmus de Abbatis-villa dominus de *Bouberch*, pro anima patris mei & antecessorum meorum, & mea, & Idæ uxoris meæ & heredum meorum, assensu & voluntate Idæ uxoris meæ & Girardi filii mei, dedi in perpetuam eleemosynam monialibus de *Willencourt* clausturam de feodo de *Thun*, quod ad me spectat, ab ipsis monialibus factam ad abbatiam ædificandam, & ad profectus alios eisdem monialibus necessarios constituendos usque ad quadraginta jornalia in marisco, & in alneto, & in alia terra infra dictam clausturam, nihil omnino mihi vel heredibus meis in præfatam eleemosynam retinens, præter orationes devotas monialium prædictarum. Ut hoc autem ratum & stabile permaneat, præsentem cartam sigilli mei munimine roboratam dictis monialibus tradidi. Actum anno Domini M. CCXX. mense Junio.

LXVII.

Epistola encyclica Imbergæ abbatissæ sanctæ Austrebertæ.

1220. UNiversis sanctæ matris ecclesiæ filiis ad quos præsentes literæ venerint, I. abbatissa humilisque conventus beatæ Austrebertæ de Monstereolo, salutem & orationes devotas in Christo. Cum in regali curia gravis conscientiæ rei sibi timent ne damnentur, si de consiliariis & amicis regis suos faciant intercessores, sæpius liberantur a sententia quam timebant; igitur cum peccatis nostris exigentibus, in hoc mari magno & spatioso & multis amaritudinibus respersо, labamur sæpius in profundum Dei clementiam offendentes; si reconciliari volumus, expedit nobis ut de commensalibus tanti regis obsequiis & muneribus nostros faciamus precatores, quatinus intervenientibus eorum meritis & precibus, nobis iram sentiamus tremendi judicis mitigatam: sed qui non dat quod amat, non accipit ipse quod optat, ideoque oportet illis obsequium nos præstare in terris, quorum juvamen præstolari volumus in cœlis. Cum ergo in hac nostra Monsterolensi ecclesia beatæ Austrebertæ virginis gloriosum corpus requiescat, indignum est ut quæ jam in conspectu Altissimi coronata refulget in cœlis, vestitu deaurato & ornatu venerabili careat in terris, cujus, inquam, gloriosæ virginis præcedentium fidelium devotio thecam auro multo & lapidibus pretiosam construxit; sed ad tantam quæ consumit omnia vetustatem devenit, ut opus & materia fere penitus ad nihilum redigantur; sed cum ecclesiæ nostræ debitis, A tum in exsolutione veterum debitorum, tum in refectione & reformatione status & ecclesiæ, non modicum simus aggravatæ, & facultates quæ ad condignam ipsius thecæ reparationem possint sufficere non habemus, credimus insuper quod ista virgo sapiens quæ Dominum regem suum secuta, propter amorem Dei sui reliquit omnia, nihil sibi proprium decernens, magis elegerit de minutis fidelium eleemosynis thecam suam reparari quam de propriis facultatibus renovari. Inde est quod vestram affectuose rogamus in Domino caritatem, ut divinæ pietatis intuitu ad tantæ virginis thecam reparandam pias eleemosynas largiri velitis, quatenus ejus intervenientibus meritis & precibus, de omnibus quibus Dominum offendistis, ejus majestati reconciliari possitis. Dominus autem Remensis archie-B piscopus omnibus qui ad ejusdem thecæ reparationem suas transmiserint eleemosynas vere pœnitentibus & confessis, viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis, vota fracta si ad ea redierint, peccata oblita, offensas patrum & matrum sine manuum injectione violenta, divina dispensatione relaxat. In ecclesia vero nostra præter generalia ecclesiæ bona, singulis diebus quatuor missæ pro eisdem benefactoribus celebrantur; a singulis autem sororibus viginti psalteria per annum Domino decantantur. Rogamus autem obnixe abbates, priores & religiosos locorum per quæ portitores præsentium transitum habere contigerit, quatinus illos qui ad ipsius thecæ reparationem suas transmiserint eleemosynas, orationum suarum participes faciant, hoc ipsum sigillorum suorum appensionibus confirmantes. C A. abbas sancti Salvii de Monsterolo. E. abbas sancti Judoci supra mare. H. abbas beatæ Mariæ de Longovillari. G. abbas beati Wulmari. O. abbas beatæ Mariæ de Bolonia. Ceterique vicini abbates suas literas dederunt.

LXVIII.

Quædam assumuntur loca ad fabricam ecclesiæ cathedralis.

G. divina permissione Ambianensis ecclesiæ minister humilis, J. decanus, totumque ejusdem ecclesiæ capitulum, universis præsentes literas inspecturis in Domino salutem. Juxta verbum viri sapientis: *hominis est proponere, Dei autem disponere;* sed quando Dei dispositio apud mortales veniat, effectum judicare D non possumus, nisi sperare debemus, sive bonum fuerit, sive malum, ad nostram correctionem vel profectum venire, ut probatio fidei nostræ pretiosior sit auro quod per ignem probatur. Nam si peccatis nostris exigentibus, permiserit Dominus nostram ecclesiam concremari, ad nostrum profectum hoc evenisse credamus, considerantes altitudinem divini consilii super salutem generis humani. Quoniam per claræ memoriæ episcopum Everardum fuerat ordinatum accedente consensu Ambianensis cleri & populi, tanquam eis fuisset a Domino inspiratum, quatenus fundamenta ecclesiæ ampliaret, & mundaret sanctum ut custos vasorum, ad quam ampliationem & mundationem faciendam de communi consilio oportebat ecclesiam beati Firmini confessoris matricis suæ cedere funda-E mentis; & quia ecclesia illa parochianis suis erat invia & occulta, & hospitalaria domus periculose sedebat ad totius urbis, sicut visum est, detrimentum, prædictæ ordinationi fuit adjectum, quod ecclesia beati Firmini ad domum hospitalariam, & hospitalaria apud magnum pontem ad locum quem emit Johannes de *Croy* quondam civis Ambianorum laudabilis transferrentur, & hæc est mutatio dexteræ Excelsi, licet ex obitu dicti episcopi retardata, tandem nihilominus dispositione divina, ut credimus, operante, nos & cives Ambianenses in hac confidimus voluntate, requisito prius domini regis & impetrato consensu, quod dictorum locorum transmutatio fiat nulla de cetero contradictione obstante, sicut pridem habebatur in 1236.

proposito facienda, cum totius civitatis mutatio ista honestati pariter & decori cedere videatur, quamquam ad tempus ex hac quasi dissipatione doleat pars utraque, quæ si perspexerit perventurum in hac transmutatione civitatis honorem, mœrorem suum convertet in gaudium sancti viri exemplo, qui per virtutem pati maluit apud Deum novissimo fine magis quam principio benedici. Sciendum enim huic ordinationi fuisse adjectum, quod in uno latere nostræ matris ecclesiæ locus provideretur honestus, in quo sacerdos beati Firmini parochianos suos convocare valeret, & ministrare eisdem tam missarum solemnia, quam sacramenta, aliave teneretur, canonici quoque ejusdem ecclesiæ in choro Ambianensi pro cultu divino suam præsentiam exhiberent, donec in loco quem prædiximus hospitalaria ordinetur ecclesia tam curato sacerdoti quam canonicis sufficiens & honesta, quibus promisimus in bona fide, quod in mora non erimus, quantum in nobis erit, dictam ecclesiam construendi, ut ita possint divinum officium exercere, sicut antiquitus faciebant. Et ut hæc omnia inconcussam obtineant firmitatem, sigilla nostra præsenti chartæ appensa approbant & confirmant. Actum anno Domini M. CCXXXVI. feria secunda dierum Paschalium.

L X I X.

Ex authentico.

Translatio reliquiarum sancti Firmini confessoris.

1279. UNiversis præsentes literas inspecturis, Guillermus archiepiscopus Rothomagensis, Philippus Ebroicensis, Reginaldus Belvacensis, Guido Lingonensis, Robertus Bathoniensis, & Guillermus Ambianensis Dei gratia episcopi, æternam in Domino salutem. Noveritis quod anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo septuagesimo nono, decimo septimo calendas Junii, pontificatus domini Nicolai papæ tertii anno secundo, reverendissimus pater & dominus dominus Simon etiam Dei gratia tituli sanctæ Ceciliæ presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, excellentissimis Philippo Dei gratia Franciæ & Edouardo Angliæ regibus, Karolo principe Salerni filio excellentissimi regis Siciliæ, & nobis præsentibus, necnon multis aliis principibus regnorum Franciæ & Angliæ, abbatibus, magnatibus, & cleri & populi multitudine copiosa, corpus beati Firmini confessoris atque pontificis Ambianensis quondam, in præsenti theca reposuit, illa solempnitate adhibita quæ consuevit in talibus adhiberi. In cujus rei testimonium ad perpetuam rei memoriam præsentes literas sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Datum ut supra.

L X X.

Guillelmus episcopus jurisdictionem concedit decano & capitulo ecclesiæ Foilliacensis in canonicos, vicarios, &c.

1281. GUILLELMUS miseratione divina Ambianensis episcopus, dilectis filiis decano & capitulo ecclesiæ S. Matthæi Foilliacensis, salutem & dilectionem sinceram. Quanto ecclesiam & personas nostras prosequimur favore benevolentiæ specialis, tanto in his quæ ad decorem & augmentum ejusdem expediunt, intendere delectamur. Hinc est, quod nos cum jurisdictione quam usque ad hæc tempora in canonicos habuistis, cognitionem causarum inter canonicos, capellanos, vicarios & clericos emergentium, summam quadraginta solidorum Parisiensium non excedentium, necnon etiam quod in ipsos de iis quæ pertinebunt ad servitium ecclesiæ juxta qualitatem & quantitatem excessuum eorumdem capellanorum & aliorum possitis animadvertere, corrigere & punire vobis concedimus potestatem. Insuper si aliquis de extra ecclesiam prædictam de aliquo canonico, capellano, vicario & clerico dictæ ecclesiæ, aut eorum familia, de iis quæ pertinebunt ad esculentum & poculentum conqueratur, usque ad summam prædictam vobis de speciali gratia cognitionem contra personas prædictas in præmissis & quolibet præmissorum, ac cohercitionem per censuram ecclesiasticam, si necesse fuerit, adhibendam duximus concedendam. Ita tamen quod si aliquis de dictis capellanis, vicariis & clericis contra quoscumque coram nobis vel coram officiali nostro Ambianensi maluerit experiri, volumus quod dictæ causæ coram nobis vel coram officiali nostro sine debito terminentur. In cujus rei testimonium sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum anno Domini M. CCLXXXI. Dominica post festum beati Petri ad vincula.

L X X I.

Ex autographo.

Homagium de feudis sancti Firmini.

UNiversis præsentes literas inspecturis, Johanna Blesensis & Alenconii comitissa, salutem in Domino. 1292. Noverit universitas vestra quod cum reverendus pater & dominus noster dominus Guillelmus Dei gratia Ambianensis episcopus dederit & concesserit nobis, & successoribus nostris, omnia feuda & retrofeuda, quæ appellantur feuda Vindocinensia seu beati Firmini, quæ dominus Baugenciaci quondam tenebat in feodum a reverendo patre prædicto, pro quibus nos eidem domino episcopo fecimus homagium, & successores nostri qui fuerint pro tempore, eidem episcopo & ejus successoribus homagium pro eisdem feudis & retrofeudis, quando locus se obtulerit, similiter facere tenebuntur; quæ feuda & retrofeuda tenemus ab ipso domino episcopo & ejus successoribus, & tenebunt successores nostri ad usus & consuetudines patriæ, & promisimus insuper dicto episcopo domino nostro offerre singulis annis in ecclesia Ambianensi, in majori missa, in festo beati Firmini martyris, quod celebratur vigesima quinta die mensis Septembris, unum cereum ponderis centum librarum ceræ, in quo cereo depictum erit scutum de armis nostris, & successores nostri qui fuerint pro tempore offerre similiter tenebuntur, & viri venerabiles & discreti decanus & capitulum ecclesiæ Ambianensis prædictæ, quod ab eodem domino episcopo factum est laudaverunt, & approbaverunt, & ratificaverunt, & unanimiter & concorditer consenserunt, salvis juribus suis in terris, vineis, roiiagiis & rebus aliis quæ habebant, & hactenus habuerunt ibidem. Nos nolentes quod per laudationem, approbationem & consensum hujusmodi eidem decano & capitulo in rebus suis prædictis aliquod præjudicium gigneretur, volumus & consensimus quod jura sua prædicta eis salva remaneant, & ea habeant & percipiant prout hactenus perceperunt seu etiam habuerunt. In cujus rei testimonium præsentes literas fieri fecimus, & sigilli nostri munimine roborari. Datum anno Domini M. CCXCI. die Domin. ante festum B. Vincentii.

L X X I I.

Ex chartario Corbeiensi.

Statuta pro hospitali Corbeiensi.

UNiversis præsentes literas inspecturis Garnerus divina miseratione abbas Corbeiensis, salutem in Domino sempiternam. 1294. Cum ad nos pertineat ecclesiis ac locis religiosis nobis subjectis utiliter providere, ac etiam onera eorum prout possumus relevare, ea propter nos domui de Corbeia, quæ hospitalaria vocatur, quam hominibus pluribus & maxime sororum inibi existentium multitudine adeo novimus prægravatam, ut de ipsius proventibus domus dictæ sorores, infirmi & pauperes qui in eadem domo hospitantur, congrue nequeant sustentari, volentes prout nobis incumbit opportunitate debita subvenire, ne, quod absit, status dictæ domus debitus & antiquus forsitan per aliquorum insolentiam subvertatur, habita super hoc deliberatione diligenti, ipsiusque domus obventionibus pensatis, de bonorum & maxime de conventus

nostri consilio duximus statuendum, ut in dicta domo nulla de cetero mulier in sororem vel conversam recipiatur, donec onerosa sororum multitudo prædicta per ipsarum decessum, seu alio quovis modo licito ad numerum decem tantummodo sororum redigatur. Insuper tres fratres conversos ibidem de cætero esse volumus & non plures, adjicientes ut cum dictæ sorores ad numerum devenerint antedictum, per quamcumque mulierum receptionem ipsum excedere non liceat in futurum, cum dictus numerus & infirmorum custodiæ dictæque domus quantitati congruat facultatum. Cum temporis processu, morte, seu casu alio contingente fratrum vel sororum minor numerus a prædictis receptionem etiam sororum exegerit, tum super hujusmodi receptionem a nobis seu successoribus petita licentia & obtenta, tales ad supplendum prædictum numerum sorores rec . . . . esse decernimus, quæ triginta annorum ætatem excedant, per quas & . . . . . . officiis possit congrue deserviri; alioquin in dicta domo nullatenus se . . . recepturas. Hæc autem de certo nostro præsenti super hoc interposito vallamus, statuentes sub anathematis pœna ne quis præmissa de cetero infringere seu . . . . præsumat. Ut autem præmissa firmitatis robur obtineant in futurum, sigillum nostrum ac prædicti nostri conventus sigillum hiis præsentibus literis fecimus apponi. Datum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, &c.

LXXIII.

Ex chartario Corbeiensi.

Philippus rex abbatem Corbeiensem ad bellum invitat.

1297. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, dilecto & fideli nostro abbati Corbeiensi, salutem & dilectionem. Ad vestram deducimus notitiam, quod Eduardus rex Anglorum ad depopulationem, ruinam & excidium regni nostri totis conatibus sitibundus aspirans, jam regni ejusdem fines ingressus, Brugis in auxilium Guidonis quondam Flandrensis comitis novissime diebus istis applicuit; quas potest undique viribus congregatis, diversos & longe majores solito facit bellicos apparatus. Cum igitur ad defensionem regni ac personarum ejusdem & ecclesiasticæ libertatis, prout nostro incumbit officio, totis studiis & continuis ac voluntariis laboribus intendere habeamus, considerantes attentius quod negotium ejusmodi totius regni statum & ecclesias ecclesiasticasque personas immediate contingit, & in eo proprium interesse conspicitur singulorum, dilectionem vestram requirimus tenore præsentium, mandantes quatenus ad nos apud Courtracum cum decenti gentis armigeræ comitiva, in equis paratis & armis die Dominica in octabis instantis beatæ Mariæ virginis personaliter intersitis, nobis in hujus communis defensionis auxilio potenter & viriliter adstituri. Actum in castris ante Insulam ultima die Augusti anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo.

LXXIV.

Ex arch. Corb.

R. episcopus recognoscit jurisdictionem Corbeiæ.

1316. OMnibus hæc visuris, R. divina miseratione Ambianensis episcopus, salutem in Domino sempiternam. Cum nos ad mandatum excellentum principum dominorum Caroli Valesii, Alenconii, Carnoti & Andegaviæ, Ludovici Ebroicensis, & Guidonis de Castellione S. Pauli comitum, pro quibusdam negotiis honorem regni Franciæ tangentibus pertractandis ad monasterium Corbeiæ accesserimus, in prædicta villa cum eisdem in convivio remanendo, notum fieri volumus quod intentionis nostræ non existit quod propter accessum hujusmodi, seu alium alias a nobis in prædicta villa factum, nobis aut successoribus nostris novum jus adversus Corbeiensem ecclesiam

A acquiratur, vel antiquum, si quod habeamus, in aliquo minuatur. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Datum in vigilia beatorum Simonis & Judæ apostolorum anno Domini M. CCCXVI.

LXXV.

Denunciatio aliquot abbatum diœcesis Remensis.

Ex archivo Corbeiensi, 1318.

IN Dei nomine, amen. Pateat universis præsens publicum instrumentum inspecturis, quod anno a Nativitate Domini M. CCCXVIII. indict. I. die XXIII. mensis Martii pontificatus sanctissimi patris ac D. D. Joannis divina providentia papæ vigesimi secundi anno secundo in aula episcopali Silvanectensi, R. R. B in Christo patribus ac dominis dominis Dei gratia R. archiepiscopo Remensi, Belvacensi, Tornacensi, Morinensi & Silvanectensi episcopis ad concilium inibi celebrandum congregatis, ac pluribus abbatibus & aliis personis ad ipsum concilium convocatis ibidem præsentibus, in mei notarii publici & testium infra scriptorum præsentia, vir venerabilis & discretus magister Joannes de Anysiaco nomine religiosorum virorum dominorum permissione divina Henrici sanctorum Petri Corbeiensis, Nicolai Medardi Suessionensis, Gassonis Cornelii Compendiensis, Joannis Wallerici & Balduini Richarii monasteriorum abbatum ibidem præsentium, necnon domini Nicolai eadem permissione monasterii sancti Vedasti Attrebatensis abbatis prope ostium dictæ aulæ existentis, & C propter multitudinem gentium intrare nequientis, ut dicebat, idem magister Joannes ac pro ipsis eidem reverendo in Christo patri domino archiepiscopo supplicavit ut idem dominus archiepiscopus quasdam protestationes in scriptis redactas pro dictis abbatibus exemptis vellet audire. Quibus dictis prænominatus magister Joannes, protestationes, provocationes & appellationes infra scriptas nomine dictorum abbatum, & pro ipsis, ipsisque postmodum ratum habentibus ibidem inscriptis, legi fecit sub hac forma. Nos Henricus sanctorum Petri Corbeiensis, Nicolaus Medardi Suessionensis, Nicolaus Vedasti Attrebatensis, Gasso Cornelii Compendiensis, Joannes Wallerici & Balduinus Richarii permissione divina monasteriorum abbates, ad Romanam ecclesiam nullo medio perti- D nentium, protestamur pro nobis monasteriisque nostris, personis, monachis ac locis nobis subjectis, tam conjunctim quam divisim, coram vobis in Christo reverendo patre ac domino domino R. Dei gratia Remensi archiepiscopo, seu deputato vel deputatis a vobis, quod nos qui ad vestra concilia provincialia auctoritate metropolitana celebrata, seu celebranda, venire & interesse, per privilegia nobis monasteriisque nostris, personis, monachis & locis nobis subjectis, a sede apostolica specialiter indulta, libertatesque nostras, consuetudines seu observantias nostras, & monasteriorum nostrorum, personarum, monachorum & locorum nobis subjectorum antiquas & approbatas & legitime præscriptas, de quibus nos & prædecessores nostri abbates dictorum monasteriorum, necnon per- E sonæ, monachi ac loca nobis subjecta, sumus & fuimus in possessione pacifica, vel quasi a tanto tempore cujus contrarii memoria non existit, quæ omnia supradicta adeo notoria & manifesta existunt, & fuerunt, quod nulla tergiversatione possunt celari, non tenemur in præsenti concilio vestro provinciali apud Silvanectum hac vigesima secunda die hujus mensis Martii cum continuatione dierum subsequentium congregato, & auctoritate sedis apostolicæ specialiter, ut dicitis, vobis super hoc commissa celebrando seu convocando, vel celebrato seu convocato, & quod comparemus solummodo nos prædicti abbates propter auctoritatem sedis apostolicæ supradictam, & non propter metropolitanam vobis in subditos vestros competentem, ut pote tamquam prorsus exempti & substracti notorie

& manifeste a cujusvis potestate ordinaria & metropolitana, & quacumque alia, excepta duntaxat apostolica & immediato dominio ecclesiæ Romanæ subjecti, & maxime propter arduitatem negotii fidei, quod summe privilegiatum existit, de quo tractandum est, ut dicitis, in eodem, ne per absentiam nostram offendiculum seu impedimentum, quod absit, dicto fidei negotio dici valeat præparari seu apponi, quod negotium dicitur tangere totum clerum Remensis provinciæ, prout in quadam cedula supra dictam citationem seu convocationem dicti concilii plenius & amplius continetur, quodque per comparitionem quam nunc facimus coram vobis, in aliis casibus, articulis seu negotiis, nichil novi juris decrescat in posterum privilegiis, libertatibus, consuetudinibus & observantiis ac possessionibus, vel quia nostris & monasteriorum nostrorum supradictis, seu nobis & monasteriis nostris, personis, monachis ac locis nobis subjectis aliquod præjudicium in possessione seu proprietate, vel jure alio quocumque minime generetur, quodque vobis per præmissa nichil novi juris accrescat; protestamur etiam nominibus quibus supra, quod nisi a vobis fiat, ut decet, fides de commissione seu auctoritate sedis apostolicæ, quam vos habere & vobis competere dicitis, de qua petimus imprimis nobis fidem & copiam fieri sumptibus nostris & expensis primo, secundo, & tertio ac quarto ex abundanti & cum instantia, quod vocatio seu comparitio hujusmodi vobis & vestro concilio provinciali non prosint, ac nobis & monasteriis nostris, personis & locis nobis subjectis, necnon privilegiis, libertatibus, consuetudinibus & possessionibus nostris prædictis non noceant sive obsint, & quod si per hoc cum aliis evocatis procedere nos contingat ad tractandum super fidei negotio hujusmodi, si procedere ac tractare teneamur, quod in aliis articulis & casibus nolumus, prout nec tenemur procedere nec tractare, nec etiam in eodem fidei articulo, nisi solum eatenus, quatenus ad hoc de jure & commissione sedis apostolicæ tenemur libertatibus, privilegiis, consuetudinibus, observantiis supradictis nobis & monasteriis nostris ac personis, monachis & locis nobis subjectis remanentibus semper salvis. Et ne vos, reverende in Christo pater domine archiepiscope, supradicto prætextu & occasione evocationis & comparitionis nostræ hujusmodi, ultra id quod vobis ex commissione & auctoritate sedis apostolicæ, aut alias de jure competit seu competere potest, procedentes, aliqua nova & insolita in præsenti concilio, seu alias quandocumque, cum sint aut esse possint nobis, monasteriis nostris, personis, monachis & locis nobis subjectis, privilegiis, libertatibus, consuetudinibus, observantiis & exemptionibus nostris antiquis, notoriis & approbatis in aliquo præjudicialia seu damnosa ordinetis, statuatis seu etiam faciatis, seu ad compellendum nos ad observantiam statutorum in dicto concilio vestro ordinandorum in aliquo procedatis contra nos & nostrûm singulos, successoresque nostros, personas, monachos & loca nobis subjectos, nos videlicet seu aliquem nostrum, personas & monachos nobis subjectos citando, monendo, contumaces reputando, suspendendo, excommunicando, conventus, monasteria nostra & loca nobis subjecta interdicendo, seu alias quomodolibet procedendo minus canonice, cum hoc timeamus a vobis fieri ex probabilibus & verisimilibus conjecturis, non recedendo a protestatione per nos, ut dictum est, facta & interposita, sed potius eidem inhærendo & insistendo ob hoc ad audientiam, si quam habetis in hoc casu, & contra vos, & contra omnes alios qui sua crediderint interesse, pro nobis, monasteriis nostris, personis, monachis & locis nobis subjectis, ac pro nobis adhærentibus & adhærere in futurum volentibus, nomineque nostro & suo ad sedem apostolicam in hiis scriptis provocamus & etiam appellamus, & appellatos a vobis, nomine quo supra, nobis dari, tradi & concedi, & appellationi & provocationi nostris prædictis deferri primo, secundo, & tertio ac etiam quarto ex abundanti & cum instantia petimus, iterum petimus & iterum petimus. Quod nisi hoc feceritis, seu plus debito distuleritis, iterum propter hoc nomine, modo & forma prædictis ad eamdem sedem apostolicam in hiis scriptis provocamus & appellamus, nos, monasteria nostra, bona eorumdem protectioni ipsius sedis apostolicæ specialiter & expresse supponimus, & protestamur nomine quo supra, de provocatione & appellatione hujusmodi legenda, publicanda, insinuanda, innovanda & prosequenda, ac de addendo, minuendo, corrigendo & immutando, ac de appellatis iterum petendis loco & tempore opportunis, ubi, quando & quotiens nobis visum fuerit expediens, in præsentia hic astantium, quos in hiis testes invocamus. Quibus actis præfatus dominus archiepiscopus respondit & dixit, quod protestabatur in contrarium, & quod dictos abbates exemptos ibidem ad dictum concilium evocari fecerat auctoritate apostolica sibi commissa, & dixit etiam quod super negotio fidei, de quo in præsenti concilio erat tractandum, etiam sine sedis apostolicæ commissione, auctoritate sua metropolitana ipsos abbates ad dictum concilium evocare potuit & potest. Parte dictorum abbatum in contrarium, ut supra, protestante, & insuper ad petitionem appellatorum, de qua fit mentio in provocatione & appellatione prædictis, respondit dictus dominus archiepiscopus quod habita copia protestationis & appellationis prædictarum de appellatis bene faceret quod deberet infra tempus a jure statutum; postque præfatus dominus Nicolaus abbas sancti Vedasti monasterii Attrebatensis prædicti ibidem comparuit, & protestationes, provocationes & appellationem appellatorumque petitionem prædictas suo nomine infra scriptas, factas, ratas & gratas habuit, præfato domino archiepiscopo, ut supra, in contrarium protestante & respondente, præsentibus ad hoc venerabilibus & discretis viris dominis & magistris Joanne de *Gayssas* sacræ scripturæ doctore, P. scholastico Noviomensi, Joanne *le Thioys*, Francisco de *Montesflascon*, Galtero de Moyaco, Firmino Fructuario de Ambianis jurisperito, Andrea de Abbatis-villa, Joanne de Ambianis notariis publicis, & pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis & rogatis. Ego Nicolaus Hettardi de *Cambligueul* clericus Attrebatensis diœcesis, publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, protestationibus, provocationibus, appellationibus, appellatorum petitioni, responsis ac aliis omnibus & singulis suprascriptis in dicta aula, ut præmittitur, una cum suprascriptis testibus præsens interfui anno, indictione, die, mense, pontificatu & loco prædictis, eaque omnia & singula in hanc publicam formam per Jacobum *Noys* clericum Cameracensis diœcesis, impeditus scribi feci, hic me subscripsi, & in testimonium præmissorum præsenti publico instrumento signum meum solitum apposui rogatus.

LXXVI.

Jurisdictio Corbeiensis asseritur.

Ex archiv. Corbiens. 1400.

KAROLUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis præsentibus pariter & futuris, quod lite mota in nostra Parlamenti curia inter dilectos nostros religiosos, abbatem & conventum monasterii sancti Petri de Corbeia, conquerentes & opponentes in casu novitatis & saisinæ ex una parte, & dilectum & fidelem consiliarium nostrum episcopum Ambianensem, etiam conquerentem & opponentem in dicto casu, ex altera; super eo quod dicebant dicti religiosi quod dictum monasterium regalis fundationis erat, ad causam cujus & alias debite, & inter cetera eorum jura & prærogativas dictus abbas dominus & comes villæ dictæ de Corbeia erat, ac in eadem omnimodam jurisdictionem temporalem altam, mediam & bassam solus & in solidum habebat; dicti etiam

religiosi in eadem villa & ejus territorio omnimodam jurisdictionem spiritualem soli & in solidum habuerant, & habebant, & ab antiquo notorie exempti ab archiepiscopo Remensi, episcopo Ambianensi, & in curia Romana sine medio ressortissantes erant & fuerant, ipsumque monasterium ad jus & proprietatem beati Petri spectabat, ac in Romani pontificis speciali protectione erat & fuerat, dictusque abbas in dictis villa & territorio jus pontificale habebat; qui dicti archiepiscopus Remensis & episcopus Ambianensis in dictis religiosis, eorum clericis seu laïcis in dictis villa & territorio commorantibus, nullum dominium exercere poterant, prout per plures bullas Romanorum pontificum eisdem religiosis concessas apparere poterat, quarum auctoritate jus habebant, ac etiam in possessione & saisina existebant, quod dictus abbas primam tonsuram clericalem ac omnes minores ordines religiosis, ac etiam beneficiatis, ac ceteris aliis subditis suis in dicta villa commorantibus conferre poterat; necnon in possessione & saisina, quod dictus episcopus tonsuram clericalem, seu minores aut majores ordines alicui subdito dictorum religiosorum in dicta villa commoranti, seu in eadem beneficiato conferre non poterat seu debebat; & quod ipsi subditi sui in dicta villa commorantes, sive forent beneficiati sui, non a dicto Ambianensi seu a quocumque alio episcopo, tonsuram clericalem, ac minores seu majores ordines absque licentia dicti abbatis, vel sine ejus literis demissoriis, recipere non poterant. Ulterius dicebant, quod ipsi per dictas bullas jus habebant, ac etiam in possessione & saisina erant & fuerant omnes ordines ac cetera ecclesiastica sacramenta a quocumque mallent episcopo catholico, & in tali loco, prout ipsis placebat, recipiendi, ac etiam locum seu territorium infra dictum monasterium cuicumque episcopo catholico pro conferendo per ipsum religiosis dicti monasterii quoscumque ordines minores seu majores præstandi, de quibus possessionibus & saisinis dicti religiosi a tanto tempore, de cujus contrario hominum memoria non extabat, usi & gavisi fuerant; quo nonobstante dictus episcopus ordinem acolytharus Joanni *Cavesson* in dicta villa commoranti, qui prius tonsuram clericalem a dicto abbate susceperat, ac etiam Joanni *Giffardi* juniori in dicta villa commoranti & beneficiato, ordines majores sine licentia abbatis dicti contulerat, prædictos religiosos in dictis suis possessionibus & saisinis indebite & de novo perturbando, & ob hoc ipsi religiosi a nobis certas querimoniæ literas obtinuerunt, executioni quarum dictus episcopus se opposuerat, quodque frater Joannes *Egret* episcopus Budiensis ordinis fratrum Minorum, de licentia & congedio dicti abbatis infra dictum monasterium, certis religiosis ipsius monasterii, ordines contulerat, propter quod dictus episcopus indebite certas querimoniæ literas a nobis obtinuerat, executioni quarum dicti religiosi se opposuerant. Quare petebant in dictis suis possessionibus & saisinis manuteneri & conservari, & ad bonam & justam causam conquestos fuisse & opposuisse, & dictum episcopum ad malam & injustam causam conquestum fuisse & etiam opposuisse, pronunciari, impedimentaque in prædictis per dictum episcopum apposita amoveri, ac manum nostram in rebus contentiosis propter debatum partium appositam ad dictorum religiosorum utilitatem levari, necnon prædictum episcopum in eorum damnis interesse & expensis condemnari. Dicto episcopo in contrarium opponente, quod ad causam sui episcopatus, infra quem dictum monasterium erat situatum, jus habebat ac etiam in possessione & saisina erat & fuerat, quod aliqua persona in dicta ejus diœcesi commorans, cujuscumque status seu auctoritatis esset, territorium præstare alicui episcopo, & maxime ordinis fratrum mendicantium, pro conferendo seu conferri faciendo ordines, & præsertim majores, in ecclesia vel alibi infra metas dictæ diœcesis non poterat nec debebat, jusque habebat ac etiam in possessione & saisina erat & fuerat conferendi seu conferri faciendi quibuscumque habilibus, manentibus & habitantibus in eadem diœcesi & finibus ejusdem, & maxime beneficiatis, omnes minores ordines, & quod nulla ecclesiastica persona in dicta diœcesi commorans cujuscumque auctoritatis existeret, ipsos minores ordines, & specialiter alicui seculari vel laïco infra dictam diœcesim commoranti, conferre poterat; quodque etiam jus habebat ac in possessione & saisina solus & in solidum conferendi seu conferri faciendi omnes majores ordines quibuscumque habilibus in dicta diœcesi morantibus, & specialiter religiosis seu beneficiatis, absque literis demissoriis cujuscumque habitantis in dicta diœcesi erat & fuerat; de quibus possessionibus & saisinis a tanto tempore de cujus contrario hominum memoria non extabat, usus & gavisus fuerat; & si dicti religiosi aliqua privilegia habebant, juribus & possessionibus prædictis dicti episcopi præjudiciare non debebant, sed stricte & de eorum religiosis, & quoad ea quæ erant jurisdictionis contentiosæ, & non ordinis episcopalis, quæ de jure præscribi seu possideri per dictos religiosos non poterant, intelligi debebant. Quibus nonobstantibus dicti religiosi an. Dom. M.CCCLXXXVII. in dicta eorum ecclesia dicto fratri Joanni *Egret* territorium præstiterant, qui in eadem pluribus religiosis dictæ ecclesiæ majores ordines contulerat, dictum episcopum in dictis suis possessionibus & saisinis indebite & de novo perturbando, propter quod certas querimoniæ literas a nobis obtinuerat, executioni quarum dicti religiosi se opposuerant; quodque dictus episcopus dictis suis possessionibus & saisinis utendo, dictis *Cavesson* & *Giffardi* de dicta sua diœcesi oriundis, & in eadem beneficiatis, rite & canonice supradictos ordines contulerat, propter quod dicti religiosi certas querimoniæ literas a nobis obtinuerant, executioni quarum dictus episcopus se opposuerat; quare petebat ad bonam & justam causam se conquestum fuisse, & etiam opposuisse, & dictos religiosos ad malam & injustam causam conquestos fuisse & se opposuisse, pronunciari, ipsumque episcopum in dictis suis possessionibus & saisinis manuteneri & conservari, ac manum nostram in dictis rebus contentiosis propter debatum partium appositam, ad utilitatem ipsius episcopi levari, impedimentaque in prædictis per dictos religiosos apposita amoveri, ac eosdem ad cessandum de cetero a dictis impedimentis, necnon in ejusdem damnis interesse & expensis condemnari. Super quibus & aliis pluribus hujusmodi propositis inquesta facta & ad judicandum, salvis reprobationibus testium, contradictionibus literarum, ac salvationibus earumdem per utramque partium prædictarum traditis, recepta: ea visa ac diligenter examinata, repertoque quod sine reprobationibus judicari non poterat, per judicium dictæ curiæ nostræ dictum fuit, dictos religiosos ad bonam & justam causam se conquestos fuisse & opposuisse, & dictum episcopum ad malam & injustam causam se conquestum fuisse & opposuisse. Manutenebuntur & conservabuntur dicti religiosi, ac eosdem nostra curia dicta manutenet & conservat in possessione & saisina, quod dictus abbas subditis suis in dicta villa de Corbeia commorantibus, non beneficiatis sub dicto episcopo, tonsuram clericalem, ordinem acolythatus, ac ceteros minores ordines conferre possit & debeat, in possessioneque & saisina quod dictus episcopus, seu aliquis alius, non possit ac debeat conferre ordines minores seu majores dictis subjectis non beneficiatis sub dicto episcopo in dicta villa de Corbeia commorantibus, sine licentia & congedio dicti abbatis, & quod etiam dicti subditi non beneficiati sub eodem episcopo commorantes & habitantes in dicta villa sine congedio seu literis demissoriis dicti abbatis, a dicto episcopo Ambianensi seu a quocumque alio prælato ordines minores seu majores recipere non possint seu debeant, necnon in possessione & saisina quod religiosi

prædicti monasterii recipere possint quoscumque ordines a quocumque episcopo catholico, & in quocumque loco, & præsertim in dicto monasterio, in possessione etiam & saisina quod dictus abbas cuicumque episcopo habili & idoneo ad ordines conferendos, locum seu territorium in dicto monasterio præstare possit, pro conferendo ordines quoscumque minores seu majores dictis religiosis in dicto monasterio, de congedio & licentia dicti abbatis, ac manum nostram in dictis rebus contentiosis propter debatum partium prædictarum appositam ad utilitatem dictorum religiosorum levavit, atque levat impedimenta per dictum episcopum in prædictis apposita amovendo, & ipsum episcopum ab expensis relevando & ex causa. Quod ut firmum & stabile perpetuo permaneat, præsentes literas sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum & actum Parisius in Parlamento nostro anno Domini M. CCCC. & regni nostri XX. mensis vero Augusti die XIV. *Super plicam.* Per judicium curiæ, Lespoisse. *Reg. pro religiosis, abbate & conventu de Corbeia. Visa contentor.* Freton, avec paraphe. *Sigillum ex cera viridi appensum bina cordula ex serica rubea & viridi.*

LXXVII.

Bulla Eugenii papæ IV, pro Johanne Avantage episcopo Ambianensi.

1437. EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Carolo regi Francorum illustri, salutem & apostolicam benedictionem. Gratiæ divinæ præmium & humanæ laudis preconium acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum prælatis, præsertim pontificali dignitate præditis, divinæ propitiationis intuitu oportuni favoris gratia impendatur. Dudum siquidem provisiones quarumcumque cathedralium ecclesiarum tunc apud sedem apostolicam vacantium, & inantea vacaturarum ordinationi & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes extunc irritum & inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, & deinde ecclesia Ambianensis ex eo pastoris solatio destituta, quod nos venerabilem fratrem nostrum Joannem Morinen. tunc Ambianen. episcopum, a vinculo quo Ambianensi ecclesiæ cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum in Romana curia constitutum ad ecclesiam Morinensem tunc pastore carentem auctoritate apostolica transtulimus, ipsumque illi præfecimus in episcopum & pastorem; nos eamdem Ambianensem ecclesiam sic vacantem, dilecto filio nostro Francisco tituli sancti Clementis presbytero cardinali, per alias nostras literas concessimus in commendam. Cum autem commenda ipsa pro eo cessaverit, quod nos hodie de persona ipsius Francisci ecclesiæ Bisuntinensi tunc vacanti providimus, ipsumque illi in archiepiscopum præfecimus & pastorem, & propterea dicta Ambianensis ecclesia adhuc, ut præmittitur, vacare noscatur, nos ad illius provisionem, de qua nullus præter nos ea vice se intromittere potuisset sive posset, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de præficiendo eidem Ambianensi ecclesiæ personam utilem & etiam fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Joannem electum Ambianen. tunc præpositum ecclesiæ sancti Petri Insulensis Tornac. diœcesis, in sacris ordinibus constitutum, ac in artibus & medicina magistrum, vitæ ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum & temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fide dignorum testimoniis multipliciter commendatum, direximus oculos nostræ mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona ipsius electi nobis & eisdem fratribus, ob suorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Ambianensi ecclesiæ, de ipsorum fratrum consilio, auctoritate apostolica providimus, ipsumque electum illi præficimus in episcopum & pastorem, curam, regimen & administrationem ipsius Ambianensis ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias & largitur præmia, confidentes quod dicta Ambianensis ecclesia, dextera Domini sibi assistente propitia, prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Cum igitur, fili carissime, sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi, & pro regis æterni gloria venerari, serenitatem regiam rogamus & hortamur attente, quatinus eidem electo sic te exhibeas favore regio benivolum, & in suis opportunitatibus gratiosum, quod idem electus per auxilium tuæ gratiæ, in commisso sibi dictæ Ambianensis ecclesiæ regimine utilius proficere valeat, tuque proinde præmia consequaris felicitatis æternæ, ac nos etiam celsitudinem regiam condignis possimus in Domino laudibus commendare. Datum Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo septimo, VI. cal. Aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

LXXVIII.

Dux Burgundiæ petit episcopatum pro Philippo de Brimeu. *Ex schedis D. d'Herouval.*

1472. BEatissimo patri & clementissimo domino domino nostro summo pontifici.

Beatissime pater & clementissime domine, post humilem recommendationem & pedum oscula beatorum. Non ambiguum sanctitati vestræ esse arbitror vestros prædecessores semper ad preces & requisitionem Burgundorum ducum de episcopatu Ambianensi providisse, quæ civitas, etsi dolo mihi surrepta fuerit, occupetque eam rex Francorum, tamen cujus jure esse debeat non ignorat vestra sanctitas. Porro autem non adeo de ipso jure remissus sum, quin illam quoquo pacto brevi mihi sim vindicaturus aut quieturus nunquam: ejus vero diœcesis non modo pars major, sed fere tota, meo paret imperio; quapropter datum illi esse episcopum a vestra sanctitate, pro voluntate regis Francorum, jure meritoque dolui, a qua difficile mihi fuit impetrare, ut de ea parte quæ mihi paret, institueretur vicarius quem cuperem. Nunc autem episcopatus ipse vacat, de quo ad meas partes provideri justum existimo & consentaneum; itaque tribuat illum vestra sanctitas reverendo in Christo patri domino Philippo de *Brimeu* vestræ sanctitatis notario, & nostro consiliario, & requestarum magistro fideli, apprime dilecto, oro humiliter & precor, viro quidem & plurima virtute sua, & plurimis suis & suorum, non modo erga me meritis, sed erga apostolicam sedem & vestram quoque sanctitatem, beneficio hoc atque majori digno, cujus majores ita officiosissime erga majores meos se præstiterunt, & nunc ejus frater illustris comes de *Meghem*, dominus de *Humbercourt*, carissimus meus consanguineus & cambellanus, & generalis locum tenens, erga me præstat, ut vix vires mihi suppetere arbitrer ad vices meritorum reddendas. Eam ob rem hactenus pro illo petii vicariatum Ambianensem in eo quod esset meæ ditionis, ut cum episcopatus vacasset, eum me annitente obtineret; nam hoc aut aliud beneficium quod ille ab apostolica sede & vestra sanctitate consequetur, non illi collatum, sed mihi ipsi arbitrabor, quandoquidem unice illum diligo, unice me ille colit. In quo agendo, ita gratum faceret mihi vestra sanctitas ut gratius nihil hac tempestate facere posset, est enim res quæ in acie meæ mentis & animi maxime versatur. Plura super hoc ad vestram sanctitatem scriberem, nisi arbitrarer satis expertam videri meam in hac re erga sanctitatem vestram

vestram mentem. Nam ejus duntaxat urbis subreptionis jactura me compellit tantopere in armis esse, quippe nullum bellum gero quin illinc primordium sumat. Igitur dignetur vestra sanctitas, si unquam in quoquam mihi benefacere & gratificari voluit, hoc ipsum efficiat, quo intelligam ab ea mihi non modo debitum jus tribui, sed singulariter ut humilem & devotum filium me diligi & caripendi, pollicentem hoc beneficio mihi collato pro viribus & facultatibus me sanctitati vestræ gratiam relaturum, quæ valeat felix & longæva. Ex castris contra Maracum XVIII. Junii M. CCCCLXXII. Sanctitatis vestræ humilis & devotissimus filius dux Burgundiæ, Brabantiæ, comes Flandriæ. *Charles.*

LXXIX.

Literæ Noviomensis episcopi pro Selincurtensibus.

1498. GUILLELMUS Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia episcopus & comes Noviomensis, par Franciæ, universis & singulis abbatibus, abbatissis, prioribus, decanis, capitulis, presbyteris, cunctisque capellanis, ceterisque personis ecclesiasticis per civitatem & diœcesim nostram Noviomensem constitutis, ad quas nostræ præsentes literæ pervenerint, salutem in Domino. Deum placare tendimus, & in cœlis habere propitium, dum Christi fidelium mentes ad opera caritatis debitis exhortationibus inducimus. Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia sancti Petri Selincurtis, ordinis Præmonstratensis, diœcesis Ambianensis, a nobilis memoriæ domino Galtero milite, & domino de Piceio, ad instantiam piæ recordationis domini Milonis primi hujus nominis episcopi Morinensis, olim ædificiis & structuris mire ac magnifice constructa & ædificata, cum suis ædificiis, certis temporibus retroactis, repente & casu inevitabili concremata & combusta fuerit, solis muris remanentibus, & postmodum abbas & conventus ipsius ecclesiæ, chorum, campanile, claustrum ceteraque ædificia, navi excepta, Dei & populi christiani favente auxilio, reædificaverint, cum pauco tempore citra dictam navem variis refectionibus reædificare inceperint, nec ad operis hujusmodi consummationem pervenire possent, eorum pensata mendicitate, nisi Christi fidelium eleemosynis eis pie succurratur; hinc est quod nos eidem ecclesiæ abbatique & conventui præfatis compatientes universitatem vestram requirimus & monemus, ac in Domino Jesu Christo exhortamur, vobisque nihilominus & vestrum cuilibet in solidum in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatinus religiosos antedictæ ecclesiæ, seu eorum alterum cum præsentibus nostris literis, reliquiis, & jocalibus, & sanctuariis, videlicet lachryma Domini nostri Jesu Christi, brachio beati Petri apostolorum principis, pede sancti Andreæ apostoli, corrigia sanctæ Margaretæ, & aliis sanctuariis, quas & quæ secum deferunt, cum ad vos, ecclesias vestras, atque loca, Christi fidelium eleemosynas petituri accesserint, ipsos benigne & sine contradictione aliqua, in ecclesiis & locis vestris recipiatis & admittatis, & a parochianis sive subditis vestris recipi & admitti faciatis, necnon per eosdem religiosos, aut unum ipsorum, paupertates & necessitates ecclesiæ præfatæ, necnon indulgentias & gratiam eisdem concessam, venerabilemque & salutarem confratriam in honorem & venerationem ejusdem piissimæ lachrymæ Domini nostri Jesu Christi inibi ordinatam, infra missarum vel vesperarum solemnia exponere permittatis, & vosmet, si ab eis requisiti fueritis, exponatis, cum tamen verbo prædicationis excluso, eisdem vestris parochianis & subditis præcipientes ut omnes ad ecclesiam conveniant, ibidemque convocari faciatis, donec totum negotium fuerit adimpletum, & eosdem exhortando ut ad hæc misericordiæ & pietatis opera, de bonis sibi a Deo collatis, eisdem religiosis manus porrigant adjutrices, ut per hæc & alia quæ vos & ipsi facietis, ad æternæ felicitatis gaudia pervenire valeatis. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum auctoritate confisi, omnibus & singulis Christi fidelibus utriusque sexus nobis subditis vere contritis & confessis, eisdem religiosis pias eleemosynas largientibus, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Si quis vero in mandatis nostris exequendis inobediens fuerit, vobis omnibus & singulis supradictis mandamus, quatenus inobedientes vel rebelles hujusmodi citetis peremptorie & personaliter coram officiali nostro Noviomensi, ad certam & competentem diem vobis alterive partium nominandam, promotori officii curiæ nostræ Noviomensis quod factum fuerit responsuros, officiali nostro prædicto quidquid per vos aut alterum vestrûm actum fuerit fideliter rescribendo. Præsentibus nostris literis usque ad annum a data præsentium computando, & non ultra duraturis, non obstante gratiarum concessarum revocatione in proxima nostra synodo duraturis. Datum apud Karoli-pontem sub sigillo nostro rotundo, die vicesima quarta mensis Novembris anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo.

Ejusdem ferme tenoris sunt literæ Johannis de Cambrin *decani & canonici Ambianensis, & vicarii generalis R. Petri episcopi.*

LXXX.

Fundatio collegii & capituli sancti Richarii de Dourriers. *Ex chart. S. Judoci.*

FRANCISCUS de *Halewin*, Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia episcopus Ambianensis, universis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino sempiternam. 1523. Pro parte nobilis viri Caroli de *Crequy* domini temporalis de *Dourriers* nostræ diœcesis Ambianensis fratris, heredis & executoris quondam viri nobilis Francisci de *Crequy*, domini etiam temporalis ejusdem loci de *Dourriers*, seneschalli gubernatoris comitatus Boloniæ supra mare, nuper nobis exhibita petitione continebat, quod si parochialis ecclesia beati Richarii dicti loci de *Dourriers*, quæ ad præsentationem abbatis pro tempore existentis monasterii sancti Judoci supra mare ejusdem diœcesis, juxta antiquam & probatam hactenus pacifice observatam consuetudinem pertinet, in collegiatam ecclesiam cum sigillo & bursa communibus, aliisque collegialibus insigniis adinstar aliarum collegiatarum ecclesiarum harum partium institueretur, & in ea unus decanatus, cui cura parochianorum dictæ ecclesiæ collegiatæ immineret animarum, & principalis dignitas ibi esset, ac septem canonicatus & totidem præbendæ pro septem canonicis, quorum primus decanus & aliorum caput existeret ac decanatum obtineret; quippe & alii sex canonici capitulum dictæ ecclesiæ constituerent, & presbyteri saltem infra annum a die per eos adeptæ canonicatuum & præbendarum hujusmodi pacificæ possessionis computandum esse deberent, necnon quinque vicarios & sex choriales pro officio & servitio chori suis expensis habere tenerentur, ad nutum tamen fundatoris & dicti capituli amovibiles, quique scilicet decanus & reliqui sex canonici in prædicta ecclesia personaliter residere, ac horas canonicas diurnas pariter & nocturnas, necnon missas & alia divina officia juxta dicti Francisci de *Crequy* & Margaretæ *Blondel* ejus quondam consortis ordinationem primitus desuper factam celebrare inibi tenerentur, perpetuo erigerentur & instituerentur, ac jus patronatus & omnimoda dispositio ad decanatum, & canonicatus, & præbendas hujusmodi, quoties illas deinceps vacare contingeret, perpetuis futuris temporibus per cessum vel decessum, aut alio quovis modo dicto Carolo suisque successoribus dicti loci de *Dourriers* dominis temporalibus perpetuo reservaretur ac concederetur;

hoc salvo quod prout dictus abbas & ejus conventus ad id jam expressum præbuerunt assensum, ipse Carolus & ejus dicti successores tenerentur ad decanatum prædictum dictæ parochiali sic annexum, quotiescumque per mortem aut aliter vacaret, nominare prædicto abbati personam idoneam, & dictus abbas eamdem personam per dictum fundatorem, ut præfertur, nominatam, nobis & successoribus præsentare, nosque & successores nostri personam hujusmodi in dicto decanatu instituere, sibique decanatum cum hujusmodi parochiali annexa ac omnibus juribus & pertinentiis suis conferre; abbas vero præfatus nominare dicto Carolo, & pro tempore existenti domino temporali dicti loci de *Dourriers*, unam personam idoneam ad unam illarum præbendarum, videlicet ad illam quam nunc possidet Laurentius *le Machon*, cui prædicto, si per præfatum abbatem nominato prædictus dominus de *Dourriers*, ac sui successores pro tempore existentes conferre tenerentur, quotiescumque per mortem sive alio quovis modo vacare contingeret, ac omnes & singuli fructus, redditus ac proventus dictæ parochialis ecclesiæ decanatui, necnon bona per dictum Franciscum quondam assignata & per dictum Carolum assignanda, ac etiam fructus novellarum cantuariarum seu supplicum capellaniarum jure patronatus dicti domini de *Dourriers* illas supprimendo hujusmodi dignitati canonicatibus & præbendis pro eorum dote perpetuo applicarentur & appropriarentur; at quod quicumque ex decano & canonicis hujusmodi qui in dicta ecclesia residentiam personalem non facerent, nullos fructus absentia eorum durante inde perciperent, & qui per unum annum integrum ab eadem ecclesia abesset, obtentis per eos dictæ ecclesiæ dignitate, canonicatibus & præbendis hujusmodi perpetuo privati essent, ad illaque respective nominari, præsentari & in eis institui alii libere possent, salvo tamen nobis omni jure etiam immediatæ jurisdictionis, visitationis & procurationis, quemadmodum in aliis ecclesiis collegiatis nostræ prædictæ diœcesis Ambianensis non exemptis, semper gavisi sumus & usi, ex hoc profecto decori & honestati ecclesiæ & loci prædicti cum animarum salute & divini cultus augmento opportune consuleretur. Quare pro parte dicti Caroli nobis humiliter supplicatum, ut erectionem, institutionem, applicationem, appropriationem, reservationem, concessionem, & statum ac ordinationem prædictas consentire, accordare, necnon approbare dignaremur. Nos igitur qui divinum cultum ubique vigere & augere incensis præcordiis affectamus, pro dicti Caroli desiderio in hac parte favorabiliter annuentes, postquam per literas a notario publico transumptas, nobis de dicti abbatis & ejus conventus expresso ad id legitime constitit consensu, ita tamen quod prædictus decanus & capitulum prædictum ecclesiæ de *Dourriers* nullam habebunt jurisdictionem, omnia & singula in prædicta petitione contenta, sub beneplacito summi pontificis prædictæque sanctæ sedis apostolicæ, de cujus confirmatione infra annum, si per eos commode fieri possit, nobis constare nosque certiores facere tenebuntur, secundum præsentium formam ac tenorem consentimus & approbamus. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes literas signo manuali signavimus, & ipsis sigillum nostrum oblongum duximus apponendum. Datum Ambianis in domo nostra episcopali anno ab Incarnatione Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio, die vigesima quarta mensis Octobris.

LXXXI.

Testamentum Antonii de Crequy *episcopi Ambianensis.*

1574. IN nomine Domini. Amen. Ego Antonius a *Crequy* nuncupatus Ambianensis episcopus, *abbé des abbayes de saint Pierre lez Selincourt, saint Martin*

A *aux Jumeaux, saint Vaast de Moreul, & chancelier de l'ordre du roy, sain de mon esprit & entendement, toutefois détenu au lict d'infirmité de laquelle il a plu à Dieu me vestir, fais & ordonne mon testament en la forme & manière qui ensuit. En premier lieu, je demande à Dieu misericorde & pardon de mes péchés que j'ai commis depuis l'heure de ma naissance jusques à l'heure presente, suppliant la Vierge très-sainte mon advocate, dame & maistresse, en ce besoing ne me laisser, priant aussi mon pere saint Martin, saint Firmin, saint Antoine, sainte Agathe & sainte Geneviève m'estre aidans en leurs saintes prières & oraisons. J'ordonne, Dieu ayant fait son commandement de moy, mon corps estre ensepulturé en l'église de l'abbaye de saint Vaast de Moreul dans une voulte que je veux estre faite & bien gravée, selon que j'ai ordonné à Jean Baré mon maistre charpantier.*

B Item, *auparavant ce mesdit corps estre ouvert & embeaumé, & aveq icelui audit lieu estre mis les corps de mes feus pere, mere & freres, desquels je commande estre mis en ladite église les enseignes, guidons, cornetes, banderoles & autres choses nécessaires & honnestes. J'ordonne aussi estre pris & choisis en toutes mes terres deux cens pauvres vrayement pauvres, & sans simulation ou faveur, ausquels sera distribué drap pour faire robbe, saye, chosses & chaperons.* Item, *estre chanté perpetuellement, & par chacun jour après ma mort, en ladite église de Moreul, une messe basse par un homme de bien, pour la dotation & institution de laquelle je ordonne & laisse par chacun an, cent livres de rente amortie. Plus, je veux & ordonne que tous les ans au dix-septième de*

C *juillet, qui est le jour de ma naissance, soit présenté à Dieu à l'autel d'icelle église, durant l'offertoire de ladite messe, un bouquet qui soit taillé en bois, bien doré & peint, autour duquel sera mis :* Antoine de Crequy dernier du nom & des armes, Dieu te fasse pardon. *Et parce que le* . . . . *j'ai esté sacré évesque, comme aussi créé au cardinalat* . . . . *j'ordonne estre chanté en ladite abbaye tous les ans par chacun desdits jours, un service & obit solennel, & que audit jour soit vu sur ma fosse & tombeau un drap mortuaire de drap d'or, & aux quatre coings grands écussons, le premier aux armes de feu mon pere, le deuxième de ma mere, le troisième de mon beau-frere, le quatrième des miennes. Et pour autant que feue madame ma grande-mere avoit donné par son testament quelques habillemens*

D *des siens pour estre employez en ornemens pour ladite église, qui n'a pas esté fait, parce que la meilleure partie desdiz habillemens ne s'est trouvé en nature, je veux qu'il soit achepté jusques à la somme de trois cens livres de paremens d'autel, de chasubles de plusieurs couleurs, les uns blancs, autres rouges & noirs, garnis des armoiries de ladite dame, pour servir à ladite église & abbaye dudit Moreul. J'ordonne que mon corps, si je meure en ce lieu, soit enlevé de la salle de ceans pour estre porté en la grande église le jour que les obseques se diront en ladite église, par les gentilshommes de ma maison, lesquels je veux & entend pour cet effet avoir le chaperon de deuil en teste: le service fait, avant que l'inhumation de mon corps se fasse en ladite église, mon corps sera enlevé par lesdits gentilshommes, pour estre porté à Mo-*

E *reul. Je veux aussi & ordonne que sur le plus beau & meilleur de mes meubles soit pris la somme de cinq cens escus, pour estre distribuez aux chanoines, dignités, prébendes, chapelains & vicaires d'icelle église, tant le jour des vigiles que le lendemain jour du service. J'ordonne aussi à ma sœur & son fils payer chacun par moitié la somme de trois à quatre cens livres pour faire une petite voulte devant le grand-autel d'Amiens, pour y estre mis mon cœur en terre; & afin que le peuple se puisse mieux souvenir de moy, & qu'il ait occasion de prier Dieu pour mon ame, je veux que sur ladite voulte y ait un ange suspendu en l'air aveq quelque inscription en une table. J'ordonne aussi que au* memento *que fait le prêtre pour les morts durant la grande-messe qui se chante par chacun*

jour en ladite église, le diacre dira au prêtre : memento, domine, animarum servorum tuorum Joannis & Antonii de Crequy, pourquoi je veux & entend estre distribué au prêtre estant à l'autel douze deniers, & audit diacre six deniers. Comme aussi j'ai ordonné & ordonne aux chanoines de ladite église chanter & célebrer perpétuellement par chacun an, au septième de mars, un obit, sçavoir, vigiles, commandaces & grand'-messe pour l'ame de mon beau-frere; pareillement un tel obit pour le repos de mon ame, perpétuellement par chacun an, au même jour qu'il plaira à Dieu faire son commandement & volonté de moy, pourquoi je laisse & ordonne la somme de cinquante livres estre payées deux fois par chacun an, laquelle distribution se fera à ceux qui assisteront & seront présens audit obit, sans que les absens y puissent participer aucunement. Et parce que la volonté de Dieu nous a fait cet heur & grace de ressentir en partie l'effect du desir de bon pasteur, quelque agitation & persécution d'hérétiques que nous ayons eu en l'église de Dieu, signamment en cette patrie, pour approcher de mon devoir, j'ai donné & donne trois cens livres de rente, à prendre cent six livres treize sols quatre deniers sur la maison du vidame d'Amiens, à cause de pareille somme de rente annuelle & perpétuelle, le reste sur la terre de Moreul, laquelle somme de trois cens livres je veux estre distribuée & baillée aux prédicateurs qui après ma mort seront appellez par mes successeurs évesques pour prêcher durant le caresme en ladite église, lequel ne pourra estre admis à ladite prédication sinon du consentement dudit évesque, comme dit est, desdits de chapitre & de dame Marie de Crequy ma sœur, & après son décez, du consentement de son fils ou de celui qui représentera l'héritier de la maison de Crequy; & pour participer à tel fruit, je veux & entend que chacun desdits prédicateurs soit tenu de ce chacun caresme faire faire priere à notre Dieu par le peuple, afin qu'il lui plaise prendre compassion de son église, extirper toutes les hérésies, conserver & maintenir l'état de la France, dire ces mots : « Priez Dieu pour l'ame de » monsieur de Crequy jadis évesque d'Amiens, instituteur » & fondateur des prédications qui se font en ce lieu » durant le caresme, & qu'il plaise à Dieu conserver & » garder en toute prosperité, son amour & crainte, ce » qui est de reste de ladite maison. » J'ordonne aussi, ad perpetuam rei memoriam, qu'il soit fait une table & lame d'airain audit Moreul, en laquelle soient portées toutes les fondations faites en icelle église de Moreul, & une autre aussi dans l'église de l'evesché d'Amiens, dans laquelle sera engravé les services prétendus estre fait en ladite église, mon décez en arrivant, & non autrement. Plus, je donne quatre cens livres de rente pour employer audit Moreul, partie pour prier Dieu pour mon ame, partie pour les pauvres, & partie pour les résections de l'église dudit lieu; lesdites quatre cens livres de rente, comme aussi les autres sommes des autres fondations ci-dessus mentionnées, je veux & ordonne estre prises & assignées sur la terre dudit Moreul, & estre payées de quartier en quartier; mais j'entend sur-tout que les gens d'église qui seront employez au service dudit Moreul, soient choisis entre gens de bien & de bonne vie. Item, j'ordonne aussi à ladite église de Moreul, pour en user seulement, deux chandeliers, un bénitier, deux orseils & une paix, le tout d'argent, la garde desquels joyaux je laisse à mes hoirs, avec exprès commandement de rien aliéner, à peine d'encourir l'indignation de Dieu vivant. Plus, je donne deux mille livres, à prendre sur les deniers procedans de la vente de mes grains, en quelques lieux qu'ils soient, pour être employez & convertis en la fonte de deux grosses cloches, qui seroient mises en ladite église de Moreul, toutes les deux du plus gros ton que celles qui y sont, & si ordonne que les vieilles cloches de ladite abbaye seront refondues, & qu'il en soit fait jusque à quatre; mais je prie ledit Jean Baré faire un chef-d'œuvre, afin qu'il ne soit besoing faire un nouveau beffroit au clocher d'icelle abbaye.

Le jour de mon enterrement je veux & entends qu'il A soit donné pour Dieu, en aumône, dix muids de bled convertis en pain, que à tous prêtres qui se présenteront pour chanter & célébrer, soit baillé à chacun cinq sols; & parce que les escoles dudit bourg de Moreul ont esté brulées, je donne ce qu'il faudra de bois pour rebastir lesdites escoles, afin que les enfans y soient nourris & instruits en bonne crainte & amour de Dieu. A chacune église paroissielle de mes terres, soit à cause de mes bénéfices ou patrimoine, sera donné & distribué la somme de cens sols pour prier Dieu pour moy. Item, j'ordonne estre chanté en chacune de mes abbayes un obit solennel, pour quoy sera baillé à chacune d'icelles la somme de vingt livres tournois. J'ordonne à ma niéce de Crequy un diament de la valeur de mille escus, lequel a esté puis deux mois retiré des mains de maistre Petit advocat à la B Cour de Parlement à Paris. J'ordonne outre leurs vacations estre donné à maistre Guy de Moreul mon médecin, une coupe d'argent de valeur de soixante livres; comme aussi à Josse apoticaire, une coupe d'argent de valeur de quarante livres : plus, à l'archidiacre Pecoul mon médecin, un calice, avecq sa patine, deux visens, une paix; le tout d'argent doré, où seront gravées mes armoiries. Et quant aux autres biens temporels qu'il a plû à Dieu me donner en ce monde, je les laisse ainsi qu'il s'ensuit : premierement, je laisse & donne à madame de Saint-Janvrin ma sœur tous & chacuns mes meubles, tant précieux que autres, en quelques lieux & maisons qu'ils soient, hormis ceux qui se tiendront en l'abbaye de Valloires, lesquels je laisse & donne à Charles de Gouffier, abbé de ladite abbaye, afin qu'il ait souvenence de C prier Dieu pour moy; en ce toutefois non compris les grains & bétail qui seront en ladite abbaye, pour desdits meubles jouir & user par madite sœur, sans charge de debtes, tant qu'elle vivra, & sans les pouvoir vendre ni engager, n'est en cas que ses enfans lui soient désobeïssans, ou qu'elle ait nécessité. Je lui donne aussi à telle condition que dessus, la terre & seigneurie de Moreul, appartenences & dépendances, sans d'icelle terre pouvoir frustrer mon neveu son fils, sinon audit cas de désobeïssance. Et au cas que mondit neveu décéde sans enfans; ladite terre retournera au plus prochain de cette ligne, ainsi qu'il est porté par son contrat de mariage. Plus, je donne & laisse à Marie de Blanchefort mes terres de Dommarts & Bernaville, appartenences & dépendances; à Madelaine ma niéce la terre de Beauval; & pour la récompenser, en attendant l'âge conve- D nable pour la marier, j'ordonne & prie ma sœur qu'il lui soit achepté jusques à la valeur de quinze cens livres en bagues. Item, je donne à ma petite niéce Françoise la terre de Warlu & douze cens livres de rente, avecq douze cens livres que j'ordonne estre pris en général sur la vente des bois de haute-futaye de toutes mes terres, hormis de celle de Moreul, où je défend expressément estre touché. Et parce que je m'attend que ma sœur sçaura bien récompenser comme il lui plaira sesdites filles lorsqu'elle les mariera, je remets le surplus à sa volonté; voulant & entendant que madite sœur jouisse sa vie durant desdites terres de Moreul, Dommartz, Bernaville, Beauval & Warlus jusques au jour des nôces de chacune desdites filles, priant & ordonnant à madite sœur bailler à madite niéce Gilberte de Blanchefort le E jour de ses nopces, un carcan de pierreries, contenant plusieurs tables de diamans, tant en taille-douce que grosses pierres, que j'ai dégagé depuis quelque temps des mains du sieur le Noble Banquier à Paris. Item, je veux & ordonne que la donation faite à Jean de Berne en considération des bons services qu'il m'a fait dès sa jeunesse jusques à présent, passée pardevant notaires royaux à Amiens le seize Juillet mil cinq cens soixante & huict, de la terre de Pierrepont, sorte son plein & entier effect, reconnoissant présentement, & derechef, ladite donation comme bonne & valable, pour en jouir par lui à ce présent & comparant, & auquel derechef je donne par don d'entre vif ou autrement comme il voudra, si avant néanmoins comme il est porté par ladite donation. Item,

décharge mon secretaire Obry de toutes & chacunes les receptes & entremises qu'il avoit faites pour moy & en mon nom jusques à présent, parce qu'il m'en a rendu bon compte.

Fait à Amiens en présence de madite sœur Dame de Saint Janvrin, Antoine de Crequy mondit neveu, Jean de Berne, maître Guy de Moreul, Adrien Pecoul, Josse & autres, le quinzième jour de Juin mil cinq cens soixante & quatorze. Signé le Cardinal de Crequy. En approbation du présent Testament & du contenu en chacun article d'iceluy, ledit Seigneur a fait signer par les soussignans l'ayant dicté & à luy releu. Signé Marie de Crequy, Antoine de Crequy, Pierre de Milli, Jean de Berne, Obry, Flamot, Aluin, de Mareul, Picoul, Andrieu, Pierre Duval & Jean Descigne.

LXXXII.

Translatio corporis S. Firmini Confessoris.

Ex autentica. 1715.

PETRUS Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia Ambianensis episcopus, præsentibus & futuris salutem & benedictionem. Notum facimus quod nos anno A Domini M. DCCXV. IV. idus Januarii, ipsa die qua factæ primum a decessore nostro B. Salvio S. Firmini confessoris & Ambianensis episcopi e loco in quo humatus fuerat in nostram cathedralem ecclesiam translationis memoria quotannis renovatur, hanc capsam in qua corpus prædicti S. Firmini confessoris & Ambianensis episcopi asservatur, quodque abesse ausu temerario mentita fuerat iniquitas, in choro jam nominatæ cathedralis ecclesiæ nostræ, ut obstrueretur os loquentium iniqua, aperuimus, ejusdem sancti reliquias quæ ex alia humiliori theca extractæ anno millesimo ducentesimo septuagesimo nono, in hac nobiliori conditæ sunt, debita cum veneratione, servatis ritibus, primariis hujus urbis spectantibus, clero & populo incredibili gaudio B exultante, inspeximus, recognovimus & in eadem capsa reposuimus. Datum ut supra, sub signo sigilloque nostris. Petrus episcopus Ambianensis.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ NOVIOMENSIS.

I.

Charta Eilberti comitis in gratiam Humolariensium.

Ex tabulario Humolariensi. 968.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Notum sit universis sanctæ matris ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, quod ego Heilbertus pro remedio animæ meæ, præsente Adalberto comite & Heriberto filio ejus, coram altari sanctæ Mariæ in monasterio Humolariensi, multis astantibus, legaliter tradidi dimidium mansum ex alodo meæ proprietatis sanctæ Mariæ & sancti Hunegundi, in usibus fratrum ejusdem loci, situm in quodam mansionili qui dicitur Grimulscas, in pago Laudunensi, juxta villam quæ vocatur Puteolis, in qua villa sedes est ejusdem dimidii mansi; atque precante abbate & fratribus ejusdem loci hanc chartam fieri jussi, & manu propria firmavi. Quod si quis successorum meorum, quod minime credo, præsentem traditionem aliquando pro nihilo ducere voluerit, & terram ab ecclesia auferre, in primis iram Dei omnipotentis incurrat, & regia majestate convictus quinquaginta libras argenti persolvat; & quod sacrilege invasit, nequaquam obtineat, sed præsens traditio firma & inviolabilis per secula maneat. Actum in monasterio Humolariensi anno Incarnationis Dominicæ DCCCC. LXVIII. regnante domino Lothario XIII. Indict. XI. S. Heilberti, qui hanc chartam fieri jussit, & manu propria firmavit. S. Lantberti filii sui. S. Adalberti comitis. S. Heriberti filii ejus, &c.

II.

Charta Alberti I. comitis Veromanduorum de fundatione Montis S. Quintini.

Ex Sammarthanis. Circiter 980.

EGO ADALBERTUS comes notum esse volo tam præsentibus quam futuris in meo Virodumensi comitatu ab antiquo tempore extitisse ecclesiam in honore S. Quintini martyris dedicatam, in Monte sitam, juxta vicum Peronam, quam quondam Dagoberti regis auctoritate, Erchenaldi præfecti donatione, S. Eligii pontificis benedictione, Ultanus quidam genere Scotus, professione monachus, ecclesiasticis sanctionibus ac monasticis instituit institutionibus, abbatis honore functus; post cujus vitæ excessum, incuria, ac Barbarorum infectatione ad tantam desolationem ipsa pervenit ecclesia, ut vix rara antiquæ habitationis apparerent vestigia. Hanc igitur pro meæ remedio animæ, prædecessorum, sive hæredum meorum salute, divina compunctus inspiratione, jussi a fundamento reædificare, & abbate constituto, cum consilio fidelium meorum abbatiam studui dotare, sicque in perpetuum ratum, C & inconvulsum permanere. Hujus autem dotis res hæ sunt: in pago Virodumensi villula una quæ dicitur *Aisilcourt*, & in ipso pago in villa Curticulus nuncupata, mansi septem, & medietas ecclesiæ de Duriaco apud castellum Nigellum super fluvium l'*Ingon*, pontem cum terra appendente ibi. In Tegeri hamo mansi duo, & in villa quæ dicitur sanctæ Radegundis, mansi tres. In vico medietas capellæ S. Quintini cum quatuordecim hospitibus. In villa Alania super fluvium *Halle*, duodecim hospites cum terra colenda, & prato uno. Ad ecclesiam ejusdem Montis respicit villa, quæ Vivarius, cum suis adjacentibus super fluvium Grinsionem. In villa quæ *Douin* vocatur, molendinum unum, cum tertia parte prati ibi appendentis. In pago Suessionico in villa D quæ *Allemans* vocatur tres mansi cum curia indominicata. In his ergo domino S. Quintino martyri datis rebus, nullus hæredum vel propinquorum meorum, non comes, nec vicecomes, nec ejus liberæ ingenuitatis homo, aliquid amodo accipiat causa consuetudinis, seu advocationis, non bannum, non justitiam, non districtionem, nisi fideli precatu ipsius abbatiæ abbatis. Quod qui infringere præsumpserit, pro suæ temeritatis ausibus ternis subjaceat maledictionibus, & publicis coactus resipiscere teneatur legibus. Cujus actionis testes laudatores confirmarunt. Ego Adalbertus comes qui jussi fieri, confirmavi. Signum Heriberti comitis. Sig. Vidonis comitis. Sig. Philberti. Sig. Lantberti. Sig. Walchisi. Sig. Odonis. Sig. Ivonis. Sig. Bossevi. E Sig. Walcelini. Sig. Amalrici. Sig. Walneri. Sig. Odonis. Sig. Macharii. Ego Leudulphus Wermandensis ac Noviomensis ecclesiæ episcopus subscripsi, confirmavi. Actum in curia S. Quintini die passionis ejusdem.

III.

Diploma Roberti regis Francorum de sex mansis ecclesiæ Noviomensis ab Harduino episcopo concessis.

Ex chartario Noviomensi. 1016.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Robertus divina propitiante clementia Francorum Rex.... Noverit ergo omnium catholicæ ecclesiæ fidelium

nostrorumque tam præsentium quam futurorum industria, quoniam Harduinus Noviomagensium ac Tornacensium præsul, nostram adiens excellentiam, regiis intimavit auribus velle se concedere canonicis sanctæ Mariæ Noviomagensis ecclesiæ VI. mansos de terra in *Humblans*, cum ecclesia diu a prædecessoribus Odonis comitis & ab illo possessa, nunc vero Dei clementia prædicto episcopo ab eo ut olim fuit reddita. Quapropter obnixe oravit quatinus hoc donum animo dispositum ne ab aliquo depravari posset, sicut mos est Francorum regibus, nostro præcepto confirmaremus. Cujus petitioni, quoniam visa est digna, nec canonum auctoritati contraria, assensum præbentes, prædictam ecclesiam cum terra nominata ab ipsis canonicis omnibus diebus fore tenendam per hoc præceptum regia confirmamus censura. Ut autem hoc nostræ donationis præceptum per succedentium temporum curricula inconvulsum stabileque permaneat, manu propria id firmavimus & sigillo nostro insigniri fecimus. Actum Compendio anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi M. VIX *. regnante Roberto serenissimo rege anno XXVII. indic. XV. ipso anno benedictionis juvenculi Hugonis filii ejusdem regis Roberti apud Compendium in die sancto Pentecostes, præsentibus Franciæ comitibus & episcopis cum eorum suffraganeis, ubi hæc charta confirmata est. Signum Arnulfi Remorum archiepiscopi. S. Hugonis Turonorum archiepiscopi. S. Fulconis Suessionum episcopi. S. Balduini episcopi. S. Warini episcopi. S. Rodulfi episcopi. S. Harduini episcopi. S. Fulberti episc. S. Tetrici episcopi. S. Fulconis Ambianensis episc. S. Adalberonis episcopi. Sig. Leterici Senonensis archiepiscopi. S. Willelmi Pictavensis comitis. S. Odonis comitis. S. Fulconis comitis. S. Hugonis comitis. S. Otonis comitis. S. Walterii comitis. S. Richerii comitis. Franco cancellarius regii palatii relegit & subscripsit.

* *sic.*

IV.

Charta fundationis ecclesiæ beatæ Mariæ de Nigellis.

Ex schedis D. Edmundi Martene.

1021. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Robertus gratia Dei Francorum rex, &c. . . . . Noverit universitas fidelium tam præsentium quam futurorum, Harduinum Noviomensem episcopum, favente, immo etiam petente Hebalo Remorum archiepiscopo, cæterisque in hac re consentientibus comprovincialibus episcopis, nostram adiisse excellentiam, devote obsecrantem nostræ auctoritatis præceptum fieri de quodam altari sancti Petri in Nigella sito, ad quod omnis parochia pertinet, quod ad fundandam canonicorum abbatiam cupiebat perpetualiter & liberaliter largiri: & quia prædictam abbatiam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ constitui cupiebat, sua petitio nemini videbatur irrationabilis vel injusta. Quapropter ei annuimus, & hoc præceptum exinde fieri præcepimus, ea conventionis ratione, ut a Noviomensi episcopo, quicumque sit futurus, cuilibet clerico, tantum a canonicis ipsius loci electo, gratis cura animarum commendetur, de quibus Noviomensi episcopo rationem solummodo pro commissa cura reddat, atque episcopo unoquoque anno in Purificatione sanctæ Mariæ pro respectu tres solidos persolvat, sicque ab omni dominationis jugo sit libera; & canonici inibi deputati pro anima ipsius exorantes, debitum officium Deo & sanctæ Mariæ canonico more jugiter persolvant. Et ne cuicumque incredulum videatur, manu propria firmavimus, necnon & sigilli nostri impressione corroborari fecimus. Signum Roberti Francorum regis. S. Hugonis regis filii ejus. S. Hebali Remorum archiepiscopi. Sig. Harduini Noviomorum episcopi. Sig. Adalberonis Laudunensis episcopi. Sig. Widonis Silvanectensis episcopi. Sig. Franconis Parisiorum episcopi. Sig. Odelrici Aurelianorum episcopi. Sig. Odonis Palatini comitis. Sig. Othonis Viromandensis comitis.

Actum Vermeriæ palatio anno Incarnati Verbi M. XXI. regnante rege Roberto XXXIV. quoque Hugonis IV. Balduinus cancellarius relegendo subscripsit.

Qui * & Benedictus sanctæ, catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ præsul confirmando & excommunicando hoc in æternum valere præcipio. Petrus diaconus sanctæ Romanæ ecclesiæ confirmavit. Benedictus episcopus Portuensis ecclesiæ confirmavit. Petrus Prænestinæ ecclesiæ confirmavit. Thebaldus sanctæ Bellitrensis ecclesiæ confirmavit. Petrus Corduensis * confirmavit. *Item*, Petrus cardinalis confirmavit. Benedictus archidiaconus confirmavit. Crescentius diaconus confirmavit. Gregorius primicerius confirmavit. Crescensis oblactionarius confirmavit.

* Quin.

* cardinalis.

V.

Decretum electionis Hugonis episcopi Noviomensis post obitum Harduini.

Ex charta eccl. Noviom.

Circiter. 1030.

DOmino Ebalo gloriosissimo Remorum archiepiscopo ac cæteris diœceseos metropolis venerabilibus episcopis, A. scilicet Laudunensi episcopo, R. Cathalaun. G. Cameracensi, Wa. Belvacensi, Wl. Silvanectensi, F. Ambianensi, D. Tervannensi, clerus & populus Noviomagensis ac Tornacensis ecclesiæ, huic sanctæ sedi specialiter obsequentes. Quoniam secundum canonicam institutionem nullam ecclesiam pastorali regimine destitutam præter metropoliticam ac diœcesanorum episcoporum auctoritatem ad antistitem subrogandum fas est aspirare, vestræ sanctitatis excellentiam, patres beatissimi, necessitate coacti adimus, & sicut ad montes Dei oculos dirigimus per quos nobis auxilium venire, Deo propitiante confidimus. Sublimes enim montes merito vocati cedrorum Libani celsitudinem verticis dignitate præcellitis in quibus divinitus constituta esse dinoscitur habitatio Dei viventis; cœlo siquidem proximiores effecti, a vero sole qui pater luminum vocatur & est, a quo totius luminis origo procedit, vi cujus irradiati, inferiores quoque illati luminis participatione illustratis ac cœlesti rore a superioribus defluente humiliores fecundos efficitis: sub umbram igitur vestri culminis fiducialius confugientes, vestra protectione tueri deposcimus, quatinus diuturni luctus elogio paterno more compatiendo, nobis suffragium consolationis præbeatis, & spem incœpti gaudii ad effectum perducere non differatis. Dolemus quidem & ejulando lachrymis deficimus, ut pote piissimi patris nostri Harduini, videlicet episcopi, morte admodum desolati; quem proh dolor! communis humanæ conditionis casus nobis repente subripuit; miseratione autem serenissimi regis R. in nostra tribulatione consolari cœpimus, cujus immensa pietate ad petitionem totius ecclesiæ rectorem quæsivimus domnum videlicet Hugonem ecclesiæ nostræ Tornacensis præpositum, Cameracensem autem archidiaconum, quem communi voto pastorem eligimus, rectorem deposcimus, pontificio proclamamus. Eligimus ergo eum talem qualem jubet apostolica & canonica auctoritas, fide catholicum, natura prudentem, docibilem, patientem, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, effabilem, misericordem, litteratum, in lege Dei instructum, in scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus ecclesiasticis exercitatum, & secundum scripturarum tramitem traditionemque orthodoxum, & canonum ac decretorum sedis apostolicæ, præsulum constitutiones, sano sensu ecclesiasticas regulas intelligentem, sanoque sermone docentem, atque servantem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, & cum modestia corripientem eos qui resistunt, & si qui sanæ doctrinæ adversantur, eis resis-

tere & redarguere sana doctrina prævalentem; hospitalem, modestum, suæ domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum, in gradibus singulis secundum traditionem ecclesiasticam, ministrantem ad omne opus bonum, & ad satisfactionem omni poscenti rationem . . . . . his ergo & aliis virtutibus plenissime pollentem omnimodis petimus, ut quantocius vestra benedictione nobis illum consecretis antistitem, quatinus, auctore Deo, plebs quæ diu episcopali regimine caruit, sub tanto pontifice ad pastorem & episcopum animarum nostrarum conversa, suo Domino militare valeat, quia testante scriptura, integritas præsidentium salus est subditorum, & ubi incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ; quia autem omnes nec evectione equorum, nec officio pedum adesse valemus, jurantes huic scripturæ assensum præbuimus.

VI.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Bulla Gregorii VI. papæ, pro monasterio sancti Quintini de Monte.

1046. GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, Walteranno abbati monasterii sancti Quintini Montis tuisque successoribus, perpetuam in Domino salutem. Si justis petitionibus præstabiles voto piorum assensum præbemus, voluntati Domini nos militare credimus. Ergo notum sit universis catholicæ matris ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, quod misit ad nos filius noster Henricus scilicet rex Francorum, paternitatem nostram humiliter obsecrans ut quandam cellam in pago Virodumensi sitam in honore sanctæ Trinitatis ac sancti Quintini martyris constructam, apostolicæ auctoritatis præsidio muniremus, quam suggerentibus Roberti militis bonæ memoriæ filiis, qui eamdem abbatiolam jure beneficii possidens ad sacræ religionis cultum venerabilem erigere conatus est, ac regiæ potestatis præcepto corroborari jussus est; quorum petitioni congaudentes ecclesiastici vigoris manum ereximus, & ex ea qua fulcimur auctoritate apostolica præcipimus ut præfatam abbatiam nemo unquam secularium possidere, neque ex rebus ejusdem ecclesiæ quidquam sibi aliquis usurpet, non rex, non comes, non episcopus, neque quilibet princeps, quacumque potestate præditus, villam, aut mansum, vel campum, sive consuetudines seu districtiones terræ prætitulatæ abbatiæ appendentis in dominium sibi subripiat, nisi forte tuendi ac defendendi causa, & hoc non nisi regularis ejusdem loci abbatis fiat permissione. Si quis vero pro hac adipiscenda pecuniam vel quodlibet munus regi aut cuilibet principi dederit sive promiserit, subinferendæ maledictioni subjaceat. Sit igitur eidem ecclesiæ abbas secundum regulam sancti Benedicti constitutus, & monachi regulari districtione subjecti, quos de rebus ejusdem ecclesiæ aliquod dispendium subire cum omni imperio prohibemus. Res vero ejusdem ecclesiæ sunt, in pago Virodumensi, &c. . . . . Hæc itaque & his similia, & si qua alia ecclesia eadem, Domino opitulante, adquirere sibi potuerit, apostolica fulta autoritate licenter & sine aliqua contradictione possidebit. Si quis vero contra hujus apostolici privilegii tutelam aliquid sinistrum molitus fuerit, & ex his quæ dicta sunt, aliqua pervertere voluerit, hunc cum auxilio Domini nostri Jesu Christi & adjutorio beatæ Mariæ semper virginis genitricis ejusdem Domini nostri Jesu Christi, faventibus nobis omnium cœlestium virtutum beatissimis spiritibus, & annuentibus sanctorum patriarcharum & prophetarum agminibus, ex auctoritate beatissimi Petri apostolorum principis cum omnibus apostolis & discipulis Domini, martyrum etiam, confessorum ac virginum ad hoc suffragantibus meritis cum assensu comprovincialium pontificum & hujus sanctæ sedis suffraganeis episcopis excommunicamus & anathematizamus & a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ sequestrantes, ab omni christianorum societate separamus, ut sub hujus anathematis vinculo innodatus, sit anathema maranatha, constrictus vinculis hujus nostræ præceptionis. Qui autem eidem monasterio bene egerit, benedictione nostra redundet pro eo quod nostrum præceptum conservavit illæsum. Scriptum per manus Joannis primiscrinii nostri Lateranensis palatii indict. XIV. ✠ Benevalete.

✠ Datum IV. calendas Martii per manum Petri diaconi bibliothecarii & cancellarii sacri Lateranensis palatii anno primo D. Gregorii universalis papæ, indict. XIV.

VII.

Ex chartario S. Eligii.

Charta Balduini Noviomensis episcopi tria altaria monasterio S. Eligii conferentis.

EGO BALDUINUS sanctæ Noviomensis ecclesiæ indignus episcopus, cunctis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus supernæ hæreditatis munus. 1048. Si servorum Dei necessitatibus succurrere studuerimus, statum ecclesiæ roborari, nosque peccatorum nexibus credimus absolvi. Noverit igitur omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque tam præsentium quam & futurorum industria, dedisse me fratribus monachis scilicet in monasterio S. Lupi & S. Eligii Deo militantibus altare villæ quæ dicitur *Suoncurt* in pago Vermandensi. Dedimus & aliud altare in villa quæ dicitur Gulmari curte, sed & aliud in villa Bebrimas altare dedimus. Hæc tria altaria S. Eligio & monachis ibi servientibus ea ratione dedimus, ut cunctis diebus ea teneant & tenenda possideant. Et ne aliquis putet nos præceptis canonum obviasse sententia concilii Toletani IX. scripta capitulo VI. huic chartæ annotamus: ut episcopus tertiam partem ecclesiasticarum rerum tam sibi, quam cui elegerit, conferat cum præteritis sanctionibus notissimum habeatur, quod de rebus parrochialium ecclesiarum pars episcopo conferatur; oportune tamen duximus decernendum, ut episcopus tertiam partem quam de rebus eisdem sanctione pariter sibi debitam novit, aut ipsi ecclesiæ cujus res esse patebit, aut alteri ecclesiæ cui elegerit, conferre decreverit, & licitum maneat & inrevocabile robur ejus sententia ferat. Auctoritate igitur Dei Patris, & Filii & Spiritus sancti, & S. Petri apostoli & SS. antecessorum nostrorum Medardi, Acharii, Eligii, Mummoleni, Eunucii & omnium sanctorum interdico, excommunico & anathematizo ego Balduinus episcopus omnes illos qui hæc altaria S. Eligio & monachis sibi servientibus abstulerint. Actum prope monasterium S. Eligii anno Incarnationis Domini M. XLVIII. die cal. Julii, indictione I. epacta III. luna XVI. regnante Henrico Francorum rege anno XVII. præsidente Balduino cathedram Noviomensis ecclesiæ anno V. regente abbatiam S. Eligii abbate Remigio anno XIII. Sig. monachorum. S. Achardi quondam decani. S. Rainoldi. S. Balduini gloriosæ memoriæ episcopi, qui hoc scriptum fieri jussit. S. Landrici, Ingelberti, Ogerii, Heriberti, Clementis. S. Harduini archidiaconi qui prælatorum altarium partem sibi debitam S. Eligio in perpetuum dedit. Signum Hugonis Cassi. S. Roberti decani. S. Harduini sacerdotis. S. Gerelmi cantoris. S. Nivelonis camerarii. Sig. Ingramni. S. Haganonis præpositi. S. Macharii sacerdotis. Signum Gunteri diaconi. Signum Arnulfi. Signum Nocherii. Signum Guidonis cancellarii. Signum Guillelmi sacerdotis. Signum Guerinfredi diaconi. Signum Gerardi subdiaconi. Signum Bernerii subdiaconi.

VIII.

Ex tabulario ecclesiæ Noviomensis.

Epistola Guidonis Noviomensis Thesaurarii de benefactoribus ecclesiæ Noviomensis, præsertim episcopis.

Circiter 1050. PRIORIBUS S. Mariæ Noviomensis, domino scilicet Rotberto decano, spirituali patri secundum carnem germano, Otmundo præposito, Adelardo scholastico, Gerelmo cantori, Goisberto Teneri-curtis procuratori, Rådulfo cellerario ceterisque in commune fratribus, Guido thesaurarius præsentis vitæ transigere cursum, & æternæ cum Sanctis post hanc accipere bravium.

Quoniam mortalis miseriæ ærumnis carnalis homo circumdatus ad interitum semper properare videtur, & anteriorum dicta vel facta paulatim posteriorum memoriæ substrahuntur, & inde non solum inter forasticos, verum etiam inter ecclesiasticos varie & tumultuose dissentiones oriuntur, & quæ defunctis obsequia a viventibus rite debentur, minime persolvuntur, dignum duxi, licet impolito sermone apicibus commendare quantumcumque membranis vel veridico fidelium antecessorum relatu, præcipue vero Domini Beringerii decani avunculi mei potui addiscere, quæ vel a quibus bona hujus proveniunt ecclesiæ. Ne autem tanti viri auctoritati videar derogare, vel aliquid plus minusve addere vel subtrahere, eadem verba & ejus descriptionis, quod eodem dictante cum puer essem, exaravi, in prima ponam hujus commemorationis serie. Cœpit enim sic: beneficium canonicorum hujus ecclesiæ exiguum utentibus videtur esse, quoniam competentem cotidiani victus & vestitus sufficientiam juxta canonicorum consuetudinem non valet exhibere. Quæcumque enim ex communitate possidemus religiosorum multimodis eleemosynis collata apud nos habentur. Post innumeras siquidem ruinas urbium ac dejectiones paganorum cursione ecclesiarum compatiens regalis magnificentia ministrorum hujus ecclesiæ paucitati & paupertati dedit eis ex proprio jure in adjutorio victus duo molendina ad panem accipiendum, unum videlicet in *Andon*, alterum in vado cum ponte petrino illi subjecto, de quo dum stabilis fuit, habebant canonici singulis annis XX. solidos, & ad vinum colligendum XX. mansos de terra, cum optimis vineis in Grandirvio, & in Hildulfi curte, ac in Molcurtes, necnon in Salectiaco, unum quoque mansum in Molericurte. Ad nutrimentum quoque animalium faciendum Tihericurtem cum silva Wasolti & cum ecclesia & omnibus ad eam pertinentibus. Additur etiam his regalibus donis villula causa orationum, mutuato nomine oratorium dicta, quæ petitione cujusdam Huberti illustris viri qui eam a rege tenebat regia donatione, huic ecclesiæ cognoscitur esse concessa, ac præcepto confirmata cum silva & omnibus ad eam pertinentibus; teloneum quoque a Karolo ultimo Francorum regum, Romano imperatore, usibus canonicorum in omni procinctu urbis esse concessum nulli est ambiguum, cum omni videlicet judiciaria potestate, cunctaque integritate, excepto annuali mercato usibus episcoporum deputato. Garelziacas autem in Vermandensi pago antiquitus canonicis datam novimus, sed ex cujus dono certissime memoria non tenetur; prudentiorum tamen fidissima relatione non dubium habetur a quadam Deo devota Vermandensis pagi incola ex propria hæreditate huic ecclesiæ esse concessam. Quæ autem episcopali providentia sunt addita, breviter sunt adnotanda. Walbertus vir prudentissimus monachus extitit Corbiacensis, qui huic pastor ecclesiæ datus, tribus feliciter præfuit annis. Hic emit a quodam Hilduino in Noviomagensi pago quamdam villam Caneronisecurtem cum silva & districto & omnibus ad eam pertinentibus, quam pro remedio animæ suæ dedit canonicis S. Mariæ

A cum omni integritate, excepto uno manso sanctimonialibus sanctæ Godebertæ a se dato. Hic obiit V. calendas Januarii ac sepultus est in dextram partem ecclesiæ genitricis Dei. Transmarus Attrebatensis ecclesiæ monachus huic urbi datus est episcopus, cui præfuit XI. annis. Hic usibus canonicorum per præceptum regium concessit abbatiam S. Mauritii cum ecclesiis & omni integritate, excepta una camba sanctimonialibus S. Godebertæ data, qui obiit XI. cal. Aprilis, ac in dextra parte ecclesiæ sepulturæ locum obtinuit. Radulfus hujus ecclesiæ venerabilis archidiaconus Deo annuente populi est pontifex datus. Hic venditis circumquaque hæreditatibus, collecto non exiguo pretio emit a quodam Wasalino in Vermandensi pago villam nomine Matenium cum ecclesiis, & molendinis, & aquis piscatoriis, & cum B omni judiciaria potestate, nec non & uno prato super Isaram in Ursi campo posito, quæ omnia, Deo inspirante, dedit canonicis hujus ecclesiæ, cui in operibus bonis tribus laudabiliter præfuit annis. Hic quinto idus Januarii apud Tornacum obiit, unde huc dilatus, sepultus est in crypta S. Eligii. Huic successit Fulcherus S. Medardi monachus, qui infra VII. menses episcopali actu cum vita est privatus. Hic defunctus in ecclesia S. Lupi est sepultus. Hadulfus Laudunensis archidiaconus huic ecclesiæ consecratus pastor strenue rexit eam annis XXIV. Dedit etiam ex rebus episcopii sumtibus canonicorum ecclesiam de Erceio cum altario, obiitque VII. calendas Julii & requiescit retro altare Salvatoris. Sub hujus quoque episcopatus C tempore data est in Veromandensi pago S. Mariæ canonicis ecclesia de Amedeio ex propria hæreditate cujusdam viri illustris dono, & a Drogone diacono canonico hujus ecclesiæ data est in Veromandensi pago ecclesia de Otimundi curte, qui obiit II. idus Julii. A Ratfredo quoque diacono & canonico concessa est eis vinea in Cokerello, qui defunctus est IV. nonas Junii, ac sub eodem tempore Ingelwardus hujus ecclesiæ famulus canonicis suam hæreditatem quam habebat in Bethercicurte, unam videlicet mansuram & duas vineolas, & unum campum de arabili terra, qui obiit secundo nonas Septembris. Post hunc Leudulfus Alberti comitis filius adeptus est sedem pontificalis honoris, cui præfedit XII. annis. Auxit quoque bonis canonicorum Betonisecurtem in Noviomagensi pago cum atramentaria & omni integritate, nec- D non & judiciaria potestate. Dedit etiam abbatiæ S. Godebertæ partem telonei quam jure episcopali tenebat, & alias necessarias res telonei, unde solvuntur in festivitate S. Godebertæ X. solidi, ipsamque abbatiam postea per privilegium apostolicum usibus canonicorum cum omni integritate concessit. Hujus dies obitus nonis Novembris habetur, ante altare S. Salvatoris in ecclesia S. Mariæ est sepultus. Huic successit Ratbodus venerabilis episcopus, qui laudabiliter pontificatum tenuit VII. annis & totidem mensibus. Hic ex propria hæreditate dedit canonicis in Veromandensi pago, in villa quæ dicitur *Iei* duo mansa de terra, cum omni familia ad eum pertinente, unde solvuntur in anniversario ejus triginta solidi, & in Candela XII. denarii. Hic inter bonorum opera obiit E XI. calendas Julii & in choro S. Mariæ meruit sepeliri. W. hactenus domini mei Berengarii verba. Ego autem sponsionem meam, prout verius queam, prosequar. Et ecce Harduinus Roberti de Croieo filius episcopus venerabilis surrexit, &c. . . . . . *Cetera retulimus supra in ipso Harduino.*

IX.

Fundatio abbatiæ S. Bartholomæi Noviomensis. *Ex autentico.*

IN nomine sanctæ Trinitatis. Ego Balduinus Dei gratia præsul ecclesiæ Noviomensis, huic sedi specialiter obsequentibus, hanc nostræ descriptionis seriem notam esse cupio futuris & præsentibus. Quidam 1064.

nostræ archidiaconus ecclesiæ nomine Garnerus, unam in cœmeterio propter communem pauperum & peregrinorum sepulturam, olim a Domino Hugone episcopo antecessore meo supra urbis muros benedicto, ob suæ remedium animæ in honorem Dei & sancti Bartholomæi apostoli ædificarat ecclesiolam, quam ego ob meorum remissionem peccatorum dilatare cogitavi, & fundare abbatiolam. Super quo fidelium meorum clericorum ac laicorum assensum requisivi, & sententiam, cupiens quidem eam omnino ab archidiaconi ditione emancipatam fore, & atrium cum suis redditibus ab omni extranea potestate, ut in primis stabilitum fuerat, in manu episcopi absolutum consistere. Qua in re Hugo castellanus mihi restitit, dicens ecclesiam & atrium a banno suo & seculari exactione quietum; verumtamen oblationes, & decimas ad S. Petri pertinere parrochiam, & quod inde vestituras habuisset, post consecratum atrium & ædificatam ecclesiam; super quo deliberando diem sibi constitui, ac fideles meos facto conventu, ut inde diffinirent, submonui. Post quorum judicium octo dierum petivit inducias, in quibus meditatus aut suos quod vera fateretur, adramiret testes, vel meorum unde probare vellent testimonium reciperet. Inito autem interim cum suis meliori consilio, omnem rem approbandam meorum commisit testimonio: convenientes ergo in locum unde trahebatur litigium omne, testes mei circumquaque sicut benedictum, & eis præsentibus fuerat stabilitum coram senioribus civitatis, metiti sunt atrium, & quod vera faterentur, voce est proclamatum omnium: cognito itaque castellanus meo jure, & veritati ulterius nolens contradicere, quæcumque in prædicto atrio, vel ecclesia calumniabatur, quieta proclamavit fore. Atque ipsam ecclesiam cum atrio, & decimis & oblationibus, vel districto, in mea seu successorum meorum manu absolutam omnino ex tunc confessus est existere. Ego vero omnem scrupulum volens expurgare, nihilque ambigui patiens latitare, testes meos in medio produxi, qui ea unde loquebantur, jurejurando probavere, Arnulpho ejusdem loci sacerdote primo sacramentum præbente, & Gerelmo cantore, nisi ei perdonatum fuisset, eadem prosequente, & duobus adhuc jurantibus Otrado videlicet circummanente, & Alrico equite. Post hæc steti in eminentiori loco, bannumque feci quod plena immunitas, ut lex jubet, consisteret in atrio, ipso quoque favente & laudante castellano, ex Dei omnipotentis & sanctorum canonum, ac nostri ministerii auctoritate facta excommunicatione præcepi, ut quod ibi diffinitum fuerat, firmum foret inantea, nec quisquam nisi episcopus Noviomagensis, vel quem ipse juberet, se intermitteret de prædicto atrio vel ecclesia. Verum ne res ista quandoque oblivioni traderetur, firmis illam commendavi apicibus, & eorum qui interfuere, subnotatis nominibus. Signum Balduini episcopi. Sig. Rathodi archidiaconi. Sig. Guidonis Thesaurarii. Sig. Gerelmi cantoris. Sig. Adelardi scholastici. Signum Garneri presbyteri, Giduini diaconi, Goisberti diaconi, Hugonis subdiaconi, item Hugonis subdiaconi, Barneri subdiaconi. Sig. Otmundi acolythi, Constantii acol. Aloldi acol. Humberti, Lamberti. Nomina servientium episcopal. Fulradi, Dodonis, Gilleberti, item Fulradi, Guinemaudi, Hugonis castellani, Renardi militis, Arnulfi, Odonis, Giraldi, Balduini, Bosonis militis, Odrici præpositi episcopi, Guatselini militis, Gualteri fratris præpositi. Facta est autem ista diffinitio & sacramenta data in eodem loco, qui antiquo vocabulo Mons dicitur monumenti, VIII. idus Maii, anno vero Dominicæ Incarnat. M. LXIV. indict. II. regnante rege Philippo anno III. episcopatus autem nostri anno XX. Ego Guido cancellarius S. Mariæ composui. Fuerunt autem hæ literæ recitatæ eodem anno & eodem mense, IV. calend. Junii, die vero sancto Pentecostes, ante altare S. Mariæ Noviomagensis, post lectionem sancti evangelii, adstantibus clericis & laicis.

X.

Sermo Ratbodi II. episcopi Noviomensis, de Annunciatione Dominica, legi olim solitus ad officium nocturnum in ecclesia cathedrali Noviomensi, in ecclesiis S. Eligii ac S. Bartholomæi Noviomensibus, & in aliis ejusdem diœcesis ecclesiis. *Ex authentico.*

Lectio prima.

AUdivimus, fratres dilectissimi, pastorem illum ovium de vili & servili ovium custodia in regni solio divinitus sublimatum, David, inquam, prophetam, immo psalmistam magnificum ad Dei magnificam laudem intente omnia invitantem cum in extremo psalmorum dicit *omnis spiritus laudet Dominum.* Dixerat quidem & ipse in eodem psalmo superius, *laudate Dominum in sanctis ejus.* Hortatur ergo psalmista David laudari Dominum in sanctis suis, corpus videlicet in membris, Dominum in servis, in creatura creatorem, in militibus regem, in discipulis magistrum, in his quæ videntur, invisibilem creatorem omnium nostrûm. Ad hujus etiam laudationes omnem quoque spiritum invitat, rationabilia scilicet brutaque animalia; & bruta enim Deum collaudant cum suo ipsorum jure naturæ secundum divinam dispositionem Domino creatori obtemperant. Laudatur si quidem Dominus in sanctis suis, cum per eos operans, corda illuminat perfidorum, virtutem largitur miraculorum, eorum beneficiis infirmi sustentantur, & prævaricatione prima a paradiso expulsi postmodum cœlestis regni hæredes revocantur. Circiter 1090.

Lectio secunda.

Cum ergo, sicut dictum est, in sanctis suis Dominum suadeat laudari, in ea & per eam eum præcipue decet honorari, per quam ipsorum omnium sanctorum redemptionis summa processit, sanctissima videlicet Maria genitrice Domini nostri Jesu Christi, quæ ad enervandam mortis violentiam, ad restituendam nobis regni cœlestis hæreditatem, virgo concepit, virginitate manente peperit, virginitatis sigillum non in conceptu, non in partu, nec etiam post partum amisit. Mira & ineffabili Dei dispensatione, caro processit ex carne nulla carnali procreata commixtione. Quid ergo fratres; audiat caritas vestra, quod refutat pravitas hæreticorum, quod contradicit infidelitas Judæorum, quod ex corde credere oportet catholicam ecclesiam christianorum. Sanctissima si quidem virgo Maria, sicut vos credere non diffidimus, de regali tribu orta, hodie salutata est ab angelo, hodie concepit in utero, obumbrata est hodie a Spiritu sancto, ait enim angelus ad eam, *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

Lectio tertia.

Benedictam virginem in mulieribus, id est inter mulieres confitetur; quæ se post annunciationem partus divini tanquam devota & humilis ancillam se profiteri non veretur. Et benedictus inquit fructus ventris tui. Benedictum fructum ventris ejus prædicit; per eum enim primi parentis maledictione deleta, in omne genus credentium benedictio benedicenda descendit. Et vere benedicenda quæ dispersa congregat, fracta consolidat & perdita restaurat. [Inedicibili autem ammiratione visionis & salutationis angelicæ virgo turbata, humanæ fragilitatis subreptione aliquantulum tremefacta, quid intra se cogitaverit, quidve in corde suo revolverit divinum illum symmystam non fefellit, paranymphum angelicum latere non potuit] Immo ad cogitata tamquam ad manifestata respondit. Ait enim, times virgo? ne timeas; turbata

turbata es! ne turberis. Gratiam apud Dominum invenisti, per quem & benedictus est fructus ventris tui. *Ecce enim concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Jhesum*, id est Salvatorem, Salvatorem videlicet omnium suorum. Ad hanc consolationem angelicam virgo puellula paululum respirans, summisso vultu, quomodo, inquit, fiet ut pariam, quæ pariendi nunquam experta sum materiam. Puerperii delectamenta non pertuli, muliebria nullo modo perpessa sum, virum insuper non cognovi! Quid, inquit angelus, frustra expaves! mirabilem mirabiliter concipies, quia *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Nascetur, inquit, sanctum. Quid sanctum! sanctum sanctorum. Quid est sanctum sanctorum! filius, inquit, Dei. O promissio desiderata, conceptio immaculata, partus ammirabilis & salutaris.

Lectio quarta.

Primæ parenti nostræ dictum est, in dolore concipies & paries: sanctissimæ autem dictum est virgini, virtus Altissimi obumbrabit tibi, sicut enim pluvia in vellus, sic in uterum virginis promissa Dei descendit virtus. Incarnatus est filius Dei ex Spiritu sancto, filius hominis, virginis factus in utero, processurus inde tanquam sponsus de thalamo suo. Quid ad hæc tibi Maria cogitas! Quid mater inviolata tecum retractas! age, qui credunt Dominicæ Annunciationi congaudeant sanctæ hujus puellulæ devotissimæ responsioni. Ecce, inquit, ancilla Domini. Virgo es nec viro humiliata mater eligeris, matribus præferenda, mater Salvatoris & regis, & te ancillam profiteris. Humilitas vera humilitatem tuam respexit, ex te enim exiet sancta illa humilitas ad cujus imperium omnis ruet superbia, ruent portæ inferorum, & fideles suos introducet ad regna cœlorum. Ecce, inquit Maria, ancilla Domini. Cum se hujus sponte confitetur conditionis, non abnegat se dominicæ jure subesse dominationi. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Fiat istud, optantis est & non imperantis. Fiat ut Redemptoris nostri præsentia per me ancillulam suam suis subveniat fidelibus, quos hactenus diabolicæ fortis absorbuit interitus, diabolica trucidavit ferocitas, & ad ultimum in inferno inferiori malignorum spirituum insatiabilis deglutivit voracitas. Sic itaque verus veri Dei filius annunciatus ab angelo, virginis hodie conceptus est in utero, unde & festivitas hæc hodierna Annunciatio Domini est nominata.

Lectio quinta.

In hac igitur sancta celebritate, fratres charissimi, redemptionis nostræ principia veneremur, devotissimas animarum nostrarum hostias Deo devotissime offeramus, ut ad promissæ reparationis sanctæ sanctissima gaudia per eumdem Christum securi pervenire valeamus. Hujus itaque festivitatis sollempnia certo in termino, octavo videlicet calendarum Aprilis, sicut prædiximus, visitatio angelica dedicavit, spiritus sancti obumbratio consecravit, sanctorum patrum auctoritas in eodem sancto spiritu celebrandam confirmavit. Sed quia plerumque diebus Dominicæ passionis sive resurrectionis, in quibus memoria sanctorum fieri prohibetur, eam contigit evenisse, a sanctis patribus, in quodam ecclesiæ Toletanæ concilio didicimus statutum esse XV. cal. Januarii quotiens sic evenerit sollempniter reformandam. Quatinus & dies Dominici ex debito celebrentur & sanctæ Annunciationis devotissima sollempnitas non negligatur. Ex hac igitur constitutione anno Dominicæ Incarnat. M. LXXXI. ante palmarum diem, quinta feria, festivitatis terminum contigit accidisse, quam, ob decretum concilii, neque populus celebravit, neque sacerdotalis dignitas, prout sui est officii, celebrandam denuntiavit. Exiit

A ergo populus ad opus servile, hi agricultum, hi cultu vinearum, nonnulli artificio, alii fabricandi seu resarciendi officio insudantes, uterque sexus diversi diversis laboribus studebant intendere. Verum quia hæc virgo sanctissima indignanter pertulit, eadem ipsa die mirifice declaratum esse voluit. Poterat siquidem regina cœlorum violationem diei suæ, ignominiam sollempnitatis suæ vehementius & in validiori masculorum sexu non immerito ulcisci; sed pia pietatis gratia, cum commota esset, iram refrænavit. Domina in ancillulam, regina in satis vilem personam, quia operando deliquerat, misericorditer, ut alii castigarentur, propalavit.

Lectio sexta.

Erat quidem tunc temporis in Gallia, in suburbio
B scilicet Noviomicæ urbis, quædam puellula Ermburgis nomine, eodem nata in suburbio, eodem generata populo; pauper quippe orta de pauperculis, & ideo intente operabatur in laboribus suis. [Arte ac manu victum quærebat, textili opere secundum sui consuetudinem sexus illaborabat.] Dum vero eadem die, prout in nendo moris est mulieribus, filum saliva madefaceret, filum idem linguæ inhæsit, utraque quasi convinculata distorsit. Labio intumescenti lingua pœne obmutuit. Quid ageret! evellere nitens incassum insudabat. Ab aliis aminiculum clamans, nihil sibi proficiebat. Præ nimio jam dolore os ejus deturpaverat saliva coagulata in spumam & labia linguæ connexa vim naturaliter expuendi amiserant. Flebat puella & vehementer angebatur. Dolebant & astantes qui ei ex
C animo compatiebantur. Ab hoc infelici spectaculo fortuitu mater ejus aberat; sed vicinis concurrentibus evocata, ut filiam quasi jam exanimem vidit, exanimis & ipsa divino eam judicio talia pati denuntiabat, quia ei pater suus die præcedenti festivitatem sanctæ Mariæ propediem celebrem futuram innotuerat. Conabantur vicini aliquod ei medicinæ ferre remedium, *Sed nesciebant sacratissimæ virgini quam ad indignationem provocaverat hujus curationis reservari miraculum. Sapientiori tandem usi consilio, miseram illam ad impetrandam cœlitus indulgentiam sancto confessori præsentaverunt Eligio, qui dum adviveret, doctrina & virtute mirabilis, hodieque frequentius Deo disponente, ut ipsi oculis nostris vidimus, virtutum declaratur miraculis. Ad ejus sepulchrum vota voventes, preces* Domino cum lachry-
D mis offerentes, infecto negotio rediere. Quod tamen postmodum actum est in ea pio suo interventu credimus sanctum obtinuisse. In tanto igitur plebis conventu misericors ille solus qui revelat parvulis & abscondit sapientibus, miserorum miseratus miseriam, sua ipsius in missione, ad matris suæ matrem eos direxit ecclesiam, ut ejus liberaretur meritis in quam peccaverat, & ejus absolveretur precibus quam temere offenderat. Itur itaque ad S. Mariæ principale monasterium, fit innumerabilis concursus civium, hi lachrymis profusi, tacitis illi precibus divinam exorant clementiam, ut a paupercula illa removere dignetur tam severæ ultionis sententiam. Videres undique laborantium projici utensilia, labores manuum & omnia penitus artificum abnegari opera, qui peccaverant emen-
E dationem culpæ promittere eos & alios solempnitatem se ulterius devotissime celebraturos ex toto corde vovere.

Lectio septima.

Interea dum & sanctæ Mariæ festinant basilicam, sacerdos quidam non adeo sanæ mentis fortuitu fit eis obviam; inquisiti cum ei respondissent, simulatum quasi pro quæstu æstimans, ego, inquit, vestris cumdescendam gemitibus & dolentis hujus puellulæ ad præsens fidelis ero medicus; & hæc dicens fili dependentia violenter arripuit, violentius traxit: sed cum attrahente pœne jam lingua evelleretur, ad gemitum puellulæ vehementer expavit & in conspectu populi se peccasse confessus, ab incœpto confusus abstinuit.

Perveniunt interim ad pontificalem sedem sanctæ Noviomensis ecclesiæ. Sistitur ante altare sacratissimæ semper Virginis lugens mater cum filia, sacerdotes cum populo, [ejusdem Dei genitricis compuncte sollicitant suffragia,] ut postposita offensione quod suum ipsius esse creditur, pietatis in eam convertat viscera, quo ad ejus liberationem & gratiæ Deo per eam referantur & sollempne hoc festum in sæcula sæculorum ea in urbe sollempniter celebretur. Magna siquidem utriusque sexus multitudo confluxerat in ecclesiam obsecrantes & fideliter præstolantes super pusillanimis illius passione divinam cœlitus indulgentiam. In corde contrito & humiliato sacerdotes benedicebant Dominum, immo concordi omnes unanimitate gloriosæ virginis clementiam deprecabantur, quo eorum lachrymis benignitate solita compateretur & præmortuæ jam puellulæ vincula dissolvere non dedignaretur. [Tantis demum virgo beatissima lachrymarum reflexa precibus] judicium vertit in misericordiam, apud eum qui per eam ad ereptionem miserorum in mundum venit. Oppressæ impetravit levamen & in conspectu adstantium mirabili gratia vinculorum concessit resolutionem. Nam cum anxietate nimia exæstuans gemitu tamen quo poterat veniam postulans, ejusdem S. Mariæ virginis altare flebiliter deoscularetur, gratia divina cœlitus adfuit, ad confirmandam fidem & devotionem fidelium, quod sua ipsius puellulæ, quod sacerdotis prædicti, seu parentum non potuit violentia, [in conspectu adstantium labellulo vinculum misericorditer excussit :] lingua tamen, ad amplificandam Christi & genitricis suæ gloriam, sub eodem adhuc tortionis genere paulo postea cruciata remansit. Et ecce iterum populus ad lachrymas devotionis Deo pro percepta jam remissione reddunt gratias, compunctione devotiori Deum postulantes ut qui benigne cœpit, benignius & ipse perficiat. Benignitas tandem salvatoris nostri preces suscepit humilium per intercessionem gloriosæ semper virginis, remissionis immisit antidotum & ad refrigerandum intumescentis linguæ ardorem suavissimi roris clementer infundit stillicidium.

Lectio octava.

Rejecto siquidem miseratione divina filo & resoluta ex toto lingua, immo recepto ad plenum loquendi officio, gratiarum quam maxime actiones referuntur, lachrymæ in gaudia, gemitus in organa convertuntur. Fit lætitia magna in populo, undique laudes Domino personant, signis ecclesiæ concrepantibus, *Te Deum laudamus*, spirituales clericorum ordines devote jubilant, utriusque sexus viris & mulieribus Deum laudantibus voce qua poterant. [Quia igitur pro recepta sanitate quæ ad altare sanctissimæ virginis offerret in promptu paupercula non habuit, se ipsam ejus amodo capitalitiam adstantium consilio gratanter dedit,] sicque post immensas gratiarum actiones qui prius pro compassione compungebatur, postmodum præ gaudio populus devote inlachrymatus abscessit. Ex hinc itaque, fratres, quandoquidem de conceptione Domini disseruimus, aliquantulum sua ipsius gratia ad ipsam de qua conceptus est virginem E scribendi convertamus calamum & in laudibus ejus saltem parum immoremur, de cujus intemerato utero mirifice tantum nos redemptorem suscepisse gaudemus. Hanc enim virginem sanctam, Deo devotam, ineffabilem & omnibus præferendam fideles quique ante adventum Domini votis fidelibus expectabant, prophetæ sanctissimi sancto in spiritu ammirabilem ejus conceptionem prædicabant, & licet venturæ glorificationis non nossent terminum, per eam tamen & sibi, & futuris quibusque fidelibus [interminabile præstolabantur salutiferæ redemptionis suffragium.] De hujus enim glorificatione virginis propheta Isaias nos edocet. *Egredietur*, inquit, *virga de radice Jesse*, A *& flos de radice ejus ascendet*; & iterum idem propheta expressius : *ecce*, inquit, *virgo concipiet & pariet filium*, sic de virgine propheta : *ecce*, inquit, *virgo concipiet*. Angelus autem ad eamdem virginem : *ecce*, inquit, *concipies & paries filium*, &c. Audiant fideles non dissona prophetæ verba & evangelistæ. Admirentur ineffabilem virginis fidem & ineffabiliorem conceptionem Christi. Christi conceptionem dicam, an virginis ! sed ut verius fatear, & Christi dicam & virginis. Fœmina quidem concepit, & homo est conceptus, virgo eadem fœmina concepit, & conceptus est idem homo Christus. [Quicumque igitur hac conceptione se redemptos non destimant,] in hac sollempnitate filio & matri congaudeant. Filii matrem venerentur in exultatione, collaudent filium matris in sancta devotione ; ut sicut laus discipuli honor B est magistri, sic & veneratio virginis gloria sit Christi, & impleatur prophetæ David admonitio : *Laudate Dominum in sanctis suis.* Numquid enim & in hoc non condecet laudari Christum in sancta sua genitrice, cum post multa & innumerabilia quæ per eam operatus est miracula suæ ad honorem sollempnitatis puellæ quam prætexuimus tam clementer dignatus est subvenire ! sed quia populus ille Noviomensis se ad augendam fidem credentium exauditum cognovit, quia in palam miracula mirabiliter ad honorem sanctæ virginis perpetrata fideliter percepit, sollempnitatem hodiernam usque ad diem cœnæ Dominicæ illo in loco in perpetuum novit celebrandam, sanctorum quidem patrum conciliis non dissentientes ; verum se C Domino post tanti manifestationem miraculi plenius & in hoc servituros non diffidentes. Celebremus igitur & nos, fratres, devotissime sollempnitatem sanctæ hujus Annunciationis. Credamus nobis per hanc provenisse plenissime bonum redemptionis, per eamdem quoque fideles percepturos esse perpetuæ gaudia resurrectionis, ad quæ nos perducat idem filius Dei & hominis qui natus ex Deo patre ante tempora Deus, ex spiritu sancto in tempore a matre homo conceptus, cum eodem patre in unitate ejusdem spiritus sancti vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

X I.

Canonici regulares in ecclesia Hamensi constituti.

D IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ego Baldericus Dei gratia Noviomensium episcopus, omnibus sanctæ religionis cultoribus in æternum feliciter gaudere in cœlestibus. Sicut, fratres charissimi, divinorum nos hortatur pagina præceptorum Domino servientibus sollicita consideratione necessaria convenienter subsidia non negare, ita etiam nos admonet desiderium quod ad religiosum propositum pertinere monstratur, absque ulla dilatione Domino auctore complere. Sciant igitur præsentes & futuri sanctæ matris ecclesiæ filii, Odonem Hamensis dominum Castelli, divini spiritus igne succensum, uxoris suæ dominæ P. assensu, Hamensis ecclesiæ S. Mariæ donationem quam ex antiqua consuetudine nostrum usque ad tempus tenuerant assensu Domini nostri regis Philippi, assensu etiam comitis & comitissæ Viromandensis, necnon & R. filii ejus, in manu & potestate nostra reddidisse, & postea ut canonicos regulares in eadem ecclesia intromitteremus humiliter postulasse. Cujus humillimæ petitioni aurem benevolam accommodantes, consilio & assensu domini R. Remensis archiepiscopi, fratrum quoque & coepiscoporum nostrorum L. Attrebatensis, domini G. Ambianensis, quosdam de canonicis ejusdem ecclesiæ canonicam professionem facientes, salvis cæterorum concanonicorum præbendis, in eadem ecclesia intromisimus, salva quoque nostra nostrorumque ministrorum, archidiaconi scilicet & decani reverentia & obedientia. Concessimus etiam eisdem canonicis ut secundum instituta canonica abbatem eligant, qui a

Ex tabulario monasterii Hamensis. 1108.

nobis seu a nostris successoribus curam ipsorum canonicorum suscipiat, & debitam nobis obedientiam exhibeat. Decanus vero noster parrochialem curam agens christianitatis officium & curam laicorum sicut antea habeat. Reliqui vero qui ab antiquis in ipsa ecclesia canonici constituti sunt, nostram nostrorumque successorum providentiam & obedientiam subeuntes, præbendas suas quandiu vixerint libere habeant, & post mortem ipsorum ad regulares redeant. Ut ergo paginæ hujus decretum ratum maneat in æternum, officii nostri auctoritate confirmatum, nostrique sigilli signo corroboratum præsentium & futurorum memoriæ commendari volumus. His qui subscripti sunt præsentibus & assensum præbentibus. Domino Petro S. Joannis Suessionensis abbate. Domino Hugone S. Dionysii Remensis abbate. Domino Bernardo sancti Bartholomæi Noviomensis abbate. Domino Conone. Abbate Hescelino. Rogero Ascelino decano. Gerardo archidiacono. Fulcherio scholastico. Arnulpho presbytero, Nicolao, Petro. Odone, Hagenone, Andrea Guidone cancellario. Actum anno Dominicæ Incarnationis M. CVIII. indict. I. regnante Philippo ..... episcopante Domino Baldrico.

X I I.

Ex tabulario Aridagamantia.

Privilegium Lamberti Noviomensis episcopi pro cella de Margellis.

1114. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ego Lambertus Dei gratia Noviomensium & Tornacensium episcopus, dilecto fratri Richero abbati ecclesiæ S. Trinitatis & S. Nicolai in Aridagamantia sitæ, sibique successurisque fratribus in perpetuum. Sanctorum patrum monemur informari exemplis, beneviventium ac Deo servientium mores & vitam diligere, & diligendo ut in melius proficere valeant, insistere, & si quid eorum utilitati necessarium a nobis petierint, non obtusa aure benivolo affectu justis petitionibus condescendere. Noverit siquidem præsentium futurorumque solertia fratrem Cunonem prædecessorem tuum a prædecessoribus nostris in episcopatu Noviomensi cellam apud Margellas impetrasse, & te, ut inibi atrium ad sepeliendos ejusdem loci fratres consecraretur apud domnum Baldricum bonæ memoriæ episcopum tuis precibus obtinuisse. Nos vero perpendentes bonum ipsius concessionis principium, Rorigonis archidiaconi nostri ceterorumque clericorum nostrorum assensu, salvo episcopi ac ministrorum ejus jure ut firmum & stabile maneat pontificali auctoritate decernimus, & ut ipsa cella ejusdem loci decimam liberam obtineat, confirmamus. Clericis etiam inibi servientibus oleum infirmorum a nobis habere concedimus, quo ipsi & qui conversi sub eis religiose vivere & manere disposuerint, necnon etiam famuli eorum quum inibi eos infirmari contigerit, inungi debeant; & hi famuli tantum & conversi cum clericis in atrio sepulturæ locum habeant. Quod ut firmum habeatur, præceptorum testimonio roboratur. Signum domni Lamberti episcopi. Sign. Rorigonis archidiaconi. Sign. Roscelini decani. Sign. Gurmari Tornacensis archidiaconi. Sign. Hugonis cancellarii. Sign. Hagenonis præcentoris. Sign. Landrici subcentoris. Sign. Ansclli sacerdotis. Sign. Nicolai diaconi. Sign. Petri canonici. Sign. Berneri canonici. Actum anno Dominicæ Incarnationis M. CXIV. indict. IV.

X I I I.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Donatio facta ecclesiæ Vermandensi a Lamberto episcopo Noviomensi.

« VERMUNDUS Dei gratia Noviomensis episc.
» universis præsentes literas inspecturis salutem in
» Domino. Noverit universitas vestra quia cum bonæ
» memoriæ Lambertus quondam Noviomensis ac Tor-
nacensis episcopus, viris religiosis, abbatibus & fra- «
tribus monasterii beatæ Mariæ Vermandensis censua- «
liter tenendum perpetuo concessisset quicquid tenebat «
apud *Vermans*, prout in literis dicti Lamberti episcopi «
inferius sequentibus, quarum copiam habemus penes «
nos, sigilli dictorum abbatis & fratrum munimine «
consignatam plenius continetur, & abbas & fratres «
ecclesiæ supradictæ nobis obnixius supplicassent ut «
literas memorati Lamberti episcopi, quæ tam in litera «
quam in sigillo vetustate consumebantur, innova- «
remus; nos eorumdem justis supplicationibus an- «
nuentes, literas prædicti Lamberti prædecessoris nostri «
nobis præsentatas de verbo ad verbum transcribi & «
innovari fecimus diligenter, ut per nostram innova- «
tionem robur habeant in futurum. Tenor vero lite- «
rarum dicti Lamberti episcopi talis est: »

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ego Lambertus Dei gratia Noviomensis ac Tornacensis episc. omnibus catholicæ fidei cultoribus. Scientes quod charitas operit multitudinem peccatorum, toto nisu animi oblaborare debemus ut sincerissimæ charitatis fructibus efflorere valeamus, bonis operibus jugiter insistendo, in recreatione pauperum, in consolatione miserorum, in sustentatione religiosorum virorum. Quocirca dignum duximus domini Wiberti abbatis monasterii beatæ Mariæ Vermandensis, cæterorumque fratrum sub regulari ordine sancti Augustini in ipso monasterio Deo servientium, humillimæ petitioni condescendere, & eorum inopiæ aliquod sustentationis juvamen misericorditer impendere. Consilio itaque & concordi assensu domini Roriconis archidiaconi nostri & clericorum nostrorum, concessimus eis & successoribus suis pro remedio peccatorum nostrorum & pro annua anniversarii nostri celebratione, censualiter perpetuo tenendum quicquid apud *Vermans* tenebamus in nostro dominicatu, omnes scilicet decimas & hospites, & furnum & terras adjacentes, cum silvis, sive omnibus quæ in ipso territorio erant nostræ possessionis: ita dumtaxat hæc illis, salva episcopali & archidiaconi & ministrorum ejus de christianitatis officio justitia, concessimus, quæ abbas & fratres prædicti monasterii singulis annis censualiter persolvent nobis & successoribus nostris Noviomensibus episcopis, Noviomi adductos usque ad festivitatem omnium Sanctorum, triginta modios frumenti ad Noviomi mensuram, & decem modios avenæ & duos modios pisorum. Et si, quod absit, quoquomodo illis deferret vel si aliqua aliquam violentiam eis super hiis omnibus intulerit, illi tamen prædictum censum integre nobis persolvent, & eadem justitia christianitatis super damnum inferentibus a nobis fiet ac si ipsum nobismetipsis inferretur. Et ut firma & inconvulsa permaneat nostra largitio, eam sigilli nostri impressione & proborum virorum testimonio corroboravimus, & ne quis violare præsumat sub anathemate interdiximus. Signum Rozelini decani. Sig. Roriconis archidiaconi. Sig. Galeri thesaurarii. Sig. Fulcheri scholastici. Sig. Hagenonis cantoris. Sig. Landrici succentoris. Signum Alberici presbyteri. Sig. Arnulfi presbyteri. Signum Goifri. Sig. Hugonis diaconi, N. Lenulfi diaconi, S. Nicolai diaconi. Sig. Radulfi diaconi. Sig. Rogeri. Sig. Odonis. Sig. Berneri. Sig. Balduini. Sig. Guidonis. Actum anno Domini millesimo centesimo nonodecimo, indictione XI. regnante Ludovico, episcopante domno Lamberto anno V. Ego Hugo cancellarius subscripsi. 1119.

« Ut autem prædictæ literæ auctoritate nostra episcopali innovatæ robur in posterum habeant firmitatis, «
præsenti scripto sigillum nostrum fecimus appendi, & «
abbas & fratres superius memorati transcripto dictarum «
literarum quod penes nos remanet, sigilla sua apposuerunt, & sub modo cirographi, scindi fecimus «
inter transcripta memorata. Actum anno Domini mil- «
lesimo ducentesimo quinquagesimo octavo mense..... »

XIV.

Fundatio monasterii B. Mariæ de Ursicampo.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

1130. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Simon per Dei gratiam Noviomensis atque Tornacensis episcopus, servis Dei & omnibus christianis. Boni pastoris bonum operari ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Cæterum tamquam inutiles servi & episcopali sarcinæ insufficientes, nostræ fragilitatis defectum, adjunctione bonorum virorum & religiosorum orationibus cupimus adjuvari. Requisitos itaque cum omni diligentia de monasteriis & sanctis congregationibus Cistelli & Claræ-vallis fratres apud nos locare & ejusdem ordinis abbatiam fundare, Deo auxiliante, decrevimus. Est autem locus in Esga silva super Esaræ flumen, qui Ursicampus dicitur, in quo ecclesia & oratorium sancti Eligii Noviomensis episc. antiquitus fuit. Hunc ergo locum fratribus & monachis quos de monasterio Claræ-vallis adduximus episcopali auctoritate sub perpetua libertate confirmantes, metas & terminos assignare curavimus; intra quos juxta ordinem sancti Benedicti viventes ab omni conventu publico remoti, soli Deo vivere libere & quiete possint. Igitur ab Isara flumine & fossato exteriori usque ad *Folru*, & inde usque ad eumdem fluvium terminum ponentes, clausuram illorum determinavimus; & ex altera parte ultra Isaram in territorio de *Cyri* concedimus eis de silva & brolio nostro pro coopertura, super ripam spatium sexagenorum pedum in latum, in longum vero a Diva flumine usque ad lavatorium. Siquidem intra has metas nemo quamlibet venationem facere, ligna cædere vel exportare, carrucare, publicum iter facere, vel eorum quietem in aliquo turbare præsumat; sed quicquid in silva, in campis, in pratis, in aqua nostri juris & potestatis est, & quicquid, Deo ordinante, jam acquisivimus vel in futurum nos vel ipsi acquiremus, libere & quiete & absque omni infestatione possideant. Acquisivimus autem terram Drogonis de Vale, cum silva & pratis, cui terræ contiguum est aliud pratum quod canonici sancti Bartholomæi ab ecclesia S. Eligii censualiter tenebant. Hoc vero pratum domnus abbas Theodericus sancti Eligii & domnus abbas Rainaldus sancti Bartholomæi supradictis fratribus liberum & absolutum concesserunt. Acquisivimus etiam eis terram forestariorum, videlicet Haimerici, Ebrardi, Burelli, Drogonis de Passello, Wiardi Portarii, Wiardi filii Baldrici; terram Aloadi & Rainardi, & quicquid isti duo fratres, Hato scilicet & Gervasius, intra has metas habebant, pro hoc assignantes eis, Hatoni scilicet & Gervasio, duos modios frumenti & unum avenæ, & duos solidos & dimidium per singulos annos ad ecclesiam sanctæ Mariæ. Similiter & aquam fluminis a piscatoribus acquisivimus, ac desuper fossatum molendini usque dum aqua ipsius molendini per fossatum in ipsum flumen cadit, & ab eodem loco in alia ripa, videlicet ex parte Cyri, omnia fruteta & dumeta quæ sunt de jure episcopi, usque ad supradictum lavatorium. Terram etiam Simonis & aquam quam a nobis censualiter tenebat ab ipso donatam, liberam & absolutam concessimus. Sed & conventus totius capituli nostri pratum quod intra has metas habebant, cum magna devotione liberum eis dederunt. Porro extra easdem metas ubicumque in Esga & in locis ejusdem silvæ laboraverint vel exsartos fecerint, nulla ecclesiastica secularisve persona decimam ab eis vel terragium, vel aliquam exactionem penitus extorquere præsumat. Similiter & omnes aisantias terræ & silvæ, & aquæ sine pasnagio vel alia redditione habere concedimus. Radulfus etiam venator & Gerardus *Viatel* & heredes eorum, concesserunt ipsis consuetudines quas ipsi habebant tam in pasnagio quam in exsarto, quantum ad usus ipsorum videlicet monachorum pertinet. Omnem quoque terram quæ ad altare de *Porviler* pertinebat,

A & decimam ejusdem altaris ubicumque araverint, vel quocumque modo laboraverint, seu aliquam nutrituram habuerint, largiente cancellario Hugone & capitulo concedente. Donum quoque Welrici castellani, id est, vallem maris, quantum videlicet continetur inter regium callem & fossatum, & quicquid habebat inter grangiam & ipsum fossatum, qui ab illa valle tendit versus Isaram, & quicquid a feodatis suis acquisitum habemus vel acquirere poterimus. Terramque Petri *Baillet*, quam censualiter eis pro uno sextario tritici concessit. Quicquid etiam Petrus Brunellus & Johannes *Chevet* in territorio Sempigniaci & *Porviler* habebant, necnon & terram incultam quæ est inter aquam & Longum-pratum, a prato *Canimot* usque ad atramentarias, sub eadem libertate possidendum firmavimus.
B Noverint namque tam præsentes quam futuri, ipsos, Petrum Brunellum scilicet & Johan. *Chevet*, omnes terras suas quas in suprascriptis territoriis habebant werpivisse in manu dominorum suorum, de quibus eas in feodum tenebant, Petrum videlicet in manu Ivonis castellani nostri, Johannem in manu Odonis Govini, & ipsi, Ivo scilicet & Odo, in manu nostra absoluta reddiderunt & werpiverunt. Nos vero, pro recompensatione istorum feodorum, cambivimus eis alios duos feodos, castellano quatuor modios frumenti & unum avenæ apud ecclesiam S. Bartholomæi assignatos; Odoni septem modios apud ecclesiam B. Mariæ. Ipsi autem hominibus suis Petro & Johanni assignaverunt & in feodum recompensaverunt. Ita sane cambivimus, ut si forte aliquis eorum qualicum-
C que modo a feodo suo sic assignato defraudatus fuerit, ad priorem feodum quem in manu nostra werpivit, nullo modo ulterius reverti possit. Similiter eodem pacto Johanni & Gileberto pro recompensatione majoriæ suæ duos frumenti modios ad ecclesiam S. Bartholomæi; Evrardo etiam pro suo curtili terram apud Pontem assignavimus. Nos igitur omnes terras istas ab omnibus emancipatas & ad dominium nostrum liberas redactas, eisdem fratribus libere & perpetuo possidendas damus; & ut nulli hominum super hiis deinceps respondeant, utpote jus nostrum sigillo eis firmavimus. Damus etiam omnibus hominibus nostris, tam clericis quam laïcis, licentiam dandi eis de feodo nostro quicquid voluerint. In redditione terræ Petri Brunelli interfuerunt hi testes, Theodericus abbas S.
D Eligii, Rainaldus abbas S. Bartholomæi, Balduinus decanus, Hugo cancellarius, Ivo castellanus, Rogerus de Thorota, Hugo de Perona, Hugo Normannus, Godefridus filius Gileberti, Gilebertus præpositus, & alii multi. In redditione terræ Johannis *Chevet*, Theodericus abbas sancti Eligii, Balduinus decanus, Hugo cancellarius, Andreas canonicus, Hugo de Perona, Hugo Normannus, Godefridus filius Joiberti. In redditione Johannis & Gileberti, Balduinus decanus, Haimericus præpositus, Hugo de Perona, Johannes de Asse. Item, Odo canonicus noster, filius Joberti, dedit eisdem fratribus extra muros Novioni quicquid ultra locum Peregrini possidebat, tres videlicet arabilis terræ campos quos a Laurentio Fusore mercatus est, vineam Helduini Strabonis, & vineam Roberti filii Rainardi presbyteri, & terram superadja-
E centem, quæ censualis est, cum domo & curte & aisantiis aquæ quæ subtus est; de qua curte canonici S. Mariæ omnem decimam illis concesserunt. Dedit & vineam Ingeranni & vineam Radulfi filii Bertranni, & vineam Radulfi *Vekel*, terram & silvulam ad easdem vineas pertinentem. Confirmamus eis & aliam vineam apud Arboream quam Paganus Mala-opera ecclesiæ S. Eligii contulerat. Hanc vero vineam domnus abbas Theodericus cum Walranno abbate Ursicampi decambivit pro vinea Laurentii Fusoris, quam ab ipso emptam Hugo cancellarius ecclesiæ Ursicampi donaverat. Item, in pago Viromandensi prædicti canonici sanctæ Mariæ Noviomensis dederunt illis omnem decimam de laboribus & nutrituris suis, pertinentem

ad altare de Manassiis, libere & absolute. Nos quoque apud Liervillam omnem terram arabilem pertinentem ad dotem altaris ipsius villæ, & omnem decimam ipsius terræ eisdem fratribus donavimus. Actum Noviomi in præsentia & assensu capituli & abbatum nostrorum, & militum ad honorem nostrum pertinentium, anno ab Incarnatione Domini M. CXXX. Indictione VIII. Signum Simonis Noviomensis & Tornacensis episcopi. Sig. Theoderici abbatis sancti Eligii. Sig. Rainardi abbatis sancti Bartholomæi. Sig. Balduini decani. Sig. Theoderici thesaurarii. Signum Hugonis archidiaconi. Sig. Hugonis cancellarii. Sig. Petri cantoris. Sig. Haimerici præpositi. Sig. Alberici cellerarii. Sig. Ivonis castellani. Signum Rogeri de Thorota. Sig. Hugonis de Perona. Signum Welrici castellani de Roia.

X V.

Pactum inter abbatias Vizeliacensem & Hamensem.

Ex tabulario monasterii Hamensis. 1136.

ALBERICUS Dei gratia Virzeliacensis monasterii abbas, universis Dei fidelibus ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem. Notum esse volumus dilectioni vestræ quod inter Virzeliacense cœnobium & Hamensem ecclesiam pro ipsa eadem quam reclamabamus, quæstio est diutius agitata : quæ cum per justitiam vel concordiam non posset finem accipere, tandem a domino papa Innocentio Pisis per apostolicas literas invitati utrique venimus; ibique cum in præsentia ipsius, tam nos quam abbas Bartholomæus præfatæ ecclesiæ rationem causæ nostræ exposuissemus, placuit domino papæ ne religiosi viri in eadem ecclesia Domino servientes hujuscemodi occasione diutius versarentur; accepta utrimque securitate quod super hoc mandatis ejus acquiescere deberemus eamdem controversiam per concordiam terminare. Hoc scilicet tenore, ut deinceps Hamensis ecclesia ab omni reclamatione & inquietatione Virzeliacensis monasterii libera prorsus maneat & quieta. Et pro bono pacis ecclesiam de Cantoro quam Hamensis ecclesia possidebat, & ecclesiam de Fraxino quam Hugo cancellarius Symonis Noviomensis episcopi ab eodem domino suo tenebat, in manu ipsius episcopi reddi præcepit, quibus ipse episcopus nos investivit, & ecclesiæ Virzeliacensi perpetuo tenendas, salvo jure episcopali, supradicto Hugone concedente, concessit. Scire ergo vos volumus quod amodo & in perpetuum Hamensem ecclesiam ab hac reclamatione liberam & quietam fore concedimus, & perpetuum silentium super hoc successoribus nostris indiximus.

Facta est ista concordia Pisis anno Dominicæ Incarnationis M. CXXXVI. indictione XIII.

X V I.

Abbatia Mortui-maris diœcesis Rothomagensis subjicitur Ursi-campo.

Ex schedis D. Edmundi Martenne. 1137.

REverendo abbati R. sacroque conventui Cisterciensi, Hugo Rotomagensis sacerdos, salutem, gratiam & benedictionem. Tempore nostro ædificatum est in parrochia nostra monasterium Mortui-maris, quod precibus regis Anglorum donavimus ordini vestro per manum domni Gualeranni abbatis de Ursicampo. Abbas vero qui nunc præest monasterio Mortui-maris, Alexander nomine, fuit quidem monachus Willelmi abbatis de cœnobio Pini; sed idem Willelmus in præsentia ecclesiæ tenens manum præfati Alexandri manu sua reddidit eum in manu nostra nobis, quem ego postea dedi vestro ordini sub manu prædicti abbatis Gualeranni. Orate pro me, fratres mei, ut remittat peccata mea mihi, & misereatur mei agnus Dei qui tollit peccata mundi.

X V I I.

Charta fundationis Parthenonis Fontis-Summæ seu Favarchiarum.

Circiter 1140.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Spiritum Dei qui in principio ferebatur super aquas credimus ferri super fidelium animas, ut, eo inspirante, ecclesiæ sanctæ status proficiat quibusdam mundi naufragio ad portum divinæ contemplationis fugientibus, quibusdam vero eis ut liberius Deo vacent & orationi temporalia subministrantibus. Horum igitur imitatione commonitus, ego Rainerus dapifer, sperans me pro terrenis cœlestia, pro perituris æterna recepturum, & Elisabeth uxor mea, decrevimus de rebus nostris aliqua Deo largiri & ancillis ejus apud monasteriolum in sanctimonia pauperem vitam degentibus, quibus etiam filiam nostram in servitio Dei erudiendam jam antea tradideramus; unde communicato cum religiosis consilio in territorio villæ quæ dicitur *Funsomis*, supradictis Dei ancillis ecclesiam ædificavimus in honore sanctæ Mariæ semper virginis, eidemque ecclesiæ & ibidem Deo servientibus contulimus, assensu filiorum nostrorum Matthæi & Raineri, quidquid in eodem territorio jure possidebamus in agris, pratis sive pascuis, ad orientalem partem viæ quæ ducit Fontanas, in qua etiam plaga eadem ecclesia sita est. Contulimus, inquam, concedente Vodelina de Ribodimonte, de cujus feodo eadem terra erat, præsentibus Ventrico Flamensi, magistro Wilhelmo, Fulcone presbytero, & aliis. Præterea concessimus eis in vivario nostro piscari quotiens voluerint, & in molendino nostro quidquid opus habuerint molere absque emolumento. Alodium etiam quod apud villam *Bresnoit* habuimus in agris sive pratis eidem loco tradidimus; denique altare de *Duri* quod hactenus utcumque tenueramus, in manu episcopi, ut justum erat, reddidimus, ut supra dictis Dei ancillis donaretur, ab eodem impetravimus. Ut autem hæc donatio solemniter facta in perpetuum rata & inconcussa permaneat, rogavimus dominum Simonem Noviomensem episcopum ut de his omnibus factum chirographum sua auctoritate roboraret, & sigilli sui impressione confirmaret. Signum Simonis episcopi. S. Walerandi abbatis de Ursicampo. S. Hugonis abbatis de Longo-prato. S. Radulphi abbatis de Vallis cella. S. Hugonis de Humbleris. S. Raineri dapiferi. S. Roberti Molet. S. Johannis Supplicis. S. Anselmi. S. Johannis fratris ejus.

X V I I I.

Ecclesiæ Tornacensi suus restituitur episcopus.

Ex Vasserio pag. 866. 1146.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Anselmo Tornacensi episcopo, nostris manibus consecrato, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ cœlesti privilegio sibi collato semper licuit, semperque licebit episcopales sedes divisas conjungere &c. . . . . Tornacensis ecclesia ex antiquo episcopalis sedes noscitur extitisse, & pastorem proprium habuisse; cujus curam & administrationem quamvis Noviomensis episcopus longo tempore habuerit, non tamen Noviomensi ecclesiæ subjecta aut unita fuisse legitur; in qua multitudo hominum succrevit, ut necessario proprium debeat habere, etiamsi non antiquitus habuisset, & ab uno pastore propter distantiam eædem ecclesiæ sine gravi animarum periculo regi non possunt. Sanctorum canonum constitutionibus, & prædecessorum nostrorum felicis recordationis Urbani, Paschalis & Innocentii qui hoc ipsum deliberaverant, studio incitati, te fratrum nostrorum communicato consilio eidem Tornacensi ecclesiæ, Domino cooperante, pastorem

providimus, & propriis tamquam beati Petri manibus in episcopum consecravimus, & ad regendum populum illum, Domino auxiliante, transmisimus. Per præsentis itaque privilegii paginam legitimum perpetuum statuimus, ut Tornacensis ecclesia deinceps ab omni Noviomensis episcopi subjectione libera, proprium semper episcopum sortiatur. Statuimus etiam ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Tornacensis ecclesia impræsentiarum juste & canonice possidet, & quæ sibi jure pertinere noscuntur, seu quæ in futurum largitione regum vel principum, oblatione fidelium, sive aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & per vos eidem ecclesiæ firma & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, vestris ac pauperum usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hujus nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire præsumserit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiat, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniat. Amen. Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus signavi. Ego Guido presbyter cardinalis tituli sancti Chrysogoni signavi. Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Praxedis signavi. Ego Jordanus presbyter cardinalis tituli sanctæ Susannæ signavi. Datum Viterbii IX. kalendas Augusti, indictione IX. Incarnationis Dominicæ M. CXLVI. pontificatus vero domini Eugenii III papæ anno secundo.

XIX.

Ex schedis D. Edmundi Martenne.

Charta Samsonis archiepiscopi Remensis, de compositione facta inter Balduinum episcopum Noviomensem & Radulfum Viromandensem comitem, super villa Laciniaco, &c.

1150. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego Samson divina propitiatione Remorum archiepiscopus, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Ut oblivionis interitu defendatur quod expedit reminisci, posterorum memoriæ per literas mandari curavimus, Radulfum nobilissimum comitem Viromandorum, terram quam in episcopatu Noviomensi in villa quæ dicitur Laciniacus construebat, obsistente aliquando venerabili fratre nostro Balduino episcopo, his conditionibus ut maneret, impetrasse, ut pro ea specialiter arce tam ei quam successoribus ejus ipse & qui post eum futuri erant comites hominium facerent, eamque sibi propriam retinentes, nemini in casamentum sive beneficium darent; & si quando episcopus arcem sibi necessariam fore sentiret, ei & hominibus suis ad peragendum negotium suum pro voluntate ipsius episcopi comes eam traderet, quousque ad finem & negotii sui completionem episcopus usus eam comiti redderet. Porro constitutum est ut homines hospites terræ episcopi sive alii pertinentes ad feodum ipsius, contra voluntatem ipsius episcopi aut homines hospites terræ canonicorum, absque eorum concessione in castro non reciperentur, & nemora sua propria quæ circa eum locum sunt, servare aut dare, seu vendere non prohiberentur: hoc etiam addito, ut in loco qui dicitur *Bolgeis* munitioni inchoatæ nihil prorsus adderetur, etiam ad servandum quod inchoatum erat, nulla opera aut impensa daretur, & quod vetustate corruerat non reædificaretur. Denique concessit comes, ut si ipse vel successores ejus aliquod prædictorum mutarent vel infringerent, vel aliquid mali rebus episcopi seu canonicorum per prædictam munitionem inferrent in tota terra sua, cujuscumque episcopatus esset, nisi commonitus infra quadraginta dies satisfacere vellet, divina cessarent. Hæc sunt quæ inter episcopum & comitem per nostrum arbitrium convenerunt, quæ ut in perpetuum rata habeantur, literis hæc attestantibus sigillum nostrum imprimi, probabiliumque personarum nomina subnotari jussimus. Balduinus episcopus Noviomensis, Goslenus Suessionensis episcopus, Theobaldus episc. Silvanectensis, Sugerius abbas S. Dionysii, Hugo abbas S. Remigii, Odo abbas sancti Dionysii, Guibaudus abbas sancti Eligii, Alulfus abbas Calniacensis, Garnerus abbas S. Bartholomæi, Boso & Bartholomæus archidiaconi, Drogo præpositus, Leo decanus, Gregorius cantor, Herricus, Rogerius & Constantius presbyteri, Haidericus, Joffridus & Radulfus diaconi, Guido, Rogerus & Erlandus subdiaconi, Balduinus decanus Noviomensis, Hugo cancellarius, Petrus cantor, Renaldus, Gerelmus & Gaubertus presbyteri, Sigibertus, Sigerus & Gosrodiacus, Radulfus comes Viromandensis, Ivo comes Suession. Albricus Royensis, Radulfus *Deusins*, Johannes *Lipugres*, Adam *Brulars*, Matthæus *le Locherens*. Actum Remis anno Incarnati Verbi M. CL. regnante Ludovico Francorum rege gloriosissimo anno XIV. archiepiscopatus nostri anno X. Robertus cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

XX.

Donatio facta monachis B. Mariæ de Valle. *Ex chart. B. M. de Valle.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1183. Rainoldus Noviomensis episcopus, universis in perpetuum. Ad notitiam universorum pervenire volumus, quod pro anima plorandæ recordationis venerabilis Henrici Remorum archiepiscopi, & nostra, & pro animabus patris & matris nostræ, & omnium parentum nostrorum, clausum nostrum quod vocatur vinea Anscul, quæ jure nos contingebat hereditario, dilectis Deo & hominibus monachis de Valle sanctæ Mariæ, assensu omnium fratrum nostrorum Hugonis, Roberti, Rainaldi & sororis nostræ Aiæ, perpetuo in eleemosynam concessimus. Ita quod præfati monachi eandem vineam suis excolent sumptibus, tempore autem vindemiæ in testimonium possessionis suæ duobus modiis vini extra partem sibi retentis, nos medietatem reliqui vini percipiemus; memorati autem monachi alteram medietatem percipient pro labore & expensa donec vixerimus, utramque in solidum percepturi cum decesserimus. Præfati vero monachi tria facient anniversaria per annum pro anima scilicet prænominati Remensis archiepiscopi primum, pro patris & matris nostræ secundum, pro nostra & nostrorum tertium. Quod ne processu temporis, vel vetustate, quæ mater est oblivionis, infirmari, vel in irritum possit revocari, præsentem cartulam nostræ concessionis interpretem, sigilli pontificalis appensione & testium subscriptione dignum duximus communiri & confirmari. Testes magister Ingerannus, Sirotus, Robertus de *Luzarches*, Drogo, Albericus clerici & canonici nostri. Gaufredus, Hubertus frater de Brueriis, Petrus de Brueriis laïci. Fr. Henricus capellanus noster, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Actum anno Incarnati Verbi M. CLXXXIII.

A

XXI.

Ex chartario Noviomensi.

Charta Stephani episcopi Noviomensis usum monetæ Parisiensis apud Noviomenses permittentis.

1190. STEPHANUS Dei gratia Noviomensis episcopus, universis paginam præsentem inspecturis, in Domino salutem. Quoniam propter incertæ cursum monetæ ecclesiæ nostræ totique populo Noviomensi damna non minima proveniebant, & majora imposterum imminebant, eorum indempnitati providere volentes, concessimus eis ut moneta Parisiensis Noviomi cursum habeat quandiu nostræ fuerit voluntatis; itaque census qui infra metas communiæ debebantur de Parisiensi moneta, computatis duodecim Parisiensibus pro decem & octo nigris, de cætero reddantur, hoc addito quod census qui obolum non excedit, de obolo Parisiensi, qui non excedit denarium, de denario Parisiensi solvatur, & si denarium excesserit, ea ratione qua pro decem & octo nigris duodecim Parisienses solvuntur, reddatur. Cæterum si a nobis sive a successoribus nostris aliquo in tempore monetam ad legem trium denariorum & oboli fieri contigerit, prædicti census ex eadem moneta computatis decem & octo nigris pro duodecim Parisiensibus exsolvantur. Item, si cariorem monetam quam de tribus denariis & obolo, nos seu nostri fecerimus successores omnes census, sicut præscriptum est & ordinatum, de moneta Parisiensi reddantur. Ad hæc quæcumque moneta Noviomi cucurrerit, teloneum & aliæ consuetudines, præter vionagium nostrum quod ad nostram dabimus voluntatem, ex ea persolventur. Quod ut firmiter observetur imposterum, præsentis pagina chirographi & nostri munimine sigilli confirmavimus. Actum anno Domini M. CXC. septimo Novembris.

XXII.

Ex chartario Noviomensi.

Charta Philippi-Augusti regis, de homagio de Lacheni.

1213. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri quod cum secundum usum & consuetudinem regni Franciæ hactenus approbatum, prædecessores nostri reges Francorum nulli consueverint homagium, in recompensationem homagii quod domini Viromannenses debebant episcopo & ecclesiæ Noviomensibus; nos amico & fideli nostro Stephano ejusdem ecclesiæ Noviomensis episcopo, ejusque successoribus Noviomensibus episcopis, damus & concedimus in perpetuum augmentum regalium quicquid habebamus apud Laceniacum, cum pertinentiis suis, & apud villam de *Cuy;* ita tamen quod prædictus episcopus & successores ejus debent reddere singulis annis Florentio de Villa & ejus hæredibus quatuordecim modios bladi, quos idem Florentius tenet de nobis in homagium ligium, quos ipse recepit in grangia de *Cuy* ad mensuram Noviomensem. Præterea eidem episcopo & successoribus suis concedimus apud Laceniacum feodum quod Odo de Perona & hæres ejus, de comitibus Viromannensibus tenuerunt, & feodum Vicardi majoris Laceniaci & Johannis de *Damneri.* Quod ut perpetuum robur obtineat, sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato præsentem paginam roboramus. Actum apud Peronam anno ab Incarnatione Domini M. CCXIII. regni vero nostri anno tricesimo quarto, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa; dapifero nullo. Signum Guidonis buticularii. Signum Bartholomæi camerarii. Signum Oroconis constabularii. Data vacante.....

XXIII.

Ex tabulario Fontis-Simonæ.

Literæ Radulfi abbatis Claravallis, de conversis monialium Fervaquensium.

1232. VEnerabilibus & in Christo dilectis universis coabbatibus suis, & omnibus prioribus, cellarariis & conventibus de generatione Claravallis descendentibus, Radulfus ejusdem loci abbas salutem cum dilectione sincera. Cum sanctissimus quondam pater noster beatus Bernardus primus abbas Claravallis religiosam domum de Favarchiis fundaverit & receperit in filiam specialem, constituens ibi conversos, qui sub habitu & professione ordinis nostri monialibus ejusdem loci foras exire non valentibus, in negotiis forensibus B providerent & apud domos ordinis venientes, se haberent per omnia sicut nostri: miramur plurimum quod de novo quidam ex vobis ipsos conversos quasi alienos ab ordine reputantes, cum ad domos nostras pro negotiis suis veniunt, vel cum per literas abbatissæ suæ ad vos mittuntur gratia commorandi, nolunt retinere. Quare vobis affectuosius supplicamus in ea qua nobis tenemini dilectione mandantes ut dictæ domus conversos cum ad vos pro negotiis suis veniunt, vel commorandi gratia per literas abbatissæ suæ ordinate mittuntur, inter fratres vestros sicut alios fratres ordinis retineatis, & fraterna in Christo dilectione tractetis, diffinitione capituli generalis super conversis monialium de novo edita nonobstante, cum illa diffinitio intelligi debeat de conversis C monialium de novo ordini societatis, non de conversis præfatæ domus, quæ a tempore præfati sancti patris nostri in corpus ordinis est admissa. Et si forsitan, quod mirandum non est, dicti conversi minus quam vestri ordinem suum sciant, mementote quod forte de talibus loquitur apostolus Paulus, dicens: Debemus nos firmiores imbecillitatem aliorum sustinere, & non nobis placere. Datum Valcellis feria V. ante Purificationem beatæ Mariæ anno Domini M. CCXXXI. Reddite literas.

XXIV.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Fundatio Parthenonis Biachiæ.

1235. GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ ac moniali- D bus de Braella Cisterciensis ordinis Atrebatensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis & justis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Cum itaque, sicut vobis insinuantibus intelleximus, Petrus dictus Quercus, canonicus, & Fursæus *Botte* burgenses Peronenses, mansum quemdam apud *Biarch*, ad eos communiter pertinentem, cum omnibus ejus ædificiis & appendiciis, vobis ad construendum ibi ad opus vestrum monasterium, de venerabilis fratris nostri Noviomensis episcopi loci diœcesani, necnon capituli sui & patroni ac rectoris ecclesiæ in cujus parochia mansus ipse consistit, assensu, pro suorum peccatorum remedio duxerint conferendum; nos vestris justis precibus annuentes, quod ab illis factum est, pie ac E provide in hac parte, necnon annuum centum librarum redditum sustentationi vestræ a quibusdam aliis Christi fidelibus deputatum, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communivimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Interanne idib. Junii, pontificatus nostri anno decimo.

XXV.

Ex Vassorio & Sammarthanis.

Literæ Nicolai episcopi Noviomensis, de spuriis inter canonicos ecclesiæ suæ non admittendis.

1235. NICOLAUS divina permissione Noviomensis episcopus, dilectis in Christo decano & capitulo Noviomensi salutem in vero salutari. Postulastis a nobis humiliter & devote, ut non teneamini aliquem in fratrem & concanonicum recipere, nisi prius coram vobis se de legitimo natum proprio firmet testimonio. Nos vero de honestate petitionis vestræ, ac dilectione decoris domus Dei pensatis, rationabilis consilii tenore perpenso, ut affectus dilectionis quem erga ecclesiam nostram & vos gerimus, propensius clareat in effectu; vobis & successoribus vestris per vos in perpetuum concedimus postulata, concedentes vobis in testimonium præsens scriptum sigilli nostri munimine, & vestri appensione roboratum. Actum anno Incarnationis M. CCXXXV. mense Decembri.

XXVI.

Instrumenta reperta anno 1258. ab Odone Rigaud *archiepiscopo Rotomagensi, in capsa Eligiana cathedralis ecclesiæ Noviomensis.*

1.

1258. UNiversis præsentes literas inspecturis, frater Odo permissione divina Rothomagensis ecclesiæ minister indignus, judex sive inquisitor datus a domino papa in negotio quod vertitur inter viros venerabiles & discretos decanum & capitulum Noviomense ex parte una, & religiosos viros abbatem & conventum sancti Eligii Noviomensis ex altera, super corpore & reliquiis ejusdem beati Eligii, salutem in Domino. Notum facimus quod nos anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, die Veneris, in vigilia beati Bartholomæi apostoli, in quadam cassa sive theca in ecclesia B. Mariæ Noviomensis existente, in qua corpus & reliquiæ ejusdem beatissimi confessoris requiescere dicuntur, ex parte decani & capituli Noviomensis inspeximus, & in eadem invenimus quatuor instrumenta sive scripta; unum videlicet instrumentum sigillatum quinque sigillis, ut prima facie videbatur, in cujus Incarnatione annorum Domini litera X. abrasa erat & deleta, & litera I. superaddita, ut videbatur, cujus tenor cum abrasione & deletura ac superadditione prædictis talis est: Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod corpus B. Eligii sanctissimi Christi confessoris, ab Eydilone Noviomensi episcopo antiquitus de ecclesia sancti Lupi sita in suburbio Noviomensi, pro persecutione Nortmannica, ad ecclesiam B. Mariæ Noviomensis translatum, & longo tempore post, Philippo Francorum rege regnante, domno Gervasio Remensi metropolitano, a Balduino condignæ memoriæ Noviomensi episcopo in palam elevatum, & tam clero quam populo monstratum fuit, assistentibus personis quarum nomina continentur in scripto in præsenti theca cum corpore Sancti posito. Anno vero Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo septimo, regnante Ludovico Juniore, à Balduino prædictæ Noviomensis ecclesiæ episcopo, venerandæ memoriæ Simonis successore, decenter & honorifice rursus elevatum, & tam clero quam populo Dei publice monstratum, & in præsenti theca aurea devotissime repositum fuit, assistentibus venerabilibus dominis, Samsone videlicet metropolitano Remensi, Henrico Belvac. Theoderico Ambian. Godescaldo Atrebatensi episcopis, quorum sigilla præsenti scripto apposita sunt. Affuerunt etiam huic celeberrimæ solempnitati abbates de episcopatu Noviomensi cum processionibus suis, decani cum clericis, archipresbyteri cum presbyteris, cum aliis nonnullis tam clericis quam laïcis, quorum nomina partim sunt subscripta. Balduinus Noviomensis ecclesiæ decanus, Theodoricus thesaurarius, cantor Galfridus, Hugo cancellarius, magister scholarum Robertus, cum cæteris Beatæ Mariæ canonicis; Guiboldus abbas sancti Eligii, conventus sancti Bartholomæi, abbas Calniacensis Alulfus cum processione sua, Rainerus prior Hamensis cum processione sua, Gilebertus abbas Ursicampi, Garinus abbas Humolariensis, Rainaldus abbas sancti Præjecti, Hugo abbas de Monte sancti Quintini, Gilebertus abbas Wiromandensis, Folbertus abbas de Arevasia, Ingrannus abbas sancti Medardi, Nicolaus abbas Corbeiensis, Clerus Nigellensis, Jelbertus decanus Peronensis cum clericis suis, Ivo decanus Belvacensis, Joannes archidiaconus Belvacensis, Radulfus decanus, Garinus archidiaconus Ambianensis, Theodoricus archidiaconus Atrebatensis, Guido castellanus Noviom. cum filiis suis Johanne, Guidone, Ivone; Simon de Maignaco; Radulfus castellanus Nigellensis, Albericus de Roïa, Wermondus frater ejus, Robertus Canis de Perona. Actum anno præsignato in crastino festi S. Joannis Baptistæ, VII. KL. Julii. Aliorum vero trium scriptorum in dicta cassa sine sigillis repertorum, quorum duo erant in pergameno, aliud in corio, copiam fecimus parti monasterii memorati. Datum die & anno prædictis.

2.

Universis præsentes literas inspecturis, frater Odo permissione divina Rothomagensis ecclesiæ minister indignus, judex sive inquisitor datus a domino papa in negotio quod vertitur inter viros discretos decanum & capitulum Noviomense ex una parte, & religiosos viros abbatem & conventum monasterii sancti Eligii Noviomensis ex altera, super corpore & reliquiis ejusdem beati Eligii, salutem in Domino. Notum facimus quod nos anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, in vigilia B. Bartholomæi apostoli, in quadam cassa sive theca, in ecclesia beatæ Mariæ Noviom. existente, in qua corpus & reliquiæ ejusdem beatissimi confessoris requiescere dicuntur, ex parte decani & capituli Noviom. inspeximus, & in eadem invenimus tria scripta sine sigillis. 1.° Unum in corio non sigillatum, sub hac forma: Anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexagesimo sexto, Indict. IV. septimo Kal. Julii, feria VII. domno Alexandro II.° papatum agente, regni autem Philippi anno quarto, præsidente Remensi ecclesiæ archipræsule Gervasio, domni quoque Balduini Noviomensis episcopi anno XXI. sancto præveniente Spiritu, & eodem operante pontifice B. cum episcopii Noviomensis processionibus ac melioribus clericis & devoto populo, translatum est corpus beatissimi Eligii in istam auream thecam ex veteri vasculo quod de ecclesia S. Lupi, ubi diu requieverat, reportatum intra urbis muros pro Normannica persecutione fuerat ab Eydilone ejusdem civitatis venerabili episcopo.

3.

Item, aliud in pergameno non sigillatum, cujus tenor talis est. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexagesimo sexto, indictione quarta, septimo kal. Julii feria septima, domno Alexandro secundo papatum agente, regni autem Philippi anno quarto, præsidente Remensi ecclesiæ archipræsule Gervasio, domni quoque Balduini Noviomensis episcopi anno vigesimo primo, sancto præveniente Spiritu, & eodem operante pontifice B. cum episcopii Noviomensis processionibus, ac melioribus clericis & devoto populo, translatum est corpus beatissimi Eligii in istam auream thecam ex veteri vasculo quod de ecclesia S. Lupi, ubi diu requievit, reportatum intra urbis muros pro Normannica persecutione fuerat ab Eydilone ejusdem civitatis venerabili episcopo. Interfuere huic transmutationi Ingelbertus sancti Eligii monasterii abbas, Henricus Humolariensis abbas, Godefridus abbas de Monte

Monte ſancti Quintini. Erant tunc temporis hujus ſanctæ Noviomenſis ſedis Robertus decanus, Ratbodus archidiaconus & præpoſitus, Guido theſaurarius, Gerelinus cantor, Adelardus ſcholaſticus; Odo, Ingelbaldus, Maurinus preſbyteri, cum aliis; Guibertus, Radulphus, Arnulphus diaconi, cum aliis. Gerardus, Hugo, Bernerus ſubdiaconi, cum aliis; Baldricus, Otmundus, Conſtantius acolythi, cum aliis. Interfuere & Gebunius Nigellenſis eccleſiæ cuſtos cum ſuis clericis; Stephanus Peronenſis decanus, cum ſuis; Galterus Hamenſis decanus, cum ſuis; Godefridus Calneïenſis decanus, cum ſuis; Hugo vicedominus, Nevelo advocatus, Rainardus miles, Rodulphus, Odo, Hermarus, Albericus de Cocceïo, Goibertus, Galterus, Balduinus, Godefridus. Facta eſt hujus tranſlationis celebratio in eccleſia S. Mariæ & S. Medardi, ubi ſacratiſſimum corpus beatiſſimi confeſſoris & epiſcopi Eligii requieſcit. Pulvis hujus ſancti corporis eſt ex una parte, & oſſa ex altera. Ego Albericus diaconus ex juſſu Guidonis cancellarii ſcripſi & ſubſcripſi, & Macharius canonicus ſancti Quintini hoc opus fabricavit.

4.

Item, aliud in pergameno . . . . locis perforato non ſigillatum, cujus tenor, prout legere potuimus, talis erat. L. XIII. XIII. XIIII. VIIII. XIII. III. I. XVII. . . . XVIIII. VIIII. XIIII. XIII. VIIII. XVIIII. IIII. XIIII. XII. VIIII. XIII. VIIII. XIII. XIIII. XIII. VII. V. XIII. XVIIII. V. XVIII. VIIII. XII. XIII. . . . XVIIII. V. XXI. I. VII. V. XVIII. VIIII. XII. XIIII. XVI. XX. VIIII. XIII. XVIII. XIIII. vigeſimam octavam tauri ſole luſtrante . . . . VIII. XIIII. XX. XX. VIIII. II. XII. X. XVIII. XI. V. XX. VIIII. XVIIII. I. V. VII. VIIII. XVIIII. XX. XX. XVIII. C. I. XVII. III. VIII. VIIII. XII. I. XIII. IIII. XVII. VIIII. ts. omnium peccatorum primus juſtorumque noviſſimus, orthodo . . . . p tamen cum eſſem nimium nutabundus ob querimonias quæ diverſe ab aliquibus diffamabantur: IIII. V. III. XIIII. XVII. XX. XIIII. XVII. XVII. V. hujus ſanctiſſimi . . . . XIII. VI. V. XVIII. XVIII. XIIII. . . . ris & egregii. XV. XIIII. XIII. XVIII. VI. VIIII. III. VIIII. XVIII. X. V. XI. VIIII. VII. VIIII. VIIII. aſſeverare conantes non tegi illud hoc no Deo diſponente, ſe ſeque gratia ipſius conſervante, hic requieſcit ſcrinio duo recondita memoriæ . . . ficiæ . . . . ma tenens indicia. I. II. XII. G. Lj. XV. XVII. V. XVIII. II. VIIII. XVIIII. V. XVII. XIIII. XII. I. VII. V. XIII. XVII. IIII. XIIII. Michi fideliter credita. unum videlicet quod a prædeceſſoribus ſuis qui interſuerint, cum a bona me . . . . Eydilone epiſcopo metu graſſantium undique Nortmannorum eccleſia S. Lupi in ſuburbio hujus civitatis in qua per ducentos ac ſexaginta circiter annos multis miraculorum claruit ſignis, intra mœnia oppidi tranſportandus levaretur didicit; quodque idem ſe temporibus Dñi. XX. XX. I. XI. XVIIII. II. V. XVII. XVIII. præſulis incontaminatum dum hoc loco tranſponeretur XII. VIIII. VIIII. poſtea retulit inveniſſe, inito deliberatoque conſilio cum pontificali imperio, adhibitis etiam XII. V. III. XX. XII. IIII. XX. XIIII. II. XX. XVIII. fideliſſimis XVIII. V. XVIII. XVIIII. VIIII. II. XX. XVIII. V. XVII. X. VIII. V. XIII. II. XIIII. III. CII. Preſbytero . . . &c. . . . . VIIII. V. XIIII. IIII. V. XVII. VIII. III. XIIII. diacono. Alterum quod prædictus XII. ſcripto tempore cum . . . . . V. XVIIII. II. . . . . . VII. XVIIII. XIIII. atque V. XX. XVII. V. XX. V. XVII. XVIIII. XIIII. cum preſbyteris manu propria compoſuerat XII. VIIII. X. VIIII. quæ intimaverat peccatrice XII. I. XIII. XX. XVII. V. I. reſolvens ſalvum ut olim dimiſſum fuerat inconvulſumque XVII. . . . . . . XVII. . . . . XV. V. XVII. I. XX. VIIII. . . . . . II. XX. XVIII. poſita ſanc . . . . cum reverentia & celeritate ſacro-ſanctum corpus cooperientes intimo corde gratiarum. V. XXI. XVIII. XIIII. XI. . . . . VIIII. XII. XX. XVII. actiones qui nunquam derelinquit in ſe confidentes. Igitur ſigillum quo ſignatum eſt pallium ideo ſucceſſoribus bonum eſt eſſe notum, ne aliqua fraus accidere poſſit in poſterum. Habet itaque quaſi imaginem regalis capitis, barbatam cæſarie criſpa comatam, geſtans coronam in ſuperioribus floridam, circa media ſuptiliter imachinatam, in imis circulatam, & in collo veſtimentum.

5.

Item, aliud inſtrumentum ſive ſcriptum, cum quinque ſigillis ut prima facie videbatur, cujus tenorem, prout eſt, ſummo pontifici referemus. Datum die & anno prædictis.

XXVII.

Acta capituli generalis Nigrorum monachorum, habiti apud S. Quintinum de Inſula anno 1299. *Ex authentico S. Quintini de Monte.*

QUorumdam clauſtralium inſolentiis, & tam vitæ quam habitus regularis diverſis abuſionibus & enormitatibus in honoris ipſorum grave diſpendium & ſalutis aliquanto tempore uſurpatis, quibus nihilominus toti noſtro ordini, quod dolenter referimus, ſcandala plurima & opprobria generantur, ac viles contemptus tam in Romana curia quam alibi ubicumque, quantum poſſumus, obviare volentes & reſiſtere, ac, juvante Domino, ſalutare remedium adhibere, ne ſanguis animarum talium monachorum, ſi in corrigendis hujuſmodi fuerimus negligentes, de noſtris manibus requiratur. Nos Henricus Affligenſis & Petrus ſancti Johannis Laudunenſis divina permiſſione monaſteriorum abbates, præſidentes ſeu priores capituli generalis abbatum ordinis ſancti Benedicti provinciæ Remenſis, de conſilio & aſſenſu diffinitorum noſtrorum, in capitulo feria quarta poſt feſtivitatem Omnium ſanctorum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo nono, apud ſanctum Quintinum in Inſula celebrato, ad hæc & ad alia univerſa pro noſtri ordinis reformatione & correctione terminanda & diffinienda, communiter electorum, quæ ſequuntur duximus ſtatuenda; præcipientes firmiter & diſtricte ut in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis ſingillatim inferius exprimendis, tam abbatibus quam monachis univerſis provinciæ antedictæ & dicti ordinis, ea inviolabiliter obſervari. Nihilominus intimantes tranſgreſſoribus non parcendum eſſe aliquatenus, ſed taliter puniendos, quod ipſorum pœna & confuſio fiat aliis in exemplum, ut quos timor Dei ac metus gehennæ a malo non revocat, ſaltem diſtrictio & ſeveritas retrahat diſciplinæ. 1299.

Inprimis igitur licet illud peſſimum monachorum vitium, videlicet de habendo proprium, tam in ſancti Benedicti regula quam in aliis multis locis ſcripturarum & ſacrorum canonum, ſit diſtricte prohibitum & terribiliter condemnatum, quia tamen nonnulli monachi de ſalute ſua minus ſolliciti, quibus nihil omnino habere licet, niſi quod abbas dederit vel permiſerit, abſque ſcitu ſui abbatis & permiſſione, ſeu etiam voluntate, habere proprium non formidant in animarum ſuarum graviſſimum detrimentum; nos præſidentes ſeu priores prædicti, quibus incumbit ex officio ſubjectorum providere ſaluti, ad majorem fugam tam periculoſi vitii & cautelam, cum noſtris diffinitoribus antedictis, duximus ſtatuendum, ut quilibet monachus cuicumque etiam officio ſeu obedientiæ monaſticæ, præpoſituræ vel prioratui deputatus, bis in anno, ſcilicet in adventu Domini & in Quadrageſima, peccatorum ſuorum confeſſione prævia tunc abbati hujus virtute ſtatuti facienda, quidquid habet in donariis, in argento, in auro, ſeu animalibus, penes ſe, penes alios, in depoſito, locato aut etiam commodato, ſeu aliis quibuſcumque rebus ejuſdem monaſterii monachis regulariter & communiter non conceſſis, ipſi abbati indicet & revelet, & eidem offerat & reſignet, & ſic juxta ipſius diſcretionem

& arbitrium, vel eidem monacho illa denuo committentur in toto, vel parte, ficut visum fuerit expedire in usus necessarios prioratus sui, si quem habet, præpositurae aut officii seu administrationis cujuscumque ulterius dispensanda, seu alias, juxta bonam ipsius abbatis conscientiam, in communem utilitatem monasterii convertenda, assumat, sicut dictum est, totaliter vel in parte. Si quis autem monachus in præmissis inobediens fuerit vel rebellis, post ternam monitionem peremptoriam infra septem dies ab abbate in capitulo seu alibi, coram testibus nonnullis competentibus, faciendam, transactis dictis septem diebus, sit excommunicationis sententia innodatus. Abbas autem si in præmissis monitionibus, cum necesse fuerit, exigente aliquorum inobedientia, faciendis, negligens fuerit vel remissus, sciat se per nostrum generale capitulum graviter puniendum. Item, cum, juxta regulam antedictam, totius monasterii ordinatio, tam de præposito ordinando quam de aliis minoribus officiis seu administrationibus committendis, pertineat ad abbatem, & eidem nihilominus debeatur obedientia ab omnibus sine mora, statuimus ut si aliquis obedientiarius, seu officialis, præpositus, vel prior, de componendo de suo officio sive rationem reddendo, aut etiam totaliter dimittendo & resignando, juxta formam præmissam monitus, inobediens permanserit seu rebellis, & non infra septem dies prædictos præposituram, prioratum, seu administrationem quamcumque, si habuerit, resignando, & omnia quæ ad illa pertinent fideliter & complete assignando abbati, seu alia faciendo, prout fuerit requisitus, humiliter resipuerit, post hoc statim excommunicationis sententia sit ligatus. Item, cum juxta consilium Sapientis, pastor quicumque seu prælatus teneatur vultum sui pecoris cognoscere diligenter, hoc est conscientias subjectorum, firmiter & districte in virtute sanctæ obedientiæ prohibemus ne quis monachus vel conversus alique, abbati vel senioribus providis & discretis, ad fratrum confessiones audiendas ab abbate specialiter deputatis, de suis peccatis gravioribus quæ, testante conscientia, mortalia recognoscit . . . . nisi forte ex causa rationabili & honesta, petita & obtenta licentia ab abbate. Quod si quis contra nostram inhibitionem præsentem, confessorem adierit alienum, & se non posse absolvi per illum verissime recognoscat, insuper & pro sua inobedientia graviter puniendum. Item, cum quidam . . . . nomine quam habitu monachali indigni detestabiles & prohibitos ludos exerceant, tesseram . . . . . . unde . . . . . non solum scandala & opprobria toti nostro ordini generantur, verum etiam gravium peccatorum vinculis ipsi tales ludos exercentes periculosissime innectuntur, sicut sunt iræ, rixæ, concertationes verborum turpium & malorum, crebra etiam juramenta illicita & perjura, fractiones quoque silentii regularis tam noctibus quam diebus, perditiones quoque temporis irrecuperabiles, quod a Domino ad agendam pœnitentiam & bona merita conquirenda nobis misericorditer est indultum, ac alia plurima detrimenta salutis & pericula quæ in ludis illis inevitabiliter committuntur . . . . . præcipue illud vitium monachorum pessimum de habendo proprium, cum habere non possint quod abbas non dederit vel permiserit, & ad tales usus certum sit abbatem nec dare posse denarios vel res alias, seu permittere possidere, non est dubium monachos exercentes ludos prædictos esse proprietarios ipso facto, & per consequens excommunicationis sententia & irregularitatis vinculo innodatos, si forsan immiscuerunt se divinis. Nos itaque contra ludos prædictos tot & tanta pericula sollicite attendentes, illos sub pœna suspensionis & excommunicationis districtius inhibemus abbatibus . . . . universis, in virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione divini judicii, firmiter injungentes ut tantam enormitatem

A & abusionem in suis monasteriis, si forsan ibi fuerit, abolere & totaliter exstirpare laborent & studeant diligenter, ac monachos seu conversos ludos prædictos de cetero exercentes, quos ex causa præmissa excommunicatos . . . . . . reputamus per quindenam ad minus a conventibus se abstractos, & arctius . . . . . absol . . . . nullatenus nec commu . . . . eis permittant, nisi sextis & quartis feriis in pane & aqua interim jejunantes & agentes dignam pœnitentiam de commissis, juramento præstito se promittant de cetero a ludis hujusmodi abstinere. Abbates autem qui in præmissis abusionibus, ut dictum est, abolendis inventi fuerint negligentes, non solum in extremo judicio se cognoscant ultione divina plectendos, verum etiam per nostrum generale capitulum . . . . castigandos.
B Item, districtius inhibemus, cum hoc etiam jure canonico sit expressum, ne aliquis utatur de cetero camisiis lineis intra monasterium, nec etiam extra, nisi evidens infirmitas corporis vel debilitas hoc requirat, & tunc per abbatem fuerit dispensatum. Item, cum omnes monachi ad capitulum & collationem, cum possint, venire personaliter teneantur, & observare silentium in locis silentio deputatis, & multi in hujusmodi sint & fuerint hactenus negligentes, statuimus quod non venientes ad capitulum & collationem cum possint, & silentium in locis deputatis silentio non servantes fideliter, tertio fuerint reprehensi, aut, teste conscientia, se deliquisse in illis ter recognoverint, vino careant & . . . . . ferculo uno die, nisi per abbatem vel priorem, si abbas ab-
C sens fuerit, ex causa infirmitatis, seu alia legitima, cum eisdem fuerit dispensatum. Item, cum . . . . diversitatem habitus maxime inter religiosos unius & ejusdem professionis, non est dubium scandalum generari, eo quod turpis est suo non conveniens universo, districte, & sub pœnis inferius exprimendis, præcipimus abbatibus universis ut abusiones tales in vestibus & calceis invigilent & laborent in suis monasteriis totaliter abolere, nec utantur ipsi, nec permittant suis monachis quoquomodo uti pannis seu vestibus coloratis alio colore quam nigro, a sanctis patribus ad signandum dolorem pœnitentiæ instituto, integris ante & retro, sine scissura aliqua, & cum manicis usque ad manum ad minus protensis . . . . tam in monasterio quam extra penitus
D interdictis, nec calceamentis utantur dictis . . . . sive nodatis, sed solummodo sotularibus . . . . nec corrigiis sericis, auro vel argento ornatis. Nec aliquis, sive abbas, sive monachus, habeat & detineat aves venaticas, sive canes, exceptis illis quibus pro jure suo conservando in venationibus licitum est habere; & tunc ipsi abbates talibus venationibus, quanto magis poterunt, caveant personaliter interesse cum revera illud merito reprehendi posset, & a Domino . . . . . . Si quis autem abbas vel monachus in præmissis seu aliquo præmissorum inventus fuerit culpabilis, cum ipsorum monasteria contigerit visitari, seu etiam fama publica referente, ipsum abbatem volumus corrigi in hunc modum, præcipientes & in virtute sanctæ obedientiæ firmiter injungentes, ut tribus sextis feriis a piscibus abstineat & a vino; ipsis
E autem monachis exeundi claustra seu loca silentio deputata per quindenam integram sit licentia denegata. Item, cum juxta canonicas sanctiones, sicut piscis sine aqua non potest vivere, sic nec monachus sine claustro, districte præcipimus ut non detur eis licentia exeundi claustra sua & secularia revisendi, nisi ex causis necessariis & honestis, & quia monachi in conventibus, villis vel castris in quibus eorum monasteria sunt constructa, vel ad . . . . non possunt comedere seu pernoctare extra sua monasteria absque suorum abbatum licentia speciali. Item, cum in omni casu monachus deferre teneatur habitum regularem, etiamsi episcopus sit effectus, nisi forte timoris vel alterius causæ rationabilis suadeat necessitas habitum

aliqualiter variare, firmiter inhibemus ne aliquis monachus ausus sit de cetero com . . . . seu accedere ad concilium, capitulum, parlamentum, sive alibi ubicumque sit congregatio plurimorum, sine froco regulari vel capa, pœna debita transgressoribus, tam abbatibus quam monachis, per nostrum generale capitulum infligenda. Item, statuimus quod monachi & conversi arma quocumque nomine censeantur, etiam secularibus clericis interdicta, deferre non audeant, nec habere infra septa monasterii, sive extra, nisi propter inimicitias capitales, seu ad defensionem licitam & honestam, & tunc de abbatis sui licentia speciali; & qui contra fecerint, ab abbatibus suis moniti ut desistant, & obedire noluerint, excommunicationis sententia innodentur. Item, cum secundum beati Benedicti regulam, teneantur monachi jejunare a festo Exaltationis sanctæ Crucis usque ad Pascha, quod non modo debito a plerisque, sicut intelleximus, observatur, statuimus in virtute sanctæ obedientiæ districtius inhibentes ne quis de cetero præsumat frangere hujusmodi jejunia, nisi de licentia speciali abbatis vel prioris seu præsidentis monasterio loco ejus. Item, in prioratibus forensibus in quibus monachi cum prioribus commorantur, simul jaceant & dormiant in eadem domo seu dormitorio cum eisdem. Item, cum secundum Apostolum, hospitales esse invicem teneamur, statuimus ut ad minus nulli religioso nostri ordinis, seu nuntiis pro negotiis nostri capituli destinatis, hospitalitatis gratia denegetur; quod si qui contra fecerint, expensas a taliter recusato factas se . . . . . soluturos, & alias per capitulum, prout justum fuerit, puniendos. Item, statuimus quod abbates qui se per causam legitimam voluerint & potuerint excusare, suum procuratorem quem voluerint de conventu suo monachum, ita transmittant ut ante statutam diem capituli celebrandi uno die coram nobis compareat hora missæ, ut sic de examinandis procuratoriis possit facilius expediri. Item, cum spiritualia absque temporalibus nequeant observari & regi, sicut nec corpus sine anima vivere vel moveri, & quotidie multos casus graves & difficiles contingere videamus, qui sine denariis & pecunia expediri non possunt, statuimus & sub pœna suspensionis & excommunicationis præcipimus, ut abbates ad celebrandum capitulum accedentes, singuli de quolibet millenario, sicut de bonis sui monasterii decimam exhibebant, seu exhibere deberent, quadraginta solidos secum deferant, vel per suos procuratores transmittant, si ipsos contingat personaliter non venire, in communem utilitatem & necessitatem totius nostri ordinis convertendos & ulterius conservandos, prout in proximo nostro capitulo celebrando, Domino concedente, erit communiter ordinandum. Hoc nihilominus universis & singulis abbatibus intimantes quod contradictoribus seu rebellibus, sive etiam negligentibus in præmissis, non erit parcendum vel aliquatenus deferendum, sed potius contra ipsos per sententias suspensionum & excommunicationum, seu alias, per capitulum acriter procedendum. Item, ne aliquis de transgressione aliqua dictorum statutorum se possit aliquatenus per ignorantiam excusare, districte præcipimus abbatibus universis & singulis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis suspensionis & excommunicationis firmiter injungentes quatenus omnia & singula sæpedicta statuta præsentibus literis sub sigillis nostris vobis transmissa, in vestris capitulis semel in anno, videlicet in prima hebdomada Adventus Domini vel Quadragesimæ subsequentis, recitari & legi publice faciatis, ut sic statuta ipsa & plenius intelligi potuerint & cognosci, & quæ prohibita seu illicita fuerint juxta ipsa diligentius caveatis. In quorum omnium præmissorum testimonium, robur, perpetuam memoriam ac munimen, sigilla nostra præsentibus sunt apposita. Datum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono mense Decembri.

A

XXVIII.

Instrumentum de sepulturis quorumdam episcoporum Noviomensium.

Ex autentico.

AUjourd'hui mercredi dix-septième jour d'Avril de la présente année mil sept cens quarante-trois, à l'issue de complies de l'église cathédrale de Notre-Dame de Noyon, nous Jean-André Cinesse, prêtre, chanoine & chancelier d'icelle, l'un des vicaires généraux, & official d'illustrissime & révérendissime seigneur monseigneur Jean-François de la Cropte de Bourzac, par la miséricorde de Dieu & la grace du saint siége apostolique évêque comte de Noyon, pair de France, spécialement commis par mondit seigneur, par lettres de cejourd'hui, à l'effet qui sera ci-après expliqué; nous nous 1743.

B *sommes transportez, accompagnez de M. Claude-Charles Broyart prêtre, secrétaire de mondit seigneur, dans le chœur de ladite église cathédrale, dans le sanctuaire duquel on connoît par les tombes differentes qui y sont posées, que reposent les corps des évêques ci-après nommez, sçavoir à main droite, joignant le stalle episcopal,* Gilles de Loris, *décédé en 1388; & auprès, tirant du côté de l'évangile,* Vermond de la Boissiere, *décédé en 1272; après la tombe duquel est un espace en pierre de trois pieds de large, où on nous a dit qu'ont été déposées les entrailles de monseigneur* François de Clermont-Tonnerre, *décédé en 1701, & dont on nous a dit aussi que le corps repose dans le même sanctuaire, sans aucune inscription ni tombe, au bout de celle dont*

C *va être parlé. Ensuite dudit espace, le corps de* Charles d'Hangest, *décédé en 1528; & la dernière du même rang dudit côté de l'évangile,* Florent de la Boissiere, *décédé en 1330. Et en remontant vers le grand autel, au bout de celle de Vermond de la Boissiere, joignant la partie inférieure du trône épiscopal,* Raoul de Coucy, *décédé en 1424. Ensuite, & à côté, celle de* Jean de Mailly, *tirant vers l'évangile, décédé en 1473; & joignant ledit Jean de Mailly, celle de* Guillaume Marafin, *décédé en 1501. Desquels sept [a] évêques, excepté Vermond de la Boissiere, dont le sepulchre s'est trouvé couvert d'une seule table de cuivre jaune, les autres corps ou sépulchres se sont trouvez couverts de tombes de pierre, incrustées de plusieurs lames de cuivre ou potin, jointes ensemble, & chargées de différentes inscriptions & effigies desdits différens évêques. Et comme*

D *il est nécessaire pour exécuter le dessein du chapitre de faire paver le sanctuaire en marbre, d'exhumer les corps desdits évêques inhumez dans ledit sanctuaire, & de mettre les tombes à l'endroit où les corps seront transportez, & que cette exhumation & translation se doivent faire de l'autorité épiscopale & du consentement du chapitre, ainsi qu'il est porté par la délibération capitulaire du quinze Décembre mil sept cens quarante & un, que mondit seigneur a louée & approuvée le vingt desdits mois & an, laquelle sera transcrite ensuite du présent procès-verbal, il a été par nous en vertu de la commission spéciale de mondit seigneur évêque, procédé à l'exhumation & transport desdits corps, ainsi qu'il ensuit. Ayant fait lever la lame de cuivre servant de tombeau audit* Vermond

E de la Boissiere, *il s'est trouvé sous icelle une mâçonnerie de pierres, & ayant été ouverte, s'y est trouvé un cercueil de bois demi-pourri, rempli de cendres, d'ossemens considérables, & même d'une partie du crâne, auquel la peau & des cheveux étoient encore adhérans, avec la partie supérieure de la crosse ou bâton pastoral, étant de cuivre garni de plusieurs pierres, avec un ancien calice & patène d'étain, & plusieurs lambeaux d'ornemens; & le tout a été de notre ordre transporté, avec les cérémonies & prieres convenables, dans une fosse faite derrière le grand autel, & joignant le ceintre du cul-de-lampe du sanctuaire du côté de l'évangile; & sur ladite fosse a été posée en travers ladite lame de cuivre, sa partie supérieure*

[a] Enumerati sunt octo; sed hîc prætermittitur Franciscus Claromontanus, cujus cadaver non est refossum.

joignant le contour dudit sanctuaire. Ce fait, a été levée la tombe de pierre dudit Raoul de Coucy, incrustée de plusieurs lames de cuivre ou potin, jointes ensemble, sous laquelle on n'a trouvé que plusieurs parties d'ossemens, notamment la tête entière, & des cendres, lesquels ossemens & cendres ont été à l'instant de notre ordre exhumez & transportez, avec les cérémonies & prieres ordinaires, dans une fosse préparée du côté de l'épitre, & joignant le ceintre du sanctuaire, sur laquelle a été posée ensuite ladite tombe en travers, la partie supérieure de laquelle est tournée du côté de l'évangile. Et le jour nous ayant manqué, nous avons interrompu ladite exhumation & translation, pour la continuer, Dieu aidant, demain dix-huit du présent mois à sept heures & demie du matin; & avons signé avec ledit secrétaire. Signé, GINESTE. Par monsieur le vicaire général, BROYART.

Et ledit jour jeudi dix-huit dudit mois d'Avril mil sept cens quarante-trois, à sept heures & demie du matin, nousdit vicaire général, en notredite qualité, au nom & dudit ordre dudit seigneur évêque, nous étant rendu, accompagné comme dessus, au chœur & sanctuaire de la même église, pour y continuer & faire, de l'autorité dudit seigneur évêque, la levée des tombes, l'exhumation & translation des corps desdits évêques, nous y avons procédé ainsi qu'il suit. Premièrement, ayant ordonné la levée de la tombe de Gilles de Loris, décédé en 1388, & notre ordre ayant été exécuté par les ouvriers du chapitre, nous avons trouvé, après avoir fait fouir la terre, différentes parties d'ossemens & quantité de cendres, avec un petit vase de grès où il s'est trouvé quelques charbons, & nous avons fait transferer lesdites parties d'ossemens & cendres, avec les cérémonies & prieres convenables, dans la fosse qui avoit été préparée pour les y déposer, entre les deux précédentes; ce qu'ayant été fait, nous avons fait poser par lesdits ouvriers ladite tombe sur ladite fosse en travers, ainsi que les deux précédentes tombes, le massif de l'autel de la férie & celui du grand autel ne permettant pas de poser de longueur lesdites trois tombes. Et attendu l'heure de midi, nous avons remis à continuer ladite levée de tombes, l'exhumation & la translation des corps des autres évêques, à deux heures de relevée; & avons signé avec ledit secrétaire. Signé GINESTE. Par monsieur le vicaire général, BROYART.

Et lesdits jour & an à deux heures de relevée, accompagné comme dessus, ayant ordonné aux ouvriers de lever la tombe de Florent de la Boissiere, décédé en 1330, notre ordre ayant été par eux exécuté, nous avons sous icelle trouvé une maçonnerie de pierre; & l'ayant fait ouvrir, nous avons trouvé qu'elle formoit un caveau des deux côtés & des deux bouts, garni de pierres de taille, dans lequel nous avons trouvé le squelette entier du corps dudit Florent de la Boissiere, couvert encore de partie des ornemens avec lesquels il a été inhumé, & son chef posé sur une espèce de coussin; à côté dudit squelette étoit une crosse ou bâton pastoral de plomb, sur lequel étoit un calice avec une patène d'étain. Et ayant fait transporter le tout, avec les prieres & cérémonies convenables, dans la fosse qui à cet effet étoit préparée du côté de l'évangile, entre le grand autel & le ceintre du sanctuaire, & joignant ledit ceintre, nous avons ordonné aux ouvriers de couvrir le tout de terre, & ensuite de ladite tombe. Ce fait, nous avons fait lever la tombe de Charles d'Hangest, décédé en 1528, sous icelle s'est trouvée une maçonnerie de pierres de taille; & l'ayant fait ouvrir, nous avons remarqué qu'elle formoit, comme la précédente, une espèce de caveau ou sépulchre des deux côtés & des deux bouts, aussi garni de pierres de taille; & dans ce sépulcre nous avons trouvé le squelette entier dudit Charles d'Hangest, garni de sa mitre & des ornemens & étoffes de soie dans lesquels il a été enveloppé lors de son inhumation, ses jambes garnies encore de leurs brodequins & sandales, comme ses mains garnies de ses gans de soie: nous y avons pareillement trouvé sa crosse de bois doré & cannelée, avec un ancien calice & une patène d'étain, dorez en partie; & avons observé que le corps dudit Charles d'Hangest a été mis dans ledit caveau ou sépulcre sur une simple planche, dont il y avoit encore quelque reste au fond dudit sépulcre, & que ledit corps n'a été mis dans aucun cercueil. Et ayant fait tirer le tout dudit caveau, nous l'avons fait transporter, avec les prieres & cérémonies convenables, dans la fosse préparée pour le mettre, comme il a été fait, icelle étant entre la précédente fosse & ledit grand autel; & ayant ordonné que le tout fût dûement recouvert de terre, nous avons recommandé aux ouvriers de reposer incessamment dessus ladite fosse la susdite tombe. Et ensuite, attendu que le jour baissoit, nous avons remis à demain dix-neuf du présent mois à continuer lesdites levées de tombes, exhumation & translation des corps desdits évêques qui restent à exhumer & à transférer; & nous avons signé avec ledit secrétaire. Signé GINESTE. Par monsieur le vicaire général, BROYART.

Et le vendredi dix-neuf dudit mois, accompagné comme dessus, à l'issue de la grand' messe, nous étant rendus au chœur & sanctuaire de la même église, nous avons fait, comme dessus, lever la tombe dudit Jean de Mailly, décédé en 1472. Sous cette tombe nous avons trouvé un sépulcre de pierre de taille; & l'ouverture en ayant été faite, nous y avons trouvé un cercueil de plomb couvert de planches; & l'en ayant fait tirer, il a été de notre ordre, avec les prieres & cérémonies convenables, transporté & déposé dans une fosse préparée du côté de l'épitre, joignant les pilliers du ceintre du sanctuaire; & après avoir été couvert de terre, nous avons ordonné aux ouvriers de recouvrir incessamment ladite tombe. Ce fait, a été de notre ordre levée la tombe de Guillaume de Marafin, décédé en 1501; & sous icelle nous avons trouvé un sépulcre de pierre de taille, dont l'ouverture ayant été faite, le cadavre dudit defunt Guillaume de Marafin s'y est trouvé revêtu des habits pontificaux; & icelui cadavre entier, à demi pourri, a été de notre ordre enlevé & transporté, avec les prieres & cérémonies convenables, dans une fosse préparée à côté de celle ci-dessus, entre icelle & le côté de l'épitre dudit grand autel, & joignant icelui; & après qu'il a été couvert de terre, nous avons ordonné que sur ladite fosse sera incessamment posée ladite tombe. Et après que l'exhumation & translation de tous les corps dont il a été parlé ci-dessus a été achevée, nous avons, en attendant que les ouvriers ayent pu poser & sceller respectivement tous les sépulcres & tombes, ainsi que nous l'avons ordonné, & que nous nous soyons transportez pour constater le tout, fait & dressé le présent procès-verbal, que nous avons signé avec ledit secrétaire le dix-neuf Avril mil sept cens quarante-trois. Signé GINESTE. Par monsieur le vicaire général, BROYART.

Et le lundi vingt-neuf du même mois d'Avril mil sept cens quarante-trois, nous nous sommes transportez à l'issue de la grande messe du chœur de l'église cathédrale, accompagné de M. Claude-Charles Broyart prêtre, secrétaire de monseigneur l'évêque de Noyon, dans le sanctuaire de ladite église, où ayant examiné si les ouvriers avoient exécuté ce que nous avions ordonné, nous avons trouvé que les sépulcres & tombes sont effectivement placez & scellez respectivement sur chacune des fosses par nous désignées; sçavoir, en commençant par le côté de l'évangile à main gauche, entre le grand autel & les piliers ou murs du sanctuaire, & joignant lesdits murs, est posée la tombe de Florent de la Boissiere, décédé en 1330; entre icelle & ledit grand autel est posée la tombe de Charles d'Hangest, décédé en 1528; ensuite au-dessus desdites deux tombes est posée en travers, derrière ledit grand autel, la table de cuivre jaune de Vermond de la Boissiere, décédé en 1272, dont la partie supérieure joint lesdits piliers ou murs. Ensuite d'icelle est posée aussi en travers la tombe de

Gilles de Loris, *décédé en 1388; & après icelle est posée de même en travers, pour la raison ci-devant expliquée, la tombe de* Raoul de Coucy, *décédé en 1424, de laquelle tombe la partie inférieure joint les piliers ou murs dudit ceintre du sanctuaire; & au dessous d'icelle, entre ledit grand autel & lesdits piliers ou murs* A *du côté de l'épître, est posée, joignant ledit grand autel, la tombe de* Guillaume Marafin, *décédé en 1501; & à côté de laquelle tombe est posée celle de* Jean de Mailly, *décédé en 1472, laquelle joint de l'autre côté lesdits piliers & murs du sanctuaire, suivant la figure* [a] *ci-dessous tracée.*

CEINTRE.

Vermond de la Boissiere, décédé en 1272.	Gilles de Loris, décédé en 1388.	Raoul de Coucy, décédé en 1424.

GRAND AUTEL.

Florent de la Boissiere, décédé en 1330.	Charles d'Hangest, décédé en 1528.	Guillaume Marafin, décédé en 1501.	Jean de Mailly, décédé en 1472.

De tout ce que dessus, fait au nom, de l'autorité, & en vertu de la commission spéciale de mondit seigneur évêque, nous avons dressé, clos & fini le présent procès-verbal, pour être déposé aux archives de l'évêché, pour y avoir recours dans le besoin. Fait lesdits jour & an que dessus. Signé par nous avec ledit secrétaire. Signé GINESTE. Par monsieur le vicaire général, BROYART. B

Excerptum e libro deliberationum capituli ecclesiæ cathedralis Noviomensis.

» A Dominis commissariis relatione facta advenisse majori ex parte marmora instaurando sanctuario destinata, domini statuerunt (nulla habita ratione conclusionis factæ die vigesima Octobris nuperi) quamprimum & propiori temporis opportunitate stratum iri marmore sanctuarium; ad id exsequendum (quum opus sit ut humata in sanctuario corpora D D. episcoporum transferantur in loca ubi sui sepulcrales collocabuntur lapides) præsentem deliberationem oblatum iri domino domino episcopo, ut exhumatio fiat auctoritate episcopali & consensu capituli. Actum in capitulo generali die decima quinta Decembris anno Domini millesimo septingentesimo quadragesimo primo, & expeditum de mandato venerandorum dominorum & capituli. *Signatum* RENEUFVE. C

» Laudavimus & approbavimus suprascriptam capituli deliberationem. Datum Parisiis die vigesima Decembris anno Domini millesimo septingentesimo quadragesimo primo. *Signatum* ✠ J. FR. ep. C. Noviomensis. *De mandato*, BROYART. D

« *JEAN-FRANÇOIS DE LA CROPTE DE BOURZAC, par la miséricorde de Dieu & la grace du saint siége apostolique évêque comte de Noyon, pair de France, au sieur Gineste prêtre, chanoine & chancelier de notre église cathédrale, l'un de nos vicaires généraux, & notre official. Les sieurs du chapitre nous ayant député le mercredi saint, dix du présent mois, les sieurs de Richoulf, Lesquevin & Saugnier chanoines, pour nous représenter qu'en exécution de leur délibération du quinze Décembre mil sept cens quarante-deux* [b]*, par nous approuvée le vingt dudit mois, ils vont faire paver de marbre le sanctuaire de notredite église; & nous ayant remontré qu'à cet effet il étoit nécessaire de lever les différentes tombes posées sur les sépulcres des évêques qui y ont été inhumez, d'en exhumer & transporter les corps & tombes; cela ne pouvant se faire que de notre autorité, nous vous avons spécialement commis & commettons, pour, en notre nom, & de notre autorité, faire & procéder à la levée desdites tombes, exhumation & translation desdits corps, & remplacement d'icelles respectivement sur lesdits corps; & du tout faire & dresser bon & fidèle procès-verbal, pour être déposé & gardé au secrétariat ou archives de notre évêché. Donné à Noyon en notre palais épiscopal le dix-sept Avril mil sept cens quarante-trois, sous notre seing, le scel de nos armes, & le contreseing de notre secrétaire.*

Signé ✠ *J. FR. ev. C. de Noyon.*

Par monseigneur, *BROYART.*

[a] Ordinem sepulcrorum servamus. Ichnographiam suppl.
[b] Male; nam ex ante dictis deliberatum erat anno 1741.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ BOLONIENSIS.

I.

Ex schedis Martenii.

Epistolæ Gregorii papæ VII ad R. Flandrensium comitem, de Lamberto Morinensis sedis invasore.

Circa 1082. G. episcopus, servus servorum Dei, R. glorioso Flandrensium comiti salutem & apostolicam benedictionem. Notum tibi esse non dubitamus quantum nos hactenus nobilitatem tuam dilexerimus, cui industriam inter ceteros Franciæ principes satis honesta fama commendabat. Unde quia bonis studiis tuis congratulamur, cum contraria de te referuntur, multum profecto dolemus. Audivimus nuper te cuidam clerico sacrilego Lamberto, qui publice Tarvanensem episcopatum mercatus est, contra voluntatem clericorum illi ecclesiæ imposito, imo ab eis omnino jampridem repudiato assensisse, eique adjutorium & potestatem ecclesiam invadendi præstitisse, de qualibus ipsa veritas dicit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Et B. papa Leo: *Non habeatur inter episcopos qui non* E *fuerit a clero electus & a populo expetitus.* Oportet ergo prudentiam tuam divinæ majestatis omnipotentiam & districtionem præ oculis incessanter habere, nulliusque mortalium gratiam vel timorem illi præferre, cui & vitam, & salutem, & honorem tuum non ambigis te debere. Ergo quia te audivimus admonitu fidelitatis, quam regi Philippo feceras ad id periculose esse inductum, ex parte omnipotentis Dei præcipimus, ut si prædictus Lambertus tam nefariis modis ad episcopatum prorupit, nullatenus ei sacerdotalem obedientiam vel reverentiam exhibeas, sed a male mercata & invasa sede alienum & extorrem facere præfatis clericis amminiculando procures. Non enim te decet æstimare illa te adjuratione ad tam gravissimum scelus adstringi, quia perniciosius est illum per quem juratur quam cui juratur, & Deum quam hominem offendere; simul ipse satis perpendis, quia plus debetur animæ quam corpori. Et tunc profecto fidelitas perspicue magis servatur jubenti, quando salus animæ ejus corporeis commodis & iniquis prælata jussis magis attenditur. Age ergo ut non pro

homine supplicium, sed pro Dei timore expectare debeas præmium, atque sic prædictis clericis, qui promotioni illius libere ex parte Dei contradixerunt, opitulari, eosque defendere procures; ut quanto te gratia divina altius sublimavit, tanto magis & bonis fiduciam & pravis terrorem præbeas, ceterisque principibus te imitabilem reddas. Plumbeo sigillo idcirco signari literas istas noluimus, ne si forte caperentur ab impiis, eodem sigillo posset falsitatis quippiam fieri.

I I.

G. episcopus, servus servorum Dei, clero & populo Tarvanensis ecclesiæ, præcipueque nobili comiti R. salutem & apostolicam benedictionem, si obierint. Sicut aliis literis misimus, non ignorat solertia tua nos jamdudum te satis diligere; propterea quod te bonis studiis inter ceteros Franciæ principes, fama ferente, audivimus eminere; nam potioris erga te dilectionis habendæ causa nobis hæc extitit, quia te christianæ religionis amatorem ecclesiasticæque disciplinæ & honoris suffragatorem ac defensorem in quibusdam cognovimus. Unde cum a solita probitate contraria forte audivimus, quantum doleamus prudentia tua satis perpendit. Nuper vero de te quoddam nobis innotuit, quod sicut a priscis moribus tuis alienum, ita quoque penitus credere visum fuit indignum, videlicet quod contradicentibus Tarvanensis ecclesiæ clericis renitentibusque, tua protectione auxilioque fretus quidam Lambertus illius ecclesiæ sedem invaserit, qui publice simoniacus a parte divini muneris emptor, quanto se in tali negotio turpiorem & impudentiorem ostendit, tanto tuum non favorem, sed zelum, non opem, sed repulsionem experiri debuit. Verum quia obstante rege sub specie timoris ne pejerares ad id mali inductus fuisse diceris, idcirco jampridem & nunc literis te admonere censuimus, quatinus vanum timorem abjiciendo, quod jure metuendum videtur attenderes. Noverit ergo prudentia tua fidelitatem terreno Domino tunc non recte servari, cum cœlestis Domini & Creatoris gratia per illam probatur offendi, & si corpori, multo amplius animæ, si mortali homini, multo maxime sempiterno Deo fidem & devotionem deberi. Proinde tam nobilitati tuæ quam & præfatæ ecclesiæ, clero & populo, ex parte beati Petri præcipimus ut prædicto Lamberto nullam episcopalem reverentiam exhibeatis, sed ipsum velut furem & latronem existimantes, ab invasa sede propellere, fautoresque ipsius donec resipuerint, cohibere procuretis. Quod si se prædictus invasor ferre præjudicium dixerit, & de re sua non ita esset, ut dicitur, se posse probare existimaverit; audientiam legati nostri Diensis, immo Lugdunensis archiepiscopi petat, quatenus per competentem illius discussionem justumque judicium obtinere quod postulat æquitas valeat.

I I I.

G. episcopus, servus servorum Dei, R. glorioso Flandrensium comiti dilecto in Christo filio salutem & apostolicam benedictionem. Jam sæpius excellentiæ tuæ scripsimus super causa clericorum Tarvanensis ecclesiæ E. præpositi, S. decani, J. diaconi, & reliquorum quos malignorum mortiferis suggestionibus, bonis propriis privatos, in exilium pro obedientia apostolica detrusisti, ut eos ad integrum, sicut justum est, restaurares, & illum hæreticum L. depositum & excommunicatum amplius non sustentares, sed magis ecclesiam captivatam de ejus tyrannide & oppressione liberares. Quod quia, sicut illi adhuc lacrymabiliter conqueruntur, nondum pleniter peregisti, crebris querimoniis eorum fatigati, adhuc nobilitati tuæ mandamus, & ex parte Dei & apostolorum principis præcipimus, ut ecclesiam de prædicto antichristi membro eripias, clericisque præfatis sua omnia clementer restituas, & gratiam tuam pristinam eis habere permittas, ut Deus omnipotens tibi suam gratiam hîc & in futuro sæculo tribuat, & beatus Petrus ad cujus præsentiam confugium fecerunt, januas cœli post hujus vitæ felicem terminum tibi aperiat.

I V.

Gerardus episcopus dat Majori-monasterio altare de Nepeglisia. *Ex chartario Majoris-monasterii.*

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, unius veri & summi Dei. Ego Girardus divina dispositione Morinorum episcopus, notum fieri volo omnibus dilectis in Christo ecclesiæ filiis, quod altare situm in villa quæ vulgo Nepeglisia nominatur, laudabili petitioni Lisiardis castellanæ filiique ejus Balduini castellani annuens, ab omni exactionis debito esse liberum, concedo ad opus monachorum de claustro sancti Martini Majoris-monasterii ibidem famulantium, quatinus ipsi oblationes & decimas ad altare pertinentes ad usus suos habeant, exceptis duobus solidis quos annuatim fratres huic matri ecclesiæ in Cœna Domini persolvent. Excommunicatos autem nostros, sive pœnitentes, non recipient. Oleum & chrisma pro se a nobis requirent & recipient. Quod si locus jam dictus divino munere adeo excreverit, ut abbas ibi constituatur, electio ejus in arbitrio eorumdem & capituli Majoris-monasterii pendeat; electus vero ad episcopum hujus sedis adducatur benedicendus, qui ab eo suscipiens benedictionem, etiam debitam promittat subjectionem. Si quis vero hanc libertatem violare præsumpserit, vel loci illius rerum traditarum sive tradendarum invasionem fecerit, Patris, & Filii & Spiritus sancti auctoritate, & nostra sit excommunicatus, donec Deo & fratribus ejusdem loci satisfecerit. Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis M. LXXXIV. indictione VII. tempore Gregorii papæ septimi, regnante Philippo rege anno XXVI. dominante Rotberto consule, anno præsulatus Girardi primo, præsentibus idoneis testibus. Ego Girardus episcopus subscribo. S. Arnulfi archidiaconi. S. Joannis abbatis. S. Giroldi abbatis. S. Audoëni abbatis. S. Milonis decani. S. Odonis custodis. S. Rameri canonici. S. Bernardi canonici. S. Folcardi decani. S. Balduini decani. S. Balduini comitis de *Gisnes*. S. Oilbaldi. S. Gerbodonis. S. Ernulfi de Arda. S. Guarenfridi. S. Elenberti de *Marcen*. S. Vandelmari de Arda. S. Fulberti. S. Guillelmi. S. Stephani. S. Hezelini. S. Guidonis de *Mostanot*. S. Arnulfi de Nelis. 1084.

V.

Charta Eustachii comitis Boloniæ, de Mon. sancti Vulmari.

CArissimo, omnique reverentia præcordialiter amplectendo, domno Hugoni sanctæ Cluniacensis ecclesiæ abbati, Eustachius Bononiensium comes, una cum comitissa Maria suæ sanctitatis ancilla, post transitum hujus vitæ jocunditatem felicitatis æternæ. Cognitum habentes neminem nostrûm hîc manentem habere civitatem, ex his quæ nostri juris sunt, prout divina gratia inspiraverit, omnipotenti Domino aliqua pro redemptione animarum nostrarum conferre dignum duximus. Unde inter cetera locum illum sancti Vulmari, pro cujus correctione diu multumque laboravimus, præsertim quia pater meus adhuc vivens locum sepulturæ ibidem sibi elegit, consilio & auxilio vestro in melius commutare ac reformare summopere expectamus. Communicato igitur cum optimatibus nostris consilio, ac super his unanimiter consentientibus, in præsentia videlicet domni Joannis Tarvanensis ac dilecti filii nostri abbatis 1107.

sancti Bertini, prædictum locum omniaque ad ipsum pertinentia, quidquid scilicet de eadem abbatia ad nos spectare vel pertinere videtur, vobis vestrisque successoribus per præsentis privilegii paginam non solum concedimus, imo jure perpetuo summa alacritate donamus; quatenus omnis ordinatio loci illius a vobis deinceps pendeat, nec quisquam comitum seu principum ullo unquam tempore inibi quicquam usurpare vel contingere omnino præsumat. Quia ergo quidquid possumus, vestrum est, unanimi affectu tam ego quam comitissa reverentiæ vestræ partes dirigimus, ut si pro nobis non vultis, statim pro omnipotentis Dei amore, nil unquam excusationis prætendentes, petitionibus nostris acquiescatis; quia quod usque ad hanc diem non contigit, modo omnia tranquille ac pacifice ac pro imperio potestis ordinare. Ut autem præsens pagina in posterum firma valeat permanere, quosdam procerum ac principum qui huic confirmationi interfuerunt, placuit hic annotare. Signum Eustachii comitis. Sig. Mariæ comitissæ. Sig. Balduini de *Caioht*, & Rogeri fratris sui. Sig. Ingelramni de Monsteriolo. Sig. Hugonis de *Colesberge*. Sig. Nensedi dapiferi. Sig. Willelmi vicecomitis, & aliorum. Actum est hoc apud sanctum Vulmarum anno Verbi incarnati M. CVII. indictione V.

VI.

Bulla Paschalis II. de re eadem.

1107. PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Hugoni abbati Cluniacensi salutem & apostolicam benedictionem. Desiderium quod ad religiosum propositum & animarum salutem pertinere monstratur, sine aliqua est auctore Deo dilatione complendum. Venerabilis siquidem frater noster Joannes Morinorum episcopus, petente Eustachio Bononiensi comite, sancti Wlmari abbatiam sollicitudini tuæ, carissime frater Hugo, corrigendam, & in perpetuum vel a te, vel tuis successoribus ordinandam commisit. Et nos ergo juxta ejus desiderium ac deliberationem præsentis decreti assertione sancimus, ut idem beati Wlmari monasterium semper in tua tuorumque successorum ordinatione permaneat, nec alius illic abbas constituatur, nisi qui vestra fuerit deliberatione provisus: idem etiam de Menatensi monasterio constituimus, quod jam diu in vestra ordinatione permansit. Præterea quoniam omnipotens Deus, & ante nostra tempora & in diebus nostris, præcipuam religionis monasticæ disciplinam in vestro dignatus est monasterio conservare, hanc vobis prærogativam concedimus, ut quisquis ad vos alieni monasterii monachus pro vitæ melioratione transierit, licenter recipiatur, remotis prioris loci querimoniis, ut, largiente Domino, salutis quam quærere videtur apud vos, potiatur effectu. Si quis vero temerario ausu his salutiferis constitutionibus obviam ire præsumpserit, apostolicæ indignationis ultione plectatur, & communionis ecclesiasticæ periculum patiatur. Datum apud Aquam-bellam per manus Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii, II. non. Augusti, indictione XV. Incarnationis Dominicæ M. CVII. pontificatus autem domni Paschalis secundi papæ VIII.

VII.

Ex schedis Martenii.

Fundatio abbatiæ sancti Wlmari ordinis sancti Augustini.

1108. EGO Johannes Dei gratia Morinorum episcopus, omnibus in Christo renatis præsentibus & futuris notum fieri volumus, quia dilectionis nostræ filius Boloniensis comes Eustachius, & uxor ejus Maria totius honestatis amatrix filia, in præsentia nostra & clericorum nostrorum, & illustrium virorum, ecclesiam sancti Wlmari in civitate Bolonia sitam, liberam & absolutam concesserunt Domino nostro Jesu Christo, quatenus in ea Deo serviant fratres secundum regulam beati Augustini, & communiter vivant. Ipsi vero fratres, juxta auctoritatem sacrorum canonum, prælatum & magistrum sibi eligant canonice. Magistro autem seu abbate dictæ ecclesiæ decedente, ex ipsorum fratrum electione pendeat quem magistrum seu abbatem episcopus eidem ecclesiæ substituat. Hanc vero ecclesiam ab omni exactione & oppressione absolvimus & emancipamus, & salva episcopi dignitate, libertatem omnino canonicam concedimus, concessam donamus, & donatam confirmamus & consignamus sigillo nostro. Datum Boloniæ anno M. CVIII. rege Francorum Ludovico, comite Flandriæ Balduino. Si quæ vero ecclesiastica secularisve persona hanc concessionem & libertatem prædictæ ecclesiæ infringere vel minuere ausus fuerit, excommunicationi subjaceat, & a corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, donec satisfaciat, alienus existat.

VIII.

Ex Sammarthanis.

Charta Balduini comitis Flandriæ pro Alciaco.

EGO Balduinus Flandriæ comes, notum facio quod ipsa die qua Gualtero terram suam reddidimus, abbatiam sancti Silvini, quæ apud Alciacum in honore Dei fundata est, tanquam unam de abbatiis terræ nostræ in propria advocatia omnino retinuimus; 1112. unde ipse Valterus, tactis sacrosanctis reliquiis, in præsentia nostra juravit quod quicquid avunculus Ingelramnus ecclesiæ suæ Alciacensi contulit, & quidquid eadem die qua terram suam a nobis suscepit, prædicta ecclesia possedit, quiete possidere permitteret. Datum anno M. CXII. apud sanctum Audomarum.

IX.

Ex schedis Martenii.

De fundatione sancti Wlmari ordinis S. Augustini.

1113. EGO Johannes Dei gratia Morinorum episcopus, omnibus in Christo renatis præsentibus & futuris, notum fieri volo quod ecclesia beatæ Mariæ, quæ in urbe Bolonia sita est, sedes episcopalis & ecclesia cathedralis ab antiquis temporibus posita est. Huic autem ecclesiæ de tota civitate & de tota parochia decimæ & oblationes, & omnia ecclesiasticæ institutionis antiqua observatione persolvuntur. Secundo vero ecclesia beati Wlmari, quæ infra muros Boloniæ sita est, ut in ea, secundum regulam beati Augustini communiter vivant fratres ac Domino deserviant, a venerabili comite Eustachio & matre ejus Ida, & uxore ejus Maria condita est. Ego quoque pro amore Dei & fructu impensæ societatis & canonicæ, prædictæ matris ecclesiæ fratribus in ecclesia S. Wlmari servientibus, canonicis videlicet solis, & non aliis, sepeliendis cimiterium suum habere concedimus. In tempore vero necessitatis canonici sancti Wlmari a prædicta beatæ Mariæ ecclesia, sibi solis & non aliis, oleum infirmorum accipiant. Statutis autem diebus solemnes processiones prædictæ matri ecclesiæ personaliter alias persolvant, videlicet in die Palmarum a canonicis beatæ Mariæ palmas accipiant, & cum eis processionis solemnia peragant. Eodem modo in litania majore, & in diebus Rogationum, & in ceteris diebus quibus cum populo ad implorandam divinam gratiam necessitate inguente prædictæ matris ecclesiæ canonici processerint. Interdicimus autem ne aliquis in ecclesia sancti Wlmari baptizet, nec in ea aliquis communicet, nisi ejusdem ecclesiæ canonicus. In Purificatione vero beatæ Mariæ candelæ in ea non benedicantur aut suscipiantur, nisi canonicorum ejusdem ecclesiæ. In capite vero jejunii nemo cineres ab aliquo suscipiat in ecclesia sancti Wlmari, nisi canonicus ejusdem ecclesiæ. In die absolutionis nemo in ea, nisi canonicus ejusdem ecclesiæ, absolvatur. In Pascha, in Pentecoste & in Natali Domini nemo ibi

ad oblationem vel ad communionem recipiatur, nisi canonicus ejusdem ecclesiæ. In ecclesia sancti Wlmari parochialis missa nullatenus celebretur, nec propter hoc in ea aliquatenus campana pulsetur. Interdicimus etiam omnino ne canonici sancti Wlmari quicquam eorum præsumant quæ prædictæ matri ecclesiæ, sive ejusdem ecclesiæ canonicis quoquomodo pertinent, præter ea quæ supra concessimus. Hoc autem in præsentia clericorum nostrorum & illustrium virorum tradimus, & super anathemate consignamus. Actum in Bolonia anno Incarnationis Dominicæ M. CXIII.

X.

Ex schedis Martenii.

Literæ Milonis episcopi, de confirmatione fundationis ejusdem.

1132. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Milo Dei miseratione Morinorum episcopus, dilectis in Christo filiis Petro venerabili abbati ecclesiæ beati Wlmari in Bolonia, ejusque successoribus. Pastoralis, qua, Deo auctore, ceteris præsidemus, nos cura constringit, immo caritas Christi hortatur & compellit nos, ut in domo Dei, dum tempus habemus, sacræ cultum religionis propagare, & utilitati ac paci in posterum providere modis quibus possumus, satagamus. Notum igitur facimus præsentibus & futuris, quod Eustachius bonæ memoriæ comes Boloniensium, quæ in periculo animæ suæ tenuerat, divino instinctu Deo ad salutem iterum obtulit. Quia enim sancti laïcos quamvis religiosos aliquid de facultatibus ecclesiæ disponere vetuerunt, & præsumtores districto anathematis vinculo innodare consueverunt, prædictus comes Eustachius hujus discriminis jus omne quod in ecclesia sancti Wlmari habebat, cum religiosa matre Ida & uxore nobilissima Maria, coram prædecessore nostro felicis memoriæ Johanne Morinorum episcopo, adstantibus multis boni testimonii viris, super altare manu propria obtulit, & ut ab hoc crimine absolveretur multa cum supplicatione impetravit. Hanc ipsam donationem successor ejus comes Stephanus, cum uxore sua Mathilda, nostris temporibus, tam in nostra quam multorum religiosorum præsentia, integre confirmavit, atque distributionem præbendarum, & jus omne quod in prædicta ecclesia post prædictorum donationem usurpaverat, guerpivit, hoc est restituit, & fratres sub regula beati Augustini religiose in posterum victuros ibidem substitui concessit, eisque & nobis eligendi abbatem libera concessa est facultas. Qua donatione facta, in omnes qui hanc donationem in posterum violare præsumerent, excommunicationem ipsius nihilominus dictavimus, ejusque votum non inrationabile ea qua debemus auctoritate firmavimus. Itaque, vos fratres & carissimi in Domino filii, locumque vestrum, in quo specialius vivere decrevistis, cum omnibus ejus pertinentiis, in nostri tutela patrocinii suscipimus, & ecclesiam vestram perpetuo liberam, & ab omni exactionis gravamine absolutam permanere concedimus, & eamdem libertatem ipsius præsentis privilegii auctoritate confirmamus. Illud sane religionis, quod ab ecclesia sancti Nicolai de Arida-Gamantia ad vestrum profectum animarum accepistis, perpetuo apud vos permanere, & instituta consuetudinesque ejusdem ecclesiæ futuris temporibus, tam vos quam successores vestros, secundum aptitudinem loci & possibilitatem vestram, statuimus observare; quod etiam, frater Petre, de omnibus successoribus tuis pari modo censemus. Cum autem jussu Dei ab hoc seculo migraveris, vel forte domus illius regimen aliqua occasione deserueris, in eodem loco, si dignus inveniri potuerit, vel ut de sæpefato sancti Nicolai monasterio, vel de ejusdem religionis monasteriis, libere a fratribus eligatur, & ab episcopo, quem tunc Deus huic sanctæ Tarvanensi ecclesiæ præsidere voluerit, gratis omnino absque venalitate &

A difficultate ordinetur, qui videlicet oleum infirmorum ab hac matre ecclesia singulis annis gratis omnino accipiet. Omnes vero possessiones quas eadem ecclesia in præsenti possidet, vel in futuro jure acquisitura est, eidem ecclesiæ confirmamus. Si qua vero ecclesiastica secularisve persona huic nostræ paginæ contraire præsumserit, gladio divinæ ultionis, donec ad congruam satisfactionem veniat, feriatur. Datum M. CXXXII. nostri episcopatus anno secundo.

X I.

Charta Rainaldi archiepiscopi Remensis, de confirmatione sancti Wlmari. Ex schedis Martenii.

B EGO Reginaldus per Dei patientiam Rhemorum archiepiscopus, dilectis in Christo filiis Petro ecclesiæ sancti Wlmari abbati venerabili, & ceteris fratribus in eodem loco canonicam vitam professis, eorumque successoribus in perpetuum. Cum omnibus qui intra ambitum nobis commissæ diœceseos continentur vigilantiam debeamus, ad hoc potissimum nostra se accinxit industria, ut ecclesias & sanctorum locorum possessiones, quas laïca invaserat ambitio, in pacem quietemque revocaremus, & a secularium hominum illicita pervasione emancipatas, amatoribus Christi liberius subderemus. Ego igitur Raginaldus ad omnium tam præsentium quam futurorum notitiam protrahere studui, quod comes Eustachius timore extremi examinis præ oculis statuto, cum religiosa matre Ida & uxore nobilissima Maria, coram Johanne C bonæ memoriæ Morinensi episcopo, jus omne quod habebat in ecclesiam sancti Wlmari in civitate Boloniæ sitam, liberum & absolutum Domino Jesu Christo concessit, eo videlicet tenore quod canonici secundum regulam sancti Augustini regulariter viventes, ibi substituerentur. Hanc ipsam donationem successor hujus comes Stephanus, cum uxore sua Mathilda, in præsentia domni Milonis successoris jam dicti Johannis confirmavit, atque distributionem præbendarum, & jus omne quod in prædicta ecclesia post præfatam donationem injuste usurpaverat, restituit, & fratribus sub regula beati Augustini religiose in posterum victuris ibidem concessit. Vobis ergo, fratres carissimi in Domino ac filii, præfatam ecclesiam ejusque possessiones quas in præsenti possidet, vel in D futurum possidebit & acquisitura est, vestrisque successoribus sub regula beati Augustini Deo militaturis metropolitana auctoritate confirmamus. Illud sane religionis &c. Ut autem hujus schedulæ continentia futuris temporibus rata & inconvulsa permaneat, probabilium personarum subnotatione & sigilli nostri impressione eam corroborari fecimus. Signum Josleni Suessionensis episcopi. S. Milonis Morinensis episcopi. S. Ursionis abbatis sancti Dionysii. S. Hugonis abbatis de Monte sancti Eligii. S. Balduini abbatis sancti Vincentii Silvanectensis. S. Johannis abbatis beatæ Mariæ Boloniensis. S. Adæ abbatis sancti Judoci in Nemore. Actum Remis anno M. CXXXII. regnante Ludovico rege Francorum anno XXVI. * regni sui, archiepiscopatus vero domini Rainaldi anno IX. 1132.

* Lege 24 aut 25.

E X I I.

Charta Milonis episcopi Morinensis, pro fundatione abbatiæ Lisquensis. Annal. Præmonstr. t. 2. col. XXIX.

IN nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis. Ego Milo Dei gratia Morinensis ecclesiæ episcopus. Quia pontificali cathedræ, Deo auctore, licet indigni, præsidemus, etsi omnibus nostræ diœcesis fidelibus, prout facultas suppetit, in communi prodesse debemus, circa illos tamen qui abjecta mundi sarcina felici naufragio ad placidum & tranquillum contemplationis portum enataverunt, præcipue vigilare decrevimus, quatenus pia vicissitudine eorum orationibus aliquod nostræ imperfectioni subsidium comparemus. Notum igitur 1132.

igitur esse volumus tam præsentibus quam futuris, qualiter ecclesiam de *Liskes* cum omnibus facultatibus ad eumdem locum pertinentibus, ad consilium & ordinationem domini Walteri abbatis sancti Martini Laudunensis cœnobii tradidimus, hoc interposito, ut abbas in eodem loco constituatur, qui cum subjectis sibi fratribus secundum regulam beati Augustini ad tenorem Laudunensis cœnobii vivat. Si vero abbas Liskensis ab ordine & consuetudine Laudunensis cœnobii deviaverit, abbas S. Martini supra correctione sua bis tertiove eum commonebit; quod si incorrigibilis apparuerit, episcopus Morinensis, sub præsentia & testificatione abbatis sancti Martini & duorum ejusdem ordinis coabbatum, in ecclesia Morinensi sine omni dilatione & reclamatione majoris audientiæ ordinis sui transgressorem deponet; depositum autem illum episcopus Morinensis ad ecclesiam beati Martini remittet, & alium idoneum canonica fratrum electione & abbatis Laudunensis consilio e vestigio subrogabit. Abbas autem sancti Martini, de quo prædictus locus, scilicet *Liskes*, religionis hujus sumpsit exordium, ab omni illum temporalis commodi exactione tam in præsenti quam in futuro absolvet; ut vero ibi ordo teneatur invigilabit, & laboris sui mercedem juges ibidem orationes habebit. Ut autem fratres qui ad eumdem locum pro salute animæ suæ convenerint, sine omni inquietudine Deo vacare possint, ab omni exactione, tam nostra quam ministrorum nostrorum, illum absolvimus; canonicam vero abbatum professionem & filialem obedientiam, ac in synodo nostra illorum præsentiam & assiduas orationes, tam nobis quam successoribus nostris, in eodem loco retinemus. Ad hæc adjicientes decrevimus, ut universa quæ inibi commanentes fratres possident, vel quacumque in futuro concessione ecclesiastica, largitione principum vel oblatione fidelium juste & canonice poterint adipisci, firma illis illorumque successoribus & illibata permaneant. Ut autem hæc rata & inconcussa in perpetuum permaneant, hoc scriptum fieri jussimus, & sigilli nostri impressione & testium subscriptione roborari præcepimus; & ne quis aliquid horum infringere temerarie præsumat, anathematis sententiam interposuimus. Actum Terbanne anno M. CXXXII. indict. X. IX. cal. Augusti, coram his testibus, Herberto, Luca, Ottone archidiaconis, Gozelino decano, Waltero custode, Philippo cantore, Bernardo, Nantero, Guerardo, Oilardo, Gerbodone, Balduino presbyteris, Balduino decano, Balduino fratre comitis, Lamberto Balduino, Hermanno, Gerardo, Nicolao, Arnoldo diaconis, Guillelmo, Galone, Giseberto, Balduino, Luca subdiaconis, Geraldo, Guillelmo clericis, & aliis multis.

XIII.

Ex chartario S. Judoci ad mare.

Milonis Tarvanensis episcopi charta pro monasterio sancti Judoci ad mare.

1134. EGO Milo Dei gratia Morinorum episcopus, omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, salutem & pacem in Domino. Evangelicis atque apostolicis instruimur documentis, quoniam studii ac officii nostri est pie providere sollicitudinis affectu, ecclesiarum nostrarum injurias prohibere, morsusque luporum atrocissimos a rapina & oppressione pauperum, quantum possumus, excubiis pastoralibus modis omnibus prohibere. Novit etenim caritas vestra, quoniam plures impii in hunc extremum errorem devoluti, ut etiam Deum esse non credant, summa libidine, violenta dominatione bona ecclesiastica die quotidie dissipant, & occulta fraude sive violenta & aperta persecutione, ea prorsus minuere, vel auferre, vel etiam pro suis usibus, quod deterius est, applicare non cessant. *Dixit injustus ut delinquat in semetipso: dixit etiam in corde suo, non movebor a generatione in generationem sine malo.* Quorum A omnium malorum sævitiam usque in finem sæculi sævituram amplius denuntiat, dicens: *Quomodo qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum qui secundum spiritum, ita & nunc.* Nos igitur tot & tantis persecutionibus, juxta vocem ejusdem apostoli arguendo, obsecrando, increpando oportet resistere, & ab ecclesia latratus canum nefandissimos baculo pastorali omnimodo removere. Quoniam igitur quæcumque in ecclesiasticis scriniis antiqua patrum traditione scripta servantur, ob munimentum ipsarum ecclesiarum fixa & inconvulsa stili officio perpetuæ memoriæ commendantur; quæcumque fratribus nostris monachis, scilicet sancti Judoci, a fidelibus, ob animarum suarum remedium, pie ac fideliter in episcopatu nostro concessa sunt, vel sancte & juste offerri B contigerit, decreti nostri pagina & episcopali auctoritate indulgemus, concedimus atque firmamus. Habeat itaque ecclesia sancti Judoci antedicta, & in perpetuum possideat altaria de Catmeiaco, de Rumbliaco, & de *Havelinguehan* & de *Estrahelas*, salvo jure Tarvanensis ecclesiæ. Actum est hoc Tarvanæ anno M. CXXXIV. ab Incarnatione Domini, anno nostri episcopatus IV. indictione XII. coram his testibus, Philippo archidiacono, Gocelino decano, Walterio custode, Gerbodone cantore, Nantero, Oillardo, Balduino sacerdotibus, Hermanno, Hodone diaconibus, Rainerio, Alexandro subdiaconibus, & pluribus aliis.

XIV.

Ex manuscripto sancti Trudonis.

C *Advocatus Tarvanensis a comite Flandriæ plectitur.*

1141. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ego Theodericus Dei gratia Flandrensium comes, notum fieri volo tam præsentibus quam futuris, quod dilectus noster dominus dominus Milo episcopus Tervanensis, lacrymabilem in curia nostra super Arnulfo Tervanensi advocato querimoniam deposuit, sibique & subjectis malitiæ ejus capitulis justitiam fieri postulavit. Arnulphus, inquit, cum esset homo noster ligius, usurpatione quadam justitiæ, homines sanctæ Mariæ cepit, injuste spoliavit, multisque similibus nos lacessivit injuriis; & ut securius solitam exerceret nequitiam, firmato in loco ubi esse non debuit, nobis prohibentibus, castello, ampliorem quam prius iniquitatis suæ exercuit malitiam. Armata enim manu D atria violavit, sanguinem in loco sacro fudit, parietes templi ligonibus infregit & suffodit, horrea nostra & domos canonicorum nostrorum incendit, & super his omnibus nobis satisfacturus semel, & iterum, & tertio vocatus, cum venire contemneret, canonico judicio excommunicatus est. Hac ego Theodoricus episcopi pulsatus querimonia, & insuper universis sanctæ religionis ordinibus, ut ei justitiam prosequerer inclamantibus, consilio baronum meorum advocatum illum ad justitiam vocavi, & quia venit reus omnium judicatus est. Proinde quia prædecessores ejus tempore prædecessorum meorum infra ambitum civitatis Tervanensis nullum tenuerunt vel tenere debuerunt castellum, illud quod in malitia sua formavit damnandum & penitus extirpandum decerno; & ne ab illo sive ab E alio quolibet amodo infra parochiam ipsius civitatis, absque consensu episcopi & totius capituli omniumque baronum ecclesiæ, aliquod municipium ædificetur penitus interdico; & ut decreti nostri ratio rata & inconvulsa permaneat, tam testimonio subsignatorum quam sigilli nostri impressione confirmo. Signa Philippi & Milonis archidiaconorum. Sig. abbatum Absalonis de sancto Amando, Leonis de sancto Bertino, Alvesi Bergensis, Gossonis Aquicinctensis, Odonis Marcinensis. Sig. abbatis Hainonensis, Walterii Tornacensis, Theodorici de Capella, Manasse Vatinensis, Helmari Iprensis, Isaac Formosellensis, Guiffridi de *Claromaresch*, Henrici de Lischis, Henrici de Nemore, Johannis Boloniensis. Signa præpositorum

Rogeri Brugensis, Balduini Furnensis, Geraudi Audomarensis. Sig. Hermanni decani, Drogonis, Theobaldi, Baldevini canonicorum. Sig. baronum & principum terræ, Sibillæ Flandrensis comitissæ, Ivonis comitis Suessionensis, & Drogonis fratris ejus. Sig. Gisleberti Bergensis castellani, Wilhelmi Audomarensis castellani, Henrici Broburgensis, Michaelis Casletensis, Anselmi Iprensis, Roberti Insulensis castellani, Radulfi Brugensis. Sig. Arnulfi Ghisnensis comitis. Sig. Hugonis de *Ravenesberch*, Balduini *Botel*, Christiani Strascella, Balduini de *Balloil*, Guidonis de Necla. Sig. Ogeri & Bernoldi capellanorum comitis. Sig. Eustachii de *Stinfort*, Balduini de *Reninges*, Balduini de Lidrescela. Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis M. CXLI.

XV.

Ex manuscripto hist. Ghisn. comitum.

Ardensis ecclesia Theodorico abbati beatæ Mariæ de Capella confertur a Balduino Ardensi domino.

1144. UNiversis sanctæ matris ecclesiæ filiis, G. Dei permissione heres & dominus Ardeæ, ecclesiæque sancti Audomari Ardensis dictus præpositus, salutem in perpetuum. Quod ad cultum Dei & ad reverentiorem sanctæ Dei ecclesiæ honorem convenire dignoscitur, omnimode executionibus in quantum sufficimus, promovere necessarium duximus & saluberrimum. Unde cum præpositura Ardensis ecclesiæ nobis hereditario jure successit habenda, hinc clericorum sive canonicorum in eadem ecclesia servientium considerantes negligentiam, hinc periculum & æternum animæ pensantes excidium, eo quod præpositura ecclesiastica dispensanda & manu laïcali disponenda, nisi nos vani docuere patres, salutifere nobis nullatenus accidere queat, quædam altiora super Ardensis ecclesiæ statu altiore consilio destinavimus. Accepto itaque super ejusdem ordinatione ecclesiæ divino responso, sanoque consilio a domino Milone Morinensis ecclesiæ episcopo, & abbatibus, & multis ecclesiasticis personis & laïcalibus, Ardensis ecclesiæ paribus & veteranis, Morinensis ecclesiæ non minus quam Ardensis capitulo annuente & benevolum assensum præbente, concessimus & in quietam possessionem dedimus venerabili abbati Theodorico & monachis sanctæ Mariæ de Capella, in villa antiquo nomine *Bruquam* dicta, de gentibus & eorum successoribus omnia jura omnesque dignitates quæ in ecclesia sancti Audomari Ardensis nobis hereditario jure successerant, totamque eamdem ecclesiam cum universis ejusdem ecclesiæ rebus & possessionibus, appenditiis & pertinentiis perpetuo jure possidendam; hoc addito quod mortuo uno jam dictæ ecclesiæ clerico sive canonico, succedet ei monachus, sicque omnibus mortuis canonicis monachi succedent in locum canonicorum, & libere obtinebunt ecclesiam, & quodcumque demum abbati placuerit, monachi in dispositione abbatis ecclesiam & possessiones ecclesiæ dispensabunt. Ut autem hæc donatio tractu temporis minime patiatur recidivum, nulliusque possit malitia vel odio turbari, molestari vel infirmari, præsentem cartam scribi, & testibus roborari, & sigilli nostri appensione communiri fecimus, & Tarvannæ, Remisque uberius, & Romæ confirmandam misimus. Hujus rei testes sunt dominus Millo Morinensis episcopus, Præmonstratensis ordinis canonicus, Philippus & Alulphus archidiaconi, totumque Morinensis ecclesiæ capitulum; domnus Leo abbas sancti Bertini, domnus Gaufridus abbas Andriæ, domnus Henricus abbas de Liskis, Balduinus Mondolfus decanus, &c. totumque ejusdem Ardensis videlicet ecclesiæ capitulum, &c. Facta est autem hæc transactio in ecclesia sancti Audomari Ardensis, & in plena synodo Tervannæ solemniter recitata & approbata, Dominicæ Incarnationis anno M. CXLIV.

XVI.

Conventiones inter Milonem episcopum & Flandriæ comitem Theodoricum.

Ex schedis Martenii.

QUoniam generatio præterit & generatio succedit, memoriæ autem rerum gestarum optime ministrant indicia literarum, ego Milo Dei gratia Morinensis episcopus, & ego Theodericus eadem gratia Flandriæ comes, notum facere volumus tam præsentibus quam futuris, qualiter in diebus nostris controversia & ambiguitas nostri juris discernendi consilio & examine personarum ecclesiasticarum & baronum terræ nostræ recisa & terminata fuerit. Primo itaque banni qui ex quadam nostri temporis institutione tribus festis diebus matrimonia præibant, recisi sunt propter mala plurima quæ inde accidebant, & reductum est matrimonium ad antiquam & canonicam consuetudinem. Illud quoque additum quod clerici, viduæ & pupilli, seu quælibet personæ ad ecclesiæ tutelam attinentes, de feodis & hereditatibus ad jus seculare pertinentibus, ab ipso jure seculari ad jus ecclesiæ non transibunt, nisi violentia aut oppressio præcesserit, vel eis jus subtractum, vel denegatum adeo manifeste, ut per legitimos christianos valeant comprobare. Neque hoc prætereundum quod ex eadem institutione sanctum est, nemini licere de feodis seu quibuslibet terris juri seculari subjacentibus, ecclesiæ donationem facere, nisi assensu dominorum, & in præsentia scabinorum; sed tamen ne hujusmodi donationes omnimodo cassari, vel ecclesiis subtrahi valeant, superadditum est quod domini eas nullo modo poterunt impedire, nisi justam causam & rationabilem conditionem opponant. Denique si ex dominorum assensu & in scabinorum præsentia donatio facta fuerit, jus domini per omnia salvum manebit. Et quoniam malus mos inolevit, quod quidam ad imminuenda jura dominorum se & ædificia sua ad terras ecclesiarum transferunt, stabilitum est quod jura dominorum in censu & cunctis consuetudinibus integra debeant permanere; salva tamen pace ecclesiæ, ne liceat dominis infra possessiones ecclesiæ manum mittere. Ad hæc ne quibuslibet rumoribus personæ quælibet infamentur, confirmatum est ne quis vir aut mulier, pro sola fama de adulterio, sive de aliquo criminali ad causam vocetur, vel ad judicium ferri candentis impellatur, nisi clericorum vel synodalium accusatio præcesserit; ad hunc videlicet modum, ut synodales sub juramento suo interrogati, secundum suam existimationem famam illam magis veram esse quam falsam profiteantur; porro si desint synodales, secundum prædictum modum, synodalium clericorum vel legitimorum vicinorum recipiatur accusatio. Placuit & illud apponere, quoniam hoc cognitum fuit, burgenses aut rusticos qui intra vetus fossatum Flandriæ manent, nequaquam submovendos, sive trahendos ad sedem episcopalem, quandiu coram decanis suis se juri non subtrahunt, nisi ecclesias vel ea quæ attinent ad eas, invaserint, aut in clericum seu aliquam ecclesiasticam personam manum miserint, aut in mulierem raptum fecerint. Quoniam vero jura ecclesiastica in censu, & teloneis, & vectigalibus per burgensium communiones, & per libertates quas sibi vendicarunt, hactenus diminuta sunt, institutum est, ut omnia ecclesiastica jura ad formam & integritatem quam aut conciones sive communiones habuerant, plenarie revocentur. Sed & hoc ad antiquum jus attingere cognitum est, quod si quis forte judicio ecclesiæ sub anathemate per annum & diem perstiterit, comes de facultatibus ejus clamatori damnum restituet, episcopo damnum persolvet, residuum in potestate sua erit, & excommunicatus ille tamquam exlex in curia non habebit. Hæc omnia rata erunt, salvis appellationibus. Actum ab Incarnatione Domini anno M. CL, coram his testibus Philippo & Milone archidiaconis,

& Hermanno decano, Rogero Brugensi præposito, A Gerardo præposito Audomarensi, Bonifacio Audomarensi decano, Mattheo decano Islensi, Balduino de *Milham*, Drogone, Johanne, Widone, Alulfo canonicis ecclesiæ Tarvanensis, Gerardo Furnensi decano, Leone abbate sancti Bertini, Theoderico abbate Bergensi, & quampluribus aliis abbatibus, præpositis & decanis, laïcis autem Arnulfo comite Ghisnensi, Gilliberto castellano Bergensi, Henrico Broburgensi, Walterio Audomarensi, Rogero Cortracensi, Eustachio de *Groveninghes*, Renaldo de *Becem*, & compluribus aliis.

XVII.

Ex schedis Martenii.

Alexandri papæ III. bulla in gratiam Milonis II. episcopi Tarvanensis. B

1161. ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, universo clero & populo Morinensi, salutem & apostolicam benedictionem. Dilectum filium nostrum Milonem quondam electum, nunc vero episcopum vestrum, ad sedem apostolicam venientem paterna caritate suscepimus, & honorem ei debitum impendentes, quantum cum Deo & justitia potuimus, ipsum in suis & ecclesiæ suæ petitionibus curavimus exaudire. Adversario siquidem ipsius, qui ad subtractionem Boloniensis ecclesiæ, & ut in ea ordinaretur episcopus propensius intendebat, & clericis ipsius electi quos ad præsentiam nostram ipse præmiserat in nostro auditorio constitutis; cum adversarius ille a causa defecisset, præfatam Boloniensem ecclesiam in eo statu C in quo usque ad hoc tempus fuerat, de communi fratrum consilio decrevimus permanere. Datum pridie nonas Januarii anno M. CLXI.

XVIII.

Ex chartario.

Confirmatio fundationis sancti Augustini, olim Tarvanensis, nunc Audomarensis.

1168. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Milo Dei patientia Morinorum episcopus, universis sanctæ matris ecclesiæ filiis in perpetuum. Cum justum sit ut pastores ecclesiæ justis subditorum precibus acquiescant, præcipue sanctis eorum petitionibus, non solum in spiritualibus sed etiam in temporalibus, favere & consulere debitores tenentur, qui temporalia D calcantes, divinis laudibus vacare comprobantur. Unde tuis, fili mi Absalon abba, tuorumque fratrum in ecclesia beati Augustini regularem vitam ducentium petitionibus benigne acquiescentes, quæcumque pius prædecessor meus dominus Milo episcopus, vobis & ecclesiæ vestræ quam fundavit, & pro æterna remuneratione donavit, vel quæ a fidelibus in eleemosynam collata sunt vel juste acquisistis, paterno intuitu vobis roboramus, & sigilli nostri impressione confirmamus, quæ nominatim exprimenda dignum duximus. Altare de Stavela, altare de Haringa, altare de Werningasela, altare de *Rinck*, altare de *Beingehem* ecclesia vestra obtinuit; altare de Calquella & de *Niles*, decem libras monetæ Flandrensis, quas ab ecclesia sancti Nicolai de *Furnes* sibi debitas comes Philippus, pro combu- E stione ecclesiæ vestræ, vobis a præfata ecclesia in perpetuum singulis annis reddendas, in eleemosynam donavit; terram sancti Philiberti quam per ecclesiam Luxoviensem & ejus homines de *Herli* sub censu annuali perpetuo possidetis; terram de *Lares*, quam ecclesia Corbeiensis pro decem solidis singulis annis in perpetuum vobis concessit; unam carrucatam terræ, quam in parochia de *Bomini* Hugo *Butri* vobis donavit, tertiam partem totius molendini, quod in parte inferiori ad septentrionem ad Bomnum situm est, quam Bernardus & Hugo filius ejus pro sex raseriis annuatim solvendis per manum domini sui Valteri *Butri* perpetuo vobis dederunt; unam carrucatam terræ apud Valgi, quæ *Vilerules* dicitur, quam ab Amalrico de *Verton*, sub unius modii annuo censu, dimidio avenæ & dimidio tritici, quale in terra illa creverit, perpetualiter excolendam accepistis; terram in Arnoldi valle, quam Briaridis uxor Roberti de *Kerske*, & Almaricus de Flacamberga dederunt; terram quam acquisistis ab Henrico, annuente domino suo Arnulfo advocato, quæ jacet in *Beinghem*, & illa similiter quam Drogo *Escuffleaus* in eleemosynam dedit, & quam a Walone *Capel*, juxta *Albelet* & in *Kiurvabl* tenetis; terram quam tenetis ab Herberto de Inkenegata; terram quam Robertus *Leu* de Aria inter abbatiam & Kerseka jacentem donavit; rivulum quem Hugo de *Salchoi* per terram suam perpetuo in fossatum vestrum decurrentem, annuente domino suo Anselmo, vobis concessit. Si quis vero hujus nostræ constitutionis paginam sciens infirmare vel infringere præsumpserit, donec resipiscat & ecclesiæ jam prædictæ satisfaciat, divinæ ultioni & sententiæ excommunicationis subjaceat. Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis M. CLXVIII. coram his testibus. Sig. Alodi & Walteri archidiaconorum. S. Evrardi decani. S. Balduini cantoris. S. Johannis cancellarii. S. Wilhelmi thesaurarii. S. Johannis de Aria, Rogeri sacerdotum & canonicorum. Signum Alulfi de *Butin*, Clarbaldi de *Straeles*, Hescelini, magistri Alelmi, magistri Eustachii, Eustachii de *Godesein* diaconorum & canonicorum. S. Alulfi de *Nieles*, Adæ de Orevilla, Gozelini, Roberti filii Drogonis subdiaconorum & canonicorum. S. Reinaldi & Baldewini, Bernardi Petri de Wima, Lanteri clericorum domini episcopi, Ernulfi, Lamberti, Glorii, Drogonis, Alulfi, Willelmi Norm. Ernulfi Pilota, Nicolai, magistri Arnulfi presbyterorum. S. magistri Baldewini, Hugonis de *Felchin*, Helgoti diaconorum.

XIX.

Charta Desiderii episcopi Boloniensis, pro monasterio Lisquensi. Ex schedis Martenii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego 1170. Desiderius Dei gratia Morinorum episcopus, Roberto abbati Lisquensis ecclesiæ. Notum esse volumus cunctis quod ecclesiam de *Lisque*, in qua per Dei gratiam a prædecessore nostro Milone primo, secundum regulam sancti Augustini & consuetudines Præmonstratensis ecclesiæ ordinati estis, cum omnibus facultatibus ad eumdem locum pertinentibus, nostri privilegii auctoritate communimus. Altare parochiæ de *Lisque* ab omni exactione tam nostra quam ministrorum nostrorum in perpetuum absolvimus; cura vero ejusdem parochiæ ad abbatem pertinebit, eique sacerdotes providebit. Duos vero solidos ad memoriam libertatis loci illius & prædicti altaris huic sanctæ sedi annuatim in Cœna Domini persolvendos, in eodem loco retinuimus, & omnia bona supradicta de *Lebringehen*, quæ Hugo de Moncla & Simon de *Marknes* Matthæo comiti Boloniæ reddiderunt, ego ab eodem comite receptum, prædictæ ecclesiæ confirmavi. Ut autem hæc rata & firma permaneant, hoc privilegium sigilli nostri impressione signavimus, & probabilium virorum attestatione corroboramus. Actum Tarvanæ anno M. CLXX.

XX.

Charta Desiderii Morinorum episcopi, de decima ecclesiæ de Norhem.

DESIDERIUS Morinorum episcopus. Quoniam 1182. episcopalis est providentiæ prospicere, ut piæ donationes ratæ & inconcussæ in eis in quos factæ sunt, habeantur, maximeque operam dare, ut sacerdotibus alimenta non desint, monimentis literarum tenacibus annotamus, quoniam bonæ memoriæ nobilis vir Ægidius de *Kernes* tertiam partem decimationis parochiæ de *Norhem* quam tenuerat, Nicolao sacerdoti

de *Norkem* & successoribus ipsius, ita ut numquam se posset immiscere persona altaris, seu alia persona, pro redemptione animæ suæ, ultima voluntate perdonavit, eo videlicet intuitu, ut sacerdos singulis diebus missam pro fidelibus defunctis celebraret. Hanc autem decimationem in manu Everardi abbatis de *Claromaresche* resignavit, qui eam nomine nostro recepit, testibus his qui infra scripti sunt, sicut ab his ipsis qui affuerunt, accepimus; venerabili Willelmo abbate de *Ham*, Adam priore, Nicolao præposito, Hugone de *Claromaresch*, Galtero de Berregha, Renero de *Blessi*, Stephano de *Witernes* sacerdotibus; Poncione *de le Beliterne*, Petro de *Malines*, Nicolao de *Vallin* militibus; Roberto de *Norkem*, Michaële, Hugone, Columbello hominibus præfati Ægidii. Ipsa vero hora qua corpus prædicti Ægidii terræ mandatum est, Maria nobilis conjunx prænominati Ægidii fide interposita coram omnibus adstantibus, nec per se, nec per aliquos heredes, se nunquam reclamaturam, immo si quis contraire vellet, modis omnibus avertere compromisit. Hanc ergo donationem tam pie & tot testibus factam, sigilli nostri appensione in perpetuum communiri volumus; quam si quis temerario ausu infirmare tentaverit, a communione ecclesiæ, cum Juda traditore, separetur. Facta est hæc donatio anno Domini M. CLXXXII.

XXI.

Ex chart. Fiscanni.

Electio Roberti Arsic *in abbatem Blangiacensem.*

1193. CArissimis dominis suis & amicis R. Dei gratia abbati Fiscannensi totique ejusdem ecclesiæ capitulo, universum ecclesiæ sanctæ Bertæ de Blangiaco capitulum, salutem cum obedientia humili & devota. Noverit discretio vestra quod Ricardus quondam abbas ecclesiæ nostræ incommodo corporis sui nimium aggravatus, de voluntate propria pastoralem baculum resignavit; nos vero libertatem & jura Fiscannensis ecclesiæ volentes in omnibus per omnia inviolabiliter observari, salva vestra reverentia, utique unum de monachis Fiscannensibus professis in capitulo Fiscannensi, quod quidem antiquitus consuevimus, & ad quod irrefragabiliter de jure tenemur ad præsens, domnum videlicet Robertum *Arsic*, cui honestatis testimonium perhibetur, unanimi consensu & absque contradictione aliqua, in abbatem nostrum elegimus. Rogamus igitur benignitatem vestram attentius, ut electionem a nobis factam approbetis cum ea solemnitate qua debetis, & pastorem nostrum R. ad nos cum ea honorificentia remittatis, ut liberalitatem vestram in hoc possimus commendare, & nos devotionis vestræ voluntati debeatis in perpetuum* invenire, scituri quod de necessitate sic oportet fieri, ne mora trahat ad se periculum propter guerræ importunitatem & itineris accessum tam difficilem.

* L. subditos.

XXII.

Ex chart. Fiscan.

Charta Hugonis comitis S. Pauli pro Blangiaco.

Circiter 1193. CArissimis dominis suis & amicis R. Dei gratia abbati & capitulo Fiscanni, H. comes S. Pauli, salutem & tam promptam quam devotam ad obsequium voluntatem. Sicut vestra non ignorat discretio, jus & libertatem quam ecclesia Fiscannensis in monasterio Blangiacensi hactenus dinoscitur habuisse, & in posterum semper habebit illibatam, & volui conservari & authentici scripti munimine confirmari. Unde ad petitionem meam profectui & honori ejusdem ecclesiæ majori cura & provida sollicitudine debetis intendere, & quia in prædictam ecclesiam quorumdam monachorum vita minus laudabili venerunt scandala, & per ipsos susceperunt sæpius detrimenta, alios qui bonum facerent, si eis liceret, rogo vos cum omni diligentia quatenus benignius recipiatis, quos abbas ejusdem ecclesiæ vobis transmiserit, ipsos nullatenus remittentes, donec de ipsis remittendis literas dilecti mei R. ejusdem loci abbatis, & meas pariter habeatis. Duos vero & tres monachos de gremio vestræ ecclesiæ ad Blangiacense monasterium transmittatis, quorum exemplo & doctrina eadem ecclesia in spiritualibus floreat, & in temporalibus suscipiat incrementa.

XXIII.

Lambertus episcopus quædam confirmat ecclesiæ sancti Judoci.

L. Morinensis episcopus. Noverit universitas vestra quod nos ad preces & interventum charissimi amici nostri Hugonis abbatis de Longovillari, concessimus ecclesiæ sancti Judoci supra mare totam decimam ex novalibus de *Ploiz*, quam nobilis vir Arnulphus de *Kaiu* jam dictæ ecclesiæ sancti Judoci contulit & concessit; tali tamen conditione quod abbas sancti Judoci & totus ejusdem ecclesiæ conventus conferant ecclesiæ S. Mariæ de Longovillari, & fratribus ibidem Deo servientibus, quidquid habebant in decima de *Abbeham* & quidquid Ingeramnus de *Russon* eis debebat pro eadem decima, jure perpetuo libere & quiete possidendum, &c. Actum est hoc anno Incarnationis Domini M. CXCVI. mense Augusti, pridie ejusdem mensis apud abbatiam de *Longvilliers*. 1196.

XXIV.

Ex schedis Martenii.

Charta Adami episcopi pro monasterio Hamensi.

EGO ADAM Dei gratia Morinorum episcopus, omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis præsentem cartam inspecturis, æternam salutem in Domino. Ex curæ pastoralis officio tenemur ecclesias nobis a Deo commissas augmentare pro posse nostro, & earum incrementa quam firmius possumus roborare. Inde est quod ad notitiam fidelium Christi pervenire volumus Willelmum de *Fressenes* militem, & uxorem ejus Mathildem, ac filium eorum Johannem, in præsentia nostra venisse, omnemque decimam quam in parochia sancti Mauritii de *Mallingenem* jure hereditario possidebant, in perpetuam eleemosynam ecclesiæ Hamensi dedisse, & in manu nostra memoratam ad opus dictæ ecclesiæ reddidisse, veniam sibi & indulgentiam super detentione prædictæ decimæ a nobis concedi suppliciter postulantes. Nos vero his annuentes benigne, memoratam decimam Hamensibus canonice reddimus, & paci ac indemnitati Hamensis ecclesiæ in posterum providentes, præsentem cartam sigilli nostri munimine roboratam eidem ecclesiæ contulimus. Actum anno Dominicæ Incarnationis M. CCXIX. 1219.

XXV.

Ex schedis Martenii.

Adami episcopi privilegium pro monasterio Lisquensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Adam Dei gratia Morinensis episcopus, dilectis filiis Willelmo abbati Lisquensis ecclesiæ, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, in perpetuum. Ut religiosorum virorum votum & religio absque inquietudine conservetur, a pastoribus ecclesiæ providendum est. Ea propter vestris petitionibus benigne annuentes, notum esse volumus tam præsentibus quam futuris, quod ecclesia de *Lisques*, in qua per Dei gratiam a prædecessore nostro primo Milone Morinensi episcopo, secundum beati Augustini regulam & consuetudines Præmonstratensis ecclesiæ, ordinati estis, cum omnibus facultatibus ad eumdem locum pertinentibus, privilegii nostri auctoritate communimus. Ut ergo fratres qui ad eum locum in quo Deo vacare studetis pro salute animæ suæ conveniunt, sine omni inquietudine Deo vacare possint, statuimus ut 1224.

canonica ipsorum electione abbas ibidem substituatur, A substitutus autem sine aliqua contradictione ab hujus sedis episcopo consecrabitur; ipsum vero abbatem & successores ejus canonice substituendos, & conventum ipsius loci, sed & altare ejusdem parochiæ ab omni exactione, tam nostra quam ministrorum nostrorum in perpetuum absolvimus; cura vero ejusdem parochiæ ad abbatem pertinebit, eique, prout opus esse viderit, sacerdotes providebit. Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, præsentem paginam sigilli nostri impressione corroboravimus, salva hujus & apostolicæ sedis auctoritate. Si quæ vero in posterum ecclesiastica secularisve persona hanc paginam ausu temerario violare præsumserit, donec super hoc satisfecerit, Dei omnipotentis, & beatæ Virginis matris, & omnium sanctorum offensam se noverit incursu- B rum. Actum anno Domini M. CCXIII. mense Februario.

XXVI.

Ex chartis Majoris-monasterii.

Elizabet comitissa Sancti Pauli benefacit Majori-monasterio.

1226. ADAM Dei gratia Morinensis episcopus, universis Christi fidelibus ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem in Domino. Noveritis nos vidisse literas nobilis mulieris Elizabeth comitissæ de Sancto Paulo, in tali forma: Ego Elizabeth comitissa de Sancto Paulo, notum facio universis præsentibus & futuris, quod abbas & conventus Majoris-monasterii tradiderunt domino meo comiti Galchero & mihi C domum de *Oes*, propter bona quæ domui prædictæ facere promisimus, tali modo quod dictus comes tota vita sua tenere eam debuit, & ego post illum tota vita mea similiter, & post nostrum discessum domus libere cum suis appenditiis sine debito & contradictione ad abbatem redibit & conventum. Et propter grandia bona quæ ex illa habuimus ac recepimus, salvo quod nihil boni ibidem fecerimus, unde animæ dicti comitis & meæ valde timeo, ego domum prædictam cum totis suis appenditiis quittavi & reddidi abbati & conventui absolute, sicut eam ab eis receperamus; ita quod ego vel alius causa mei vel comitis Galcheri, nihil de cetero in domo illa poterimus reclamare. Et quia eam tandiu tenuimus sine restitutione alicujus boni quod ibidem fecerimus, D ego dono in perpetuam eleemosynam abbati antedicto & conventui perpetuo morandam, quicquid habebam apud villam de *Nenin* in terragiis & caponibus, terris arabilibus, redditibus universis, justitiis & in omnibus aliis, ita quod nihil de rebus prædictis penes me retinui. Et si forte aliquod damnum per me vel per aliquem eisdem supradictis eleemosynis immineret, ego ad majorem securitatem & fidelitatem, propter omnem calumniam amovendam, expono personam meam excommunicationi, & terram meam interdicto, quousque omnia damna illa restituerim per planum verbum prædicti abbatis, vel illius qui loco suo fuerit constitutus. Et propter majorem hujus concessionis confirmationem, ego precor venerabilem patrem meum Adam Dei gratia Morinensem episcopum, ut prædictam concessionem quam ecclesiæ Majoris-mo- E nasterii contuli, sicut super est expressum, ratam habeat & confirmet. Actum anno Domini M. CCXXV. mense Januario, in die Circumcisionis Domini. Nos igitur ad petitionem prædictæ comitissæ, concessionem istam, sicut superius est expressum, per literas nostras patentes confirmavimus sigilli nostri munimine roboratas, ut hoc ratum sit & stabile permaneat in futuro. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quinto mense Januario.

XXVII.

Adam episcopus benefacit monasterio Caroli-loci. Ex chartario monasterii.

ADAM Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus &c. salutem. . . . . Quod cum Galterus de 1228. *Monstereul* frater meus laborasset in extremis, præcepit mihi ut quintam partem terræ suæ pro anima sua darem, prout viderem melius expedire. Ego dilecti fratris mei devotionem attendens, & donum ejus volens ecclesiæ Karoli-loci, in qua sepulturam suam elegit & habitum monachalem suscepit, concessi in perpetuam eleemosynam viginti solidos Parisienses in censu suo de Campellis, in octabis beati Dionysii singulis annis percipiendos, in cibos pauperum ejusdem domus in lectis decubantium. Percipiet autem eos magister domus pauperum, ita tamen quod dicta ecclesia nullam habebit justitiam vel dominium in terra de Campellis. Feci sigilli mei munimine roborari anno M. CCXXVIII.

XXVIII.

Charta Radulphi episcopi pro Claromarisco.

RADULPHUS Dei gratia Morinensis episcopus, 1254. universis præsens scriptum visuris & auditeris, salutem in Domino. Noveritis quod nos cartam domini Ludovici quondam illustris regis Francorum diligenter inspeximus, formam subscriptam verbo ad verbum continentem: In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ludovicus domini regis Francorum primogenitus, omnibus hæc visuris in perpetuum. Quia antecessores & parentes nostri Theodericus Flandrensis comes, & Sibylla comitissa uxor ejus, & Philippus filius eorum Flandrensis & Viromandensis comes, abbatiam beatæ Mariæ de *Claromaresch* in propria hereditate fundaverint, & beneficiis multiplicibus dotaverint; nos quoque simili devotione ea quæ prædicti comites eidem abbatiæ contulerunt, & quæ in cartis eorum continentur, pro remedio animarum meæ, & uxoris meæ, & filiorum nostrorum, benigne concedimus & liberaliter approbamus. Insuper eidem abbatiæ dedimus trecentas mensuras nemoris nostri in *Ruhoth*, cum tota terra, mensuratas ad virgam comitis Philippi majorem, ab omni jure & consuetudine seculari absolutas, libere & quiete perpetuo possidendas, jacentes a via quæ de domo nostra ducit ad dictam abbatiam usque ad vivarium in prato Folquini, & a fossato ejusdem abbatiæ per . . . . . aqua de eodem vivario currit ad abbatiam, & sursum versus domum nostram usque ad metas abbatiæ, in perpetuam eleemosynam, & propter usuarium suum, quod habebant fratres prædictæ abbatiæ in toto nemore nostro de *Ruhoth* ex dono Theoderici comitis, & Sibyllæ comitissæ uxoris suæ, & Philippi filii eorumdem, ita tamen quod nemus illud neque sartare, neque haware poterunt, eo quod in residuo nemore nostro de *Ruhoth* nihil juris omnino de usuario clamare poterunt in posterum. Possessiones & libertates ejusdem abbatiæ in terris, in aquis, in boscis & mareschis in dominio nostro, intuitu Dei & amore ipsius abbatiæ, cujus nos advocatum esse fatemur, sub nostra protectione ac pace contra omnes homines manutenendas suscipimus, & præsentis scripti patrocinio sub sigilli nostri auctoritate confirmamus. Actum apud sanctum Audoinum anno Domini M. CCXVIII. mense Novembri. Quia vero periculosum est propter casus varios cartam tantæ auctoritatis & tanti roboris circumferre, idcirco prædictæ cartæ series verbo ad verbum præsenti scripto annotatur, cui in testimonium nostrum sigillum duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCLIV. mense Aprili.

XXIX.

Radulphus episcopus indulgentias concedit pro restauratione ecclesiæ sancti Wlmari.

1256. Ego Radulfus Dei gratia Morinensis episcopus, dilectis filiis abbatibus, præpositis, prioribus, decanis, capitulis, sacerdotibus, capellanis & ceteris fidelibus populis in Morinensi diœcesi, sinceram in Domino caritatem. Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, ideo oportet diem messionis externæ misericordiæ operibus prævenire. Cum igitur de infortunio & mœrore venerabilium filiorum in Christo abbatis & conventus ecclesiæ sancti Wlmari in Bolonia certi sumus, merito non possumus nos utrumque ante mentis nostræ oculos sæpe cum motu animi reducentes minime compati; vellemus siquidem libenter & bonis cordibus læsis ac tribulatis fratribus loci prædicti fraterna misericordia congrue subvenire. Nos hujus expressionem negotii non valentes ignorare, quemquam comitem rei gestæ seriem per eorum fideles nuntios demandamus, ac præcipimus Christi fidelibus propter hoc ad ecclesiam convocandis, prout necesse fuerit, explicare; & rogamus omnes nostræ diœcesis christianos, ad quos pervenerint prædictæ literæ, ut compatiantur ecclesiæ tribulatæ, & ad reparationem hujusmodi ruinarum eleemosynas & grata Deo subsidia largiantur. Nos vero ex omnipotentis Dei misericordia, & de beatæ Mariæ semper virginis, atque sanctissimi confessoris S. Wlmari omniumque sanctorum meritis confidentes, omnibus vere pœnitentibus & confessis qui ad reparationem dictarum supra ruinarum & ad sublevationem ecclesiæ quicquam porrexerint largitatis, vel per se, vel per alios, mittendo, vel ipsius ecclesiæ limina personaliter & integraliter visitando, quoties id fecerint, Domino inspirante, sexaginta dies de pœnitentiis sibi injunctis, peccata oblita, vota fracta, modo ad eadem non redierint, offensas patrum & matrum sine violenta manuum injectione, quantum in nobis est, misericorditer relaxamus, omnium benefactorum nostræ diœcesis, a quibuscumque vel quomodocumque fiant, eis participium dispensatione divina concedimus. Datum anno M. CCLV. mense Januarii. Durent per annum, & non ultra.

XXX.

Charta fundationis Cartusiæ beatæ Mariæ a Pratis.

1325. Nos Guillelmus Boloniæ & Arverniæ comes, notum facimus per præsentes, quod nos vidimus & tenuimus, ac de verbo ad verbum coram nobis legi fecimus quasdam literas domini genitoris nostri bonæ memoriæ domini Roberti dictorum comitatuum quondam comitis, in subsequenti tenore. Nos Robertus Boloniæ & Arverniæ comes, omnibus tam præsentibus quam futuris tenore præsentium volumus esse notum, quod nos ut de bonis quæ a Deo suscepimus, eidem creatori nostro placere valeamus, pro animæ prædecessorum ac successorum nostrorum remedio & salute, affectantes divinum cultum augeri ac religionis augmentum, præsertim in comitatu nostro Boloniensi, maxime Cartusiensis, ad quorum religionem de ipsorum confisi precibus in Domino gerimus affectionem sinceram; cupientes ut in præfato comitatu nostro fundent unum monasterium religionis ipsorum, ut ipsi qui tam arctam regulam elegerunt, devotius ac laudabilius sub ea Domino famulentur, ad fundationem ipsius loci in quo ecclesia beatæ Mariæ de Pratis sita, in comitatu nostro juxta Novam villam prope Monsterolium, ordinis Cartusiensis claustrum, cellæ fratrum ac cimiterium construerentur. Et nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc amortizamus, alieno jure penitus salvo, & eisdem in puram & perpetuam eleemosynam damus

A & concedimus pro fundatione præfati decem libras Parisienses annui & perpetui reditus, solvendas anno quolibet in Natali Domini per thesaurarium nostrum Boloniensem qui nunc est, seu qui pro tempore fuerit; volentes ac præcipientes ex nunc easdem decem libras, anno quolibet assignato termino, per thesaurarium qui pro tempore fuerit, prædictis fratribus seu eorum certo mandato, expediri Boloniæ, quousque certus locus pro reditu per nos vel per successores nostros eisdem religiosis fuerit assignatus & amortizatus. Insuper in puram eleemosynam concedimus, volumus, & in hoc expresse de gratia speciali consentimus, quod dicti religiosi prædicti ac honestæ personæ, prior & fratres ecclesiæ beatæ Mariæ præfatæ, in nostra speciali gardia existentes, illi videlicet qui B nunc sunt, seu eorum successores, temporibus nostris aut successorum nostrorum Boloniensium comitum, in his quæ a nobis in comitatu nostro Boloniensi, in feodo, retrofeudo, allodiis seu censiva tenentur, redditus usque ad summam ducentarum librarum Parisiensium, perpetuo titulo emptionis, donationis, seu quovis alio justo titulo, etiamsi eisdem in eleemosynam conferantur, acquirere possint & valeant, inclusis redditibus jam acquisitis per eos quos nunc habent. Et ut nos orationum suffragiis ac beneficiorum spiritualium, quæ in prædicto loco & alibi per dictos fratres & alios ejusdem ordinis de cetero fient, cum nostris prædecessoribus & successoribus efficiamur participes, prædictos redditus decem librarum Parisiensium, ac alios usque ad summam ducentarum librarum Parisiensium prædictam, & nunc prout ex tunc, C & ex tunc prout ex nunc amortizamus, alieno jure penitus semper salvo. Nos etiam in præmissis omnibus & singulis, gardiam, justitiam altam & ressortum pro nobis & nostris successoribus retinemus, nonobstante concessione & amortizatione supradictis. Tenebitur etiam prior qui nunc est, & qui pro tempore fuerit, in mutatione domini vel prioris nobis & successoribus nostris fidelitatis præstare juramentum; pro dicto tamen juramento ad aliquam financiam minime tenebitur. Et ego frater Petrus de Bergis prior illo tempore ecclesiæ beatæ Mariæ prædictæ, præmissas concessiones, donationem & amortizationem grataner & humiliter acceptans, & in prædictis retentionibus & aliis consentiens, juramentum fidelitatis prædicto domino meo domino comiti præstiti, ut teneor, secundum D retentiones & conditiones superius annotatas. In cujus rei testimonium nos comes prædictus sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Et ego frater Petrus prior prædictæ ecclesiæ beatæ Mariæ prædicti ordinis Cartusiensis, cum sigillo domini mei domini comitis prædicti præsentibus literis sigillum meum apposui in testimonium veritatis. Datum apud *Hardrelo* quinta decima die mensis Julii an. Dom. M. CCCXXIV. Nos vero Guillelmus Boloniæ & Arverniæ comes prædictus, superscripta omnia & singula per dominum genitorem nostrum facta, data & concessa, & omnia alia quibus participes esse speramus, Dei gratia concedente, ea omnia & singula rata habentes & grata volumus, laudamus, ratificamus, approbamus, & tenore præsentium auctoritate nostra confirmamus, salvo E in aliis & specialiter in retentionibus & conventionibus suprascriptis, dumtaxat nostro & in omnibus jure quolibet alieno. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Datum apud *Hardrelo* XXI. die mensis Julii anno Domini M. CCCXXV.

XXXI.

Bulla Clementis VI. de jurisdictione episcopi & capituli Morinensis. *Ex chartis capituli.*

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii debitum, quo ecclesiarum omnium tenemur invigilare 1344.

profectibus & præcavere dispendiis, nos compellit ut ecclesiarum ipsarum & personarum earumdem utilitatibus sollicitis studiis intendamus, & ut ea quæ dictarum ecclesiarum, præsulum & capitulorum ipsarum qui ad invicem dissidebant, pro reformatione pacis & concordiæ sunt utiliter & concorditer ordinata, ut inter eos qui tamquam unum corpus debent invicem convenire, pax & perpetua concordia perseveret, libenter apostolici præsidii munimine roboremus. Exhibita siquidem nobis venerabilis fratris nostri Raimundi episcopi & dilectorum filiorum decani & capituli Morinensis, petitio continebat, quod orta dudum inter ipsum episcopum ex parte una, & dictos decanum & capitulum super jurisdictione, correctione & punitione canonicorum, capellanorum & personarum ecclesiæ Morinensis, necnon servitorum & familiarium ipsorum decani & capituli, & singulorum canonicorum ecclesiæ antedictæ, quam quælibet ipsarum partium ad se spectare dicebat, & super nonnullis articulis aliis, ex altera, materia quæstionis, tandem præfati episcopus, decanus & capitulum super his in venerabiles fratres nostros Petrum episcopum Sabinensem, tunc tituli sanctæ Praxedis presbyterum, & bonæ memoriæ Bertrandum sanctæ Mariæ in Aquiro diaconum, cardinales, tunc in partibus illis apostolicæ sedis nuncios, tamquam in judices arbitros seu arbitratores, aut amicabiles compositores, sub certa forma concorditer compromittere curabant; qui hujusmodi compromisso suscepto & ejus forma servata, necnon juribus utriusque partis diligenter auditis & discussis, pro bono pacis & concordiæ pronunciaverunt, ordinaverunt, dixerunt & arbitrati sunt ac declaraverunt, quod merum & mixtum imperium ac omnimoda jurisdictio spiritualis & temporalis, & eorum exercitium ac executio & super canonicos, capellanos, vicarios ceterosque chorum dictæ ecclesiæ frequentantes, ac servitores seu familiares decani & capituli & canonicorum dictæ ecclesiæ, ac singulorum ipsorum, tam proprios quam communes, qui communes sunt ad munera & officia infra scripta reducti, videlicet unum consiliarium, unum notarium, unum procuratorem, dum tamen dicti tres in officio advocationis, notariatus & procurationis episcopalis Morinensis curiæ non delinquant, quo casu correctio, jurisdictio & punitio ad dictum episcopum pertinet, atque unum servientem ostia chori custodientem & capituli prædictorum, necnon duos custodes portarum claustri, & duos custodes ecclesiæ, & duos pulsantes campanas, & duos famulos servientes custodiæ fabricæ dictæ ecclesiæ, necnon quatuor ballivos custodientes & exercentes terram & jurisdictionem decani & capituli, dum tamen ipsi sine fraude in officio vel servitio existerent supradicto, & ad expensas seu pensionem decani & capituli prædictorum, ubicumque vel qualitercumque delinquerent aut contraherent, vel quasi contrahere vel delinquere dicerentur, seu contraxisse vel deliquisse, ac familiares & servitores proprii singulorum canonicorum ipsorum tales essent qui secundum jura pro veris familiaribus domesticis haberi deberent & etiam reputari, quorum omnium servitorum & familiarium decani & capituli prædictorum ad eosdem decanum & capitulum, ipsorum vero familiarium & servitorum propriorum canonicorum singulorum prædictorum ad ipsos canonicos singulares dominos eorumdem quibus servirent, solum & in solidum pertinent pleno jure, jurisdictione spirituali in aliis personis quibuscumque a prædictis eidem episcopo remanente; ita tamen quod officialis Morinensis qui pro tempore esset, dictis decano & capitulo super injuria facta per clericum alium a superius notatis in claustro, ecclesia & pertinentiis eorumdem faceret summarie & de plano justitiæ complementum, exceptis etiam casibus infra scriptis. 1.° Quod si aliquis appellare voluerit a sententia seu gravamine dictorum decani & capituli, seu alicujus canonicorum dictæ ecclesiæ, ad

A episcopum Morinensem appellabitur, tamquam ad superiorem immediatum; tamen quod per ipsa verba, *tamquam immediatum superiorem*, non intentionis præfati episcopi sit quod eisdem decano & capitulo, quoad merum & mixtum imperium ac jurisdictionem omnimodam ipsis, ut prædicitur, competentem, posset aliquod præjudicium generari, nec etiam pro illo impediri nequeat in aliquo in præmissis seu exercitio eorumdem, & quod hujusmodi appellatio rite & legitime interposita ad dictum Morinensem episcopum devolveretur tractanda & decidenda secundum juris ordinem, per ipsum vel per alium cui ipse duxerit committendam, neutri tamen parti suspectum partium prædictarum, in civitate Morinensi in domo episcopali, extra consistorium seu placitorium dictæ curiæ

B Morinensis; tamen procurator ipsius Morinensis episcopi, vel aliquis alius suo nomine vel viæ ejusdem appellare a prædictis decano, & a capitulo non posset nec deberet ad Morinensem episcopum prædictum, nec etiam vere servitores, familiares & domestici tam proprii quam communes dictorum decani & capituli, ac singulorum canonicorum prædictorum, ac canonici, capellani, vicarii ceterique chorum dictæ ecclesiæ frequentantes, vellent appellare pro præteritis quibuscumque, vel ante ordinationem prædictam, nec a correctione, nisi enormiter excederetur, nec etiam usque ad summam quinquaginta solidorum Parisiensium appellare possent ac deberent, & si appellarent, in eorum appellatione non reciperentur. Quodque si per aliquos de personis ecclesiæ seu capituli prædictorum, contra

C episcopum Morinensem prædictum, præsentem & audientem, verbalis seu realis inferretur injuria, seu ejus vicarios usque ad sex inclusive, & non ultra, per ipsum Morinensem episcopum constituendos, dum tamen non essent de canonicis vel personis, in quibus jurisdictio, correctio & punitio juxta modum prædictum deberet dictis domino & capitulo pertinere; quo casu si per personas ipsas vel aliquas ex eis illi vel illis de dicta ecclesia vicariis ipsius episcopi Morinensis existentibus injuria inferretur, cognitio, punitio & executio penes decanum & capitulum prædictos remaneret, nisi eisdem vicariis vel eorum alicui officium vicariatus sibi commissi exercenti prædicta injuria inferretur, ipsos vicarios, officiales, sigilliferum vel receptorem verberando, percutiendo vel impingendo

D injuriose quoquomodo, seu domos eorum vel alienas in quibus habitarent violenter oppugnando; quo casu correctio, punitio & cognitio ad dictum episcopum Morinensem, seu deputandum ab eo non suspectum, pertineret, & tractaretur dicta causa. Rursus si, ut prædicitur, realis & enormis injuria inferretur per aliquam de personis prædictis, in ballivum Morinensem dicti episcopi Morinensis officium seu jurisdictionem ipsius debite exercentem, cognitio, correctio & punitio hoc casu duntaxat ad dominum Morinensem episcopum, seu deputandum ab eo non suspectum, pertineret, & tractaretur, ut supra dicitur, dicta causa. Quodque si in aliquem familiarem verum de scobis capellanorum, clericorum & scutiferorum dicti episcopi Morinensis existentem, aliquis de personis dictæ ecclesiæ manus temere apponeret, dum tamen tunc

E in ipsis scobis prædictis esset, vel saltem præfati injuriatores scirent vel scire deberent ipsum injuriatorem esse de scobis Morinensis episcopi supradicti, cognitio, correctio & punitio ad officialem Morinensem vel alium deputandum ab eodem Morinensi episcopo aut vicariis suis, & unum canonicum deputandum per decanum & capitulum supradictos pertineret, & servaretur delinquens in prisione seu carcere communi, ordinando per dominos deputandos prædictos, si casus talis esset quod carcer seu prisio requireretur; circa vero prædictos articulos exemptionem infra scriptam concernentes, talis modificatio adhibita fuit, quod si contingeret aliquem de vicariis, officialibus, gentibus seu familiaribus quibuscumque dicti episcopi

Morinensis, ex dicta ecclesia, claustro, sive domibus canonicorum, terra vel atrio præfatæ ecclesiæ aliquam personam causa refugii, vel aliter ibi existentem, vel aliqua bona ibi existentia abstrahere, vel aliud velle agere violenter, & propter hoc aliqua de personis dictæ ecclesiæ, vel familiaribus seu servitoribus decani & capituli prædictorum manus apponeret in eosdem jura sua defendendo, cognitio, correctio & punitio non ad episcopum Morinensem prædictum sive ejus officialem in aliquo pertineret, quia alias non possent terras suas seu libertates ecclesiæ defensare; in casu vero quo esset dubium utrum juste & pro defensione jurium & jurisdictionis dictorum decani & capituli manus appositio fieret supradicta, quia tunc ille vel illi qui super his culpabiles redderentur, detinerentur in communi carcere supradicto, ad judices ibi expressos etiam communes cognitio, correctio & punitio pertineret, persona dicti Morinensis episcopi excepta, appellatione in his casibus præmissis omnibus singulis, ut prædicitur, dicto Morinensi episcopo reservata; & quod si dicti decanus & capitulum, seu aliqui de personis prædictis jurisdictionem præfati episcopi Morinensis impedirent, auferendo violenter prisionarium, dum ad carcerem dicti episcopi Morinensis duceretur, vel ipsum de carcere extrahendo, cognitio, correctio & punitio ad eumdem Morinensem episcopum seu ejus officialem pertineret, per eum tractanda, ut præmittitur, & etiam decidenda. Quod si aliquis de canonicis sive personis prædictis feuda tenebat seu teneret in futurum a dicto episcopo vel aliquam rem emphiteotecariam seu censualem, jurisdictio feudalis, emphiteotecaria sive censualis vel realis qualiscumque, penes dictum Morinensem episcopum remaneret cognitio & correctio de prædictis & quolibet prædictorum. Item, quod pro sigillis a decano, & capitulo, & canonicis ac singulorum canonicorum familiaribus prædictis litigantibus, in causa appellationis hujusmodi nulla pecunia a sigillifero, seu alio nomine, præfati episcopi Morinensis recipi posset, nec etiam deberet. Rursus quod pro absolutionibus seu pœnis aliis quibuscumque nulla pecunia ultra decem libras Parisienses peti seu exigi posset, seu deberet, per præfatum episcopum Morinensem aut gentes ipsius, pecunia vero prædicta, si adjudicata esset, in trunco ecclesiæ ad opus fabricæ, præsente uno canonico, apponeretur; quodque pro aliqua causa seu offensa commissa vel imposita alicui de personis ecclesiæ prædictæ, ipse in carcere aliquo minime poneretur nec detineretur, dum tamen sufficiens seu idonea correctio præstaretur juxta qualitatem delicti, & ad arbitrium illius seu illorum ad quem vel ad quos facti principalis cognitio pertineret, nisi factum perpetratum tale existeret, quod mors esset inde secuta, vel de morte verisimiliter dubitaretur, vel membrum principale, sicut pes, manus, nasus existerent amputati, vel oculus evulsus esset seu erutus; quodque dicti decanus, & capitulum, & canonici dictæ ecclesiæ qui tunc erant, & recipiendi in posterum, promitterent & jurarent quod dictum episcopum Morinensem, & officiales seu deputatos ab eo in prædictis omnibus, seu eorum aliquo per se vel per alium, palam vel clam, directe vel indirecte non impedirent, nec impedire facerent, seu etiam procurarent, ut quod dictus Morinensis episcopus qui tunc erat, aut successores alii episcopi Morinenses qui essent pro tempore, in sua receptione nova promitterent & jurarent quod dictos decanum & capitulum ac canonicos singulares, prout quemlibet tangebat aut tangere poterat, in præmissis superius ordinatis & contentis, seu aliquo eorumdem, per se vel per alium, palam vel clam, directe vel indirecte non impedirent, nec impedire facerent vel etiam procurarent. Quod si aliqua partium prædictarum contra prædicta faceret vel veniret, quod pœna in prædicto compromisso expressa, prout in prædicto compromisso continebatur, committeretur & applicaretur, prout expresse erat in com-

A promisso prædicto, retinentes eis dicti cardinales, & expresse reservantes in prædictis & omnibus aliis per dictas partes eis attributa, prout ex forma compromissi & submissionis factæ inter eos poterant omnimoda potestate, & injungentes ac præcipientes cardinales præfati ipsis Morinensi episcopo ac procuratori dictorum decani & capituli, & ipsis decano & ceteris canonicis ibidem tunc præsentibus, ut ipsi statim, canonici vero in ecclesia, vel civitate aut diœcesi Morinensi præsentes infra quindecim dies, illi vero ex eis qui extra dicta loca vel in provincia Remensi vel Senonensi constituti forent, vel extra dictas provincias, intra tamen regnum Franciæ manentes, infra mensem a tempore notificationis eis factæ de ipsis, approbarent, ratificarent & homologarent

B pronunciationem, ordinationem, arbitrium & declarationem prædictam, ac jurarent ut in articulo dictæ pronunciationis ipsorum cardinalium continebatur, prædicti vero decanus & capitulum canonicis dictæ ecclesiæ absentibus, in prædictis provinciis constitutis, infra duos menses, aliis vero extra dictas provincias intra regnum Franciæ manentibus, infra quatuor menses notificarent prædicta omnia & singula, & notificare etiam tenerentur. Rursus voluerunt cardinales prædicti quod capitulum & canonici ecclesiæ prædictæ in loco capitulari more solito congregati, promitterent, homologarent & notificarent infra prædictum terminum quindecim dierum omnia supradicta, quam quidem ordinationem, pronunciationem, dictum, arbitrium, ac declarationem idem episcopus pro se & ecclesia sua, & decanus, pœnitentiarius, canonici pronunciati pro-

C priis nominibus, idem Johannes de Collemedio proprio & procuratoris nomine dictorum capituli, prout & in quantum ac melius potuerant, & quilibet pro se illico homologarent ac etiam comprobarent, jurantes eidem episcopus Morinensis, decanus, pœnitentiarius, canonici & procurator capituli prædictorum in animas suas, & ipsum procuratorem constituentem, ad sancta Dei evangelia corporaliter manu tacta, ea omnia & singula attendere & observare, & non contra facere vel venire; & subsequenter cum super pronunciatione & ordinatione hujusmodi dictorum Petri & Bertrandi ex eo dubium & materia quæstionis exorta fuisset, quod ipse episcopus asserebat se, officialem, seu alios nuncios suos jurisdictionem suam ecclesiasticam exercentes, posse præpositum,

D ballivos & quoscumque temporalem scilicet jurisdictionem decani & capituli exercentes, jurisdictionem ecclesiasticam præfati episcopi turbantes, impedientes seu usurpantes, ad desistendum & cessandum ab impeditione, turbatione, & impedimento, & usurpatione hujusmodi, per censuram ecclesiasticam & alia juris remedia cogere, compellere, seu etiam coercere qualitercumque & quomodocumque præfatam jurisdictionem ecclesiasticam dicti episcopi per jurisdictionem temporalem dictorum decani & capituli exercentes impediri contingeret vel turbari, eisdem decano & capitulo asserentibus episcopo, officialibus aut prædictis ministris suis non licere, quod in hac parte idem episcopus asserebat, nisi in casibus certis in præfata ordinatione dictorum Petri & Bertrandi nominatim expressis & etiam declaratis. Demum hujusmodi

E dubio per ipsos Petrum & Bertrandum cum eisdem partibus discusso & examinato, præfati Petrus & Bertrandus ex potestate ipsis, ut præmittitur, reservata, & de ipsarum partium expresso consensu, præfatum dubium declarando eisdem partibus per procuratores earum legitimos ad hoc specialiter constitutos præsentibus, coram eis pronunciarunt & ordinarunt, quod si præfatus episcopus, officialis, aut alii ministri ejusdem episcopi vel officialis jurisdictionem ecclesiasticam exercentes, dicerent jurisdictionem suam ecclesiasticam, aut assererent turbari, impediri, usurpari quoquomodo per præpositum, ballivos & alios quoscumque jurisdictionem exercentes temporalem decani aut

aut capituli prædictorum, episcopus, aut officialis, aut alii ministri ipsorum, vel per eos ad hæc deputati, amicabiliter requirerent hujusmodi temporalem jurisdictionem exercentem seu exercentes, ut ab iisdem impedimento, turbatione vel usurpatione desisterent ac cessarent. Quod si non facerent infra unum diem a tempore requisitionis computandum, episcopus, vel officialis, aut alii ministri sui, aut deputatus seu deputati ab eis vel ipsorum altero requirerent capitulum, si ipsum tempore requisitionis faciendæ invenirent congregatum, ut impedimentum, turbationem aut usurpationem hujusmodi faceret amoveri: si vero tunc temporis dictus requirens capitulum non inveniret congregatum, requireret decanum aut ejus locum tenentem, si in ecclesia Morinensi vel civitate essent præsentes, & de ejus copia commode posset haberi; alioquin duos canonicos dictæ ecclesiæ, quos commodius posset invenire, ut capitulum facerent congregari, quod idem decanus, locum tenens, seu duo canonici prædicti facerent, si eis expediens videretur. Quo congregato, & in ipsius capituli præsentia facta requesta prædicta, capitulum teneretur infra duos dies a tempore requisitionis factæ capitulo, si congregatum repertum foret, aut si non esset repertum congregatum, a tempore requisitionis factæ decano, locum tenenti, aut duobus canonicis computandos, amoveri seu cessare facere impedimentum, turbationem vel usurpationem, si videretur eidem capitulo faciendum; si vero infra duos dies non essent impedimentum, turbatio vel usurpatio amotæ vel ab eis cessatæ, possint episcopus, officialis & ministri prædicti judicialiter monere dictum temporalem jurisdictionem decani & capituli exercentem seu exercentes, se contra ipsum vel ipsos procedere via, juribus & secundum usum & consuetudinem dictæ curiæ Morinensis, prout possint, contra quemcumque alium Morinensis diœcesis jurisdictionem temporalem exercentem, si ecclesiasticam seu spiritualem jurisdictionem ipsius episcopi impediret, turbaret ac etiam usurparet, defensionibus tamen legitimis ipsi vel ipsis temporalem jurisdictionem decani & capituli prædictorum exercenti seu exercentibus reservatis, ita tamen quod tribus diebus requisitionum pendentibus, nihil ab episcopo, officiali aut ministris prædictis contra temporalem capituli jurisdictionem exercentem vel exercentes, vel contra ab eisdem decano & capitulo, aut eorum jurisdictionem exercente seu exercentibus, super his de quibus facta esset requisitio, attentaretur aut fieret, sed omnia pendentibus dictis tribus diebus essent in eodem statu in quo erant tempore requisitionis amicabilis antedictæ. Contra vero alias personas quascumque, quæ secundum ordinationem ac pronunciationem prædictas esse debent de jurisdictione decani & capituli, vel canonicorum prædictorum, ratione turbationis, vel impedimenti, vel usurpationis jurisdictionis suæ ecclesiasticæ non posset procedere episcopus prædictus aut ejus ministri judicialiter, nisi, ut præmittitur, jurisdictionem temporalem exercerent, & jurisdictionem ecclesiasticam seu spiritualem episcopi impedirent seu etiam usurparent, & nisi in casibus in eadem compositione, ordinatione seu pronunciatione contentis, quæ omnia præfati procuratores unanimiter & concorditer approbarent & homologarent expresse. Processu vero temporis cum nonnulla alia dubia super dicta oratione dictorum Petri & Bertrandi inter partes ipsas exorta fuissent, videlicet super eo quod idem episcopus Morinensis asserebat tam de jure quam virtute ordinationis seu compositionis prædictæ per prædictos Petrum & Bertrandum factæ, decanum ut decanum, necnon ipsos decanum & capitulum conjunctim, ac præfatos & capitulum separatim, sibi subesse immediate ac debere coram ipso seu officiali suo, vel deputandis ab eo, & non coram alio, in civilibus & criminalibus respondere, ac in personas dictæ ecclesiæ Morinensis ac ipsius ecclesiæ servientes, necnon familiares &

A servitores dictorum decani & capituli, & singulorum canonicorum ipsius ecclesiæ curam animarum gerentes seu tenentes in diœcesi Morinensi, in iis quæ curam animarum decernebant delinquentes debita, ad ipsum episcopum in casu ejusmodi jurisdictionem, correctionem & punitionem spectare, & non ad decanum & capitulum; tandem dilectus filius noster Guido tituli sanctæ Ceciliæ presbyter cardinalis, super hujusmodi & ad illa declarandum a partibus ipsis concorditer assumptus, de unanimi consensu episcopi, decani & capituli prædictorum, ac ipso episcopo, necnon procuratoribus ipsorum decani & capituli, ad hæc ab eis sufficiens & speciale mandatum habentibus, coram eodem Guidone cardinali constitutis, hujusmodi dubium eo declaravit modo, quod ipsi decanus & capitulum B haberent, si vellent & eis placeret, unum aut duos viros idoneos ex seipsis aut aliunde deputatos, ad quos jurisdictio, correctio & punitio dictorum decani & capituli conjunctim & separatim pertinere deberet, modo & forma quibus in canonicos singulares virtute dictæ compositionis ad ipsos decanum & capitulum pertinebant; ita quod si ab ipsis deputandis aliquis appellare vellet, ad præfatum episcopum & ejus successores, tamquam ad immediatum eorum superiorem, appellare deberet, non tamen quod esset intentionis dicti episcopi Morinensis per hujusmodi verba, *immediatum superiorem*, ipsis decano & capitulo quoad jurisdictionem, correctionem & punitionem per deputandum seu deputandos exercendam præjudicium in aliquo generare, nec quod per hoc impediretur in C aliquo in præmissis seu exercitio eorumdem, & per eumdem episcopum, seu deputandum ab eo, seu ejus successores cognosci deberet de appellatione hujusmodi, forma & modo in dicta compositione contentis, & jurisdictione, correctione & punitione etiam dicto episcopo soli, necnon deputandis ab eo, & dictis decano & capitulo, vel eorum successoribus reservata in dictos decanum & capitulum separatim & conjunctim, in casibus quibus virtute dictæ compositionis, & modo & forma quibus in singulares canonicos reservabantur, & quod decanus Morinensis in synodis episcopalibus interesset, & vicarii qui curam animarum pro eodem decano exercerent, mandata ipsius episcopi, ejus officialis, & successorum suorum exequi, & alia facere tenerentur, ut erat hactenus consuetum. Quodque si aliqua de personis dictæ ecclesiæ vel eidem de- D servientibus, seu familiaribus decani & capituli, ac singulorum canonicorum extra civitatem & suburbium Morinense ecclesias curatas habentibus seu curas animarum gerentibus, delinquerent in his quæ curam animarum tangunt, aut quibus aliqua ratione ipsius curæ tenere dicuntur, duntaxat dictus episcopus & ejus successores haberent jurisdictionem, correctionem & punitionem, in ceteris quæ non tangunt curam tam civiliter quam criminaliter, jurisdictione, correctione & punitione penes dictos decanum & capitulum ac canonicos remanente, tam communiter quam divisim, modo & forma in dictis compositione & declarationibus comprehensis, prout in instrumentis publicis inde confectis dictorum Petri & Bertrandi cardinalium, sigillis munitis, quorum tenores de verbo ad verbum E præsentibus inseri fecimus, plenius & seriosius continetur. Quare præfati episcopus, decanus & capitulum nos humiliter supplicaverunt, ut præmissis confirmationis robur addicere auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientium ordinationem, compositionem & declarationem prædictas, pro pace, commodo & tranquillitate utriusque partis obtinere perpetui roboris firmitatem, hujusmodi supplicationibus inclinati, ordinationem, compositionem & declarationem prædictas per eosdem cardinales factas, ratas & gratas habentes, illas ex auctoritate apostolica & ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, omnemque defectum, si quis in præmissis intervenerit, supplemus de apostolicæ

plenitudine potestatis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, ratificationis & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Villam novam Avinionensis diœcesis XVI. cal. Aprilis, nostri pontificatus anno secundo, & Incarnationis Dominicæ M. CCCXLIV.

XXXII.

Belli-loci primordia.

Ex schedis Martenii. 1469.

IN nomine Domini Jesu Verbi Dei, in quo omnis ædificatio crescit. Quia memoria fragilis labilis est, brevesque sunt hominis dies, historiographis ac chronicorum pictoribus per ecclesiarum religiosos approbatis ad præteritorum recordationem & benefactorum memoriam non solum est regratiandum, sed pie & fiducialiter est credendum, ut præterita, quæ oculus per historias, quisque fidelis ad sui salutem tamquam præsentia conspiciat. Igitur nos Folquinus humilis abbas, & conventus de Bello-loco ordinis sancti Augustini Morinensis diœcesis, universitati fidelium per præsentes certificamus, & notum fieri volumus, nos in antiquis scriptis apud nos repertis comperisse quod generosus vir Eustachius dominus temporalis de *Fiennes*, tempore Godefridi illustris ducis de *Bouillon*, & comitis Boloniæ, ad Terram promissionis sanctam Jerusalem conquirendam cruciatam suscepit, & cum eodem duce intravit. Judæos & infideles eamdem civitatem occupantes subjugavit Godefridus, captivos duxit, ac demum rex est coronatus, inter quos plures potentes Judæi per prædecessorum suorum narrationem locum in eadem civitate habebant, in quo sanctuaria ad fidem catholicam spectantia, prout sui patres enarraverant, recondita erant, quæ & abscondita tenebant. Inter quæ vas nobile & sanctuarium pretiosum, quod vulgo apostolorum nuncupabatur, aderat, in quo dicti Judæi Jesum Christum in cœna novissima cum suis discipulis bibisse, & Sacramentum altaris memoriale perpetuum instituisse affirmaverunt. Et ex tunc usque modo sic creditum est pie ac credimus, quod Judæos præfatus Eustachius captivos carceribus mancipari jussit; & non habentes unde redimi possent dicti Judæi, mortem sibi paratam verentes, sed & eamdem evadere cupientes, regi Godefrido & militi Eustachio viris catholicis, locum prædictum in quo sanctuaria erant, & de singulis quæ essent, notificaverunt. Et prosequendo historiam, præfatus Godefridus prædam tam salutarem, ad Christi nominis & ejus fidei catholicæ augmentum, militibus suis divisit, præfatumque scyphum dicto Eustachio militi devoto reverenter tradidit & donavit, cum aliis sanctuariis, qui de dono tam pretioso & salutari Deo & Godefrido regi gratias possibiles reddidit. Rediens vero prædictus Eustachius de conquesta Civitatis sanctæ & promissionis Terræ cum pignore prædicto, Deo & virgini Mariæ sese devovit toto corde, dicens, quod si incolumis ad nativas partes redire posset, ad laudem & gloriam Virginis Dei genitricis cœnobium monachorum regularium ordinis sancti Augustini construere faceret, & ipsum de suis bonis temporalibus ac dicto scypho dotaret. Tandem sanus ad locum de *Fiennes* regressus, votum totis viribus adimplere desiderans, locum pro ædificio monasterii congruum & aptum sub dominio suo exquisivit, quem convenientius in Vallis atrio, qui jam Bellus-locus non immerito appellabatur, comperit, & in eodem, Deo disponente, & proborum virorum consilio favente, monasterium ædificare cœpit, & de bonis suis ac dicto scypho dotavit & decoravit. In quo loco ex tunc infirmi quocumque morbo languentes & debiles dictum scyphum venerantes, sanitati restituuntur, & de beneficiis fidelium prædictum monasterium ad Dei laudem & virginis Mariæ honorem fuit perfectum. Sed proh dolor! guerris bellisque supervenientibus, tam ex incursu armorum quam ex ignium flammis, & aliis tempore illo ingruentibus malis, devastatum est prædictum monasterium, & ruinæ funditus subjectum, de qua multum scribere non licet. Nam eam intuentis oculus videt, quæ reparari in structuris, libris chorealibus & ornamentis minime valet, nisi caritas ad hoc laboret & operetur. In quorum fidem præsentibus sigilla nostra duximus apponenda, anno Domini M. CCCCLXVIII. mensis Februarii die XXII.

XXXIII.

Caroli Remensis archiepiscopi & cardinalis literæ de translatione capituli Tarvanensis Boloniam.

Ex schedis Martenii. 1553.

CAROLUS tituli sanctæ Ceciliæ presbyter cardinalis de Lotharingia, archiepiscopus dux Remensis, primus par Franciæ sanctæque sedis apostolicæ legatus natus. Cum paucis ab hinc mensibus collecto instructoque non parvo exercitu, Carolus V. imperator Morinum urbem, vulgo Teroannam vocatam, obsederit, eamque obsidione longa jam fractam, Dei voluntate ac judicio expugnaverit & diripuerit, sic ut cives omnes, maxime vero sacerdotes, & qui ordinis sunt ecclesiastici, urbe & sedibus, foris & aris pulsi, errare, vagari cogantur, & novas sedes patria procul, ad habitandum inquirere: qua quidem calamitate commoti ejusdem urbis canonici, sede episcopatus per obitum reverendi in Christo fratris Francisci de *Crequy* vacante, nos tamquam superiorem metropolitanum adiere, ultro testati sunt se votis exoptare, non solum in precibus & officio, ut mos illis erat, in ecclesia Morinensi perseverare, sed etiam multis ea partibus augere solitoque sæpius repetere. Quibus aliquando tandem flexus Deus optimus maximus delictorum immemor, omni posita ira, pacis vinculo validissimo christianorum principum corda vinciat & colliget, quo in quiete & pacis otio, procul ab hoc strepitu & horrore bellorum, in spiritu & veritate laudes illi canere & gratias agere quas possumus valeamus. Quod quidem ut præstare possint, a nobis suppliciter expostulaverunt, ut ipsis in aliqua parte regni locum idoneum habitationemque assignemus & provideamus, ubi toto affectu & pietate quam præ se ferunt, in laudem Domini & utilitatem reipublicæ pio muneri officiisque divinis satisfacere queant. Hinc est quod nos misericordia & caritate commoti, afflictos consolari cupientes, supradictos cum clero canonicos Morinenses, tamquam matricem & cathedralem ecclesiam, post longam deliberationem, maturo consilio, auctoritate superioris & metropolitana qua fungimur in hac parte, e suis & urbe Morinensi Boloniam transtulimus & præsentium tenore transferimus; eadem auctoritate mandantes venerabilibus fratribus nostris abbati & conventui, & religiosis sancti Wlmari Boloniæ, ut illis domos, templum, locum idoneum ad habitandum, idque gratis, quemadmodum sibi in tali excidio provideri cuperent, commodent & concedant, ut ibi divinis inservientes officiis & precibus, ut antea consueverant Morini, permaneant interea dum rei melioris occasio aut pacis conditio potior obtigerit, vel auctoritate apostolica & nostra aliud eorum causa definitum decretumque fuerit. In cujus testimonium præsentes literas manu nostra subscripsimus. Datum Compendii Suessionensis diœcesis, anno M. DLIII. die XIV. Julii. *Signatum* CAROLUS.

XXXIV.

Bulla erectionis cathedralis ecclesiæ Boloniensis.

Ex chartis capituli. 1566.

PIUS episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Divinæ majestatis arbitrio super universas orbis ecclesias constituti, ex tradita nobis apostolicæ potestatis plenitudine, omnes in id mentis nostræ conatus intendimus, ut fides catholica, sine qua nemo salutis æternæ viam ingredi potest, etiam novorum, ubicumque usus poscit, præsulum

institutione usquequaque integra & illibata permaneat. Sed ea demum sollicitudo nos impensius urget, cum veteres hujuscemodi præsulum sedes, hostilitate faciente, indigne jacere videntur, nec propriis in locis reparari possunt, ut in aliis accommodatioribus aliæ inde novæ, sicut populorum salus & catholicorum regum devotio postulat, salubriter ordinentur, ac in eis pastores idonei deputentur, quorum opera & vigiliis christiana religio in suo solido statu valeat feliciter conservari. Cum igitur postquam inter claræ memoriæ Henricum II. Francorum, ac charissimum in Christo filium nostrum Philippum Catholicum Hispaniæ reges, conventum fuerit quod olim civitas Morinensis, prius expugnata & eversa, deinceps non restitueretur; sed illius ecclesia cathedralis atque diœcesis universa, necnon utriusque beneficia, proprietates, census, decimæ, jurisdictiones & jura omnia in duas partes, cum beneplacito sedis apostolicæ, dividerentur; ut scilicet earum altera Franciæ, altera vero inferiori Germaniæ futura esset, felicis recordationis Pius papa IV. prædecessor noster, ejus rei causa suppressa & extincta dicta Morinensi ecclesia, prædictam partem inferiori Germaniæ designatam, partim Iprensi, partim vero Audomarensi ecclesiis cathedralibus, earumque civitatibus & diœcesibus, jam in dicta olim diœcesi Morinensi & parte inferioris Germaniæ prædictæ eadem auctoritate institutis, perpetuo assignaverit. Nos etiam charissimi in Christo filii nostri Caroli Francorum regis christianissimi precibus adducti, hoc insigne opus ad Dei laudem & ecclesiæ catholicæ exaltationem absolvere intendentes, habita super his cum fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio, monasterium beatæ Mariæ oppidi Boloniensis, ordinis sancti Augustini, olim prædictæ Morinensis diœcesis, in quo septem vel octo duntaxat canonici degunt, per obitum quondam Joannis, dum viveret, ipsius monasterii abbatis, extra Romanam curiam ante decennium defuncti, aut alias certo modo abbatis regimine destitutum, & in eo nomen & titulum abbatis dignitatisque abbatialis, necnon omnia & singula, prioratus, dignitates, officia, canonicales portiones, & loca ejusdem, ac tam in eodem illiusque ecclesia, quam etiam ab illo dependentibus prioratibus cæterisque beneficiis ecclesiasticis, ordinem, statum & essentiam regulares, remanentibus tamen in ipso monasterio dictis septem vel octo canonicis in suis habitu & regula, cum canonicali portione quoad vixerint, seu donec ad alia hujusmodi loca regularia sponte ac canonice transierint, auctoritate prædicta tenore præsentium perpetuo supprimimus & extinguimus, ac prædictum oppidum populosum quippe & celebre, agro & annona fœcundum commeatuque commodum, in civitatem, ecclesiam vero monasterii hujusmodi in cathedralem, deinceps Boloniam nuncupandam, sub invocatione ejusdem beatæ Mariæ, archiepiscopi Remensis pro tempore existentis suffraganeam futuram, & sub concordatis olim inter sedem apostolicam prædictam & claræ memoriæ Franciscum I. Francorum regem, super nominatione personarum, certis tunc expressis modo & forma qualificatarum, ad ecclesias cathedrales regni Franciæ pro tempore vacantes, per regem Franciæ pro tempore existentem, Romano pontifici facienda, initis comprehensam, quemadmodum olim ecclesia Morinensis prædicta erat, sedemque episcopalem pro uno episcopo per dictum regem Franciæ eidem pontifici seu apostolicæ sedi, etiam hac prima vice & futuris deinceps temporibus, vigore seu prætextu dictorum concordatorum nominando qui illi præsit, & in perfectam ecclesiæ cathedralis formam ordinet & redigat; abbates, prælatos & cæteros suæ diœcesis ad synodum convocet, evellat, destruat, plantet, erigat, ædificet, omniaque & singula officia & jura episcopalia habeat & exerceat, cum suis capitulo, mensa episcopali & capitulari, cæterisque omnibus cathedralibus & pontificalibus insignibus, necnon

A juribus, jurisdictionibus, privilegiis, exemptionibus, prærogativis, honoribus, gratiis, favoribus & indultis realibus, personalibus & mixtis, quibus aliæ illarum partium ecclesiæ cathedrales, earumque præsules, capitula & personæ, quomodocumque utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate & tenore præfatis erigimus & instituimus, ipsique ecclesiæ sic erectæ & illius præsuli prædicto, Boloniam pro civitate, & partem illam universam olim diœcesis Morinensis, quæ in divisione prædicta Franciæ evenit, cum decanatibus, parochialibus & aliis ecclesiis, ac etiam monasteriis, prioratibus & locis, cum suis personis secularibus & regularibus pro diœcesi, necnon utriusque cives & incolas ecclesiasticos & laïcos pro clero &

B populo perpetuo assignamus. Cæterum, ut ipsa ecclesia Boloniensis in reliquis suis omnibus partibus perfecta & absoluta sit, unum decanatum, duos archidiaconatus, unam cantoriam, unam thesaurariam & unam pœnitentiariam, dignitates, septemdecim canonicatus & septemdecim præbendas, necnon capellanias, cæteraque omnia beneficia & officia quæ in dicta olim ecclesia Morinensi erant, & in ipsa divisione, parti Franciæ, ac futuræ cathedrali ecclesiæ obtigerunt, eorumque omnium personas ad dictam ecclesiam Boloniensem transferimus, ac episcopali Duacensem, & dimidiam Insulensem præbendas episcopales nuncupatas, ac tam illi quam etiam capitulari mensis prædictis, necnon fabricæ dictæ ecclesiæ Boloniensis, omnia & singula prædia, proprietates, dominia, census, feuda,

C emphyteotica, decimas & primitias, cæteraque bona, fructus, redditus, jurisdictiones, actiones & jura earum, singulis per eamdem partitionem designata, ac etiam ad abbatialem & conventualem mensas suppressi monasterii hujusmodi pertinentia, videlicet quæ abbatis, ea episcopali; quæ vero conventualis mensæ erant, ac etiam suppressorum beneficiorum, portionum & locorum hujusmodi, bona, fructus, jura & actiones, capitulari, mensis prædictis; ita tamen ut dictis canonicis regularibus defunctis, vel inde translatis, ut inde præfertur, quatuor alii canonicatus & præbendæ in dicta ecclesia Boloniensi, ex ipsius mensæ conventualis proventibus, pro totidem canonicis ipsius ecclesiæ omnino instituantur, determinatusque numerus unus & viginti canonicatuum & præbendarum esse

D debeat, uno tamen & una cæteris usibus, juxta dictæ divisionis formam assignatis, in perpetuum applicamus & appropriamus, necnon collationes, provisiones, præsentationes & omnimodas alias dispositiones prioratuum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum parochialium & aliarum ecclesiarum, necnon capellarum, capellaniarum perpetuarum, hospitalium, cæterorumque omnium & singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, necnon præsentationes & electiones ad illa, confirmationes & institutiones in eis, jusque universum conferendi, prout in prædicta divisione specificata, distributa & declarata sunt, ac etiam quondam episcopi & capituli, aliarum personarum olim ecclesiæ Morinensis fuerunt. Præterea illa quæ quondam abbatis & conventus suppressi mo-

E nasterii hujusmodi communiter vel divisim erant, episcopo & capitulo, ac universis personis ecclesiæ Boloniensis hujusmodi videlicet, quæ olim abbatis, deinceps episcopi; quæ vero conventus extiterant, posthac capituli prædictorum esse debeant, etiam in perpetuum concedimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, assignationis, translationis, applicationis, appropriationis & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. DLXVI. quinto nonas Martii, pontificatus nostri anno secundo.

APPENDIX AD ECCLESIAM SILVANECTENSEM.

Sequuntur nonnullæ ecclesiæ Silvanectensis chartæ, quas post priores jam editas, nobiscum communicavit vir eruditus D. Afforti canonicus & cantor ecclesiæ collegiatæ sancti Reguli.

L V.

Ex historia manuscripta S. Vincentii, pag. 258.

Caletaldus decanus sancti Frambaldi, quam in hac ecclesia præbendam habebat, morti proximus, concessit ecclesiæ sancti Vincentii.

1076. IN Christi nomine. Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quia Caletaldus beati Frambaldi Silvanectensis decanus, pene usque ad mortem dum infirmaretur, erga ecclesiam beati Vincentii ejusdem civitatis benignitate motus, convocatis ecclesiæ beati Frambaldi canonicis, deprecatus est, quatenus præbendam quam apud illam habebat, ecclesiæ beati Vincentii eo concedente & ipsi concederent jure perpetuo; quam petitionem iidem canonici dignam intelligentes, voluntati illius acquieverunt, concedentes ipsam, de qua agitur, præbendam beati Vincentii canonicis scilicet regularibus, quandiu ibi viverent, juxta regulam beati Augustini quam professi erant; si vero ordo monachorum quolibet casu ecclesiam illam quandoque usurparet, præbenda illa in dominio canonicorum, de quorum manu exierat, rediret. Firmatum est etiam ut ad solvendum servitium, quod præbenda exigit ad eorum septimanam canonicum sacerdotem, qui & horas divinas & missam celebraret, de congregatione sua mitterent; cæteris vero diebus mittere poterant cujuslibet ordinis clericum ad servitium illius ecclesiæ persolvendum. Ut autem inter utramque ecclesiam firma caritas consisteret, definitum est ut canonici sancti Frambaldi ad ecclesiam sancti Vincentii in festivitate ejusdem martyris, cum processione irent, & peractis missarum solemniis, cum ejusdem ecclesiæ canonicis refectionem simulque eorum vicarii honorifice haberent; & in festivitate beati Vigoris similiter cum processione canonici beati Vincentii ad ecclesiam beati Frambaldi venirent, refectionem habituri cum eis, & simul comederent; si autem non haberent refectionem, neque ipsi canonici requirere poterunt. Nec illud silendum est, quia si supervenientibus monachis canonici expellantur, quandiu unus ex eisdem canonicis remanserit, qui præfatum officium ecclesiæ beati Frambaldi persolvat, præbendam non perdet, nisi vis regia abstulerit. Quod si ab ecclesia ita eliminentur ut nec unus remaneat, tunc illa præbenda ad ecclesiam beati Frambaldi, unde exierat, redibit. Si tamen contigerit eos quandoque ecclesiam suam recuperare, præbendam etiam ipsam, de qua agitur, recuperabunt, si prædictas conventiones persolvere voluerint.

L V I.

De quodam burgo in suburbio castri Crespeiensis adjudicato ecclesiæ sancti Arnulfi.

1117. IN nomine Domini. Amen. Ego Clarembaldus Silvanectensis episcopus, notum facio omnibus justitiæ cultoribus, qualiter die data placiti apud Crespeium in curia sancti Arnulfi sub justitia Hugonis ejusdem loci prioris, quidam miles Ingelrannus proclamavit contra monachos Crespeienses quoddam burgum in suburbio castri situm, & a monachis ab antiquo possessum, dicens illud sui juris esse debere, & tam a suo avo quam a suo patre Drogone possessum fuisse; addidit etiam matrem suam per dies aliquot & noctes tenuisse. Ad hæc monachi respondentes dixerunt: si parentes vestri aliquid in burgo illo tenuerunt,

A violentia fuit. Walterus namque comes Ambianensis simul & Crespeiensis, cum uxore sua Adela nobilissima, inter multa alia illud beato Arnulfo olim dederunt, & assensu regis Francorum Roberti idipsum confirmari fecerunt; hoc autem Arnulfus archiepiscopus Remensis, Robertus archiepiscopus Rotomagensis, Leotherius archiepiscopus Senonensis, & alii quamplures episcopi sub anathemate confirmarunt. Postmodum vero Johannes papa, (qui sedit ab anno M. XXIV. ad M. XXXIII) auctoritate privilegii sui illud idem corroboravit; insuper & D. papa Paschalis præteritis annis apud Latiniacum super Marnam privilegii sui præcepto sancivit.

B Supradicti quoque monachi hæc etiam addiderunt, dicentes quod Hugo avus ejus, qui burgum illud violenter invaserat, ad ultimum recognoscens violentiam, burgum beato Arnulfo dimisit præter mansuram suam, quam sibi tantum & uni hæredi suo, sub censu trium solidorum ecclesiæ quotannis reddendorum, retinuit; ita videlicet ut per obitum suum & sui tantum unici hæredis in perpetuum ecclesiæ remaneret. Defuncto autem hærede, jus suum ecclesia ex integro recepit, quiete plusquam viginti quinque annis tenuit, cum Ingelrannus decem annis, & eo amplius, in patria miles extitisset, & magnam inde calumniam ostendisset. His dictis apostolica privilegia citata, quæ dicta sunt

C affirmantia monachi præsentaverunt; qui vero adversabantur, nihil omnino contra privilegia dixerunt. Post hæc prior Hugo qui justitiam causæ tenebat, judicium fieri præcepit; & cum ecclesiastica persona, scilicet Hugo prior canonicorum de *Bethisy*, judicium repræsentaret, Ingelrannus subterfugit, & qui ad justitiam venerat ecclesiasticam, judicari ab ecclesia contemsit, unde judicio ecclesiastico locum clamoris amisit. Huic audientiæ affuerunt mecum Wibertus abbas de Nongento, Odo abbas Suessionensis, Balduinus abbas canonicorum sancti Vincentii Silvanectensis, Martinus prior sancti Martini de Campis, Hilo prior de Coinceio, Robertus prior de sancta Margareta, Arnaldus prior de Nantolio, cum multis aliis honestis viris, tam

D clericis quam monachis; laïci vero sunt hi, Adam de Crispeio, Daimbertus de Monsteriolo, Radulfus de Mastroso, Richardus capellanus (*lege* castellanus) de *Bethisy*, Paganus de *Castel*, Walterus de Faredo, Tamardus, Fulco præpositus, Viardus telonearius, & multi alii, anno Verbi Incarnati M. CXVII. regnante Ludovico Crasso rege Francorum.

L V I I.

Donatio facta ab Adela Veromanduorum comitissa sancto Arnulfo Crispeiensi.

Ex archiv. S. Arnulfi Crisp.

EGO ADELA Viromanduorum comitissa, & filii mei comes Rodulfus & Henricus, dedimus Deo 1118.

E & beato martyri Arnulfo ea quæ comitissæ Crespeienses in privato jure suo, sub propria sua potestate, solebant tenere libere & absolute in castro meo Crespeii & in villis quæ dicuntur *Feigneux*, Bonoculus, Væ, *Lerni*, tam in hospitiibus quam in agris & in vineis, cum omni consuetudine: ista dedimus ad sustentationem monachorum Cluniacensium apud Crespeium Deo servientium. Hoc donum fecimus, ut dominus comes Hugo magnus, qui obiit in via Jerosolymitana, & ego Adela cum filiis & filiabus meis, cum domino meo comite Clermontensi Rainaldo, participes simus in missis, in orationibus & eleemosynis omnium

congregationum cœnobii Cluniacensis. Qui hanc eleemosynam abstulerit seu diminuerit, destruat illum Deus nisi reddiderit. Actum anno assumtæ humanitatis Filii Dei M. CXVIII. papa Romano Paschali secundo, rege Francorum Ludovico, abbate Cluniacensi Petro, præsule Silvanectensi Clarembaldo, priore Crespeiensi Hugone.

L V I I I.

Ex tabul. S. Reguli.

Conventio canonicorum B. Reguli & S. Frambaldi, de terra quam insimul habebant.

1118. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Omnibus fidei cultoribus astantibus & futuris, notum sit quod canonici beatorum Reguli atque Frambaldi insimul habentes terram adjacentem Dedullivillæ, & cum jam nullus superstes esset qui nosset discernere quæ pars terræ illius uni ecclesiæ, & quæ pars alteri deberet conferri, canonici de incerto laborantes, invicem dissidebant, cumque per aliquot annos res taliter se haberet, utrique tandem sapienti usi consilio in capitulo beatæ Mariæ, in præsentia domni Clarembaudi præsulis, convenientes post multam sermocinationem inde habitam, ut omnis contentio ulterius sopiretur, diffinierunt ut tota terra illa, de qua sermo habetur, dimidio & manso terræ de parte beati Reguli apposito, communis fieret; ita tamen ut beati Reguli ecclesia, quæ tertiam partem decimæ loci illius habere dinoscebatur, haberet, & tertiam partem terræ illius & fructuum; ecclesia vero beati Frambaldi duas habens partes decimæ, totidem haberet & terræ, cum fructibus ejus. De hospitibus autem terræ illius non sic, scilicet utraque ecclesia suos hospites in dominio, sicut semper habuit, habeat; tempore vero messis, modiatio sive custos ad utilitatem ambarum ecclesiarum, prout utrisque visum fuerit, concorditer imponetur. Nec prætereundum est quod quidquid dono vel emptione acquirere poterint, eo modo quo supra dictum est insimul possidebunt. Firmatum est in capitulo beatæ Mariæ in die natali ejusdem; astantibus de ecclesia beati Reguli Thoma decano, Odone præposito, Adam cantore cum cæteris fratribus. De ecclesia sancti Frambaldi affuerunt Rodulfus decanus, Gualterus cantor, Odo præpositus cæterique fratres. Anno Incarnati Verbi M. CXVIII.

L I X.

Ex tab. S. Mariæ Silvan. p. 24.

Libertas domus episcopi Silvanectensis, quando moritur, restituta.

1120. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum volo fieri omnibus sanctæ ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, quod Guillelmus dapifer meus, & nobilis uxor ejus Helisindis, usurpationem, rapinam, sacrilegium quam in domo Silvanectensis episcopi, eodem episcopo moriente, faciebant, me astante, & hoc ipsum concedente in manus venerabilis Clarembaudi ejusdem civitatis episcopi dimisit; unde etiam rogatu ipsius Guillelmi & prædictæ uxoris ejus, ipse episcopus una cum venerabili C. Prænestino episcopo, apostolicæ sedis legato, hujus concessionis infractores excommunicavit. Conquestus est etiam nobis prædictus pontifex, quod homines sui propter regiam exactionem servire sibi non auderent. Nos vero concessimus ei, ut eamdem libertatem haberent sui quam & nostri. Domnus etiam Guido de *Turri* quidquid super hoc accipiebat bona voluntate in pace dimisit, & Petrus pincernarius similiter. Quod ne valeat oblivione deleri, scripto commendavimus, & ne possit a posteris infringi, sigilli nostri auctoritate & nominis nostri charactere subterfirmavimus. Actum Silvanectis in palatio publice, anno Incarnati Verbi M. CXX. regni A vero nostri XII. Adelaïdis autem reginæ VI. annuente Philippo filio nostro.

L X.

Radulfus comes Viromandensis villæ de Basouches *libertatem restituit.* Ex tab. beatæ Mariæ Silvan. p. 27.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Circa Innotescat omnibus sanctæ matris ecclesiæ fidelibus, 1120. quod petitionibus ac precibus domni Clarembaudi Silvanectensis venerabilis episcopi, domnus Radulfus comes Viromandorum, dominusque Crispeiaci castri, de villa quæ dicitur *Baselcas*, quæ de fundo ecclesiæ sanctæ Mariæ est, omnes malas consuetudines quas antecessores sui in ea habuerant & ipse reclamabat, B ecclesiæ sanctæ Mariæ & canonicis in perpetuum pro animæ suæ remedio condonavit, hoc solummodo sibi suisque ministerialibus retento, quod de unoquoque hospitum, quando primum in villa ad remanendum venerit, pro nemore quod ei in domo ædificanda necessarium fuerit, quatuor nummos habebit. Insuper etiam ut omnes hospites de villa prædicta de nemore ad omnia sua necessaria absque contradictione habeant, forestariis in Nativitate Domini panem unum & denarium unum unusquisque hospes propriam domum habens dabit. Canonici vero ad ædificandam in prædicta villa grangeam, & ad omnia grangeæ necessaria, de nemore, quantum necessarium fuerit, absque aliqua consuetudine habeant. Domnus autem Radulfus comes nullas in prædicta villa consuetudines vel aliquas C exactiones reclamabit; sed per manum majoris ecclesiæ & canonicorum in Nativitate Domini ab unoquoque hospite unam minam avenæ & gallinam unam habebit. Omnes vero rustici ad molendinum comitis ex consuetudine ibunt. Si autem aliquis de hospitibus prædictæ villæ aliquid ex prædictis consuetudinibus forisfecerit, clamor ad majorem ecclesiam canonicorum veniet, & aut ipse, si potuerit, aut præpositus canonicus ecclesiæ justitiam facient, & ex judicio vel concordia forisfacto emendato & capitali restituto per emendationem ille qui forisfecerit, duodecim tantum nummos Pruveniensis monetæ dabit. Ut autem quod præscriptum est inter ecclesiam & comitem Radulfum firmiter ac perpetualiter maneat, mediante domno Clarembaudo Silvanectensis ecclesiæ episcopo præsente actum est, & sigillo prædicti comitis firma- D tum. Si quis hanc conventionem seu firmationem scienter infirmare voluerit, excommunicatus sit.

L X I.

Confirmatur altare de Ogerio ecclesiæ sancti Arnulfi de Crispeio.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego 1123. Clarembaldus Silvanectensis episcopus licet indignus, omnibus christianæ religionis cultoribus in perpetuum. Pontificalis dignitatis officio exigente, ecclesiæ Dei fidelibus summa diligentia debemus providere, ne inquietationibus vel invasionibus iniquorum possessionibus suis spoliati a Dei servitio retrahantur & inimicorum Dei vexationibus oppri- E mantur. Quapropter ecclesiæ beati Arnulfi, quæ sita est in castello Crespeiensi, altare de *Oger* quod a nostris antecessoribus ipsa diu legitime possidebat ecclesia, nos & venerabilis filius noster Stephanus archidiaconus, ut perpetualiter & impersonaliter possideat, concedimus, & summa pontificali auctoritate firmamus, consuetudinibus salvis & redditibus nostris. Actum Silvanecti sub testimonio capituli anno Incarnati Verbi M. CXXIII. indictione XI. * * l. I.

LXII.

Clarembaldus episcopus annualia canonicorum beatæ Mariæ & sancti Reguli decedentium concedit ecclesiæ sancti Vincentii.

Ante an. 1129. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Exigente curæ pastoralis sollicitudine, ac sancti Spiritus gratia administrante, saluti & devotioni nobis commissorum & in vita & post mortem debemus & volumus insistere. Quapropter ego Clarembaldus Silvanectensis episcopus, ut larga Dei clementia sinum pietatis & misericordiæ nobis aperiat, ecclesiæ sancti Vincentii ad sustentationem fratrum inibi sub professione sancti Augustini servientium, petitionibus communis capituli, anniversaria omnium canonicorum ecclesiæ beatæ Mariæ Dei genitricis in perpetuum concedimus; ita tamen quod pro unoquoque canonico ab hac vita seculari recedente, fratres ecclesiæ beati Vincentii per annum sacrificium Redemtionis Deo offerant, & eorumdem fratrum præbendarum redditus indifferenter usque ad anniversarii obitus diem ex integro obtineant, & nullum præter annuale obsequium super hæc cogantur reddere servitium. De præbendis etiam quæ de communione præbendarum sunt, & per manum decani, electione capituli dantur, Illebertus decanus & cæteri ecclesiæ canonici, nostro assensu, prædictæ beati Vincentii ecclesiæ concesserunt, & nos ipsi ecclesiæ confirmamus, & nomina & signa personarum & canonicorum ad corroborandum & confirmandum nostrum ac prædicti decani & capituli donum subscribi præcepimus. Sig. Illeberti decani. Sig. Bartholomæi cantoris. Sig. Ubaldi archidiaconi. Sig. Hugonis. Sig. Odonis. Sig. Gelrici presbyterorum. Sig Rainaldi. Sig. Garneri. Sig. Stephani. Sig. Guidonis. Sane quidquam in canonicorum præbendis, regularibus canonicis ecclesiæ beati Vincentii concessimus; hoc idem & in præbendis ecclesiæ sancti Reguli, ut præfata sancti Vincentii ecclesia perpetualiter habeat & possideat, concedimus & confirmamus. Cæterum quia paci & quieti servorum Dei debemus intendere, prædictæ ecclesiæ fratres, ut res & possessiones & ea quæ nostris & antecessorum nostrorum temporibus eis sunt collata, vel ab ipsis acquisita, ut perpetualiter quiete ac pacifice possideant, confirmamus; videlicet præbendam unam, quam ipsi ecclesiæ in episcopali ecclesia . . . . . . In ecclesia sancti Reguli præbendam unam, quam minus canonice tenebat ecclesiæ recepta; in ecclesia sancti Frambaldi præbendam unam & anniversaria præbendarum ipsius ecclesiæ, a canonicis ejusdem loci ecclesiæ beati Vincentii concessa; molendinum de *Chament*, quod ipsa ecclesia tenet a Guidone & heredibus ejus perpetualiter, pro octo minis annonæ singulis annis, & a nobis censualiter pro quinque solidis; villulam quæ vocatur Malagenesta, quam ipsi ecclesiæ dedit Simon Marescalus, quæ de nostro censu est; mensum terræ, quem ipsa ecclesia ab ecclesia sancti Reguli censualiter pro sex solidis tenet; apud Ermenovillam, hereditatem Landrici penes quam ipsa ecclesia tenet censualiter ab ecclesia beatæ Mariæ pro duobus solidis; duas olchias, quas Bertinus & Avelina ipsi ecclesiæ dederunt, unam de censu beatæ Mariæ, alteram de censu sancti Reguli; in domo Bertini duodecim nummos singulis annis, nostro censu imprimis dato; quinque solidos de præbenda sancti Nicolai ecclesiæ sancti Vincentii per annos singulos in perpetuum persolvendos; quia videlicet eamdem præbendam præfatæ ecclesiæ sancti Vincentii concessam in ecclesia beatæ Mariæ dedimus & confirmamus. Si quis autem contra hanc nostræ donationis & confirmationis paginam agere præsumserit, primo, secundo tertiove commonitus, satisfacere contemserit, excommunicationi subjaceat. Actum est A hoc anno Incarnati Verbi M. CXXX. regnante rege Francorum Ludovico, episcopatus vero nostri XX.

LXIII.

Confirmatio bonorum & libertatum ecclesiæ sancti Vincentii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, &c. 1129. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum fieri volo universis catholicæ fidei cultoribus, metropolitanis, episcopis, abbatibus, &c. necnon ducibus & comitibus, principibus imperiique mei cunctis fidelibus, ecclesiam sancti Vincentii martyris in suburbio Silvanectensi, & in alodio regali a glorioso rege B Francorum Philippo patre meo, & matre sua Anna, pro anima Henrici regis mariti sui, omnino liberam, ex more & consuetudine regalium ecclesiarum, scilicet sanctæ Genovefæ Parisiensis, sanctique Frambaldi Silvanectensis fundatam, ipsamque ecclesiam cum claustro & domibus, clericis & servientibus in omni libertate perpetualiter permanere decerno; ita quod nec clerici, nec eorum servientes, per aliquam potestatem vel dignitatem, nisi per ecclesiæ abbatem, super aliqua re ullam exsequantur justitiam. Decernimus etiam ut in eadem beati Vincentii ecclesia clerici sub professione & regula sancti Augustini perpetualiter Deo deserviant, & ad eorumdem clericorum sustentationem ea quæ prædicta Anna ecclesiæ fundatrix eidem ecclesiæ acquisivit & pater meus concessit, ac C ipsi clerici acquisierunt, vel fideles Dei tam laici quam clerici pro animarum suarum remedio obtulerunt, ut quiete ac libere ipsa ecclesia perpetualiter possideat, præcipimus; videlicet . . . ecclesiam Autvillare *, quæ regis capella dicitur, cum omnibus quæ ad eam pertinent. Inter alia vero dona quædam Simonis Marescalatii, Guidonis militis, & uxoris ejus filiæ Tescelini, anniversaria canonicorum ecclesiæ beatæ Mariæ & sancti Reguli, quæ Clarembaldus Silvanectensis episcopus, assensu clericorum ejusdem ecclesiæ dedit, & ecclesiæ sancti Frambaldi quæ similiter ipsi ecclesiæ canonici sancti Frambaldi, nostro assensu, quæ nostra est ecclesia, concesserunt; ita quod in mutatione personarum vel præbendarum, ecclesia sancti Vincentii per annum reditus præbendæ habeat, &c. Præcipimus etiam, quia nostra est eccle- D sia, & ex toto tam in sepultura quam in aliis libera est, ut omnes servientes nostri, milites & burgenses, ac familiæ eorum, & alii qui ibi sepeliri deliberaverint, nullus eis contradicat. Confirmamus quidem quod hospites jam dictæ ecclesiæ, qui mercatores sunt & in foro nostro opera venalia exercent, hasbanum, quod cæteri mercatores præposito nostro persolvunt, ipsi ecclesiæ persolvant. Et quia ex eleemosyna antecessorum nostrorum, & nostra, ipsa fundata est ecclesia, concedimus ut in terra & hospitibus omnem justitiam prædicta ecclesia habeat, & insuper vinagium, roagium, foragium & cæteras consuetudines quas hactenus tenuit & tenet, in pace possideat. Hæc autem ne per succedentia tempora possint oblivione deleri aut a posteris infirmari, concedente Phi- E lippo filio nostro, jam in regem coronato, & uxore nostra Adelaide regina, scripto mandavimus, sigilli nostri auctoritate ac nominis charactere firmavimus, astantibus in palatio nostro quorum nomina & signa subscripta sunt. Signum Philippi filii nostri. Sig. Ludovici buticularii. Sig. Alberici camerarii. Sig. Hugonis constabularii, dapifero nullo. Actum Silvanecti anno Incarnati Verbi M. CXXIX. nostri regni vigesimo, indictione VII. Simon cancellarius scripsit & subscripsit.

* Ivilliers.

L X I V.

De dono ecclesiæ de Auvers *facto ecclesiæ sancti Vincentii a Ludovico rege.*

1131. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex, universis fidei catholicæ cultoribus tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Quamvis super homines, Deo disponente, constituti, scire tamen & memoriter retinere debemus, & nos quidem lege naturæ a cæteris mortalibus non distare, mortique obnoxios, his quibus ad vitam proficiamus æternam remediis indigere; unde tam indita nobis ratione quam divinarum auctoritate scripturarum instruimur, dum tempus habemus, operibus bonis insistere, & tam nostras quam carorum nostrorum animas Deo commendantes, eleemosynarum largitionibus ecclesiarumque promotionibus, tam nostra quam istorum peccata redimere. Cum igitur Philippo rege filio meo, jam de medio facto, in mentem venisset mihi, pro redimendis peccatis illius, aliqua de his quæ propitio Deo possidebamus, impendere ecclesiæ sancti Vincentii Silvanectensis, quæ licet rebus tenuis, tamen ab antecessoribus nostris, scilicet glorioso rege Philippo patre meo, & matre mea Anna, ad instar regalium ecclesiarum, in omni libertate fundata esse dignoscitur, ecclesiam nostram de *Auvers*, & ipsam ex more aliarum ecclesiarum regalium liberam, in perpetuum possidendam dedimus, scilicet cum censu quem inde presbyteri, ubi eis a rege constitutum jussumque fuisset, dare consueverant; desuper & decimam ejusdem villæ cum minutis decimis, & redditus gallinarum & anserum ipsius loci, quæ juris regii hactenus fuerunt & extiterunt, & in dominio nostro fuerunt, pro anima Philippi filii mei, nihilominus adjicientes præfatæ ecclesiæ sancti Vincentii concessimus. Et quia nostra est ecclesia, & ab antecessoribus nostris, ut dictum est, in alodio regali fundata, quidquid abbates ejusdem ecclesiæ vel clerici in præfata ecclesia, scilicet de *Auvers*, Deo propitio, acquirere potuerint, vel fideles Dei pro remedio animarum suarum, sive in terris, sive in vineis, sive in aliis quibuscumque facultatibus eis obtulerint, ut libere & quiete ipsa ecclesia perpetualiter possideat, præcipimus. Hæc autem ne per succedentia tempora possint oblivione deleri, vel a posteris nostris infirmari, concedente Ludovico filio meo, jam in regem coronato, & matre sua Adelaïde regina, scripto commendari, & sigilli nostri auctoritate aut nostro charactere corroborari præcepimus, adstantibus in palatio nostro quorum nomina subscripta sunt & signa. Signum Ludovici junioris filii nostri. Sig. Radulfi Viromanduorum comitis, dapiferi nostri. Sig. Ludovici buticularii. Sig. Manasse camerarii. Sig. Hugonis constabularii. Actum Silvanecti anno M. CXXXI. regni nostri XXII. Data per manum Simonis cancellarii.

L X V.

Ex tab. S. Vincentii.

Petrus Bellovacensis episcopus præbendam in ecclesia sancti Evremundi de Credolio canonicis sancti Vincentii confirmat.

Circa 1132. PETRUS episcopus Belvacensis, omnibus christianæ religionis cultoribus in perpetuum. Pontificalis dignitatis cura exigente, ecclesiæ fidelibus summa diligentia præsidere debemus, ne inquietationibus & invasionibus iniquorum, possessionibus privati, a Dei servitio retrahantur & inimicorum Dei vexationibus opprimantur. Quapropter ecclesiæ beati Vincentii, quæ sita est in suburbio Silvanectensi, ad sustentationem & gubernationem canonicorum sub regula sancti Augustini inibi servientium & in perpetuum serviturorum, præbendam quam clerici ecclesiæ sancti Vincentii in ecclesia sancti Evremundi de Credulio legitime possederunt & possident, ut ipsa ecclesia perpetualiter & impersonaliter possideat, concedimus & summa pontificali auctoritate firmamus. Cunctis vero sancti Evremundi canonicis, tam futuris quam præsentibus, ex obedientia, pro remissione peccatorum suorum injungimus ut ecclesiæ S. Vincentii canonicis ecclesiæ suæ omnium indifferenter redituum canonicam portionem faciant. Si quis autem contra hanc nostræ confirmationis paginam agere præsumserit, hunc primo, secundo, tertiove commonitum, si non emendaverit, a liminibus sanctæ ecclesiæ excommunicatum sequestramus, & ut infernalia cum Dathan & Abiron perpetualiter sustineat tormenta judicamus.

L X V I.

De libertate domorum canonicalium ecclesiæ sancti Reguli.

Ch. XIII. ex tabul. S. Reguli.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. 1133. Innotescat omnibus sanctæ matris ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod ego Clarembaldus sanctæ Silvanectensis ecclesiæ humilis episcopus, ecclesiam beati Reguli pii patroni nostri & primi hujus urbis prædicatoris, honorare disposui, & ad honorem prædicti sancti & ejus ecclesiæ domos canonicorum & clericorum eidem ecclesiæ servientium, quæ infra illius ecclesiæ atrium continentur, in quibus antecessores nostri & nos hactenus multas consuetudines habuimus, liberas ab omnibus consuetudinibus, pro animæ nostræ & animarum antecessorum nostrorum hujus urbis pontificum remedio, perpetualiter manere concedimus; ita tamen quod rectum & debitum tantummodo censum ministerialibus episcopi persolvant, & ipsi episcopo justitiam teneant. Hujus autem libertatis concessionem in capitulo beatæ Mariæ laudavimus, & in episcopali ecclesia, assensu & laude omnium clericorum & laicorum. Omnes qui contra hanc ipsam institutionem agere præsumserint, nisi digna satisfactione emendaverint, excommunicationi subposuimus. Actum est hoc anno Incarnati Verbi M. CXXXIII. indictione I. * regnante rege Ludovico anno XXIII. & Ludovico filio ejus jam in regem coronato anno primo *, pontificatus domni Clarembaldi anno XVII.

* l. XI.

* l. tertio.

L X V I I.

Epistola Stephani episcopi Parisiensis ad Petrum episcopum Silvanectensem, de annualibus canonicorum.

DIlectis in Deo Petro Dei gratia Silvanectensi episcopo, Ilberto decano, Stephano præcentori, Oilardo archidiacono, cæterisque Silvanectensis ecclesiæ canonicis, Stephanus ecclesiæ Parisiensis episcopus licet indignus, æternam in Christo salutem. Circa 1139. Ubi in dubiis rebus, erroris causa vitandi, certitudo quæritur, non sine periculo veritas reticetur. Hoc idcirco diximus, quia de anniversariis Parisiensis ecclesiæ certos vos esse velle didicimus; utrum videlicet obeunte, vel ad meliorem vitam transeunte canonico, statim ecclesia sancti Victoris præbendam illam recipiat, an in manu nostra remanente præbenda, donec canonice a nobis fuerit data, annuale beneficium ejusdem præbendæ canonicos sancti Victoris expectare oporteat? Qua in re discretionem vestram certam esse volumus, quia anniversaria canonicorum Parisiensium ecclesiæ sancti Victoris eo tenore concessimus atque concedimus, ut vel defuncto, vel huic seculo abrenunciante persona, statim ecclesia sancti Victoris annuale reditus præbendæ illius recipiat, & a die quo præbendam vel redditam vel dimissam esse constiterit, usque ad revolutum anni terminum, nihil aliud, salva institutionis nostræ regula, de redditibus

ejusdem præbendæ nobis facere liceat; nihil vero ecclesiæ sancti Victoris dilatio personæ renovandæ præjudicat. Bene ergo fecistis rei hujus certitudinem requirentes, ut quia ecclesiam sancti Vincentii de anniversariis ecclesiarum Silvanectensium, quæ vestræ beneficio liberalitatis, juxta morem ecclesiæ sancti Victoris possidere dignoscitur, injustitiæ notam per omnia declinare possitis. Valete.

LXVIII.

Ecclesia beati Vincentii anniversaria canonicorum beatæ Mariæ & sancti Reguli, juxta morem ecclesiæ sancti Victoris, possidet.

Circa 1139. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, &c. Ego Petrus Dei gratia Silvanectensis episcopus, ecclesiæ beati Vincentii, &c. anniversaria canonicorum ecclesiæ beatæ Mariæ virginis & sancti Reguli, utriusque assensu capituli, in perpetuum tenenda concedimus, ita videlicet ut annuos reditus præbendarum supradictarum in transitu & mutatione personarum eo modo atque tenore possideat, quo eos in ecclesia sanctæ Mariæ Parisiensis, aliisque nonnullis ejusdem episcopatus ecclesiis, canonici sancti Victoris tenere noscuntur, &c.

LXIX.

Amalricus episcopus Silvanect. donatas duas domos in claustro beatæ Mariæ confirmat Caroli-loco.

1164 IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ego Almaricus Silvanectensis ecclesiæ episcopus, notum fieri volui tam præsentibus quam posteris, quod Guillelmus ecclesiæ nostræ præcentor in præsentia nostra, universo capitulo ejusdem ecclesiæ annuente, dedit in eleemosynam monasterio sanctæ Mariæ Caroli-loci, & fratribus ibidem Deo servientibus, domum suam cum omnibus appenditiis suis. Hoc donum Guillelmi præcentoris & Odonis Crassi factum est anno Verbi Incarnati M. CLXIV. in capitulo ecclesiæ beatæ Mariæ Silvanectensis, mecum assistentibus canonicis, quorum nomina & signa subscripta sunt. Signum Iberti decani. Sig. Rainerii succentoris. Sig. Ebroini. Sig. Johannis. Sig. Gerardi. Sig. Rainoldi. Sig. Guidonis. Sig. Asconis. Sig. Nivelonis. Sig. Balduini. Sig. Odonis. Signum Petri. Sig. Guidonis de Ponte. Sig. Fulberti. Sig. Johannis. Sig. Stephani coci. Sig. Gauterii.

1165. Item, sciant omnes quod Fulbertus canonicus noster, prædicti Guillelmi præcentoris nepos, dedit in eleemosynam Deo & præfato Caroli-loci monasterio in præsentia nostra, domum quamdam quæ sibi hereditario jure contingebat, cum omnibus appenditiis suis & virgulto, laudantibus & concedentibus fratribus suis atque sororibus, Guillelmo, Morardo, Maria, Belina, Johanna, libere & absolute perpetuo possidendam. Porro ne idem Fulbertus propriæ habitationis solatio fraudaretur, abbas & fratres prædicti monasterii eidem Fulberto domum, quam præfatus Odo Crassus prædicto monasterio in eleemosynam contulerat, cum utensilibus commodaverunt; ita scilicet quod ipsam domum omnino nec alicui vendere, vel invadiare aut commodare poterit; sed postquam obierit aut seculum reliquerit, libera & absoluta ad monasterium redeat. Testes sunt hi: Ibertus decanus, Rainerius succentor, Azo canonici nostri, Guido luticularius, Radulfus *Choisel*, Petrus de Fontanis, Morinus de *Orckeux*, Arnulfus de *Pis*. Quod ut perpetuæ stabilitatis obtineat munimentum, scripto mandavimus, & sigilli nostri auctoritate firmavimus, ac testium prædictorum nominibus & signis munivimus. Actum anno Verbi Incarnati M. CLXV.

LXX.

Alexander papa III. monasterio Longipontis dona ab episcopis & capitulo Silvanectensi collata confirmat. Chronicon Longipontis

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, Hugoni abbati & fratribus monasterii Longipontis salutem & apostolicam benedictionem. Venerabilis noster Henricus Silvanectensis episcopus, necnon & ecclesiæ suæ canonici, transmissis literis nobis intimarunt, quod totam eleemosynam quam vobis bonæ memoriæ Petrus, Theobaldus & Amalricus quondam Silvanectenses episcopi, assensu capituli sui, & maxime omnes terras, prata, vineas quas in territorio Suessionensi, in loco qui Pratella vocatur, tam diebus eorumdem quam modernis temporibus acquisivistis, liberaliter concesserunt, & ea una cum vinagio terrarum & vinearum quas ibi possident, sub pensione annua confirmarunt. Præterea prædictus episcopus & canonici ejus vobis in præscripto territorio quidquid emtione vel eleemosyna acquirere poteritis, contulerunt, & sub certa forma scripti sui munimine roborarunt; quam siquidem concessionem, sicut in memorati episcopi & ecclesiæ suæ scripto authentico exinde facto noscitur contineri, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut nulli hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Beneventi IV. nonas Januarii. Circa 1170.

LXXI.

Ordinatio duorum cardinalium super quibusdam redditibus decano B. Reguli quondam assignatis. Ex tabul. S. Reguli, ch. 28.

JACINCTUS & P. de Bono Dei gratia sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinales, dilectis fratribus H. ecclesiæ sancti Vincentii Silvanectensis abbati, & P. decano sancti Reguli & Silvanectensi archidiacono salutem. Cum controversia suborta fuisset inter te, frater decane, & capitulum tuum super redditus communitatis qui tibi a bonæ memoriæ Almarico Silvanectensi episcopo nomine decaniæ assignati fuerunt, & assensu & consilio capituli, quousque in tua ecclesia præbenda vacaret. Asserebat capitulum prædictos redditus in communitatem debere redigi, quia sex tunc quamplures vacaverant præbendæ, & tuæ ascribendum erat negligentiæ quod una illarum tibi non fuerat assignata; tuque illis nolles abrenuntiare redditibus; & propter hoc ad apostolicam appellatum fuisset audientiam; & tu pro tua parte in propria venisses persona, & tu, dilecte abbas, ex parte capituli, & tecum Henricus eorum canonicus. Nos volentes paci ecclesiæ & utilitati providere, ex præcepto domini papæ, auditis hinc inde rationibus, talem fecimus de voluntate vestra compositionem, ut medietatem præbendæ quam tenes, frater decane, de donatione prædicti episcopi in perpetuum tu & successores tui habeatis, & prænominatos redditus ad tuas teneas manus, donec præbenda tibi de secunda vacante ab episcopo integretur. Quod si episcopus iste vel successores ejus vellent malignari, præcipimus quatinus tu vel successores tui & capitulum, ex auctoritate apostolica, omni appellatione remota, medietatem illius vacantis decaniæ assignetis; & tunc qui de communitate fuere redditus, ad communitatem redeant, verum duarum præbendarum fructus in præsenti tibi restituantur; & si aliqua querela inter te & capitulum versatur, sopita penitus tepescat. Super hoc vero Intra annos 1167 & 1172.

vero quod præpositus sacramentum fidelitatis, prout de consuetudine ecclesiæ existit, tibi & capitulo non præstitit, statuimus ut qui impræsentiarum præpositus esse dinoscitur, tam de perceptis quam percipiendis tibi & capitulo sacramentum exhibeat, & de cætero quicumque ibidem fuerit præpositus constitutus sacramentum tibi & capitulo, tuisque successoribus faciat. Cæterum de expensis ad curiam veniendo factis quas tibi debere reddi a capitulo, frater decane, affirmabas, & abbas qui procurator a capitulo missus fuerat, hoc prorsus inficiabatur, hoc exinde fieri deliberavimus quatinus venerabili fratri nostro Silvanectensi episcopo, quod utraque parte ante se vocata & auditis rationibus hinc inde, pace interposita, quod magis vellemus, causæ finem tribuat. Sin autem ascitis religiosis & honestis personis causam illam, prout justitia dictaverit, executioni tradat remota omni appellatione.

LXXII.

Ex tab. B. M. Silvan. *Conductio telonei episcopatus Silvanectensis per majorem & communiam urbis Silvanectensis.*

1215. PETRUS major & jurati communiæ Silvanectensis, omnibus præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Noveritis quod cum Henricus bonæ memoriæ quondam Silvanectensis episcopus telonium Silvanectensis episcopatus nobis sub quadam pensione adcensivisset, sicut in authentico suo continetur, cujus forma talis est:

1177. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego Henricus humilis Silvanectensis episcopus, notum facio tam præsentibus quam futuris quod totum teloneum meum, quod habeo Silvanecti, adcensivi communiæ Silvanectensi pro octoginta libris & quatuor modiis salis ad mensuram Silvanectensem annuatim ad singulos menses reddendis; ita quod unoquoque mense de sale quatuor minæ, de nummis sex libræ & tredecim solidi & quatuor nummi reddentur. Si vero moneta mutata fuerit, moneta quæ pro teloneo reddetur, ejusdem valoris erit cujus erat ipso die quo facta fuit charta, ita quod octoginta libræ quadraginta marchas fini argenti valebunt. Præterea prædictæ communiæ adcensivi molendinum meum de subtus Vitellis, cum bannariis ejusdem molendini, pro decem modiis hibernagii ad mensuram Silvanectensem & ad medietatem frumenti, de quo singulis mensibus decem minæ solventur. Prædicta autem omnia si ad terminos distinctos reddita non fuerint in universum, residuum solvendorum singulis diebus quinque solidis Parisiensis monetæ pro transgressione accrescet. Homines & feminæ mei de corpore mihi capitalitium reddent; mei etiam servientes de pane meo viventes, ab equitatu, exercitu & excubitu perpetuo liberi & immunes existent. Pro censiva itaque prænominata communiæ Silvanectensi dimisi in perpetuum mortuam-manum, congeium, bannum meum mihi & successoribus meis, creditione quindecim dierum retenta, cum moltura molendini adcensiti, sub hac consuetudine, quod si in eo molere voluero, molendinarius de octo minis bladi recipiet duos batos, unum bladi, alterum farinæ; nullum de hominibus vel hospitibus meis extra parochias civitatis manentem, absque meo assensu homines communiæ recipient. Hæc autem, quæ diximus universa, ut stabilia firmaque perseverent, salvo jure equitatus & exercitus domini regis, si aliquod habet, scribi & sigilli nostri auctoritate fecimus communiri. Actum Incarnati Verbi M. CLXXVII.

Garino Dei gratia Silvanectensi episcopo successore dicti Henrici episcopi, volente revocare censivam illam, quia Silvanectensem ecclesiam dicebat enormiter esse læsam, tandem inter prædictum Garinum episcopum & nos, de assensu ipsius & nostro talis compositio intervenit; quod præter pensionem illam superius annotatam, nos ecclesiæ beatæ Mariæ Silvanectensis ad officium matutinarum singulis annis viginti libras in perpetuum reddemus, videlicet decem in festo sancti Remigii & decem in Pascha sequenti, pœna superius dicta apposita, nisi a nobis prædicta pecunia terminis statutis ecclesiæ Silvanectensi redderetur. Præterea sciendum est quod omnes homines & hospites episcopi & tota familia sua immunes sunt ab omni teloneo, nisi fuerint negotiatores manifesti; homines vero, & hospites, & familia canonicorum ecclesiæ B. Mariæ, & beati Reguli, & beati Frambaldi, & clerici & servientes eorum, sunt in eadem libertate de teloneo. Si vero conquesti fuerimus de aliquo canonicorum, vel clericorum, vel servientium eorum, quod sit manifestus negotiator, & quod reddere teloneum teneatur, nos auctoritate nostra de rebus illius nihil capere poterimus, sed ad episcopum querimonia deferetur, & ipse quod justum fuerit nobis faciet. Si autem servientes canonicorum vel clericorum habuerint uxores in villa Silvanectensi, vel filii fuerint juratorum nostrorum, & super teloneo conveniantur, ad nos quæstio referetur, & super hoc quod justum fuerit faciemus. Homines de corpore & homines reddentes ceram, & hospites prædictarum ecclesiarum a quibus nos teloneum exigere voluerimus, fide data liberabuntur. In cujus rei memoriam præsens scriptum super hiis annotatum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno gratiæ M. CCXV. mense Aprili.

Charta Adæ episcopi Silvanectensis, de eodem teloneo.

GARINUS Dei gratia Silvanectensis episcopus, omnibus præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Noveritis quod cum Henricus bonæ memoriæ prædecessor noster Silvanectensis episcopus, teloneum Silvanectensis episcopatus majori & burgensibus communiæ Silvanectensis adcensivisset sub quadam pensione, quæ in suo authentico continetur, cujus forma talis est:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1177.
Ego Henricus humilis Silvanectensis episcopus, notum facio, &c. *ut supra.*

Nobis volentibus revocare censivam illam, quia 1215.
Silvanectensis ecclesia enormiter lædebatur, inter nos & burgenses Silvanectenses, de consensu nostro & ipsorum & capituli nostri talis compositio intervenit, quod præter pensionem illam superius annotatam burgenses Silvanectenses ecclesiæ beatæ Mariæ Silvanectensi ad officium matutinarum, de liberali concessione nostra eidem ecclesiæ facta, singulis annis viginti libras in perpetuum reddent, videlicet decem in festo sancti Remigii, & decem in Pascha sequenti, &c. *ut supra.* Si autem servientes canonicorum vel clericorum habuerint uxores in villa Silvanectensi, vel fuerint filii juratorum ejusdem villæ, &c. *ut supra*, ad majores & juratos communiæ quæstio deferetur, & super hoc quod justum fuerit facient, &c. *ut supra.* In cujus rei testimonium & memoriam præsens scriptum super hiis annotatum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum Silvanecti anno gratiæ M. CCXV. mense Aprili.

Nos autem Adam Dei gratia Silvanectensis episco- 1237.
pus, literas prædicti Garini bonæ memoriæ prædecessoris nostri Silvanectensis episcopi sigillo signatas, vidimus & legimus verbo ad verbum, sicut est superius annotatum, & sigillum nostrum præsenti paginæ apponi fecimus. Actum anno Domini M. CCXXXVII. mense Septembri.

LXXIII.

Henricus episcopus Silvanectensis bona canonicorum beatæ Mariæ & sancti Reguli qui decedunt intestati, pro anima defuncti impendenda in posterum decernit.

1179. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego Henricus Dei gratia Silvanectensis episcopus, decano ejusdem ecclesiæ & toti capitulo in perpetuum. Ex Dei precepto astricti sumus invicem diligere, & cum caritas vivis exhibeatur, ad meritum amplius mereri videtur circa mortuos, quibus quanto plus compassionis debetur, tanto crudelius est negligere eos vel impedire. Hæc ita loquimur, quia quidam canonicus noster Odo de Noa nomine mortuus putabatur intestatus, cujus bona saisivit prædecessor noster bonæ memoriæ Almaricus, & nos, obeunte similiter T. nostro & Parisiensi canonico, ipsius res saisivimus. Sed postea mutato in melius consilio, Dei judicium attendentes & humanam pensantes fragilitatem, saisinas dimisimus ad preces capituli, etiamsi quid juris in talibus habebamus, omnino ei renuntiavimus. Sciant itaque universi præsentes & posteri, quia consentiente nostro capitulo constituimus ne quis episcopus amodo in bona canonici morientis, vel sanctæ Mariæ, vel sancti Reguli manum mittere præsumat; sed canonicus sanctæ Mariæ, cum intestatus, quod meritis & precibus beatæ Mariæ & beati Reguli absit, obierit, decanus, cantor, archidiaconus, decanus beati Reguli, abbas sancti Vincentii nihil omnino sibi retinentes, ad honorem Dei pro anima defuncti pie distribuent res ipsius. Canonici vero, qui ligius est & domesticus sancti Reguli cum decesserit intestatus, quod absit, res universas distribuent decanus ejusdem ecclesiæ, cantor, thesaurarius, decanus sanctæ Mariæ & abbas sancti Vincentii. Dictæ vero personæ cum ad personagium suum unaquæque venerit, quod intestatorum bona pie, & sicut divisum est, distribuant, juramento tenebuntur, & quisquis successor noster ad portam beati Reguli, præsente clero & populo, priusquam inthronizetur, huic nostræ constitutioni assentire & signum suum apponere tenebitur. Cæterum ne quis rei gestæ valeat contraire, & ne possit oblivione elabi, hujus continentiæ scripturam sigillo nostro fecimus communiri. Actum anno gratiæ M. CLXXIX. episcopatus nostri XII. IV. idus Decembris. *Al.* Actum in capitulo ab Incarnatione Domini anno M. CLXXIX.

LXXIV.

Donum Guidonis buticularii factum Caroli-loco.

1180. IN nomine sanctæ . . . . . Notum sit . . . quod ego Guido Ludovici illustris Francorum regis buticularius, assensu uxoris meæ Margaretæ & filiorum meorum Guidonis, Willelmi, Rainaldi, Nivelonis, & filiæ meæ Adelviæ, concessi in eleemosynam ecclesiæ beatæ Mariæ Caroli-loci quidquid habebam in nemore quod vocatur *Beclei*, & ipsius nemoris solo; nemus quoque *Trembleel*, & partem forestæ *Espillor*, & totam terram de *Buerne* medietarie excolendam, & nemus ejusdem loci sub eadem conditione . . . . . . Abbas Ingelrannus & totum capitulum Caroli-loci totam terram quam in territorio *Ermenonville* & *Ver* possidebant mihi & heredibus meis concesserunt, & quidquid in territorio Longimontis in valle ecclesia possidebat, exceptis tribus clausis vinearum . . . . Præter hæc centum sexaginta libras accepi . . . In præsentia D. Henrici Silvanectensis episcopi & aliorum ego & uxor mea Margareta, & filii mei Guido jam miles factus & Willelmus in manu præfati episcopi affidavimus, quod portabimus garentiam . . . . . Concessionem postea in manu A prænominati episcopi fecimus Silvanecti . . . præsentibus quorum signa & nomina . . . . Signum Stephani fratris mei decani Silvanectensis. Signum Stephani Coci decani sancti Reguli. Sig. Rainaldi Choiselli. Sig. Galterii de *Ver*. Sig. Theobaldi de Gonessa militis. Sig. Rainaldi filii ejus. Sig. Odonis de Fontanis. Sig. Ferrici nepotis episcopi. . . . . voluimus sigilli nostri impressione muniri. Actum anno M. CLXXX. regni autem Ludovici piissimi regis Francorum XLII. domini autem Philippi filii ejus coronationis. primo. *Sigillatum cera viridi cum funiculis de corio: circum sigillum scriptum est*, Sigillum Guidonis pincernæ, *in quo exhibetur eques altera manu scutum gerens & altera ensem.*

B LXXV.

Conventio inter Odonem decanum sancti Frambaldi & ecclesiam S. Vincentii, de quarumdam ecclesiæ S. Frambaldi præbendarum annualibus. Ex archiv. S. Vinc. Silvan. p. 260.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Odo Dei misericordia ecclesiæ sancti Frambaldi decanus, totumque capitulum, notum facimus universis tam præsentibus quam posteris, quod cum discordia quædam extitisset inter ecclesiam nostram & ecclesiam sancti Vincentii Silvanectensis super annalibus præbendæ de decania, & dimidiæ præbendæ de cantoria, & dimidiæ præbendæ de præpositura, similiter & præbendæ thesaurarii, consilio tandem & voluntate Ludovici Francorum regis & Henrici Silvanectensis episcopi, & aliorum prudentium virorum interventione, amicabili convenimus compositione, & concessimus ut de omnibus præbendis ecclesiæ nostræ, tam de illis quæ personatibus assignatæ sunt quam de aliis, quoties vacaverint, ecclesia sancti Vincentii possideat annalia, solam dimidiam præbendam quæ præposituræ assignata est, nobis liberam & sine annali retinentes, nisi forte ad personam redierit, quod sub anathemate prohibuimus. Hugo autem abbas sancti Vincentii & cæteri ejusdem ecclesiæ fratres concesserunt quod de præfata dimidia præbenda præposituræ nullum unquam exigent annale; & si quid juris in ea habebant, omnino ei renunciaverunt, nisi, ut supra dictum est, ad personam redierit. Hæc omnia ne deinceps negari queant vel aliquo modo perturbari, scribi D fecimus & sigilli nostri auctoritate munivimus, & subsequentium signis personarum corroboravimus. Sig. Odonis decani. Sig. magistri Gilduini thesaurarii. Sig. Hermeri cantoris. Sig. Giraudi. Sig. Rogeri presbyterorum. Sig. Stephani decani sanctæ Mariæ. Sig. Stephani sancti Reguli. Sig. Asconis præcentoris sanctæ Mariæ. Sig. Berreri diaconorum. Actum est hoc anno Incarnati Verbi M. CLXXX. regnante Ludovico nobilissimo Francorum rege. 1180.

LXXVI.

Constitutum Henrici episcopi Silvanectensis, quod nullus canonicus parochiæ curam habere debeat.

E QUoniam generatio præterit & generatio succedit, ea quæ ad utilitatem & honorem sanctæ ecclesiæ promulgantur scriptis commendantur authenticis, ne cum præteritis prætereant & oblivionem caveant futurorum. Hac igitur consideratione ego Henricus sanctæ Silvanectensis ecclesiæ indignus episcopus, notum fieri volo tam futuris quam præsentibus quod interventu & petitione fratrum meorum canonicorum, & pro honore ecclesiæ cujus gero sollicitudinem, hanc institutionem facio atque promulgo, ut nullus deinceps eorumdem canonicorum parochiæ curam habeat, nec ab episcopo sub aliqua specie parochiam suscipiat, vel titulatam vel commendatam. Indignum enim valde est ut ille qui in majori ecclesia, secundum canonicam dignitatem sacro-sancto altari in ordine vicis Circa 1180.

suæ est assignatus, parochiali curæ teneatur obnoxius; alienum quippe est a canonica dignitate conjugales thoros benedicere, enixas mulieres purificare, rixas populi & contentiones ad episcopum referre, decano presbyterorum subesse, inter convicaneos & plebeios sacerdotes eum annumerari, qui ex dignitate sui officii adscriptus est in matricula ecclesiæ juxta nomen magnorum qui sunt in ecclesia. Hæc autem nostræ institutionis pagina ne per succedentia tempora possit deleri vel alicujus prava interpretatione infirmari, sigilli nostri auctoritate communivimus & roboravimus testium subscriptorum attestatione, Stephani videlicet decani, Asconis cantoris, Henrici archidiaconi, Reneri subcantoris, Stephani quoque sancti Reguli, Ebroini decani sancti Frambaldi, Girardi, Johannis, Girardi presbyterorum; Nevelonis, Guidonis, Theobaldi, Balduini diaconorum; Reinaldi, Odonis, Bernardi, Petri de Ponte, Guidonis de Ponte, Walerani, Walterii, Laurentii, Hescelini subdiaconorum.

LXXVII.

Hugonis abbatis S. Vincentii Silvanectensis conventio de redditu unius lampadis in ecclesia B. Mariæ.

Circa 1180. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Quod a fidelibus Christi ad utilitatem ecclesiæ & salutem animarum intuitu caritatis fieri comprobatur, ita definiri & terminari merito debet ne aliquis inde posteris ambiguitatis scrupulus relinquatur. Proinde ego Hugo abbas sancti Vincentii scilicet & ejusdem ecclesiæ conventus, tam futuris quam præsentibus notum fieri volumus quod domina Ermentardis de Duaco soror nostra, inter cætera piæ devotionis opera lampadem quamdam in ecclesia beatæ Mariæ Silvanectensis, mediam trium quæ in introitu sacrarii ante altare Virginis dependere videntur, pro salute animæ viri sui suæque, de suo proprio tam diebus quam noctibus perpetualiter ardere instituit, & redditus nobis de quibus oleum ad idem luminare retinendum nos & successores nostros administraturos fore concessimus, assignavit. Verum si aliquando evenerit quod oleum ex nostra administratione deficiat, canonici sanctæ Mariæ, de redditibus præbendæ nostræ, quod a nobis minus impletum fuerit, absque omni satisfactione & justitiæ exactione supplebunt. Hujus conventionis inter nos & canonicos sanctæ Mariæ domnus Henricus episcopus medius fuit, & quemadmodum inter nos definitum est, ratum esse decrevit. Quod ne aliqua in posterum deleret oblivio, scripto mandari, & tam sigillis episcopi quam nostro muniri & subscriptorum testium signis corroborari volumus. Sig. Balduini quondam abbatis. Sig. Odonis prioris. Sig. Alberti. Sig. Henrici sacerdotum. Sig. Johannis. Sig. Radulfi diaconorum. Sig. Balduini. Sig. Theodorici subdiaconorum. Signum B. M. canonicorum. Sig. Stephani decani. Sig. Aschonis præcentoris. Sig. Petri archidiaconi. Sig. Rainerii succentoris. Sign. Ebroini decani sancti Frambaldi. Sig. Gerardi sacerdotis. Sig. Giraldi. Sig. Balduini diaconorum. Sig. Petri de Ponte. Sig. Stephani Coqui. Sig. Reinaldi Cofelli. Sig. Guidonis de Ponte, Valeriani, Johannis, Guillermi, Hermerii subdiaconorum.

LXXVIII.

Ex tab. S. Reguli.

Bulla Alexandri III. papæ super statuto de Foraneis.

Circa 1180. ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano & canonicis ecclesiæ beati Reguli Silvanectensis, salutem & apostolicam benedictionem. Pastoralis cura & sollicitudo quam providente Domino licet immeriti gerimus, nos invitat propensius & hortatur ad decorem & incrementum ecclesiarum intendere, & quæ in eis rationabili prudentia disposita & statuta noscuntur apostolicæ firmitatis robore communire; & ne pravorum temeritas rationabiles constitutiones valeat immutare, circumspecta nos convenit sollicitudine providere. Audivimus autem, & certa nobis relatione innotuit quod a vobis communi voluntate statutum est & firmatum, ut illi vestrûm qui per annum saltem sex mensibus in servitio ecclesiæ non fuerint, de præbenda sua, nisi licentia capituli, foris extiterint, exceptis his qui in servitio nostro vel charissimi in Christo filii nostri L. illustris Francorum regis permanserint, viginti tantum solidos annuatim recipiant. Quam utique institutionem ratam & firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere aut ei aliquatenus contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus noverit incursurum. Datum Tusculani decimo calendas Septembris.

LXXIX.

Fundatio capituli sancti Thomæ Crespeiensis.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. 1182. Ego Philippus Flandriæ & Viromandiæ comes, & Elizabeth uxor mea, notum esse volumus tam futuris quam præsentibus, quod pro animabus nostris & antecessorum nostrorum quamdam ecclesiam in honore beati Thomæ martyris Cantuariensis prope muros Crespeii fundari fecimus, in qua decem canonicos ibidem Deo servituros, quinque presbyteros, tres diaconos, duos subdiaconos instituimus, assignantes & in eleemosynam concedentes in perpetuum viginti libras singulis presbyteris, singulis diaconibus quindecim libras, singulis subdiaconibus duodecim libras recipiendas annuatim in festo sancti Remigii ex censu nostro Crespeii, aliisque justis reditibus nostris & traverso; unus autem ex quinque presbyteris decanus eorum erit, cui ad viginti libras præbendæ suæ pro officio decaniæ suæ quinque libras ibidem singulis annis habendas addidimus. Ad luminare quoque prædictæ ecclesiæ decem libras annuatim assignavimus, custodi vero ecclesiæ quinque libras. Sciendum etiam quod eidem ecclesiæ & canonicis omnimodam libertatem concedimus, ita quod nulli laïcæ potestati liceat in ecclesiam, aut in domos, aut possessiones & servientes eorum, aut in aliquas res ad ecclesiam & ad ipsos spectantes manus injicere. Damus itaque eisdem canonicis libertatem legendi & scholas regendi. Hospitali autem juxta eamdem ecclesiam ædificato undecim libras annuatim concessimus, & unam bigatam lignorum in foresta nostra singulis diebus accipiendam donavimus. Facta est autem hæc eleemosynæ nostræ donatio per manum Henrici Albanensis episcopi, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, apostolicæ sedis legati, & Theobaldi Cluniacensis abbatis. Actum hoc anno Verbi Incarnati M. CLXXXII.

LXXX.

Compositio inter episcopum & capitulum Silvanectensem. *Ex tab. B. M. Silvan. p. 44.*

WILLELMUS Dei gratia Remorum archiepiscopus, sanctæ Romanæ ecclesiæ titulo sanctæ 1183. Sabinæ cardinalis, apostolicæ sedis legatus, omnibus ad quos literæ istæ pervenerint, in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod cum inter venerabilem fratrem nostrum Henricum Silvanectensem episcopum & dilectos filios nostros ejusdem ecclesiæ canonicos quæstio verteretur super quadam consuetudine, quam iidem canonici se ab antiquis obtinuisse temporibus asserebant; tandem inter eos, nobis mediantibus, in hunc modum facta est compositio, videlicet, quod si major ecclesia cessaverit pro injuria canonico vel alicui

servienti canonici illata, vel ideo quod aliquis domum canonici violenter intraverit, aut res ipsius vel alterius inde adsportaverit, episcopus super hoc requisitus omnes alias civitatis ecclesias statim sine contradictione & dilatione faciet cessare. Si vero episcopus præsens non fuerit, archidiaconus in hac parte vices episcopi supplebit, vel absente archidiacono, decanus christianitatis. Quod si episcopus, vel archidiaconus, vel christianitatis decanus eadem die qua requisitus fuerit non fecerit, ad mandatum decani majoris ecclesiæ, vel ejus qui vices decani egerit, omnes aliæ civitatis ecclesiæ cessabunt. Ne autem super hiis quæ per nos firmata sunt aliqua in posterum quæstio possit oriri, eadem tam præsentis scripti patrocinio quam sigilli nostri auctoritate confirmavimus. Datum anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXIII. Datum per manum Lambini cancellarii nostri.

LXXXI.

Ex tab. B. M. Silvan. p. 32.

Henricus episcopus medietatem oblationum, post ecclesiam perfectam, canonicis confirmat.

1184. HENRICUS Dei gratia Silvanectensis episcopus, dilectis filiis S. decano beatæ Mariæ totique capitulo in perpetuum. Veraci quorumdam fratrum & amicorum nostrorum canonicorum ecclesiæ nostræ assertione cognovimus, quod prædecessor noster Theobaldus episcopus bonæ memoriæ, qui præfatam cœpit innovare ecclesiam, piissimi regis Ludovici devoto assensu, oblationum omnium medietatem canonicis ibidem Deo servientibus post consummationem operis habendam concessit, & super altare obtulit. Nos autem credentes eorum testimonio, & amplificare tenues eorum redditus cupientes, notum facimus tam præsentibus quam futuris quod donum supradicti antistitis Theobaldi ratum habentes, & per omnia approbantes, ipsius gazophylacii, in quo beneficia recipiuntur, eis clavem tertiam in recognitionem supradictæ donationis tradidimus. Quod ut ratum sit donum præfatum sigilli nostri testimonio roboravimus, statuentes ut qui præfatæ concessioni contraire præsumserit, anathema sit. Sig. Stephani decani. Sig. Letoldi præcentoris. Sig. Henrici archidiaconi. Sig. Reneri succentoris. Sig. Stephani decani beati Reguli. Sig. Bernardi, Girardi, Johannis sacerdotum. Sign. Renardi *Choisel*, Petri de Ponte, Johannis de *But*. Guidonis de Ponte diaconorum. Sig. Laur. Petri de Monte, Octoviani, Johannis subdiaconorum. Actum Incarnati Verbi M. CLXXXIV.

LXXXII.

Ex tab. B. M. p. 92.

Henricus episcopus duas summas lignorum in Quadragesima capitulo singulis diebus concedit.

1184. HENRICUS Dei gratia Silvanectensis episcopus, omnibus ad quos literæ istæ pervenerint, in Domino salutem. Ex suscepti beneficii debito singuli tenentur fideles illis specialiter ecclesiis a quibus beneficia receperint, etsi non quantum debent, pro suæ tamen possibilitatis modulo aliquid rependere; qua & nos consideratione inducti, ecclesiæ nostræ, in qua licet immeriti dignitatem obtinuimus, etsi quædam licet parva conferimus, sua ei, & ut proverbialiter dictum est, de suo sibi reddimus & non nostra largimur. Noverit siquidem universitas vestra quod dilectis fratribus & amicis nostris Stephano decano & universo capitulo ecclesiæ nostræ, beatæ videlicet Mariæ Silvanectensis, & per eos eorum successoribus in perpetuum concessimus, & liberaliter, immo quod majus est, libere absque ullius servitii impensione dedimus, & etiam per baculum nostrum quo in infirmitate nostra sustentabamur, supra nominatum decanum, & per ipsum & in ipso memoratum capitulum & eorum successores seriatim succedentes, sicut dictum est, in perpetuum investivimus, ut ad refectionem fratrum

A in Quadragesima singulis diebus in bosco nostro, & ut verius loquamur, ecclesiæ nostræ duas summas lignorum habeant; statuentes & sub anathematis interminatione prohibentes ne aliquis huic nostræ concessioni, donationi, & quam diximus investituræ contradicere, sive aliquatenus obviare præsumat. Ut autem factum nostrum zelo Dei & pietatis intuitu tractatum, & quod amplius est, consummatum, firmum & ratum habeatur, & successione temporum deleri non possit vel aliquorum malignantium perversitate turbari, præsens scriptum exinde fecimus sigilli nostri munimine roborari, & nomina testium apposuimus. Sig. Hugonis abbatis sancti Vincentii. Sig. Letholdi præcentoris beatæ Mariæ. Sig. Henrici archidiaconi. Sig. fratris Alberici capellani nostri. Sig. Rainaldi B *Choisel*. Sig. Johannis de But. beatæ Mariæ canonicorum. Sig. Arnulfi, Garini beati Reguli canonicorum. Sig. Federici nepotis nostri. Sig. Willelmi. Sig. Durandi. Actum publice anno gratiæ M. CLXXXIV.

LXXXIII.

Statutum Henrici episcopi de capella Domus-Dei de Crispeio.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. 1184. Ego Henricus Dei gratia Silvanectensis episcopus, omnibus ad quos præsentes literæ pervenerint in perpetuum. Notum fieri volumus tam futuris quam præsentibus, quod cum Alienor comitissa Valesiæ, domina & heres terræ Crispeii, filia Radulfi comitis C Peronæ, & Matthæus vir ejus prænominati Valesii comes, quamdam ecclesiam in honorem beati Michaelis de assensu nostro infra castra Crispeii construerent, & canonici ecclesiæ sancti Thomæ martyris super hoc reclamarent, asserentes ecclesiam beati Michaelis infra fines parochiæ suæ esse constructam, & inde omnino totum fructum & beneficium illius ecclesiæ percipere volebant. Nos vero ex nostri officii debito paci & utilitati utriusque partis providere volentes, pacem inter eos in hunc modum composuimus, scilicet, quod prænominati comes & comitissa tredecim modios frumenti ad mensuram Crispeii, quos prius ecclesiæ beati Michaelis & pauperibus hospitalis quod situm est juxta ipsam ecclesiam assignaverunt, & ita deliberaverunt quod ecclesiæ beati Thomæ decem modios dederunt, ecclesiæ vero beati Michaelis ad D emendum oleum & luminare ipsius ecclesiæ unum; presbyter autem & magister ipsius hospitalis luminare illud administrabunt, ad hospitale duos modios ad sustentationem pauperum ibi degentium, decem vero modii ad ecclesiam beati Thomæ in festo S. Remigii, & tres alii ad domum jam dicti hospitalis singulis annis a granchia de *Morguenval* adducentur eildem ministris, quibus prius ad domum-Dei Crispeii ducebantur. Præterea sciendum est quod omnes oblationes quæ ad præfatam ecclesiam venient, ita dividentur, quod ecclesia beati Thomæ duas partes habebit, præfatum vero hospitale tertiam partem ad refectionem pauperum. Sacerdos vero qui in eadem ecclesia fuerit institutus, erit ecclesiæ beati Thomæ canonicus, & sicut alius ipsius ecclesiæ sacerdos & canonicus plenaE riam omnino recipiet portionem; præfato vero presbytero de medio decedente vel aliquo modo resignante, dominus castri Crispeii præfatam ecclesiam cuilibet honestæ personæ assignabit, nisi forte donationem præbendarum, quæ ad eum pertinet, alii assignare voluerit; & si forte, quod absit, aliquæ lites pro ecclesia contra monachos sancti Arnulfi vel sanctæ Agathes emerserint, in litibus redimendis vel constructione ecclesiæ beati Thomæ, sæpedictus presbyter de portione sua, nonnisi de propria voluntate, aliquid apponet. Præterea statutum est ut in præfata capella missa cum plenaria commendatione & vigiliis novem lectionum singulis diebus celebretur, exceptis diebus in quibus hoc non licet fieri, scilicet pro anima

A Radulfi comitis Peronæ & Petronillæ comitissæ, & Radulfi comitis junioris, & Elisabeth Flandrensis comitissæ, Hugonis & Elisabeth liberorum ejus, & Godefridi primi viri sui, & Guillelmi Nivernensis comitis, Matthæi comitis Boloniæ, Henrici regis junioris Angliæ, & Ivonis Suessionensis comitis, & Alarici & dominæ Beatricis de *Maruchg* universorum auctoritate hic descriptorum; Matthæi quoque comitis Valesiæ & Alienoris comitissæ postquam obierint, anniversarios dies capellani, qui sibi invicem successerint celebrari facient. Quod ut totum observetur in perpetuum, sigilli nostri auctoritate præsentem chartulam roboramus, & qui hanc paginam nostræ confirmationis aliquatenus infringere voluerit, anathematis vinculo innodamus. Testes sunt qui affuerunt: Sig. Hugonis abbatis S. Vincentii Silvanectensis. Sig. abbatis B Vallis-Serenæ. Sig. Henrici archidiaconi Silvanect. Sig. Petri decani sancti Thomæ. Sig. Odonis canonici. Sig. Petri canonici. Sig. Radulfi canonici. Sig. Guillelmi canonici. Sig. domini Pauli de *Acy*. Sign. domini Theobaldi. Sig. domini Rigaldi de *Villers*. Sig. Harnulfi majoris Silvanectensis. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXIV.

LXXXIV.

De lampade fundata ante reliquias S. Frambaldi.

1185. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego Gaufridus Dei patientia Silvanectensis episcopus, notum fieri volumus omnibus tam præsentibus C quam posteris, quod Margarita uxor Guidonis buticularii, in lecto ægritudinis in qua decessit, inter alia quæ in testamento disposuit, a Guidone viro suo quamdam lampadem perpetuo ardentem in ecclesia beati Frambaldi, ante reliquias sanctorum qui ibi requiescunt, institui humiliter postulavit; cujus petitioni idem Guido buticularius & filii ejus Guido & Guillelmus acquieverunt, & quod postulaverat benigne concesserunt. Ea demum viam universæ carnis ingressa, prædictus Guido buticularius, cum filiis suis Guidone & Willelmo ad nos accesserunt, & in præsentia nostra viginti solidos decano & capitulo sancti Frambaldi annuatim reddendos, unde oleum prædictæ lampadi ministretur, in traverso suo Silvanectensi assignaverunt, quorum decem debent reddi die vigesimo a Natali D Domini, decem in Nativitate sancti Joannis Baptistæ; capitulum autem tenetur ministrare oleum lampadi eidem perpetuo ardenti, mediæ scilicet trium quæ ante altare dependent. Si vero nummi prædicti diebus statutis non reddantur, ille qui traversum prædictum collegerit, decimo quinto die & deinceps postquam terminus reddendorum nummorum transierit, excommunicationi subjacebit. Si autem nec sic redditi fuerint, dominus qui traversum tenuerit, quicumque ille sit, post quindecim dies ab excommunicatione colligentis traversum elapsos, eadem sententia involvetur. Hanc itaque eleemosynam, sicut præsentis paginæ testimonio ordinata est, in manu nostra sæpedicti Guido buticularius & filii ejus obtulerunt, & nos ad petitionem eorum Hermerum decanum & capitulum E ecclesiæ beati Frambaldi de ea investivimus. Ut autem hæc omnia firma & inconcussa observentur, ad preces memorati buticularii & canonicorum sancti Frambaldi hæc scribi fecimus & sigilli nostri testimonio munivimus. Actum Silvanectis anno Incarnati Verbi M. CLXXXV. Affuerunt testes Hugo abbas sancti Vincentii, Stephanus decanus beatæ Mariæ, Stephanus decanus beati Reguli, Godefridus capellanus noster, Johannes Balbus.

LXXXV.

Consuetudines ecclesiarum beatæ Mariæ & sancti Reguli confirmantur. *Ex tabul. B. M. Silvan. p. 37. & S. Reguli ch. 1.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1186. Gauffridus Dei gratia Silvanectensis episcopus, decano ejusdem ecclesiæ & toti capitulo in perpetuum. Qui misericordia Dei indigemus, & eamdem a summo misericorde suscipere desideramus, petitioni canonicorum ecclesiæ nostræ quam nobis humiliter obtulerunt misericorditer condescendimus. Accedentes enim ad nos ecclesiæ nostræ canonici, humili nos postulatione rogaverunt quatinus quasdam consuetudines & quædam jura eisdem a prædecessore nostro piæ memoriæ Henrico episcopo confirmata, nos ipsi etiam firmaremus. Nos igitur eorum petitioni grato concurrentes assensu, quæcumque prædecessor noster recolendæ memoriæ Henricus episcopus confirmavit, sicut in scriptis ejusdem authenticis inde factis continetur, & confirmamus & ratum habemus: inter quæ hæc propriis voluimus declarare notitiis, succursum videlicet ecclesiarum suarum quod eumdem libere habeant; quod etiam pro excommunicato habere teneamur quem major ecclesia excommunicavit pro redditibus suis, vel injuriis tam canonicorum quam mancipatus sui, vel pro fracturis domorum suarum, & quod non liceat sic excommunicatum alicui absolvere, nisi ex mandato capituli; quod cessante majore ecclesia omnes parochiæ civitatis teneantur cessare ad ejusdem ecclesiæ mandatum; quod prædicatores non debeant recipi in majori ecclesia vel in aliqua parochiarum civitatis, nisi ad mandatum decani beatæ Mariæ, vel præcentoris, vel hebdomadarii; & has consuetudines similiter ecclesiæ beati Reguli ex integro concedimus. Firmamus præterea quod nulli canonicorum liceat habere curam parochiæ, vel parochiam sub aliqua specie ab episcopo suscipere, vel titulatam vel commendatam. Firmamus præterea medietatem oblationum omnium quæ fient in ecclesia beatæ Mariæ canonicis habendam post operis consummationem, & quod canonici in recognitione hujus rei tertiam clavem trunci habeant. Firmamus insuper quod si canonicus beatæ Mariæ, quod Dominus avertat, intestatus decesserit, res ejus universas decanus beatæ Mariæ, cantor, archidiaconus, decanus beati Reguli, abbas sancti Vincentii pie pro anima defuncti distribuent, nihil omnino sibi retinentes; si vero canonicus qui ligius sit beati Reguli, quod absit, intestatus decesserit, res ejus universas distribuent decanus ejusdem ecclesiæ, cantor, thesaurarius, decanus beatæ Mariæ, abbas sancti Vincentii. Dictæ vero personæ cum ad personagium unaquæque venerit, quod intestatorum bona pie, & sicut divisum est, distribuent, jurare tenebuntur. Quisque etiam successor noster ad portam beati Reguli, præsente clero & populo, priusquam intronizetur huic nostræ & Henrici antecessoris nostri constitutioni assentire, & signum suum apponere tenebitur. Ne quis autem hiis quæ prædiximus valeat contraire, hæc scribi fecimus & sigilli nostri auctoritate munivimus. Actum anno M. CLXXXVI. episcopatus nostri secundo, sedente pio patre & universali papa nostro Urbano, regnante Philippo illustri Francorum rege, Willelmo Remensi metropolitano. Sig. Stephani decani. Sig. Letoldi cantoris. Sig. Henrici archidiaconi. Sig. Reneri succentoris. Sig. Stephani decani beati Reguli. Sig. Gerardi. Sig. Johannis poetæ. Sig. Willelmi sacerdotum. Sig. Balduini. Sig. Johannis de *But*. Sig. Petri de *Vax*. Sig. Renaldi. Sig. Galteri de *Ver* diaconorum. Sig. Laurentii. Sig. Petri de Monte. Sig. Almarici. Sig. Octoviani subdiaconorum.

LXXXVI.

Ex tabul. S. Reguli.

Specialis consuetudo ecclesiarum beatæ Mariæ & S. Reguli de percipiendis præbendarum fructibus ad meliorem statum reducitur.

1186. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Gaufridus Dei gratia Silvanectensis episcopus. Notum facimus tam posteris quam præsentibus canonicos ecclesiæ nostræ & canonicos beati Reguli quamdam ab antiquis temporibus obtinuisse consuetudinem, quod videlicet si canonicus tandiu vixisset usque dum aliquid vel tantillum de annona præbendæ suæ recepisset, totum residuum annonæ illius anni de præbenda sua vel præbendis, si forte plures haberet, in jus canonici cederet. Nos autem devotione quam circa ecclesias nostras & circa canonicos ibidem Deo servientes gerimus inducti, eamdem consuetudlnem ad meliorem statum, Deo auctore, disposuimus reducere. Statuimus igitur &.firmamus quod si canonicus beatæ Mariæ vel canonicus beati Reguli usque ad Nativitatem beati Johannis Baptistæ vixerit, tota annona illius anni de præbenda sua vel præbendis, si plures habeat, in jus cedat ejusdem canonici; annonam vero sequentis anni habeat ecclesia beati Vincentii pro annali. Ne quis autem hiis quæ prædiximus valeat contraire, hæc scribi fecimus & sigilli nostri auctoritate munivimus. Actum anno Incarnati Verbi M. CLXXXVI. episcopatus nostri secundo, sedente pio patre & universali papa nostro Urbano, regnante Philippo illustri Francorum rege, Willelmo Remensi metropolitano. Sig. Stephani decani. Sig. Letoldi cantoris. Sig. Henrici archidiaconi. Sig. Reneri succentoris. Sig. Stephani decani sancti Reguli. Sig. Girardi. Sig. Johannis poetæ. Sig. Willelmi sacerdotum. Sig. Balduini. Sig. Johannis de *But*. Sig. Petri de *Vax*. Sig. Renaudi. Sig. Galteri de *Ver* diaconorum. Sig. Laurentii. Sig. Petri de Monte. Sig. Almarici. Sig. Octoviani subdiaconorum.

LXXXVII.

Confirmatio privilegiorum abbatiæ sancti Vincentii Silvanectensis.

1190. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Philippus Dei gratia Francorum rex. Attendentes genitorem nostrum piæ memoriæ Ludovicum ecclesiæ nostræ beati Vincentii Silvanectensis privilegium indulsisse, quo ecclesia & ecclesiæ muniebantur ad petitionem Hugonis illius loci tunc abbatis, juxta tenorem dicti privilegii eadem præsenti scripto duximus annotare, & quæ post indultum a patre nostro privilegium juste ac rationabiliter eidem ecclesiæ acquisita sunt, confirmare. Notum igitur facimus universis præsentibus pariter & futuris ecclesiam beati Vincentii martyris in suburbio Silvanectensi, in alodio regali, a glorioso rege Francorum Philippo proavo nostro & matre sua Anna, pro anima Henrici regis mariti sui, omnino liberam ex more & consuetudine regalium ecclesiarum, scilicet sanctæ Genovefæ Parisiensis sanctique Frambaldi Silvanectensis fundatam, ipsamque ecclesiam cum claustro & domibus, clericis & servientibus in omni libertate perpetualiter permanere decernimus; ita etiam quod clerici, nec eorum servientes vel aliquam potestatem vel dignitatem, nisi per ecclesiæ abbatem super aliqua re ullam exsequantur justitiam. Ad eorumdem vero clericorum sustentationem ea quæ prædicta Anna ecclesiæ fundatrix eidem ecclesiæ acquisivit & noster avus concessit, ac ipsi clerici acquisierunt, vel fideles Dei tam clerici quam laïci pro animarum suarum remedio obtulerunt, ut quiete & libere ipsa ecclesia perpetualiter possideat præcipimus, & maxime quæ ab avo nostro eis concessa scriptoque firmata esse agnovimus, videlicet hospites qui in atrio & circa eamdem ecclesiam sancti Vincentii sunt, cum

A furno & omnibus consuetudinibus hospitum; præbendas cum redditibus suis in ecclesiis beatæ Mariæ, sancti Reguli, sancti Frambaldi & sancti Evremundi de Credulio; anniversaria canonicorum ecclesiæ beatæ Mariæ & sancti Reguli, quæ Clarembaldus episcopus Silvanectensis assensu clericorum eidem ecclesiæ dedit, & ecclesiæ sancti Frambaldi quæ similiter ipsi ecclesiæ canonici sancti Frambaldi, avi nostri assensu, quia nostra est ecclesia, concesserunt; ita quod in mutatione personarum vel præbendarum ecclesia sancti Vincentii usque ad revolutum anni circulum redditus præbendæ habebit; hospites cum terra & censu juxta Muratum, tres hospites de dono Guarneri militis in vico Parisiensi, olchias de censu nostro, terram de dono Alberti, terram de dono Petri Viatoris, & aliam B de dono Rainaldi fratris ejus; terram de dono Pagani, terram emtam ab Odone, terram ad Fraxinum cum prato, terram de Berregis, terram de dono Durandi, terram de dono Hugonis, terram quam Fulbertus tenuit ab ecclesia sancti Reguli, & duos hospites apud Altum-montem, quatuor arpennos vinearum cum torculari, vineas de dono Radulfi *Picot*, vineas de dono Ebroini, vineas cum hospite de dono Gualterii Caperonis, villulam de dono Simonis Marescalci, quæ vocatur Malagenesta, quæ de censu episcopi est; medietatem feodi quod Gualterus de Regione ab heredibus Bernerii tenebat, quod ipse & heredes sui pro ecclesia perpetualiter deservire debent; apud *Auvers* villam regiam, ecclesiam ejusdem villæ & decimam vini, cum minutis decimis & redditibus gallinarum & anserum ipsius loci, quæ de jure & dominio regum C fuerunt, sicut ab avo nostro pro anima Philippi regis proavi nostri eis collata esse noscuntur; apud Hermenoivillam hereditatem Landrici; apud Pracivillam medietatem feodi de dono Huberti & viatoriam totam illius terræ taxamenti; in Bernulia villa hereditatem Ingelranni omnino liberam, cum hospitibus & torculari; clausum de Ruppibus cum censu, vineam de *Froc*, duos gurgites in aqua cum rippis & terra quæ eis attinent; apud Tariniacum vineam de censu nostro, de censu cambii quadraginta solidos, de dono avi nostri viginti, de dono aviæ nostræ viginti; in villa quæ vocatur mansionale *Blaum*, dominium illius villæ, & omnem justitiam, curtem, culturas & duas partes omnium reddituum in hospitibus, terra, aqua & molendino, & omnibus quæ ad villam pertinent; D molendinum unum in villa quæ vocatur *Govix*, & hereditatem Radulfi *Chardum;* curtem de *Lis* cum terris ad eamdem curtem pertinentibus; in territorio Barbarævillæ viginti arpennos terræ arabilis; in suburbio Silvanectensi pratum regium quod dedit eis avus noster, in quo prato ædificaverunt prædictæ ecclesiæ clerici curtem & hortum proprium. Præcipimus etiam, quia nostra est ecclesia & ex toto tam in sepultura quam in aliis libera, ut omnes servientes nostri milites & burgenses ac familiæ eorum, & alii qui ibi sepeliri deliberaverint, nullus eis contradicat. Confirmamus equidem quod hospites jam dictæ ecclesiæ qui mercatores sunt & in foro nostro venalia opera exercent, hasbannum quod ceteri mercatores præposito nostro persolvunt, ipsi ecclesiæ persolvant, & nequaquam ab E aliquo super hoc requisitionem vel gravamen sustineant. Et quia ex eleemosyna antecessorum nostrorum & nostra ipsa fundata est ecclesia, concedimus ut in terra & hospitibus omnem justitiam prædicta ecclesia habeat, & insuper vinagium, roagium, foragium & cæteras consuetudines quas hactenus tenuit & tenet, in pace perpetualiter possideat; præterea sextam partem decimæ de Braio & cætera de dono Guillelmi de Gonessa, sicut in charta Gaufridi Silvanectensis episcopi continetur, & decimam de *Raray*, & alia quæ Guillelmus de Gallanda sæpedictæ ecclesiæ dedit, sicut in literis ipsius Guillelmi continetur, & decimam de *Nudully* de dono Odonis de *Curlin*, sicut in literis Guillelmi de Merloto continetur. Quæ omnia

ut perpetuam sortiantur stabilitatem, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate ac regii nominis charactere inferius annotato præcipimus confirmari. Actum Silvanectis anno ab Incarnatione Domini M. CXC. regni nostri anno undecimo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Sig. comitis Theobaudi dapiferi nostri. Sig. Guidonis buticularii. Sig. Matthæi camerarii. Sig. Radulfi constabularii. Data vacante cancellaria.

LXXXVIII.

Ex tabul. B. Reguli, c. 27 *Confirmatio episcopi super statuto de Foraneis.*

Ante an. 1195. EGO Gaufridus Dei gratia Silvanectensis episcopus. Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod institutionem de foraneis quæ facta est in ecclesia beati Reguli, & juramento canonicorum ejusdem ecclesiæ, domini quoque papæ privilegio confirmata, videlicet quod illi qui per annum saltem sex mensibus in servitio ecclesiæ non fuerint, nisi licentia capituli foris exstiterint, exceptis hiis qui in servitio domini papæ vel domini regis permanserint, de præbenda sua viginti solidos tantum recipiant; nos quoque ratam habemus tam in personis quam in simplicibus canonicis, & ad petitionem canonicorum assensu Stephani tunc decani, Ivonis præcentoris, Petri thesaurarii sigillo nostro confirmari fecimus, statuentes ut quicumque contra hanc nostram institutionem ire præsumpserit, auctoritate Dei & nostra anathematis vinculo innodetur.

LXXXIX.

Ex tabul. S. Reguli. *Capitulum sancti Reguli gratum se exhibet erga benefactorem.*

1195. EGO Ivo Dei miseratione decanus totumque ecclesiæ beati Reguli Silvanectensis capitulum, universitati fidelium notum fieri volumus quod domno Bartholomæo qui ecclesiæ nostræ non modica beneficia contulit, de bonis ecclesiæ nostræ annuum beneficium, quatuor videlicet modios frumenti & totidem avenæ ad mensuram capituli, & post ejus decessum Guiberto ejus nutrito illud idem beneficium toto tempore vitæ suæ habendum concessimus, & in præsentia domni & patris Gaufridi episcopi nostri exinde utrumque investientes, illud beneficium in granchia nostra de Villa-viridi singulis annis usque ad octabas Natalis Domini, nos absque molestia reddituros promisimus, de vino quoque cellarii nostri quantum canonicus integer percipiet, alter eorum qui supervixerit, ita tamen quod expensas ad vineas & ad usus cellarii factas persolvet; pratum insuper & mansuras quæ Bartholomæus pater ipsius Guiberti sub annua pensione decem solidorum a nobis tenuerat, idem Guibertus sub eadem census summa tenebit, cæteris omnibus quæ ipsi tenuerant ecclesiæ nostræ in eleemosynam datis & concessis perpetuo possidendis. Notandum præterea quod post decessum ipsius Guiberti, in die anniversarii ejus decem solidos persolvemus, hiis solis qui servitio interfuerint dividendos. Hæc autem ut in perpetuum rata & firma permaneant, præsentem cartam exinde fecimus, & sigilli nostri appositione firmavimus. Actum publice Silvanecti in ecclesia nostra ante majus altare, anno Incarnationis Dominicæ M. CXCV. præsentibus & videntibus, & audientibus his qui super eodem facto cui interfuerunt, veritati testimonium perhibentes id ipsorum sigillorum suorum impressione firmarunt.

XC.

Institutio capellani, qui tenetur celebrare missas pro fidelibus in anniversariis.

1197. STEPHANUS divina patientia decanus totumque beatæ Mariæ Silvanectensis capitulum, universis ad quos literæ illæ pervenerint, in Domino salutem.

A Quantum supernæ pietatis dignatio ecclesiam nostram & in ædificiis nostris extulerit temporibus, & in redditibus & in aliis temporalibus eidem contulerit incrementum, dum contuemur oculis & animo retractamus, ad agendum ei gratias uberes a quo bona cuncta procedunt, frequentius provocamur, & eorum de quorum beneficiis constructa noscitur & ditata, in orationibus nostris tenemur assidue reminisci. Hac itaque pia & approbanda consideratione, necnon domini & patris Gaufridi episcopi nostri consilio pariter & auxilio inducti, retro majus altare ejusdem ecclesiæ de novo aliud altare construentes, ibidem capellanum instituimus, quem ad celebranda obsequia in anniversariis prædecessorum nostrorum fratrum, cæterorumque ipsius ecclesiæ benefactorum, in hiis videli- B cet quæ in conventu fient deputavimus, cui inprimis de omnibus distributionibus quæ in horis seu stationibus in choro & in vino cellarii fient, seu de hiis quæ de domibus & de præbendis noviter datis dividentur, quantum uni ex nobis, integre percipiendum, & tempore Quadragesimæ cum fratribus in refectorio refectionem habendam concessimus. Insuper & duos modios frumenti ad minam capituli annis singulis, unum apud Rulliacum & alterum in decima sancti Christophori percipiendos assignavimus; quod si ex hiis casu quolibet aliquis proveniret defectus, de bonis cellarii suppleretur: adjectum est præterea quod assiduitatem in servitio ecclesiæ jurabit, & omnes horas poterit cantare requisitus, præter matutinas in solemnitatibus annualibus & vesperas, in quibuscum- C que novem lectionibus. Memoratus vero episcopus ad ejusdem sacerdotis sustentationis augmentum duos modios frumenti ei liberaliter concessit, & de communi omnium nostrûm assensu in granchia sua de *Senlis* annis singulis recipiendos perpetuo assignavit. Hanc igitur institutionem ad incrementum, ut diximus, servitii ecclesiæ & ob animarum ejusdem benefactorum remedium, tam a prædicto episcopo quam a nobis, tam de dono ipsius quam de nostro, pia & provida dispensatione factam & communiter approbatam, ut firma & futuris temporibus inconcussa permaneat, præsenti scripto fecimus annotari & sigilli nostri testimonio communiri. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CXCVII.

XCI.

D *Willelmus archiepiscopus Remensis gratiæ sibi peculiariter impertitæ de foraneitate clerici sui, canonici Silvanectensis nuncium remittit.* Ex tabul. S. M. Silv. p. 30.

WILLELMUS Dei gratia Remorum archiepiscopus, sanctæ Romanæ ecclesiæ titulo sanctæ Sabinæ cardinalis, omnibus ad quos literæ præsentes pervenerint, æternam in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod cum in ecclesia beatæ Mariæ Silvanectensis per bonæ memoriæ Henricum tunc episcopum, & dilectos filios nostros S. decanum totumque capitulum ejusdem ecclesiæ foraneitas instituta fuisset & a nobis confirmata, idem & capitulum communi & unanimi assensu, tantum nobis in vita nostra, ita quod personam nostram non transgrederE etur, liberaliter concesserunt, quod sive unum, sive plures clericos ecclesiæ ipsius canonicos haberemus, unus tantum quandiu de propria nostra mensa esset & assidue nobis assisteret, integritatem fructuum præbendæ suæ non amitteret, exceptis tamen iis quæ de communibus beneficiis nonnisi præsentibus solent distribui. Nos autem considerantes postmodum quod hoc in posterum prædictæ ecclesiæ cedere posset ad jacturam, præcaventes etiam ne quod amore & gratia & favore nostri tantum nobis personaliter indultum fuerat, post nos a quolibet in consuetudinem traheretur, & nobis imputaretur ad peccatum, concessionem illam nobis tantum, prout diximus, factam eidem ecclesiæ remisimus in perpetuum, & eam ab hoc

prorsus absolvimus, & liberam dimisimus & quietam, A nonobstantibus aliis literis, si quæ his apparuerint contrariæ. Nolumus enim quod hac occasione memorata ecclesia in aliquo detrimentum sustineat, nec ab aliquo successorum nostrorum, Remensium videlicet archiepiscoporum, super hoc inquietari possit in posterum aut vexari. In hujus igitur rei testimonium præsentem paginam scribi fecimus, & sigilli nostri auctoritate roborari, statuentes & sub anathematis interminatione prohibentes ne quis eamdem infringere, immutare, sive ei quomodolibet contraire præsumat, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CXCVIII. Actum per manum Matthæi cancellarii nostri.

XCII.

Ex tab. B. M. Silvan.

Compositio facta inter canonicos beatæ Mariæ & burgenses Silvanectenses.

1204. EGO GAUFRIDUS Dei gratia Silvanectensis episcopus. Notum facimus tam futuris quam præsentibus, quod cum inter capitulum beatæ Mariæ Silvanectensis & communiam ejusdem villæ orta esset controversia super justitia terræ beatæ Mariæ, tandem post longas hinc inde altercationes, talis facta est inter eos compositio, quod in nos & baillivos domini regis, scilicet dominum Willelmum *Pasté* & dominum Reginaldum de *Bethisi* hinc inde compromiserunt, & sacramento fidei, ex parte capituli, Stephani decani, Willelmi cantoris, St. archidiaconi, & ex parte communiæ, Henrici majoris, Guillelmi Burgundiensis, Guiberti de sancto Lupo firmaverunt se quidquid nos inde diceremus firmiter observaturos. Nos vero assensu utriusque partis diximus quod communia in terra beatæ Mariæ, quæ est infra parochias ejusdem civitatis, habeat sanguinem, & bannum & latronem, nisi quod res latronum qui in eadem terra capti fuerint, si aliquæ sunt, canonicorum erunt. Licebit etiam communiæ in eadem terra domos juratorum suorum diruere, si illi quorum domus sunt forefecerint, quare debeant dirui. Placita fundi terræ beatæ Mariæ venient in curiam canonicorum usque ad vadia, quia vadia terræ quæ est infra burgum clausum, sicut solebant esse domini regis, nunc erunt communiæ; extra burgum vero clausum habebunt canonici placita & vadia in terra sua. In domibus canonicorum in quibus sunt manentes, nullam justitiam habebit communia; & si aliqua injuria alicui de communia in aliqua illarum domorum facta fuerit, ad dominum domus deferetur querimonia, & per eum injuria emendabitur. Si aliquis qui alicui de communia aliquid debeat, in domo alicujus canonici venerit vel hospitatus fuerit, postquam communia vel ille cui debet dominum illius domus, coram duobus vel tribus canonicis & duobus vel tribus de paribus communiæ convenerit ne recipiat eum, canonicus illum de cætero recipere non poterit donec debitum solutum sit. Famuli canonicorum non poterunt cogi ut sint de communia, nisi uxores habeant in eadem villa, vel nisi sint filii juratorum communiæ. Propter hanc compositionem firmiter tenendam ex dicto nostro ascensivit communia medietatem molendini quam habebant canonici juxta pontem vici Parisiensis cum omnibus bannariis ejusdem molendini, ut ita libere eam teneat communia sicut canonici ante tenebant; ascensiva vero est de quatuordecim libris Parisiensis monetæ ad duos terminos persolvendis, septem in Nativitate sancti Johannis, & septem in Natali Domini; ita quod communia quidquid de molendino contingat illam censivam semper reddere tenebitur, nec eam dimittere poterit. Si autem prædictis terminis censiva reddita non fuerit, communia singulis diebus quibus eam post terminum detinuerit, de emendatione quinque solidos canonicis reddet, & si infra censivam & emendationem non reddiderit, extunc licebit canonicis eam excommunicare & in excommunicatione usque ad dignam satisfactionem tenere. Quod ut ratum habeatur, hoc scriptum exinde fieri & sigillo nostro fecimus confirmari. Hanc compositionem inter nos & capitulum beatæ Mariæ Silvanectensis factam, sicut in præsenti scripto annotata est, ego Henricus major communiæ & tota communia Silvanectensis ratam habemus, & ad majorem firmitatem sigillum nostrum cum sigillo episcopi apposuimus. Actum anno Incarnati Verbi M. CCIV.

XCIII.

Annuale prabendæ conceditur P. abbati sancti Vincentii.

B EGO P. dictus abbas sancti Vincentii totusque ejusdem monasterii conventus, omnibus ad quos literæ præsentes pervenerint. Notum fieri volumus quod Odone de Pontibus quondam Silvanectensis ecclesiæ canonico viam universæ carnis ingresso, cum ex institutione venerabilis patris nostri Gaufridi episcopi, & Stephani Silvanectensis ecclesiæ decani, totiusque ejusdem ecclesiæ capituli, præbenda prædicti Odonis in horis tam matutinalibus quam diurnis distribuenda assignaretur, & nos contra institutionem illam reclamaremus propter annuale illius præbendæ quod nobis deperire videbatur; habito postmodum saniori consilio, annuale illius præbendæ eis in perpetuum quittavimus; ipsi vero in recompensationem illius annuale præbendæ, quæ ad personatum decanatus pertinet, quod numquam habueramus, nobis C donaverunt, concedentes ut cedente vel decedente decano Silvanectensi, præbendæ illius quæ ad decanatum pertinet, sicut aliarum, annuale percipiamus ex integro, præbendarum. Quod ut ratum habeatur, hoc scriptum inde fieri & sigillis nostris fecimus confirmari. Actum anno gratiæ M. CCVI. 1206.

XCIV.

Statutum episcopi Gaufridi de fructibus præbendarum beatæ Mariæ & sancti Reguli.

Ex tab. B. M. Silvan. p. 45.

EGO GAUFRIDUS Dei gratia Silvanectensis episcopus. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod considerata assiduitate & dilectione quam canonici beatæ Mariæ Silvanectensis circa obsequium D Dei habere noscuntur, eis dedimus & concessimus, ut si quis eorum usque ad Pascha Domini vixerit & postmodum cesserit vel decesserit, usque ad aliud Pascha integros præbendæ fructus, tam in blado quam in denariis & rebus aliis percipiat; illis autem solis volumus concedi, qui a capitulo Silvanectensi judicantur residentes; hoc idem ecclesiæ beati Reguli concedimus. Ut autem hæc concessio rata habeatur & firma, eam sigilli nostri munimine fecimus confirmari. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CCIX. 1209.

XCV.

De dimidia præbenda ad augmentum cantoriæ concessa.

Ex tab. S. Reguli, ch. 45.

E G. Dei gratia Silvanectensis episcopus, omnibus præsens scriptum inspecturis salutem in Domino. Noveritis quod nos ad petitionem decani & capituli ecclesiæ beati Reguli Silvanectensis, Johanni cantori ejusdem ecclesiæ dimidiam præbendam ad augmentationem cantoriæ dictæ ecclesiæ contulimus, statuentes de communi assensu & voluntate præfati capituli, ut nominata dimidia præbenda nominatæ cantoriæ in perpetuum sit adnexa. Ad cujus facti perpetuam firmitatem præsentem paginam tam sigillo nostro quam sigillo dicti capituli dignum duximus roborari. Actum anno Incarnati Verbi M. CCXVIII. 1218.

XCVI.

XCVI.

Ex tabul. S. Reguli, ch. 52. *De concessa decano & communiæ capituli S. Reguli facultate capiendi usuarium suum in brocia sancti Reguli, &c.*

1218. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Universis ad quos literæ præsentes pervenerint, salutem. Noveritis nos dilectis nostris decano & communiæ capituli sancti Reguli Silvanectensis concessisse quod ipsi capiant usuarium suum, si voluerint, in brocia sancti Reguli & in bosco de Alto-monte, sicut decanus sancti Reguli solet capere; ita tamen quod dictus decanus de cætero non capiet in eisdem boscis nisi pro portione sua de communi. Actum apud *Vernon* anno Domini M. CCXVIII. mense Decembri.

XCVII.

De pluribus præbendis à Guarino episcopo collatis.

1219. EGO GUARINUS Dei gratia Silvanectensis episcopus. Noverit universitas Christi fidelium quod decedente Ivone decano sancti Reguli, dimidiam præbendam quam in ecclesia beatæ Mariæ habebat idem Ivo Willelmo nepoti domini Bartholomæi de Roya contulimus; postea vero cum magister Hugo de Latiniaco similiter canonicus beatæ Mariæ viam universæ carnis fuerit ingressus, integram præbendam quam dictus Willelmus habebat magistro Willelmo Brittoni donavimus. Interim Petro de Monte canonico beatæ Mariæ & decano sancti Reguli sublato de medio, integram præbendam quam idem Petrus in ecclesia beatæ Mariæ habuerat, præfato Willelmo Brittoni habendam concessimus, & dimidiam quam idem Willelmus habebat, Henrico nepoti decani beatæ Mariæ similiter dedimus. Præbendam autem integram quam memoratus Petrus de Monte habuerat in ecclesia sancti Reguli, donavimus Johanni de *Parisius*, & dimidiam præbendam quam idem Johannes habebat in eadem ecclesia cantoriæ ejusdem ecclesiæ assignavimus. Quia vero ecclesiam beati Vincentii Silvanectensis, quæ in prætaxatis ecclesiis in mutatione personarum habet annualia, suo jure defraudari nolumus aut turbari, illud factum nostrum ad notitiam omnium volumus pervenire, & inde præsentem paginam sigilli nostri munimine roboramus & confirmamus. Mense Maio M. CCXIX.

XCVIII.

Garinus episcopus concedit canonico qui præsens fuerit per dimidium annum, si cesserit, vel decesserit, ut habeat fructus sequentis anni.

1220. GARINUS Dei gratia Silvanectensis episcopus, omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, in Domino salutem. Universitati vestræ notum fieri volumus, quod nos concessimus canonicis nostræ majoris ecclesiæ Silvanectensis, de assensu & voluntate eorumdem, ut quicumque eorum post factam residentiam in ecclesia debitam, scilicet, per medium annum, cesserit, vel decesserit, habeat fructus suos sequentis anni, sicut haberet secundum consuetudinem ecclesiæ si viveret & se ab ecclesiæ servitio absentaret, non enim deterioris conditionis habendus est moriens in hac parte quam vivens. Hoc autem statuimus, aliis consuetudinibus ecclesiæ in sua manentibus firmitate. Quod ut perpetuum robur obtineat, præsentem paginam sigillo nostro & capituli fecimus roborari. Actum anno Domini M. CCXX. mense Maio.

XCIX.

Garinus episcopus idem quod supra concedit canonicis sancti Reguli. Ex tabul. S. Reguli, c. 51.

GARINUS Dei gratia Silvanectensis episcopus, omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, in Domino salutem. Universitati vestræ notum fieri volumus quod nos concessimus canonicis ecclesiæ beati Reguli Silvanectensis, de assensu & voluntate eorumdem, ut quicumque eorum post factam residentiam in ecclesia debitam, scilicet, per dimidium annum, cesserit, vel decesserit, habeat fructus suos sequentis anni, sicut haberet secundum consuetudinem ecclesiæ si viveret & se a servitio ecclesiæ absentaret, non enim deterioris conditionis habendus est moriens in hac parte quam vivens. Hoc autem statuimus, aliis constitutionibus ecclesiæ in sua manentibus firmitate. Quod ut perpetuum robur obtineat, præsentem paginam sigillo nostro & capituli fecimus roborari. Actum anno Domini M. CCXX. mense Augusto. 1220.

C.

De releveii jure Silvanectensis episcopatus ratione.

EGO GARINUS Dei gratia Silvanectensis episcopus. Notum facimus universis præsentes literas inspecturis, quod nos pro releveio defuncti Petri scancionis habuimus a fratribus ejusdem Petri, Gaufrido videlicet & Guidone scancionibus militibus, hominibus ligiis nostris, centum libras; de dilecto & fideli nostro Johanne comite Bellimontis, pro feodis illis quæ obvenerunt ei de morte domini Guillermi de Guallanda ratione uxoris suæ, quæ fuit filia ejusdem Guillelmi, quadraginta libras; de dilectis vero & fidelibus nostris comite Grandisprati & Guidone buticulario juniori, sexaginta libras pro releveio rerum illarum quæ deveniunt ad ipsos de morte præfati domini Guillelmi de Guallanda. Hæc autem omnia episcopatus nostri Silvanectensis percepimus ratione, excellentissimo domino nostro Philippo rege Francorum illustrissimo volente & penitus approbante. In cujus rei testimonium & evidentiam pleniorem, ut jus istud episcopatus & ecclesiæ Silvanectensis a memoria non recedat, præsentes literas nostro signatas sigillo carissimis nostris in Christo magistro Roberto decano & capitulo Silvanectensi duximus concedendas. Actum anno Domini M. CCXXI. mense Decembri. 1221.

CI.

Compositio inter ecclesias sancti Arnulfi de Crispeio & beatæ Mariæ de Parco.

GUARINUS Dei gratia Silvanectensis episcopus, universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Noveritis quod cum carissimus in Christo consanguineus noster Fulco prior beati Arnulfi Crespiacensis nobis literas venerabilium virorum abbatis & conventus Cluniacensis attulisset, de rehabitatione super pace reformanda in ea, quæ erat inter ecclesiam beati Arnulfi & ecclesiam beatæ Mariæ de Parco juxta Crespeium discordia; nos inter partes, eisdem consentientibus, composuimus in hunc modum; videlicet, quod abbatissa & conventus Parci illas quadraginta quinque libras Parisienses præfato priori & suo conventui, & eorum successoribus in perpetuum quittaverunt, quas bonæ memoriæ Alienor quondam comitissa Veromandiæ dictis priori & conventui tradiderat, hoc pacto quod si querelam quam contra ecclesiam de Parco idem prior super fundatione ipsius ecclesiæ de Parco & dominiis habitis in vicinitate ejusdem ecclesiæ habebat, innovaret, & manu teneret, dictam summam pecuniæ ecclesiæ de Parco restituere teneretur. Præterea dicta abbatissa & conventus Parci, quod ecclesia sua 1222.

fundata erat contra tenorem privilegiorum Cluniacensium, in recompensationem ejus facti concesserunt se decem solidos Parisienses eidem priori & conventui in festo Omnium sanctorum, in suo prioratu apud Crispiacum, annuatim & in perpetuum reddituros; ipsi vero prior & conventus de consensu Cluniacensis ecclesiæ locum de Parco & ecclesiam penitus dimiserunt in pace super impetitione præfata, & in perpetuum quittavere, salvo jure parochiali parochiæ de Ogero; ita tamen quod si pax rationabiliter apparebit, de qua literas prædecessoris nostri (Gaufridi) Silvanectensis episcopi se habere abbatissa proponit, nos eam pacem faciemus firmiter observari. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentes literas ad instantiam partium sigilli nostri appositione munivimus, & ad firmius testimonium ipsæ partes eisdem literis cum nostro sigillo fecerunt apponi sigilla. Actum apud Parcum anno Domini M. CCXXII. mense Junio.

C I I.

Ex chartul. Caroli-loci.

De compositione inter capitulum ecclesiæ Silvanectensis & abbatem conventumque Caroli loci.

1223. GUARINUS Dei gratia Silvanectensis episcopus & Franciæ cancellarius, & Fr. Aubertus dictus abbas Ursicampi, præsentes literas inspecturis, æternam in Domino salutem. Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quod cum inter venerabiles viros Robertum decanum & capitulum beatæ Mariæ Silvanectensis ex una parte, & abbatem & conventum Caroli-loci ex altera, super medietate majoris decimæ de *Rully* & fructibus, lite pendente, perceptis, in audientia domini papæ quæstio diutius verteretur, nos ab eodem summo pontifice suscepimus in mandatis, ut inter ecclesias memoratas amicabiliter componere studeremus, partibus in nostra præsentia constitutis, prædictus decanus de assensu & voluntate capituli sui ad vehementem instantiam nostram quæstioni motæ renunciavit ex toto, & ut præfati abbas & conventus dictam decimæ medietatem jure perpetuo possiderent, pie benigneque concessit. Quod ut futuris temporibus ratum permanere possit & firmum, hoc ipsum ob pacis caritatisque custodiam præsentibus literis duximus protestandum. Actum Silvanecti anno Domini M. CCXXIII. III. cal. Novembris. *Sigillatum in cera viridi.* Signum Garini Dei gratia Silvanectensis episcopi. *Et a latere lilii flos.*

C I I I.

Confirmatio communiæ Silvanectensis.

1223. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, nos inspexisse chartam inclytæ recordationis Philippi progenitoris nostri quondam regis Francorum, in hæc verba:

1201. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri quod piæ memoriæ pater noster Ludovicus rex, intuitu pacis in posterum conservandæ Silvanectis, salva fidelitate sua, communiam fieri concessit, quam omnes tam in suburbio quam in ipsa civitate commorantes juraverunt se perpetuo observaturos. Juraverunt autem quod alter alteri recte secundum opinionem suam auxiliabitur, & quod ipsi nullatenus patientur quod aliquis alicui aliquid auferat, vel eum talliet, vel quidlibet de rebus illius capiat. Si quis vero sacramentum alicui facere debuerit, & ante arramiationem sacramenti se in negotium suum iturum dixerit propter illud faciendum, de itinere suo non remanebit nec ideo incidet, sed postquam redierit, convenienter submonitus sacramentum faciet. Si autem archidiaconus aliquem implacitaverit, nisi accusator ante venerit vel forisfactum

A apparuerit, non ei respondebit; si tamen archidiaconus testem habuerit contra quem accusatus se defendere non possit, emendabit. Homines etiam hujus communiæ uxores quascumque voluerint, licentia a dominis suis requisita, accipient, & si domini hoc concedere noluerint, & absque concessione domini sui uxorem alterius potestatis duxerit, si dominus suus inde eum implacitaverit, quinque tantum solidis hoc illi emendabit. Capitales homines debitum censum dominis suis persolvent, quem si die constituto non reddiderint, quinque solidis emendabunt; & si aliquis aliquam injuriam fecerit homini de hac communia, & clamor inde ad juratos venerit, si ipsum hominem qui injuriam fecerit capere poterunt, de corpore suo vindictam capient, nisi forisfactum emendaverit illi B cui illatum fuerit judicium illorum qui communiam custodierint; & si ille qui forisfactum fecerit ad aliquod receptaculum perrexerit, & communiæ custodes ad ipsum receptaculum transmiserint, & domino receptaculi vel primatibus ipsius loci querimoniam fecerint, ut de illo inimico suo ipsis rectitudinem faciat, sicut superius dictum est, si satisfacere voluerit accipient rectitudinem, & si facere noluerit, postea auxiliatores erunt faciendi vindictam de corpore & pecunia ipsius qui forisfactum fecerit, & hominum illius receptaculi ubi inimicus eorum fuerit. Item, si mercator Silvanectis ad mercandum venerit, & aliquis ei aliquod forisfecerit infra leucam ipsius civitatis, si clamor inde ad juratos venerit, & mercator eum invenerit, jurati erunt auxiliatores vindictam recte fa- C ciendi secundum opinionem suam, nisi mercator de hostibus ipsorum fuerit; & si ad aliquod receptaculum ille adversarius perrexerit, & si ipse mercator vel jurati ad eum miserint & forisfactor mercatori satisfecerit secundum judicium juratorum, vel probare vel ostendere potuerit se illud forisfactum non fecisse, juratis satisfiet; si vero facere noluerit, postea si intra villam eum ipsi capere poterunt, vindictam de illo facient. Nemo autem præter nos & dapiferum nostrum poterit conducere in villam hominem qui forisfecerit homini de communia, nisi pro forisfacto emendando venerit secundum judicium juratorum. Et si episcopus illius civitatis ignoranter adduxerit in villam hominem qui forisfecerit homini de communia, postquam sibi ostensum fuerit illum esse de hostibus communiæ, nullomodo postea eum adducet D nisi consilio ipsorum juratorum, & ea vice eum reducere poterit. Pecuniam illam quam homines de illa communia crediderint antequam hanc communiam juravissent, si rehabere non potuerint, postquam justum clamorem fecerint, quærent quoquomodo poterint quod creditam pecuniam rehabebunt; pro illa vero pecunia quam crediderint postquam hanc communiam juraverint, nullum hominem capient, nisi sit debitor vel fidejussor; & si extraneus homo panem & vinum suum in illam villam causa securitatis adduxerit, postea si discordia inter juratos & dominum extranei hominis evenerit, quindecim dies habebit vendendi panem & vinum in ipsa villa, & deferendi nummos & omnem aliam pecuniam suam præter panem & vinum, nisi ipse fecerit forisfactum E vel fuerit cum illis qui fecerint. Et nullus homo de communia credet pecuniam suam vel accommodabit hostibus communiæ, quandiu guerra durabit; & si aliquis de communia fuerit convictus quod crediderit aliquid hostibus communiæ, justitia de eo fiet secundum judicium juratorum; & si homines de communia aliquando contra hostes suos exierint, nullus eorum loquetur cum hostibus suis, nisi de licentia eorum qui communiam custodierint. Statuti vero ad communiæ custodiam juraverunt quod nemini propter cognationem vel amorem deferent, & nemini propter inimicitiam lædent, & rectum judicium secundum æstimationem suam facient; omnes alii juraverunt quod idem judicium quod prædicti statuti super eos fecerint

patientur & concedent, nisi probare potuerint quod de propria pecunia solvere nequiverint. Præterea concessimus & præcipimus quod universi homines infra muros civitatis & extra manentes, in cujuscumque terra morentur, communiam jurent; qui vero jurare noluerit, illi qui juraverunt de domo ipsius & pecunia justitiam facient; si quis etiam de communia aliquid forisfecerit & per juratos emendare noluerit, homines communiæ facient exinde justitiam; si quis vero ad sonum pro congreganda communia factum non venerit, duodecim denariis emendabit. Nos etiam propter servitium quod eadem communia nobis fecit, & propter augmentum reddituum nostrorum quod nobis fecit, eidem communiæ in perpetuum concessimus, quod dicta communia habeat omnia forisfacta, & justitias & emendationes omnium forisfactorum quæ in civitate Silvanectensi & infra (forte banleuca) ejusdem villæ fient. Propter hæc autem quæ dictæ communiæ concessimus & superaddidimus, ipsa communia augmentavit nobis annuatim redditus nostros (forte septuaginta) & duodecim librarum Parisiensis monetæ, ita quod eadem communia reddet nobis singulis annis in terminis solutionum præpositurarum nostrarum in summa ducentas & octoginta libras Parisiensis monetæ, cum prius ducentas & octo solvere tenerentur. In bladio vero nobis singulis annis persolvent sexaginta modios mixtolii, quorum viginti quatuor minæ ad mensuram Silvanectensem modium faciunt, & sexaginta modios vini ad modium Silvanectensem; pro minuto autem teloneo quod nos habemus Silvanectis, burgenses, quandiu ibi morabimur, providebunt nobis in ollis, in scutellis, in alliis & sale. Quæ omnia ut perpetuam obtineant stabilitatem, sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato præsentem paginam, salva fidelitate nostra & salvo jure ecclesiarum & militum confirmavimus. Actum apud Pontem super Yonam anno Incarnati Verbi M. CCI. regni vero nostri vigesimo secundo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa; dapifero nullo. Sig. Guidonis buticularii. Sig. Matthæi camerarii. Sig. Droconis constabularii. Data vacante cancellaria, per manum fratris Guarini. PHILIPPUS.

Nos igitur præscriptam inclytæ recordationis progenitoris nostri chartam gratam & ratam habentes, præmissis addendum duximus, quod cum dictus noster progenitor abbatiæ beatæ Mariæ de Victoria, quam prope Silvanectum pro animæ suæ salute fundavit, de dictis sexaginta modiis vini quinquaginta octo modios vini donasset, duobus modiis remanentibus magistro nostrorum (forte scancionum) burgenses nostri Silvanectenses cum fratribus dictæ abbatiæ finiverunt hoc modo, quod ipsi pro singulis modiis vini duodecim solidos Parisienses reddent annuatim in vicena Natalis Domini. Præterea idem noster progenitor de sexaginta modiis mixtolii in prænominata charta contentis, quadraginta modios præfatæ contulit abbatiæ annis singulis ab eisdem fratribus percipiendos apud Silvanectum; medietatem videlicet in octabis Natalis Domini, medietatem in octabis Nativitatis beati Johannis Baptistæ; residuis viginti modiis bladi reddendis in alias eleemosynas dicti patris nostri, & earumdem eleemosynarum nobis residuo remanente. Ut igitur hæc omnia prænotata perpetuæ firmitatis robur obtineant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato, salvo jure nostro in omnibus confirmamus. Actum Parisius anno Domini M. CCXXIII. regni vero nostri primo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa; dapifero nullo. Sig. Roberti buticularii. Sig. Bartholomæi camerarii. Sig. Matthæi constabularii. Data per manum Guarini Silvanectensis episcopi, cancellarii. LUDOVICUS.

C I V.

Compositio inter decanum & capitulum sancti Reguli atque communiam Silvanectensem super justitia Villæ-viridis & aliis. Ex tab. S. Reguli, ch. 51

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri nos vidisse literas carissimi & fidelis nostri G. Silvanectensis episcopi, Franciæ cancellarii, sub hac forma: 1225.

Garinus Dei gratia Silvanectensis ecclesiæ minister humilis, Franciæ cancellarius, universis ad quos literæ præsentes pervenerint, salutem in Domino. Noverint universi præsentes pariter & futuri quod cum quædam controversia esset inter dilectos nostros decanum & capitulum sancti Reguli Silvanectensis ex una parte, & majorem & communiam Silvanectensem ex altera, super justitia cujusdam villæ quæ dicitur Villa-viridis & quibusdam aliis; tandem super prædictis in nos compromiserunt, promittentes se firmiter observaturos quidquid super prædictis articulis proferremus. Nos autem arbitrium nostrum protulimus in hunc modum; imprimis diximus quod communia Silvanectensis in perpetuum habeat extra burgum clausum & infra burgum clausum in domibus hospitum beati Reguli, in parochiis civitatis Silvanectensis, & maxime in villa quæ dicitur Villa-viridis, sanguinem, bannum, latronem & diruptionem domorum si forefecerint quare debeant dirui, & placita catauli & talliani, sicut habent in omnibus juratis de communia Silvanectensi. Canonici vero beati Reguli habebunt placita infra burgum clausum de fundo terræ usque ad vadia duelli; duellum autem fiet in curia juratorum. Extra vero burgum clausum habebunt canonici beati Reguli placita de fundo terræ & duellum, & duellum fiet de fundo terræ in curia eorumdem canonicorum; res autem latronum qui in terra eorumdem canonicorum capti fuerint, erunt canonicorum. Secundo, diximus quod canonici beati Reguli in perpetuum quitaverunt communiæ Silvanectensi feriam & forum & quidquid ad dictam feriam vel forum pertinebat, quæ habebant in civitate Silvanectensi, die Jovis ante Dominicam Resurrectionem, nec de cetero poterunt habere ibidem dicti canonici feriam vel forum; communia poterit ponere pelliparios, & draparios, & carnifices, & cordoennarios in vico cimisterio contiguo. Si vero latro vel malefactor captus fuerit ad præsens forefactum in ecclesia vel cimisterio, justitia erit illius cujus erat antea. Pro quitatione prædictæ feriæ & fori, & omnium illorum quæ ad forum & feriam pertinent, tam in redditibus quam in aliis rebus, & pro quitatione prædictæ justitiæ communia solvet singulis annis prædictis canonicis sex libras Parisienses in octabis sancti Johannis Baptistæ, & ad eumdem terminum solvet communia dictis canonicis quadraginta solidos Parisienses singulis annis, ad faciendum singulis annis anniversarium Philippi regis Francorum bonæ memoriæ; ita quod communia Silvanectensis dictam pecuniam semper ad dictum terminum reddere tenebitur, nec eam dimittere poterit; si autem prædicto termino prædicta pecunia soluta non fuerit, communia singulis diebus quibus eam post terminum detinuerit, pro emenda quinque solidos canonicis reddet; & si infra mensem pecuniam & emendam non reddiderit, poterit licite excommunicari, & in excommunicationem usque ad dignam satisfactionem teneri. In domibus canonicorum beati Reguli in quibus sunt canonici manentes, nullam justitiam habebit communia; & si aliqua injuria alicui de communia in aliqua illarum domorum facta fuerit, ad canonicum dominum illius domus deferetur querimonia, & per eum injuria emendabitur. Si aliquis qui alicui de communia aliquid debeat in domo alicujus canonici beati Reguli venerit vel hospitatus

fuerit, postquam ille cui debet dominum illius domus coram duobus vel tribus canonicis ejusdem ecclesiæ & duobus vel tribus de paribus communiæ convenerit ne recipiat eum, canonicus eum de cetero recipere non poterit donec debitum solutum sit. Famuli canonicorum non poterunt cogi ut sint de communia, nisi uxores habeant in eadem villa, vel nisi filii sint juratorum communiæ. Quod ut ratum habeatur & firmum, hoc scriptum exinde fieri & sigillo nostro ad petitionem utriusque partis fecimus confirmari. Hanc autem compositionem factam inter nos & capitulum beati Reguli Silvanectensis, ego Petrus Villanus major communiæ & tota communia Silvanectensis sicut in præsenti scripto annotata est, ratum habemus, & ad majorem firmitatem sigillum nostrum cum sigillo domini episcopi apposuimus. Actum anno Verbi Incarnati M. CCXXV. mense Martio. Nos igitur ut præmissa perpetuæ stabilitatis robur obtineant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis karactere inferius annotato confirmamus. Actum Silvanecti anno Dominicæ Incarnationis M. CCXXV. regni vero nostri anno tertio, adstantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa; dapifero nullo. Signum Roberti buticularii. Sig. Bartholomæi camerarii. Sig. Matthæi constabularii. Data per manum Garini Silvanectensis episcopi, cancellarii.

C V.

Adam episcopus Fratres minores admittit Silvanecti.

1228. ADAM divina miseratione Silvanectensis ecclesiæ minister humilis, universis præsens scriptum inspecturis, salutem in Domino. Noverint universi quod nos de assensu & voluntate capituli B. Mariæ Silvanectensis, divinæ pietatis intuitu, Fratribus minoribus concessimus capellam infra parochiæ beati Petri Silvanectensis limites sitam, ut ibidem Deo deserviant; omnimode autem oblationes quæ ibidem oblatæ fuerint, erunt sacerdotis ecclesiæ memoratæ. Concessum est etiam eisdem fratribus ut ibidem habeant cimiterium tantummodo ad usum fratrum suorum; si vero casu fortuito iidem fratres ab illo loco non remansuri recederent, dicta capella cum cimiterio ad usum memoratæ ecclesiæ beati Petri Silvanectensis libere & sine contradictione devolvetur. In cujus rei firmitatem præsens scriptum nos & capitulum memoratum sigillis nostris munivimus, anno gratiæ M. CCXXVIII. mense Julio.

C V I.

Transactionem pro molendino de Sorvilliers *in favorem capituli Adam episcopus confirmat.*

1228. ADAM divina miseratione ecclesiæ Silvanectensis humilis minister, omnibus præsens scriptum inspecturis, salutem in Domino. Notum facimus universis quod cum venerabilis antecessor noster Garinus bonæ memoriæ tale dedisset judicium contra Gaufridum *Lyechans* militem pro canonicis beatæ Mariæ Silvanectensis, quod idem Gaufridus apud *Sorvilliers* in feodo episcopatus Silvanectensis non poterat construere molendinum propter bermarios quos iidem canonici in eadem villa habebant; tandem inter eos amicabilis compositio intervenit, videlicet, quod dictus Gaufridus & heredes ejus poterunt habere in præfato feodo molendinum ad ventum & ad equos simul, ita quod ipsi bermarios eorum canonicorum non admitterent, & super hoc molendinarius prædictis canonicis fidelitatem facere tenebitur; pro hac autem compositione præfati Gaufridus & heredes ejus reddent singulis annis memoratis canonicis novem sextarios bladi medietanei & novem sextarios moturengiæ ad minam beatæ Mariæ Silvanectensis infra Nativitatem Domini, quamdiu ipsi & heredes ejus in dicto feodo

A molendinum habebunt. In cujus rei firmitatem nos sigillo proprio cum sigillo Gaufridi *Lyechans* militis præsens scriptum fecimus roborari, anno Domini M. CCXXVIII. mense Julio.

C V I I.

Adam episcopus institutionem capellaniæ in ecclesia beati Reguli confirmat. *Ex tabul. S. Reguli, ch. 81.*

ADAM Dei gratia Silvanectensis episcopus, universis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Noveritis quod Galeranus decanus beati Reguli Silvanectensis quamdam capellaniam in ecclesia beati Reguli Silvanectensis instituit, cujus capellanus in eadem ecclesia, in altari in honore beati Reguli & B beati Stephani protomartyris & beati Bartholomæi apostoli consecrato, vel alibi, si necesse fuerit, in eadem ecclesia singulis diebus bona fide per se, vel per alium, quando non poterit per se propter necessariam causam, pro dicto decano & pro parentibus & benefactoribus suis vivis ac defunctis celebrare tenebitur, quando incipietur prima cantari in ecclesia beati Reguli. Voluerunt & concesserunt dictus decanus & capitulum ejusdem ecclesiæ quod antequam evangelium missæ dicti capellani legeretur, nullus alius capellanorum vel vicariorum in ecclesia beati Reguli ad celebrandam missam in dicta ecclesia se revestire possit. Huic capellaniæ sic institutæ, de voluntate & assensu prædictorum decani & capituli prædictus Galeranus pro redditibus assignavit decem & septem arpennos terræ quos habebat apud *Barberi*, sicut dixit, inter C quos sunt quindecim arpenni de censiva beati Reguli, de quibus tenebitur capellanus reddere quindecim denarios annui census capitulo beati Reguli in festo sancti Remigii. Dedit & prædictus Galeranus decem arpennos terræ quos habebat apud *Duffies*, sicut dixit, qui sunt de campiparte beati Reguli; dedit & tres hospites quos habebat apud *Villevert*, valentes tres minas avenæ & dimidiam minam, & decem solidos Parisiensis annui census, sicut dixit, de quibus hospitibus capellanus prædictus reddet quatuor denarios censuales & unam minam avenæ prædicto capitulo; dedit & prædictus Galeranus quinque solidos Parisienses censuales quos habebat super masuram Gaufridi Anglici in ruella *Frogeat*, sicut dixit, in quibus prædictis capitulum beati Reguli retinuit omnimodam D justitiam; dedit & prædictus Galeranus quatuor arpennos terræ quos habebat apud Silvanectum, sicut dixit. Prædictus hæc omnia supradicta pro redditibus assignavit, & quidquid amplius ex ipsius decani vel ipsius capellani, sive ex aliorum quorumlibet eleemosyna & pia largitione fidelium capellano dictæ capellaniæ ad augmentandum redditum dictæ capellaniæ conferetur, accrescet redditibus assignatis; ita tamen quod prædictus capellanus de cætero in censiva beati Reguli alios redditus habere non poterit nisi de licentia capituli beati Reguli. Prædictus capellanus distributiones ecclesiæ quales vicarii sacerdotes recipient, tales & ipse recipiet, & residentiam in eadem ecclesia bona fide tenebitur facere. Isdem capellanus quando post Pascha decesserit antequam fructus prædictæ capellaniæ E collegerit, medietatem fructuum percipiet, alia medietas successori reservanda; si vero ultra festum Nativitatis sancti Johannis Baptistæ vixerit, prædictus capellanus omnes fructus prædictæ capellaniæ percipiet integre. Hujus vero beneficii donatio ad prædictum Galeranum quamdiu vixerit pertinebit, post decessum ipsius ad præfatum capitulum in perpetuum devolvetur. Prædicti autem decanus & capitulum proinde statuerunt quod redditus assignati in alios usus converti quam in usus capellaniæ prænominatæ non poterunt. Nos autem precibus inclinati eorum volentes & præcipientes institutionem hanc firmam & illibatam conservari, volumus & præcipimus ex assensu dictorum decani & capituli, sub pœna anathematis, 1232.

ne prædicti redditus in alios usus quam in usus capellaniæ memoratæ convertantur. In hujus igitur institutionis & confirmationis ac ordinationis confirmationem ad posteros deducendam, præsentes literas de assensu prædictorum decani & capituli super prædictis confectas & eorum sigillo sigillatas, sigilli nostri appositione duximus roborari. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CCXXXI. mense Januarii.

CVIII.

Ex tabul. S. Reguli, ch. 40.

De undecim solidis annui census venditis ecclesiæ sancti Reguli a presbyteris parochialibus civitatis Silvanectensis.

1232. A Dei gratia Silvanectensis episcopus, omnibus præsentes literas inspecturis, salutem. Noveritis quod presbyteri parochiales sanctæ Mariæ, sancti Petri, sancti Hilarii, sanctæ Genovefæ, sancti Aniani & sancti Martini Silvanectensis coram nobis recognoverunt se vendidisse canonicis beati Reguli Silvanectensis undecim solidos Parisienses censuales quos ipsi habebant annuatim in territoriis dictorum canonicorum, ut dicebant, scilicet, de eleemosyna Mariæ de Vernolio sex solidos, & quinque solidos de eleemosyna Roberti Conscergii canonici beatæ Mariæ Silvanectensis pro octo libris Parisiensibus, quam venditionem gratam habuimus. In cujus rei memoriam præsentes literas super hoc confectas sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M. CCXXXII. mense Augusto.

CIX.

Donum Galerani canonici beatæ Mariæ factum capitulo.

1237. OMnibus præsentes literas inspecturis, Robertus decanus totumque capitulum Silvanectense, salutem in Domino. Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quod cum vir venerabilis magister Galeranus canonicus noster, divinæ pietatis intuitu, nobis ducentas & quinquaginta libras Parisienses contulisset in utilitates nostræ ecclesiæ convertendas, nos deliberatione habita & diligenti tractatu, eidem gratiam pro gratia rependere cupientes, concessimus ipsi decem modios bladi & quinque modios avenæ singulis annis quamdiu vixerit, dummodo ad religionem se non transferat, percipiendos in granario matutinarum apud Silvanectum de meliori blado & meliori avena ad mensuram regiam mensurandos, & fiet ista solutio infra quindenam Natalis. Concessimus etiam eidem quod post decessum ipsius G. dictos decem modios cum aliis quinque modiis bladi, quos loco quinque modiorum avenæ subrogavimus, pro facienda distributione panis in ecclesia nostra in perpetuum deputabimus; ita quod ista distributio panis incipiet post distributionem quam instituit bonæ memoriæ Simon quondam decanus noster, & durabit quantum durare poterit, & fiet panis ad valorem duorum denariorum, ita quod qui percipiet denarios horarum dictum panem percipiat; durante autem distributione prædicta, fiet singulis diebus in majori missa per orationem *Deus qui inter apostolicos, &c.* pro ipso G. memoria specialis. Nos quoque de communi totius capituli consensu statuimus, & expresse sub pœna excommunicationis prohibemus ne præfati quindecim modii bladi in alios usus processu temporis convertantur, secundum quod præmissum est in usus præfatæ distributionis panis integre & immutabiliter expendantur. In cujus rei testimonium præsentes literas sigillo nostro fecimus communiri. Datum anno Domini M. CCXXXVI. mense Martio.

A

CX.

De venditione trium solidorum Parisiensium ab abbate Caroli-loci facta ecclesiæ sancti Reguli. Ex tab. S. Reguli, ch. 65.

OFficialis curiæ Silvanectensis, omnibus ad quos literæ præsentes pervenerint, salutem in vero salutari. Noveritis quod nos anno Domini M. CCXXXIX. Dominica ante Nativitatem beatæ Virginis inspeximus diligenter & perlegimus literas religiosorum virorum abbatis & conventus Caroli-loci, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte vitiatas, & ad futurorum memoriam tenorem ipsarum verbo ad verbum fideliter huic rescripto inseri fecimus, & hæc earum forma. 1239.

B Omnibus præsentes literas inspecturis, frater Johannes dictus abbas & conventus Caroli-loci, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod nos vendidimus pro quadraginta solidis Parisiensibus nobis integre persolutis ecclesiis beatæ Mariæ & beati Reguli Silvanectensis tres solidos Parisienses annui census, quos Goierus de sancto Patasio quondam burgensis Silvanectensis nobis dedit in eleemosynam, super quadam vinea sita a *Montpancier*, quæ fuit Chanferi in fundo dictarum ecclesiarum, annuatim percipiendos, fideliter promittentes quod contra hanc venditionem non veniemus in futurum, nec dictas ecclesias per nos vel per alios super hoc molestabimus. In cujus rei testimonium præsentes literas inde fieri & sigilli nostri munimine fecimus communiri. Actum anno C Domini M. CCXXXIX. mense Julio.

CXI.

De emtione septem jugerum terræ a Stephano priore & conventu sancti Lupi de Esserento facta. Ex tabul. S. Reguli, ch. 70.

STEPHANUS prior & conventus sancti Lupi de Esserento Cluniacensis ordinis, omnibus ad quos literæ præsentes pervenerint, salutem in Domino. Noveritis quod cum nos ab Hugone de Vinolio & Agnete ejus uxore circiter septem arpenta terræ juxta culturam nostram prope *Chantilli*, pro quatuor libris Parisiensibus sibi integre solutis emissemus, in quibus videlicet septem arpentis ecclesia beati Reguli Silvanectensis campipartem & decimam habere dignoscitur, Adam decanus & capitulum ejusdem ecclesiæ, salvo D sibi omnino jure suo, investiverunt nos de terra prædicta solutis sibi, prout moris est, investituris & ventis. Nos autem promisimus & concessimus quod dictam terram tenebimus, in vilenagio sicut dictus Hugo tenebat eamdem, & sine difficultate solvemus de ipsa campipartem & decimam ecclesiæ memoratæ, omni privilegio cessante, usque nunc nobis vel ordini nostro concesso seu in posterum concedendo. Dedimus & dictis decano & capitulo liberam potestatem acquirendi & possidendi in terra nostra aliquas possessiones, exceptis hostisiis, usque ad valorem quatuor librarum Parisiensium. Et in hujus rei testimonium & munimen præsentes literas cum sigillorum nostrorum appensione ipsis duximus concedendas. Actum anno Domini M. CCXXXIX. mense Januario. 1240.

E

CXII.

Erectio parochialis ecclesiæ sancti Stephani Silvanectensis.

ADAM Dei gratia Silvanectensis episcopus, omnibus præsentes literas inspecturis, æternam in Domino salutem. Quoniam parochialis ecclesia sancti Petri Silvanectensis in qua major ecclesia Silvanecti jus habere dignoscitur patronatus, adeo diffusa est, quod propter locorum distantiam & alia impedimenta quædam parochianis ipsis plurimum est difficile congruo tempore divinis officiis interesse, ac ipsi parochiali presbytero sacramenta eis ecclesiastica ministrare, 1240.

nos volentes præmissis opportunitate habita congruam adhibere medelam, dilectorum nostrorum Roberti decani & capituli Silvanectensis, R. archidiaconi, & N. rectoris sancti Petri accedente consensu, capellam sancti Stephani sitam juxta limites dictæ parochiæ, deliberatione provida parochialem constituimus ecclesiam, assignantes ei pro parochia villam Maintriam & omnes alios habitantes extra murum civitatis qui consueverunt esse parochiani dictæ ecclesiæ S. Petri, paucis duntaxat exceptis, domo scilicet de *Sotemont* & domo Seranni clerici cum opposita domo, & aliis quæ ab inde ex utraque parte usque ad portam civitatis consistunt. Deputavimus etiam ad sustentationem presbyteri qui ad præsentationem prædictorum decani & capituli pro tempore fuerit institutus ibidem de bonis ecclesiæ sancti Petri dimidium arpentum terræ sitæ ad punctum prope viam de villa Maintria, quinque quarteria prope crucem Garini prælati, unum arpentum in valle de Montibus prope Victoriam, septem quarteria super marisca de villa Tiversa, & duo arpenta versus Montem speculatorium prope viam de *Paierne*, item unum arpentum vineæ in campania prope vineam Guidonis de Cruce; statuentes ut idem presbyter in signum subjectionis annis singulis in Epiphania Domini decem solidos censuales, & similiter in Pentecoste alios decem solidos de censiva, quam consuevit reddere presbyter sancti Petri capitulo Silvanectensi, persolvat, ut & in hoc ecclesia sancti Petri in aliquo relevetur. In oblatione quoque candelarum in Purificatione beatæ Virginis eidem ecclesiæ obvenientium capitulum Silvanectense duas partes habeat, tertia earum parte penes eamdem ecclesiam remanente; archidiacono etiam quatuor solidos annuatim persolvat presbyter memoratus, sicut cæteri parochiales presbyteri civitatis, & quantum ad jus archidiaconi spectat, sit ejusdem conditionis per omnia cum presbyteris antedictis. Nullam tamen præfato presbytero concedimus potestatem exigendi vel recipiendi aliquam portionem in decimis majoribus vel minutis ecclesiæ sancti Petri, quin eas eadem ecclesia integre percipiat sicut ab antiquo percipere consuevit. In hujus itaque rei memoriam præsentes literas exinde confectas nostro fecimus muniri sigillo, decanus quoque & capitulum, necnon archidiaconus ad sui consensus indicium sigilla sua fecerunt apponi. Actum Silvanecti anno Domini M. CCXL. mense Octobri.

CXIII.

Robertus de Housséia decanus beatæ Mariæ emit quinque solidos census annui.

1245. OMnibus præsentes literas inspecturis, officialis curiæ Silvanectensis, salutem in Domino. Noveritis quod Gaufridus de sancto Nicolao juxta Silvanectum & Hermesendis uxor ejus coram nobis constituti recognoverunt se vendidisse, nomine ecclesiæ beatæ Mariæ Silvanectensis, magistro Roberto de Housseia decano ejusdem ecclesiæ, pro quatuor libris Turonensibus, de quibus recognoverunt coram nobis sibi satisfactum fuisse in pecunia numerata, quinque solidos Parisienses annui census supra domum suam, quæ fuit quondam Radulfi *Rufe*, sitam in vico majori Silvanectensi, sub hiis terminis eidem ecclesiæ reddendos, videlicet, viginti denarios ad Pascha, & viginti denarios ad festum beati Johannis Baptistæ post sequens, & ad festum beati Remigii post sequens viginti denarios; renunciantes penitus & expresse omni exceptioni non numeratæ pecuniæ, & omni auxilio tam juris quam facti, promittentes fide præstita corporali dicti Gaufridus & Hermesendis, quod contra venditionem istam per se vel per alium non venient in futurum, sed contra super hoc eidem Roberto legitimam portabunt garandiam, salvis tamen aliis quadraginta quinque solidis Parisiensibus censualibus qui supra domum totam prædictam annuatim debentur prædictæ ecclesiæ, ut dicebant. In cujus rei testimonium præsentes literas sigillo curiæ Silvanectensis fecimus sigillari. Datum anno Domini M. CCXLIV. mense Januario, die Jovis post Epiphaniam Domini.

CXIV.

Ludovicus IX. rex Silvanectensi capitulo jus claustri concedit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod cum dilecti nostri decanus & capitulum Silvanectense nobis humiliter supplicassent ut claustrum in ecclesia Silvanectensi concederemus eisdem, ut tutius & honestius valerent ibidem Domino famulari & divinum officium celebrare, majore & communia Silvanecti se opponentibus ex adverso; tandem mediante baillivo nostro Viromandensi, quem ad componendum inter ipsos specialiter duximus destinandum, compositum & ordinatum fuit inter eos prout inferius continetur. Nullus laïcus poterit habere mansionem tamquam residens in claustro Silvanectensi extra domos canonicorum; item, in claustro Silvanectensi extra plateam beatæ Mariæ non poterunt fieri nundinæ nec fora; item, nullus de justitia majoris & communiæ Silvanectensis in claustro Silvanectensi extra plateam beatæ Mariæ vendet vel emet merces teloneum debentes, & poterunt major & jurati Silvanectenses proclamationem facere, & prohibere ne aliquis de eorum justitia ibidem vendat vel emat aliquid quod debeat teloneum; & si contra prohibitionem ipsorum aliquis de eorum justitia ibidem aliquid tale emerit vel vendiderit, ipsum poterunt justitiare & ab eodem emendam levare, prout viderint expedire, non ratione loci, sed ratione prohibitionis prædictæ. Si vero aliquis extraneus ibidem aliquid vendat vel emat quod teloneum debeat, decanus vel hebdomadarius ad petitionem majoris vel illius qui loco erit, ementes & vendentes cum mercibus teloneum debentibus a claustro tenebitur removere; nec poterunt major & jurati Silvanectenses impedire quin merces teloneum non debentes in claustro vendantur. Similiter prædicti decanus & capitulum poterunt prohibere tam civibus quam extraneis si voluerint, ne merces teloneum debentes vendant in claustro prædicto, & ementes & vendentes contra prohibitionem suam poterunt punire, prout eis visum fuerit expedire. Item, major & jurati in dicto claustro foragium, roagium, vinagium non habebunt, minagium vero habebunt prout hactenus habere consueverunt. Item, canonici, capellani & clerici de choro manentes in dicto claustro poterunt vendere vina sua propria per servientes suos vel per alios quos ad hoc duxerint conducendos. Consenserunt etiam major & jurati, quæ postella quæ sita est in muro castelli prope banelocam ad clausuram claustri prædicti in perpetuum obstruatur. Et est sciendum quod decanus & capitulum Silvanectense dederunt & concesserunt communiæ Silvanectensi in recompensationem prædictorum, novam boucheriam & domum cum cellario, quæ fuit Droconis quarrarii, prout se comportat, cum censu capitali & omni justitia & jure quod in prædictis habebant vel habere poterant, necnon & decem solidos censuales in quibus major & jurati prædictis decano & capitulo annuatim tenebantur ratione boucheriæ prædictæ, dictis majori & juratis in perpetuum remiserunt; & mediante ista recompensatione, prædicti major & jurati quittaverunt sæpedictis decano & capitulo quidquid juris, dominii sive justitiæ in dicto claustro habebant vel habere poterant quoquomodo. Hæc autem supradicta hinc inde concordata sunt & concessa, salvis chartis & privilegiis super aliis articulis inter ipsos antea habitis & obtentis. Nos autem prædictas compositionem & ordinationem ratas habentes, divinumque cultum augmentare cupientes, ob reverentiam beatæ

virginis Mariæ necnon & specialem devotionem quam erga Silvanectensem ecclesiam habemus, dictis decano & capitulo ex liberalitate regia claustrum in dicta ecclesia in perpetuum habere concessimus liberum & immune ab omni genere servitutis, secundum quod infra muros & portas claustrum claudentes continetur, quarum una sita est inter duas plateas, contigua ipsi ecclesiæ, altera juxta vicum Parisiensem, parum ultra domum Dei, tertia in capite vici qui dicitur Cordubanaria, quarta vero & ultima, quæ vocatur porta de Melloto, contigua domibus episcopi, salvo jure illorum qui domos habent ad præsens in claustro prædicto, quas dicti decanus & capitulum mediante emtione vel alio justo titulo ab ipsis obtinere intendunt; defensionem autem murorum claustrum claudentium & liberos ad eum aditum per claustrum tempore guerræ, duntaxat communitati Silvanectensi, si necesse fuerit, reservamus. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam de consensu decani, capituli, majoris & communiæ prædictorum, sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius anno Domini M. CCLVII. mense Novembri, regni vero nostri anno XXXI. astantibus in palatio nostro quorum nomina subposita sunt & signa; dapifero nullo. Sig. Johannis buticularii. Sig. Alfonsi camerarii. Ludovicus rex. Data vacante cancellaria.

C X V.

Robertus episcopus novum B. Mariæ instituit festum.

ROBERTUS filius regis Franciæ, comes Clarimontis. Universis præsentes literas inspecturis, salutem. Notum facimus quod nos literas inferius adnotatas vidimus, in hæc verba: Universis præsentes
1263. literas inspecturis, R. miseratione divina Silvanectensis ecclesiæ minister humilis, salutem in Domino. Noveritis quod festo solemni in Silvanectensi ecclesia noviter instituto, singulis annis in perpetuum secunda Dominica Maii, si commode possit fieri, celebrando, vel quam citius circa illam Dominicam fieri poterit, ad laudem & gloriam nominis Dei & reverentiam gloriosæ virginis Mariæ, & reddendum gratias super beneficiis quæ a Deo multis infirmis laborantibus igne sacro & diversis infirmitatibus in eadem ecclesia conferuntur; nos pietatis intuitu quadraginta solidos annui redditus in perpetuum ad faciendas distributiones in eadem ecclesia in dicto festo, juxta ordinationem capituli, contulimus, percipiendos annuatim in bonis nostris patrimonialibus, videlicet, in censu nostro apud *Hermencourt*, in festo sancti Dionysii annuatim; volentes ut decanus & capitulum Silvanectense in perpetuum in mortua-manu, absque coactione vendendi vel extra manum ponendi propriam, dictos quadraginta solidos annuatim in dicto censu, ad hoc dictam terram & heredes nostros & successores in dicta terra specialiter obligantes. In cujus rei testimonium præsentibus literis sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCLXIII. mense Aprili. Cum igitur prædicti quadraginta solidi annui & perpetui redditus & tota hereditas ipsius episcopi apud *Hermencourt* existens in dictis quadraginta solidis in perpetuum annis singulis, uti præmittitur, onerata in feudum teneatur a nobis; nos volentes piam ejusdem episcopi affectionem favore prosequi gratioso, volumus & concedimus quod decanus & capitulum prædictæ Silvanectensis ecclesiæ dictos quadraginta solidos annui & perpetui redditus, in perpetuum singulis annis super dicta terra seu hereditate ipsius episcopi apud *Hermencourt* percipiendos, tenere possint & perpetuo possidere pacifice & quiete in manu-mortua, absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, salvo in aliis jure nostro & jure quolibet alieno. Et in ejus rei testimonium præsentibus literis nostrum

A fecimus apponi sigillum. Actum Silvanecti anno Domini M. CCXC. mense Augusto.

C X V I.

Fundatio ecclesiæ sancti Mauritii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1264.
Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod cum ad decus & gloriam divini nominis sacratissimam Agaunensium martyrum legionem, qui cum beato Mauritio mortem pro Christo suscipere decreverunt, apud nos specialiter honorari & condigna coli reverentia cupientes, de pretiosis corporibus eorumdem aliqua dudum desiderassemus habere, de illo videlicet B sacro thesauro monasterii sancti Mauritii Agaunensis, in quo sanctorum martyrum ipsorum corpora requiescunt, ad nos in partes Franciæ deferenda, & ob hoc speciales nuncios nostros ad dilectos in Christo abbatem & conventum dicti monasterii misissemus, iidem precibus nostris favorabiliter annuentes, plura nobis de sacris corporibus antedictis concesserunt habenda, & in nostrorum præsentia nunciorum idem abbas de thesauro prædicto quædam sacra corpora quæ a longis retro temporibus cum magna diligentia servata fuerant in monasterio antedicto, reverenter assumsit, ac deinde missarum celebratis obsequiis honorifice, sicut decet, assumtis secum quibusdam fratribus & concanonicis suis una cum nunciis nostris ad nos dirigens iter suum, ea nobis humiliter & honorabiliter attulit; C & dum prope civitatem nostram Silvanectensem venissent, audito jocundo eorum adventu, cum ea qua tunc in tam brevi tempore potuimus comitiva, obviam eis processimus, & ea processionaliter in civitate prædicta recipi fecimus cum honore; cum autem clerus & populus civitatis ejusdem qui processioni interfuerunt, de tantis susceptis muneribus largitori bonorum omnium devotas laudes & gratias in majori ecclesia beatæ Virginis reddidissent, processionaliter ea afferri fecimus, & in nostram Silvanectensem inferri capellam, ac deinde per aliquod temporis spatium in eadem religiose servari. Verum cum tam modica capella beati Dionysii ad tantas conservandas reliquias nobis minime sufficiens videretur, in qua etiam in magnis solemnitatibus non valebant in nostra præsen- D tia competenter, ut decet, obsequia celebrari divina, juxta domum regiam, basilicam seu capellam aliam fundandam duximus ampliorem in honore beatissimæ virginis Mariæ & sanctorum martyrum prædictorum beati Mauritii ac sociorum ejusdem, ac juxta eamdem basilicam ædificia religiosis competentia construi fecimus, & prædicta sanctorum corpora reverenter, ut decuit, a modica capella priori ad illam de novo constructam fecimus apportari. Quæ quidem prima die Junii anno Domini M. CCLXIV. dedicata fuit solemniter, nobis præsentibus, per dilectum & fidelem nostrum Robertum Silvanectensem episcopum, astantibus pluribus aliis episcopis & cleri & populi multitudine copiosa. Nos igitur ob devotionem præcipuam quam ad ipsos Christi martyres pretiosos habemus, E capellam ipsam nostram propriam & heredum nostrorum regum Franciæ specialiter reputantes, volumus & ordinamus quod tredecim canonici religionem & ordinem sancti Augustini observantes, & canonicorum sancti Mauritii Agaunensis habitum deferentes, quorum unus nomen & officium prioris habeat, ibidem canonice instituti, Deo & beatissimæ Virgini ac sanctis martyribus antedictis religiose, jugiter ac devote ibidem debitum exsolvant obsequium, & eorum unus sacerdos existens singulis diebus pro nobis, quamdiu vixerimus, ac etiam post decessum nostrum in perpetuum missam de beata Virgine celebret ad altare consecratum in honore beatissimæ Virginis & Sanctorum omnium, & nihilominus ad idem altare post decessum nostrum omni die similiter pro nobis, dum

tamen commode possit fieri, missam, quæ pro fidelibus defunctis dicitur, exceptis diebus quibus non consuevit prædictas missas ecclesia celebrare, nihilominus etiam post decessum nostrum singulis septimanis pro nobis similiter iidem canonici celebrent unam missam conventualem quæ pro defunctis fidelibus celebratur ad majus altare, dum tamen missa diei consueta propter hoc nullatenus dimittatur, exceptis septimanis Nativitatis, Resurrectionis Domini & Pentecostes. Hæc autem anniversaria, nostrum videlicet, reginæ uxoris nostræ Margaretæ, necnon inclytæ recordationis regis Ludovici genitoris nostri, reginæ Blanchæ genitricis nostræ, certis temporibus & diebus obitus singulorum celebrare solemniter teneantur, *&c. ut spicil. tom. XII. pag. 181.*

CXVII.

Ex tabulario S. Reguli.

Simon de Ivriaco decanus sancti Reguli nonnulla vendit decano & capitulo ejusdem ecclesiæ.

1267. UNiversis præsentes literas inspecturis, officialis Rotomagensis, salutem in Domino. Noveritis quod coram Helluyno de Silvanecto clerico nostro jurato ad hoc specialiter destinato, constituti venerabilis vir Simon de Ivriaco decanus ecclesiæ B. Reguli Silvanectensis, domnus Guillermus de Ivriaco miles, frater dicti Simonis, & domina Joanna uxor dicti militis, promiserunt fide ab ipsis corporaliter præstita coram dicto jurato nostro, quod si processu temporis aliquis seu aliqui dixerit seu dixerint se esse tertium dominum possessionum, terrarum & reddituum quas & quos dictus Simon vendidit viris venerabilibus & discretis decano & capitulo ecclesiæ beati Reguli Silvanectensis apud *Gernicourt*, prout in quadam carta sigillo curiæ nostræ sigillata, super hoc confecta, continetur plenius, & super hoc ecclesiam beati Reguli molestaverit seu molestaverint, inquietaverit seu inquietaverint, quod ipsi defensionem pro dicta ecclesia sumptibus eorum & expensis in se reciperent, & dictos decanum & capitulum & ecclesiam prædictam, quantum ad possessiones prædictas illæsos & indemnes per omnia, quantum ad tertium dominum, conservabunt, se & heredes suos & omnia bona sua mobilia & immobilia præsentia & futura, quoad hæc specialiter obligarunt, prout hæc omnia juratus noster, cui fidem adhibemus, nobis retulit viva voce. In cujus rei testimonium præsenti scripto sigillum curiæ nostræ ad relationem dicti jurati nostri duximus apponendum, & ad majorem hujus rei confirmationem dicti Simon, Guillermus & Johanna ejus uxor præsenti scripto sigilla sua apposuerunt. Actum anno Domini M. CCLXVI. mense Februario.

CXVIII.

Ex tabul. S. Reguli.

Altera ejusdem venditio facta iisdem decano & capitulo.

1269. OMnibus hæc visuris, officialis Rotomagensis, salutem in Domino. Noveritis quod constitutus in præsentia Helluini de Silvanecto clerici nostri jurati, vir venerabilis & discretus Simon de Ivriaco decanus ecclesiæ sancti Reguli Silvanectensis recognovit se vendidisse, quittasse & omnino reliquisse viris venerabilibus & discretis decano & capitulo ecclesiæ sancti Reguli Silvanectensis prædictæ pro quadraginta libris Parisiensibus, de quibus se coram dicto jurato nostro pro pagato in pecunia numerata, renuntians exceptioni pecuniæ non numeratæ, non traditæ, non solutæ & non liberatæ, octo minas bladi & duodecim minas avenæ ad mensuram de Henonvilla Rotomagensis diœcesis, quas habebat & percipiebat annuatim, ut dicebat, in decimis & campipartibus, quas dominus Johannes de *Boubiez* miles, dictus Archiepiscopus, & domina Agnes ejus uxor habent & possident in territorio & parochia de Ivriaco & de *Triengeuil*, cedens eisdem

A decano & capitulo ecclesiæ sancti Reguli & eorum successoribus omne jus, dominium & etiam omnem justitiam quæ & quam habebat, ut dicebat, seu habere poterat & debebat in blado & avena prædictis, quocumque modo censeantur, ex nunc transferentes in eosdem tenendum, percipiendum & habendum de cetero singulis annis dictis decano & capitulo & eorum successoribus, videlicet, dictas octo minas bladi & dictas duodecim minas avenæ in crastino Nativitatis Domini libere, pacifice & quiete. . . . . Quam quidem venditionem, quitationem & etiam concessionem omnium & singulorum prædictorum constituti in præsentia dicti jurati nostri, & fidelis Guillermus de Ivriaco miles, domina Johanna ejus uxor asserentes dictum Guillermum esse primum dominum præmissorum venditorum, & Simon de *Triengueil* armiger

B & domicella Emmelina ejus uxor asserentes dictum Simonem esse dominum secundum eorumdem venditorum, & Johannes dictus Archiepiscopus miles, domina Agnes ejus uxor, & domina Odelina sorores dictorum Guillelmi & Simonis, voluerunt, laudaverunt & approbaverunt. . . . In cujus rei testimonium præsenti scripto sigillum curiæ nostræ ad relationem dicti jurati nostri duximus apponendum, & ad majorem hujus rei confirmationem dicti Simon, Guillelmus & Johanna ejus uxor præsenti scripto sigilla sua apposuerunt. Actum anno Domini M. CCLXIX. mense Junio.

CXIX.

C *Ludovicus IX. rex factam ecclesiæ beatæ Mariæ venditionem confirmat.*

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum 1269. facimus universis tam præsentibus quam futuris quod nos literas dilecti & fidelis clerici nostri magistri Galteri de Chambliaco cantoris Silvanectensis vidimus in hæc verba:

Universis præsentes literas inspecturis, magister Galterus de Chambliaco cantor Silvanectensis, salutem in Domino. Notum facimus universis quod nos vendidimus & in perpetuum quittavimus ecclesiæ beatæ Mariæ Silvanectensis quidquid habebamus apud Cramoisiacum & in territorio dictæ villæ movens a Simone de Bangiaro armigero, videlicet, novem arpenta terræ arabilis & quartam partem decimæ bladi, avenæ cete-

D rorumque leguminum villæ & territorii prædictorum; item, duos modios bladi quos habebamus super quartam partem decimæ Simonis prædicti capiendos in granchia decimaria dictæ villæ; item, tres minas vel circiter campipartis, & talem partem quam habebamus in censu trium hostisarum in dicta villa, & quartam partem granchiæ decimariæ prædictæ, & aliam domum parvam sitam juxta granchiam supradictam, pro quingentis libris Parisiensibus jam nobis traditis & persolutis a dicta ecclesia in pecunia bene & legitime numerata, renuntiantes in hoc facto omni exceptioni non numeratæ pecuniæ, non habitæ, non receptæ, & omni auxilio tam juris quam facti canonici & civilis, exceptioni doli mali, epistolæ divi Adriani, omnibus literis apostolicis seu privilegiis impetratis vel impe-

E trandis, cujuscumque tenoris existant, & omnibus aliis allegationibus & exceptionibus quæ possent dici vel objici contra præsens instrumentum, prædictæ ecclesiæ nocere & nobis in futurum prodesse; promittentes in verbo sacerdotis quod contra venditionem & quittationem hujusmodi per nos vel per alios non veniemus in futurum, sed omnia & singula prædicta dictæ ecclesiæ a nobis, ut dictum est, vendita, prout jus dictaverit, contra omnes garandizabimus & defendemus, pro qua garandia ferenda & pro omnibus aliis & singulis supradictis tenendis, adimplendis & in perpetuum fideliter observandis, obligamus nos, bona nostra mobilia & immobilia præsentia & futura, & heredes nostros quoad hoc relinquimus obligatos, transferentes ex nunc

ex nunc & in perpetuum in dictam ecclesiam omne jus, dominium, proprietatem & possessionem quæ nobis in prædictis competebant vel competere poterant quoquo jure. Dicta vero ecclesia annuatim reddere tenebitur presbytero de Cramoisiaco duas minas bladi, & presbytero beati Martini de Ceris dimidiam minam, in quibus nos eisdem presbyteris annuatim tenebamur super partem nostram decimæ supradictæ. In cujus rei testimonium præsentibus literis sigillum nostrum dignum duximus apponendum. Actum anno Domini M. CCLXIX. mense Februario. Nos vero ad petitionem dicti magistri Galteri volumus & concedimus, quantum in nobis est, quod prædicta Silvanectensis ecclesia res prædictas possit tenere in perpetuum & pacifice possidere, absque cautione aliqua vendendi vel extra manum suam ponendi, salvo in aliis jure nostro & jure etiam in omnibus alieno. Quod ut ratum & stabile permaneat in futurum, præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini M. CCLXIX. mense Februario.

CXX.

Robertus episcopus terram apud Suessiones vendit monachis Longipontis.

1270. UNiversis præsentes literas inspecturis, Robertus miseratione divina Silvanectensis ecclesiæ minister humilis, salutem in Domino. Noverint universi quod nos dedimus & concessimus nomine venditionis, abbati & conventui Longipontis totam terram nostram quam habebamus apud Suessionem, cum omnibus pertinentiis, pro tribus millibus libris Turonensibus. Datum anno Domini M.CCLXX. mense Maio.

CXXI.

Idem episcopus Vallis-profundæ donationem confirmat.

1270. UNiversis præsentes literas inspecturis, Robertus Dei gratia Silvanectensis episcopus, salutem in Domino. Noveritis quod in nostra præsentia constitutus Henricus de Grandiprato filius comitis Grandisprati, miles & dominus de Livriaco, recognovit coram nobis se dedisse & concessisse magistro Galtero de Chambliaco cantori Silvanectensi & illustris domini regis Francorum clerico, ad vitam ipsius magistri Galteri, pro servitio suo & ob meritorum suorum exigentiam, totam terram suam & ejus pertinentias quam habet apud Silvanectum & apud Vallem-profundam moventem a nobis, in feodum & homagium, videlicet, in domibus, censibus, redditibus, furnis, molendinis, aqua piscaria, pratis ceterisque obventionibus, necnon & justitia, promittens bona fide quod contra donationem seu concessionem hujusmodi per se vel per alium non veniet in futurum, renuncians in hoc facto doli exceptioni, & in factum actioni, & in integrum restitutioni, & omni consilio & auxilio, & beneficio juris scripti & non scripti sibi competenti vel competito, omni etiam literæ seu privilegio impetrato vel impetrando, necnon & privilegio crucis assumtæ vel assumendæ, & omnibus exceptionibus & defensionibus quæ contra præsens instrumentum possent objici vel adduci, per quas posset hæc donatio seu concessio irritari. Ad hæc autem omnia & singula præmissa tenenda & inviolabiliter observanda prædictus dominus Henricus obligat se & omnia bona sua mobilia & immobilia, & heredes suos, quos ad hoc relinquit obligatos. Nos autem dictam donationem seu concessionem volumus & approbamus, & ad petitionem dicti Henrici, tamquam principalis dominus dicti feodi, confirmamus, salvo tamen jure nostro. Recognovit insuper prædictus dominus Henricus quod ipse tenetur deliberare dictam terram erga magistrum & fratres domus militiæ Templi Parisiensis & erga Gualeranum dictum *le Gruier* civem Silvanectensem. In cujus rei testimonium ad petitionem prædicti domini Henrici prædicto magistro Galtero præsentes literas tradidimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini M. CCLXX. mense Novembri.

CXXII.

Robertus episcopus & Nicolaus de Ambianis officialis ex compromisso dirimunt controversiam inter archidiaconum Silvanectensem & plurium ecclesiarum rectores.

UNiversis præsentes literas inspecturis, Robertus miseratione divina Silvanectensis ecclesiæ minister humilis, & magister Nicolaus de Ambianis canonicus & officialis Silvanectensis, salutem in Domino. Notum facimus quod cum inter discretum virum magistrum Thomam de Joiaco archidiaconum Silvanectensem, a parte una, & curatos de Altomonte, de Plesseio, de Chamento, de Fonte sancti Firmini, de Valle-profunda, de Berrone, de Droisellis, de Benimonte & de *Bouillant* ecclesiarum rectores, ex altera, super eo quod idem archidiaconus, ratione visitationis, procurationes ab eisdem rectoribus exigebat, contentio verteretur, & super præmissis in nos esset a prædictis archidiacono & rectoribus compromissum in forma quæ in literis super hujuscemodi compromisso confectis plenius continetur; nos auditis & consideratis diligenter rationibus partium earumdem, communicatoque bonorum consilio, pensantes quod licet archidiaconus ipse non probaverit se visitationem in dictis ecclesiis habuisse, quia tamen ipsæ ecclesiæ extra civitatem Silvanectensem existentes possunt inquisitione & visitatione non immerito certis temporibus & congruis indigere, quæ visitatio & inquisitio facilius & compendiosius per archidiaconum possent quam per episcopum exerceri; volentes etiam ut iste honore & emolumento suæ personæ debitis non fraudetur omnino, & istorum & locorum suorum defectus per visitationis & inquisitionis defectum improvide non incorrectos remanere. Hæc & alia quæ temporaliter & spiritualiter parti utrique conveniunt attendentes, ecclesiarum rectores & successores ipsorum, videlicet, de Altomonte in tribus solidis, de Fonte sancti Firmini in tribus solidis, de Plesseio in duobus solidis, de Chamento in tribus solidis, de Valle-profunda in quinque solidis, & de Droisellis in quatuor solidis Turonensis monetæ, annuatim in perpetuum eidem archidiacono ejusque successoribus, quando prædictas ecclesias visitaverint, persolvendis, per nostram ordinationem arbitralem seu sententiam condemnamus, eadem sententia ordinantes & inhibentes expresse, ne archidiaconus ipse aut ejus successores a jam dictis rectoribus & eorum successoribus ultra prætaxatas summas, visitationis seu procurationis, sive cujuscumque alterius exactionis nomine, exigere vel petere valeant aliquid in futurum. Considerantes præterea Silvanectenses episcopos in ecclesias & villas de *Bemont* & de *Boillant*, quæ ecclesia de *Boillant* capella episcopalis domus esse dignoscitur, jurisdictionem omnimodam a longævis temporibus habuisse, ac quod Berrona camera episcopalis dicitur, ecclesiam de *Berrone* ab olim Silvanectenses episcopi visitaverint & procurationes receperint in eadem, ob quod a visitationibus & procurationibus archidiaconi merito est excepta, easdem ecclesias & rectores ipsarum de *Bemont*, de *Boillant* & de *Berrone* aliqua munificentia seu prærogativa propterea gaudere volentes, ab omni solutione procurationis dicto archidiacono & ejus successoribus in perpetuum per eamdem ordinationem seu arbitralem sententiam absolvimus. In cujus rei testimonium & memoriam perpetuam sigilla nostra præsentibus literis duximus apponenda. Datum anno Domini M.CCLXX. die Veneris post festum Omnium sanctorum. 1270.

CXXIII.

De venditione quorumdam bonorum quæ donata fuerant ad vitam.

1275. NOS Henricus filius nobilis viri domini Henrici comitis Grandisprati, dominus de Livriaco, notum facimus universis quod cum nos, jam diu est, venerabili & discreto viro magistro Galtero de Nulliaco archidiacono Briæ in ecclesia Meldensi, pro suo bono & fideli servitio nobis impenso, quoad ipsius magistri vitam civilem vel naturalem, dederimus & concesserimus totam terram nostram quam habebamus & tenebamus ac etiam tenemus in feodum a reverendo patre Dei gratia episcopo Silvanectensi, apud Silvanectum, Vallem-profundam, & in tota castellania Silvanectensi, videlicet, domum nostram Silvanectensem, sicut se comportat, terras, prata, vineas, aquas, census & redditus, grossos videlicet & minutos, furnum, molendinum, & omnes alias obventiones, jura & pertinentias quaslibet totius dictæ terræ in quibuscunque rebus & locis existant, ab ipso magistro, quamdiu, ut dictum est, vixerit, possidendam libere & habendam pacifice & quiete, prout in literis inde confectis sigillo reverendi patris episcopi supradicti & nostro sigillatis plenius continetur. Nos donum hujusmodi confirmantes, proprietatem nobis in tota dicta terra & ejus pertinentiis competentem, & quidquid juris, proprietatis, possessionis, actionis, jurisdictionis, justitiæ vel cujuslibet alterius juris, quocunque modo censeri posset vel nominari, habemus & habere possumus, ac etiam nobis competit & potest competere, modo & ratione quibuslibet, in tota dicta terra dictorum locorum & pertinentiis ejusdem, nihil juris, dominii, proprietatis, possessionis vel actionis in ipsa nobis vel nostris heredibus de cetero retinentes, pro nostra utilitate & evidenti necessitate vendiderimus ac vendimus, & nomine puræ & legitimæ venditionis perpetuo concessimus, cedimus & quittamus prædicto magistro Galtero & suis heredibus ac etiam causam habituris ab eodem, pro pretio ducentarum octoginta & decem librarum Parisiensium nostro quito, & jam nobis a prædicto magistro Galtero soluto integre & tradito in pecunia numerata, de quo pretio vocamus nos bene quitos & integre pagatos, ac de eodem pretio dictum magistrum Galterum penitus quitamus, exceptioni non numeratæ pecuniæ vel non receptæ omnino renunciantes, & promittimus per stipulationem legitimam & bona fide quod contra venditionem, quitationem, cessionem & concessionem prædictas, vel aliquid de prædictis, nullatenus veniemus jure hereditario aut alio jure quolibet, sive alia ratione quacunque, per nos vel per alios in futurum; immo venditionem hujusmodi, prout superius declaratur, & omnia quæ in ea superius exprimuntur, quitam & liberam ab omni onere, obligatione & impedimento quocumque garantizabimus, liberabimus & defendemus nostris sumtibus, periculo & expensis, in judicio & extra judicium dicto magistro Galtero & ejus heredibus, sive ab eo causam habituris, quandocumque opus fuerit & super hoc fuerimus requisiti, contra omnes, omnem super hiis denuntiandi necessitatem ipsi emtori & ejus heredibus vel ab ipso causam habituris, quantum ad hoc penitus remittentes, & ipsos super hiis indemnes conservare erga quoscunque promittentes, & pro recta garandia ferenda super hujusmodi venditione, modo prædicto & indemnitate præstanda, nos & heredes nostros & successores quoslibet, cum omnibus nostris & heredum nostrorum ac successorum nostrorum bonis mobilibus & immobilibus, præsentibus & futuris, ubicumque poterunt inveniri, dicto magistro Galtero & suis heredibus ac etiam causam habituris ab eodem, obligamus. Nos vero Isabellis uxor prædicti Henrici venditoris, sponte nostra, non coacta, venditionem, quitationem bona fide, quod A contra quitationem, venditionem & concessionem prædictas per nos vel per alios non veniemus in futurum, ratione dotis sive dotalitii vel donationis propter nuptias, vel alia ratione quacunque; immo dictum magistrum Galterum & ejus heredes vel ab ipso causam habituros, de hujusmodi venditione, prout superius declaratur, permittemus gaudere in perpetuum pacifice & quiete. Renuntiantes, quantum ad hoc, nos Henricus venditor & Isabellis ejus uxor prænominati fori & crucis assumtæ & assumendæ privilegio, exceptioni doli, actioni in factum, petitioni libelli copiæ præsentis instrumenti, & omnibus aliis exceptionibus, rationibus, allegationibus & defensionibus tam juris quam facti quæ nobis possent prodesse, & dicto magistro & ejus heredibus nocere. In quorum testimonium nos prænominati Henricus & Isabellis præsentes B literas dicto magistro Galtero sigilli nostri munimine tradidimus roboratas. Actum & datum anno Domini M. CCLXXIV. die Lunæ ante Cathedram sancti Petri.

CXXIV.

De eadem venditione.

UNiversis præsentes literas inspecturis, Henricus filius domini Henrici comitis Grandisprati, miles, salutem in Domino. Cum nos totam terram nostram quam habebamus apud Silvanectum, Vallem-profundam, & in castellania Silvanectensi, quam tenebamus in feodum a reverendo patre episcopo Silvanectensi, venerabili viro magistro Galtero de Nulliaco archidiacono Briæ in ecclesia Meldensi, pro certo & justo C pretio vendiderimus & concesserimus, prout in literis inde confectis sigillo nostro sigillatis plenius continetur; noverint universi quod eidem magistro Galtero omnia feoda & retrofeoda ad eamdem terram pertinentia quittamus & concedimus, promittentes bona fide quod nihil juris, dominii, proprietatis, possessionis, actionis, jurisdictionis, nihil justitiæ in feodis & retrofeodis ad eamdem terram pertinentibus reclamabimus in futurum, volentes & concedentes quod omnes illi qui pro feodis ad dictam terram pertinentibus nobis fecerant homagium, de cetero faciant homagium dicto magistro de feodis supradictis, ipsos rogantes super hoc ac etiam requirentes eo affectu quo possumus ampliori, quittantes ipsos super homagio nobis facto de feodis antedictis & omnibus D tenore præsentium intimamus. Datum anno Domini M. CCLXXIV. mense Februario. 1275.

Exstat adhuc ea de re charta officialis Parisiensis anno 1274. mense Februario.

CXXV.

Charta Roberti episcopi de eadem venditione.

UNiversis præsentes literas inspecturis, Robertus divina permissione Silvanectensis episcopus, salutem in Domino. Notum facimus universis quod in nostra præsentia constitutus nobilis vir dominus Henricus filius domini Henrici comitis Grandisprati, miles, dominus de Livriaco, asseruit coram nobis quod cum ipse, jam diu est, venerabili & discreto viro magistro E Galtero de Nulliaco archidiacono Briæ in ecclesia Meldensi, pro suo bono & fideli servitio, quoad ipsius magistri vitam civilem vel naturalem, dederit & concesserit totam terram suam quam habebat & tenebat ac etiam tenet in feodum & retrofeodum a nobis apud Silvanectum, Vallem-profundam, & in tota castellania Silvanectensi, videlicet, domum suam Silvanecti, sicut se comportat, terras, prata, vineas, aquas, census & redditus, grossos videlicet & minutos, furnum, molendinum, & omnes alias obventiones, jura, pertinentias quaslibet & totius dictæ terræ, in quibuscunque rebus & locis existant, ab ipso magistro, quamdiu vixerit, ut dictum est, possidendas libere & habendas pacifice & quiete, prout in literis inde 1275.

confectis, sigillo nostro & sigillo ipsius domini Henrici sigillatis, plenius continetur. Prædictus vero dominus Henricus coram nobis personaliter constitutus hujusmodi donum confirmans, proprietatem sibi in tota dicta terra competentem ac pertinentiis ejusdem, & quidquid juris, proprietatis, possessionis, actionis, jurisdictionis, justitiæ, vel cujuslibet alterius juris, quocunque modo censeri posset vel nominari, habebat vel habere poterat, ac etiam sibi competit vel competere potest, modo & ratione quibuslibet, in tota dicta terra dictorum locorum ac pertinentiis ejusdem, nihil juris, dominii, proprietatis, possessionis vel actionis in ipso sibi vel suis heredibus de cetero retinens, pro utilitate sua & evidenti necessitate vendidit, concessit & quitavit, & se nomine puræ & legitimæ venditionis perpetuo coram nobis vendidisse, concessisse ac etiam quitavisse recognovit prædicto magistro Galtero ac suis heredibus & ab ipso causam habituris, pro pretio ducentarum octoginta & decem librarum Parisiensium eidem Henrico quito, & jam sibi a prædicto Galtero soluto integre & tradito in pecunia numerata; de quo pretio se tenuit idem Henricus coram nobis pro pagato, ac de eodem pretio eumdem magistrum Galterum penitus quitavit coram nobis, exceptioni non numeratæ pecuniæ & non receptæ dictæ pecuniæ omnino renuncians in hac parte, promittens per stipulationem legitimam, & bona fide, quod contra venditionem, concessionem & quitationem prædictas vel aliquid de prædictis nullatenus veniet jure hereditario, ratione conquestus, aut alio jure quolibet, sive alia ratione quacumque, per se vel per alium in futurum; immo venditionem hujus, prout superius declaratur, & omnia quæ in ipsa superius exprimuntur, quitam & liberam ab omni onere, obligatione & impedimento quocunque garantizabit, liberabit & defendet suis sumtibus, periculo & expensis in judicio & extra judicium dicto magistro Galtero & ejus heredibus & causam habituris ab eodem, quandocumque opus fuerit & super hoc fuerit requisitus, contra omnes, omnem super hiis denunciandi necessitatem ipsi emtori & ejus heredibus vel ab ipso causam habituris, quantum ad hoc penitus remittens, & ipsos super hiis indemnes conservare erga omnes promittens, & pro recta garandia ferenda super hujus venditione, modo prædicto & indemnitate præstanda, se & heredes suos & successores quoslibet, cum omnibus suis & heredum ac successorum suorum bonis, mobilibus & immobilibus præsentibus & futuris, ubicumque poterint inveniri, dicto magistro Galtero & ejus heredibus ac ab ipso causam habituris, dictus Henricus coram nobis obligavit & obligata reliquit, renuncians quantum ad hæc dictus Henricus coram nobis fori & crucis assumtæ & assumendæ privilegio, exceptioni doli, actioni in futurum, petitioni libelli copiæ præsentis instrumenti, & omnibus aliis exceptionibus, rationibus & allegationibus & defensionibus tam juris quam facti quæ dicto Henrico possent prodesse, & dicto magistro & suis heredibus nocere. Et ut firmum & stabile permaneat in futurum, præsentes literas dicto magistro Galtero ad petitionem ipsius domini Henrici, sigilli nostri munimine tradidimus roboratas. Datum anno Domini M. CCLXXIV. mense Februario.

CXXVI.

Ex archiv. S. Frambaldi.

Erectio capellæ sancti Bartholomæi de Mortuo-fonte in ecclesiam parochialem.

1276. OMnibus præsentes literas inspecturis, A. de Autolio thesaurarius ecclesiæ sancti Frambaldi Silvanectensis, salutem in salutis auctore. Quoniam in perpetuis & antiquis plusquam vivæ voci creditur instrumento, utpote labili memoria hominum existente, ad perpetuam rei memoriam notum facimus universis quod cum nobilis vir Guido de *Plailly* junior, miles defunctus, in suo testamento seu ultima voluntate A ordinasset & præcepisset quod in capella sancti Bartholomæi de Mortuo-fonte, sita extra metas parochiæ de Plailliaco Silvanectensis diœcesis, cujus ad nos collatio dignoscitur pertinere, in qua non erant certi redditus deputati, ab antiquo ibidem posita & constructa, capellanus perpetuus vel curatus, quod plurimum affectabat, poneretur & institueretur, & quod capellano vel presbytero curato ibidem perpetuo servituro pro remedio animæ suæ & parentum & amicorum suorum duodecim libræ Parisienses annui redditus de bonis derelictis assignarentur, a capellano vel curato qui pro tempore fuerit institutus in dicta capella perpetuo serviturus, sine difficultate qualibet percepturæ *, prout in testamento seu ultima voluntate militis sigillo curiæ Silvanectensis & suo sigillo *percipiendæ.
B plenius continetur; & magister Adam rector ecclesiæ de Plailliaco, & Petrus de Bertrandisfovea miles, exsecutores dicti testamenti, assignaverint dicto capellano vel curato ibidem instituendo perpetuo servituro duodecim libras Parisienses annui redditus amortizatas per dominum feodorum, prout de præmissis tam per confessionem dictorum exsecutorum quam per literas dictorum dominorum nobis constitit evidenter; nos vero largam munificentiam donatoris approbantes, considerantesque piam, devotam & salutarem ejusdem testatoris voluntatem & voluntatis affectionem cultum divinum augmentare conantis, fideliter firmiterque concedentis quod sanctum & salubre est pro defunctis exorare, eidem annuimus & nostrum pium præbuimus & præbemus assensum, salva de nostro assensu & vo-
C luntate, reverendi patris Roberti Dei gratia Silvanectensis episcopi ordinatione dictam testatoris dispositionem utiliter de bonorum consilio moderante; in qua quidem ordinatione voluit idem dominus & reverendus pater, pensatis omnibus quæ ipsum potuerunt & debuerunt movere, tam ex parte dicti magistri Adæ presbyteri de Plailliaco quam & assensu Eustachii presbyteri in dicta capellania instituendi, & locorum & plebium tam de Mortuo-fonte quam de Monteabyssi, & difficultate & labore plebium dictorum locorum venientium ad parochialem ecclesiam de Plailliaco tempore hiemali, & tempore nivium, & grandinum, & pluviarum, quod capella S. Bartholomæi de Mortuo-fonte ex nunc in . . . . parochialis ecclesia in omnibus & per omnia censeatur, & persona quæ ibi instituetur dictas duodecim libras Parisienses recipiat &
D habeat, & prædictarum plebium regimen animarum, & dictorum locorum homines ad omnia jura parochialia personæ institutæ teneantur, sicut prius presbytero de Plailliaco tenebantur. Et ne presbyter de Plailliaco dicere valeat suam ecclesiam esse læsam ex fundatione prædictæ ecclesiæ de Mortuo-fonte, quadraginta solidos Parisienses debitos a domino Vernone ad festum beati Remigii, sub conditio ie qua fuerunt legati capellæ de Mortuo-fonte, scilice. . missæ celebrandæ qualibet septimana pro legante recipiet & habebit. Verum quia presbyter de Mortu -fonte modicum consecuturus est emolumentum e: \djectione curæ plebium prædictarum & locorum, ordinat & vult quod archidiaconus Silvanectensis nonnisi semel in biennio valeat exigere procurationem summam de-
E cem solidorum minime excedentem; & quoniam statim in limine istius ordinationis imminebat ingentis contestationis materia super collatione beneficiorum de Mortuo-fonte & capellaniæ de Mala-domo infra metas dictæ parochiæ de Plailliaco existentis, nobis dicentibus collationem dictorum beneficiorum ad nos pertinere tamquam ad patronum, dicto domino in contrarium asserente dicta beneficia ad ipsum tamquam ad diœcesanum spectare debere; tandem de bonorum consilio, ipsius domini & reverendi patris assensu interveniente & nostro, in modum qui sequitur sopita fuit contentio memorata, ita videlicet quod quandocumque & quotiescumque *beneficium seu parochia de Mortuo-fonte vacare contigerit, ad nos & successores

nostros thesaurarios ipsius collatio pertinebit, capella vero de Mala-domo ab eodem domino episcopo & nobis alternis vicibus conferatur; ita tamen quod personas ibidem constituendas, cum eadem beneficia nos conferre contigerit, eidem domino episcopo & ejus successoribus episcopis Silvanectensibus tenebimur præsentare. Hæc autem acta fuerunt & ordinata ab eodem domino episcopo, nobis nomine nostro & thesaurariæ nostræ, & dicto domino Adam nomine suo & ecclesiæ suæ consentientibus & promittentibus nos bona fide prædicta omnia irrefragabiliter servaturos. In cujus rei testimonium præsenti scripto nostrum sigillum una cum sigillo ejusdem domini episcopi & sigillo ejusdem Adæ rectoris dictæ ecclesiæ de Plailliaco duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCLXXVI. mense Aprili.

CXXVII.

Litera officialis Silvanect. de domo in Gallandia.

1279. UNiversis præsentes literas inspecturis, officialis curiæ Silvanectensis, salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra præsentia personaliter constituti Robertus de Murato filius Richendis de Murato civis Silvanectensis, & Ermessendis ejus uxor recognoverunt & confessi sunt, quod cum ipsi accepissent a venerabili & discreto viro magistro Galtero de Nulliaco archidiacono de Constantino in ecclesia Constantiensi, domum, quæ quondam fuit domini Henrici de Grandiprato militis, sitam, ut dicebant, Silvanecti, in loco qui Gallandia vulgariter nuncupatur, cum ipsius domus porprisio, sicut eam tenebat idem archidiaconus, pro quibus domo & porprisio ipsi Robertus & ejus uxor annuatim reddere debuerant prædicto archidiacono sex libras Parisienses censuales, ut dicebant, justitia tamen & dominio justitiæ dictæ domus & ejus porprisii ipsi archidiacono & ejus heredibus, & omnibus ab eis causam habituris, prout iidem Robertus & ejus uxor dicebant, in perpetuum remanentibus & retentis. Et quod ipse archidiaconus & ejus heredes ac omnes causam in præmissis habituri in futurum ab ipsis, omni oppositione & contradictione præfatorum Roberti & ejus heredum, ac quorumcunque ab eis in eisdem præmissis causam habiturorum deinceps nequaquam obstantibus, libere possint per se vel per alium seu alios in perpetuum, debitis ad hoc temporibus colligere & recipere in prædictis domo & porprisio census & redditus terræ suæ, quæ quondam fuit prædicti domini Henrici, & etiam quandocumque voluerint placita sua & causas suas dictæ terræ & personarum sibi ratione ipsius terrarum subjectarum & subjiciendarum audire & tenere in ipsis domo & porprisio, & justitiam suam & pertinentia ad eam ratione dictæ terræ inibi libere exercere. Jam dicti Robertus & ejus uxor redemerunt, ut dicebant, pro se & heredibus suis in posterum a memorato archidiacono centum & octodecim solidos Parisienses censuales de præscriptis sex libris Parisiensibus censualibus per centum & decem libras Parisienses, de quibus eidem archidiacono plenarie satisfecerant, ut dicebant, promittentes se & heredes suos pro domo & porprisio prædictis in posterum soluturos & reddituros prænominato archidiacono ejusque heredibus & omnibus ab ipsis causam in præmissis in perpetuum habituris, annis singulis in festo beati Remigii in capite Octobris, duos solidos Parisienses capitalis & annui recti census residuos de sex libris censualibus antedictis, remanentibus tamen, ut expresse concesserunt coram nobis iidem Robertus & ejus uxor, eidem archidiacono ejusque heredibus, & omnibus ab ipsis causam in præmissis habituris in posterum libera potestate recipiendi suos census & redditus prædictos, & exercitio dictæ justitiæ suæ in prænominatis domo & porprisio, sicut superius est expressum. Promiserunt insuper iidem Robertus & Ermessendis ejus uxor, fide in manu nostra præstita corporali, quod contra præmissa vel aliquod præmissorum per se vel per alium

A seu alios non venient in futurum, se, heredes suos & omnes ab eis causam in præmissis habituros deinceps, & omnia bona sua, mobilia & immobilia, præsentia & futura ubique existentia, quantum ad hæc obligantes, præscripto archidiacono ejusque heredibus & omnibus ab ipsis causam in præmissis in posterum habituris & obligata relinquentes, specialiter & expresse renunciantes in hoc facto omni juris auxilio canonici & civilis, exceptioni doli mali, fraudis, circumventionis, deceptionis ultra dimidium justi pretii, exceptioni rei ita non gestæ, & specialiter juri, quo cavetur generalem renunciationem non valere, & omnibus aliis exceptionibus, defensionibus, rationibus & allegationibus juris & facti specialis & communis quod contra præsens instrumentum posset objici vel adduci, & se supponentes expresse, quantum ad hæc, jurisdictioni curiæ
B Silvanectensis, ubicumque se transferant, maneant vel existant. In cujus rei testimonium & memoriam sigillum curiæ Silvanectensis ad petitionem sæpedictorum Roberti & ejus uxoris præsentibus literis duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCLXXIX. mense Octobri.

CXXVIII.

Stephanus decanus sancti Reguli cum suo capitulo annuit fundationi unius missæ singulis diebus in ecclesia sua dicendæ. Ex tab. S. Reguli, ch. 98.

QUoniam breves sunt dies hominum & incerti, & de die in diem crescit hominum malitia & abundat, ea quæ æternare volumus ad futurorum notitiam 1285.
C dignum duximus literis commendare. Inde est quod ego Stephanus ecclesiæ beati Reguli decanus totumque ejusdem ecclesiæ capitulum, notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod Philippus Cementarius amicus & familiaris ecclesiæ nostræ, dum in extremis laborabat, me videlicet decanum ad se vocavit & petiit quatinus pietatis intuitu missa una pro anima sua & Sanctissimæ uxoris suæ, & pro animabus parentum & benefactorum suorum & omnium fidelium defunctorum, in ecclesia nostra singulis diebus perpetuo celebraretur; quod cum sine assensu capituli nec facere poteram nec debebam, ad diem unam capitulum convocavi & ei breviter voluntatem jam dicti Philippi, sicut audieram, intimavi; ego siquidem & capitulum unanimiter familiaritatem quam idem Philip-
D pus erga ecclesiam nostram habuerat, dum vixit, attendentes, petitioni suæ acquievimus, & juxta petitionem suam sacerdotem unum jam dictæ missæ debitorem in ecclesia nostra instituimus, qui si prædicto officio minus sufficiens, sive negligens extiterit, ad voluntatem capituli singulis annis poterit amoveri. Præterea sæpedictus Philippus benevolentiam nostram considerans, & beneficii coram nobis elargiti non immemor, de bonis in ecclesia nostra sibi concessis gratias agens, dictæ ecclesiæ nostræ triginta libras Parisienses ad emendum redditum reliquit, quem tunc temporis ecclesiæ nostræ utiliorem potuimus invenire. Quod ut ratum sit, præsentem cartam sigilli nostri auctoritate roboravimus, omnes illos excommunicantes qui hanc paginam nostram infringere voluerint, vel ei aliqua malignitate
E contraire præsumpserint. Actum est hoc in ecclesia hiis astantibus Stephano decano, Henrico archidiacono, Johanne de *But*, Arnulfo diaconis, Herberto, Martino, Garino subdiaconis. Actum in capitulo nostro anno Incarnati Verbi M. CCLXXXV.

CXXIX.

Philippus Pulcher rex venditionem terræ de Gualanda Silvanectensi capitulo factam confirmat.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, universis præsentes literas inspecturis, salutem. Notum 1288.
facimus nos literas quasdam sigillo Silvanectensis episcopi sigillatas, in hæc verba vidisse.

Universis præsentes literas inspecturis, Gualterus de

Nuilliaco permissione divina Silvanectensis ecclesiæ minister humilis, salutem in Domino. Cum nos, jam diu est, tempore quo eramus archidiaconus Briæ in ecclesia Meldensi, emissemus & acquisissemus nomine nostro ab Henrico filio comitis Grandisprati milite omnem terram quam tempore venditionis prædictæ & emtionis habebat, tenebat & possidebat idem miles in civitate, suburbiis & diœcesi Silvanectensi cum omnibus juribus & pertinentiis ejusdem terræ, quæ vulgariter Guallandia nuncupatur, noveritis quod nos vendidimus, concessimus & nomine venditionis ex nunc in perpetuum quittavimus & quittamus dilectis nostris viris venerabilibus & discretis decano & capitulo prædictæ ecclesiæ Silvanectensis omnem terram prædictam cum omnibus juribus & pertinentiis, redditibus, exitibus, proventibus, obventionibus & rebus aliis ad ipsam terram spectantibus, ubicumque & in quibuscunque dicta terra sita sit & reperiatur in dictis civitate, suburbiis & diœcesi, tam in hostisiis, hospitibus, domibus, possessionibus, terris arabilibus, censibus, supercensibus, corveiis, redditibus, redebentiis, pratis, aquis, piscariis, molendinis, furnis & rebus aliis quibuscunque, ubicumque existant & quocunque nomine censeantur, omnia jura personalia & actiones, proprietatem, possessionem & dominium quæ & quas in ipsa terra habebamus & habere poteramus, & quæ in eadem terra & in omnibus juribus, pertinentiis & appenditiis ipsius nobis competebant & competere poterant, quoquo jure, ratione personæ nostræ & ratione personæ dicti militis eisdem decano & capitulo cedentes & quittantes nomine venditionis & emtionis prædictarum, & in eos totaliter transferentes, & nihil prorsus juris, actionis, proprietatis, possessionis & dominii utilis vel directi nobis nec heredibus nostris in eis retinentes, sed a nobis & heredibus nostris ac a nobis causam habentibus vel habituris penitus abdicantes; ita tamen quod ipsi decanus & capitulum ad omnes redebentias & ad omnia onera dictæ terræ supportanda, solvenda & sustinenda ex nunc in perpetuum teneantur, ad quas & quæ ratione dictæ terræ antea tenebamur. Quæ venditio facta fuit pro mille libris Parisiensibus nobis quitis, jam solutis nobis ab ipsis decano & capitulo in bona & legali pecunia & legitime numerata, de qua tenemus nos ab ipsis decano & capitulo plenarie pro pagatis, exceptioni non numeratæ pecuniæ & non receptæ renunciantes penitus & expresse, & promittimus bona fide & creantamus quod contra dictas venditionem, concessionem & quittationem per nos vel per alios non veniemus in futurum, causis & rationibus quibuscunque; imo terram sic venditam ipsis decano & capitulo & eorum successoribus guarandizabimus, si necesse fuerit, contra omnes, nos & heredes nostros successores nostros, & quoscunque a nobis causam habentes vel habituros, & omnia nostra & heredum nostrorum bona, mobilia & immobilia, hereditaria & conquestus, præsentia & futura ubicumque existentia obligando eisdem decano & capitulo specialiter, penitus & expresse; hoc excepto quod volumus quod Robertus de Murato civis Silvanectensis & ejus heredes & omnes ab ipso causam habentes & habituri, habeant, teneant & possideant in perpetuum quamdam domum sitam Silvanecti, quæ vulgariter Gallandia nuncupatur, ad ipsam terram pertinentem, quam domum eidem vendidimus, ac eamdem domum teneant perpetuo dictus Robertus & ejus heredes ac omnes ab ipso causam habentes de dictis decano & capitulo, sub eisdem conditionibus & modo quibus dictam domum tenebat a nobis; renunciantes in hoc facto rei ita non gestæ & non ita concessæ, omni juris auxilio canonici & civilis, exceptioni doli mali, fraudis, deceptionis, actioni in factum, in rem & personam, omni consuetudini civitatis & patriæ, & omnibus aliis exceptionibus & rationibus juris & facti specialis & communis quæ contra præsens instrumentum possent objici vel opponi. Et cum terra prædicta

A sic vendita moveret de episcopatu Silvanectensi, & de episcopo Silvanectensi in feodo & homagio teneretur, nos ad ipsum decanum & capitulum & eorum ecclesiam pio ducti affectu favorem nostrum benivolum extendentes, tamquam episcopus nomine nostro & ecclesiæ nostræ volumus & concedimus quod ipsi decanus & capitulum ex nunc in perpetuum teneant & possideant dictam totalem terram, & omnia alia & singula prædicta ad dictam terram pertinentia pacifice & quiete in manu-mortua, absque aliqua coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, a nobis vel successoribus nostris futuris episcopis Silvanectensibus in hoc de cetero facienda; & quittamus ac concedimus ipsis decano & capitulo omnia jura & actiones, dominium, proprietatem & possessionem quæ & quas habebamus & habere poteramus, & quæ nobis ratione
B episcopatus nostri Silvanectensis competebant seu competere poterant in dicta terra, & penitus transferimus in eosdem, nihil prorsus juris, dominii, possessionis seu proprietatis nobis vel successoribus nostris futuris episcopis Silvanectensibus in dicta terra retinentes; imo omnia & singula præmissa a nobis & successoribus nostris penitus abdicamus, dictorum decani & capituli expresse interveniente consensu. Et ut hoc ratum & stabile futuris temporibus permaneat, nos in testimonium præmissorum præsentes literas dictis decano & capitulo sigillo nostro dedimus sigillatas. Datum die sabbati in vigilia Assumptionis beatæ Mariæ virginis, anno Domini M. CCLXXXVIII.

Nos autem venditionem & translationem prædictas
C necnon omnia & singula, prout superius exprimuntur, ad preces & requisitionem dilecti & fidelis nostri Gualteri, Silvanectensis episcopi supradicti ratas & gratas habentes, volumus & concedimus quod prædicti decanus & capitulum Silvanectense prædicta omnia & singula sibi, ut dictum est, vendita, possint & perpetuo possidere, sine coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, salvo in aliis jure nostro & jure quolibet alieno. Quod ut ratum & stabile permaneat in futurum præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis anno Domini M. CCLXXXVIII. mense Augusto.

Extant ejusdem anni, sed mensis Decembris, de eadem venditione literæ officialis Silvanectensis, in quibus fit mentio Galteri de Nulliaco tunc Silvanectensis episcopi,
D *qui antea erat archidiaconus de Constantino in ecclesia Constantiensi.*

CXXX.

De quibusdam excessibus commissis per Petrum Cailleau *episcopum, vel per ipsius procuratores contra capitulum Silvanectense.*

IN nomine Domini. Amen. Notum sit omnibus præsens instrumentum publicum inspecturis, quod 1291.
anno Nativitatis Domini M. CCXCI. indict. IV. quinta die mensis Aprilis, pontificatus domini Nicolai papæ IV anno quarto, cum discretus vir magister Matthæus de *Morgnevalle* canonicus Silvanectensis, procurator venerabilium virorum decani & capituli Silvanectensis, ut apparet per quasdam patentes literas sigillo integro
E pendenti decani & capituli prædictorum & cera viridi sigillatas in præsentia mei Lanfranci publici notarii & testium infra scriptorum, vellet, nomine procuratorio & pro decano & capitulo antedictis, & ex parte eorumdem, quosdam infra scriptos excessus in scriptis denunciare & significare reverendo patri D. episcopo Silvanectensi, & supplicare eidem ut excessus hujusmodi emendaret, & legeretur quædam cedula in persona dicti domini procuratoris, continens ipsos excessus, coram prædicto D. episcopo, in jardino regis, & lectæ essent quinque vel sex lineæ, prædictus episcopus dixit ista verba: *Revoco gravamina, si qua intuli decano & capitulo Silvanectensi;* & recessit nolens expectare quod prædicta cedula legeretur. Nihilominus procurator

prædictus semper sequebatur per dictum jardinum, & secutus fuit usque ad locum qui dicitur . . . . . . & cum non posset ulterius sequi, ibidem perlecta fuit cedula memorata, cujus tenor sequitur.

In præsentia vestra, reverende pater domine Petre divina gratia Silvanectensis episcope, ego Matthæus de *Morgnevalle* canonicus Silvanectensis, procurator venerabilium virorum decani & capituli ecclesiæ antedictæ, & eorumdem nomine & pro ipsis propono ea . . . quæ subscribuntur. In primis ego procurator antedictus nomine procuratorio antedicto dolens refero, assero & propono quod vos in regressu nostro de consecratione vestra ad ecclesiam nostram Silvanectensem, quam cum humilitate & devotione & per modum illum quem prædecessores vestri consuenter intrant, ac secundum tenorem privilegiorum & statutorum, libertatum & consuetudinum ejusdem ingredi vos decebat, ingredi autem præsumsistis, nolentes præstare juramentum consuetum ab olim a prædecessoribus vestris in hujusmodi adventu præstari, licet secundum privilegiorum, libertatum ac scripturarum auctoritatem, ac librorum antiquorum ecclesiæ prædictæ tenorem, & de antiqua & approbata consuetudine præstandum esset hujusmodi sacramentum, & decanus & capitulum supradicti præmissa vobis exposuissent, & pluries ac instanter apud vos . . . . . hujusmodi præstatione sacramenti institissent. Item, quod vos ad dictam ecclesiam accedentes, eamdem ecclesiam nostram domum fidei & orationis, in qua debebatur & debet cessare omnis impetus & violentes impulsus, & quam ingredi non per violentiam & terrorem, sed humiliter & devote, ut præmittitur, ac in pace pulchritudinis debebatis, violenter & terribiliter, ac contra voluntatem decani & capituli introivistis, & ad ejusdem ecclesiæ chori ostium accedentes, hujusmodi ostia chori frangendo, clericos, capellanos, presbyteros & alios ministros ecclesiæ nostræ turpiter tractando & manus temere violentas in eos usque ad sanguinis effusionem injiciendo, ac nonnullos alios qui ad divinum servitium audiendum & exhibendam vobis reverentiam & honorem illuc venerant, atrociter & quasi lethaliter vulnerando intrastis, seu ut ista in præsentia vestra fierent mandavistis, aut nomine vestro facta rata habuistis postmodum, &c. . . . . . . Qua cedula sic perlecta, prædictus officialis Silvanectensis præsens ibidem dixit, quod ipse & prædictus dominus episcopus Silvanectensis parati erant revocare gravamina, si qua intulerant decano & capitulo supradictis. Actum in prædicto jardino Parisf. præsente inter alios magistro Ægidio decano sancti Martini Turonensis.

C X X X I.

Eadem de re.

1292. IN nomine Domini. Amen. Anno ejusdem a Nativitate M. CCXCII. indict. V. septima die mensis Junii, videlicet die sabbati post Trinitatem, sede vacante per mortem felicis recordationis domini Nicolai papæ IV, dominus Thomas Normanus perpetuus capellanus in ecclesia Silvanectensi, procurator venerabilium virorum decani & capituli ecclesiæ Silvanectensis, per literas sigillo eorumdem, ut prima facie apparebat, sigillatas, quarum tenor in inferioribus continetur, & specialiter constitutus ab eisdem ad infrascripta facienda apud Montes Silvanectensis diœcesis, coram reverendo in Christo patre domino Petro Dei gratia Silvanectensi episcopo, & in camera ejusdem reverendi patris in mei notarii & testium infrascriptorum præsentia in scriptis protulit & legit ea quæ inferius subsequuntur & etiam recitantur. Clarum est & per præsens instrumentum publicum manifeste apparet, quod anno Domini M. CCXCI. die martis ante festum beati Laurentii, discretus vir magister Radulfus de Noviomo canonicus Silvanectensis, procurator venerabilium virorum decani & capituli Silvanectensis, ad hoc ab eis specialiter constitutus procuratorio nomine dictorum decani & capituli & pro eis fecit supplicationem, requisitionem, monitionem & appellationem, quorum verba consequenter recitabuntur, & quæ acta fuerunt in eodem instrumento publico recitantur, cujus tenor talis est:

In nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCXCI. septimo idus Augusti, pontificatus domini Nicolai papæ IV anno quarto, per præsens instrumentum publicum cunctis pateat evidenter quod in præsentia mei magistri Johannis dicti *Patriarche*, auctoritate sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ publici notarii, & testium subscriptorum, magister Radulfus de Noviomo canonicus Silvanectensis, procurator venerabilium virorum decani & capituli Silvanectensis specialiter constitutus ab eisdem decano & capitulo ad infrascripta facienda, prout in literis procuratoriis super hoc confectis, sigillo dictorum decani & capituli sigillatis, ut prima facie apparebat, continetur & vidi contineri, apud . . . . nomine procuratorio incepit legere in scriptis supplicationem, requisitionem, monitionem & appellationem infrascriptas, sigillatas sigillo dictorum venerabilium, ut prima facie apparebat, in præsentia reverendi in Christo patris Petri Dei gratia Silvanectensis episcopi; sed antequam perlegisset, expulsus fuit per familiam dicti episcopi dictus procurator de domo in qua erat dictus episcopus, & extra dictam domum, satis prope eamdem perlegit, & legit in mei præsentia & testium infrascriptorum dictus procurator procuratorio nomine, supplicationem, requisitionem, monitionem, appellationem prædictas, in modum qui sequitur. 1291.

Quia vobis, reverende pater episcope Silvanectensis ecclesiæ, a magistro Matthæo de *Morgnevalle* canonico Silvanectensi, tunc procuratore venerabilium virorum decani & capituli Silvanectensis, nomine dictorum decani & capituli semel in jardino domini regis Parisf. coram tabellione publico curiæ Romanæ, prout in instrumento publico a dicto tabellione confecto & in publicam formam redacto plenius continetur. Item, alia vice in domo vestra apud Montes anno Domini M. CCXCI. die sabbati ante Ramos Palmarum; item, tertio in eadem domo in bonorum præsentia ad hoc specialiter vocatorum, quod vos quædam gravamina & excessus per vos & officialem vestrum ac satellites suos dictis decano & capitulo & aliquibus singularibus personis ejusdem capituli illata, & vobis viva voce exposita & in scriptis redacta emendaretis, vosque ad hæc facienda plures dies acceptavistis communi consensu nostro & decani & capituli, diebusque præfixis responsionem certam, sufficientem nec lucidam dictis decano & capitulo non feceritis nec dederitis. Iterato ego Radulfus de Noviomo canonicus Silvanectensis, procurator dictorum decani & capituli, vobis humiliter & devote ex parte dictorum decani & capituli supplico, & vos attente requiro & moneo primo, secundo & tertio, in præsentia personarum hic astantium, quas in testes præmissorum invoco, quatenus præmissa & quodlibet præmissorum, prout in instrumento continentur, emendare curetis, seu emendare faciatis sufficienter infra octo dies a tempore hujus denunciationis seu supplicationis, vel requisitionis seu monitionis in mandatis, alioquin ego procurator prædictus nolo vos ignorare, imo ex parte dictorum decani & capituli reverendæ paternitati vestræ intimo, quod dicti decanus & capitulum elapsis dictis octo diebus, ex causis prædictis rationabilibus & canonicis, vel quæ sufficient ex eisdem vobis expressis, contra vos cessare intendunt, & cum dolore cordis & amaritudine a tali die in antea in ecclesia Silvanectensi, prout moris est ibidem fieri, cessare inducunt, & ex nunc ut ex tunc in dicta ecclesia fore cessandum a divinis, ut præmittitur, decernunt, & se contra vos alias processuros, prout eisdem videbitur expedire & justitia suadebit. Et ne contra dictam cessationem, seu contra

eam vel alia præmissa a vobis, seu quoquam alio quidquam attentetur seu fiat, per quod ipsa cessatio vel aliquid præmissorum impediri valeat vel differri; & ne contra nos & ecclesiam nostram & nobis adhærentes in personas & res & status aliquid attentetis, sedem apostolicam appellamus, in iis scriptis supponentes nos & personas nostras & bona nostra protectioni sedis apostolicæ. Et hæc omnia & singula vel quæ sufficient hæc, ut dictum est, notoria sunt, offerimus nos, si opus sit vel fuerit, ubi & quando & prout debebimus, nos legitime probaturos ac sufficienter declaraturos si qua inter præmissa generalia vel dubia fuerint aut obscura; nos vero decanus & capitulum in signum consensus & ratihabitionis præmissorum, præsenti cedulæ sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCXCI. die sabbati post festum sancti Petri ad vincula. Præsentes fuerunt huic appellationi, supplicationi & monitioni dominus Johannes capellanus dicti episcopi, canonicus Silvanectensis, & dominus Hugo de Croso presbyter, perpetuus capellanus in ecclesia Silvanectensi.

Vos, domne episcope supradicte, injurias supradictas, prout ad vos pertinet, non emendavistis nec emendari fecistis, nec etiam emendare curatis; imo in præjudicium ecclesiæ vestræ, justam occasionem cessandi ex præmissis causis & aliis rationabilibus dictis decano & capitulo datis. Item, quia post seu contra appellationem seu provocationem ipsorum & in apostolicæ sedis & dictorum decani & capituli ac ecclesiæ Silvanectensis contemtum, in supradictum magistrum Radulfum supradictas supplicationem, monitionem, requisitionem, appellationem & alia supradicta coram vobis pacifice legentem, & vobis humiliter & devote supplicantem, ac commissum sibi ecclesiæ Silvanectensis negotium, prout decebat & erat rationi consonum exponentem, absque rationabili causa, violenter & nequiter manus violentas injici, & eumdem de domo in qua supradicta legebat, expelli per familiam vestram temere mandavistis, seu præmissa tamquam nequiter perpetrata rata postmodum habuistis, aut ista fieri per illos, quibus inhibere ne facerent poteratis, & dictum magistrum Radulfum quem prohibere poteratis & tenebamini in hac parte sustinere, in conspectu vestro tantam injuriam permisistis, ac satellites vestros qui eidem, imo dictis decano & capitulo & toti ecclesiæ Silvanectensi in hac parte tantam injuriam intulerunt, ac propter hoc sententiam excommunicationis a canone incurrerunt, nulla ei & ecclesiæ Silvanectensi satisfactione præmissa, sic excommunicatos in servitio & hospitio vestris retinuistis & retinetis, & irregularitatis vitio vos damnabiliter innodando, si postmodum miscueris vos divinis. Item, quia gravamina gravaminibus intolerabiliter accumulastis, & in prioribus perseverantes deteriora committere nullatenus abhorretis.

Idcirco ego procurator prædictus vobis humiliter & devote ex parte decani & capituli supplico, & vos attente requiro, moneo primo, secundo & tertio in præsentia tabellionis publici & personarum hic astantium, quas in testimonium præmissorum invoco, quod præmissa & quodlibet præmissorum emendare curetis & procuretis, seu emendari faciatis sufficienter infra quindecim dies a tempore istius denunciationis seu requisitionis, & supplicationis vel monitionis terminandos; alioquin ego procurator prædictus nolo vos ignorare, & ex parte dictorum decani & capituli reverendæ paternitati vestræ intimo, quod dicti decanus & capitulum elapsis dictis quindecim diebus, ex causis prædictis rationabilibus, vel sufficienter de eisdem dictis, factis & causis in instrumento publico super hoc confecto contentis alias vobis expressis . . . . cessare intendunt.

CXXXII.

Appellatio Petri episcopi ad sedem apostolicam de supradictis.

IN nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCXCI. sexto idus Augusti, pontificatus domini Nicolai papæ IV anno quarto, per præsens instrumentum publicum cunctis pateat evidenter quod in præsentia mei magistri Johannis dicti *Patriarche*, auctoritate sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ publici notarii, & testium subscriptorum, appellavit apud . . . . . . reverendus pater Petrus Dei gratia Silvanectensis episcopus in scriptis in modum qui sequitur. 1291.

Cum vos, magister Radulfe de Noviomo canonice Silvanectensis, procurator, ut dicitur, venerabilium virorum decani & capituli Silvanectensis, nos requirere, supplicare & monere proponatis ex parte eorumdem, quatenus quædam gravamina & excessus dictis decano & capitulo & aliquibus singularibus personis ejusdem capituli illata, ut dicitur, faciamus eisdem emendari infra octo dies. . . . . contra nos cessabunt & cessare intendunt in ecclesia Silvanectensi dictis octo diebus elapsis, & istud facere nullatenus debeant de jure propter excessum talium personarum; & si verum esset eas deliquisse, ut dicunt ipsi decanus & capitulum, possent contra tales in judicio experiri coram judice competente, cum liberæ sint personæ, quæ de facto suo respondere tenentur, & possunt, & delictum ipsorum seu excessum ad nos nullatenus advocemus, & sic nec contra nos, nec contra ipsos cessare a divinis debeant neque possint de jure; ne igitur & ipsi cessent a divinis, tam nostro & ecclesiæ nostræ quam ipsorum nomine in hiis scriptis sedem apostolicam appellamus. Præterea quia ipsi contra nos causa reipublicæ absentes terris & longius absfuturos de mandato domini regis Franciæ, processum nituntur facere & nos arctare, quod infra octo dies compellamus dictos homines sine causæ cognitione se emendare excessum seu delictum prædictum. Item, cum prædicti decanus & capitulum nullam jurisdictionem seu justitiam habeant in prædictis hominibus & in ecclesia supradicta, sed ad nos pertinere noscatur, & ipsi petant emendam sibi fieri pro excessu seu delicto perpetrato ibidem, si quod sit, jus nostrum usurpare intentos in nostri præjudicium & gravamen, qui in dicti domini regis obsequiis commorantes, & etiam contra tenorem privilegiorum eidem domino regi indultorum, & plura gravamina nobis inferentes loco & tempore exprimenda. Propter hæc & alia iterum nostro & ecclesiæ nostræ nomine & ipsorum hominum in iis scriptis sedem apostolicam appellamus, & appellationem nostram super hoc dudum factam innovamus, nos, ecclesiam nostram & bona nostra omnia, & etiam dictos homines & bona eorumdem protectioni sedis apostolicæ supponentes, & vos magistrum Johannem dictum Patriarcham notarium publicum sedis apostolicæ requirentes, quatenus nobis super hoc faciatis seu confici faciatis publicum instrumentum. Præsentes fuerunt huic appellationi dominus Johannes *Wiant* canonicus Silvanectensis, Petrus de Incorio canonicus sancti Stephani Tutelensis, Petrus de Carnoto matricularius in ecclesia Carnotensi, & Oudinus de Herouvilla clerici.

CXXXIII.

Sententia adversus matricularios beatæ Mariæ Silvan. de nocturna residentia.

ANNO Domini M. CCXCII. cum mota esset discordia inter decanum & capitulum Silvanectense ex una parte, & Johannem de Gisortio canonicum sancti Reguli Silvanectensis, & dominum Dionysium presbyterum, matricularios in ecclesia beatæ Mariæ Silvanectensis ex altera, super hoc quod dicti decanus & capitulum dicebant dictos matricularios teneri ad 1292.

nocturnam residentiam in ecclesia beatæ Mariæ prædicta, dictis matriculariis asserentibus debere sufficere quod ipsi per vicarium seu vicarios inibi, ut prædictum est, residerent; tandem post multas altercationes Petrus dictus *Quailleu* auditis probationibus & rationibus hinc inde productis, definivit quod dicti matricularii in personis propriis eorumque successores tenebantur ibidem ad nocturnam residentiam. Eodem vero episcopo cito post sublato de medio, cum dicti matricularii non parerent dictæ diffinitioni, postmodum Guidone Dei gratia in episcopum Silvanectensem procreato, a dictis decano & capitulo super præmissis ad eumdem fuit delata querimonia, cui post multas requisitiones placuit iterum examinare testes capituli super hoc; quibus examinatis protulit dictis matriculariis præsentibus in camera sua apud Silvanectum, quod ad dictam residentiam tenebantur; qui dictæ sententiæ annuentes, fecerunt ibi nocturnam residentiam.

Anno Domini M. CCXCVI. in feriis Paschalibus, profitentes quod nisi de licentia capituli hoc obtinerent, non debebant extra ecclesiam facere de nocte residentiam; consequenter Johannes dictus de Gisortio cum per aliquantulum temporis nocturnam ibi residentiam fecisset, prætextu infirmitatis suæ quam prætendit in capitulo, anno M. CCXCVI. die lunæ infra octavam Nativitatis Domini concessa fuit eidem licentia de non residendo, sicut supra dictum est, dum tamen alius loco sui & suo periculo inibi residentiam faceret, ad beneplacitum capituli, vel saltem usque ad tempus veris.

CXXXIV.

Dissidia inter episcopum Petrum & capitulum ecclesiæ Silvanectensis arbitrorum sententia componuntur.

Circa 1293. NOS THEOBALDUS Dei gratia Belvacensis episcopus, ac Guido dictus Buticularius, Senonensis archidiaconus, arbitratores seu amicabiles compositores electi a reverendo patre Petro Dei gratia Silvanectensi episcopo, ex una parte, ac venerabilibus viris capitulo Silvanectensi ex altera, una cum discreto viro magistro Roberto dicto *Foison* Autissiodorensi canonico, super discordiis inter ipsos exortis, prout habetur in litera super hoc confecta dictarum partium sigillis sigillata, & plenius continetur. Nos duo prædicti, absente dicto magistro Roberto, de consensu partium prædictarum informationem aliquam super eisdem discordiis, non obstante tertii electi absentia, duximus, prout infra sequitur, arbitrandum seu ordinandum, partibus coram nobis promittentibus sub pœna centum librarum Parisiensium . . . . se ratam & gratam habituros pronunciationem seu arbitralem sententiam nostrûm duorum, ac si a nobis tribus fuisset promulgata. Imprimis super articulo de consensu episcopi præstando quibusdam constitutionibus dudum factis a bonæ memoriæ Gaufrido & Henrico dudum Silvanect. episcopis, quæ constitutiones plures articulos dicuntur continere, ad quem consensum præstandum in sua novitate Silvanectensis episcopus tenetur, prout dictum capitulum asserebat, episcopo in contrarium asserente & dicente se minime teneri ad consensum suum præstandum constitutionibus prædictis, quas invalidas reputabat, pronunciamus & arbitramur quod episcopus articulum de succursu parochiarum vacantium ad jus patronatus capituli pertinentium, necnon & articulum de disponendo secundum formam contentam in literis Gaufridi quondam Silvanectensis episcopi super bonis canonicorum Silvanectensium intestatorum decedentium, approbabit & consentiet eisdem, quantum in se est, sine præjudicio futurorum successorum suorum, atque sine præjudicio capituli Silvanectensis, salva tamen quantum ad articulum de succursu quadam ordinatione dudum facta & in scriptis redacta, prout capitulum asserebat, cujus copiam dari volumus episcopo Silvanectensi de fructibus vacationum ecclesiarum inter episcopum & archidiaconum dividendis, & quantum ad articulum prædictum contentiosum, consensus episcopi, prout supra dictum est, sufficiat in prædictis; super articulo de jurisdictione clericorum & capellanorum chori dictæ ecclesiæ Silvanectensis sic disponimus & arbitramur, quod ad decanum & capitulum Silvanectense pertinebit cognitio & jurisdictio clericorum & capellanorum chori dictæ ecclesiæ in causis mere pecuniariis; item, in conviciis & maledictis & modicis pulsationibus & levibus injuriis, quæ ex ipso facto atroces reputari non debent, ad capitulum eodem modo jurisdictio pertinebit, salvo jure cantoris in præmissis; in furto & non modicis injuriis ac delictis aliis gravibus quibuscunque, penes episcopum jurisdictio remanebit. Super injuria notoria quæ facta fuisse dicebatur apud Trecas magistro Roberto Silvanectensi canonico sic decernimus, quod Silvanectensis episcopus se excusabit, asserens quod super hoc si aliquid injuriosum dicto canonico fuerit irrogatum, quod nec ipso mandante, nec consentiente vel ratum habente . . . . exstitit, & istud eis sufficiet quantum ad factum prædictum & quantum pertinet ad personam episcopi, &c.

CXXXV.

Charta Guidonis de Plailliaco de reginine scholarum Silvanectensium.

UNiversis præsentes literas inspecturis, G. miseratione divina Silvanectensis episcopus, salutem in Domino. Significamus vobis quod nos concessimus regimen scholarum Silvanectensium discreto viro Odardo de Montemeliaco clerico in artibus licentiato, & quia idem Odardus prædictæ facultatis artium nondum est magisterium assecutus pro rectoria dictarum scholarum tenenda, cum eodem Odardo de assensu capituli Silvanectensis ecclesiæ misericorditer dispensamus. Datum anno Domini M. CCXCIX. die martis post Exaltationem sanctæ crucis. 1299.

CXXXVI.

De fundatione cujusdam capellaniæ in ecclesia beatæ Mariæ Silvanectensis.

A Tous ceux qui ces présentes lettres verront & oiront, Ansieur le bouteiller, chevalier, sire de Lusarches, salut. Sçachent tous que comme notre révérend père en Jesus-Christ Guy par la grace de Dieu évesque de Senlis eut fondé & établi une chapelainie en l'église Notre-Dame de Senlis pour le remède des ames feu messire Geoffroy le bouteiller, jadis archidiacre de Sens notre frère, Philippe de Barbery écuyer, & damoiselle Marguerite sa femme, & pour le remède des ames aux pères, aux mères, amis & bienfaiteurs desdits morts trépassés de cette souche, & ait octroyé & donné à ladite chapellenie en douaire sept livres deux sols six deniers Parisis, ou là entour, & vingt-quatre chapons de droit cens payez chacun an perron saint Martin à Senlis; item, onze sols de Paris de surcens assis sur une mazure près le cimetière saint Martin de Senlis; lesquelles choses données meuvent de nous en fief & en hommage, nous avons amorties & amortissons, & voulons & octroyons que les chapelains qui ladite chapelle tenront & auront, tiennent & ayent franchement, sans nulle redevance à faire à nous ou à nos successeurs perpétuellement en nom de ladite chapellenie & sans mettre hors de leurs mains. Et promettons en bonne foi que toutes les choses dessus dites de nous à toujours amorties ne contre les octrois de nous faits par nous ne venrons, ne par autre, ni ne pourchasserons à venir; ains promettons toutes les choses, ordonnances & octroyances dessus écrites, à garantir comme seigneur, tant comme nous appartient, & retenons ès lieux qui doivent lesdits cens & surcens toutes justices hautes & basses, sauf la justice foncière demeurante audit chapelain, en telle manière que li chapelains qui en ladite chapellenie seront établis, chanteront & célébreront chacun an 1300.

an une messe de Requiem *après mon décès & le décès de Jeanne d'Autry ma femme, en faisant notre anniversaire. En témoignage desquelles choses nous avons mis notre scel à ces présentes lettres, pendant à la requête dudit révérend pere & dudit chapelain. Donné l'an de grace treize cens, au mois de Septembre.*

CXXXVII.

Charta Guidonis de Plailliaco episcopi Silvanectensis, de capellania sita in parochia de Ducy.

1304. UNiversis præsentes literas inspecturis, Guido miseratione divina Silvanectensis episcopus, salutem in Domino. Noverint universi quod exsecutores bonæ memoriæ magistri Adæ de Duxiaco quondam electi Cusentini ac regum Siciliæ cancellarii, quamdam capellam pro remedio animæ ejusdem in ecclesia parochiali de Duxiaco Silvanectensis diœcesis de novo fundaverunt, cujus capellæ fundationi, nos divinum cultum augmentari cupientes, ad supplicationem venerabilis viri & discreti magistri Theobaldi archidiaconi Noviomensis, nepotis dicti bonæ memoriæ magistri Adæ ac exsecutoris ejusdem, nostrum præbuimus assensum, adjectis tamen quibusdam conditionibus infrascriptis, quarum quædam sunt adscriptæ ad hoc ut curato parochialis ecclesiæ nullum præjudicium generetur, quædam ad hoc ut divinum officium pro remedio animæ testatoris valeat commodius celebrari; statuentes quod quicumque capellanus in dicta capella instituetur in futurum, tenebitur per juramentum capitula quæ sequuntur observare. Primo, jurabit continuam residentiam per se vel alium sacerdotem curam animarum non habentem, ac in dicto loco personaliter residentem facere. Item, quater in septimana pro anima dicti magistri Adæ, patris & matris ejusdem & omnium amicorum suorum, per se vel per alium celebrare, & quod propter aliquod impedimentum non valeat excusari quin in dicta capella quater in septimana celebretur. Item, quod teneatur ad retinendam fabricam dictæ capellæ, etiamsi diruatur ista capella per aliquem casum fortuitum, quod absit, & ad retinendam eamdem capellaniam in libris, videlicet missali, breviario, calice de argento & omnibus aliis ornamentis quæ requiruntur in altari pro divino cultu celebrando, quoniam in prima fundatione dictæ capellæ fuit de prædictis ornamentis dicta capella sufficienter ornata & etiam decorata. Item, quod juret capellanus dare quolibet anno archidiacono diœcesano loci quinque solidos Parisienses in anno pro visitatione dictæ capellæ cum prædictus archidiaconus prædictam capellam personaliter visitabit. Item, quod capellanus non possit celebrare diebus festivis nisi post offertorium missæ parochialis, diebus vero non festivis quando sibi placuerit, nisi in eadem ecclesia præsens corpus fuerit inhumandum, & tunc idem capellanus, prout super diebus festivis, post offertorium celebrabit; & tenebitur idem capellanus circa custodiam librorum & aliorum ornamentorum parochiæ talem adhibere diligentiam, ne ob defectum suæ custodiæ de libris & ornamentis hujusmodi aliquid amittatur. Item, quod non possit conferri curato illius ecclesiæ. Item, quod curatus non possit deservire capellaniæ, nec capellanus curæ. Item, oblationes & omnia quæ ad manum devenerint, fideliter curato reservabit. Ad istam ordinationem faciendam & etiam confirmandam vocavimus curatum parochialis ecclesiæ dicti loci, ad informandum nos utrum per fundationem dictæ capellæ jus parochiale in aliquo lædatur, qui curatus una nobiscum considerans nullum præjudicium sibi vel ecclesiæ suæ ex fundatione dictæ capellæ juxta superius ordinatum, supradictam ordinationem, quantum in se fuit, approbavit. Eidem curato præcepimus quatenus permittat dicto capellano, horis competentibus, causa celebrandi in dicta capella dictam ecclesiam introire; quod præceptum insuper successores curati qui nunc est, volumus & statuimus tenere in futurum. In quorum præmissorum testimonium & ad perpetuam rei memoriam sigillum nostrum literis præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCCIV. mense Julio.

CXXXVIII.

Guido de Plailliaco episcopus confirmat ordinationem capituli de beneficio parochiali beatæ Mariæ.

UNiversis præsentes literas inspecturis, decanus & capitulum Silvanectensis ecclesiæ, salutem in Domino. Cum nos ad illa quæ nobis incumbunt negotia intentæ considerationis aciem nuper committentes, & præcipue inter cætera circa quantitatem & valorem facultatum beneficii parochialis dictæ ecclesiæ & cujusdam capellaniæ in eadem ecclesia nostra a venerabili quondam magistro Nicolao de Ambianis olim Silvanectensi archidiacono fundatæ, nunc vacantis per liberam resignationem D. Johannis de Chevilla dictæ capellaniæ capellani, prædictas facultates ipsorum beneficiorum, quorum jus patronatus ad nos pertinet, invenimus adeo exiles & tenues, quod ex eis propter eorum exiguitatem duo presbyteri sustentari competenter non possint, & quod ob causas ejusmodi obtinentes ipsa beneficia, eadem dimittere cogebantur; noveritis quod nos plena & studiosa deliberatione super hoc habita, auctoritate & assensu reverendi patris & domini domini Silvanectensis episcopi petitis super hoc & obtentis, de voluntate & assensu domini Nicolai obtinentis dictum parochiale beneficium, quod remanet oneratum quadam pensione nobis anno quolibet reddenda, sicut hactenus exstitit & perpetuo remanebit, prædictam capellaniam una cum dicto parochiali beneficio univimus & adjunximus, ita tamen quod ille qui dictum parochiale beneficium de cætero pro tempore obtinebit, in dicta ecclesia nostra ad altare beatæ Catharinæ qualibet septimana tres missas pro salute & remedio animæ dicti magistri Nicolai de cætero celebret per se vel per alium, & celebrare perpetuo teneatur. In cujus rei testimonium nos sigillum capituli nostri, quo unico utimur, præsentibus literis duximus apponendum. Et nos Guido Dei gratia Silvanectensis episcopus, præmissa de quibus nobis constitit pleno lumine veritatis approbantes, volentes, & laudantes, & auctoritate ordinaria confirmantes, sigillum nostrum una cum sigillo dictorum decani & capituli præsentibus literis duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCCV. mense Julio. 1305.

CXXXIX.

Epistola capituli Silvanectensis ad Remense capitulum, de electione Guillelmi de Berrone *episcopi Silvan.*

VIris venerabilibus & discretis dilectis sibi in Christo carissimis decano & capitulo ecclesiæ Remensis, capitulum Silvanectense, decanatu vacante, salutem cum reverentia & amore. Cum circumspectus vir & providus magister Guillelmus *de Berrone* olim decanus noster, in prælatum & pastorem dictæ ecclesiæ nostræ canonice electus, & per reverendum patrem & dominum dominum Robertum divina providentia Remensem archiepiscopum, examinatione diligenti præhabita confirmatus, auxiliante Domino, accessurus sit Remis munus suæ consecrationis sibi impendi ab eodem domino archiepiscopo petiturus & divina largiente gratia recepturus; noveritis quod nos nostro & ecclesiæ prædictæ nomine, & pro nobis, dilectos nostros magistros Johannem de Petrafonte electum in decanum ecclesiæ nostræ prædictæ, Johannem *de Berrone* ac Stephanum de Boulleyo concanonicos nostros, exhibitores præsentium & quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, nostros fecimus & constituimus procuratores ad præsentandum eumdem electum &, ut prædicitur, confirmatum vobis & in ecclesia vestra, & ad petendum munus confirmationis electionis prædictæ sibi a vobis impendi, prout moris est, & in 1308.

quantum ad vos & ecclesiam vestram pertinet & pertinere potest, necnon & ad faciendum omnia & singula quæ in præmissis & ea tangentibus & ad ea pertinentibus, facienda erunt necessaria & opportuna juxta consuetudinem dictæ Remensis ecclesiæ in talibus observatam, & quæ faceremus & facere possemus si præsentes essemus; ratum & gratum habentes & habituri quidquid per dictos procuratores nostros & per quemlibet eorum in solidum tam conjunctim quam divisim in præmissis & ea tangentibus actum, dictum fuerit seu etiam procuratum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum, quo unico utimur, præsentibus literis duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCCVIII. die Martis post festum beati Lucæ evangelistæ.

C X L.

Charta officialis Silvanectensis, de capellania fundata in ecclesia beatæ Mariæ.

1309. UNiversis præsentes literas inspecturis, officialis curiæ Silvanectensis, salutem in Domino. Noveritis quod coram nobis propter hoc personaliter constituti Johannes & Petrus dicti *de Barbery* armigeri, filii quondam & heredes defuncti Philippi de Barberiaco quondam armigeri de Plailliaco, recognoverunt & confessi sunt spontanei, non coacti, non vi, non dolo, non metu nec circumventione aliqua ad hoc, ut dicebant, inducti, dictum defunctum Philippum quondam patrem suum pro salute & remedio animæ suæ dedisse bona inferius divisa quæ emerat idem Philippus, ut dicebant ipsi fratres, a Guillelmo de *Chaumontel* armigero & domicella Ælipide quondam ejus uxore, videlicet, septem libras duos solidos sex denarios vel circiter annui recti census, viginti quatuor capones & undecim solidos Parisienses annui supercensus, sitos supra quamdam masuram sitam in atrio, sive juxta atrium, sive cœmeterium sancti Martini Silvanectensis, moventia tempore emtionis prædictæ in feodo & homagio a domino Gaufrido buticulario defuncto, quondam in ecclesia Carnotensi præposito & Senonensi archidiacono, & perpetuo concessisse pro quadam capellania in ecclesia beatæ Mariæ Silvanectensis fundanda, juxta dispositionem & ordinationem bonæ memoriæ domini quondam fratris sui olim & tunc Silvanectensis episcopi, qui quidem episcopus capellaniam ipsam, juxta dispositionem dicti Philippi fratris sui, in ecclesia Silvanectensi prædicta fundaverat, ut dicebant ipsi fratres, & dictæ capellaniæ bona prædicta assignaverat. Qui quidem Johannes & Petrus fratres piam & salubrem dispositionem & voluntatem dicti patris sui, & donationem ac concessionem ab eo de bonis prædictis factas, necnon fundationem dictæ capellaniæ, ac quidquid tam per prædictum patrem quam per dictum episcopum avunculum suum, in præmissis ac præmissa tangentibus quoquomodo, in omnibus & per omnia laudaverunt, approbaverunt, voluerunt, & ratas & firmas habuerunt, & quilibet eorum, tam conjunctim quam divisim, & promiserunt, & quilibet eorum in solidum fide ab ipsis & ab eorum quolibet in manu nostra super hoc præstita corporali, quod contra donationem & concessionem prædictas, nec contra præmissa, nec aliqua de præmissis per se vel per alium aut alios non venient in futurum, nec in bonis prædictis aut in aliquibus ipsorum bonorum aliquid de cætero reclamabunt jure hereditario, ratione acquestus aut aliis causis & rationibus quibuscumque, imo eas & omnia alia præmissa & singula fideliter tenebunt & inviolabiliter observabunt, & bona ipsa capellanis qui pro tempore fuerint in dicta capellania garandizabunt, si necesse fuerit, contra omnes, & ad hoc, & heredes suos, & omnia bona sua & bona heredum suorum mobilia & immobilia obligarunt specialiter penitus & expresse, renunciantes sub fide & juramento ab eis præstitis in hoc facto, exceptioni rei ita non gestæ & non ita concessæ, omni juris auxilio canonici & civilis, exceptioni doli mali, fraudis,

A deceptionis, actioni in factum, in rem, in personam, exceptioni minoris ætatis, beneficio restitutionis in integrum & omnibus aliis exceptionibus & rationibus juris & facti, specialis & communis, quæ contra præsens instrumentum possent objici vel opponi. In cujus rei testimonium sigillum curiæ Silvanectensis ad instantiam dictorum fratrum præsentibus literis duximus apponendum. Actum anno Domini M. CCCVIII. die Veneris post Ramos palmarum.

C X L I.

Literæ Caroli Pulchri Francorum regis acquisita a capitulo Silvanectensi auctoritate regia confirmantis. Ex Camera comput. Paris.

B CAROLUS Dei gratia Francorum & Navarræ rex. Notum facimus universis præsentibus & futuris nos infra scriptas vidisse literas, formam quæ sequitur continentes.

Universis præsentes literas inspecturis, Stephanus de Villaribus cantor Montisbrisonis, domini regis Francorum & Navarræ clericus commissarius in balliviis Silvanecti & Gisortii & earum ressortis super financiis nobilium feodorum & acquestuum ecclesiarum ab eodem domino rege deputatus, salutem in Domino. Noveritis me recepisse literas ejusdem domini regis formam quæ sequitur continentes:

Carolus Dei gratia Francorum & Navarræ rex, dilecto & fideli magistro Stephano de Villaribus cantori Montisbrisonis, clerico nostro commissario a nobis in 1325.
C balliviis Gisortii & Silvanecti & earum ressortis super pluribus negotiis deputato, salutem & dilectionem. . . . . . auditum, quod nonnulli fideles & subditi nostri mediati & immediati plura feoda nobilia, absque nostro consensu, in innobilium ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum manus-mortuas transtulerunt; item, quod ecclesiæ ecclesiasticæque personæ in feodis, retrofeodis & allodiis aut censivis temporalibus acquisierunt & multos conquestus fecerunt; item, quod in partibus vobis commissis est magna usurariorum multitudo, qui contra ordinationes regias suas exercuerunt & continuo exercent usuras, propter quæ populus nobis subditus miserabiliter indigens, affectus & depressus, nedum damnificatur, sed potius quasi exul & . . . . . . existit, totaque eorum substantia adeo
D usurarum voragine est consumta quod necessario habebunt . . . . . inopiæ, nisi eis de salubri remedio succurramus; unde cum talia quæ in damnum subditorum nostrorum facta sunt non debeamus æquanimiter tolerare, vobis de cujus fidelitate & industria plene confidimus . . . . super dictorum translatione feodorum & retrofeodorum, acquisitorum & conquestuum, eaque ad manum-mortuam ponendi & tenendi & ad . . . . compelleres, & recipiendum financias a personis . . . . dicta feoda & retrofeoda, conquestus & acquisita in perpetuum habere possint & tenere, dictosque usurarios corrigendi & civiliter puniendi, necnon de appellationibus maleficiorum & delictorum de quibus processus pendent, cognoscendi, & cum appellatoribus componendi, aut . . . . super præmissis procedendi & ordinandi de istis, prout . . .
E utilius & salubrius pro nobis aut nostris subditis . . . faciendi, vocato vobiscum in qualibet baillivia baillivo ejusdem bailliviæ vel ejus locum tenente, plenam tenore præsentium concedimus potestatem, vestras super hoc literas concedentes in eis nostra voluntate attenta per nos postmodum confirmandas. In cujus rei testimonium præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Datum Parisiis die prima Februarii anno Domini M. CCCXXV.

Cum igitur venerabiles & discreti viri decanus & capitulum Silvanectense financias . . . . . baillivi Silvanectensis pro VII.^xx II. l. XIIII. sol. III. den. Paris. de rebus & possessionibus infrascriptis per dictos decanum & capitulum a triginta annis citra acquisitis

de fructibus trium annorum . . . . titulo non gratuito, & de fructibus annorum duorum titulo gratuito acquisitis, videlicet, de 72. sol. 8. den. Paris. . . . . Johannis . . . junioris, super plures domos. Item, de 60. sol. Paris. emtis super domos quæ fuerunt Petri de . . . Item, de 22. sol. Paris. emtis super domum Petri *li Gatier*. Item, de 40. sol. Paris. emtis super domum quæ fuit Giraldi *le Chaussier*, &c.

Ego prædictus cantor auctoritate regia, virtute commissionis meæ ab eodem domino rege mihi factæ, prædictis decano & capitulo ut res prædictas taliter acquisitas in perpetuum teneant, habeant & possideant absque alia financia quomodolibet . . . voluntate ipsius domini regis in prædictis retenta, ac ipsius jure sibi salvo & quolibet alieno. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus literis apposui. Datum Silvanecti die Mercurii ante festum beati Andreæ apostoli anno
1326. Domini M. CCCXXVI.

Nos autem præmissa omnia & singula in suprascriptis literis contenta, rata habentes & grata, ea volumus, laudamus & approbamus, & tenore præsentium auctoritate nostra regia confirmamus; concedentes eisdem decano & capitulo ut ipsi & eorum successores præmissa tenere possint perpetuo, absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, aut præstandi nobis vel successoribus nostris aliam quamcumque financiam pro eisdem, salvo in aliis jure nostro, & in omnibus quolibet alieno. Quod ut firmum & stabile permaneat in futurum, nostrum præsentibus literis fecimus apponi sigillum. Datum Parisiis anno Domini
1327. M. CCCXXVII. mense Septembri.

CXLII.

Senatusconsultum pro abroganda communia Silvanectensi.

1330. CUm datum fuisset nobis intelligi quod inter majores ex una parte, & minores habitatores villæ nostræ Silvanectensis ex alia, magna erat & periculosa orta dissensio super eo quod major pars habitatorum ipsorum diceret communiam dictæ villæ esse inutilem & damnosam toti reipublicæ dictæ villæ, petebat eam penitus amovere, & alii asserentes eam esse utilem toti statui & reipublicæ prædictæ villæ, e contrario requirerent quod ipsa communia remaneret in statu suo: Nos volentes super hoc opportuno remedio providere, commisimus & mandavimus magistro Petro *Pontin* cantori Silvanectensi clerico, & Johanni Roberti militi & fideli consiliario nostris, quod ipsi vocatis habitatoribus & aliis evocandis, & eorum rationibus auditis inquirerent cum diligentia veritatem, utrum dicta communia esset utilis vel non reipublicæ dictæ villæ, & de aliis circumstantiis universis pertinentibus ad prædicta, & inquestam quam super hoc facerent, nobis referrent quantocius, vel sub sigillis suis mitterent interclusam. Facta igitur per dictos commissarios, dictis partibus vocatis, super præmissis inquesta & nostræ curiæ reportata, & auditis prædictis partibus ad judicandum tradita, ac præterea visa & diligenter examinata, quia constitit nobis per ipsam inquestam & relationem dictorum commissariorum ore tenus super his nobis & curiæ nostræ factam, quod dicta communia est inutilis penitus & damnosa statui & toti reipublicæ dictæ villæ, & quod omnes & singuli habitatores dictæ villæ, paucis duntaxat exceptis, qui, sicut dicti commissarii nobis retulerunt, ipsius villæ regimen retroactis temporibus habuerunt, & se male in dicta administratione sua gesserunt, consentiantque major, scabini & jurati dictæ communiæ & omnis status ipsorum ac ipsa communia, ut omnia quæ ad statum communiæ prædictæ spectabant, amoveantur omnino, & quod dicta villa & omnes habitatores ejusdem per præpositum gubernentur: Nos præmissis diligenter attentis, per judicium nostrum majorem, scabinos, juratos & communiam dictæ villæ, sigillum, arcam communem, A beffredum & campanam, & omnem statum majoris, scabinorum & juratorum ipsorum, & omnia ad communiam prædictam pertinentia annullamus & amovemus, & ordinamus quod dicta villa & illi qui solebant esse de dicta communia, & cæteri omnes habitatores prædictæ villæ amodo teneantur & regantur in præpositura per præpositum a nobis inibi deputandum. Datum XVI. die Februarii M. CCCXXIX.

CXLIII.

Charta Petri Silvan. episcopi pro magistro scholarum.

PETRUS miseratione divina Silvanectensis episcopus, omnibus præsentes literas inspecturis, salutem 1334.
in Domino. Quia decanus & capitulum Silvanectense
B in chorum ecclesiæ suæ non consueverunt recipere nec tenentur rectorem scholarum Silvanectensium nisi magistrum in artibus, sicut dicunt; nolumus quod ex eo quod ad requisitionem nostram Ivonem Anyoci clericum, cui regimen scholarum prædictarum ad voluntatem nostram contulimus, præjudicium aliquod generetur. In cujus rei testimonium præsentes literas dictis decano & capitulo sigillo nostro dedimus sigillatas. Datum anno Domini M. CCCXXXIV. die Dominica post festum beati Martini æstivalis.

CXLIV.

De electione Vedasti de Villaribus episcopi Silvanect. primum instrumentum.

C IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & 1334.
Filii & Spiritus sancti. Amen. Universis præsentes literas inspecturis, decanus & capitulum Silvanectensis ecclesiæ, salutem in Domino sempiternam. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod episcopatu Silvanectensi vacante nuper per obitum recolendæ memoriæ domini Petri dicti *Barriere* Silvanectensis episcopi, dum laboraret in extremis, qui anno Domini M. CCCXXXIV. indictione tertia, mense Octobri, pontificatus bonæ memoriæ sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Johannis divina providentia papæ XXI anno decimo nono, die Dominica ante festum Omnium sanctorum, quod non sine grandi mentis amaritudine referimus, naturæ solutus debitum in prioratu sancti Nicolai prope Silvanectum, Cluniacensis ordinis, spiritum suo reddidit Creatori; nos corpore
D ipsius, prout decuit, tradito ecclesiasticæ sepulturæ, congregati ad sonum campanæ, prout moris est, in nostro capitulo, anno, indictione, mense & pontificatu prædictis, die decima mensis Novembris, omnes & singuli de nostro gremio tunc in eadem Silvanectensi ecclesia residentes qui voluerunt, potuerunt & debuerunt commode interesse, & capitulum facientes, de communi & concordi nostrûm omnium & singulorum hic astantium consensu, diem Jovis in octabis Conceptionis beatæ Mariæ virginis gloriosæ ad electionem futuri pastoris in nostro capitulo celebrandam, &c. Et ad hoc nos præsentes citavit decanus ejusdem ecclesiæ, de nostro consensu petita primitus ex parte nostra ab excellentissimo principe domino Philippo Francorum rege licentia, & obtenta, &c. Nos in nostro prædicto
E capitulo reversi electionem nostram prædictam electo prædicto præsentare curavimus, & eidem humiliter supplicare quatenus eidem electioni sic de se factæ consentiret; dictus autem electus benigniter nobis respondit quod super hoc deliberare volebat, & deliberatione præhabita responderet infra tempus a jure statutum, prout sibi Dominus ministraret, &c.

CXLV.

Alterum instrumentum dictæ electionis.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. 1334.
Reverendo in Christo patri ac domino domino Johanni Dei gratia Remensis metropolitanæ sedis

archiepiscopo, vel ejus vicariis, in spiritualibus sui humiles & devoti decanus & capitulum Silvanectensis ecclesiæ seipsos & reverentiam tam debitam quam devotam. Noverit vestra reverenda paternitas quod episcopatu Silvanectensi vacante nuper per obitum recolendæ memoriæ domini Petri dicti *Barriere* Silvanectensis episcopi dum viveret, qui anno Domini M. CCCXXXIV. indictione tertia, mense Octobri, pontificatus bonæ memoriæ sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Johannis divina providentia papæ XXI anno decimo nono, die Dominica ante festum Omnium sanctorum, in prioratu sancti Nicolai juxta Silvanectum, Cluniacensis ordinis, &c. Acta fuerunt hæc apud Silvanectum in prædicto capitulo anno Domini M. CCCXXXIV. indictione tertia, mense Decembri die vigesima nona dicti mensis, nobis in dicto capitulo propter hoc congregatis & capitulum facientibus, pulsata campana more solito, apostolica sede vacante, prout apud nos communiter dicebatur, præsentibus viris venerabilibus & discretis dominis Matthæo Cochardi decano ecclesiæ sancti Reguli Silvanectensis, Arnulfo de Montibus canonico ejusdem nostræ Silvanectensis ecclesiæ semi-præbendato, & Johanne de Bosco capellano in eadem Silvanectensi ecclesia, ac pluribus aliis testibus, &c.

CXLVI.

Procuratio capituli Silvanectensis ad præsentandum D. Vedastum capitulo Remensi.

1335. VIris venerabilibus & discretis dilectis sibi in Christo carissimis decano & capitulo ecclesiæ Remensis, decanus & capitulum Silvanectensis ecclesiæ, salutem cum reverentia & honore. Cum circumspectus vir & providus dominus Vedastus de Villaribus olim ipsius ecclesiæ archidiaconus, in prælatum & pastorem dictæ ecclesiæ nostræ canonice electus, & per virum venerabilem & discretum Robertum de Vienna archidiaconum Barocensem (*forte* Bajocensem) legum venerabilem professorem, reverendi in Christo patris & domini domini nostri electi Remensis confirmati generalem in spiritualibus & temporalibus, & quoad hoc specialem commissarium, examinatione diligenti præhabita confirmatus, auxiliante Domino accessurus sit Remis munus suæ consecrationis sibi impendi petiturus, & divina largiente gratia recepturus; noveritis quod nos nostro & ecclesiæ nostræ nomine, & pro nobis, dilectos nostros magistros Robertum de Plailliaco decanum, & Jacobum de Cambis archidiaconum ejusdem nostræ Silvanectensis ecclesiæ, ac dominum Guidonem Marescalli concanonicum nostrum, exhibitores præsentium & quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, nostros fecimus, facimus & constituimus procuratores ad præsentandum eumdem electum &, ut prædicitur, confirmatum, vobis & in ecclesia vestra, &c. Datum anno Domini M. CCCXXXIV. die Veneris ante festum Annunciationis Dominicæ.

CXLVII.

Processus verbalis eorum quæ acta sunt Remis in capitulo Remensis ecclesiæ, quando Vedastus de Villaribus electus Silvanectensis, stitit se inibi confirmandum.

1335. IN nomine Domini. Amen. Per præsens publicum instrumentum pateat universis, quod anno ab Incarnatione ejusdem M. CCCXXXV. indictione tertia, prima die mensis Aprilis hora circiter tertia, pontificatus sanctissimi patris ac domini nostri domini Benedicti divina providentia papæ XII anno primo, in loco ubi dicitur *Pretiosa*, ante capitulum ecclesiæ Remensis, in nostrûm notariorum publicorum & testium subscriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum præsentia, congregatis A ad sonum campanæ, & capitulum tenentibus & facientibus venerabilibus & discretis viris dominis Stephano præposito, Hugone decano, Guillelmo cantore, &c. canonicis Remensibus, venerabilis pater dominus Vedastus de Villaribus electus in episcopum Silvanectensem per venerabiles viros decanum & capitulum ecclesiæ Silvanectensis, & per vicarios reverendi patris domini Remensis archiepiscopi, ut dicebat, confirmatus illuc accessit, & supra sedes dicti loci inter dictos capitulantes se assedit, ipsisque' sic sedentibus discretus vir magister Robertus de Plailliaco decanus & procurator dictæ ecclesiæ Silvanectensis & capituli ejusdem ibidem personaliter comparens, una cum discretis viris magistro Jacobo de Cambis archidiacono, & Guidone Marescalli concanonicis & comprocuratoribus suis, B prout de procuratorio hujusmodi constitit per literas sigillo decani & capituli dictæ ecclesiæ Silvanectensis, prout prima facie apparebat, sigillatas, ibidem exhibitas, & in manibus dicti domini decani Remensis per eum positas, cujus procuratorii tenor inscribitur nomine procuratorio dicti capituli Silvanectensis, in exhibendo dictum procuratorium præsentavit dictis venerabilibus viris capitulantibus dictum dominum electum, dicendo quod tanquam procurator & nomine procuratorio ecclesiæ & capituli Silvanectensis ipsum offerebat facturum debitum suum erga ecclesiam Remensem & dictos venerabiles viros capitulantes, prout in ipso procuratorio continebatur, & quod ad hoc illuc idem electus accesserat; idemque dominus decanus Remensis post lecturam dicti procuratorii ibidem lecti, suo & dictorum C capitulantium nomine dixit eisdem electo & procuratoribus dicti capituli Silvanectensis, quod de jure & de antiqua ecclesiæ Remensis notoria consuetudine sic erat & fieri consueverat, quod quicumque electi suffraganei totius provinciæ Remensis per sua capitula cathedralia in episcopos, sicut erat dictus D. Vedastus, debebant & tenebantur, debent & tenentur processus suarum electionum Remensi capitulo præsentare, & electiones de se factas per dictum capitulum Remense confirmari petere, antequam ad confirmationes electionum hujusmodi procedatur, debet & consuevit dictum capitulum Remense talium electionum processus videre & examinare, & ipsis visis & examinatis, si dictum capitulum viderit & repererit per suas examinationes quod electiones hujusmodi fuerint canonice celebratæ, tunc demum capitulum procedit ad confirma- D tiones electionum hujusmodi, & sic fuit observatum in ecclesia Remensi a tanto tempore quod de ejus principio memoria non existit. Et his dictis idem dominus decanus Remensis suo & dictorum capitulantium nomine petiit processum electionis dicti domini Vedasti ibidem exhiberi, quem iidem electus & procuratores capituli Silvanectensis fecerunt ibidem exhiberi & tradi dicto domino decano Remensi, contentum in duobus publicis instrumentis, signis & subscriptionibus notariorum publicorum, & ipsis nominatorum signatis, & sigillo dicti capituli Silvanectensis sigillatis, quorum instrumentorum principia & fines inferius sunt inserti; quo processu a dicto decano recepto, idem decanus Remensis & dicti capitulantes, dimissis præfatis electo & procuratoribus, intraverunt locum ubi consueverunt E suum capitulum communiter tenere, & in nostrûm notariorum publicorum & testium infrascriptorum præsentia iidem capitulantes viderunt & diligenter examinaverunt dictum processum, & eo viso & examinato, evocatis postmodum & comparentibus in dicto capitulo prædictis electo & procuratoribus, idem dominus decanus Remensis suo & dictorum capitulantium nomine dixit dictis electo & procuratoribus, quod sicut debebant processus electionum hujusmodi examinari, similiter personæ electorum examinari debebant per capitulum Remense, & dixit domino Vedasto quod ipsi capitulantes credebant ipsum esse bonum catholicum & talem esse, utpote qui curam animarum gesserat & dignitatem in ecclesia cathedrali diu obtinuerat, quod

scire debebat quæ spectabant ad officium episcopi; idcirco de hujusmodi interrogatoriis eidem electo faciendis supersedere volebant & ad confirmationem suæ electionis celeriter procedere, prout erat fieri consuetum; super quibus idem electus humiliato capite gratias egit capitulantibus antedictis, & reversi tam dicti capitulantes quam dicti electus & procuratores ad dictum locum ubi dicitur *Pretiosa*, & sedentes in sedibus ubi prius sederant, præmissa quadam collatione a dicto domino decano Remensi, prout in electionum confirmationibus fieri consuevit, idem dominus decanus Remensis vice & nomine sui & dictorum capitulantium certis usus verbis ad hoc competentibus, electionem de dicto domino Vedasto factam in episcopum Silvanectensem per decanum & capitulum ipsius ecclesiæ Silvanectensis pronuntiavit fuisse & esse rite & canonice celebratam, & eamdem vice & nomine quibus supra, auctoritate dicti Remensis capituli confirmavit; & his actis, *Te Deum laudamus* a cantore Remensi alta voce inchoato & ad finem usque decurso & completo, eodem electo & confirmato ibidem orante flexis genibus, post orationem & preces a dicto domino decano Remensi dictas, idem dominus electus & confirmatus a dictis surgens orationibus, gratias egit dictis capitulantibus super præmissis, ipsisque ab eo reverenter salutatis abinde recessit. Super quibus omnibus dicti capitulantes petierunt a nobis notariis subscriptis sibi fieri & tradi publicum instrumentum.

CXLVIII.

Vedastus de Villiers *episcopus Silvanectensis, sacramentum præstat capitulo Silvanectensi.*

1335. IN Dei nomine. Amen. Præsentis scripti publici serie universis pateat evidenter quod anno Nativitatis ejusdem M. CCCXXXIV. indictione tertia, die nona mensis aprilis, videlicet die Dominica in Ramis palmarum, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri Benedicti digna Dei providentia papæ XII anno primo, in mei notarii publici & testium subscriptorum præsentia constitutus reverendus pater & dominus D. Vedastus miseratione divina Silvanectensis episcopus, promisit ac juravit, tactis ab eo sacrosanctis evangeliis, se observaturum bona fide libertates & consuetudines ecclesiæ beatæ Mariæ Silvanectensis antiquas & approbatas, prout in quadam cedula quam in suis manibus tenebat & quam ibidem totam legit, continetur, cujus quidem cedulæ tenor sequitur & est talis: Ego Vedastus Silvanectensis episcopus, promitto me observaturum bona fide libertates & consuetudines ecclesiæ beatæ Mariæ Silvanectensis antiquas & approbatas; sic me Deus adjuvet & hæc sacra verba, & assentio constitutionibus Henrici & Gaufridi antecessorum meorum, & signum meum appono, si hæc possum facere sine detrimento salutis æternæ, excepto quod si ecclesia cesset contra episcopum, non tenebor facere cessare alias ecclesias civitatis Silvanectensis contra me. Acta fuerunt hæc in suburbio villæ Silvanectensis ante portam sancti Reguli, anno, indictione, die, mense, pontificatu & loco prædictis, præsentibus religiosis & honestis viris sancti Vincentii & beatæ Mariæ de Victoria monasteriorum abbatibus, & venerabilibus & discretis viris decano sancti Reguli, magistris Johanne de . . . Henrico Pontardi, Johanne de Montiniaco, Renaudo *Bichon*, &c.

CXLIX.

Charta Vedasti Silvanectensis episcopi, pro magistro scholarum Silvanectensium.

1335. VEDASTUS miseratione divina Silvanectensis episcopus, venerabilibus & discretis viris nobis in Christo dilectis decano & capitulo Silvanectensis ecclesiæ, salutem in Domino sempiternam. Cum nos ad quos omnimoda dispositio magnarum scholarum

A Silvanectensium pleno jure dignoscitur pertinere, scholas hujusmodi, attenta literaturæ sufficientia dilecti nobis in Christo Petri de Braisilva clerici nostræ diœcesis Silvanectensis, eidem clerico contulerimus, vos præsentium tenore rogamus quatinus eumdem clericum in choro vestro, si placet, ex gratia speciali recipiatis, nonobstante quod idem clericus in artium scientia licentiatus non existat. Datum apud Montes domum nostram duodecima die mensis Augusti anno Domini M. CCCXXXV.

CL.

Testamentum domini Vedasti episcopi.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, Patris & 1335.
B Filii & Spiritus sancti. Amen. Nos Vedastus miseratione divina Silvanectensis ecclesiæ minister humilis, sanus mente licet infirmus corpore, attendentes & considerantes quod breves dies hominis sunt & quod nihil est certius morte, nihil autem incertius hora mortis, & hoc attento cogitantes de suppliciis, nolentes, sicut nos decet, decedere intestati, sed potius animæ nostræ saluti cupientes providere ac divinum cultum pro viribus nostris augmentare, testamentum nostrum causa nostræ voluntatis ultimæ, de omnibus bonis nobis a Deo collatis facimus, constituimus & etiam ordinamus in modum qui sequitur & formam. Imprimis, recommendamus animam nostram altissimo Creatori nostro, gloriosissimæ virgini Mariæ matri ac omnibus sanctis ejus, & eligimus sepulturam nostram in ecclesia seu
C monasterio beatæ Mariæ Caroli-loci Cisterciensis ordinis, nostræ Silvanectensis diœcesis, intra tumulum bonæ memoriæ domini Petri Barrici Dei gratia prædecessoris nostri, si bono modo possit, sin autem alibi, si & prout exsecutores nostri infra nominandi duxerint eligendum. Volumus autem, constituimus & ordinamus quod corpore seu cadavere nostro ecclesiasticæ sepulturæ tradito super eum supersit seu superstet quidam tumulus sive tumba sufficiens secundum statum nostrum, ac si & prout exsecutores nostri duxerint ordinandum. Volumus insuper & ordinamus obsequium nostrum, sed si & prout exsecutoribus nostris videbitur expedire, dispositioni & ordinationi eorum in & super hoc relinquentes. Præterea volumus, præcipimus & ordinamus quod debita nostra contenta in quodam lo-
D culo manu propria Johannis Cordarii clerici conscripto ac sigillo nostro proprio sigillato & super hoc confecto, etiam & alia quæ legitime probari potuerint, ante omnia persolvantur, obsequio nostro prius persoluto, & forefacta nostra, si quæ sint, restituantur, de quibus exsecutores nostri inferius nominandi legitime potuerint informari. Deinde ob remedium animæ nostræ legamus ecclesiæ beati Reguli Silvanectensis quamdam domum nostram sitam Silvanecti, in vico qui dicitur Vicus-putei, quæ quondam fuit domini Thomæ Normani, prout se comportat in omnibus, sub hac conditione videlicet quod ipse decanus & capitulum de cætero anno quolibet venerabilibus & discretis viris decano & capitulo ecclesiæ Silvanectensis quadraginta solidos Parisienses pro anniversario nostro in eadem ecclesia perpetuo faciendo persolvendos cu-
E rent seu persolvant, ipsi vero decanus & capitulum beati Reguli ob hoc similiter anniversarium nostrum in eadem ecclesia anno quolibet facere perpetuo tenebuntur, & in eventu in quo ipsi decanus & capitulum beati Reguli hoc facere recusarent & recusent, volumus, præcipimus & ordinamus domum nostram prædictam per exsecutores nostros . . . . volumus distribui & præcipimus in hunc modum, videlicet, duas partes dictæ summæ pecuniæ ex eadem domo habitæ & provenientis, venerabilibus & discretis viris decano & capitulo ecclesiæ nostræ Silvanectensis prædictæ, & tertiam partem ejusdem summæ ipsis decano & capitulo beati Reguli pro anniversario nostro in eisdem ecclesiis faciendo. Item, legamus fabricæ nostræ ecclesiæ

Silvanectensis prædictæ centum solidos Parisienses; item, fabricæ ecclesiæ sancti Reguli quadraginta solidos; item, fabricæ ecclesiæ sancti Frambaldi Silvanectensis quadraginta solidos. Item, volumus & ordinamus corpus seu cadaver nostrum in ecclesiam nostram Silvanectensem prædictam deferri, si exsecutoribus nostris videatur expediens, & missam ibidem de defunctis ob remedium animæ nostræ celebrari. Item, legamus conventui fratrum Minorum Silvanectensium quadraginta solidos Parisienses in pitancia; item, legamus pauperibus in domo Dei Silvanectensi jacentibus & ægrotantibus, viginti solidos Parisienses; item, pauperibus leprosis in domo sancti Lazari Silvanectensis existentibus & commorantibus, viginti solidos Parisienses æqualiter inter eos dividendos & distribuendos; item, legamus religiosis beatæ Mariæ Caroli-loci nostræ Silvanectensis diœcesis, sexdecim libras Parisienses in pitancia; item, legamus fabricæ ecclesiæ de Villaribus decem solidos Parisienses; item, curato ejusdem ecclesiæ octo solidos Parisienses, & clerico ipsius curati duos solidos Parisienses; item legamus capellaniæ de Villaribus monachorum viginti solidos Parisienses, ad usum ejusdem capellaniæ committendos; item, legamus fabricæ ecclesiæ de *Espangny* sexaginta solidos Parisienses; item, curato ejusdem ecclesiæ decem solidos, & clerico ipsius curati duos solidos; item, legamus quatuor libras Parisienses committendas, distribuendas & erogandas pauperibus villæ de *Espangny*, si & prout exsecutoribus nostris visum fuerit expedire. Insuper volumus, præcipimus & ordinamus duo annualia post decessum nostrum fieri ob remedium animæ nostræ & aliorum benefactorum & amicorum nostrorum, si, ubi & prout exsecutoribus nostris visum fuerit expedire, & ut debite & legitime fiant nos ob hoc legamus viginti quatuor libras Parisienses. Item, legamus religiosis viris abbati & conventui de *Longpont* sexaginta solidos Parisienses in pitancia; item, religiosis de *Vaucerri* sexaginta solidos Parisienses in pitancia. Item, remittimus & quittamus venerabilibus & discretis viris decano & capitulo beati Thomæ de Crispeio nostræ Silvanectensis diœcesis, omne id in quo teneri possent ratione præbendæ nostræ quam obtinuimus in eadem ecclesia, & una cum hoc eisdem legamus viginti solidos Parisienses pro anniversario nostro in eadem ecclesia perpetuo faciendo. Item, præcipimus, volumus & ordinamus quadraginta quatuor solidos Parisienses tradi domino Galchero quondam capellano nostro, per ipsum distribuendos & persolvendos certis personis quas ipse novit, quasque sibi exposuimus, ipsius capellani conscientiam in & super hoc totaliter onerantes. Item, legamus Perroto dicto *d'Amblegny* nobiscum commoranti, viginti libras Parisienses; item, Alvaro famulo nostro centum solidos Parisienses; item, Pascoleto quatuor libras Parisienses; item, Johanneto dicto de *Flomy* nobiscum commoranti, quatuor libras Parisienses; item, Raymbarto coquo nostro, quadraginta solidos Parisienses; item, dicto *le Double* sexdecim solidos Parisienses; item, legamus Johanni dicto *le Comt* sexaginta solidos Parisienses; item, legamus Gerardo nepoti nostro, ad eum introducendum & erudiendum in scholis, quatuor libras Parisienses; item, religioso viro domino Thomæ monacho ecclesiæ sive monasterii sancti Johannis in Vineis, nepoti nostro, duodecim libras & quatuor solidos Parisienses, restantes sibi solvendas ex summa viginti librarum quas sibi promiseramus ad eum introducendum & erudiendum in scholis. Item, legamus domino Johanni fratri ipsius domini Thomæ, monacho sancti Leodegarii Suessionensis, pro quadam roba sexaginta solidos Parisienses. Item, volumus, præcipimus & ordinamus Petrum dictum de *Montataire* clericum curiæ nostræ notarium, persolvi totaliter pro uno anno, & pro expensis & aliis necessariis ab ipso Petro Philippoto nepoti nostro & Johanni dicto de *la Maye* cum eodem commorantibus, administratis & administrandis, si contingat ipsos per dictum annum

A cum eodem commorari, ut confido. Item, legamus Johanni, Guillermo, Thierrico, Philippoto & Isabelli liberis quondam defuncti Joceti quondam fratris nostri, viginti libras Parisienses æqualiter inter eos dividendas. Item, legamus Johannæ & Emmelotæ filiabus Sanctissimæ sororis nostræ, commoranti apud *Gaillefontaine*, cuilibet earum, videlicet, quatuor libras Parisienses; item, Philippotæ nepti nostræ, filiæ defuncti Johannis quondam fratris nostri, sexaginta solidos Parisienses. Item, volumus, præcipimus & ordinamus Renaudum dictum *Bichon* de Plesseio clericum, persolvi de viginti libris Parisiensibus ex & pro salario ipsius clerici nobis ab ipso clerico in officio notariatus & tabellionatus, in & super prosecutione electionis, confirmationis & consecrationis nostræ ac aliis ex his
B dependentibus debite præstitis & impensis. Item, legamus domui Dei de Crispeio decem solidos Parisienses; item, domui leprosariæ ejusdem loci totidem; item, legamus fabricæ ecclesiæ de Montibus quinque solidos Parisienses; item, curato ejusdem loci quinque solidos Parisienses, & clerico dicti curati duodecim denarios; item, capellano capellaniæ domus episcopalis nostræ de Montibus quinque solidos Parisienses. Item, volumus, & præcipimus & ordinamus domino Johanni de Bosco olim capellano nostro, sexdecim libras Parisienses persolvi, in quibus ipsi capellano teneri possumus ex & pro quibusdam expensis & missis per ipsum nomine nostro & pro nobis factis & persolutis. Residuum vero omnium singulorumque bonorum mobilium & aliorum quorumcumque nostrorum,
C si quod fuit, debitis, forefactis, obsequio ac legatis nostris prædictis, etiam & expensis, per exsecutores nostros in & super exsecutionis nostræ expeditione necessario faciendis prius persolutis, volumus, præcipimus & ordinamus committi ad ædificationem, constructionem & fundationem ejusdem capellaniæ in ecclesia nostra Silvanectensi, si bono modo possit, sed si . . . . in ecclesia beati Reguli aut alibi, si & prout exsecutores nostri ordinandum duxerint, in honore beatorum Petri & Pauli apostolorum, ob remedium animæ nostræ, situandam seu fundandam valore annuatim . . . . si illud residuum sufficere possit, sin autem sexdecim libris Parisiensibus. Volumus etiam quod capellanus qui capellaniam obtinebit prædictam, perpetuam de cætero teneatur facere residentiam personalem in eadem ecclesia, & ter in hebdomada in eadem
D capellania celebrare, etiam & successores dictam capellaniam obtinentes; si vero illud residuum sufficere non possit, quod absit, ad ædificationem, constructionem & fundationem capellaniæ prædictæ, volumus, præcipimus & ordinamus residuum illud committi & distribui in hunc modum : videlicet, quod si contingat nos sepeliri juxta tumulum bonæ memoriæ Petri Barrici prædecessoris nostri, volumus & præcipimus quemdam tumulum sive tumbam de nostro proprio esse faciendum, de & super illo residuo, & super corpus aut cadaver ibidem apponi, quo tumulo sive tumba persoluta, residuum pecuniæ volumus, præcipimus & ordinamus distribui & erogari, videlicet, duas partes pauperibus villarum Silvanectensis & de Montibus, &
E tertiam partem pauperibus villæ de *Espangny*, si & prout exsecutoribus nostris visum fuerit expedire. Insuper legamus Margaritæ quondam uxori Joceti quondam fratris nostri, quoddam garnamentum nuncupatum *Garvache*, cum caputio & fourraturis, ac quodam mantello nostro . . . . de escollata sanguinea. Item, legamus Agneti sorori nostræ nostram clochiam cum caputio ejusdem coloris fourrato; item, ipsi Agneti unam garnachiam de barbeto cum fourraturis; item, Johannæ & Emmelotæ neptibus nostris, duo alia nostra meliora garnamenta cum caputio & fourraturis. Præterea revocamus omnia alia & singula testamenta, si quæ fecimus ante præsentem ordinationem, & ea volumus fore nulla, volentes, ordinantes præsentem ordinationem causa testamenti seu ultimæ voluntatis

nostræ valere & roboris firmitatem obtinere, & si non valeat jure testamenti, quod valeat jure codicilli, aut alias, meliori modo & forma quibus tam de jure quam de usu solo & consuetudine melius valere poterit & debebit. Deinde volumus, præcipimus & ordinamus quod si in præmissis aut aliquo præmissorum aliquod contingat esse dubium, obscurum vel noxium, quod absit, quod illud dubium, obscurum vel noxium per exsecutores nostros corrigatur, interpretetur & declaretur. Insuper volumus, præcipimus & ordinamus quod si omnia & singula bona nostra, ubicumque extiterint, non sufficerent, quod absit, ad omnia & singula præmissa complenda & exsequenda, debite demandanda, quod defalcatio fiet de legatis nostris prædictis secundum ordinationem & arbitrium exsecutorum nostrorum, debitis nostris prædictis, forefactis, si quæ sint, prius integraliter persolutis, conscientias exsecutorum nostrorum de & super his totaliter onerantes. Volumus autem quod exsecutores nostri de quoque cogi non possint usque ad biennium ad reddendum computum seu rationem de contentis in præsenti testamento. Porro quia speramus obsequium nostrum etiam & expensas in & super expeditione exsecutionis nostræ, ac alias ex his dependentes faciendas, fore sumtuosas, volumus, præcipimus & ordinamus quod exsecutores nostri de & super his totaliter credantur, & dicto & relationi eorum sit standum absque alia probatione de & super his, & expensas suas ob hoc per ipsos factas, in computis suis capiendas, allocandas & computandas. Hujus autem testamenti seu voluntatis nostræ ultimæ nostros facimus, eligimus, constituimus & ordinamus veros exsecutores dilectos nostros, videlicet, reverendum patrem dominum abbatem monasterii beatæ Mariæ Caroli-loci, venerabiles & discretos viros magistros Simonem Esveilliardi decanum ecclesiæ sancti Frambaldi Silvanectensis, Johannem dictum *Pié-de-Leu* ecclesiæ Silvanectensis canonicos, dominum Jacobum curatum de Plailliaco, sigilliferum curiæ nostræ Silvanectensis, ac Durandum Mailliardi de Montibus; ita tamen quod si non omnes exsecutores nostri prædicti præmissis exsequendis & fine debito terminandis possint aut nolint insimul interesse, quod quatuor, tres aut duo ipsorum præmissa omnia & singula nihilominus exsequantur & perducere valeant ad effectum; pro quibus omnibus & singulis præmissis adimplendis & ad effectum debitum perducendis, nos exsecutores nostros prædictos de omnibus & singulis bonis nostris quibuscumque saisimus & saisiri volumus, investientes ipsos de iisdem per traditionem literarum præsentium, & nos totaliter de eisdem desaisientes & inducentes in corporalem possessionem eorumdem. In quorum omnium & singulorum præmissorum testimonium sigillum nostrum proprium una cum sigillo curiæ nostræ Silvanectensis literis præsentibus apponi fecimus. Datum apud Montes in domo nostra episcopali, anno Domini M. CCCXXXV. die Veneris post festum beatæ Luciæ virginis.

C L I.

Charta Petri de Cros *episcopi, de juramento in jocundo adventu præstando in porticu ecclesiæ B. Mariæ.*

1345. UNiversis hæc visuris, Petrus Dei & apostolicæ sedis gratia Silvanectensis episcopus, salutem & sinceram in Domino caritatem. Cum virtute consuetudinis diutius per prædecessores nostros & a tanto tempore cujus . . . . memoria hominum non existit, observare tenemur in nostro primo ad ecclesiam nostram Silvanectensem & jocundo adventu, antequam civitatem Silvanectensem intraverimus ad . . . ante portam ipsius civitatis, quæ vulgariter porta S. Reguli nuncupatur, decano & capitulo ejusdem ecclesiæ nostræ prædictæ . . . . . villæ Silvanectensis præstare juramentum; nosque in die prædicti nostri adventus, videlicet, Dominica die quinta decima mensis & anni

A infra scriptorum, necdum de præmissis in dicto loco juxta dictam consuetudinem faciendis certiores effecti, sed credentes . . . priusquam processisset clerus ecclesiæ nostræ ad nos & nobis obviam venisset, intraverimus dicto juramento in loco dicto, prout erat fieri consuetum, per nos non præstito, illudque juramentum, videlicet, de observandis consuetudinibus & libertatibus dictæ ecclesiæ nostræ, decano & capitulo prædictis, in porticu ipsius ecclesiæ & præ foribus antedictis nobis aut contra nos clausis, solemniter præstiterimus. Nos igitur in quantum possumus, bonam fidem agnoscentes & ne in futurum discordiam hujusmodi pariant, obviare cupientes, super & de præmissis plenius informati, ex certa scientia maturaque deliberatione præhabita, confitemur dictam consuetudinem B fuisse & esse talem, ut præfertur, ipsamque hactenus & per dictum tempus per prædecessores nostros inconcusse observatam, ac nos debuisse in præmissis in dicto nostro adventu præfatam consuetudinem observasse, quodque ipsam libenter observassemus, si tunc de ea, prout nunc, certiores effecti fuissemus. Insuper nostros successores ad eamdem consuetudinem in posterum observandam, & deberi inviolabiliter observari, protestantes quod intentionis nostræ non exstitit, eo quod juramentum prædictum in loco præfato & non consueto præstitimus, aliquod jus de novo nobis vel successoribus nostris, aut ipsi ecclesiæ nostræ prædictæ contra dictos decanum & capitulum in præmissis præfatis aliquatenus derogare, nec exinde volumus jus novum aliquando, qualitercumque nobis . . . . . C volumus consuetudines hujusmodi hactenus in præmissis per prædecessores nostros observatas in antea per successores nostros observari, & concedimus fore omnimode & totaliter observandas in hoc nostro & ipsius ecclesiæ ac successorum nostrorum nomine, sic & in quantum possumus, specialiter & expresse consentientes. In quorum testimonium sigillum nostrum præsentibus hiis duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCCXLV. die Mercurii in festo S. Pauli.

C L I I.

De institutione magistri magnarum scholarum Silvan. & magistrorum aliarum parvarum scholarum.

UNiversis præsentes literas inspecturis, nos Petrus permissione divina episcopus, & nos decanus & 1352.
D capitulum ecclesiæ Silvanectensis, salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod cum ab antiqua & approbata observatione ad nos & prædecessores nostros Silvanectenses institutio & destitutio magistri magnarum scholarum dictæ villæ, succentori vero dictæ ecclesiæ qui nunc est, & prædecessoribus suis institutio & destitutio magistrorum omnium aliarum parvarum scholarum ejusdem loci noscatur pertinere, percipiendo tamen & habendo per dictum succentorem & prædecessores suos pro ipsorum instituto, decem solidos Parisienses quolibet anno in terminis Nativitatis Domini, & una cum his a quolibet ipsorum circa carnicapium duos gallos; nihilominus a nonnullis civibus & personis idoneis Silvanectensibus nobis & dicto succentori exstitit supplicatum, quatenus omnes E scholas Silvanectenses, tam magnas quam parvas, unire & insimul aggregare vellemus, ut ferventius & fructuosius pueri ad eas confluentes, in scientia & moribus valerent informari. Tandem utilitate communi omnium habitantium dictæ villæ attenta primitus & pensata, visis & diligenter inspectis omnibus quæ nos movere possunt & debent, humilique petitioni dictorum civium liberaliter annuendo, inter nos & dictum succentorem concordatum exstitit & ordinatum in modum qui sequitur & in formam, videlicet, quod omnes scholas Silvanectenses in quibus pueri masculini sexus duntaxat adibunt, unimus & insimul aggregamus, quarum quidem scholarum institutio magistri & destitutio ad nos episcopum & successores nostros episcopos

Silvanectenses omnimode pertinebit, succentori vero A qui nunc est, & successoribus suis, institutio & destitutio omnium aliarum scholarum in quibus ibunt alii pueri mulicbris sexus tantarum quantarum sibi visum fuerit expedire, ad emolumenta ab antiquo usitata in solidum remanebit; & ut commodius & diligentius regantur dictæ magnæ scholæ, non concedentur cuiquam a nobis episcopo aut successoribus nostris, nisi usque ad tres annos pro una vice & sufficienti & experto in scientia & moribus, prout ab antiquo exstitit observatum. Magister vero cui conferentur dictæ magnæ scholæ, residentiam facere tenebitur personalem, & secum tenere in scholis & habere submagistrum & janitorem idoneos & sufficientes in scientia pro institutione puerorum; dictus vero magister habebit chorum ecclesiæ nostræ Silvanectensis prædictæ, & lucrabitur B in ea distributiones more aliorum clericorum in ea existentium, & tenebitur frequenter adire ecclesiam pro docendo & addiscendo lectiones legendas in ecclesia, tam parvis quam omnibus aliis de choro cujuscumque status seu gradus existant; qui omnes & familiares canonicorum poterunt ad scholas suas ire, & tenebitur eos addiscere & docere, absque eo quod possit pro eis nec debeat salarium petere nec habere. Præsertim ne jus succentoris quod dictus succentor & prædecessores sui in parvis scholis habebat, in aliquo defraudetur, magister dictarum scholarum per nos & successores nostros episcopos Silvanectenses, qui pro tempore fuerit, tenebitur episcopo, succentori & successoribus suis reddere & solvere quolibet anno quadraginta solidos Parisienses quatuor terminis inferius annotatis, C videlicet, in termino beati Johannis Baptistæ decem solidos Parisienses, in termino beati Remigii in capite Octobris totidem, in terminis vero Nativitatis Domini & Paschæ, in quolibet decem solidos Parisienses, & una cum his circa aut infra carnicapium quolibet anno duos gallos, & sic perpetuo de anno in annum, & incipiet primus terminus solutionis in termino Nativitatis beati Johannis Baptistæ proxime futuro, sub tali conditione tamen quod si in solutione hujusmodi ex parte dicti magistri per nos aut successores nostros instituti, in terminis prædictis seu quolibet temporum interveniat aliquis defectus, volumus & consensu unanimi ordinamus quod dictus magister teneatur reddere dicto succentori ac successoribus suis pro qualibet die, nomine emendæ, sex denarios Parisienses cum summis prædictis & gallis; & si renuat dictus magister solvere D dictas summas, gallos & pœnas domino succentori qui pro tempore fuerit, aut ejus certo mandato, volumus, præcipimus & ordinamus quod per nos, decanum & capitulum a choro nostro privetur, similiter & per nos episcopum & successores nostros, & per officialem nostrum, qui nunc est & qui pro tempore fuerit, a scholis prædictis privetur, querela succentoris qui pro tempore fuerit, aut ejus certi mandati interveniente, usque ad plenam & condignam satisfactionem dicto succentori per eumdem magistrum faciendam; & insuper volumus & ordinamus quod quando dictus magister primo veniet ad nostram ecclesiam prædictam pro stallatione sua in choro facienda, si sit succentor præsens, vel qui primus post ipsum inibi adesse contigerit, E teneatur dicto succentori ad sancta Dei evangelia jurare quod dictos quadraginta solidos, cum duobus gallis & pœnis inde sequentibus, ipsi anno quolibet dictis terminis quandiu dictas scholas reget & tenebit, integraliter persolvet, necnon dictas scholas per nos episcopum aut successores nostros ipsi concessas, per se & complices suos diligenter & fideliter reget & faciet gubernare. Et ut prædicta omnia firma & stabilia in perpetuum remaneant, præsentes literas sigillorum nostrorum fecimus appensione muniri. Datum anno Domini M. CCCLII. die Jovis in vigilia festi ad cathedram.

CLIII.

Literæ Humberti archiepiscopi Remensis ad executores testamenti Dionysii le Grand *episcopi Silvan. de cappa Remensi ecclesiæ debita, nec a dicto Dionysio oblata.*

HUMBERTUS Dei gratia patriarcha Alexandrinus, 1353.
ecclesiæ Remensis administrator perpetuus, ac Viennensis delphinus antiquior, dilectis nobis in Christo executoribus testamenti seu ultimæ voluntatis domini Dionysii bonæ memoriæ quondam Silvanectensis episcopi, salutem. Cum quilibet Silvanectensis episcopus qui est pro tempore, cum aliis, in quibus . . . reverendis patribus dominis archiepiscopis Remensibus qui sunt similiter pro tempore, ac metropolitanæ Remensi ecclesiæ matri suæ teneatur offerre & assignare præfatæ ecclesiæ unam cappam condecentem & decenter ornatam, quasdamque redibentias alias, seu deveria cantoribus, pueris & quibusdam personis aliis dictæ ecclesiæ præbere & facere similiter teneatur, & nihilominus dictus dominus Dionysius cujus executores vos estis, prætermisit hæc facere pro tempore quo vivebat, hinc est quod vos dicto nomine executores requirimus & monemus quatenus omnia & singula præmissa taliter & tam celeriter adimplere studeatis, sic ut conemini cum effectu quod nobis & dictæ nostræ ecclesiæ debeat esse gratum, quodque contra vos non oporteat procedere in justitia rigorose, & quid inde facere volueritis, nobis per vestras patentes literas rescribatis. Datum apud Vincennas Parisiensis diœcesis, die XXII. mensis Junii anno Domini M. CCCLIII.

CLIV.

Charta Adami de Nemorosio episcopi, receptoris decimæ biennalis regi Carolo V ab Urbano papa V concessæ.

UNiversis præsentes literas inspecturis, frater Adam 1368.
Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Silvanectensis, receptor & collector in suis civitate & diœcesi Silvanectensi decimæ biennalis illustrissimo principi Carolo Dei gratia Francorum regi, per sanctissimum in Christo patrem & dominum nostrum Urbanum digna Dei providentia papam V concessæ, ab eodem domino nostro papa in hac parte specialiter deputatus, venerabilibus & discretis viris nobis dilectis decano & capitulo ecclesiæ nostræ Silvanectensis, salutem in Domino. Attentis quod redditus vestri maxime officiorum cellerarii, matutinarii, & panis ac parvarum missarum, ex & super quibus residentes, & Domino in dicta ecclesia divinis officiis insistendo famulatum exhibentes, in pane, & vino, & pecunia distributiones quotidianas singulis diebus percipere consueverant, octo annis & ultra elapsis, occasione guerrarum & communis colonorum mortalitatis sunt adeo diminuti & quasi ad nihilum redacti, quod vix ad quartam antiqui valoris partem ascendunt, ex qua clericos in eadem ecclesia servientes, quia beneficiis ecclesiæ antiquis & propriis stipendiis vivere nequeunt, oportet sustentari, & per consequens vobis inde utilitatis modicum redundare potest, super quibus fide dignorum testimonio sumus sufficienter informati, visisque & consideratis forma & tenore rescripti apostolici super hoc nobis directi, quæ nos in hac parte de jure & æquitate movere possunt & debent, ad solvendum dictam decimam pro isto ultimo Paschæ termino, ratione dictorum officiorum, & pro ipsis a vobis debitam, judicamus, decernimus & declaramus impotentes, & a solutione ipsius decimæ vos auctoritate apostolica prædicta per præsentes absolvimus, non obstante quod vos sperantes fertiliora tempora affutura, quæ sterilia venerunt, pro terminis præteritis etiam de proprio patrimonio, tamquam filii obedientiæ de dicta decima satisfeceritis. Datum in domo nostra episcopali Silvanectensi, nostro teste sigillo, anno Domini M. CCCLXVIII. die nona mensis Maii.

C L V.

Approbatio computi bonorum Adæ episcopi Silvanect. per archiepiscopum Remensem.

1381. UNiversis præsentes literas inspecturis, Richardus miseratione divina archiepiscopus Remensis, salutem in Domino. Noverint universi quod nos vocatis evocandis & nobis exhibito testamento, seu ultima voluntate, sive literis confectis in testamento seu ultima voluntate venerabilis fratris nostri domini Adæ bonæ memoriæ quondam Silvanectensis episcopi, ac inventario confecto de & super bonis mobilibus quæ fuerunt dicti domini episcopi Silvanectensis, & quæ ad eum pertinebant dum vivebat & decessit, exhibito etiam nobis compoto reddito de dicto testamento & de dictis bonis coram religioso & honesto viro domino Johanne permissione divina abbate monasterii de Victoria prope Silvanectum, commissario speciali a nobis dato & commisso, & specialiter deputato ad audiendum ab executoribus testamenti seu ultimæ voluntatis . . . . . quondam domini episcopi, seu a commissariis deputatis pro exsecutione dicti domini episcopi adimplenda hujusmodi compotum seu rationem, per quem compotum nobis constitit & apparuit quod bona contenta in dicto inventario ascendebant in universis ad summam seu valorem septem centum nonaginta octo librarum trium solidorum & novem denariorum Parisiensium, necnon etiam ad sexaginta sex modios & tres quarterios grani contentos in dicto inventario. Reperimus etiam per dictum compotum quod misiæ factæ in exsecutione dicti quondam episcopi, seu circa eamdem, ascendebant ad summam septem centum quinquaginta septem librarum sex solidorum & quatuor denariorum Parisiensium. Reperimus etiam per eumdem compotum, & in eodem continebatur quod deductione facta de . . . . prædictis ad misias, commissarii seu executores dicti quondam domini episcopi remanebant obligati pro exsecutione prædicta in summa quadraginta quinque librarum quinque solidorum & quinque denariorum Parisiensium, una cum grano supradicto. Nos vero ad quos pertinuit & pertinet, tam de notoria & approbata ac legitime præscripta consuetudine quam de jure cognitio, auditio ac exoneratio testamentorum seu ordinationum ultimarum voluntatum venerabilium fratrum nostrorum episcoporum suffraganeorum nostræ Remensis provinciæ, ac etiam approbatio & reprobatio redditionis compotorum, de præmissis visis & cum diligentia consideratis, dicto testamento & ordinationibus factis causa testamenti seu ultimæ voluntatis dicti domini episcopi, necnon inventario prædicto & dicta redditione compoti cum cæteris videndis & attendendis, habita super his matura & diligenti consideratione, & annulo pontificali quæ præfatus dominus Adam episcopus prædictus habebat, nobis tradito & deliberato, cum ad nos pertineret & pertineat tam de jure quam etiam de usu & consuetudine prædictis, dictum compotum auctoritate nostra metropolitana & ordinaria laudamus, ratificamus, approbamus, & eis interposuimus & interponimus per præsentes auctoritatem & consensum nostros pariter & decretum, in quantum de jure & consuetudine hoc facere possumus & debemus, jure nostro & cujuslibet alterius semper salvo. In cujus rei testimonium præsentibus literis sigillum curiæ nostræ Remensis, quo utimur in hac parte, duximus apponendum. Datum & actum quinta die mensis Februarii anno Domini currente M. CCCLXXX.

C L V I.

Johannes episcopus unit præbendam ad utilitatem puerorum chori.

1398. UNiversis præsentes literas inspecturis, Johannes miseratione divina episcopus Silvanectensis. Nobis injunctum episcopalis dignitatis officium nos incitat & inducit ut circa ea quæ statui prospero nostræ Silvanectensis ecclesiæ & personarum in ea degentium opportuna fore noscuntur, operosis studiis intendamus. Quia per venerabiles viros dilectos nostros decanum & capitulum ecclesiæ nostræ prædictæ fuerit humiliter supplicatum, quod cum in eadem nostra ecclesia sint nonnulli clerici, pueri de choro nuncupati, habentes magistrum qui eos docet, quodque prædicti clerici nullos vel paucos redditus habeant unde vivere possint, fructusque & redditus præbendarum dictæ ecclesiæ adeo sint tenues & modici quod de ipsis ad sustentationem canonicorum ipsius ecclesiæ vix sufficere possint, non possit eisdem clericis provideri nisi quatinus præbendam, quam nuper in eadem ecclesia nostra obtinebat magister Matthæus Allermi, vacantem per obitum ejusdem Matthæi, cujus fructus, redditus & proventus in subventionem debitam magistri & clericorum converti integraliter debeant, ad collationem nostram pleno jure spectantem, eisdem decano & capitulo incorporare & unire dignaremur. Hinc est quod nos eorum supplicationi favorabiliter annuentes, ipsam præbendam quam nuper in ipsa eadem nostra ecclesia dictus Matthæus obtinebat, vacantem per obitum ejusdem Matthæi, & ad collationem nostram pleno jure spectantem, ut præfertur, incorporavimus, univimus, incorporamus & unimus in perpetuum eisdem decano & capitulo, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, de gratia speciali; ita quod dicti decanus & capitulum fructus, redditus & proventus ipsius percipere & habere, ac illos in sustentationem & distributionem magistri & clericorum prædictorum convertere duntaxat & integraliter tradere teneantur: mandantes officiali & vicariis nostris, ac omnibus aliis & singulis personis nobis subditis, quatinus decanum & capitulum supradictæ ecclesiæ Silvanectensis, vel eorum procuratorem pro ipsis in possessionem & saisinam corporalem, actualem & realem dictæ præbendæ, fructuumque, redditiuum, proventuum, jurium & pertinentiarum universarum ejusdem ponant & inducant, ac poni & induci faciant more & solemnitatibus in talibus fieri consuetis, sibique vel eorum procuratori & eorumdem decani & capituli nomine, de ipsius præbendæ fructibus, redditibus, juribus & pertinentiis universis integre respondere teneantur in sustentationem & nutritionem dictorum magistri & puerorum chori. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Datum Parisiis anno Domini M. CCCXCVIII. die duodecima mensis Octobris.

C L V I I.

Indulgentia facta episcopo Silvanectensi Petro Plaoul, *ne a porta sancti Reguli nudis pedibus incedat in jocundo adventu, ob infirmam valetudinem.*

PETRUS miseratione divina novus episcopus Silvanectensis, omnibus hæc visuris salutem in Domino. Cum dilecti nostri & fideles decanus & capitulum nostræ Silvanectensis ecclesiæ, de eorum benignitate & gratia speciali, attenta & considerata debilitate & impotentia virium corporis nostri, qui deberemus, prout sumus sufficienter ac debite informati, in nostro jocundo adventu a porta sancti Reguli Silvanectensis usque ad dictam nostram ecclesiam nudis pedibus incedere, secundum consuetudinem a nostris prædecessoribus episcopis inviolabiliter & inconcusse hactenus observatam, nobis concesserint ut calciati dictam urbem & ecclesiam intraremus; notum facimus quod nos propter hoc non intendimus aut volumus aliquod jus libertatis seu franchisiæ nobis aut successoribus nostris attribuere, sed volumus prædictam consuetudinem & alias antiquas & approbatas consuetudines & cæremonias, prout fieri est consuetum, laudare pariter & approbare. In cujus rei testimonium sigillum curiæ nostræ præsentibus literis duximus apponendum. 1410.

Datum anno Domini M. CCCCX. die XVI. mensis Decembris. *Signatum* P. Chevalet.

CLVIII.

Sacramentum capitulo Silvanectensi præstitum a procuratore Petri episcopi.

1411. ANNO M. CCCCX. die Martis XXVIII. Januarii, venerabilis & discretus vir magister Petrus *Cauchon* procurator & nomine procuratorio reverendi in Christo patris & domini domini Petri *Plaoul* in episcopatu Silvanectensi per dominum nostrum papam electi, præsentavit & exhibuit in capitulo procuratorium & literas apostolicas collationis dicti episcopatus, ac processum, quas literas domini de capitulo cum reverentia receperunt, & juravit de observandis juribus & libertatibus dictæ ecclesiæ; literæ de data VI. nonas Octobris; & tradita fuerunt eidem sigilla curiæ, præsentibus ad hoc discretis viris magistris & dominis Johanne Francisci, Vehaudo *Chevalet*, Simone Moneti, &c.

CLIX.

Ex apographo ab authentico.

Literæ Petri episcopi, de jure cappæ debito ecclesiæ Remensi.

1412. UNiversis præsentes literas inspecturis, salutem. Nos Petrus Dei gratia episcopus Silvanectensis, notum facimus quod cum inter alia jura, privilegia & libertates quæ sancta Remensis ecclesia noscitur obtinere, habeat & obtineat, quod quilibet suffraganeorum ejusdem noviter promotus seu translatus, tenetur dictam sanctam ecclesiam visitare, &c. cappam præfatam solvere . . . . promittimus, &c. In quorum fidem has literas & nostri sigilli appensione munitas & manu nostra subscriptas, &c. Datum Parisiis anno Domini M. CCCCXII. indictione VI. & die prima mensis Octobris. P. *Plaoul* Silvanectensis episcopus.

CLX.

Petrus episcopus certis se teneri distributionibus erga sibi ministrantes, quando in pontificalibus celebrat in majori altari beatæ Mariæ, recognoscit.

1414. UNiversis præsentes literas inspecturis, Petrus miseratione divina episcopus Silvanectensis, salutem in Domino. Notum facimus quod nos fuimus & sumus per testes fide dignos & alia legitima documenta sufficienter informati, quod quandocumque episcopus Silvanectensis celebrat missam in pontificalibus in choro ad majus altare dictæ ecclesiæ, in festis annualibus & aliis diebus solemnibus, in quibus cantor ecclesiæ Silvanectensis prædictæ debet tenere chorum, præfatus episcopus pro tempore tenetur distribuere de suis propriis pecuniis quatuor solidos Parisienses, videlicet diacono & subdiacono, cuilibet sex denarios, duobus dicentibus responsorium missæ, cuilibet sex denarios, & quod ita consuetum est fieri in dicta ecclesia per nostros prædecessores episcopos; hinc est quod nos laudabiles consuetudines prædecessorum nostrorum consequi volentes, confitemur per præsentes nos teneri in distributione prædictæ summæ quoties dictis diebus & aliis consuetis contigerit nos in pontificalibus in dicta ecclesia divina celebrare. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCCCXIV. die duodecima mensis Augusti. *Signatum* P. Chevalet.

CLXI.

Ex apographo ab authentico.

Senatusconsultum quo testamenti Petri Plaoul *exsecutores damnantur ad solvendam ecclesiæ Remensi cappam.*

1415. CAROLUS (VI.) Dei gratia Francorum rex. Notum facimus quod cum ex eo quod licet dilectus & fidelis consiliarius noster Petrus *Plaoul* episcopus Silvanectensis, quædam jura ecclesiæ Remensis cujus erat suffraganeus, &c. recognoscens, ipsam Remensem ecclesiam visitare ac juramenta debita eidem præstare, necnon cappam solvere promisisset per suas literas formam quæ sequitur continentes, &c. Universis præsentes literas inspecturis, &c. *ut supra*, nihilominus prædictus episcopus Silvanectensis ecclesiam Remensem supradictam non visitaverat, neque cappam præfatam solverat, ut tenebatur & promiserat; dilecti nostri præpositus, decanus, cantor & capitulum ecclesiæ Remensis præfatæ, virtute certarum literarum per eos a nobis super hoc impetratarum, præcipi fecissent ex parte nostra eidem episcopo quatenus dictam visitaret ecclesiam, quod facere recusasset, & deinde in nostra parlamenti curia super hoc adjornatus ab hac luce migrasset, &c. Deinde ipsius testamenti exsecutores damnantur ad solvendam cappam. Datum Parisius in parlamento nostro die prima Julii anno Domini M. CCCCXV. & regni nostri XXXV.

CLXII.

Testamentum Johannis Fouquerel *episcopi.*

UNiversis præsentes literas inspecturis, officialis Silvanectensis, salutem in Domino. Notum facimus quod anno Domini M. CCCCXLII. XVII. mensis Maii, in judicio coram nobis pro tribunali sedentibus hora placitorum curiæ nostræ consueta, personaliter comparuerunt magnæ circumspectionis & prudentiæ vir dominus & magister Johannes Balduini in sacra pagina licentiatus, decanus ecclesiæ Silvanectensis, alter exsecutorum & exsecutorio nomine testamenti seu voluntatis extremæ defuncti bonæ memoriæ domini & magistri Johannis Fouquerelli in eadem sacra pagina doctoris, quondam episcopi Silvanectensis, dicens & asserens ipse exsecutor quod præfatus dominus episcopus Silvanectensis dum viveret testamentum suum seu suam voluntatem extremam de se, rebus & bonis suis mobilibus & immobilibus sibi a summo largitore nostro collatis fecerat, condiderat & ordinaverat, prout & quemadmodum in quadam cedula papyrea manu propria ipsius reverendi patris scripta signoque manuali suo signata, & sigillo suo rotundo sigillata in cera rubra, hodie coram nobis exhibita judicialiter per dominum exsecutorem, & quam suis gerebat manibus, plenius continetur, cujus quidem cedulæ papyreæ tenor sequitur sub his verbis:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Nos Johannes Dei gratia minister indignus ecclesiæ Silvanectensis, nostro sæpius in animo revolventes & considerantes quod breves dies hominis sunt & quod animarum creator suas ad se revocat, quando vult, creaturas, quodque morte nihil certius nec aliquid incertius hora ejus; ideo cupientes semper catholice ac fideliter vivere & mori, attendentes juxta naturæ legem inevitabilem nobis fore necessarium semel mori, de bonis a Deo nobis concessis nostrum concedimus & ordinamus testamentum in modum qui sequitur: imprimis, implorato Deïtatis auxilio, animam nostram legamus & commendamus Deo creatori nostro, beatæ Mariæ virgini patronæ nostræ, beatis Petro & Paulo, beato Regulo, beato Michaeli archangelo, beatæ Ceciliæ totique curiæ supernorum civium, & corpus nostrum inhumari in ecclesia Silvanectensi, ubi placuerit dominis & fratribus nostris de ecclesia Silvanectensi. Item, volo ante omnia, debita mea, si quæ sint, de quibus liquido apparebit, persolvi & creditoribus nostris satisfieri, & forefacta emendari, prout & in quantum bona nostra quæ per beneficium inventarii ab exsecutoribus nostris recipienda sufficere valebunt, Item, volumus quod corpus nostrum per sex capellanos de dicta ecclesia, si eis placeat, ad ecclesiam deportetur, & habeat quilibet illorum duos solidos Parisienses & capellani obituum consimiliter, aliique 1428.

capellani, vicarii cum matriculariis, quilibet illorum duodecim denarios. Item, volumus quod in deportatione corporis nostri ad ecclesiam sint quatuor torcæ, quælibet de duabus libris ceræ, quæ ardeant eundo ad dictam ecclesiam & dum corpus nostrum inhumabitur, & sint quatuor pueri de ecclesia qui eas deportent & teneant durantibus prædictis, & in fine tradant duas magistro fabricæ & alias duas matriculariis, & quilibet dictorum puerorum habeat duos solidos; & si dicta die posset dici missa bassa de *Requiem*, volumus quod celebrans habeat quatuor solidos, & sic ardeant dictæ torcæ prædicta missa durante & usque in finem inhumationis, & in fine fiat ut dictum est. Item, pro dicta inhumatione & panno serico legamus fabricæ dictæ ecclesiæ octo libras Parisienses. Item, volumus quod die exequiarum nostrarum pro luminari ardeant viginti octo libræ ceræ, quæ sic ordinabuntur, videlicet, sexdecim in quatuor cereis positis super repræsentatione corporis, & duodecim libræ ceræ in quatuor torcis. Item, volumus quod quilibet dominorum canonicorum nostrorum qui præsentes erunt in obsequiis nostris faciendis, habeat sex solidos tantum, dimidius sicut integer, adjunctis capellanis obituum. Item, cuilibet puerorum chori duos solidos, & non computentur cum dominis in retributione. Item, cuilibet aliorum capellanorum, massicotorum & matriculariorum præsentium duos solidos. Item, dominis qui dictas exsequias celebrabunt, videlicet, sacerdoti, diacono, subdiacono & duobus . . . . distributionem prædictam, sacerdos habeat duos solidos, & alii quilibet sexdecim denarios. Item, pro pulsatione facienda pro dictis exsequiis & servitio ordinamus viginti quatuor solidos. Item, in luminari ad servitium ponantur duodecim libræ ceræ in quatuor cereis, & fiat distributio cuilibet canonico præsenti duos solidos pari modo sicut in die exsequiarum, & alii capellani, pueri chori, massicoti & matricularii quilibet illorum duodecim denarios, & non computentur pueri chori in distributione prædicta cum dominis canonicis. Item, in dicta die exequiarum nostrarum volumus per capellanos dictæ ecclesiæ celebrari unam missam de *Requiem* in capella . . . . & habeant præsentes in dicta missa viginti solidos Parisienses. Item, quod dicta die dominus decanus celebrare volens, pro missa habeat octo albos. Item, duodecim capellanis beatæ Mariæ in ecclesia Belvacensi, pro uno servitio celebrando in capella in qua faciunt servitium suum, quadraginta solidos. Item, confratriæ sancti Nicolai in ecclesia sancti . . . viginti solidos. Item, confratriæ Nostræ Dominæ in ecclesia Silvanectensi, quadraginta solidos Parisienses. Item, conventui . . . pro pitancia quatuor libras Parisienses, & quod celebrent, si placet eis, semel unam missam de *Requiem*. Item, confratriæ Nostræ Dominæ de Parisius, de qua sumus confrater, pro celebrando unam missam de *Requiem* quadraginta solidos. Item, domui Bonorum-virorum de Silvanecto, pro una missa de *Requiem* quadraginta solidos. Item, leprosariæ dictæ . . . . ad nostram dispositionem quadraginta solidos. Item, domui Dei Silvanectensis quadraginta solidos. Item, ecclesiæ Belvacensi pro obitu semel celebrando, quatuor libras, quæ distribuantur sicut pecunia quæ in nostro obitu ibidem fundato distribuitur. Item, ecclesiæ . . . legamus summam Autissiodorensem super quatuor libros Sententiarum. (*Vide p. 676. chart.*)

C L X I I I.

Ex apographo ab authentico. *Bulla Eugenii papæ IV Guillelmum de* Hotot *promoventis ad episcopatum Silvanectensem.*

1432. EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis populo civitatis & diœcesis Silvanectensis, salutem & apostolicam benedictionem. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini præsidemus, utiliter exsequi coadjuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimur & solertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores præficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico & tranquillo velint & valeant, duce Domino, salubriter regere & feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones omnium cathedralium ecclesiarum apud sedem apostolicam tunc vacantium ordinationi & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes extunc irritum & inane si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum ecclesia Silvanectensis ex eo quod dilectus filius Jordanus Morini canonicus ecclesiæ sancti Martini Turonensis, de cujus persona eidem Silvanectensi ecclesiæ, tunc pastore carenti, provideramus, ipsumque illi in episcopum & pastorem præfeceramus, provisioni & præfectioni hujusmodi literis apostolicis super eis minime confectis, per dilectum filium Johannem Blondeleti canonicum Turonensem, procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus dilecti filii nostri Ardicini sanctorum Cosmæ & Damiani diaconi cardinalis, sponte & libere cessit, ipseque cardinalis cessionem hujusmodi de speciali mandato nostro facto sibi super hoc oraculo vivæ vocis apud sedem admisit antedictam, pastoralis solatio destituta: Nos ad illius provisionem celerem & felicem, de qua nullus præter nos ea vice se intromittere potuerat sive poterat, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Silvanectensis ecclesia longioris vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de præficiendo eidem Silvanectensi ecclesiæ personam utilem & etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Guillermum electum Silvanectensem, tunc abbatem monasterii de Cormeriaco ordinis sancti Benedicti, Turonensis diœcesis, magistrum in theologia, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia & temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona ipsius electi, nobis & eisdem fratribus ob dictorum suorum exigentiam meritorum accepta, eidem Silvanectensi ecclesiæ, de ipsorum fratrum consilio, auctoritate apostolica providemus, ipsumque illi præfecimus in episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius Silvanectensis ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus committendo, in illo qui dat gratias & largitur præmia, confidentes quod dicta ecclesia Silvanectensis sub ipsius electi felici regimine, gratia sibi assistente divina, prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eumdem Guillermum electum tamquam patrem & pastorem animarum vestrarum debita honorificentia prosequentes, ejus salubribus monitis & mandatis humiliter intendatis, ita quod ipse in vobis devotionis filios, & vos in eo per consequens patrem invenisse benevolum gaudeatis, nosque perinde devotionem vestram dignis possimus in Domino laudibus commendare. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M.CCCCXXXII. XII. calendas Martii, pontificatus nostri anno secundo.

C L X I V.

Epistola Roberti abbatis Caroli-loci, ad D. Arturum Fillon *a rege designatum episcopum Silvanect.*

HOnorande pater, colendissime magister noster, 1522.
post affectuosas ac humiles commendationes, hesterna die sero venit ad nos honorandus magister noster magister Stephanus *Russy*, qui nobis aliqua

memorialia detulit, super quibus tua dominatio desiderabat certiorari; & licet pro nunc omnibus articulis non valeamus responsum dare, tamen super principalibus curabimus veritatem aperire. Sunt in ecclesia de qua sermo, quatuor dignitates, scilicet decanatus, archidiaconatus, cantoris & subcantoris; habent claustrum optime clausum a laïcis segregatum, cum ecclesia valde solemni, quæ licet quantum ad tectum fuerit quondam combusta, tamen nunc quasi reparata & in dies reparatur denariis regiis & canonicorum, & aliarum devotarum personarum eleemosynis, cum domo episcopali spatiosa, valde bene ædificata, apta ad habitandum, ecclesiæ cathedrali contigua. In dicta civitate sunt duæ ecclesiæ collegiatæ, videlicet, sancti Reguli & de *saint Frambour* gallice, satis invicem propinquæ, in qua est thesaurarius potens tenere illam dignitatem cum simplici tonsura. Et insuper in præfata civitate est monasterium religiosorum ordinis sancti Augustini, cujus patronus est sanctus Vincentius, & est unus prioratus, cujus patronus est sanctus Mauritius, & ad milliare distans a dicta civitate est aliud solemne monasterium beatæ Mariæ de Victoria ordinis etiam sancti Augustini, & omnia illa monasteria cum prioratu subjiciuntur episcopo ejusdem loci. Item, est aliud monasterium distans quatuor milliaribus Caroli-locus ordinis Cisterciensis; item, aliud monasterium monialium ejusdem ordinis Cisterciensis, vulgariter nuncupatum Parcus dominarum; est etiam prioratus sancti Nicolai satis prope civitatem, bonis redditibus dotatus. Ignoramus numerum curarum & aliorum beneficiorum in dicto episcopatu situatorum, sed ubi opus fuerit, faciliter cognoscemus & vestræ reverentiæ significabimus semper. Intelleximus canonicos esse ab episcopo exemtos, & ipsos habere jus eligendi, & semper honeste & ecclesiastice vixerunt, nec ad nostram pervenit notitiam canonicos habuisse aliquos processus seu discordias cum episcopo nuper defuncto, cujus anima requiescat in pace. Præfatus episcopus habet optimum & pingue patrimonium, & pulchram habitationem & domum solemnem satis prope civitatem, pro recreatione sui pastoris, & circa eam sunt terræ arabiles & amplissima stagna per quæ transit unus fluvius. Et unum est singulare & memoria dignum, prout a senioribus intelleximus, episcopum illius civitatis esse confessorem natum reginæ, ratione cujus habet tantum patrimonium. Item, in eadem urbe est conventus Fratrum minorum reformatus, & ibidem fratres religiose viventes habent pro suo gardiano magistrum nostrum Simonem *Poictevin* doctorem theologum Parisiensem. Populus illius civitatis multum obediens & devotus, plurimum doctos viros diligens.

Honorande pater, judicio meo nullomodo onus tibi per regem impositum debes renuere, sed debes cum beato Martino dicere, si populo tuo sum necessarius, imo quia es necessarius, non recusas laborem, quoniam firmiter credimus Spiritum sanctum ad hoc cor regis movisse quod in manu Dei est, & si onus renuas, poteris esse ruinæ causa multarum animarum. Eia, honorande pater, viriliter age & confortetur cor tuum in Domino qui non deest timentibus se; & tibi dico, si sermonibus nostris acquiescas, quod non solum eris Silvanectensis episcopus, sed monasterii Caroli-loci conservator & perpetuus protector, & eo poteris uti sicut propria domo. Et ubi in hoc negotio nostra egeas parvitate, præcipe, & pro viribus curabimus exsequi. Optime igitur valeas in Domino, qui te in utroque hominis statu in ævum conservet. Ex collegio sancti Bernardi Parisiensis mense Julii luce nona, per vestrum confratrem & amicum perpetuum Robertum Caroli-loci abbatem. *Et a dorso scriptum est:* reverendo patri domino meo colendissimo magistro Arturo *Fillon* curato de sancto Macuto, sacræ theologiæ professori dignissimo.

CLXV.

Epistola Johannis Launoii, de tempore quo vixit sanctus Regulus.

JOANNES LAUNOIUS, Johanni Chicoto medico regio. Cum nuper una essemus cum in monasterio beatæ Mariæ de Victoria, tum Silvanecti, mota est quæstio de tempore quo Regulus civitatis hujus antistes primus, vixerat. In diversas a pluribus qui aderant, itum est sententias quæ, quia verisimilitudine non carent, obscuritatem rei non possunt non importare; nam ut obscurum dictum, sic & obscurum factum varias hominum etiam eruditorum opiniones gignit. Tu cum in re tam antiqua diversitatem opinionum perspiceres, maluisti pro tua singulari prudentia cohibere assensum quam illico pronunciare, sed de me contatus es, quid censerem! Ego cum & tempus & opportunitates aliæ mihi deessent multæ, conticui, respondere scripto me velle dixi: quod igitur pollicitus sum impleo. 1659.

De tempore quo Regulus evangelium Silvanectensibus nunciavit, opiniones sunt duæ; prior una, quæ Regulum sub Diocletiano & Maximiano, altera posterior, quæ Regulum sub Domitiano ponit.

Prioris monumenta sic se habent; primum in actis SS. martyrum Fusciani & Victorici: *Eodem igitur tempore quo Maximianus truculentissimus augustus per arva Galliæ præsidebat, Rictiovaro præfecturæ dignitatis ordinem agi præcepit. Sancti ergo viri Fuscianus & Victoricus cum duodenario numero sociorum per ordinem glomerati, una cum venerabili Dionysio præsule, comitibus ceteris Piatone, Rufino, Crispino, Crispiniano, Valerio, Luciano, Marcello, Quintino & Regulo ab urbe Roma progredientes cursu intrepido, pro Christi dimicantes victoria, bellatores Dei egregii intra fines Galliæ urbe* * *Parisiis, duce Christo itineris pervenerunt, atque superillustrante Spiritu membratim loca quæ prædicatione divini nominis caruerant, elegerunt, nimirum quos divina caritas fideique ardor connectit adstrictos diversitas locorum dispares non facit esse diversos.* Et post alia: *Beatissimus autem Regulus cum ad urbem Silvanectensem profectus fuisset, tantum illius superna gratia cor irrigaverat, ut confestim gentilem populum ab idolorum cultura ad fidem catholicam revocaret, & mox divino munere tribuentibus pontificalis infulæ consulatum, in eadem urbe pastorale suscepit regimen.*

* *urbem Parisius.*

Hæc acta Franciscus Bosquetus nunc Monspeliensis episcopus, in lucem emisit anno M. DCXXXVI. in tomo primo historiarum Gallicanæ ecclesiæ. Deinde in actis eorumdem sanctorum Fusciani & Victorici, quæ Germanus Milletus in responsione ad caput secundum dissertationum Jacobi Sirmondi edidit e bibliotheca Corbeiensi: *Eodem tempore (quo agebat Diocletianus) sancti viri Fuscianus & Victoricus aliis simili sanctitate præditis aggregati, videlicet, sancto Quintino & Luciano, Crispino & Crispiniano, Piatone atque Regulo, Marcello & Eugenio, Rufino & Valerio ab urbe Roma progredientes veloci cursu ferventique animo pro victoria Christi dimicare parati, ad urbem Parisios intra fines Galliæ sitam, Christo duce, pervenerunt.*

Postremo in eisdem actis quæ Parisiense brevjarium anno M. DXLV. editum repræsentat tertio idus Decembris: *Tempore quo Maximianus truculentissimus augustus arvis Galliæ præsidebat, Rictiovaro præfectoriæ dignitatis ordinem agere præcepit. Sancti ergo viri Fuscianus & Victoricus cum duodenario numero sociorum pari ordine glomerati, una cum venerabili Quintino ac comitibus cæteris Piatone, Rufino, Valerio, Eugenio, Crispino, Crispiniano, Luciano, Marcello & Regulo ab urbe Roma progredientes bellatores Dei egregii, intra fines Galliæ urbem Parisius, duce Christo, pervenerunt.* Et post alia: *Beatissimus Regulus cum ad urbem Silvanectensem profectus esset, tantum superna gratia cor irrigavit, ut confestim gentilem populum ab idolorum cultura ad fidem catholicam revocaret, & tandem divino munere in eadem urbe pastorale suscepit regimen.*

Hæc acta, quæ & in Parisiensi breviario & in bibliotheca Corbeiensi extant, ab actis quæ Bosquetus publicavit in duobus dissentiunt; primum in illis mentio Dionysii præsulis sublata est, deinde Eugenii nomen additum, ut duodenarius sociorum numerus retineretur; in Regulo & cæteris conveniunt. Interpolationes hæ duæ post ætatem Caroli-Magni contigerunt, ad illud videlicet tempus quo monachi monasterii sancti Dionysii patronum suum a Clemente missum esse persuadere voluerunt & persuaserunt iis qui corruptrices manus actis Fusciani & Victorici attulerunt.

Quod autem acta Fusciani & Victorici primum relata Carolum-Magnum præcesserint, facile probari potest: Usuardus qui, Carolo jubente, martyrologium contexuit, id testatur calendis Octobris: *Tornaco passio sancti Piatonis presbyteri, qui cum beato Dionysio ejusque sociis ab urbe Roma Galliam prædicationis causa expetiit, ac postea consummato martyrio migravit ad Dominum.* Sic respectum sine dubio habet ad Dionysium, Piatonem & socios alios qui in actis Fusciani & Victorici memorantur. Verba hæc eadem referuntur in sexcentis martyrologii Usuardi manuscriptis exemplaribus, quæ notare spissi & non necessarii laboris foret. Pauca de multis indico in opere quod inscribitur: *Responsionis ad dissertationem de duobus Dionysiis discussio.* Sunt edita quædam exemplaria quæ cum manuscriptis omni ex parte consentiunt: martyrologium Rothomagi impressum anno M. DVII. & ad quatuor exemplaria, quorum tria Lugduni, Papiæ & Parisiis prodierunt, recognitum; martyrologium juxta morem Romanæ ecclesiæ Venetiis editum anno M. DLIX. Johannes Molanus non dissimulat in Usuardi martyrologio, quod recensuit & anno M. DLXXIII. typis Lovaniensibus mandari curavit.

Cæterum Usuardus de Regulo hæc solum tradit: *III. cal. Aprilis, apud castrum Silvanectensium, depositio sancti Reguli episcopi & confessoris.* Apud Adonem de Regulo nihil habetur.

Hactenus veterum monumenta, quibus prior fulcitur opinio.

Nunc veniendum ad posteriorem quæ post Carolum-Magnum cœpit existere. Annus circumagebatur octingentesimus vicesimus quintus cum de imaginum cultu Lutetiæ habita est collatio, Episcopi ad Eugenium secundum miserunt epistolam, in qua memoratus in actis Fusciani & Victorici duodenarius sociorum numerus, ad Clementis ævum revocatur; adscribo verba: *Nec vobis tædium fiat, si ad ostendendum rationem veritatis veritatemque rationis sese paulo longius sermo protraxerit, dummodo linea veritatis quæ ab antiquis patribus nostris usque ad nos inflexibiliter ducta est, beato Dionysio scilicet, qui a sancto Clemente, qui beati Petri apostoli in apostolatu primus ejus successor exstitit, in Gallias cum duodenario numero primus prædicator directus est; post aliquod tempus una cum sociis huc illucque prædicationis gratia dispersis, martyrio coronatus est.* Hinc Regulus cum ad duodenarium illum numerum pertineat, cum Dionysio ad Clementis tempus reducitur; quæ sic epocha duodenario numero satis constanter, ut apparet, figitur, ad tempus exiguum duravit; eam refixit Paschasius Radbertus Corbeiensis abbas, qui Carolo Calvo rege floruit; historiam Rufini & Valerii qui duodenarium numerum implent, confecit, & in ea Dionysium Domitiani, reliquos undecim Diocletiani & Maximiani imperio consignat; sic enim loquitur: *Fama est hos* (Quintinum, Victoricum, & Fuscianum, Rufinum & Valerium, Crispinum & Crispinianum & alios socios) *cum beato Dionysio qui a beato Clemente missus fuerat, ut frigida gentium corda fidei calore animaret, Galliarum fines penetrasse; sed temporum series repugnat, sanctus namque Dionysius sub Domitiano cæsare anno ejus imperii secundo, martyrio coronatus est; isti vero, Diocletiano & Maximiano augustis, immortalitatis gloriam perceperunt.* Hic auctor famæ, quod est nomen incerti, tribuit & continuo

A diruit quidquid episcopi in sua ad Eugenium epistola de undecim Dionysii comitibus ædificaverant; ex quo facile intelligitur nonnunquam ab iis qui ab origine rerum gestarum pluribus sæculis remoti sunt, ea in traditionem deputari quæ minime deputanda sunt. Traditio vera suas habet leges & notas quibus a falsa secernitur; quare non omnibus licet de re quapiam vere affirmateque dicere, traditio est; qui vitas sanctorum corrumpunt & falsa inserunt miracula, vel apostolorum synchronismum affectant, ut dictis suis fidem concilient, sæpe numero inculcant, traditio est, inculcant quoque & qui has vitas in auctoritatem admittunt. In tractandis rebus istius modi, nisi adhibeatur κρίσις, studiis partium semper efficitur ut locus ad tergiversandum contra veritatem non desit; & quam-
B vis Radbertus id fecerit, quod eum fecisse vidimus, obtinuit tamen ævi progressio, ut quemadmodum Lucianus, ita & Regulus revocatus ad Clementis ætatem, Dionysium sequeretur. Avida supra modum antiquitatis posteritas antiquitatem ipsam ementiri solet; exinde repertus est qui annis abhinc plus minus sexcentis Regulo vitam qualem voluit appinxit; manuscripti vitæ hujus codices tempus illud non excedunt; subsequuntur cuncti & credulitatem auctoris sui proponunt. Regulus in hac vita Nicænus civis est, beati Johannis Evangelistæ discipulus, Dionysio Areopagitæ in Gallias venienti accedit, Dionysius Arelatensem ecclesiam post Trophimum regit, eique Luteciam discedenti Regulus succedit, qui & accepto per revelationem Dionysii martyrio, Felicissimum sibi substituit
C & statim venit Luteciam, ubi & orbatam pastore suo ecclesiam solatur, eique Malonem episcopum præficit, atque ædem martyris sepulcro inædificat; deinde Silvanectum se confert, simulacra gentium & falsorum numinum idola subvertit, populum ad evangelicæ veritatis notitiam pertrahit, in honorem Deiparæ basilicam exstruit, & postea vitam ubique locorum ab omni vexatione liberam deponit.

Hæc est posterior de Reguli tempore opinio, quam exarati subinde post Carolum-Magnum commentarii nobis exhibent.

Si modo quæras a me utra harum opinionum amplectenda sit, Tertullianus pro me respondebit, lib. IV. adversus Marcionem cap. IV. *Quis,* inquit, *inter nos determinabit, nisi temporis ratio ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitia-*
D *tionem, quod posterius revincitur.* Ad hæc posterior opinio dupliciter extabescit; uno modo, cum auctorum qui Carolum-Magnum antecesserint patrocinio nullo fulciatur, imo repugnantes inveniat qui de Reguli tempore sermonem instituerint; altero, cum expositæ Reguli vitæ satis conveniat quod Guibertus abbas Novigentanus ante annos quingentos scripsit in libri primi de Sanctorum pignoribus capite tertio: *Si de illa cujus gloriam metiri omnis creatura non prævalet, & quæ præmissa sunt docere non possumus, de iis quorum salus & perditio incertæ sunt, quid nisi silentium sempiternum imperare debemus! Porro sunt quædam de aliquibus scripta, quæ multo deteriora næniis, ne subulcorum quidem essent auribus inferenda; certe cum plures sanctis suis summas antiquitates attribuant, moderno tempore eorum scribi vitas*
E *expostulant, quod a me profecto sæpe petitum est. Ego autem in his quæ obtutibus subjacent, fallor, & de iis quæ nemo unquam viderit, quid veri profiteor! Si dicerem quæ dici audivi, etiam sum rogatus ut super laude horum tam ignobilium dicerem, quin etiam ad populum declamarem; & ego si quæsita dicerem, & qui talia dicere suggerebant, publico pariter cauterio digni essent.*

Quæ in recentioribus sanctorum vitis traduntur, defende testimonio auctorum qui rei gestæ æquales vel proximi tempore fuerunt; nam si defendas metaphysicorum argutiis, dicere poteris contigisse multa quæ non contigerunt, quia contingere potuerunt; non omnis falsitas, quæ in facti conditione versatur, metaphysicorum legibus opponitur.

Posterior hæc opinio traditionis nomen non meretur, si quid inter traditionem veram & falsam discriminis intercedat; qui affirmabit intercedere, consentiet, & cum illo res sine controversia transigetur; qui negabit, dissentiet, & cum illo certi nihil statui poterit, tundet super eamdem incudem, & eamdem serram reciprocabit, traditio est; hoc te docuit usus & magistra rerum experientia. In Reguli vita, cujus summam dedimus, sunt maxime duo; alterum, illius in Galliam sub Domitiano adventus, qui post Carolum quidem figitur, sed statim refigitur, quod adhuc epochæ illius inconstantiam ostendit, præterea machinis nullis ad illum imperatorem retrahi potest; alterum vero quidquid Regulus Arelate & Parisiis gessisse dicitur, nam hoc annis abhinc sexcentis inventum est & memoriæ proditum.

B Sed utrum traditionis nomen mereatur prior opinio, pronunciatu paulo est difficilius; primum, quia de Regulo & Reguli tempore apud auctores Græcos & Latinos omnes altissimum est per annos a Christo sexcentos & eo amplius silentium, deinde quia in opinione priori Regulus Dionysii comes appellatur, & sub Diocletiano & Maximiano imperatoribus collocatur, quod non est omnino certum, nam Dionysii adventus in Galliam sub Decio constituitur; id tradit vitæ sancti Saturnini scriptor antiquissimus & confirmat Gregorius Turonensis, quin confirmatione sua non obscure significat traditionem de adventu Dionysii aliam nullam, imo ne rumorem quidem fuisse cum scribendæ historiæ vacaret. Duo hæc si bene considerentur, nonnihil impediunt quominus prior opinio C augusto traditionis nomine donetur.

Interim quæ ad priorem opinionem animadvertimus plane efficiunt, ut illa posteriori anteponatur; huc minime spectat jus Quiritium, in quo dicatur, posterior opinio in possessione credulitatis suæ sit & fuerit ab aliquot sæculis. Tertullianus exceptionem hujusmodi repellit in libri de velandis virginibus cap. 1. *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum.* Quæ Fusciani & Victorici acta retulimus, testantur Silvanectensem populum, prædicante Regulo, confestim deseruisse idololatriam & Dei religionem suscepisse; quod non facile crediderim, quia nullus ibi martyr celebratur; tunc ubi Christiani plures, ibi nec tyrannorum vexatio deerat, nec martyrium; cur, quæso, D Romæ plures tunc quam alibi martyres, nisi quia plures quam alibi Christicolæ!

Quidquid id est, in priori opinione constare utcumque videtur primum Silvanectensium episcopum fuisse Regulum qui ad eos, Diocletiano & Maximiano regnantibus, accessit, christianam religionem docuit, & quibus potuit, opitulante Dei gratia, persuasit, tum in illius confessione moriens cœlestem patriam petiit laborum suorum præmium recepturus; cætera nos Deus latere permisit. Nonnulli sunt apostoli de quibus plura nescimus. Hoc in eventu ecclesia, dum illorum natalem celebrat, ad officium commune perfugit. Prudentiæ huic mirifice convenit quod apud Usuardum, XVIII. cal. Septembris, & apud Adonem, VI. idus ejusdem mensis Septembris, in libello de festivitatibus apostolorum invenio: *Plus elegit sobrietas ecclesiæ cum pietate nescire, quam aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo* E *docere.*

Cæterum, qui posteriorem opinionem priori, novam veteri præferre voluerit, in eo per me poterit desiderium suum explere; non enim is sum qui velim suam cuique voluptatem invidere.

Nonnullos esse scio quorum animus jam aliqua persuasione occupatus, sibi omnia concinere ut cupit, ita & retur.

Hæc habui, vir clarissime, quæ præpositæ de beato Regulo quæstioni responderem, in quibus si quid a veritate vel ab inveniendæ & asserendæ veritatis legibus abhorreat, emendari vehementer opto. Tu vero, qui A non solum in medicis, sed etiam in aliis rebus tam accurate scribis, & acrimonia judicii vales quamplurimum, votis meis satisfacies, vel si satisfacere tibi per otium non liceat, committes ut alii satisfaciant; mortalium, mihi crede, nemo est, qui minus cupiat quam ego in errore suo permanere, nemo qui corrigat diligentius. Vale. Lutetiæ Parisiorum anno Christi M. DCLIX. idibus Junii.

Altera ejusdem Launoii eadem de re epistola ad eumdem.

JOHANNES LAUNOIUS, Johanni Chicoto medico regio. Accepi literas tuas deliniendis animis idoneas & adhibendis voluptatibus, quæ, nisi quis caveat, cum suavitate affluunt, & sic illabuntur ut retrahi postea vel temperari difficile possint. Maluissem ego prorsus meam de beati Reguli tui epocha dissertationem a te corrigi quam tantopere commendari; emendatio vitii unius quo inquinaretur dissertatio vel ornatissima laudationi præferenda mihi videtur; in emendatione certum amicitiæ veræ & caritatis summæ testimonium elucet; in laudatione semper intervenit adulatio, aut nescio quid adulationis, quod non tamdiu placet, quamdiu opus maxime castigatum & suis numeris omnibus absolutum. Sub finem epistolæ tuæ notas duo, quibus in superioribus literis satis superque occurreram; hæc tamen nunc retractanda uberius mihi sumo. Sic autem scribis: *Quod si semel explosa sit illa de Dionysio Areopagita sententia, confectum est negotium de beati Reguli in Gallias adventu; in eo enim totius rei cardo versatur, ut aut Areopagitæ sub Domitiano socius fuerit, aut alterius Dionysii sub Maximiano; hæc equidem sic inter se cohærent, ut nullis machinis a se divelli queant.* Hæc tu non ex tua, sed ex illorum mente qui nobis adversantur. Et primum quidem Reguli in Galliam adventus cum Dionysii Areopagitæ adventu connexus non est per sese; Regulus in Galliam potuit non venire etiamsi Areopagita veniret, Areopagita quoque potuit non venire etiamsi Regulus veniret; id postulat natura rerum quæ fortuito vel libere fiunt; deinde Reguli in Galliam adventus cum Dionysii Areopagitæ adventu connexus non est per ecclesiæ traditionem, quæ ab æræ christianæ initio ad annum sexcentesimum decurrerit; in illo temporis intervallo Dionysius Parisiorum episcopus apud historiam sancti Saturnini & Gregorium Turonensem venisse legitur imperante Decio, Regulus Silvanectensium episcopus venisse non legitur. Dionysium vero illum quis Areopagitam fuisse diceret! Tum post annum Christi sexcentesimum in historia Fusciani & Victorici venisse, imperante Maximiano, traditur Dionysius Parisiorum episcopus, qui nec est, nec esse poterat Areopagita, nisi Nestoris illius ætatem impleverit. Regulus in eadem historia cum Dionysio venit; ad extremum Hilduinus in suis Areopagiticis & Hincmarus in epistola ad Carolum imperatorem de Areopagitæ sub Domitiano adventu in Galliam loquuntur, de Reguli sub eodem principe adventu in Galliam non loquuntur. Auctores hi duo Areopagitam venisse sub Domitiano sentire debent, cum venisse eum sentiant anno post Petri & Pauli mortem decimo quarto, qui incidit in annum Christi LXXXIV. quo Domitianus ad Romanum imperium accessit. His autem ex capitibus apparet Reguli cum Areopagita consociationem nullam esse. Ævi progressione factum est ut Dionysius qui in memorata Fusciani & Victorici historia dux est hominum undecim Fusciani, Victorici, Piatonis, Rufini, Valerii, Crispini, Crispiniani, Luciani, Marcelli, Quintini & Reguli ad Domitiani tempus revocaretur & Areopagita nominaretur; cæteri nunc revocati sunt cum illo & eamdem fortunam secuti, nunc sub Maximiano relicti, quod in proximis literis dilucide, ni fallor, planeque exposui; & id observandum est diligentissime, *cum*, ut ait Tertullianus, *instar religionis sit fidem de temporibus asserere.*

1659.

Jam sentis, opinor, jam perspicis quo tempore, quo pacto, cujus sortis beneficio Regulus Areopagitæ socius evaserit; neque vero necesse est ut Dionysii alterius comes fuerit; nam qui ponunt Dionysium Areopagitam fuisse Parisiensem episcopum, duos non ponunt Dionysios, sed quem vel sub Decio vel sub Maximiano positum invenerunt, male positum asserunt & ad Domitiani tempus reducunt; si statuendi essent, ut tu dicis in epistola, Dionysii duo, quorum unus Domitiani, ut Hilduini & Hincmari retineretur opinio, alter Maximiani imperio, ut sua historiæ Fusciani & Victorici constaret veritas, consignaretur, statuendus esset parimodo tertius Dionysius, quem & vetus traditio in historia Saturnini martyris & Gregorius sub Decio collocant.

Nunc argumentum tuum eo spectat ut Reguli Silvanectenses totidem ponantur; hæc est absurda complexio qua sese implicant, qui quem semel errorem animo imbiberint, eum agnoscere & procul abjicere nolunt; ad quærendæ & asserendæ veritatis regulas nihil expendunt, & dant facile locum aliorum fabulis, dummodo placitis suis servire possint; ut in conventis stipulationibus, sic & in rebus historicis formulas *do ut des, facio ut facias*, admittunt; sed genus hominum istiusmodi intra caulas suas balare facile patior. Dionysius Parisiensis & Regulus Silvanectensis sua quisque habent monumenta quibus illi vindicentur & in episcoporum seriem redigantur. Non repeto quæ in eamdem rem alibi latius disserui; porro si quid ad explicandam Reguli epocham opis adferre potest Areopagiticorum Hilduini & Hincmari ad Carolum imperatorem epistolæ discussio, hæc brevi prodibit in lucem eamque in tuo nomine apparere volui; secunda est nostri de Areopagiticis Hilduini judicii editio, quæ tibi tamquam uni e meis ἐργοδιώκταις merito debetur; opusculum hoc cum meis quibusdam aliis quorum desiderantur exemplaria, recuditur; iis omnibus anteponetur Jacobi Sirmondi viri clarissimi dissertatio, quippe qui primus in arenam contra monasterii sancti Dionysii monachos descenderit; ego secutus sum. Vale. Lutetiæ Parisiorum anno M. DCLIX. IV. nonas Sextiles.

Hæ duo Launoii literæ ex autographo descriptæ sunt, quod ex beneficentia hodierni decani ecclesiæ S. Reguli nunc est in bibliotheca sancti Germani a Pratis.

CLXVI.

Johannis Deslions *beatæ Mariæ Silvanectensis decani, de sancti Reguli historia & adventu in Gallias dissertatio.*

1672. De tempore missionis & prædicationis S. Reguli duæ sunt opiniones plusquam ducentis annis a se discrepantes & dissitæ; altera missum asserit a sancto Clemente papa, & in comitatu sancti Dionysii quem facit Areopagitam & primum Parisiorum episcopum, ac martyrem celeberrimum, una cum pluribus aliis qui & ipsi diversarum regionum intra Gallias apostoli fideique satores exstiterint sub imperatoribus post Neronem variis & incertis, licet vel Domitianum vel Trajanum præcipue respiciat prima illa opinio.

Altera missum asserit & annumerat inter illos duodecim, quos desinente seculo tertio, vidit & excepit Gallia Belgica evangelii prædicatores in finibus suis, a Lutetia ad Nervios usque & Treviros, inclinante imperio Diocletiani & Maximiani; ex illis quippe duodecim Dionysius Parisios secundum acta antiquioris & melioris notæ, Lucianus Belvacos, Piatus Tornacenses, Rufinus & Valerius Remenses, Crispinus & Crispinianus Suessiones, Quintinus Veromanduos & Ambianos, Fuscianus & Victoricus Morinos, qui & Terwanenses, Marcellus Treviros (quæ mea conjectura est) Regulus denique noster Silvanectenses, aggressi Belgicam primam & secundam suis quique in locis bono Christi odore & semine repleverunt.

Opinio prima popularis est & magis nota, sed secunda doctior & magis consona veritati, antiquitati, traditioni omnium Galliæ Belgicæ ecclesiarum. Silvanectensis tamen utramque retinuit, majorum nostrorum inscitia aut potius indiligentia, qui in natali sanctorum martyrum Fusciani & Victorici, III. idus Decembris Regulum posuerunt, sub Maximiano collega Diocletiani, inter illos duodecim Belgii prædicatores, & nihilominus in die festo ejusdem S. Reguli XXIII. Aprilis ipsum Johannis discipulum & Areopagitæ Dionysii comitem fecerunt; quod autem hominum ignorantia peccatur, Dei præscientia & providentia corrigitur; & ista quidem officiorum nostrorum allucinatio prudentibus & peritis aut necessitatem imponit veritatis indagandæ, aut relinquit libertatem eligendi ex ambabus opinionibus quam saniorem probaverint. Aiunt quidam, erratum est in officio sanctorum Fusciani & Victorici, quorum acta dubia tum ex stylo, tum ex rebus ac personis quibus constant. Dicunt alii in contrarium aberratum esse inhonestius in officio & historia sancti Reguli. Qui vero sapiant, quibus credendum sit, quæ sententia verior, æquus lector dijudicare poterit ex iis quæ proferam in consequentibus. Per me liceat quod in hujusmodi Paulus unicuique permittit in suo sensu abundare; asseram in medium utriusque opinionis testes & testimonia, gratum sine dubio facturus lectori utriusque partis, cui suppetias æqualiter feram, adductis hinc inde viribus atque auctoritatibus quæ Regulum vel Apostolis primi sæculi, vel apostolicis tertii, secundum alterutram opinionem adjudicent. *Rom. 14. 3.*

Nolim tamen hic bellum Areopagiticum inter doctos ab octingentis annis susceptum, nostrisque diebus renovatum ac pene confectum, ex integro reparare; non est, inquam, mihi in animo veterem controversiam de duobus Dionysiis & de originibus ecclesiæ gallicanæ ad Apostolorum ac discipulorum tempus referendis iterum examinare & dirimere; quod scriptum est, scriptum est, & nostro præsertim ævo a viris scholasticis, ecclesiasticis, religiosis qui accurate sane & diligenter de primis ecclesiarum nostrarum institutoribus disputarunt. Quid ego possum addere ad sapientiam Nicolai Fabri regis Ludovici XIII. quondam præceptoris, ad eruditionem Jesuitæ Sirmondi, ad subtilitatem & acumina Launoii theologi, ad amplitudinem cardinalis Baronii ejusque sectatorum pro distinctione seu confusione Dionysii Atheniensis & Parisiensis! Quid frustra desudem in disputandis seu confutandis opinionibus tot regionum, tot ecclesiarum quibus persuasum est habere se pro primis episcopis, alias Nathanaelem, de quo mentio fit in evangelio Johannis, qui postea sanctus Ursinus lectoris officio functus in Cœna Domini, quæ est Bituricensium traditio; alias filium viduæ Naïm, sub nomine sancti Materni, quod sibi arrogant Trevirenses; alias puerum illum qui habebat quinque panes ordaceos in deserto & Christo ad miraculum obtulit, quem Lemovicenses suum Martialem credunt; alias Lazarum resuscitatum, quod Massilienses; alias Maximinum cui S. Petrus Magdalenæ custodiam commiserat, quod Aquenses; alias Simonem leprosum sub nomine postea sancti Juliani, quod Cenomanenses; alias unum de illis gentilibus qui in Jerusalem cum ramis palmarum Jesum ingredientem exceperunt, & ut eum propius viderent & alloquerentur, petierunt introduci ab apostolis Philippo & Andræa, quod Santonenses de Eutropio suo prædicant! Et quid plura commemorem! *Omnes si ad primam originem revocentur, a diis sunt,* inquiebat Seneca, cum de falsa & superba nobilitate loqueretur; omnes, inquam, ecclesiæ Gallicanæ ab illis originem trahere se jactant, de quibus scriptum est: *ego dixi, dii estis;* sed rursus dico, quod scripserunt, scripserunt. *Epist. 44.*

Ego vero de Regulo nostro scribam, quod nemo alius. Ut primum accessi ad ejus ecclesiam & cathedram, statim inquisivi de fundamento & fundatore, nihil aliud

didici credidive quam quod pueri & populus de Regulo norant, atque ut Arelatenses ipsum etiam sibi vindicant, existimavi prudenter me facturum, si eos consulerem, quid de communi patrono sentirent. Agnovi ex eorum breviariis & historia eadem illos nobiscum credere; sed ut errarem securius, facta est mihi copia cujusdam manuscripti codicis & satis antiqui, in quo continebantur vitæ seu acta quorumdam pontificum Arelatensium, quorum nomina post triginta & amplius annos non memini, nisi trium aut quatuor, Trophimi scilicet, Reguli, Honorati & Hilarii; neque vero tunc alio consilio accepi codicem a domino de Saxi canonico & nepote illius, qui pontificium Arelatense nuper in lucem ediderat, nisi ut Silvanectensibus nostris gratificarer; receperunt ipsi a me quasi gemmam aut margaritam de thesauro sacræ antiquitatis, & exscriptam inde vitam sancti Reguli bibliothecis librisque suis ad ornamentum inseruerunt. Præstat igitur eamdem vitam hic in publicum proponere, ex qua primæ opinionis defensores colligunt & probant Regulum fuisse Johannis apostoli discipulum, Pauli auditorem, Dionysii Areopagitæ comitem, Clementis papæ missum, primi Christianorum sæculi coævum.

Postquam vero in eadem ecclesia consenui, ejusque officia, monumenta, libros excussi penitius & cum vicinarum ecclesiarum instrumentis contuli, occurrerunt mihi variis temporibus & occasionibus plurima quæ in gratiam secundæ opinionis adduci possent; inde etenim patet Regulum tertio sæculo desinente & quarto incipiente, sub finem ultimæ persecutionis & initium pacis ecclesiasticæ, imperante Constantino, cursum suum & ministerium verbi in hisce consummasse regionibus; & ista quidem omnia statui in hunc locum congerere, ne quid desit ad plenam & perfectam cognitionem apostolatus sancti Reguli, de quo tamen liberum sit unicuique quam judicaverit amplecti sententiam.

Auctores & testimonia primæ opinionis vulgi, de missione sancti Reguli primo sæculo.

Quis sit inventor & architectus hujus opinionis, non video, nisi forte Cœlestinus ille Hibernus quem codex Arelatensis indigitat, qui fingitur jussu Clodovæi Magni protochristiani Francorum regis, & ejus qui tum Silvanectensis erat antistes, vitam & actus beatissimi Reguli conscripsisse; hoc enim ex ipso titulo manuscripti colligimus. Porro quis qualisve fuerit iste auctor, nec alibi, nec aliunde cognoscimus, & valde notandum est nullum esse inter tot Areopagiticos, veteres intelligo, qui mentionem faciat de Regulo Dionysii comite, nec de Cœlestino vitæ Reguli conscriptore; quisquis tandem ille sit, docet nos Regulum sub imperatore Domitiano, & in comitatu S. Dionysii Areopagitæ venisse ad Gallias. Hoc idem postea scripserunt Vincentius Bellovacensis, Petrus de Natalibus episcopus, Saussæus Tullensis antistes in suo martyrologio Gallicano, & alii compositores legendarum, ut vocant, quæ in vulgus sparsæ & per ecclesias fusæ in divinis officiis recitantur. Si tamen ingenue dicere licet quod sentio, postremi illi, quotquot sunt, qui de Regulo aliquid scripsere, auctoritatem fidemque non habent, nisi ab illo Cœlestino ipsis forsitan huc usque incognito, qui certe, si unquam fuit, primus & pluribus sæculis superior exstitit; imo si bene adverto, librarius aliquis hoc nomine, vel vero vel fabuloso, scriptionem suam insignivit, ut in publicum honorificentius prodiret; sic enim in fronte lego : *Vita beatissimi Reguli, quam venerabilis, Dominoque amabilis Cœlestinus ex nobili Hiberniarum provincia exortus, divina inspirante clementia, spiritaliter dictare conatus est.* Cæterum quid dissimulare juvat, quando illud nomen & magnifici tituli videntur ad pompam compositi, ut commentitiam narrationem magis plausibilem redderent !

Judicet sapiens ex istis observationibus, quæ sequuntur, cum legerit, si potest sine tædio & nausea,

A vitam sancti Reguli qualis jacet in manuscripto codice. Puderet equidem me tam ineptam & insulsam scriptionem typis mandare, oculis & animis objicere, nisi vidissem nostros Silvanectenses nimis imprudenter gloriari de falsa sua traditione & opinione, quam a nobilissima & antiquissima ecclesia Arelatensi haustam confirmatamque arbitrantur; sed ne sibi diutius illudant aut blandiantur, illis renuncio primum vitam hanc S. Reguli apud Silvanectum & pro Silvanectensibus ab initio compositam, indeque ad Arelatenses missam fuisse; hoc agnoscet quisquis a capite ad calcem perlegerit, sed & ego ipse qui manuscriptum Arelatense mutuatus sum, testor ab aliquibus annis reperisse me in vetusto ecclesiæ Silvanectensis legendario eamdem prorsus historiam & eodem contextu quo in laudato
B illo codice descripta est; sed illam profero tamquam ecclesiæ Arelatensis, tum quia quæ peregrina sunt & adducta de longinquo magis placent curiositati, tum quia in codice Silvanectensi deest initium & finis ob scissas aliquot paginas, sed statim post illam scissionem & hiatum sequitur alia vita sancti Reguli & alio stylo exarata; verum de iisdem fere rebus & eodem ordine relatis quæ hactenus per ecclesias nostras legitur in ejus festo & octavis; unde conjicere est piguisse majores nostros legendæ illius antiquioris & substituisse novas ac reformatas lectiones, forte latiniores, sed neutiquam sinceriores. Quomodo namque a fonte impuro deducentur rivuli liquoresque perlucidi ! Age ergo, intuere fontem, sic fluit ex Arelatensi manuscripto : *Incipit vita vel actus beatissimi Reguli episcopi*
C *& confessoris Christi quæ celebratur IX. cal. Maii, quam venerabilis Dominoque amabilis Cœlestinus ex nobili Hiberniarum provincia exortus, divina inspirante clementia, spiritaliter dictare conatus est, ob gloriosissimi regis jussionem Clodovæi, qui sanctorum confessorum Christi Remigii & Vedasti exhortatione piaque prædicatione baptizatus & ad fidele servitium est conversus; ille enim cum desiderio fuisset excitatus aliquid particulatim de præfati sanctissimi confessoris reliquiis accipere, Domino revelante, super sarcophagum ejus duabus tabulis lapideis vitam ejus inscriptam invenit, & ad agnitionem omnium diffamari præcepit, &c.*

Sequitur prologus & vita sancti Reguli, quam videre est in ipsomet manuscripto codice. Sic vero prosequitur dictus dominus decanus.

Pudet me reliqua contexere tam ineruditæ scriptio-
D nis; qui perlegere voluerit integram reperiet, vel typis excusam in libellis quos sparsit Jaulnæus decanus, vel manuscriptam in exemplaribus & scriniis canonicorum sancti Reguli Silvanectensis. Arguant me infidelitatis si non inde transcripsere quæ sequuntur, quibus more Surii, contracto stylo, sed iisdem verbis auctoris sui Cœlestini præcipua rerum & vitæ apostoli nostri capita complectar.

Censura & observationes ad vitam sancti Reguli, ex Arelatensis ecclesiæ manuscripto codice.

Quicumque aliquid sapit, totam illam compositionem mendacii & falsitatis fermento conspersam penitus inflatamque sentiet; præterquam quod enim barbara ubique profert & loquitur, ridicula etiam, absurda &
E disparata suæ narrationi adeo immiscet, ut fidem sibi detrahat stylo ac rebus ipsis quibus conciliare vult & putat. De barbarismis & solœcismis quibus refertæ sunt omnes lineæ, periodi, paginæ, nihil moror; si legisti, vidisti; si non legisti, recurre, revolve & videbis non sine fastidio vel indignatione.

Jam vero quot ridicula, quot absurda, quot anilia, quot puerilia, non solum ab usu & possibilitate eorum temporum, sed etiam a recto sensu aliena; res omnes & personas vestit, ornat producitque eo prorsus habitu quo posterioribus sæculis quibus scribebat fabulam suam, res geri & conspici solerent. Fingit Luteciam regum palatiis excultam, qui nonnisi post annos amplius quadringentos Parisiis habitarunt; inducit sub

sancto

sancto Clemente papa & imperatore Domitiano templa publica, liberam & in propatulo sacramentorum administrationem, missarum celebrationem, processionem erecta cruce, horas diurnas & nocturnas, psallentium veluti canonicorum choros, clericatum, tumulos & epitaphia super martyrum sepultura, exsequias solemnes episcoporum cum cleri & plebis concursu, & alia hujusmodi tam sine numero quam sine judicio. Certe ne quidem mitioribus seculis & in summa pace ac tranquillitate ecclesiarum Regulus noster negotium evangelii tam facile confecisset quam fecisse narratur Arelate, Luparæ, Silvanecti, ubi scilicet more Cæsarum triumphatorum inducitur ea facilitate & felicitate prædicans regnum Dei, ut possit dicere, *veni, vidi, vici;* nam & intra viginti quatuor horas (quæ est fabularum & comœdiarum regula) urbes plebesque integras subvertit convertitque. Sed quid dicam de asino Archadico, cujus ascensorem facit sanctum Regulum, ut Græcum magis probet! Quid de Arelatensium dæmoniis conquerentibus se nescire nomina Dionysii & sociorum ejus, a quibus tamen expellebantur! Quid de visionibus, concionibus, miraculis cæterisque gestis, quorum nullus testis, nullus scriptor coævus allegatur! Nam qui dicit aut fingit se ad mandatum Clodovæi regis dictasse hanc historiam, trecentis saltem annis post transitum Reguli dictavit, sed non nominat auctorem suum a quo acceperit. Quid ergo ait quod cum Clodovæus *desiderio fuisset excitatus aliquid particulatim de præfati sanctissimi confessoris reliquiis accipere, Deo revelante, super sarcophagum ejus duabus tabulis lapideis vitam ejus inscriptam invenit, & ad agnitionem omnium diffamari præcepit.*

En Moysen alterum qui nobis profert duas tabulas lapideas, legem & legislatorem nostrum exprimentes, legem scilicet fidei & factorum ejus quæ in illis tabulis descripta erat; sed quare non dedit illam ipsam vitam sancti Reguli quæ in ejus effosso tumulo & revelato reperta est! nam non audet dicere esse eamdem, sed *dictatam spiritaliter,* id est compositam ad illud exemplar & secundum spiritum dictantis; neque enim contineri potuisset duabus tabulis lapideis tam ampla, tam longa descriptio qualem nobis exhibet codex Arelatensis, quamque vides hujus libri tot paginas & folia supra mensuram implevisse; saltem exscripta non est & posteris tradita vita illa originalis quæ in duabus tabulis lapideis inscripta; non fuit (tamen) difficile magis aut impossibile talem ad nos transire quam quæ ab Hiberno Cœlestino dictata & amplificata est. Cur pontifex temporis illius non jussit reservari vitam illam originalem, sicut jussit, ut Cœlestinus dictaret & diffamaret! Forsan præ nimia vetustate vel deleta erat, vel tam antiqui & inusitati characteris legi non poterat, sicque Hibernus ille vitam aliam dictare coactus est. Cur vero evanuerunt tabulæ illæ lapideæ sæculis omnibus duriores &, ut ita dicam, durabiliores, cum tamen chartaceæ membranæ & folia Cœlestini vel ejus notarii manu exarata tamdiu duraverint, ut vitam Reguli ab ipsis descriptam post mille & amplius annos adhuc integram habeamus! Cur autem habemus ossa & tumulum beati confessoris, nec supersunt tamen duæ illæ tabulæ lapideæ quæ super ejus sarcophagum tumulatæ fuerant! Cur etiam nunc inter ecclesiarum nostrarum reliquias postulamus & colimus dentem illum quem rex Clodovæus avulsit e sacro corpore, imo & sanguinem qui talem evulsionem dentis inanimi mirabiliter consecutus est! Cur, inquam, non pari religione conservatæ sunt hæ tabulæ lapideæ quas iisdem momentis & circumstantiis repertas asseverat ille scriptor! Porro quis non miretur sapientiam antiquorum, sic tumulos ipsos & monumenta defodisse cum mortuis, ut toti sepelirentur, nec ulla eorum memoria vel exempla viventibus superessent! Nam si credimus, vita sancti Reguli ejus tumulo abdita latebat ne scilicet posteri Silvanectenses scirent quis & quantus extitisset suus ille apostolus cujus interim memoriam & sepulchrum colebant. Nunc ergo desipimus, qui appendimus extrinsecus sepulchrorum monumenta & elogia tabulis lapideis eminentibus & aspectabilibus locis affixa. Non habebant epitaphia veteres, sed ὑπόγεια, instituto & consilio longe utiliori terra obruebant gloriosas inscriptiones & tabulas marmoreas, quibus defunctorum laudes & præclare gesta servarentur. Sic enim Clodovæus vitam sancti Reguli duabus tabulis lapideis incisam, & super ejus sarcophagum repositam invenit, *Deo revelante.* Rideat & irrideat quantum volet acutus lector tam absurdam inventionem otiosi hominis, & dubio procul Areopagitici cujusdam qui, ut suæ causæ faveret, excogitavit nec verisimile, nec probabile factum istud, scilicet vitam sancti Reguli quam excudebat, repertam esse in ejus tumulo, ne scilicet argueretur de confictione.

Deinde quia videbat stylum suum nihil tantæ & adhuc latinæ sub Domitiano antiquitatis sapere, non descriptam de verbo ad verbum ex duabus illis tabulis lapideis, sed *spiritaliter* * dictatam a nescio quo publicavit; vocat autem commentariolum, ut demonstret hoc verbo commentarii se & amplificare & explicare textum hunc qui in tabulis lapideis exaratus fuerat; sed & commentationem suam modeste nimis vocat *insulsam dictationem,* quo sane judicio & nomine noluisset designare elogium illud lapideum quo vita S. Reguli continebatur. Intelligebat ergo de sua ipsius compositione, quæ reapse adeo insulsa est & inepta ut mihi jam sufficiat nudam exposuisse; quisquis enim aspexerit, contemnet, & juxta Hieronymi verbum de hæresibus quibusdam, *quas prodidisse,* inquiebat, *superasse est,* dicere possum similiter: hujusmodi scripta publicare satis est, ut omnes aspernari & refutare debeant. Unde supersedeo notis & animadversionibus quas fusiores disposueram in singulas partes hujus commentarii, ne molestus sim, vel iis qui sinceram existimabunt, vel his qui falsam. Neutris placet longa discussio, illi de falsitate convinci nolunt, hi non egent; nec tamen velim perire & deperdi observationes necessarias; restituam & reponam inferius post textum codicis Silvanectensis, qui cum eadem referat, sed simplicius & verisimilius, eo magis indiget commentatore, qui fucos & fallacias detegat, quibus vita illa sancti Reguli ex utroque manuscripto respersa est.

* in præfatione.

Cæterum quod spectat ad Arelatense, S. Regulum facit Johannis Evangelistæ auditorem, anno, inquit, tertio decimo regnante Claudio, Incarnationis Dominicæ quinquagesimo. Fabulosus historicus veram temporum rationem ignoravit, nam annales ecclesiastici decimum tertium Claudii Cæsaris referunt ad quinquagesimum sextum; familiares sunt παραχρονισμοὶ istis legendarum confectoribus, nec meliore censura dignosci aut revinci possunt.

Baron. tom. 1.

Denique certum est illam vitam sancti Reguli tam male & incondite scriptam displicuisse majoribus nostris, unde & aliam excudendam curarunt, sed sine auctore, sine nomine Hiberni illius Cœlestini, sine falsa & ficta inventione duorum lapidum in quibus apostoli sui res gestæ insculptæ fuissent, & occultæ usque ad Clodovæi dies; hæc scilicet omnia frivola & inania reputarunt, nihilominus eumdem narrationis ordinem servantes, historiam purgatam verborum quisquiliis & sordibus, habitu ac stylo decentiori ornatam inseruerunt suis legendariis atque officiis. Et vero non inde consequens est ut verior sit & fidei sanctioris; quæretur enim semper unde ad nos hæc historia profecta sit, cumque eadem dicat & reconcinnet quæ in fabula tabularum lapidearum, dictante Cœlestino, inscripta fuerunt & adhuc leguntur, non erit potioris auctoritatis, & rivulus de origine sua censebitur. Itaque fidem adhibeat qui volet historiæ Silvanectensi, quam Arelatensi, quæ primaria est, noluerit commodare. En profero qualis hucusque apud nos recitata est ex codicibus trium ecclesiarum, scilicet, beatæ Mariæ, sancti Reguli & sancti Frambaldi.

Vita seu legenda sancti Reguli Silvanectensis apostoli & patroni, ex tribus manuscriptis capitulorum codicibus.

Post sacratissimum Dominicæ Ascensionis venerandumque triumphum, cum ad declarandam christianæ religionis fidem per diversas terrarum partes sancti apostoli dispersi fuissent, beatusque Johannes apostolus & evangelista, per Judæam vicinasque provincias verbum Dei instanti prædicatione doceret, &c.

Censura et Notæ.

1. *Vita seu legenda sancti Reguli.* Titulus hic indicat satis neque historiam, neque manuscriptum esse antiquæ nobilitatis, verbum enim *legenda* recentius est.

2. *Beatus Johannes apostolus & evangelista, per Judæam vicinasque provincias, &c.* Auctoris error & inscitia; neque enim post divisionem apostolorum Johannes in Judæa, sed in Asia evangelium prædicavit; sic Hieronymus, Dorotheus & antiqua traditio.

3. *Quidam juvenis ex Græcorum finibus, nobili prosapia exortus, nomine Regulus, &c.* Mirum esset hoc nomine Græcum hominem appellari potuisse, nam pure Romanum est, nec parum favet observatio illa secundæ opinioni, Regulum scilicet cum Quintino & sociis Romanis venisse in Belgium; sed si Græcus erat, cur ipsius patria non designatur? *Ex Græcorum,* inquit, *finibus.* Codex Arelatensis in ipso fine testatur Deum *talem sibi e plebe Micæna elegisse insontem pontificem;* pro Micæna alii Nicæna legerunt vel reposuerunt, ut Saussæus in martyrologio Gallicano & in breviario Parisiensi. Jaunæus imperite & ridicule, ut in cæteris fere omnibus, oriundum ait ex urbe quæ dicitur Argiva, Græciam universam pro singulari civitate supponens. Vincentius Bellovacensis & post eum alii silent omnino de patria Reguli. Ita in limine historiæ ejus obscuritas natalium pro insigni pendet, unde reliqua incerta licet augurari.

4. *Confestim ad clericatus provexit gradum, adeptoque religionis hujus honore, &c.* Hæc verba novellum indicant hujus legendæ auctorem: quis enim antiquorum scripsit de clericatus gradu ab apostolis ipsis collato? Sane voluerunt quidam ad apostolicam traditionem reducere tonsuræ clericalis usum & formam, eo quod Petrus ipse *primus hierarcharum,* a gentilibus detonsus & rasus fuit in Christi, quem prædicabat, opprobrium & contemtum: huc etiam referunt quod Paulus totondit se in Cenchris, quin & aliqui narrant jussu Domitiani crines capitis fuisse Johanni apostolo ad ignominiam abrasos. Potuerunt itaque apostoli præferre quamdam imaginem tonsuræ clericalis, quam sibi postea ecclesia universa proposuit imitandam; sed nusquam scriptum est quod apostoli *clericatus gradum* suis discipulis contulerint, sicut dicitur hoc loco. Porro si apostolorum hujusmodi contumelia in cleri gloriam & exemplum translata est, si scholastici nostri exemplar tonsuræ sumunt a beato Johanne decalvato, absurdum est & præposterum ut Johannes Regulo tonsuram clericalem contulisse fingatur longe antequam ipse a Domitiano injuriam denudati calvitii recepisset. Hoc tamen ita supponit legendæ scriptor in sua narratione; videat lector, si lubet.

S. Germanus Constantinop.

5. *Prædixerat illi quod non effusione sanguinis, sed plenus dierum confessor migraret ad Dominum, &c.* Hæc locutio finitima est novitati posteriorum temporum & breviaria redolet, in quibus confessores a martyribus distinguuntur; olim namque confessores etiam dicebantur qui cruento martyrio confitebantur Christum; illud notius est, quam ut probari debeat veterum testimonio, sed imperitus auctor sibi visus est belle comminisci, si Regulum quem fingebat Johannis Evangelistæ discipulum, martyrii exortem cum suo magistro faceret. Prævidit enim fallax & sagax Areopagiticus, non fore credibile, primo illo sæculo Regulum evasisse

Vid. Tertul. Cyprian. &c.

A a tyrannorum & gentilium persecutionibus, nisi prophetiæ spiritu & insolito miraculo rem faceret credibiliorem; sed ne mendacium sibi constaret, codex Silvanectensis prophetiam hanc a sancto Johanne secretius & intra familiaritatis sinum discipulo suo commendatam refert, quam e contra codex Arelatensis palam & publice factam pronunciatamque scribit: *coram cunctis,* inquit, *spiritaliter diffinivit idipsum sub hujus temporalis vitæ termino coronam martyrii non attingere, sed longo potius tempore vitam ejus felicem, &c.*

CLXVII.

Johannis Deslyons *decani Silvanect. ad Hadrianum Valesium epistola de origine Silvanectarum.*

B HADRIANO VALESIO, Johannes *Deslyons* decanus & theologus Silvanectensis, S. D. Ignotus tibi sum, sed tu nulli inter eruditos. Patent omnibus oracula, & quis tibi hanc gloriæ appellationem invideat, cum de rebus Francorum antiquis consultandum est? Jam dudum meditor & promitto aliquid de ecclesia & episcopis Silvanecti, quorum historia nullum habuit hucusque scriptorem proprium. Qui enim scribere visus est, nonnisi visiones & somnia sua descripsit. Sed ecce hæreo in ipso limine operis: quæro Silvanecti originem, nec invenio inter opacas silvarum tenebras quibus olim Belgium nostrum asperum fuit: erat ne jam castrum aut civitas, cum hasce regiones Julii Cæsaris arma & victoriæ peragrarent? Nullam certe de eo mentionem facit in commentariis suis; credi tamen potest illac transisse cum C copias in Belgium duceret; supersunt adhuc in confinio nostro, ad Oesiæ fluvium, stativa castra, vel potius ipsorum vestigia & vocabula sub nomine Cæsaris, quem indoctorum vulgus Julium fuisse putat. Tu vero inter doctos excellens, optime scis plurimos post illum Cæsares Gallias nostras suis excursionibus celebrasse; audivi a Chicotio nostro medico regio & literatissimo, effossa nuper eo loci numismata quæ Aurelium Commodum indicarent, quod certe indubitato est argumento longe post Julium Cæsarem stationem hanc in finibus nostris fuisse collocatam. Quæro igitur auctorem qui primus recensuerit aut appellaverit Silvanectes; incidi nudius tertius in Remensem Marloti metropolim, & miratus sum ibi nos a Plinio inter liberas Belgicæ civitates hoc nomine designari; vix credebam oculis meis, nos cum Nerviis, Veromanduis, Suessionibus aliisque populo- D rum amplissimorum capitibus veluti primaria nobilitate donatos. Volui ergo Plinium originalem inspicere, & nullam de innumeris editionibus reperi qui Silvanectas scriberet; in omnibus lego Ulbanectes; qui sint illi, nescio, nec ipsi interpretes nos hactenus docuerunt; sed scio non posse esse Silvanectenses nostros, nam Plinius Ulbanectes suos Tungris junctos & continentes facit; Tungri vero etiamnum superant inter Leodicenses hodiernos; absurdum autem & incredibile est ut tam accuratus historicus ab extremis in extrema Belgicæ secundæ, a Silvanecto ad Tungros uno saltu transmiserit sine ulla tot regionum interjacentium commemoratione; ego vero si etiam Plinii tempore Silvanectum jam exstiterit, addubito. Scilicet non ignoras, vir doctissime, quod qui deinceps Romanum imperium E arripuerunt vel administrarunt, ultra Belgium progressi, varios subinde populos, nomine Francorum tunc illustres, subegerunt, & in Belgicam translatos coegerunt inculta & deserta loca excolere atque habitare. Et primum quidem, ut verbis utar auctoris quondam Belgæ, *Maximiani Augusti tempore ac nutu, Nerviorum & Trevirorum arva jacentia, lætus postliminio restitutus & receptus in leges Francus excoluit. Deinde Constantius Cæsar gentibus Francorum excisis, reliquos sibi deditos vel cogit cum conjugibus ac liberis cæteroque examine necessitudinum ac rerum suarum ad loca olim deserta transire, vel provincialibus Romanis ad obsequium distributos mancipavit, mansuescitque donec ad destinatos sibi cultus solitudinum ducerentur.* Quæ vero illæ solitudines fuerint,

Lib. 4. hist. nat. c. 17.

explicat ille orator, nempe; *quidquid infrequens Ambiano & Bellovaco, & Tricassino solo, Lingonicoque restabat, hoc est quod ait per victorias Constantii Cæsaris barbaro & Franco cultore reviviscere.* Vides quam prope ad silvas nostras Bellovacensis ager accedat, ut credibile sit tum extirpatas fuisse, & plantatum in eis Silvanectum.

Quidni Constantinus exemplo imperioque paterno successerit! nam & variis posthac in Francos expeditionibus victor, occidit, cepit, abduxit innumerabiles; nec temere opinor partem aliquam citra Bellovacos nuperrime renovatos collocatam. Et hæc quidem a Silvanecto ad Meldas & Parisios nova colonia toti circum regioni Franciæ nomen indidit, quod etiam ad nostra tempora perseverat. *Tunc igitur,* ut aiebat Nazarius in Constantini panegyrico, *jacebat in hoc latere Galliarum fusa barbaries,* novis adhuc per Crispum Constantini filium victoriis & incrementis augescens; unde conjicio Crispium oppidum ab eodem Crispo Cæsare tum Galliarum præfecto, & ortum & cognomen accepisse, dum Franci per hunc tractum effusi saltus & nemora in castella & civitates commutarent. Hoc itaque factum est priscis illis seculis, quod nostro fieri vidimus apud barbaros Canadenses, ubi erant vastissimæ silvæ, quibus paulatim cœsis & avulsis, non tantum arva seminibus, sed etiam villis, oppidis ac urbibus novari & conspicua esse cœperunt; sed quia Francorum hæc est innovatio, inde Novam Franciam appellamus. Ita certe fati sumus ab initio, & adhuc ævo Caroli Magni pars hæc nostra Galliarum novæ Franciæ titulo designabatur. Sic legi ego apud monachum Sangallensem, non alia certe ratione nisi quod Francorum coloniæ ibi consistentes nomen suum cum posteritate reliquerunt.

Habes ergo, vir clarissime, conjecturam meam; tu sententiam dices & docebis nos de natalibus Silvanecti, utrum Maximiano & Constantio antecedant, & si vel ejus vocabulum alibi primum legeris quam in notitia imperii Romani quæ sub Honorio confecta est & edita. Ne cogita tantum virum de minima, sed judicem de necessaria quæstione interpellari; & qui etiam pedissequos Sallonis [a] tui literatos amas & prædicas magnifice, ejus olim in Grassinæo convictorem non contemnes. Vale.

Responsio ad epistolam præcedentem.

VIro clarissimo Johanni de Leonibus decano & theologo Silvanectensi, Hadrianus Valesius histor. S. D. Cum de ecclesia & episcopis Silvanectensibus scribere institueris, hærere te in limine operis asseris & quærere Silvanectarum originem, nec invenire. Miror te, vir clarissime, quærere quod nunquam es inventurus: cui enim notæ sunt veterum urbium origines, imo vero cui notæ esse possunt cum eadem de re scripserit nemo! Scimus quidem quando & a quibus coloniæ Romanæ pleræque deductæ sint; cæterarum urbium quæ capita populorum sunt, cum in Gallia, tum alibi, origines ignoramus. Hoc tantum affirmare certo licet, Tolosam, exempli causa, a Tectosagibus, Luteciam a Parisiis, Samarobrivam ab Ambianis, Cæsaromagum a Bellovacis, Augustomagum vel Silvanectas a Silvanectibus conditas esse; quo tempore conditæ sint, nemo e veteribus scripsit, nemo nunc novit. Julius Cæsar non meminit quidem gentis Silvanectum suis in commentariis, sed nec meminit Saïorum, Abrincatuorum, Tricassium multorumque aliorum populorum quos tamen in Gallia, vivo Cæsare, fuisse ac floruisse non dubito. Silvanectes nomen est gentis, caput gentis vocatur nunc Augustomagus, nunc Silvanectæ in veteribus itinerariis & tabulis, ac in notitia imperii Romani, nusquam vero Silvanectum. Nuper prodiit in lucem mea notitia Galliarum ordine literarum digesta, & apud Fridericum Leonardum in vico Jacobæo exstat, ad quam te remitto; ibi enim reperies quæ de gente tua & de capite gentis certa afferri possunt. Silvanectes a Plinio Ulbanectes dici negas, quod tamen affirmavit Cluverius doctissimus Geographus, affirmo ego, affirmant omnes, & pro indubitato haberi convenit. At, inquis, Ulbanectes suos Tungris Plinius junxit: quid inde! an putas eum exacte situs habere rationem in commemoratione populorum! Suessiones & Verunos, licet multum distantes, conjungit eadem plane ratione; item, Leucos & Treviros, cum inter ambos medii sint Mediomatrici; Lingones quoque, Remos, Mediomatricos, Sequanos junctim commemorat, cum inter Lingones & Remos Catalauni Vadicassium, inter Mediomatricos & Sequanos Leuci intercedant. Idem in Gallia Lugdunensi; Caletis Venetos, Senonibus Aulercos Eburonic. Tricassibus Andegavos proxime adjungit, nulla habita distantiæ ratione. Silvanectenses licet silvas apud se habeant magnas, a silvis latinum nomen non habent, & a nectendo, quod ego nomen esse Gallicum gentis Gallicæ persuasissimum habeo, nec ullam Galliæ gentem veterem reperies quæ Gallicum nomen non habeat, aut quæ latina appellatione censeatur; conjecturis nulla re certa nixis nihil fallacius est, nihil tamen blandius. His virum doctissimum, qualis mihi videris, indulgere nequaquam convenit. Ne itaque putes quemquam tibi de conditis sub Constantio Chloro Cæsare Silvanectis, aut de Crispeio vel Crispiaco a Crispo Cæsare constructo crediturum; Franciæ quidem varias significationes in nostra notitia Galliarum accurate explicatas invenies, sed Franciam circa Parisios jam principatu Caroli Magni notam fuisse, & a monacho Sanctigallensi Novam Franciam appellari, non puto ullos tibi assensuros. De Silvanectibus & de Augustomago, deque episcopis urbis tuæ, ut certum aliquid scribas & cedro dignum, legendi tibi sunt veteres historici nostri, veteres vitæ sanctorum, antiqua ecclesiarum chartaria, excutiendæ membranæ Silvanectenses, adeunda monasteriorum tabularia, & in omnibus veritatis magis habenda ratio quam nobilitatis aut antiquitatis.

Quandoquidem me tanti fecisti ut consuleres, hæc sunt quæ te monendum putavi, vir doctissime, non quod consilio meo egeas, sed quod tibi rescribendum & satisfaciendum erat, ne a me quem immeritum honorifice appellaveras, neglectus fuisse viderereris. Te & Sallonis quondam amici mei, cujus convictor fuisti, & multo magis communium literarum nomine diligo, & si verum libenter audis, meam in judicio ferendo & in dando consilio libertatem haud moleste laturum spero. Vale. Data Luteciæ Parisiorum XVI. calendas Julias anno M. DCLXXV.

CLXVIII.

Diploma regis Ludovici XIV, de unione thesaurariæ duarumque præbendarum ecclesiæ sancti Frambaldi, quando vacaverint, facta ejusdem ecclesiæ capitulo.

LOUIS par la grace de Dieu roy de France & de Navarre : à tous présens & à venir, salut. Sçavoir faisons que vû les soins que nous avons de toutes les églises de notre royaume, & particuliérement pour celles qui sont de notre fondation royale, à ce que le service divin y soit celébré avec l'honneur & la décence à l'acquit d'un ministére si saint, & que les ministres qui y sont employez aient une subsistance honnête & qu'ils ne soient pas obligez de la chercher ailleurs, nous ont fait écouter les plaintes de nos amez & féaux orateurs les doyen, chantre, chanoines & chapitre de notre église & chapelle royale de saint Frambourg de Senlis, que les revenus de leur église étoient si modiques qu'ils ne pouvoient suffire à leur subsistance honnête & à l'acquit du service, entretien & réparations des lieux & bâtimens; pour pourvoir auxquels inconvéniens nous ayant fait supplier de vouloir nous servir 1675.

a D. Valesius specialis amicus erat domini de *Sallo* in parlamento senatoris, cujus pedissequi latinas discebant literas & intelligebant.

des remèdes établis par les saints conciles, & par nos ordonnances, de supprimer quelqu'une des dignités, chanoinies & prébendes de ladite église, en les reduisant à un nombre moindre, & d'en appliquer les fruits à la mense commune & particulière au profit de ceux qui resteroient, dont le nombre seroit encore suffisant pour acquitter le service & les charges de ladite église; nous n'aurions pas néanmoins voulu y procéder sans être auparavant suffisamment instruit de l'état de ladite église, de ses revenus & de ses charges, & de la nécessité qu'il pourroit y avoir d'y procéder par ces remèdes, de la suppression & de la réunion, & de l'utilité qui en pourroit arriver à ladite église à l'honneur & à l'avantage de notre fondation royale; pour raison de quoi ayant commis & député notre amé & féal le sieur Colbert conseiller en tous nos conseils, & notre commissaire départi pour l'exécution de nos ordres en la généralité de Paris, il nous en auroit suffisamment fait connoître les motifs par les informations qu'il en auroit fait faire, & par les avis qu'il nous en auroit donnez: Et d'autre part, le sieur évêque de Senlis pour le devoir de sa charge épiscopale, s'étant aussi informé de la nécessité de ces suppressions & réunions des canonicats en ladite église, qui jusqu'alors étoient de pure disposition ecclésiastique à la collation & pleine disposition desdits chanoines & chapitre, par l'abandonnement que nos prédécesseurs roi. leur en avoient fait, ne nous étant réservé que la collation & pleine institution du trésorier de ladite église & la confirmation de l'élection du doyen d'icelle, ledit sieur évêque auroit supprimé par son decret du dix-huit Avril mil six cens soixante-quinze, deux desdits canonicats qui vacqueroient les premiers par mort, & iceux réunis, vacation avenante par ce genre de vacance, au corps du chapitre & à la mense capitulaire, avec tous les droits & revenus y appartenans, à distribuer & répandre sur les chanoines & dignités restans. Et comme la trésorerie de ladite église, chanoinie & prébende y jointe étoit de notre pleine & entière disposition & collation royale, lesdits doyen, chantre, chanoines & chapitre nous auroient humblement suppliez de vouloir pareillement procéder par suppression de la trésorerie de ladite église, avec tous ses droits utiles & honorables de collation & revenus temporels, & en faire l'application & réunion au corps dudit chapitre & à la mense capitulaire, pour être distribuez & répandus aux dignités & chanoinies restantes, vacation arrivant d'icelle trésorerie par la mort de celui qui en est à présent titulaire ou autrement; & pour nous indemniser de la perte & diminution de nos droits de collation & disposition que nous nous étions réservez de ladite trésorerie, ils nous auroient encore suppliez de vouloir reprendre la collation & pleine & entière disposition des canonicats restans, comme nous l'avions dans l'origine & première fondation que nos prédécesseurs avoient faite de ladite église, & qu'ils ne tenoient que de notre abandonnement & de notre libéralité, ainsi qu'ils l'auroient consenti par les actes capitulaires des 17 Novembre 1673 & 25 Janvier 1675, qu'ils nous auroient suppliez vouloir approuver, confirmer & homologuer; ensemble l'avis à nous donné par ledit sieur Colbert, pour la suppression de ladite trésorerie & réunion au corps dudit chapitre & mense capitulaire, du 25 Janvier 1675, & ledit decret de suppression & de réunion desdits deux canonicats premiers vacans par mort en ladite église, dudit sieur évêque de Senlis, du 18 Avril 1675: Pour ces causes & autres à ce nous mouvans, & voulant honorer & avantager, autant qu'à nous est, notredite cha-

A *pelle, comme étant de notre fondation & dotation royale, nous étant suffisamment apparu de la nécessité & utilité de ladite suppression, réduction & réunion desdites trésorerie & chanoinies au corps dudit chapitre & à la mense capitulaire d'icelui, & que les revenus desdits doyen, chantre & chanoines étant augmentez par cette suppression & réunion, ils se rendront plus assidus à l'acquit du service divin en notredite Sainte-chapelle & y vacqueront avec plus d'honneur & de décence, ainsi qu'il est contenu auxdits avis, decret & actes capitulaires ci-attachez sous le contre-scel de notre chancellerie, avons confirmé, & approuvé & homologué lesdits avis & decret, accepté & confirmé lesdits actes capitulaires, & le tout acceptons, approuvons, confirmons & homologuons par ces présentes signées de notre main; voulons & nous plaît qu'ils soient exécutez selon leur forme & teneur, & ce faisant que, vacation avenant de la trésorerie de ladite église, par mort ou au-*
B *trement, elle demeure supprimée, & icelle réunie avec tous les droits, profits & revenus y annexez & appartenans, de collation & nomination des cures & annexes, au corps dudit chapitre & mense capitulaire, & iceux distribuez aux doyen, chantre & chanoines restans; & que vacation avenant de deux desdits canonicats par mort, ils demeurent pareillement supprimez, & les revenus d'iceux réunis audit chapitre & mense capitulaire, & iceux distribuez auxdits doyen, chantre & chanoines restans, comme pour lors & dès à présent, lesdits cas arrivant, nous les avons supprimez & réunis, pour être le nombre des chanoines & prébendes de ladite église & Sainte-chapelle royale de saint Frambourg réduit à huit, non compris le doyen qui jouira de deux canonicats, & le chantre qui jouira d'un canonicat & demi seulement. Voulons que lesdits doyen, chantre &*
C *chanoines restans jouissent pleinement & entièrement d'icelle trésorerie & chanoinies ainsi supprimées & réunies, comme de leurs anciennes dignités & chanoinies. Déclarons en outre que nous acceptons les soûmissions & consentemens de nosdits doyen, chantre & chanoines de notre Sainte-chapelle, contenus dans lesdits actes capitulaires des 17 Novembre 1673 & 25 Janvier 1675; homologuons, approuvons & confirmons iceux, & en conséquence que nous reprenons notre ancien droit de collation desdits doyenné, chantrerie, canonicats & prébendes de notredite Sainte-chapelle, pour en user par nous en toute vacation; rentrons de plein droit & de notre autorité royale esdites collations & dispositions pleines & entières desdits doyenné, chantrerie, prébendes & canonicats de notre Sainte-chapelle, comme nous & nos*
D *prédécesseurs en usions dès l'origine & le tems de notre fondation royale, à la réserve toutefois de la nomination & présentation aux cures & églises paroissiales étant de la présentation & nomination du trésorier de ladite église, que nous avons délaissée audit chapitre pour en user comme en usoit le trésorier, comme nous les délaissons par ces présentes. Si donnons en mandement à nos amés & féaux les gens tenans notre cour de parlement, que ces présentes ils aient à faire publier & enregistrer, & du contenu en icelles fassent jouir pleinement, publiquement & paisiblement lesdits doyen, chantre, & chanoines & chapitre de notredite Sainte-chapelle: car tel est notre plaisir. Et afin que ce soit chose ferme & stable & à toûjours, nous avons fait mettre notre scel à ces présentes. Donné à Saint-Germain en Laye au mois de Mai l'an de grace mil six cens soixante-quinze, & de notre règne le trente-deuxième. Par le Roy.* COLBERT.



INDEX

INDEX GENERALIS.

A

C

Concilia Ecclesiastica ordine alphabetico.

D

Tussanus

G

GERMANIÆ REGES.

H

N

O

P

Passerino

Q

R

S

INDEX ALPHABETICUS REMENSIUM ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM,

Provinciæ, maxime per cognomina.

A

B

INDEX ABBATUM, PRIORUM, ABBATISSARUM ET PRIORISSARUM REMENSIS METROPOLIS, *per cognomina.*

A

d'Apremont

B

C

D

E

F

G

H

J

K

L

de Laval

de Oratorio

Q

R

T

V

INDEX ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM

AD ALIOS TOMOS PERTINENTIUM,

ordine alphabetico digestus.

M

N

P

Radulfus

DECANI, PRÆPOSITI, *seu etiam* THESAURARII ECCLESIARUM TAM CATHEDRALIUM QUAM COLLEGIATARUM, METROPOLIS REMENSIS, *per cognomina.*

A

B

C

N

O

P

Q

R

S

de S.t Denis

DECANI, PRÆPOSITI, THESAURARII, &c.

ALIARUM A METROPOLI REMENSI ECCLESIARUM.

INDEX ABBATUM, PRIORUM, ABBATISSARUM ET PRIORISSARUM AD ALIAS PROVINCIAS PERTINENTIUM,

quorum in hac Remensi fit mentio.

A

B

C

D

E

F

S. Martialis

N

O

P

Q

R

